74

1
1–10

ق=11 ع=2 ص=4

74

1
4 — 10

R-2190

# BIBLIOTHECA

## CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA,

NECNON

ASCETICA, POLEMICA, RUBRICISTICA, HISTORICA &c.

De principalioribus, & fere omnibus, quæ in dies occurrunt, nec penes omnes facile, ac prompte reperiri poſſunt, ex utroque Jure, Pontificiis Conſtitutionibus, Conciliis, Sacrarum Congregationum Decretis, Sacræ Romanæ Rotæ Deciſionibus, ac probatiſſimis, & ſelectiſſimis Auctoribus accurate collecta, adaucta, Ordine Alphabetico congeſta,

AC IN OCTO TOMOS DISTRIBUTA

AB ADM. R. P.


## LUCIO FERRARIS

*Soler - Alexandrino, Ord. Minor. Regul. Obſerv. Lectore Jubilato, Exprovinc., Examinat. Synodali, ac S. Offic. Conſultore.*


EDITIO SECUNDA ROMANA AUCTIOR,

Cui, præter ea, quæ Auctor in Tertia Editione Veneta in calce Operis adjecerat, nunc ſuis locis inſerta, acceſſerunt ex aliena manu multa tum Theologiam, tum maxime Jus Canonicum & Civile concernentia, eaque ſcitu digniſſima, & omnibus præſertim Eccleſiaſticis Viris apprime utilia, & neceſſaria; ac Index rerum locupletiſſimus.

## *TOMUS SEPTIMUS.*

COMPLECTENS LITTERAS

S. T. V. X. Z.


DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
Æ. C. N.






*ROMÆ, MDCCLXVIII.*

EX TYPOGRAPHIA CAROLI BARBIELLINI

IN VIA CURSUS

SUPERIORUM FACULTATE.

Del
Dr. Dn. Juan Fran.co Carbonel del Roval.
Lect.l de la S.ta Yg.a de Baza.



*R E I M P R I M A T U R,*

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

*Dom. Patriarch. Antiochen. Viceſg.*

---

# APPROBATIONES.

PErfecto Septimi Tomi PROMPTÆ BIBLIOTHECÆ R. P. LUCII FERRARIS examine finem tandem improbo huic labori impoſui. Auctoricas, Juſſumque Reverendiſſimi P. Th. Auguſt. Ricchini Sac. Pal. Apoſtol. Magiſtri tam longo in itinere vires recrearunt. Omnia itaque perluſtravi, eaque, in quibus aliquid aliis cenſoribus inobſervatum mihi viſus ſum videre honeſtis moribus adverſum, vel etiam a veritate haud indifferenti, ut mea ferebat ſententia, alienum non equidem expunxi, ſed Nota appoſita coargui, aut indicavi. Hinc Septimum etiam Tomum publici juris fieri poſſe arbitror. In quorum fidem &c.
Datum ex Collegio Clementino hac die 23. Auguſti 1768.

*D. Joſeph Bettoni C. R. S. Conſultor S. R. Congreg.*

QUemadmodum ceteros præcedentes, ita & poſtremum hunc Tomum BIBLIOTHECÆ *Adm. R. P. Lucii Ferraris*, juſſu Reverendiſſimi P. Thomæ Auguſtini Ricchini Sac. Palatii Apoſtol. Magiſtri, ſerio diligenterque examinavi, atque in eo caſtigando, & emendando eodem modo me geſſi, ac in præcedentibus. Par igirur judicium iſtius poſterioris, ac de prioribus illis ferendum eſſe exiſtimo, ac propterea iterum publici juris fieri.
In quorum fidem &c. Dabam ex ædibus noſtræ Congreg. S. Joannis Baptiſtæ XIV. Kalen. Septembris MDCCLXVIII.

*Paulus Marcellus Del Mare Congregationis S. Jo. Baptiſtæ Presbyter, ac S. Theologiæ Lector.*

IN nuperrimis Additamentis, quæ acceſſerunt huic ſeptimo Lucii Ferraris Tomo, nihil ſe mihi obvium dedit, quod bonis moribus, aut Catholicæ Fidei adverſetur. Ideoque ea Typis dari poſſe cenſeo, ſi ita videbitur Reverendiſſimi P. Sac. Palatii Apoſt. Magiſtro.
Romæ 24. Auguſti 1768.

*Ubaldus Giraldi a S. Cajetano Cl. Reg. Scholarum Piarum Apoſtolicus Romani Cleri Examinator, & Collegii Eccleſiaſtici Rector.*

CUm imperiis Reverendiſs. P. Sacr. Palatii Apoſtolici Magiſt. obſequuturus Septimum Tomum *Bibliothecæ R. P. Lucii Ferraris*: ſedulo perluſtraverim: nihilque in eo Fidei Orthodoxæ, bonis moribus, aut canonicis ſanctionibus, quoad me attinet, haud conſentaneum deprehenderim; cenſeo, ut iterum typis conſignetur.
Romæ hac die 26. Auguſti MDCCLXVIII.

*Felix Antonius Tombolini J. U. D.*

*R E I M P R I M A T U R.*

Fr. Thom. Auguſtin. Ricchinius Ord. Prædicator. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſt.

INDEX

# INDEX TITULORUM, SEU MATERIARUM,

*Quæ in hoc Septimo Tomo continentur.*


SABBATUM. Pag. 1
Sacerdotium, Sacerdos. 2
Sacramentalia. 7
Sacramentnm. 7
Sacra Scriptura. 13
Sacrificium. 13
Sacrilegium. 17
Sacriſta, Sacriſtia. 17
Salutatio Angelica. 18
Samaritana a Chriſto converſa. 18
Sanctitas, Sancti. 18
Sapiens errorem propoſitio. 19
Sapiens hæreſim propoſitio. 19
Sapientia. 19
Satisfactio, ſive Pœnitentia Sacramentalis. 19
Scandalum. 19
Scandaloſa Propoſitio. 20
Schiſma, Schiſmatici. 20
Schiſmatica Propoſitio. 22
Scientia Confeſſarii. 22
Scriptura Sacra. 22
Scripturæ, ſeu Inſtrumenta. 28
Scrupulus. 34
Secretarius, Secretum. 35
Sedes vacans. 36
Sedes, Scamna. 38
Seditio. 39
Seditioſa Propoſitio. 39
Seminarium. 39
Sententia. 51
Sepultura. 57
Sequeſtratio, ſeu Sequeſtrum. 77
Servitus. 79
Sigillum. 82
Sigillum Sacramentalis Confeſſionis. 84
Simonia. 88
Societas, ſeu Societatis contractus. 103
Societas inter Fratres. 107
Sodomia. 111
Solemnitates pro alienandis rebus Eccleſiæ. 111
Solemnitates contractum. 111
Solidus. 111
Sollicitatio ad turpia. 111
Solutio. 116
Somnium. 120
Somnus. 122
Sors. 123
Sortilegium. 124
Spadones. 125
Spatulomantia. 125
Spectacula. 125
Spes. Spicæ. 125
Spiritus Sanctus. 125
Spoliator, Spoliatus. 126
Spolium. 127
Sponſalia. 131
Sponſi. 143
Sportulæ. 144
Stellionatus. 144
Stipes. 144
Stola. 144
Stuprator, Stuprum. 145
Subcollector Apoſtolicus. 145
Subdiaconatus. 147
Subornatio. 147
Subreptio. 147
Subſidium Charitativum. 147
Succeſſio ab inteſtato. 150
Succeſſor in Beneficio Eccleſiaſtico. 154
Suffragia. 154
Superbia. 156
Superiores. 157
Superſtitio. 157
Surripientes. 163
Suſpecta de hæreſi Propoſit. 163
Suſpenſio. 163
Suſpicio. 167
Suſurratio. 167
Symbolum 167
Syndicus. 170
Synodus Diœceſana. 175

TABACCUM. 183
Tabernaculum. 185
Taberna, Tabernarii, &c. 185
Tactus impudici. 186
Talionis pœna. 187
Tarraconenſe Concilium. 187
Taxa. 187
Temeraria Propoſitio. 192
Temperantia. 192
Templa Gentilium, 192
Territorium ſeparatum. 192
Tertiarii, Tertiariæ. 192
Teſtamentum. 200
Teſtis. 219
Teſtium præſentia quoad Matrimonia. 235
Thalmud Hebræorum. 235
Theologia, Theologus. 236
Theſaurus S. M. Eccleſiæ. 237
Theſaurus. 237
Thurificatio. 237
Titulus. 241
Tonſura. 242
Traditiones. 242
Tranſactio. 243
Tranſitus. 246
Tranſlatio. 247
Trebellianica. 248
Tregua. 248
Tributum. 249
Tridentini Concilii Decreta. 249
Triſagium. 249
Tutela, Tutor, Cura, Curat. 249

VACANS SEDES. 256
Vacatio, Vacare. 256
Vagus, Vagabundus. 257
Vanagloria. 257
Vana obſervantia. 257
Vaſa Sacra. 257
Vaticana Baſilica. 258
Vectigal. 259
Venatio, Venator. 259
Venditio. 260
Venenum. 260
Venerabile Sacramentum. 261
Veneratio Sanctorum. 261
Veſtis. 271
Viaticum. 274
Vicarius Apoſtolicus. 276
Vicarius Capitularis. 279
Vicarius Foraneus. 286
Vicarius Generalis Epiſcopi. 288
Vicarius Parochialis. 298
Vicarius. 301
Vicinus. 303
Vidua, Viduus. 303
Vigilia. 304
Vinum. 306
Violentia. 309
Vir. 309
Virga Pœnitentiariorum. 309
Virtus. 309
Vis. 318
Vis, & Metus. 319
Viſitare, Viſitatio, Viſitator. 319
Vita Communis. 335
Vitium. 339
Vitricus. 339
Vivæ vocis Oracula. 339
Unctio Extrema. 339
Unio Beneficiorum, ſeu Eccleſiarum. 339
Votum. 344
Votum pro Electione. 381
Votum prout eſt impedimentum Matrimonium. 381
Uſucapio. 381
Uſura. 382
Uſusfructus, Uſus. 391
Utenſilia. 395
Uxor. 397

XENIA. 401

ZELOTYPIA. 402
Zingari, Zingaræ. 402




ADMODUM REVERENDI

P. F. LUCII FERRARIS

# PROMPTA BIBLIOTHECA

## Canonica, Juridico-Moralis-Theologica &c.

## SABBATUM.

1 SAbbatum eſt ultimus hebdomadæ dies ſignificans diem illum ſeptimum, quo Deus Creator completa ſex diebus Mundi creatione quievit. *Gen.* 2. *n.* 2. ibi: *Et requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat.*

2 Sabbati nomen non ſolum indicat ſeptimum hebdomadæ diem, ſed inſuper totam ſignificat hebdomadam, ut clare colligitur ex pluribus Evangelicis textibus, & ſignanter *ex Lucæ* 18. *n.* 12. ubi Phariſæus jactantiam, & vanam gloriam præferens dicebat: *Jejuno bis in Sabbato*, non quod bis jejunaret in uno ſolo eodem die Sabbati, ſed quia, ut explicant Sacri Interpretes, pro *Sabbato* intelligebat totam hebdomadam, uti communiter nomine *Sabbati* totam integram hebdomadam intelligebant Hebræi, qui ſua pro devotione, & voluntaria pænitentia bis in hebdomada, nempe die Lunæ, & die Jovis jejunare ſolebant, & ſic in praxi habebat Phariſæus, unde dicebat: *Jejuno bis in Sabbato*, ideſt bis in hebdomada. Idipſum clare demonſtrant verba Sanctorum Evangeliſtarum Marci, Lucæ, & Joannis narrantium magnum pietatis opus illarum Sanctarum mulierum, quæ emptis pretioſis aromatibus die Reſurrectionis Dominicæ valde mane iverunt ad monumentum, ut ungerent Sacratiſſimum Corpus Jeſu. *Marci* 16. *n.* 2. ibi: *Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam ſole*; *Lucæ* 24. *n.* 2. ibi: *Una autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum portantes, quæ paraverant aromata*, *Joann.* 20. *n.* 1. ibi: *Una autem Sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum*, quæ verba dictorum Sanctorum Evangeliſtarum non denotant diem Sabbati ſeptimi hebdomadæ diei, ſed intelligunt, & deſignant primum hebdomadæ diem, qui erat *Dominica*, in qua reſurrexerat Dominus noſter Jeſus Chriſtus: Dies enim Sabbati jam plene tranſierat, ut expreſſe habetur *Marci* 16. *num.* 1. ibi: *Et cum tranſiſſet Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum*. Et ſtatim ſequitur: *Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam ſole.* Hinc clarum ſtat, quod nomen Sabbati pro tunc non indicabat ſolum ultimum, ſeu ſeptimum hebdomadæ diem, ſed inſuper totam ſignificabat hebdomadam, ſeu quemlibet hebdomadæ diem.

3 Sabbatum in Teſtamento veteri erat dies Feſtus deſignatus Divino Cultui, ut patet *ex Exodi* 16. *num.* 13. ibidem *cap.* 20. *num.* 8. 10. & 11. ibidem *c.* 31. *num.* 13. 14. 15. & 16. & *Levitici cap.* 16. *num.* 21. ibidem *cap.* 19. *num.* 3. & 30. ibidem *cap.* 23. *num.* 3. 11. 15. 24. 32. 38. 39. idem *cap.* 26. *num.* 2.

4 In novo autem Teſtamento fuit abrogatus dies Sabbati, & pro eo ab Eccleſia inſtitutus dies Dominicæ. Concil. Laodicenſe *cap.* 29. *cap. Pervenit* 11. *diſt.* 3. *de conſecration. cap. Omnes dies Dominicos* 1. *de Feriis*. Dies enim Dominicæ fuit 5
ſemper celebris ex tempore Apoſtolorum. Concil. Colonienſ. II. *part.* 9. *cap.* 9. ibi: *Diligenter quoque populus admonendus eſt cur feriæ, & potiſſimum dies Dominicus, qui a temporibus Apoſtolorum in Eccleſia Dei ſemper celebris fuit, inſtitutæ ſint. Nempe ut tum in unum omnes pariter convenirent ad audiendum Verbum Domini, ad audiendum quoque Sacrum, & communicandum, breviter, ad vacandum Deo ſoli, ut dies illa tantum Orationibus, Hymnis, Pſalmis, & Canticis ſpiritualibus tranſigatur: Hoc eſt enim ſanctificare Sabbatum.*

Unde modo non eſt ceſſandum Sabbato a labore, ſed die 6
Dominico, & aliter facientes excommunicantur. Concil. Laodicenſ. *cap.* 29. ibi: *Quod non oporteat Chriſtianos judaizare, & otiari in Sabbato. ſed operari eos in eodem die. Præferentes autem in veneratione Dominicum diem (ſi vacare voluerint) ut Criſtiani hoc faciant. Quod ſi reperti fuerint judaizare, anathema ſint a Chriſto*, & concordat *cap. Pervenit* 11. *diſt.* 3. *de conſecrat.* ex Gregorio I. *lib.* 11. *Epiſt.* 3.

Nec ſine rationibus, & Myſteriis fuit ab Eccleſia pro die 7
Sabbati inſtitutus dies Dominicæ, pro quindecim enim rationibus, & Myſteriis a Deo operatis in tali die, dies Dominicus eſt inſtitutus dies Feſtus de præcepto, ut notavit Eminentiſſimus Cardinalis Urſinus Archiepiſcopus Beneventanus, deinde Summus Pontifex ſub nomine Benedicti XIII. *in ſuis doctiſſimis Lectionibus ſupra Exod. Lect.* 29. *num.* 7. *pag.* 321. ut ex ipſo Clericato *in ſuis Spicis tom.* 1. *verb. Dominica n.* 81. Primum igitur Myſterium eſt, quia ipſo die Dominico incæpit Mundi creatio. Secundum eſt, quia Arca Noe ipſa die ſe ſtitit ſupra montes Armeniæ. Tertium eſt, quia ipſa die Hebræi a Pharaone fugientes Mare rubrum ſiccis pedibus tranſierunt. Quartum eſt, quia ipſa die Manna e Cœlo cecidit in deſerto pro Hebræorum victu. Quintum eſt, quia ipſa die natus eſt Chriſtus Dominus Mundi Redemptor. Sextum eſt, quia ipſa die Stella tribus Magis apparuit. Septimum eſt, quia tali die Chriſtus Jeſus baptizatus eſt in Jordane. Octavum eſt, quia dicta die Chriſtus aquam in vinum convertit in nuptiis Canæ Galileæ. Nonum eſt, quia ipſa die Chriſtus Jeſus ſatiavit quinque mille homines quinque panibus, & duobus piſcibus in Deſerto. Decimum eſt, quia dicta die Chriſtus a turbis cum Palmis ſummo honore exceptus eſt in Jeruſalem. Undecimum eſt, quia Chriſtus Jeſus tali die glorioſe a mortuis reſurrexit. Duodecimum eſt, quia ipſa die apparuit Apoſtolis quando ipſos in Epiſcopos ordinavit. Tertiumdecimum eſt, quia dicta die Chriſtus Domi-

nus miſit Apoſtolos prædicare Fidem in univerſum Mundum.
Quartum decimum eſt, quia Spiritus Sanctus deſcendit ſupra
Apoſtolos Dominica Pentecoſtes . Quintum decimum eſt,
quia Æternus Judex in fine Mundi die Dominico veniet ju-
dicaturus vivos, & mortuos . Hæc ſunt motiva, & Myſteria
propter quæ, dicunt ſupra laudati Auctores, Sancta
Eccleſia diem Dominicum pro die Feſto haberi voluit. Multi
tamen alii Doctores expreſſe negant varia ex prædictis occur-
riſſe die Dominico .
8 Quidquid igitur ſit de aliis, certum eſt principale motivum,
& Myſterium eſſe glorioſam Reſurrectionem Domini noſtri
Jeſu Chriſti, intuitu cujus Sancti Apoſtoli cœperunt celebrare
Paſcha die Dominico, uti celebrandum ſemper eſſe in Con-
cilio Romano ſub Victore I. ſic fuit ſtatutum : *Decretum eſt,
Paſcha non decimaquarta Luna primi Menſis, ſed potius die
Dominico poſt quartamdecimam Lunam, & vernale æquino-
ctium occurrente, prout ab Apoſtolis traditum eſt, celebran-
dum eſſe* . V. verb. *Paſcha a n.2. ad 3.*
9 Sabbato, olim, & feria 6. jejunabatur, quia in utroque
die mœſti fuerunt Apoſtoli . Innocent. I. *Epiſt.* 1. *c.*4. *c. Sab-*
10 *bato* 12. *diſt.*3. *de conſecrat.* Item Sabbato olim jejunandum
erat ob reverentiam Sepulturæ Domini, *ibidem* .
11 Sabbato magno, ideſt Sabbato Sancto ordinari ſeu conſe-
crari poteſt Epiſcopus ; *c. Dilectionis* 22. *diſt.* 76.
12 Sabbato Sancto Campanæ non poſſunt pulſari in aliqua
Eccleſia, etiamſi Regulari, ante pulſationem in Eccleſia Ca-
thedrali, vel Matrice ſub pœna Ducatorum centum, Leo X.
*in Concilio Lateranenſ. V. ſeſſ.* 11. *Conſtit.* 4. *incip. Dum intra*
§.12. ibi : *Et ut debitus honor Matrici Eccleſiæ reddatur, tam
ipſi Fratres, quam alii Clerici ſæculares etiam ſuper hoc Apo-
ſtolicæ Sedis privilegio muniti die Sabbati majoris hebdomadæ,
antequam Campanæ Cathedralis, vel Matricis Eccleſiæ pulſa-
verint, Campanam in Eccleſiis ſuis pulſare minime poſſint :
contrafacientes pœnam centum Ducatorum incurrant* . *Sacra
Congr. Rit. in Oriolen.* 11. *April.* 1601. *in Marſicana* 21. *Mart.*
1609. *in Venuſina* 30. *Decemb.* 1614. & 14. *Novembr.* 1615.
*in Siracuſana* 3. *Junii* 1617. & *in alia Syracuſana Modicæ* 13.
13 *Februar.* 1619. Tam in Eccleſiis Regularibus, quam Sæculari-
14 bus *ex cit. Conſtit. Leonis X. & citatis Decretis* . Etiam in
Eccleſiis S. Joannis Hieroſolymitani, etiam prope & extra
muros exiſtentibus, & etiam in Eccleſiis Confratrum. *Sacra
Rituum Congreg. in Placentina* 21. *Auguſti* 1604. & *in Meli-*
15 *ten.* 6. *Decembris* 1621. Etiamſi adſit Eccleſia Collegiata, quæ
habeat omnimodam præcedentiam ſupra Matricem. *Ead. Sac.
Cong. Rit. in Syracuſana Modicæ* 23. *Febr.* 1619.
16 Regulares ratione hujuſmodi pulſationis in Sabbato Sancto
poſſe conveniri coram loci Ordinario decrevit *Sacr. Congreg.*
17 *Concilii in Capuana* 23. *April.* 1591. Niſi conſuetudo in contra-
rium eſſet legitima, vel Eccleſiæ multum diſtarent. *Sac. Cong.
Epiſcop. & Regul. in Surrentina* 16. *Julii* 1701. & *poſtea in
Theleſina* 15. *Februarii* 1622.
18 Sabbato præſertim prohibitum eſt Chriſtianis inſervire He-
bræis accendendo eis ignem, & lumina, præparando co-
meſtibilia, aptando lecta, mendando eorum Domos, & hu-
juſmodi . Vide verb. *Hebræus num.*19. 123. 184.
19 Sabbato Sancto, ſicut & feria 5. in cœna Domini non poteſt
ullo modo, & a quocumque dici Miſſa privata, ex Decreto
*Sacræ Rit. Congr. & Clementis XI. die* 20. *April.* 1701. *ac ejuſ-
dem Pontificis vivæ vocis Oraculo* 8. *Auguſti* 1713. *ac ultimo de
mandato ejuſdem* 1719.
20 Sabbati diebus abſtinentia a carnibus non ſemper ubique
fuit de præcepto. Benedictus XIV. tom. 1. Conſtit. 118. inc.
*Jampridem* §. 3. ubi refert exemplum Sancti Gregorii VI. qui
potius admonens, quam præcipiens hortatus eſt Chriſtianos,
21 ut Sabbati diebus a Carnibus abſtinerent. In quo attendenda
eſt conſuetudo, ut tradit idem *de Synodo Diœceſana lib.* 7.
*cap.*56. *num.*7. ex cap. *Conſilium, de obſervat. jejunior. ubi*
Innocentius III. ab Epiſcopo Bracarenſi de illis interrogatus,
*qui propter debilitatem in Sabbato, carnes ſumunt*, reſcripſit:
*Reſpondemus, quod ſuper hoc conſuetudinem tuæ regionis facias*
22 *obſervari* . Et de facto in pluribus Hiſpaniarium, præcipue
Caſtellæ, Gallæciæ, & Majoricæ Regnis, ex antiqua con-
ſuetudine, cujus originem difficile eſt divinare, homines ve-
ſcuntur interioribus, extremiſque animalium partibus, & in
quibuſdam Galliæ Diœceſibus, veteri inſtituto, carnis eſus
permittitur in Sabbatis, quæ inter diem Natalem Domini, ac
Feſtum Purificationis B. M. V. interjiciuntur . Idem *in citat.
cap.*16. *num.*9. & in cit. cap. Conſtitut. *Jampridem* § 3.
23 Sabbati diebus per annum permittitur eſus carnium in Re-
gnis Caſtellæ, Legionis, & Indiarum . Idem in d. Conſtitut.
*Jampridem* §. 5. Sabbati jejunium in jubilæis, vel alias indi- 24
ctum, in alium diem transferri conceditur pro Græcis . Idem
Conſtitut. 75. incip. *Etſi Paſtoralis* §. 9. Sabbatis Quadrageſi- 25
mæ, excepto Sabbato Sancto, Græci non tenentur jejunare,
ſed tantummodo a carnibus abſtinere . Idem *ibid.*
Sabbatum unicum poſt Paraſceven Eccleſia Orientalis olim 26
jejunio conſecrabat, cætera per annum ſolemniter ſine jeju-
nio celebrat propter hæreſim Marcionis, aliorumque docen-
tium, jejunandum eſſe Sabbato in odium Dei Judæorum .
Idem *de Synodo Diœceſana lib.*7. *cap.*56. *num.*3. In Eccleſia 27
Romana jejunium Sabbati a Sancto Silveſtro ſtabili lege firma-
tum fuit . Idem *ibid. num.* 4. Hanc autem legem non omnes 28
Eccleſiæ Occidentales ſecutæ ſunt, ideo Bulgaris ad Fidem
converſis jejunium Sabbati non fuit indictum a Nicolao I. ex
quo multæ etiam Eccleſiæ Occidentales talem legem ſubire
detrectaverint . Hiſpaniam hæc Romanæ Eccleſiæ diſciplina 29
probabiliter nunquam pervaſit . Idem *ibidem num.* 6. Immo 30
pedetentim in toto Occidente defecit ; Quare S. Greg. VII.
abſtinentiam a carnibus die Sabbati potius commendavit,
quam præceperit in Concilio Romano anni 1078. *can.*7. *relat.
de conſecrat. diſt.*5. *can.*31. Idem *ibid. num.*7. & in cit. Conſt.
*Jampridem* §. 3.

## SACERDOTIUM, SACERDOS.

SAcerdotium fuit in omni Lege, Concil. Trid. *ſeſſ.*23. *cap.*1. 1
ibi : *Sacrificium, & Sacerdotium ita Dei ordinatione con-
juncta ſunt, ut utrumque in omni Lege exſtiterit* . Tempore 2
Legis naturæ, ideſt ab Adam uſque ad Moyſem Sacerdotes
erant omnes Filii primogeniti, qui virtute eorum *Primoge-
nituræ* gaudebant hac commendabili prærogativa, & facul-
tate offerendi victimas in Sacrificium Domino, ut docent
S. Thomas 2. 2. *q.* 85. *art.* 2. aliique paſſim Doctores citati,
& ſecuti a Clericato *de Sacrificio Miſſæ deciſ.*7. *num.* 10. ta-
men, ut obſervat Peyrinus in *Geneſim c.*23. *num.* 76. & ci-
tatus Clericatus *in ſuis Spicis verb. Sacerdoti num.* 786. ſole-
rent ſæpe ſæpius Genitores concedere Sacerdotium, & præ-
rogativam offerendi ſacrificia Deo etiam Filiis non primoge-
nitis bonæ indolis, & operibus devotionis, & ſanctitati de-
ditis, uti cœpit facere ipſe Adam cum ſecundo filio ſuo
Abel intuitu ejus eximiæ innocentiæ, & pietatis erga Deum,
ob quam Dominus reſpexit ad Abel, & ad victimas ejus ſibi
in Sacrificium oblatas, ad Cain autem, & ad ejus munera
non reſpexit, *Geneſ.*4. *num.*4. & 5. ibi : *Et reſpexit Dominus
ad Abel, & ad munera ejus ; ad Cain vero, & ad munera
illius non reſpexit* .
Tempore legis ſcriptæ, ſeu Moſaicæ conſtituit Deus ſum- 3
mum Sacerdotem Aaron Fratrem majorem Moyſis ; Erat
enim Aaron major Moyſe tribus annis; Nam cum educti ſunt
filii Iſrael de Ægypto, erat Moyſes annorum octoginta, &
Aaron annorum octoginta trium, ut habetur *Exodi* 7. *n.* 7.
ibi ; *Erat autem Moyſes octoginta annorum, & Aaron octo-
ginta trium* ; Et iſta fuit una de cauſis, quare Aaron aſſum-
pſit Summum Sacerdotium, & non Moyſes : Nam Summum
Sacerdotium conveniebat Primogenitis, & Aaron erat Primo-
genitus Aram, ut habetur *Exodi* 6. Sic expreſſe Abulenſis *in
Leviticum cap.*16. *q.*3. *verſ. loquere* . Et medio Aaron tranſtu-
lit Deus Sacerdotium in Tribum Levi jubendo, quod ſolum
illi de dicta Tribu *Levitica* eſſent ſui Miniſtri, ſeu Sacerdotes
Sacrificiis addicti, ut habetur *Num.*3. *num.* 5. ibi : *Locutuſ-
que eſt Dominus ad Moyſem dicens : applica Tribum Levi, &
fac ſtare in conſpectu Aaron Sacerdotis, ut miniſtrent ei*; Hinc
Sacerdotes Hæbrei vocabuntur Levitæ .
Tempore Legis Gratiæ Sacerdotes ſunt omnes, & ſoli illi, 4
qui ab Epiſcopis rite ordinati Characterem Sacerdotalem re-
ceperunt, quo habent poteſtatem conſecrandi verum Corpus,
& Sanguinem Chriſti, ac remittendi, & retinendi peccata ;
*cap. Firmiter credimus* 1. *de ſumma Trinitate & Fide Catho-
lica* . Concil. Trid. *ſeſſ.*23. *cap. & Canon I.*
Sacerdotium Legis veteris commutatum eſt in novum ; 5
*lib.*6. *Conſtit. Apoſtol. cap.*23. Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1.
Sacerdotium novæ Legis a Chriſto eſt inſtitutum, Conc. 6
Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. & *Canon.* 2. & *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. &
*Canon.*3.
Sacerdotium in Lege nova eſt viſibile, & externum ſignum 7
(ideſt Ordinario), Concil. Trident. *ſeſſ.*23. & *Canon.* 1.
Sacerdotium non eſt nudum miniſterium, ſed dicit pote- 8
ſtatem



ſtatem conſecrandi, & offerendi verum Corpus, & Sangui-
nem Chriſti, & dimittendi peccata . Concil. Trid. *ſeſſ.* 23.
*cap. & Canon.* 1.
9 Sacerdotalis Ordo per Chriſtum cœpit a S. Petro ; *cap. In
novo* 2. *diſt.*21.
10 Sacerdos ita dicitur, quia Sacrum dat, *cap. Cleros* 1. *diſt.*21.
ibi : *Sacerdos autem nomen habet compoſitum ex Græco, &
Latino quaſi ſacrum dans : Sicut enim Rex a regendo, ita Sa-
cerdos a ſacrificando vocatus eſt, conſecrat enim, & ſacrificat.*
Et Clericatus *in ſuis Spicis loc. cit. n.* 801. notat ex Macr. *in
ſuo Hierolexico verb. Sacerdos*, quod hoc verbum *Sacerdos*
dicitur quaſi *Sacra dicens*, ſeu *Sacra faciens*, vel *Sacra dans,
aut Sacra docens* .
11 Sacerdos non poteſt iterum fieri Laicus per ablationem
Characteris . Concil. Tridentin. *ſeſſ.*23. *c. & Canon.* 4.
12 Sacerdos malus non perdit Ordinem, ideſt Characterem;
Quantumvis enim peccet graviter, remanet Sacerdos cum
eadem ſua Sacerdotali poteſtate, Concil. Conſtantienſ. *con-
tra art.*15. *Wiclef*, & *contra ultim. Joan. Huſ.* Conc. Trid.
*ſeſſ.*14. *cap.*6. *Canon.*10.
13 Sacerdos malus adhuc valide conficit Sacramenta : Malitia
enim, & immunditia Sacerdotum non vitiat Sacramenta ;
*cap. Nonne Sodomitæ* 37. *cap. Dominus declaravit* 87. *c. Chri-
ſtus* 88. & *cap. Non nocet* 89. *cauſ.* 1. *q.* 1. cum ſimilibus .
14 Sacerdotum officia in Sacramentorum confectione, non
merita conſiderat Deus ; *cap. Cum ſcriptura* 83. *cauſ.* 1. *q.* 1.
15 Unde Sacramenta ſunt bona, etiamſi Miniſtri ſint mali ; *c. Si
juſtus* 30. *cap. Ex Catholica* 31. *cap. Sic autem* 32. & *cap. Nec*
16 *foris* 33. *cauſ.* 1. *q.* 1. Boni enim, & mali Sacerdotes æque
Corpus Chriſti conficiunt, *cap. Intra Catholicam* 77. & *cap.
Omnia Sacramenta* 78. *cauſ.* 1. *q.* 1. cum ſimilibus .
Sacerdotes tamen, quanto apud Deum ſunt meritis dignio-
17 res, tanto facilius a Deo exaudiuntur, textu expreſſo *in
cap. Ipſi Sacerdotes* 91. *cauſ.* 1. *q.* 1. Unde ſerio attendere de-
18 bent Sacerdotes quod de ipſis habetur *in cap. Vaſa* 44. *diſt.* 1.
*de conſecratione*, ibi : *Quondam Sacerdotes aurei ligneis Cali-
cibus utebantur, nunc e contrario lignei Sacerdotes aureis utun-
tur Calicibus* .
Hinc Sacerdotes, ſi ſint in mortali, debent confiteri antequam
19 celebrent. Concil. Moguntin. IV. *c.*36. Concil. Trident. *ſeſſ.*13.
*c.*7. Quod ſi deſit Confeſſarius, & urgeat neceſſitas celebran-
di, debent elicere actum Contritionis, & poſtea quampri-
mum confiteri, textu expreſſo in ipſo Concilio Tridentino
*cit. ſeſſ.*13. *cap.*7.
Sacerdos pollutionem patiens in nocte, debet in mane ab-
20 ſtinere a ſacrificando, ſi cauſata ſit a turpi cogitatione ante
ſomnum, vel ab ingluvie, vel ſi habuit animi concuſſionem,
niſi adſit neceſſitas celebrandi, textu expreſſo *in cap. Teſta-
mentum* 1. *diſt.*6.
21 Sacerdos dicens Miſſam, ſtolam ſupra utrumque hume-
rum tenere debet ; Sic etiam quando Miſſam non dicit, et
communicat. Concil. Bracarenſ. II. *cap.*4. & *cap. Eccleſia-
ſtica* 9. *diſt.* 34.
22 Sacerdos a ſemetipſo ſumit Euchariſtiam, ſi celebrat.
Concil. Trid. *ſeſſ.*13. *cap.*8., & *Canon.*10. Item ſi non ce-
23 lebret, poteſt extra Miſſam non tantum pro Viatico, aut in
neceſſitate, ſed etiam devotionis cauſa ſibi miniſtrare Com-
munionem, ſi non adſit alius Sacerdos, et ſcandalum abſit .
Ita Suarez, Vaſquez, Fagund. Silveſt. Homobon. Boſſ. Bo-
nacin. Vivald. Diana, Dicaſtill. Boſco, et alii citati, et
ſecuti a La Croix *lib.*6. *part.* 1. *numer.* 481. contra Cajetan.
Armill. Filliuc. Averſ. Et ratio eſt, quia nulla Lex id pro-
hibet Sacerdoti ; immo Concilium Nicœnum 2. id concedit
Diacono, uti notat Dicaſtil. *d.* 11. *num.* 95.
Sacerdos non conſecrans, ſub una tantum ſpecie commu-
24 nicat . Concil. Colonienſ. III. *p.*7. *cap.*15.
25 Si Sacerdos in Miſſa poſt conſecratam majorem Hoſtiam
ante conſecrationem Calicis advertat fuiſſe appoſitas mino-
res Hoſtias, ſeu Particulas conſecrandas, de quibus inten-
tionem non habuerit, non poteſt ſuper has minores formam
conſecrationis repetere : Et ratio eſt, quia ſic poneret duo
Sacrificia ; minores enim Hoſtiæ non haberent ſe per mo-
dum unius Hoſtiæ, vel unius materiæ totalis conſecrandæ,
quia prior Conſecratio fuiſſet completa in majore Hoſtia,
et minores Hoſtiæ, ſeu Particulæ terminarent unam tota-
lem Conſecrationem, neque una harum Conſecrationum
de ſe eſſet referibilis ad alteram . Si autem ante Conſecra-
tionem majoris Hoſtiæ aliquid ſciverit de appoſitis minori-
bus Hoſtiis, ſeu Particulis, et poſt dubitet, an intentionem
ſufficienter ad eas extenderit, et ſi dum in Corporali pone-
rentur eas conſecrare intenderit, cenſentur conſecrare ra-
tione intentionis virtualis, abſque eo quod repetat formam
conſecrationis, ut tenent Doctores communiter cum Dica-
ſtill. *d.*2. *num.*216. Caſtropal. *part.*6. *num.*3. La Croix *lib.*
6. *part.* 1. *num.*458. & *part.* 2. *num.* 243. Si vero minores
Hoſtiæ, ſeu Particulæ advertente Sacerdote, fuerint a
Sacriſta poſitæ in Altari extra Corporale, & Sacerdos du-
bitet, an habuerit ſufficientem intentionem eas conſecran-
di ? debent ipſæ ſub conditione conſecrari in alia Miſſa,
nec poteſt repeti forma Conſecrationis in eadem Miſſa pro-
pter rationem ſupra adductam . Sic citati Doctores, &
alii .
Sacerdos obligatus ad celebrandam Miſſam pro commodo 26
Monialium, vel Confratrum, non poteſt aliud ſtipendium
recipere applicando alteri eamdem Miſſam ; *Sacr. Congreg.
Concilii in Alexandrina* 18. *Martii* 1719. apud Urſayam *in*
1. *Miſcellano Sacro*, & *Profano litt. S. n.*7.
Sacerdos faciens ab altero celebrari Miſſam cum minori 27
eleemoſyna, ac ſit illa, quam ipſe habuit, peccat morta-
liter, non ſatisfacit ſuæ obligationi, & tenetur ad reſtitu-
tionem . *Sacr. Congreg. Concilii in Anconitana* 5. *Julii* 1644.
*lib.*24. *Decretal. fol.* 24. *Decretal. fol.* 196. apud Urſayam
*loco cit. num.*8., & *tom.*4. *part.*2. *diſcept.*22. *num.* 63. ubi
ſubdit, hanc Sacræ Congregat. reſolutionem approbatam
fuiſſe ab Alexandro VII. Inſuper incurrit ſuſpenſionem Pa-
pæ reſervatam . Benedict. XIV. Conſtitut. incipient. *Quan-
ta cura* . Vide verb. *Eleemoſyna numer.*64. & magis verb.
Miſſa *art.*2. *n.*16.
Sacerdos, cui fuit data eleemoſyna pro Miſſa, non poteſt 28
illam alteri Sacerdoti celebrandam dare, etiamſi ſecundus
Sacerdos id ſciat, & contentus ſit . *Sacra Congregat. Conci-
lii in Romana Eleemoſynæ* 23. *Auguſti* 1664. apud Urſayam
*loco cit. num.* 10., & *tom.*4. *part.*2. *diſceptat.*22. *numer.*62.
Benedictus XIV. *loco cit.* ſub pœna dictæ ſuſpenſionis . Vi-
de *loco cit. in priori num.*
Sacerdos Epiſcopo inferior non poteſt in Miſſa adhibere 29
Miniſtrum aſſiſtentem, folia Miſſalis vertentem, Calicem
tegentem, & detegentem, &c. *Sacra Congregat. Rit. in
Fulginaten.* 29. *Julii* 1720. apud Urſayam *loco cit. n.*6.
Sacerdotes inſervire non debent Laicis in vilibus Officiis, 30
& præcipue mulieribus . *Sacra Congregat. Epiſcop. in Epi-
ſtol. Encyclic.* 16. *Martii* 1697. apud Urſayam *loco citat.
num.* 14.
Sacerdotes inſervientes alicui Eccleſiæ ſunt præferendi in 31
funeribus . *Rota in Compoſtellana Præeminentiarum* 14. *Ju-
nii* 1617. §. *Agnoſcebant, coram Criſpo*, apud Urſayam
*loco cit. n.*16.
Sacerdos conſtitutus in ætate annorum 30. eſt capax Le- 32
gati relicti pro ſtudiis Legalibus *Sacra Congregat. Concilii
in Romana, ſeu Nicoteren.* 14. *Februarii* 1609. apud Urſa-
yam *loc. cit. num.*3.
Sacerdos non poteſt obtinere Lecturam Juris Civilis ſine 33
Apoſtolica diſpenſatione . *Sacr. Congreg. Concilii in Neapo-
litana* 19. *Martii* 1644. apud Urſayam *l. c. n.*9.
Sacerdos ordinatus a Papa præfertur Sacerdoti ordinato 34
ab Epiſcopo . Fagnan. *in cap.* 1. *num.* 14. *de Majorit.*, &
*obedient.*
Sacerdoti quamvis unico Teſti plena Fides adhibenda 35
eſt . *Rota in Romana Officii Notariatus* 22. *Junii* 1722. §. *Quod
autem, cor. Ratto*, apud Urſayam *in* 2. *Miſcellaneo Sacro*, & *Pro-
fano litt. S. n.* 2. * Sacerdos ſine cauſa ad multum tempus non
celebrans, imo etiam nunquam celebrans, nequit rationabiliter
præſumi malæ vitæ Sacerdos, perinde quaſi Ordinis Sacerdota-
lis exercitium contemneret; adeoque admittendus ab Epiſco-
pis, tanquam legitimus teſtis, in foro Epiſcopali . Maraviglia
*Leg.*339. *Prudentiæ Epiſcopalis* . *
Simplex Sacerdos non approbatus non poteſt abſolvere, 36
neque a peccatis venialibus, aut mortalibus alias confeſſis .
Vide verb. *Confeſſarius art.* 1. *n.* 11. & 12.
Poſſunt tamen ſimplices Sacerdotes in articulo mortis ab- 37
ſolvere, nedum a venialibus, & mortalibus alias confeſſis,
ſed inſuper a quibuſvis Caſibus, & Cenſuris etiam reſerva-
tis . Vide *ibidem num.*13.
Pro tali caſu Eccleſia dat Juriſdictionem omnibus Sacer- 38
dotibus etiam degradatis, excommunicatis vitandis, Irre-
gularibus, Apoſtatis, ſeu Hæreticis . Vide *ibidem num.*14.
Fagnanus tamen cum multis aliis *lib.* 4. *Decretal. cap.* 11.
*Non eſt vobis* 11. *de Sponſalibus num.* 1., & *ſequent.* de-
fendit,

ſendit, Excommunicatum vitandum non poſſe abſolvere, neque in articulo mortis, & ad id adducit declarationem Sacræ Congregationis Concilii. Unde ſi ipſa eſſet authentica, non eſſet ab ea recedendum. Vide ipſum *ibi*, ubi multa habet ad rem. Vide etiam omnino, quæ recte adducit Albizi apud Terſagum in *Inſtruct. Confeſſariorum pag.* 20., *&* 21.

39 Talis ampla poteſtas extenditur ad probabile periculum mortis. Vide *ibidem num.* 15.

40 Simplex Sacerdos non poteſt in tali articulo abſolvere præſente Sacerdote approbato. Vide *ibidem numer.* 16. *&* 17.

41 Sacerdotes ſuperiores ſunt Sæcularibus. S. Clemens *Epiſt.* 1. *cap.* 5. *lib.* 2. *Conſtit. Apoſtolic. cap.* 33.

42 Immo Sacerdotes ſunt præſtantiores Regibus: *lib.* 1. *Conſtitut. Apoſt. cap.* 34., ibi: *Hos exiſtimate veſtros Præſides, hos putate Reges, his quaſi Regibus vectigalia afferte, eos enim eorumque domeſticos bonis veſtris alere debetis. Ut enim Samuel in primo de Regibus libro de Rege alendo ſanxit populo, & Moyſes de Sacerdotibus in Levitico: Sic nos vobis de Epiſcopis ſancimus..... Siquidem ille militaria tantum administrabat, bello, & pace ad cuſtodiam corporis ſuſceptis, hic vero Sacerdotium ad honorem Dei adminiſtrat, ut pericula ab anima, & corpore propulſet; Quanto ergo anima corpore præſtantior eſt, tanto eſt Sacerdotium Regno excellentius, ligat enim, aut ſolvit ſupplicio, vel remiſſione dignos.*

43 Et quod Imperium non præſit Sacerdotio, ſed ſubſit, & ei obedire teneatur, habetur expreſſe *in Cap. Solitæ* 6. *de Majoritat., & obedient.*, ibi: *Potuiſſes autem prærogativam Sacerdotii ex eo potius intelligere, quod dictum eſt non a quolibet, ſed a Deo, non Regi, ſed Sacerdoti, non de Regia ſtirpe, ſed de Sacerdotali proſapia deſcendenti, de Sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot. Ecce conſtitui te ſuper gentes, & Regna, ut evellas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.....* & infra. *Præterea noſſe debueras, quod fecit Deus duo magna Luminaria in Firmamento Cœli; Luminare majus, ut præeſſet diei, & Luminare minus, ut præeſſet nocti; Utrumque magnum, ſed alterum majus. Ad Firmamentum igitur Cœli, hoc eſt univerſalis Eccleſiæ, fecit Deus duo magna Luminaria, ideſt duas inſtituit Dignitates, quæ ſunt Pontificalis Auctoritas, & Regalis Poteſtas; ſed illa, quæ præeſt diebus, ideſt ſpiritualibus, major eſt; quæ vero carnalibus, minor; ut quanto eſt inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoſcatur.*

44 Sacerdotes enim ſunt Patres, & Magiſtri Regum, & Principum, textu expreſſo *in Cap. Quis dubitet* 6. *diſt.* 96. ubi ex Gregorio VII. *lib.* 8. *Epiſtol.* 21. habentur præciſa hæc verba: *Quis dubitet Sacerdotes Chriſti Regum, & Principum, omniumque Fidelium Patres, & Magiſtros cenſeri? Nonne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi Filius Patrem, Diſcipulus Magiſtrum ſibi conetur ſubjugare, & iniquis obligationibus illum poteſtati ſuæ ſubjicere; a quo credit non ſolum in Terra, ſed etiam in Cœlis ſe ligari poſſe, & ſolvi?* & concordant *Cap. Bene quidem* 1. *cap. Satis evidenter* 7. *cap. in Scripturis* 8. *cap. Duo ſunt* 9. *cap. Si Imperator* 11. *Cap. Nunquam* 12., *& Cap. Conſtantinus* 15. *diſt.* 96. cum ſimilibus.

45 Sacerdotalis poteſtas cum Regia ſemper rexerunt genus humanum, & ſi illæ duæ non conveniunt, male regitur. Concil. Colonienſ. II. *part.* 2. *cap.* 2. *cap. Duo ſunt diſt.* 96. cum ſimilibus.

46 Sacerdotes exercere nequeunt Procuratoris Officium. Martin. V. Conſtit. 3. incip. *In Apoſtolicæ.*

47 Sacerdos abjurans de levi non eſt impeditus exercere omnes Ordines, & Sacramenta miniſtrare, ac Fidelium etiam Sæcularium Confeſſiones audire; Secus in abjurante de vehementi, *Sac. Congregat. Generalis Inquiſitionis* 6. *Martii* 1596.

48 Sacerdos Curam Animarum gerens, ſi diebus Dominicis, & aliis ſolemnitatibus non celebret, prius eſt monendus, poſtea procedendum per ſubtractionem fructuum, demum excommunicandus, ſi non eſt legitime impeditus, & tunc per alium celebrare debet. *Sacra Congregat. Concilii die* 31. *Auguſti* 1690.

49 Sacerdos delinquens in ſua Diœceſi, ſi in alio loco reperiatur, ad ſuum Ordinarium remitti debet. *Sacra Congreg. Concilii* apud Sellium *in Selectis Canonicis cap.* 2. *num.* 21., & apud Barb. *in Summa Apoſtolitarum Deciſionum verb. Sacerdos num.* 6.

50 Sacerdotes exteri Sæculares celebrantes abſque licentia Ordinarii in Eccleſiis Regularium incurrunt pœnas inflictas in Synodo Diœceſana. *Sac. Congregat. Concilii in Neapolitana* 17. *Aug.* 1630.

51 Et Sacriſtæ, ſeu Præfecti Eccleſiarum Regularium adſtringi poſſunt ad non permittendam celebrationem prædictam, niſi exhibita licentia Ordinarii. *Sacr. Congregat. Concilii in eadem Neapolitana* 17. *Aug.* 1630.

52 Sacerdotes deferre non debent manutergium ſuper calicem eundo, vel redeundo ab Altari; *Sacra Congregat. Rit.* 1. *Septembris* 1703. Quod eſt etiam contra Rubricas generales Miſſalis, ex Comment. Gavant. in eaſdem Rubricas *part.* 1. *tit.* 10.

53 In Miſſa ſolemni, dum canitur *Credo*, non debent pulſari Organa, nec Sacerdos celebrans poteſt proſequi Miſſam. *Sac. Rit. Congregat.* 17. *Dec.* 1695. Vide Decreta *S. R. C. num.* 664.

54 Sacerdos prius ordinatus præferendus eſt Presbytero poſtea ordinato licet Capellaniæ poſſeſſionem prius acceperit qui poſtea ordinatus eſt. *Sacra Congreg. Rit. in Novarien.* 16. *Junii* 1606. *in Lycien.* 19. *Jan.* 1613.

55 Sacerdos aſſiſtens, licet non ſit prima Dignitas, thurificandus eſt ante Archidiaconum aſſiſtentem Epiſcopo a dextris, licet Archidiaconus ſit prima Dignitas; *Sac. Congreg. Rit. in Vercellen.* 23. *Junii* 1667.

56 Sacerdos ſimplex ſine licentia Sedis Apoſtolicæ non poteſt benedicere novam Eccleſiam, vel Oratorium, nec reconciliare Eccleſiam pollutam. *Sacra Congregat. Rituum in Placentina* 19. *Maii* 1607. *in reſponſione ad dubium* 10.

57 Sacerdos celebrans ſolemniter coram Epiſcopo, debet cum ſuis Miniſtris expectare benedictionem Epiſcopi, antequam deſcendat. *Sac. Congreg. Rit. in Alexandr.* 16. *Maii* 1608. *in reſponſ. ad* 7. *dub.*

58 Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus ſolemniter celebrantes poſſunt, & debent ſedere in bancho, dum cantatur *Gloria* & *Credo*, etiamſi ſint Beneficiati, vel Capellani, prout ſedent Canonici, non obſtante qualibet conſuetudine. *Sac. Cong. Rit. in Peruſina* 15. *Jan.* 1611.

59 Sacerdotes, & Clericos adſcriptos Eccleſiis non poteſt Epiſcopus ob neceſſitatem Eccleſiæ cogere ne diſcendant ab ea, cauſa ſtudii; immo tenetur illis dimiſſorias, ſeu commendatitias Litteras dare. *Sac. Congregat. Concilii die* 11. *Maii* 1617.

60 Sacerdotes nullum Officium, aut Beneficium Eccleſiaſticum obtinentes cogi non poſſunt ab Epiſcopo ad publicas Proceſſiones accedere. *Sacr. Congregat. Concil. in Meſſanen.* 7. *Februarii* 1632.

61 Sacerdotes tenentur ſcire Decreta Sedis Apoſtolicæ. Siricius Papa *Epiſtol.* 1. *cap. ult.* 62 Item tenentur ſcire Canones. I. *Epiſt.* 3. *cap.* 1. *cap. Nullis* 4. *diſt.* 38. cum ſimilibus.

63 Sacerdotes tenentur Litteris vacare, & fugere ignorantiam. Concil. Arelaten. IV. *Cap.* 3. *Cap. Ignorantia* 1. *diſt.* 37. 64 Sacerdos enim ignorans non excuſatur, *Cap. Si in Laicis* 3. *diſt.* 38.

65 Sacerdotes non poſſunt uti veſtibus pomposis, variatis &c. vel ab Ordine alienis. Conc. Nicen. II. *cap.* 16. *Cap. Omnis jactantia* 1. *cauſ.* 21. *q.* 1. cum ſimilibus.

66 Sacerdotes extra Domum non debent comparere ſine veſte Sacerdotali; *Cap. Sine ornatu* 4. *cauſ.* 21. *q.* 4. cum ſimilibus.

67 Sacerdos contrahens Matrimonium de facto incurrit excommunicationem; Facta pœnitentia, ab Epiſcopo diſpenſatur, ut miniſtret, ſed matrimonium eſt nullum, textu expreſſo *in cap. Sane Sacerdotes* 4. *de Clericis conjugatis.* 68 Quibus autem pœnis puniatur Sacerdos, ſed Clericus in Sacris conſtitutus, vel Regularis Caſtitatem ſolemniter profeſſus Matrimonium contrahens; notat Pignatell. *tom.* 8. *conſult.* 63. *num.* 32. quod ex Concilio Neocæſarienſi *in cap. Preſbyter* 9. *diſt.* 28. ab Ordine deponi debeat, quod Gloſſa explicat de Depoſitione officii, quemadmodum, & exuitur Eccleſiaſticis Beneficiis, *Cap. Decernimus* 2. *diſt.* 29., ibi: *Decernimus, ut hi, qui in Ordine Subdiaconatus, & ſupra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, Officio, atque Eccleſiaſtico Beneficio careant.* Vide Pignat. *loc. cit.* cum aliis ibi adductis.

69 Sacerdotum defunctorum manibus aptari non debet Calix. Clericat. *de Sacrific. Miſſæ deciſ.* 50. *numer.* 49. Baſſi *tract. de ſodalitiis qu.* 5. *num.* 14. Concil. Provinc. Beneventan. 1693. *pag.* 61. *cap.* 18. *cap. Nemo* 36. *de Conſecrat. diſt.* 1. Urſaya *tom.* 7. *part.* 2. *diſcep.* 31. *cap.* 23. *de funerib.* cum Ritual. Roman. Cœremonial. Epiſcop., & Act. Eccleſ. Mediolanenſ. ibi citatis. Vide ibi in fine, ubi a Sacr. Cong. approbatur Synodus Fulginatenſ. ubi inter alia fuerat id ſtatutum.



70 Sacerdotes ſæculares nequeunt prætendere candelam majorem illa, quæ datur Regularibus aſſociantibus funus. Sic expreſſe defendit Urſaya *tom.* 1. *part.* 2. *diſcept.* 15. *num.* 13. ubi ad id plura adducit Decreta, & Doctores, & decrevit in fortioribus terminis de Parocho reſpectu Superioris Regularis. *Sacra Congregat. Concil. in Novarien.* 15. *Martii* 1704. apud Monacell. *tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *ſub num.* 92. apud Theſaurum Reſolutionum. *Sacra Congregat. Concil. tom.* 9. *fol.* 25. *in d. Novarien. Funerum, & juriſdictionis, in reſponſ. ad* 3. Vide verb. *Parochus, art.* 3. *circa finem.*

71 Epiſcopus ſtatuere poteſt, ne Sacerdotes recipiant quid minus eleemoſyna taxata. *Sacra Congregat. Concil. in S. Severini Eleemoſynæ Miſſarum* 16. *Julii* 1697., & *in Alexanen.* 26. *Januarii* 1743.

72 Inſtitutionem Beneficii Sacerdotalis deberi Presbytero, poſthabito Clerico, reſpondit *Sacr. Congregat. Concil. in Montis Regalis Capellaniæ* 19. *Novemb.* 1740.

73 Cum Sacerdos non ex reverentia, ſed ex negligentia celebrare omittit, tunc (quantum in ſe eſt) privat Sanctiſſimam Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, Peccatores venia, Juſtos ſubſidio, & gratia, in Purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam Chriſti ſpirituali beneficio, ſeipſum medicina, & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates. S. Bonavent. *in Opuſc. de præparatione ad Miſſam cap.* 5. ex Vener. Beda, & ſequitur Amoſtaz. *de cauſis piis lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 45. Urſaya *tom.* 5. *part.* 1. *diſcept.* 4. *numer.* 142., & alii paſſim.

74 Sacerdotes novi Teſtamenti non parentum nobilitate, ſed pro vitæ ſuæ merito ſunt eligendi, nec attendendeum quos parentes habuerint, ſed cujus meriti ſunt; S. Anſelmus *in Epiſtol. S. Pauli ad Hebræos cap.* 7. Nobilitas enim morum plus ornat quam genitorum; *arg. cap. Nos qui* 3. *diſt.* 40. *c. Recurrat* 3. *§. His ita, cauſ.* 32. *quæſt.* 4., *& cap. Venerabilis* 47. *de præbend.* ubi expreſſe dicitur; *Non generis, ſed virtutum nobilitas, vitæque honeſtas gratum Deo faciunt & idoneum ſervitorem*; in cujus Summario ſic præciſe habetur: *Clerici ignobiles, & non eminentis ſcientiæ propter hoc non debent a præbendis repelli, etiam in Eccleſia, quæ tales admittere non conſuevit.*

75 Grandis dignitas Sacerdotum, ſed grandis eorum ruina, ſi peccant. S. Hieronymus *lib.* 16. *in cap.* 44. *Ezech.*

76 Si Sacerdos, qui eſt unctus, peccaverit, faciet delinquere populum: *cap. Magnæ* 7. *de voto, & Levit c.* 4.

77 Nullum majus præjudicium, quam a Sacerdotibus, tolerat Deus. S. Gregor. *Homil.* 17. *in Evang.*

78 Malus Sacerdos de Sacerdotio ſuo crimen acquiret, non dignitatem. S. Ambroſ. *Homil.* 43. *in c.* 23. *Matthæi.*

79 Nulla re Deus magis offenditur, quam quod indigni, & peccatores Sacerdotii dignitate præfulgeant. S. Joann. Chryſoſt. *Homil.* 41. *in Matth.*

80 Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt. Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in Lege, irritum feciſtis pactum Levi, dicit Dominus exercituum, propter quod, et ego dedi vos contemptibiles, et humiles, omnibus populis; *Malach.* 2. *numer.* 7. 8., *&* 9.

81 Quis aliquando vidit Clericum cito pœnitentiam agentem? S. Joan: Chryſ. *Homil.* 40. *in cap.* 21. *Matth.* Laici delinquentes facile emendantur; Clerici ſi mali fuerint, inemendabiles ſunt. Auctor Oper. Imperf. *Hom.* 41.

82 Nulla certe in mundo tam crudelis beſtia quam malus Sacerdos; nam corrigi non patitur. S. Euſebius *Epiſt. ad Damaſ.*

83 Separavi vos a ceteris, ut eſſetis mei; *Levit. cap.* 20. Ut integritas Sacerdotis demonſtraretur, qui non aliquatenus, ſed plane totum ſe Deo dicaverit. Thodor. *quæſt.* 3. *in Levit.*

84 Officium quidem Sacerdotale ſuſcipimus, ſed opus Officii non implemus. S. Gregor. *Homil.* 17. *in Evang.*

85 Ad ſtipendia duntaxat oculos habent; S. Iſidor. Peluſiota *lib.* 1. *Epiſtol.* 142. Non virtutum merita, ſed ſubſidia vitæ præſentis exquirunt. S. Gregor. *lib.* 23. *Moral. cap.* 17. Non ut meliores, ſed ut ditiores fiant; Non ut ſanctiores, ſed ut honoratiores ſint. S. Proſper *lib.* 1. *de vit. contempl. cap.* 21.

86 Dignitas Sacerdotalis prius noſcatur a vobis, ut deinde ſervetur a vobis. S. Ambroſ. *de Dignitat. Sacerd. cap.* 5.

87 Prætulit nos Deus Angelis, et Archangelis, prætulit Dominationibus. S. Bernard. *Serm. ad Paſt.* Sacerdotium ipſi quoque Angeli venerantur. S. Greg. Nazian. *Orat.* 12. *ad Levit.*

88 Excuſa me apud te, Virgo glorioſa.... Sacerdotium ipſe prætulit ſuper te.... Poteſtas Sacerdotis ſuperat poteſtatem Virginis glorioſæ. S. Bernardin. Senenſ. *tom.* 1. *ſerm.* 20. *art.* 1. *cap.* 7.

89 Beata Virgo ſolum ſemel aperuit Cœlum, Sacerdos qualibet Miſſa. S. Vincent. Ferrer. *Serm.* 1. *in Feſto Corporis Chriſti.*

90 Vere veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius, velut in utero Virginis incarnatur. S. Aug. *lib. de dignitate Eccl. Apol.* 3. *tract. de Sacerd.*

91 Pater omnifariam poteſtatem dedit Filio; Ceterum video eandem ipſam poteſtatem a Deo Filio Sacerdotibus eſſe conceſſam. S. Jo: Chryſoſt. *homil.* 5.

92 Deos etiam ipſe Deus appellat; S. Gregor. *lib.* 4. *Epiſtol.* 9.

93 Nihil omnino prodeſt nomen Sanctum habere ſine moribus, quia vita a profeſſione diſcordans abrogat illuſtris tituli honorem per indignam actuum vilitatem. Salvian. *de Provid. lib.* 3. *ad fin.*

94 Honor ſublimis, & vita deformis. S. Ambroſ. *lib. de Dign. Sacerd.* Profeſſio Deifica, & actio illicita. *Idem ibid.*

95 Ornamenta in luto, dignitas in indigno. Salvian. *ad Eccleſ. Cath.*

96 Non ita corruptis moribus vivunt ſæculares, ut Eccleſiaſtici. S. Bernardus *ſerm. in Converſ. S. Pauli.*

97 Inique agunt ceteri contra Chriſtum, crudeliorem tamen eam cenſet perſecutionem quam a propriis ſuſtinet miniſtris. S. Bernard. *ibid.*

98 Tales Sacerdotes non ſunt mei Sacerdotes, ſed veri proditores ipſis etiam quaſi Judas me vendunt, & produnt. S. Birgitta *lib.* 1. *Revelat. c.* 47.

99 Adam peccavit in terra, & veniam conſequutus eſt; Lucifer in Cœlo, & Diabolus factus eſt: ſic differunt peccata Laicorum, & Clericorum. Hugo de S. Caro in illud Pſalmi 118. n. 119. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* Sæculares vocantur peccatores terræ, ad differentiam Sacerdotum qui debent vocari peccatores Cœli, uti Angeli: Unde S. Birgitta *lib.* 1. *Revelat. cap.* 47. Sacerdotes mali ſunt in eodem peccato, quo cecidit Lucifer: Nunc etiam dico tibi judicum eorum, & cui ſunt ſimiles.

100 Si peccas in ſacerdotio periiſti. S. Joan. Chryſoſt. *Hom.* 41. *Matth.*

101 Sic enim Deus iraſcitur peccantibus ſacerdotibus, ut etiam ſacratis locis vaſiſque non parcat, 1. *Reg.* 4. s. Proſper *de prom. & præd. part.* 1. *cap.* 24.

102 Ante omnia ſacerdos caſtitate debet accingi. s. Jo: Chryſ. *Hom.* 41. *in Levit.*

103 Ut in his niveus pudicitiæ candor efflorеat, qui ſacris Myſteriis familiarius appropinquant. s. Petrus Damian. *Opuſc.* 18. *contra Cler. intemp. diſſert.* 1. *c.* 1.

104 Sacerdos.... Ne polluat ſanctuarium Domini, quia oleum ſanctæ unctionis Dei ſuper eum eſt. *Levit.* 21. *numer.* 12.

105 Sacerdotes polluerunt ſanctuaria mea. *Ezechiel.* 22. *nu.* 26. ideſt, explicat ibi Hugo Card. per vitæ immunditiam.

106 Audent Agni immaculati ſacras contingere carnes, & intingere in Sanguine Salvatoris carnes nefarias, quibus paulo ante (proh dolor?) carnes meretricis attrectaverunt. s. Bernardus *in declamat.*

107 Pudicitia ſacerdotalis non ſolum ab opere ſe immundo abſtineat, ſed etiam a jactu oculi, & cogitationis errore mens Chriſti corpus confectura, ſit libera. s. Hieron. *in c. Epiſt. ad Titum.*

108 Quis adeo impius erit, qui lutoſis manibus Sacratiſſimum Sacramentum tractare præſumat? s. Aug. *ſerm.* 144. *de tempor.*

109 Polluimus Corpus Chriſti, quando indigni accedimus ad Altare. s. Hieron. *in c.* 1. *Malachiæ.*

Cum

110 Cum in os immundum Sanctiſſimam carnem ponit, eam quaſi in lutum projicit. Petus Bleſenſis *ſerm.*38.

111 Quantum flagitium in ſpurciſſimam tui corporis cloacam Sacratum Chriſti Sanguinem profundere? s. Thomas de Villanova, *Concion.*3. *de Corpor. Chriſti*.

112 Gravius peccant indigne offerentes Chriſtum regnantem in Cœlis, quam qui eum crucifixerunt ambulantem in terris. s. Aug. cit. a Mol. *tract.*2. *c.* 17.

113 Auctores mortis exiſtimus, qui eſſe debemus duces ad vitam. s. Gregor. *Homil.*17. *in Evang.*

114 Si Sacerdotium corruptum fuerit, omnis Fides marcida eſt. §. Joan. Chryſoſt. *Homil.*38. *in Matth.*

115 Populum videmus nugacem eo quod tales habeant Sacerdotes. s. Ambroſ. *de dignit. Sacerd. c.*5.

116 Cauſæ ſunt ruinæ populi Sacerdotes mali. S. Greg. *lib.*4. *epiſt.*64.

117 Tantum inter Sacerdotem, & quemlibet probum intereſſe debet, quantum inter Cœlum, & terram diſcriminis eſt. s. Iſid. Peluſiota *lib.*2. *epiſt.* 107.

118 Ebrietas in alio crimen eſt, in Sacerdote Sacrilegium: s. Petrus Chryſol. *ſer.*26.

119 Provide, ne lingua, quæ vocat de Cœlo Filium Dei, contra ipſum Dominum loquatur. s. Aug. *ſerm.* 37. *ad Fratres de herem.*

120 Inter ſæculares nugæ ſunt, in ore vero Sacerdotis blaſphemiæ, s. Bernard. *lib.*2. *de conſiderat.*

121 Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, Diſcamus Sacerdotem doctum eſſe debere. s. Hieron. *in cap.* 2. *Malachiæ*.

122 Manus Sacerdotum modo inunctæ ſunt pice cupiditatis ad retinendum, quæ deberent eſſe inunctæ unctione caritatis ad largiendum. Hugo Card. in illud *Pſal.* 25. *Dextera eorum repleta eſt muneribus.*

123 Si pro ſe unuſquiſque in die judicii vix poterit rationem reddere, quid de Sacerdotibus futurum eſt, a quibus ſunt omnium animæ requirendæ? s. Aug. *lib.*50. *homil.*7.

124 Pro populorum iniquitate damnantur, ſi eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non corrigant. Sanctus Iſidorus *libr.*3. *ſententiar.*

125 Sacerdotes, penſemus negotium noſtrum, penſemus pondus, quod ſuſcipimus, faciamus nobiſcum quotidie rationes, quas cum Judice noſtro habebimus. s. Gregor. *Homil.* 17. *in Evang.*

126 Vere magna confuſio ſacerdotum, & omnium Clericorum, quando Laici inveniuntur fideliores, & juſtiores. s. Ioannes Chryſoſt. *Hom.*40. *oper. imperfect.* aut quis alius ejus Auctor.

127 Quomodo non ſit confuſio eſſe illos inferiores Laicis, quos etiam eſſe æquales magna confuſio eſt? Idem *ibid.*

128 Erubeſcant ſacerdotes, ſi ſacratioris vitæ inveniantur Laici, qui vitæ fluctibus ſunt immerſi. S. Gregor. part. 2. Paſtor. admon.29., & Petrus Bleſenſis *ſerm.*12.

129 In die Judicii ſacerdos ſpoliabitur ſacerdotii dignitate, & erit inter infideles. s. Joan. Chryſoſt. *Homil.*40. *in cap.*21. *Matth.* juxta illud *Ezechiel.* 23. denudabunt te veſtimentis tuis, tollent vaſa gloriæ tuæ, & dimittent te nudum ignominia plenum.

130 Sacerdotes mali præ omnibus diabolis profundis ſubmergentur in infernum. s. Birgitta *lib.*4. *Revelat. cap.*33.

131 Quo major eſt auctoritas, eo majus eſt eorum, qui peccant, ſupplicium. s. Joan. Chryſoſt. *in Pſal.*6.

132 Ingrediuntur electi ſacerdotum manibus expiati cœleſtem patriam; & ſacerdotes ipſi per vitam reprobam in Inferni ſupplicia feſtinant. s. Gregor. *Homil.*17. *in Evang.*

133 Non temere dico, ſed ut affectus ſum, & ſentio: Non arbitror inter ſacerdotes multos eſſe, qui ſalvi fiant, ſed multo plures, qui pereant. s. Joan. Chryſoſt. *Homil.* 3. *in c.*1. *Act. Apoſtol.*

134 Clerici, & Religioſi quando Chriſto adhærent, optimi ſunt, & optimum, & multum fructum faciunt; Quando autem a Chriſto ſeparati ſunt, nutrimentum ſunt ignis peccati in præſenti, & in futuro igni infernalis. Hugo Cardinal *in cap.*15. *Evang. S. Joan.*

135 Miror an fieri poſſit, ut aliquis ex Rectoribus ſit ſalvus. s. Joan. Chryſoſt. *Homil.*34. *in Epiſt. ad Hebræos*.

136 Sacerdos ſi vitam ſuam diſpoſuerit, tuam autem non diligenter curaverit, cum impiis in gehennam detrudetur. s. Joan. Chryſoſt. *Homil.*85. *in Joan.*

137 Quidam Religioſus, qui noluit acceptare Epiſcopatum, neque ad preces ſui ſuperioris, apparens poſt mortem cuidam ſuo amico, & ab ipſo interrogatus, an quidam mali paſſus fuiſſet ob talem reſiſtentiam factam ſuperiori ad nolendum Epiſcopatum, reſpondit: *Minime. Immo ſi Epiſcopatum recepiſſem, eſſem æternaliter damnatus.* Sic refert Carthuſ. *de Vita, & Reg. Epiſc. cap.* 42. Et de alio, qui ad conſilium ſui Patrui recuſavit ſibi oblatum Epiſcopatum, refert s. Hieronymus *in Regul. Monac. cap.* 5., & idem Carthuſ. *loc. cit.* quod poſt mortem ipſi ſuo Patruo apparens, eique gratias referens de optimo conſilio, dixit: *Nunc eſſem de numero damnatorum, ſi fuiſſem de numero Epiſcoporum.*

138 Turpe eſt ignorare artem, quam profitemur, & intolerabilis ignorantia in iis, qui præſunt. s. Leo relatus *in cap. ſi in Laicis* 3. *diſt.*38.

139 Verecundum eſt ex aliorum manibus quærere, quod apud ſe inveniri debet. *Cap. Cum in cunctis* 7. *de elect.* ex Gloſſ. *ibid.* citans multos alios Canones. Unde non ſufficit, quod Prælatos habeat apud ſe Viros doctos, niſi & ipſe ſit doctus Deh caveant ſuper hoc Prælati.

### *Additio ex Auctore.*

140 Sacerdotes privantur facultate excipiendi Confeſſiones Complicum in peccato turpi. Benedict. XIV. tom. 1. Conſtitut. 20. incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, §. 4. Vide dicta ad verb. *Confeſſarius*, & ver. *Complex*. Sacerdos etiam ad Confeſſiones non approbatus, præferendus eſt Confeſſario 141 complici in peccato turpi pro excipenda Confeſſione ipſius Complicis in articulo mortis conſtitutæ. Idem Conſtitut. 120. incip. *Apoſtolici muneris* §. 2.

142 Sacerdos ſimplex benedictionem ſuper populum impertiri nequit, præterquam in fine Miſſæ, niſi forte id ipſi demandetur jure delegato. Idem tom. 2. Conſtit. 48. incip. *Exemplis*. 143 Præſente Epiſcopo Diœceſano ſacerdos in fine Miſſæ debet prius ad eum ſe convertere, eique caput inclinare, veluti facultatem populo benedicendi poſtulans; quod a Sacerdote prætermittitur, ſi Epiſcopus Miſſæ interſit, ſed extra ſuam Diœceſim exiſtat, prout deſumitur ex Rubricis Miſſalis *t. de benedictione in fine Miſſæ, & Evangelio S. Joann.* Idem *ibid.*

144 Sacerdos abutens ſacrificio Miſſæ ad ſortilegia, vel in ſacramentali Confeſſione ſollicitans ad turpia, præter alias pœnas, incurrit perpetuam inhabilitatem ad Miſſæ celebrationem, ex Decreto ſanctæ Univerſalis Inquiſitionis de mandato Benedict. XIV. *edito die* 5. *Auguſti* 1645. ut in ejus Bullario tom. 2. *in appendic. n.*8. *pag.*46.

145 Sacerdoti ſimplici per Pontificem ex ſuprema auctoritate delegari poſſunt ea, quæ ad myſticum Chriſti Corpus pertinent; Quod tamen Diaconis, *qui non habent perficere Corpus Domini verum*, jure, ac merito denegatur. Benedict. XIV. in Appendice ad Tom. 4. ſui Bullarii Conſtitut. incip. *Ex iuis* §. 9.

146 Sacerdotes tam in Latina, quam in Græca Eccleſia, juxta veterem diſciplinam, cum Epiſcopo celebrabant. Benedict. XIV. Conſtit. *Allatæ ſunt*, §. 38.

### *Novæ Additiones ex aliena manu.*

1 SAcerdotes exteri, tum & maxime peregrini non ſunt admittendi ad Miſſas celebrandas, & ſacramenta adminiſtranda ſine literis commendatitiis ſuorum Ordinariorum ut innovatis antiquis Canonibus ſtatuit *Concilium Tridentin. ſeſſ.* 22. *decret. de Obſerv.*, *& evitand.*, *& ſeſſ.*23. *cap.* 16. *de Reformat.*, & poſt ipſum *D. Carolus Borromæus in Act. Eccleſ. Mediol. part.* 1. *Concil. Provincial.* 1. *pag.*9., *& Concil. Provincial.* 2. *pag.*65. *tit.*2. *decret.* 1., *& Concil. Provincial.* 3. *pag.*96.

2 Quinimmo fas eſt Epiſcopo prohibere, ne Regulares in eorum Eccleſiis ſacerdotes exteros celebrare permittant Divina Officia, niſi prius ab ipſo Epiſcopo, viſis Literis Commendatitiis, admiſſi fuerint, ut deciſum referunt *Ventrigl. in Prax. tom.*1. *adnoe.* 24. §. *unic. numer.*5. *& adnot.* 48. §. *unic. num.*125. *Paſſerin. de Stat. Homin. tom.*3. *quæſt.*189. *articul.*10. *inſpect.*10. *num.* 991. *Nicol. Lucubrat. Canonic. lib.* 3. *tit.* 31. *num.*15. *Fraſſ. de Jurepatron. Reg. tom.*2. *cap.*73. *num.*36.



3 Idque verum adeo eſt, ut Sacerdotes exteri celebrantes in Eccleſiis Regularium, non viſis prius Litteris Commendatitiis ab Epiſcopo, tum etiam ipſi Superiores Eccleſiarum Regular. incurrant in pœnas in Synodo Diœceſana inflictas; *Fermoſin. in Rubric. de Cleric. Peregrin. num.* 9. *Romaguer. ad Synodal. Gerund. lib.* 3. *tit.* 4. *capitul. unic. numer.*5.

4 Cæterum ſi Sacerdos aliquis exterus per longum tempus in Loco aliquo celebraverit, ejuſque mores jam ſint noti, non eſt cogendus literas comendatitias ſui Ordinarii oſtendere, ut relata Reſolutione Sac. Congregationis Epiſcoporum & Regularium negotiis præpoſitæ firmant *Fermoſin. in dict. Rubrica de Cleric. Peregrin. num.*11. *Barboſ. Jur. Eccleſiaſt. univerſ. lib.*1. *cap.*11. *num.* 31. *Romaguer. ad Conſtitut. Synodal. Gerund. lib.*1. *tit.*4. *cap. unic. numer.*6. ubi *numer.* 7., 5 *& ſequent.* tradit quas ſolemnitates requirant Literæ comendatitiæ Clericorum ultramarinorum.

6 Reliquum eſt ut diſcutiatur, an Epiſcopus prohibere valeat, ne Sacerdotes Regulares Peregrini celebrent in Eccleſiis Regularium? Obtinuit autem hæc diſtinctio, ut prohibere nequeat, ſi Sacerdotes illi Peregrini in loco illo habeant Eccleſias ſui Ordinis; poſſit vero prohibere, ſi Eccleſias inibi ſui Ordinis minime habeant; Ita definiiſſe Sac. Congregationem de Propaganda fide coram Sanctiſſimo habitam die 18. Julii 1626. refert *Romaguer. ad Conſtit. Synodal. Gerund. lib.*1. *tit.*4. *cap. unic. n.*4.

## SACRAMENTALIA.

Vide verb. *Peccatum a num.* 47. *ad num.* 55.

## SACRAMENTUM.

### ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt Sacramentorum naturam, inſtitutionem, numerum, materiam, formam, Miniſtrum, & intentionem.

1 SAcramenti a *Sacro* derivati variæ, ſed præcipuæ tres ſunt acceptiones. Primo igitur in Sacra Scriptura ſumitur interdum pro Sacro Myſterio, ſeu pro re ſacra abſcondita, & arcana, ut Tobiæ *cap.*12. *numer.*7., ibi: *Etenim Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*. Sapientiæ *c.* 2. *num.*22., ibi: *Et neſcierunt Sacramenta Dei*. Item Sapientiæ *cap.*6. *num.*24., ibi: *Et non abſcondam a vobis Sacramenta Dei*. Daniel. *cap.*2. *num.*18., ibi: *Super Sacramento iſto*. *Ibidem num.*30. *Sacramentum hoc revelatum eſt*. Ibidem *num.*47. *quoniam tu potuiſti aperire hoc Sacramentum*. Ad Epheſ. *cap.*1. *num.*9., ibi: *ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ*. Item ad Epheſ. *cap.*3. *num.*3., ibi: *Quoniam ſecundum revelationem notum mihi factum eſt Sacramentum*. Apocalypſ. *cap.*1. *num.*20., ibi: *Sacramentum ſeptem ſtellarum*. Item Apocalypſ. *cap.*17. *num.*7., ibi: *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris*. Secundo, ſumitur a Juriſtis aliquando pro Juramento; eo quod per illud Sacrum Dei nomen invocetur; *L. Sacramenta puberum, Cod. ſi adverſus venditionem*, ibi: *Sacramenta puberum ſponte facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis inviolabiliter cuſtodiantur*, *cap. Qui Sacramento* 11. *cauſ.* 22. *quæſt.*4., ibi: *Qui Sacramento ſe obligaverit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno a Communione Corporis, & ſanguinis Domini ſegregatus reatum ſuum eleemoſynis, fletibus, & quantis potuerit jejuniis, abſolvat*. Tertio, ſumitur a Patribus, & Theologis, & magis ad propoſitum pro ſigno rei ſacræ, ideſt pro eo, quod ſacrat, & ſanctificat. Et de Sacramento ſic ſumpto impræſentiarum eſt ſermo.

2 Unde Sacramentum prout in propoſito accipitur, *eſt ſignum ſenſibile gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum ex inſtitutione Divina efficaciter ſignificans ordinatum ad ſalutem hominis viatoris*. Sic Scotus *in diſt.* 1. *quæſt.* 2. *numer.* 9. Quæ definitio in re ipſa convenit cum illa, quæ colligitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.*13. *cap.*3. quod nempe *Sacramentum ſit ſymbolum rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ, forma viſibili ſanctificandi vim habens*, & cum illa Catechiſmi ejuſdem Concilii ſcilicet: *Sacramentum eſt res ſenſibus ſubjecta, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis, & juſtitiæ tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet*; & cum illa tradita a Caniſio in ſuo parvo Catechiſmo, quam ſequuntur alii Theologi: *Sacramentum Legis eſt ſignum inviſibilis gratiæ ad hominem ſanctificandum divinitus inſtitutum.*

3 Sacramenta novæ Legis fuerunt omnia a Chriſto Domino inſtituta, & ea nec plura, nec pauciora, quam ſeptem, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Sic definitum fuit in Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. pro inſtructione Armenorum, & in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 7. *Canon.* 1., ibi: *ſi quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, aut pauciora quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe vere, & proprie Sacramentum, anathema eſt*.

4 Sacramenta novæ Legis differunt a Sacramentis antiquæ Legis, quia antiqua figurabant Gratiam dandam per Chriſti Paſſionem: Nova vero eam continent, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt. Concil. Florentin. *ſeſſ. ult. in Decreto Eugenii IV.* ibi: *Quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ Legis: Illa enim non cauſabant Gratiam, ſed eam ſolum per Paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant; Hæc vero noſtra, & continent Gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt*. 5 Unde Sacramenta novæ Legis non differunt ab antiquis ſolum, quia ſunt aliæ Cæremoniæ, & alii ritus externi; Eſt definitum in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 7. *Canon.* 2. ibi: *ſi quis dixerit, ea ipſa novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ Legis non differre, niſi quia Cæremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi, anathema ſit*. Vide tamen dicta ſub verb. *Circumciſio per tot.* ubi multa ad rem.

6 Ea autem, quæ concernunt ad longum Sacramenta antiquæ legis, brevitatis gratia relinquuntur videnda apud Scholaſticos.

7 Sacramenta novæ legis varie differunt etiam inter ſe. *Communis*. Quædam enim dicuntur Sacramenta *Mortuorum*, & 8 quędam alia Sacramenta *Vivorum*. Sacramenta *Mortuorum* ſunt illa, quæ per ſe conferunt primam Gratiam juſtificantem, ſeu remiſſionem peccati mortalis actualis, vel Originalis, & dicuntur Sacramenta *Mortuorum*, quia a Chriſto ſunt per ſe, & primario inſtituta, ut homini ratione peccati mortalis ſpiritualiter *mortuo* Gratiæ rite miniſtrata reſtituant vitam ſpiritualem Gratiæ; Et hæc Sacramenta ſunt duo nempe Baptiſmus, & Pœnitentia. Baptiſmus quidem inſtitutus in remiſſionem peccati originalis, ac etiam actualium ante Baptiſmum commiſſorum. Pœnitentia autem inſtituta in remiſſionem peccatorum actualium poſt Baptiſmum commiſſorum. Sacramenta *Vivorum* ſunt illa, quæ per ſe conferunt tantum Gratiam ſecundam, adeoque præſupponunt in ſuſcipiente Gratiam primam, ſeu ſtatum Gratiæ, & dicuntur Sacramenta *Vivorum*, quia a Chriſto ſunt per ſe, & primario inſtituta, ut miniſtrentur hominibus jam viventibus vita ſpirituali Gratiæ, eoſque nova Gratia adaugeant; & hæc Sacramenta ſunt reliqua alia quinque, nempe Confirmatio, Euchariſtia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. *Communis*.

9 Item ex Sacramentis novæ legis quædam ſunt *Iterabilia*, & quædam *Initerabilia*. Sacramenta *Iterabilia*, ſeu *non Characteriſtica* ſunt illa, quæ ſæpius ſuſcipi poſſunt, quia non imprimunt Characterem indelebilem in anima ſuſcipientis, ſed ſolum conferunt Gratiam ſanctificantem per peccatum mortale amiſſibilem, & reiteratione Sacramenti recuperabilem; & talia Sacramenta ſunt quatuor, ſcilicet Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, & Matrimonium. Sacramenta *Initerabilia*, ſeu *Characteriſtica* ſunt illa, quæ ſemel valide ſuſcepta iterato ſuſcipi nequeunt, quia imprimunt Characterem indelebilem in anima ſuſcipientis; Et talia Sacramenta ſunt tria, nempe Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo. *Communis* ex Concilio Florentino *ſeſſ. ult. in Decreto Eugenii IV.* ibi: *Inter hæc Sacramenta tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ Characterem, id eſt ſpirituale quoddam ſignum a ceteris diſtinctivum imprimunt in anima indelebile; Unde in eadem perſona non reiterantur; Reliqua vero quatuor Characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt*. Et Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 7. *Canon.* 9. ibi: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis; Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi Characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſint, anathema ſit.*

10 Item quædem ex Sacramentis ſunt *Formata*, & quædam *Informia*. Sacramenta *Formata* ſunt illa, quæ & valide, & licite, ac fructuoſe ſuſcepta, ſtatim, dum ſuſcipiuntur, habent ſuum effectum in ſuſcipiente, ideſt ſtatim cauſant Gratiam, ad quam cauſandam ſuſcipiuntur: quæ gratia per antonomaſiam vocatur *Forma*, Decor, & pulchritudo animæ, & qua proinde deficiente, manet anima informis, ac deformis in conſpectu Dei. Sacramenta *Informia* ſunt illa, quæ quamvis valide ſuſcipiantur concurrentibus ſcilicet omnibus eſſentialiter requiſitis ad valorem talium Sacramentorum, debita nempe materia, forma, & intentione; tamen non habent effectum ſuum, eo quod ponatur obex peccati mortalis Gratiæ; alioquin per talia Sacramenta cauſandæ, & ſic Sacramenta remanent informia, animamque informem relinquunt. Et talia poſſunt eſſe omnia Sacramenta, excepto ſolo Sacramento Pœnitentiæ. Docent communiter Doctores, poſſe hominem adultum valide baptizari, confirmari, Euchariſtiam ſumere, ordinari, extreme ungi, & Matrimonium contrahere in ſtatu peccati mortalis, at non licite, & ſic ſacrilege, adeoque infructuoſe, & informiter.

11 Dicitur autem notanter *Excepto ſolo Sacramento Pœnitentiæ*, quia non poteſt dari Sacramentum Pœnitentiæ validum quoad eſſentiam, & informe quoad effectum Gratiæ, ut docuimus ſub verb. *Pœnitentiæ Sacramentum art.* 2. *a num.* 16. *ad* 29. Vide *ibi*.

12 Item quædam ex Sacramentis ſunt *Permanentia*, & quædam *Tranſeuntia*. Sacramenta *Permanentia* ſunt illa, quæ ſunt Sacramenta non tantum in fieri, ſeu cum fiunt, ſed etiam ſunt Sacramenta in facto eſſe, ſeu ſunt factum permanens, ut per omnes Catholicos eſt Sacramentum Euchariſtiæ, & ſecundum aliquos cum Sporer *tom.* 3. *Theolog. Sacrament. part.* 4. *num.* 351. etiam Matrimonium, de quo ibi dicit, quod quatenus præciſe eſt ſignum practicum efficax Gratiæ ſanctificantis Matrimonialis eſt Sacramentum in fieri: quatenus vero ſimul eſt Sacramentum Myſticum; ſeu ſacrum ſignum conjunctionis ſpiritualis Chriſti cum Eccleſia, aut Verbi Divini cum natura humana, eſt Sacramentum in facto eſſe, ac permanens. Sacramenta *Tranſeuntia* ſunt illa, quæ præcipue conſiſtunt in actione, quæ phyſice tranſit, uti ablutio in Sacramento Baptiſmi, Unctio in Sacramento Extremæ Unctionis, & hujuſmodi.

13 Item quædam ex Sacramentis ſunt *omnibus neceſſaria*, & quædam *non neceſſaria omnibus*. Sacramenta *omnibus neceſſaria* ſunt Baptiſmus, qui eſt omnibus hominibus neceſſarius ad ſalutem, & Pœnitentia, quæ eſt neceſſaria omnibus, & ſolis in peccatum mortale poſt Baptiſmum lapſis; Et hæc duo Sacramenta in re, vel in voto ſunt neceſſaria neceſſitate medii. In re ipſa autem neceſſitate præcepti Euchariſtia eſt neceſſaria omnibus adultis neceſſitate præcepti. Sacramenta *non neceſſaria omnibus* ſunt Ordo, & Matrimonium, ut de ſe patet, & Confirmatio, & Extrema Unctio, quæ duo Sacramenta non ſunt ſub præcepto ſaltem gravi neceſſaria, ut cum D. Thoma 3. *part. quæſt.* 71. *art.* 8. *ad* 4. tradunt Doctores communiter.

14 Quod Sacramenta ſint neceſſaria ad ſalutem vel in re, vel in voto, licet non omnia omnibus, habetur expreſſe definitum in Concilio Tridentin. *ſeſſ.* 7. *Canon.* 4. ibi: *ſi quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis, aut eorum voto per ſolam Fidem homines a Deo gratiam juſtificationis adipiſci, licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint, anathema ſit*.

15 Sacramenta non ſunt paria, ſed unum alio dignius. Conc. Tridentin. *cit. ſeſſ.* 7. *Canon.* 3. ibi: *ſi quis dixerit, hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit*.

16 Sacramentum non ſunt ſola ſigna, ſeu notæ Chriſtianitatis. Concil. Tridentin. *cit. ſeſſ.* 7. *Canon.* 6. ibi: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere Gratiam, quam ſignificant, aut Gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre; quaſi ſigna tantum externa ſint accepta per Fidem Gratiæ, vel Juſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur Fideles ab Infidelibus, anathema ſit*.

17 Sacramenta non ſunt inſtituta propter ſolam fidem nutriendam. Concil. Tridentin. *cit. ſeſſ.* 7. *Canon.* 5. ibi: *ſi quis dixerit, hæc Sacramenta propter ſolam fidem nutriendam inſtituta fuiſſe, anathema ſit*.

18 Sacramenta tribus perficiuntur, ſcilicet rebus, verbis, & Miniſtro cum intentione; rebus ut materia; verbis autem ut forma. Concil. Florentin. *ſeſſ. ultim. in Decret. Eugenii IV. §. Quinto Eccleſiaſticorum*, ibi: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum*.

19 Hinc clare conſtat, quod ad eſſentiam cujuslibet Sacramenti tria neceſſario requiruntur, ſcilicet materia, forma, & intentio. *Communis Catholicorum* per citat. Textum Concilii Florentini. Unde ex verbis Sancti Auguſtini relat. *in cap. Detrahe* 54. *cauſ.* 1. *q.* 1. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*.

20 Materia in quolibet Sacramento eſt res aliqua ſenſibilis applicata ſuſcipienti per actionem externam Miniſtri. *Communis*.

21 Forma in quolibet Sacramento ſunt verba certa una cum applicatione materiæ proferenda a Miniſtro; Aut ſignum aliquod externum æquivalens, & faciens id, quod facerent certa verba, uti ſunt nutus annuentis in Matrimonio, quibus nutibus æque bene ac verbis animus contrahentium declaratur. *Communis*.

22 Materia in quolibet Sacramento eſt duplex, ſcilicet remota, & proxima. *Materia remota* eſt illa res ſenſibilis, quæ per actionem Miniſtri applicatur ſuſcipienti. *Materia* proxima eſt ipſamet debita applicatio dictæ materiæ remotæ, quæ ſcilicet una cum forma ſibi correſpondente ſimul prolata a Miniſtro proxime conſtituit Sacramentum. *Communis*.

23 Quænam ſit materia remota, & proxima cujuslibet ſpecialis Sacramenti? Vide in ſuis propriis locis, ut ſub verb. *Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia &c.*

24 Item forma in quolibet Sacramento eſt duplex, ſcilicet remota, & proxima: *Forma remota* ſunt dicta certa verba una cum applicatione materiæ a Miniſtro proferenda, ſeu aliud ſignum æquivalens externe exhibendum. *Forma proxima* eſt dictorum certorum verborum una cum applicatione materiæ actualis a Miniſtro facta prolatio, ſeu dicti ſigni externi æquivalentis actualis exhibitio. *Communis*.

25 Ad valorem Sacramentorum requiritur ſimultas inter eorum materiam, & formam, quæ ſimultas ſufficit, quod ſit moralis, & tanta, quanta requiritur in actibus humanis; Nam cum Sacramentum ſit compoſitum morale, requiritur, & ſufficit talis ſimultas, ſive unio inter materiam, & formam, ut unum moraliter, ac ſecundum communem hominum æſtimationem cenſeatur afficere alterum, conſiderata, & attenta natura cujuslibet ſpecialis Sacramenti. Sic Scotus *in* 4. *diſt.* 6. *q.* 3. *litt. B.* Et *in re Communis aliorum*.

26 Conſulunt tamen Doctores communiter, ut Miniſtri Sacramentorum curent majorem, quam poſſunt, facere ſimultatem materiæ, & formæ, quia cum materia, & forma debeant conſtituere unum ſignum Sacramentale, ſemper optimum eſt eas meliori, quo poteſt, modo eſſe conjunctas. Unde conſultiſſimum eſt, quod Miniſtri in Baptiſmo vere ſimul proferant formam totam, dum abluunt; in Confirmatione, & Extrema Unctione, dum inungunt; In Ordinatione, dum inſtrumentum Ordinis tradunt; In Sacramento Pœnitentiæ ſtatim abſoluta Confeſſione doloroſa, pœnitentiaque injuncta & acceptata, verba abſolutionis proferant; In Matrimonio poſt expreſſum conſenſum unius, ſtatim exprimat & alter Sponſorum. In confectione vero Euchariſtiæ materia debet eſſe præſens, quia hoc indicant illa pronomina demonſtrativa. *Hoc, Hic*.

27 Materiæ, & formæ Sacramentorum fuerunt omnes a Chriſto inſtitutæ, & determinatæ quoad ſubſtantiam. At non omnes, & ſingulæ uniformiter & æqualiter in particulari & in ſpecie. Prima pars concluſionis eſt Communis omnium Theologorum. Cum enim Chriſtus inſtituerit immediate omnia Sacramenta novæ Legis, debuit etiam omnium eorum materias, & formas inſtituere & determinare quoad ſubſtantiam; alias ſi Apoſtoli, aut Eccleſia aliquas Sacramentorum materias, aut formas determinaſſent quoad ſubſtantiam, Chriſtus non inſtituiſſet illa immediate, ſed tantum mediantibus hominibus materias, & formas determinantibus.

28 Secunda pars Concluſionis defenditur paſſim a Doctoribus cum Maſtrio *in* 4. *diſput. num.* 36. *&* 45. Suarez *part.* 3. *tom.* 3. *diſput.* 1. *ſect.* 3. Gonet *de Sacrament. in man. tract.* 2. *cap.* 2. *& tract.* 6. *cap.* 3. Gobat *tom.* 1. *tract.* 8. *numer.* 55. Reiffenſtuel *Theolog. moral. tract.* 14. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 21. La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *num.* 13. Aliquæ enim materiæ, & formæ fuerunt a Chriſto inſtitutæ ſolum in genere, determinan-





dæ in particulari, & in ſpecie ab Apoſtolis, vel Eccleſia, quæ in particulari adhiberet res ſenſibiles, & verba apta ad exprimendam ſignificationem illam, ad quam exprimendam fuerunt Sacramenta illa ab ipſo Chriſto Domino inſtituta; Sic in Sacramento Ordinis determinatum ſolum fuit a Chriſto aliquid in genere ſignificativum poteſtatis, quæ confertur, relinquendo Eccleſiæ poteſtatem determinandi in particulari juxta exigentiam temporum, locorum, & perſonarum, materiam, & formam aptam ad ſignificandam, & exprimendam poteſtatem illam, quæ ordinatis confertur; Unde de facto patet ex praxi primitivæ Eccleſiæ, quæ ante ſcriptionem, & impreſſionem Evangeliorum, & Epiſtolarum non potuit, uti modo, Diaconis, & Subdiaconis, in eorum Ordinatione tradere Librum Evangeliorum, & Epiſtolarum; Item patet ex praxi Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ, quarum quælibet valide conficit Sacramentum Ordinis, quamvis non conveniant in materia, & forma particulari quoad ſpeciem, ſed ſolum in genere, quatenus utraque Eccleſia utitur certa materia, & forma apta ad ſignificandam, & exprimendam poteſtatem, quæ ex intento Chriſti Domini traditur Ordinatis: Sic etiam in Sacramento Pœnitentiæ determinata eſt ſolum in genere materia remota, quæ ſunt peccata actualia poſt Baptiſmum commiſſa, ſive ſint mortalia, ſive venialia, ſive hujus, ſive illius ſpeciei, & etiam ſolum in genere determinata eſt materia proxima, nempe dolor communis Contritioni, & Attritioni. Et ſolum in genere determinata eſt ejus forma, dummodo concipiatur, & proferatur verbis actum Judicialem ſententiæ vere abſolventis, ſufficienter exprimentibus. Ita etiam in Matrimonio determinatus eſt pro materia contractus in genere legitimus, quo tradatur mutuum Jus ad uſum corporum, & pro forma determinatum eſt ſolum in genere ſignum externum, cum ejus forma poſſint eſſe verba, vel formalia, vel tantum æquipollentia, uti ſunt ſcriptio, & nutus, quæ inter ſe ſpecie diſtinguuntur, & ſic de aliis proportionate diſcurrendo; Unde clare conſtat, quod materiæ, & formæ Sacramentorum fuerunt omnes a Chriſto inſtitutæ, & determinatæ quoad ſubſtantiam; At non omnes, & ſingulæ uniformiter, & æqualiter in particulari, & in ſpecie; Ad quod facit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. ubi ſic expreſſe habet: *Præterea declarat, hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientibus utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret*.

29 Omnis mutatio ſubſtantialis facta in materia, vel forma Sacramentorum irritat, & invalidat Sacramentum; Secus autem ſi ſit ſolum mutatio accidentalis. *Communiſſima omnium Theologorum*, qui ad hoc communiter tradunt has duas regulas: *I. Si mutatio materiæ, vel formæ ſit ſubſtantialis, non fit Sacramentum. II. Si mutatio materiæ vel formæ ſit tantum accidentalis, fit Sacramentum*.

30 Mutatio autem tunc cenſetur ſubſtantialis, quando juxta communem uſum, & exiſtimationem Prudentum non manet amplius eadem res in nomine, & ſubſtantia cum illa, quam Chriſtus inſtituit, & determinavit pro materia Sacramenti. Seu loquendo de forma, quando non manet amplius in verbis idem ſenſus per verba intentus a Chriſto; Tunc vero cenſetur ſolum mutatio accidentalis in materia, quando juxta communem uſum & exiſtimationem Prudentum res adhuc remanet eadem in ſubſtantia; Et tunc cenſetur ſolum mutatio accidentalis in forma, quando remanet adhuc in verbis idem ſenſus per verba intentus a Chriſto. *Sic Doctores communiter*.

31 Quoad materiam, & formam propriam cujuslibet ſpecialis Sacramenti, earumque mutationem ſubſtantialem, vel accidentalem; vide in ſuis propriis locis, & ſignanter ſub verb. *Baptiſmus &c.*

32 Quamvis Miniſtri Sacramentorum mali ſint, Sacramenta non ceſſant eſſe bona; *cap. ſi juſtus* 30. *cap. Ex Catholica* 31. *cap. ſic autem* 32. *cap. Non foris* 33. *cap.* Nonne *Sodomitæ* 37. *cap. Dominus declaravit* 87. *cap. Chriſtus* 88. *& cap. Non nocet* 89. *cauſ.* 1. *q.* 1.

33 Sacramenta enim valide fiunt etiam a malis Miniſtris in peccato mortali exiſtentibus. Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 7. *Canon.* 12. ibi; *ſi quis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema ſit*.

34 Unde Sacramenta miniſtrata a malis Miniſtris eis nocent, non autem ſumentibus; *cap. Omnia Sacramenta* 78. *cap. Chriſtus* 88. *& cap. Non nocet* 89. *cauſ.* 1. *quæſt.* 1. cum ſimilibus.



35 Sacramenta non poſſunt miniſtrari ab omnibus Chriſtianis. Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 7. *Canon.* 10. ibi: *ſi quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem, anathema ſit*.

36 Sacramenta fieri non poſſunt niſi a Miniſtro habente intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. Concil. Tridentin. *cit. ſeſſ.* 7. *Canon.* 11. ibi: *ſi quis dixerit, in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit*.

37 Quoad plurima alia, quæ concernunt Miniſtrum Sacramentorum. Vid. verb. *Miniſter Sacram. per tot. a num.* 1. *ad num.* 54.

38 Quoad ea, quæ concernunt intentionem requiſitam ad valide conficienda, ſeu miniſtranda, vel recipienda Sacramenta. Vid. verb. *Intentio a num.* 14. *ad num.* 43. *& a num.* 57. *ad* 61.

39 * Sententia aſſerens in Sacramentis conferendis non requiri in miniſtro intentionem aliquam faciendi quidquid facit Eccleſia, ſed tantum præſtandi ritum externum nulla cenſura ab Epiſcopis configenda eſt. *De Synod. Dioeceſan. libr.* 7. *cap.* 4. §. 9.

40 Verum contraria tutior, & omnino ſervanda in praxi. Quare ſi quid ejuſmodi contigerit, & neceſſitas urgeat, Sacramentum Baptiſmi ſic collatum, ſub conditione iterum perfici oportet. Quod ſi res hujuſmodi ſit, ut moram patiatur, conſulenda eſt Sedes Apoſtolica, *ibid.* *

## *Novæ Additiones ex aliena manu.*

QUæſtiones, quas circa materiam, & formam Sacramen- 1
torum movent Scholaſtici, & inter hos *Auctor*, præ-
cipue ſub ſæculum XII. aut XIII. exortæ ſunt. Ab eo 2
enim tempore Sacramenta per materias & formas explicari
cęperunt. Et *primus Scholaſticorum* (ut inquit *Morin. de
SS. Ordinat. p.* 3. *exercit.* 1. *cap.* 3. *n.* 6.) *quem legi, qui hanc
hanc Sacramenta explicandi methodum amplexus eſt & docuit,
Guglielmus eſt Antiſiodorenſis, qui ſcribebat paulo poſt annum*
1215. Additque *n.* 10. ante hæc tempora Theologos totam 3
hanc Sacramentorum materia explicaſſe: „ Per verba ſigni,
„ & rei ſacræ, ſeu inviſibilis, dicentes ſacramentum conſta-
„ re ſigno & re ſacra, ſeu inviſibili. Per ſignum intellige-
„ bant, quod poſtea per materiam ſignificatum eſt, atque
„ etiam quod per formam, quidquid ſcilicet ſenſibus perci-
„ pitur. Per rem ſacram, ſeu inviſibilem effectum Sacra-
„ menti, gratiam ſcilicet ſanctificantem. Hic eſt apud an-
„ tiquos frequentiſſimus explicandi modus. Unde illa defi-
„ nitio, Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibilis forma.
„ Formam vocant ſpeciem, quæ ſenſibus percipitur.
E philoſophia vero peripatetica nata eſt ratio hæc expli- 4
candi Sacramenta per materiam & formam. Ea enim rerum 5
naturas ſub nominibus hiſce materiæ & formæ inquirere & 6
examinare ſolebat. Hac igitur philoſophia, quæ jam ſæcu-
lo XII. radices agere cęperat, imbuti Theologi, eamdem
philoſophandi rationem in Theologiam, atque potiſſimum in
Sacramentorum doctrinam introduxerunt, ut recte obſerva-
vit *Morinus loco mox citato num.* 3. ubi *quod potiſſima cura
fuit definire, quæ fuerint Sacramentorum materiæ, quæ formæ,
& ſub horum nominum inſigniis principales de Sacramentis
quæſtiones efformare et protendere*.
De quæſtionibus hiſce circa Sacramenta in generali tum 7
ſingula in particulari qui inſtrui cupit, adeat ſcholaſticos qui
integros de Sacramentis tractatus edidere. Meo vero judicio 8
recte *Vaneſpen*, omiſſis dictis quæſtionibus, quæ nec ad ex-
ternam Sacramenta adminiſtrandi rationem, neque ad Cano-
nicam diſciplinam ſpectant, id ſibi propoſuit, ut circa Sacra-
menta proponeret & diſcuteret diſciplinam, quam Sacri Ca-
nones, Synodalia decreta, & Ritualia in eorum adminiſtra-
tione ſervandam præſcripſerunt. Conſule igitur ipſum ubi 9
res poſtulat *p.* 2. *juris Eccleſ. univerſ. a tit.* 1. *ad plur. ſeq.*
Confer etiam erudita pro more commentaria Clariſſimi Viri, 10
& nunquam ſatis pro merito commendati *Joſephi Catalani in
Rituale Romanum*.

## ARTICULUS II.

### Quoad ea, quæ concernunt Sacramentorum effectus.

1 Effectus Sacramentorum novæ Legis eſt duplex, ſcilicet unus generalis omnium, & alter particularis aliquorum. *Communis*.

2 Effectus generalis omnium Sacramentorum eſt Gratia ſanctificans. *Communis*.

3 Omnia enim Sacramenta novæ legis ſine obice ſuſcepta conferunt ex opere operato Gratiam digne ſumentibus; *Communis inter Catholicos*, & ſic expreſſe habetur ex Concil. Florent. *ſeſſ. ult. in Decr. Eugen. IV.* §. 5. *Eccleſiaſticorum*, „ ibi: „ Novæ legis ſeptem ſunt Sacramenta, videlicet Ba„ptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema „ Unctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum a Sacra„mentis differunt antiquæ legis. Illa enim non cauſabant „ gratiam, ſed eam ſolum per Paſſionem Chriſti dandam eſſe „ figurabant; Hæc vero noſtra, & continent Gratiam, & „ ipſam digne ſuſcipientibus conferunt „, & noviſſime ſic eſt definitum in Conc. Trid. *ſeſſ.7. Can.6.* ibi: „ Si quis dixerit „ Sacramenta novæ Legis non continere Gratiam, quam ſi„gnificant, aut Gratiam ipſam non ponentibus obicem non „ conferre...... anathema ſit: & Canon.7. ibi: Si quis „ dixerit, non dari Gratiam per hujuſmodi Sacramenta ſem„per, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiamſi rite „ ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus, anathema „ ſit.

4 Effectus particularis aliquorum Sacramentorum proprius

5 eſt Character. *Communis*. Sola enim tria Sacramenta, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo imprimunt Characterem. *Communis inter Catholicos*, & habetur ex Concil. Flor. *l. c.* ibi: „ Inter hæc Sacramenta tria ſunt, Baptiſmus, „ Confirmatio, & Ordo quæ Characterem, ideſt ſpirituale „ quoddam ſignum a ceteris diſtinctivum imprimunt in ani„ma indelebile; Unde in eadem perſona non reiterantur; „ Reliqua vere quatuor Characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt „. Et ex Concil. Trid. *cit. ſeſſ.* 7. *Can.9.* ibi: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi Characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſint, anathema ſit*.

6 Quoad ea, quæ concernunt Gratiam generatim, & Gratiam ſanctificantem. Vide verb. *Gratia, ut eſt donum Dei, per tot.*

7 Præter Gratiam ſanctificantem habitualem per quodlibet Sacramentum digne ſuſceptum conferuntur hominibus digne ſuſcipientibus etiam aliæ ſpeciales Gratiæ actuales opportunæ ad conſequendos proprios fines ſingulorum Sacramentorum. *Communis* omnium Conciliorum, Patrum, & Doctorum ſic intelligentium, & ſignificantium, quando dicunt quodlibet Sacramentum conferre Gratiam ſpecialem ſibi propriam. Et ratio clara eſt, quia cum ſingula Sacramenta ſint a Deo inſtituta ob ſpeciales ſuos fines, oportet etiam, ut conferant ſpeciales gratias actuales; quibus ea digne ſuſcipientes juventur ad fines illos conſequendos.

8 Sacramenta novæ Legis cauſant Gratiam ſanctificantem *ex opere operato*, & non *ex opere operantis* tantum eſt de Fide ex Conc. Trid. *ſeſſ.7. Can.6.* ibi; „ Si quis dixerit, Sacra„menta novæ Legis non conferre Gratiam, quam ſignifi„cant, aut Gratiam ipſam non ponentibus obicem non „ conferre... anathema ſit; & *Can.8.* ibi: Si quis dixe„rit, per ipſa novæ Legis Sacramenta ex opere operato „ non conferri Gratiam, ſed ſolam Fidem Divinæ promiſ„ſionis ad Gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit. Vide infra *n.21.* & 22.

9 Sacramenta autem cauſare Gratiam *ex opere operato* eſt conferre Gratiam ex vi ipſius actionis Sacramentalis exhibitæ ſuſcipienti, conſideratæ ſcilicet ſecundum dignitatem, & efficaciam, quam habet ex inſtitutione facta a Chriſto ſine ullo reſpectu vel dependentia ad merita, vel dignitatem illius, qui eam actionem exercet. Et dicitur *ex opere operato*, quia ob infallibilem promiſſionem Divinam ex Gratia confertur ex meritis Chriſti, ac virtute Paſſionis ſuæ, quæ jam ſunt opus operatum. E contra cauſare Gratiam *ex opere operantis* eſt ſolum ratione meriti, & diſpoſitionis illius, qui talem actionem exercet, conferre Gratiam; & dicitur *ex opere operantis*, quia de Gratia confertur propter propria merita, devotionem, actuſque virtuoſos ipſius hominis operantis, ſive ut Miniſtri, ſive ut ſuſcipientis. *Sic Doctores Communiter*. Vid. infra *n.21. et* 22.

10 Sacramenta Mortuorum per ſe, ac ex vi ſuæ primariæ inſtitutionis conferunt primam Gratiam ſantificantem; Per accidens autem quandoque ſecundam. *Communis*.

11 Et ratio primæ partis eſt clara, quia Sacramenta Mortuorum per ſe, ac ex primaria ſua inſtitutione inſtituta ſunt a Chriſto Domino ad ſpiritualiter mortuos ſpiritualiter vivificandos; atqui ſi non conferrent per ſe, ac ex primaria ſua inſtitutione primam Gratiam, non eſſent inſtituta ad vivificandos ſpiritualiter mortuos, ſed ad nutriendum, & corroborandum viventes in vita ſpirituali, ergo, &c.

12 Ratio item ſecundæ partis eſt clara, quia omnia Sacramenta rite, & digne recepta numquam carent ſuo effectu, qui eſt gratia; ergo ſi Sacramenta Mortuorum rite miniſtrentur homini jam conſtituto in gratia per Contritionem perfectam, ne ſuo careant effectu, debent conferre gratiam, non primam, ut patet, cum ipſe recipiens ſit jam in gratia conſtitutus per Contritionem perfectam, ut ſupponitur, ergo per accidens ſecundam, ſeu augmentum gratiæ primæ.

13 Sacramenta Vivorum per ſe, ac ex vi ſuæ primariæ inſtitutionis conferunt gratiam ſecundam. Per accidens autem quandoque primam. *Communis*.

14 Et ratio primæ partis eſt de ſe clara, quia Sacramenta Vivorum ſic appellantur, eo quod miniſtrari debeant ſolum vivis membris Chriſti per jam ſibi inexiſtentem gratiam primam ſanctificantem, ergo cum non poſſint conferre gratiam primam, quæ jam ineſſe ſupponitur, ne careant ſuo effectu, debent conferre gratiam ſecundam, ſeu augmentum primæ.

15 Ratio item ſecundæ partis eſt de ſe clara, quia juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ.7. Can.6. et* 7. per text. cit. *ſupra n.3.* omnia Sacramenta novæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem; atqui dum quis ſe bona fide exiſtimans in ſtatu gratiæ cum tamen revera habeat occultum mortale peccatum, cujus non recordatur, ſeu ex malitia Confeſſoris non ſit abſolutus a peccato mortali, ut ipſe bona fide credit, & rite diſpoſitus recipit aliquod Sacramentum Vivorum, nullum ex ſe ponit obicem, ergo tunc ipſe vi talis Sacramenti recipit gratiam non ſecundam, cum nulla prior infuerit nec dolorem habeat qui de ſe conferat gratiam, ergo recipit primam per accidens cauſatam a Sacramento Vivorum recepto; Sic probabiliter aliqui.

16 Quænam autem ſint Sacramenta Mortuorum, & Vivorum, & cur ita dicantur? Vide *art. antec. n.8.*

17 Quænam autem ſit prima, & ſecunda gratia, & cur ita dicatur? Vid. verb. *Gratia n.5.*

18 Sacramenta ſpecie diſtincta, ut Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia &c. non conferunt omnia æqualem gratiam, ſed digniora, & perfectiora Sacramenta majorem, ac perfectiorem Gratiam conferunt. *Communis*, & colligitur ex Concil. Trid. *ſeſſ.7. Can.* 3. ibi: *Si quis dixerit, hæc ſeptem Sacramenta inter ſe ita eſſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit*, ubi ut vides, definit Concilium aliud Sacramentum eſſe alio dignius; Dignior autem, & perfectior cauſa digniorem, & perfectiorem producit effectum, adeoque &c. & conſequenter Sacramentum Euchariſtiæ, quia omnibus aliis dignius & perfectius eſt, cum ſit Sacramentum permanens, in ſe realiter Chriſtum continens, ceteris paribus majorem, & perfectiorem, quam alia Sacramenta, confert gratiam.

19 Sacramenta ejuſdem ſpeciei ſolo numero diſtincta, ut plures Baptiſmi, plures Confirmationes, &c. per ſe, & de lege ordinaria ſemper æqualem conferunt gratiam, ubi æqualis eſt diſpoſitio recipientis; Inæqualem autem gratiam, ubi inæqualis eſt diſpoſitio recipientis. *Communis*.

20 Et ratio primæ partis eſt de ſe clara, quia ex Tridentino *ſeſſ.7. Can.6.* per text. cit. *ſupra n.8.* Sacramenta ſecluſo obice conferunt gratiam, quam ſignificant: ſed duo Baptiſmi v. g. per ſe eandem omnino gratiam ſignificant, ergo per ſe eandem, & æqualem gratiam conferunt, ubi æqualis eſt diſpoſitio recipientis; Tunc enim Sacramenta operantur ut cauſæ naturales. In naturalibus autem ab eadem cauſa circa paſſum æqualiter diſpoſitum ſemper producitur idem, ſeu æqualis effectus: Unde omnes parvuli in Baptiſmo per ſe & de Lege ordinaria ſemper accipiunt æqualem gratiam, cum eorum omnium æqualis, vel potius nulla ſit diſpoſitio, cum careant uſu rationis.

Dici-



21 Dicitur autem notanter *Per ſe, & de Lege ordinaria*, quia ut inquit Scotus *in 4. q.7. n. 3. poſſet Deus... conferre majorem illi, quem prædeſtinavit ad majorem Gloriam, ſed ille uberior gradus non conferretur virtute Baptiſmi, ſed de ſpeciali benevolentia Divina*. Et ut dicit S. Thomas *q.64. art.1. ad 2. Aliquid tamen, annexum impetrari poteſt recipienti Sacramentum per devotionem Miniſtri*. Cui conformis eſt Scotus *l.c. n.5.* ibi: *Propter quorum*, ideſt Parentum, aut Miniſtrorum, *merita Deus uni parvulo poteſt conferre majorem Gratiam, quam alteri*.

22 Ex quibus patet, quod licet Sacramenta ejuſdem ſpeciei ſolo numero diſtincta per ſe, & de Lege ordinaria ſemper æqualem conferant gratiam, ubi æqualis eſt diſpoſitio recipientis, ut propterea ad augmentum, vel detrimentum gratiæ Sacramentalis per ſe nihil conferat Sanctitas, vel improbitas Miniſtri, ut patet ex Sacris Canonibus, & Textibus citatis *articulo antecedenti ſub n.52. 53. & 54.* Per accidens tamen poteſt conferre Miniſtri probitas, ſeu ſanctitas, ſi videlicet ſuis meritis, precibus, vel induſtriis impetret ſuſcepturo Sacramentum gratiam efficacem ad ferventiorem diſpoſitionem, ratione cujus major conferretur gratia, *arg. cap. Ipſi Sacerdotes* 19. *cauſ.* 1. cum ſimilibus.

23 Ratio ſecundæ partis concluſionis, quod ſcilicet Sacramenta ſolo numero diſtincta inæqualem conferant gratiam, ubi inæqualis eſt diſpoſitio recipientis, eſt etiam de ſe clara, quia ſicut cauſæ omnes naturales perfectius agunt in ſubjecto magis, ſeu melius diſpoſito, ita etiam Sacramenta, quæ operantur ut cauſæ naturales perfectiorem, & majorem conferent gratiam, ubi magis ſeu melius erit recipiens diſpoſitus: Unde Concil. Trid. *ſeſſ.6. cap.7.* loquens de juſtificatione Adultorum per Baptiſmum docet, baptizatis conferri gratiam juxta menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis, *et ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, et cooperationem*. Et S. Thom. *q.69. art.8.* dicit: *Quidam cum majori, quidam cum minori devotione accedunt, et ideo quidam minus de gratia novitatis accipiunt*. Et cum ipſo concordat Scotus *in 4. diſt.4. q.7. n.5.*

24 Ad recipienda fructuoſe Sacramenta Mortuorum, ſcilicet Baptiſmum, & Pœnitentiam requiritur in Adultis in letali exiſtentibus Contritio, vel ſaltem Attritio; *Communis*, & deſumitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.4.* ubi ſic ex„preſſe habetur: „ Docet præterea, etſi Contritionem hanc „ aliquando caritate perfectam eſſe contingat, hominemque „ Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum (Pœniten„tiæ) actu ſuſcipiatur ipſam nihilominus reconciliationem „ ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includi„tur, non eſſe adſcribendam; Illam vero Contritionem im„perfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitu„dinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum „ metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccati ex„cludat cum ſpe veniæ, declarat, Donum Dei eſſe, & Spi„ritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed „ tantum moventis, quo Poenitens adjutus viam ſibi ad juſti„tiam paret. Et quamvis ſine Sacramento Poenitentiæ per „ ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen „ eum ad Dei Gratiam in Sacramento Poenitentiæ impetran„dam diſponit.

25 Ad recipienda rite, & fructuoſe Sacramenta vivorum, ſcilicet Confirmationem, Euchariſtiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium requiritur per ſe loquendo ſtatus Gratiæ; *Communiſſima*. Si quis enim in mortali peccato ſcienter exiſtens velit aliquod Vivorum Sacramentum ſuſcipere, tenetur prius vel per Contritionem perfectam, vel per Attritionem una cum Sacramento Poenitentiæ ſe in ſtatum Gratiæ reſtituere, alias ſi in peccato mortali ſcienter exiſtens cum ſola Attritione cognita aliquod Vivorum Sacramentum recipiat, non ſolum infructuoſe, ſeu ſine gratia ſanctificante illud recipit, ſed potius de novo graviſſime, & ſacrilege peccat.

26 Immo ad digne, & fructuoſe recipiendum Sacramentum Euchariſtiæ requiritur ut ſcienter exiſtens in peccato mortali præmittat de ipſo Sacramentalem Confeſſionem, nec ſufficit Contritio. *Communiſſima* per text. Apoſtol. 1. *ad Corinth. c.11. n.28.* ibi: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, et de Calice bibat: qui enim manducat, et bibit indigne; judicium ſibi manducat, et bibit non dijudicans Corpus Domini*. Et per textum Concilii Tridentini *ſeſſ.* 13. *c.7.* „ ibi; „ Quare communicare volenti revocandum eſt in me„moriam ejus, *ſcilicet Apoſtoli*, præceptum: Probet ſe „ ipſum homo; Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, „ eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius „ peccati mortalis quamtumvis ſibi contritus videatur abſ„que præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Eucha„riſtiam accedere debeat, quod a Chriſtianis omnibus, „ etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit ce„lebrare, hæc ſancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe de„crevit, modo non deſit illis copia Confeſſoris. Quod ſi „ neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia Confeſſione „ celebraverit, quamprimum confiteatur. Et ibidem Canon. „ 21. *ſic expreſſe habet*: Et ne tantum Sacramentum indi„gne, atque adeo in mortem, & condemnationem ſumatur, „ ſtatuit, atque declarat ipſa Sancta Synodus illis, quos con„ſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam „ ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris neceſſa„rio præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem; Si „ quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaci„ter aſſerere, ſeu etiam publice diſputando defendere præ„ſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.

27 Sublata, ſeu recedente fictione, ideſt dignitate, vel indiſpoſitione ſuſcipientis, reviviſcit Baptiſmus ficte, ideſt cum obice peccati mortalis ſuſceptus: Unde effectus Gratiæ ſanctificantis, qui propter obicem peccati mortalis, ſeu indiſpoſitionem adulti ſuſcipientis tempore ſuſcepti Baptiſmi impeditus fuit, remoto tali obice per veram Pœnitentiam ſtatim confertur. *Communis* cum S. Thom. *q.69. art.10.* ubi ſic habet: *Oportet, quod remota ea per Pœnitentiam*, nempe fictione, *Baptiſmus ſtatim conſequatur ſuum effectum*. Cui conformis eſt Scotus *in 4. q.5. n. 4.* ubi ſic expreſſe ait: *Poteſt dici, quod illa fictio non admittitur niſi per veram Pœnitentiam, ſed ea dimiſſa habet Baptiſmus effectum ſuum*. Et ibidem *n.8.* loquens de eo, qui accedit cum fictione ſubjungit: *Recipit ergo effectum Baptiſmi, quando poenitet*. Unde immerito, & falſo in contrarium eum citat Gonet *diſp. 4. de Baptiſmo art.2.* Et concluſio habetur tota expreſſe ex verbis S. Auguſtini *lib. 1. de Baptiſmo cap.12.* relat. *in cap. Tunc valere 42. diſt.4. de conſecr.* ibi: *Tunc valere incipit ad ſalutem Baptiſmus, cum illa fictio veraci Confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia, vel Sacrilegio perſeverante, peccatorum abolitionem non ſinebat fieri*; Et ratio eſt quia Baptiſmus ſemel valide ſuſceptus ob impreſſum Characterem eſt initerabilis ex Conc. Florent. *ſeſſ. ultim. in Decr. Eugenii IV.* & Concil. Trid. *ſeſſ.7. Canon.9. cit. art. anteced. n.9.* & ejus effectus, ſcilicet regeneratio ſpiritualis, eſt ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem, Joann. *cap.4. n.1.* ibi; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Et peccata ante Baptiſmum commiſſa per nullum aliud Sacramentum remitti poſſunt, ſed per ipſum ſolum Baptiſmum in re, vel in voto, ut patet ex dictis ſub verb. *Peccatum n.36.* ergo neceſſe eſt, ut Baptiſmus ſemel valide receptus ſine effectu ratione obicis, recedente poſtea obice operetur ſuum effectum, quem antea operari nequit.

28 Etiam alia duo Sacramenta imprimentia Characterem, ſcilicet Confirmatio, & Ordo ſi ficte, ſeu indiſpoſite cum obice peccati mortalis recepta ſint, recedente poſtea per veram Poenitentiam fictione, ſeu obice peccati mortalis reviviſcunt, ſeu conferunt ſuum proprium effectum Gratiæ Sacramentalis. *Sic* expreſſe *S. Th. in 4. diſt.4. q.3. art.2. S.* Bonav. *diſt. 1. p.1. art.13.* quibus conſonat Scotus *in 4. diſt.1. q.5. nu.7.* „ his verbis; „ In quibuſcumque Sacramentis, imprimitur „ diſpoſitio ad effectum principalem; ſi propter obicem in „ ſuſcipiente non cauſatur tunc effectus principalis, ceſſante „ obice, ſufficit diſpoſitio ad illum effectum principalem, ut „ apparet in Sacramentis imprimentibus Characterem, quæ „ propter hoc non ſunt iterabilia. „ Et ſic communior Doctorum; Et ratio eſt, quia etiam illa duo Sacramenta ſunt ſimpliciter initerabilia, & habent effectum ſuum ſibi proprium, ſcilicet Confirmatio gratiam in Fide Chriſti roborantem, Ordo gratiam ad digne, & ſancte adimplenda Miniſteria Sacra cuilibet Ordini annexa, qui effectus ab aliis Sacramentis conferri nequeunt, adeoque hæc duo quoque Sacramenta ſemel valide ſuſcepta ſine effectu ratione obicis, poſtea amoto obice effectum ſuum cauſare, ſeu conferre debent, ne recipiens teneatur carere effectu ipſorum in perpetuum.

29 Etiam Extrema Unctio, & Matrimonium probabilius reviviſcunt recedente fictione. *Sic S.* Thomas *l.c. et diſt.17. q.3. art.4.* cum dixiſſet, Confeſſionem reviviſcere ſublata fictione, addit, idem eſſe in aliis Sacramentis, & colligitur ex Scoto *l.c.* & tenet communior Doctorum. Et ratio eſt, quia cum



etiam

etiam hæc duo Sacramenta ſecundum quid ſint irreiterabilia,
nempe durante eadem infirmitate, & durante vita utriuſque
conjugis, & habeant effectus aliquos ſpeciales ſibi proprios,
ſcilicet Extrema Unctio gratiam delentem peccatorum reli-
quias, & in extremo conflictu roborantem; Matrimonium
Gratiam mutuæ concordiæ conjugum conciliativam, & ad
ferenda onera Matrimonii auxiliativam, nec hi effectus per
alia Sacramenta conferantur, hinc congruum eſt etiam hæc
duo Sacramenta valide ſuſcepta ſine fructu, poſtea amoto
obice, reviviſcere, & dictos ſuos peculiares effectus cauſa-
re; dummodo obex removeatur intra tempus ejuſdem morbi,
vel conjugii, ut tenent Suarez, Lugo, Coninch., Caſtropal.
cum La Croix *lib.6. p.1. n.202.* & plurimi alii.
Pœnitentia autem non reviviſcit recedente fictione, ſeu
30 obice. Sic Scotus *in 4. diſt.1. q.2. §. Contra iſtam opinionem*,
ubi ſic expreſſe habet; „ in ficte Poenitente ceſſante fictione
„ nihil eſt, quod ſufficiat ad effectum veræ Poenitentiæ,
„ alioquin non oporteret talem ficte confeſſum de eiſdem
„ peccatis alias confiteri „. Scotum ſequuntur paſſim Sco-
tiſtæ, & varii alii exteri contra Divum Thomam, & alios;
Et ſic videtur tenere praxis fere univerſalis Confeſſariorum,
qui omnes ſolent exigere a Poenitentibus Confeſſionum fi-
cte factarum repetitionem; Eo vel maxime, quod non da-
tur Sacramentum Poenitentiæ validum, & informe, ut jam
probavimus ſub verb. *Pœnitentiæ Sacramentum art. 2. a nu-
mer. 16. ad 29.* Vid. *ibi*.
31 Eucharistia vero probabilius reviviſcit recedente obice ſi
obex removeatur, antequam conſumptæ ſint ſpecies; Secus
tamen, ſi obex removeatur ſolum, poſtquam jam totaliter
conſumptæ ſunt ſpecies, & Chriſtus jam deſiit eſſe præſens.
Sic communior Doctorum cum Averſa *de Euchariſtia qu. 7.
ſect.1.* Suarez *d.63. ſect.8.* La Croix *lib.6. p. 1. n.250.* Et ra-
tio primæ partis eſt, quia cum in tali caſu ſubjectum jam ſit
diſpoſitum ad gratiam, & cum Sacramento permanente adſit
Auctor omnis gratiæ, dicendum eſt, quod tunc cauſet gratiam.
Ratio autem ſecundæ partis eſt, quia, ſi Euchariſtia revivi-
ſceret, quando obex removetur ſolum, poſtquam ſunt con-
ſumptæ totaliter ſpecies, & Chriſtus jam deſiit eſſe præſens,
ſequeretur, quod Sacerdos, qui toto tempore vitae ſuae quo-
tidie communicaſſet ſacrilege, ſi in fine vitae poeniteret,
acciperet ex opere operato vi tot Communionum ſacrilega-
rum plus gratiae, quam Sacerdos, qui quotidie ſemper digne
communicaſſet, quod nemo dixerit.
32 Sacramenta non cauſant Gratiam phyſice, ſed moraliter,
ideſt Sacramenta non producunt Gratiam ut cauſæ phyſicæ,
ſed ut cauſæ morales, quatenus efficaciter movent Deum
ad producendam Gratiam, quam ſignificant, & quam ipſe-
met Deus ſtatuit dare infallibiliter, quotieſcumque rite con-
fiterentur, & digne ſumerentur. Sic Scotus *in 4. diſt. 1. q. 3.
& 5.* cum omnibus ſuis Scotiſtis, S. Bonaventura, Richar-
dus, Alenſis, Aureolus, Vaſquez, & plurimi alii contra
Thomiſtas, & alios; Et ratio eſt, quia modus operandi ſe-
quitur modum eſſendi; Sacramenta autem ut Sacramenta
ſunt quid morale, cum dependeat ſolum ex inſtitutione Chri-
ſti, a qua, & meritis ejuſdem Chriſti Domini totam ſuam
vim atque efficaciam cauſandi habent, adeoque & illorum
modus operandi erit moralis, & non phyſicus; Tum quia
ex Divo Thoma *1. p. q.45. art.5.* creatura non poteſt creare,
neque principaliter, neque inſtrumentaliter ſaltem phyſice,
quia creare eſt potentiæ infinitæ: Sacramenta autem ſunt
creaturæ, adeoque non poſſunt producere Gratiam ut cauſæ
phyſicæ, quoniam Gratia habet eſſe per creationem: Tum
etiam quia nulla cauſa producit phyſice effectum, niſi phy-
ſice actu exiſtat; Sacramenta autem conferunt Gratiam ali-
quando pro eo tempore, quo non amplius exiſtunt, cum,
ut diximus *ſupra numer. 27.* ex S. Thoma, S. Auguſtino,
Scoto, & communi aliorum Baptiſmus ficte, ſeu cum
obice receptus non cauſet Gratiam pro tempore, quo cum
tali obice peccati mortalis recipitur, ſed ſolum pro tempore
quo per veram Pœnitentiam removetur talis obex, & ſic ſi
quis hodie cum obice reciperet Baptiſmum, & cras obicem
removeret, reciperet cras Gratiam virtute Baptiſmi hodie
ſuſcepti, quod cum non poſſit competere cauſis phyſicis, di-
cendum eſt Sacramenta eſſe tantum cauſas morales, adeo-
que &c.
33 Character Sacramentalis, qui ut diximus *ſupra num.4.* eſt
effectus particularis aliquorum Sacramentorum proprius, im-
primitur ſolum in tribus Sacramentis, ſcilicet Baptiſmo,
Confirmatione, & Ordine. *Communis inter Catholicos*, ex
Concilio Florent. *ſeſſ. ultim.* in *Decreto Eugenii IV.* & Conci-
lio Tridentino *ſeſſ. 7. Canon. 9.* per textus *loc. cit.* adductos.
Cur autem ſola dicta tria Sacramenta, & non alia quatuor 34
imprimant Characterem? Ratio a priori non eſt niſi voluntas
Chriſti Domini ita inſtituentis, quæ nobis ſufficienter conſtat
ex perpetua traditione, & auctoritate Eccleſiæ; Ratio au-
tem congruentiæ deſumitur ex Scoto *in 4. diſt. 6. quæſt. 10.*
quia ſicut in Politia Civili tres tantum ſunt gradus determi-
nati, & ſpeciales; Primus ſcilicet dum admittitur quis in
familiam Principis; Secundus, cum conſtituitur miles ad de-
fendendam Rempublicam; Tertius, dum conſtituitur Officia-
lis Principis; Ita tres ſolum gradus determinati, & ſpeciales
adeoque dignitatem, aut Characterem imprimentes reperiun-
tur in Politia Eccleſiaſtica, Primus ſcilicet dum quis recipi-
tur in Familiam Chriſti, quod fit in Baptiſmo; Secundus,
dum fit Chriſti miles ad defenſionem Fidei Chriſtianæ, quod
fit in Confirmatione; Tertius, dum conſtituitur Dux, aut
unus ex Magiſtratu Familiæ Chriſti, & DiſpenſatorMyſterio-
rum Dei, quod fit in Ordine.
Character eſt *ſignum ſpirituale indelebile animæ impreſſum* 35
*in ſuſceptione Sacramenti initerabilis ſignificans poteſtatem
quamdam ſpiritualem eo Sacramento acquiſitam*. *Eſt in re
Communis*, & deſumitur ex Concilio Florentino *ſeſſ. ultim. in
Decreto Eugen.IV.* & Concilio Trid. *ſeſſ.7. Canon.9.*
Character non eſt pura relatio rationis, aut denominatio 36
extrinſeca. *Communis* ex Concilio Florentino *loc. citat.* ubi
Character vocatur *ſpirituale quoddam ſignum a ceteris diſtin-
ctivum* impreſſum in anima, indelebile, & ex Concilio Tri-
dent. *loc.cit.* ubi character appellatur *ſignum ſpirituale, &
indelebile impreſſum in anima*.
Character neque eſt relatio realis, ſed entitas abſoluta. 37
Sic tenent communius Doctores, & ſignanter celebriores Sco-
tiſtæ, ut Baſſolius, Mayronius, Rubionus, Vorillon, Ni-
colaus de Orbellis, Cavellus, Aretinus, Hyquæus, Pontius,
Maſtrius, Fraſſen, Coen, Dupaſquer, & alii plures; Nec
contrarium Scotus, ut falſo aliqui prætendunt, cum ipſe
*in 4. diſt.6. quæſt.10 num.* 13. reſolvat Characterem eſſe ali-
quid reale, ſed an relativum ſit, vel abſolutum? nihil de-
terminat, cum utrumque problematice defendat, & ſic ple-
nam ſuis relinquat opinandi libertatem, ut patet ex ſequen-
tibus ſuis præciſis verbis: *Utrumque ſalvari poteſt, quod ſit
ſcilicet forma reſpectiva, ſicuti jam oſtenſum eſt, vel quod ſit
forma realis abſoluta*.
Character Sacramentalis non ſubjectatur in anima ſub ra- 38
tione formali animæ. *Communis*, cum S. Thoma *quæſt. 63.
art.4.* & Scoto *in 4. diſt.6. quæſt.11. num.3. & 4.* Character
igitur ſubjectatur in anima ſub ratione formali voluntatis; Sic
Scotus *loc.cit.* cum omnibus ſuis contra Thomiſtas, qui dicunt 39
ſubjectari in intellectu; Ratio autem noſtra eſt, qui in ea
potentia poni debet ſignum obligationis, in qua ponitur obli-
gatio: obligatio autem animæ ad Chriſtum, quæ contrahitur
per Baptiſmum &c. ponitur in voluntate, & non in intellectu,
cum intellectus utpote potentia neceſſaria, & ad unum de-
terminata, non ſit capax præcepti, vel obligationis, adeo-
que &c. Tum quia Character debet poni in illa potentia,
quæ omnes alias potentias movet, & dirigit ad actiones, ad
quas conferuntur Sacramenta; Hoc autem competit volun-
tati inſtar Reginæ omnibus potentiis imperanti, adeoque &c.
Character Sacramentalis de potentia Dei ordinaria eſt in- 40
delebilis, tum in hac, tum in altera vita. *Communis*; Et
ratio eſt, quia alioquin a Conciliis Florentino, & Tridentino 41
*loc.cit.* non poteſt dici abſolute eſſe *Signum indelebile.* Poteſt
tamen deleri de potentia Dei abſoluta tam in hac, quam
in altera vita. *Communis*. Unde Scotus *in 4. diſt.6. q.9. n.20.*
ſic expreſſe habet: *Nulla forma poteſt eſſe in anima, quam
non poſſit Deus de potentia abſoluta delere, quia in hoc nulla
inveniri poteſt contradictio*.
Sacramenta denegari nequeunt mulieribus menſtruatis. 42
Benedict.XIV. tom. 1. Conſtit. 107. incip. *Omnium Solicitudi-* 43
*num* §.3. 14. 39. Sacramentorum participatio denegatur oc-
cultantibus Fidei Chriſtianæ profeſſionem cum ſimulatione
Mahumetiſmi. Idem Conſtit. 89. incip. *Inter omnigenas* §. 6. 44
Item mulieribus Chriſtianis in Turcarum contuberniis viven-
tibus abſque Religionis exercitio. Idem *ibid.* §. 7. Item mu- 45
lieribus nulliter nuptiis cum infidelibus, donec in concubinatu
permanſerint. Idem *ibid.* §.13. Item iis, qui uxore ad Tur- 46
cas confugiente, aliam ducere præſumpſerint. Idem *ibidem*
§. 12.
Sacramenta adminiſtrantes, etiam in Eccleſiis Regularium, 47
ſubſunt



ſubſunt viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in his, quæ ſpe-
ctant ad ipſam adminiſtrationem. Idem Conſtitut.109. incip.
48 *Firmandis* §.2. Amplia, etiamſi ipſi non ſint Parochi. Idem
*ibid.* §.3.
49 Sacramentorum ſimulatio licita non eſt, etiam ad evitan-
dum mortis periculum. Idem tom.2. Conſtit. 18. incip. *Po-
ſtremo menſe* §.20. & 21.
50 SS. Sacramectum Euchariſtiæ publicæ Fidelium veneratio-
ni exponendum non eſt, ſine licentia Epiſcopi, ſeu Ordina-
rii loci; Idem Conſtitut.5. incip. *Accepimus*.
51 Sacramentorum materiam, & formam adhibere circa ſub-
jectum capax, abſque intentione conficiendi Sacramentum,
52 eſt omnino illicitum, Idem Conſtitut. incip. *Ex quo primum*,
§.56. Sacramentum, ſi partes ſubjecti ſejunctæ ſint, valide,
& licite conferri poteſt a pluribus Comminiſtris, materiam,
& formam ſeorſim, & diverſis partibus applicantibus. Idem
in d. Appendice, Conſtit. incip. *Peracta*, §. 15. ubi aſſerit,
quod legitima concurrente cauſa, ut inſtans periculum vitæ
infirmi, etſi Ritualia obſtent, nedum valide, ſed etiam licite
hodie in Eccleſia Occidentali Sacramentum Extremæ Un-
ctionis adminiſtretur a pluribus Sacerdotibus, quorum unus
unum organum ſenſus inungat, proferatque formam, aliiſque
idem præſtent ſuper aliis ſenſuum organis. Vide ad id jam
tradita a nobis in Tomo tertio, verb. *Extrema Unctio, a
num.29. ad 33.*

*Novæ Additiones ex aliena manu.*

1 E Philoſophia etiam peripatetica deſumpta ſunt, quæ ſcho-
laſtici diſputant de effectibus Sacramentorum, tum &
maxime de eo, quomodo, & quando Sacramenta producant
gratiam. Confer *Vanespen Jur. Eccleſ. univ. part. 2. tit. 1.
cap.1. §.6.*
Inter effectus Sacramentorum recenſetur & *character*, iſque
2 effectus tribus tantum Sacramentis tribuitur, *Baptiſmo, Con-
firmationi, & Ordini*; Concilium Tridentinum *ſeſſ.7. de Sa-
cram. in gener. can.9.*
3 In quo vero conſiſtat characteris eſſentia, non conveniunt
4 inter ſe Theologi, & Canoniſtæ, Dixit utique Concilium
Tridentinum *loco mox citato* imprimi per dicta tria Sacramen-
ta *characterem in anima, hoc eſt ſignum ſpirituale, & inde-
5 lebile*. Sed quid ſit ſignum hoc, magna eſt diſſenſio. *Veri-
6 ſimilius eſt* (ait *Vaneſpen ubi ſupra* §.11.) *aliud dicere noluiſſe
Synodum, niſi quod per hæc Sacramenta imprimatur in anima
ens quoddam morale, quale ſolet imprimi dum quis ad digni-
tatem, aut ad conditionem aliquam ſtabilem, & permanen-
tem aſſumitur, ut ex.gr. ad dignitatem doctoralem, rega-
lem &c. In horum enim adoptione, & collatione accedit, ipſi
accipienti hujuſmodi dignitatem, vel conditionem quoddam ens
morale, ratione cujus perpetuo reputatur Rex, Doctor &c.*
7 At, ſi dicendum quod res eſt, nec ipſe *Vaneſpen* ſatis ex-
8 plicat quid ſit ſignum hoc ſpirituale, & indelebile. Retinea-
mus autem eum, qui ex charactere fluit, effectum, quod
ſcilicet tria hæc Sacramenta non ſint reiterabilia, & non cu-
remus de explicatione mox dicti ſigni *ſpiritualis, & inde-
lebilis*.
Cæterum tametſi dicta tria Sacramenta haud reiterentur,
9 tamen ſi rationabiliter de eorum valida collatione dubitetur,
reiterari poſſunt, Et quod notandum eſt, antiquitus ſine
10 ulla conditionis expreſſione reiterabantur, ut *Vaneſpen eodem
loco* §.15. monſtrat *ex Canon.1. Concilii Carthaginenſis V.* In-
11 valuit vero poſtmodum, ut reiterarentur ſub expreſſa condi-
tione *ſi ſuſcepta non ſint*. Sed neſcitur quo tempore reite-
12 rari dd. tria Sacramenta cœperint ſub dicta conditione. Haud
improbabile vero eſt, ea ita reiterari cœpiſſe ex quo reſpon-
ſum *Alexandri III.* de quo *in c. 2. de Baptiſmo* Decretalibus
Gregorii IX. inſertum fuit. In eo enim habetur: *De quibus
13 dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præ-
miſſis: Si baptizatus es, non te baptizo; Sed ſi non dum bapti-
zatus es, te baptizo*.
Recte vere monet *Rituale Romanum ſub titulo de forma
14 Baptiſmi: Hac tamen conditionali forma non paſſim, aut le-
viter uti licet, ſed prudenter, & ubi re diligenter perveſti-
gata probabilis ſubeſt dubitatio infantem non fuiſſe baptizatum.*

## SACRA SCRIPTURA.

Vide infra *Scriptura Sacra*.

## SACRIFICIUM.

SAcrificium in genere ſumitur dupliciter, ſcilicet late, ſeu 1
improprie, & ſtricte, ſeu proprie; *Communis*. Sacri- 2
ficium late, ſeu improprie ſumptum eſt quodlibet opus bo-
num in Dei honorem, & cultum relatum, ut ſunt Orationes,
Laudes, Adorationes, cæterique actus virtutum præſertim
Religionis; Et in hoc ſenſu Sacrificium complectitur Juſti-
tiam, juxta illud *Pſalm.4. num.2. Sacrificate Sacrificium ju-
ſtitiæ*. Item internum animi dolorem propter Dei offenſam,
juxta illud *Pſalm.50. num.9. Sacrificium Deo ſpiritus contri-
bulatus*. Item externam laudem in Deum relatam, juxta
illud *Pſalm.46. num.23. Sacrificium laudis honorificabit me*.
In ſimili ſenſu loquitur Paulus *ad Hebræos c.13. n.15. Per ipſum
ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, ideſt fructuum la-
biorum confitentium nomini ejus*. Sacrificium ſtricte, ſeu pro- 3
prie ſumptum eſt peculiaris actus virtutis Religionis, quo
ſpeciali quodam modo recognoſcimus ſummam Dei excellen-
tiam, ſupremumque ejus Dominium, & noſtram ad ipſum
ſubjectionem per oblationem, & deſtructionem alicujus rei
ſenſibilis. Et Sacrificium hoc modo ſumptum, de quo hic 4
eſt ſermo, ſic definitur: *Sacrificium ſtricte, ſeu proprie ſum-
ptum eſt oblatio externa rei ſenſibilis legitime inſtituta, & a
Miniſtro legitimo facta ſoli Deo per deſtructionem, vel notabi-
lem ipſius rei oblatæ immutationem in recognitionem noſtræ
totalis ad ipſum ſubjectionis, ſupremique ipſius in nos, & res
omnes Domini*; *Eſt in re Communis*.
Dicitur primo *Oblatio externa rei ſenſibilis*, quia Sacrifi- 5
cium eſt cultus Dei exterior proteſtativus ſupremi ejus Do-
minii etiam coram hominibus, qui nonniſi ſenſibilibus com-
municant inter ſe.
Dicitur ſecundo *legitime inſtituta*, quia cum Sacrificium 6
ſit ſignum publicum proteſtativum ſupremi Dei Dominii, &
ſpecialis Dei cultus nomine totius Communitatis Deo exhi-
bendus, & ſigna communia, & cultus publici per publicam,
& legitimam auctoritatem inſtitui debeant, ideo & ipſum
Sacrificium debet eſſe inſtitutum publica, & legitima aucto-
ritate, & per hoc Sacrificium differt a Martyrio, quod non
eſt publica auctoritate inſtitutum.
Dicitur tertio *Et a Miniſtro legitimo*, quia cum Sacrificium 7
ſit ſpecialis Dei cultus, nomine totius Communitatis ei exhi-
bendus, requiritur, quod ad hoc ſit aliquis ſpecialiter depu-
tatus tamquam legitimus Miniſter; Unde non ſolum in lege
Evangelica ſunt ad id deputati ſpeciales Miniſtri, nempe
Sacerdotes, *ex cap.Firmiter credimus 1. de Summa Trin. &
Fide Catholica*, & Conc. Trid. *ſeſſ.23. cap. & Canon.* 1. ſed
etiam in Lege ſcripta Sacrificia offerebantur a Miniſtris ad
hoc ſpecialiter deputatis, ut patet *Num.3.* & qui ſine tali de-
putatione Sacrificia offerre tentarunt, divinitus ſunt puniti,
ut patet de Saule 1. *Reg.* 13. & Ozia 2. *Paral.* 26. Et etiam
in Lege naturæ fuiſſe aliquos ſpecialiter deputatos colligitur
*ex Geneſi* 14. ubi Melchiſedech dicitur obtuliſſe panem, &
vinum, & ratio additur: *Erat enim Sacerdos Dei Summi*; Et
tales Sacerdotes pro tunc ſecundum communem opinionem
erant Principes familiarum, & Filii Primogeniti, & aliqui
alii, qui ex inſpiratione Divina Sacrificia obtulerunt, ut
Abel legitur *Geneſ.* 4.
Dicitur quarto *Facta ſoli Deo*, quia cum Sacrificium ſit 8
actus virtutis Religionis, & quidem ſupremæ ejus ſpeciei,
quæ dicitur *Latria*, ideo ſoli Deo offerri poteſt. Unde
quamvis celebrentur Miſſæ in honorem Beatiſſimæ Virginis,
& Sanctorum, non tamen illis Sacrificium offerri poteſt, ut
docet Concilium Trid. *ſeſſ.22. cap.* 3. ibi: *Quamvis in hono-
rem, & memoriam Sanctorum nunnullas interdum Miſſas Ec-
cleſia celebrare conſueverit, non tamen illis Sacrificium offerri
docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos di-
cere ſolet: Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule; ſed Deo
de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat,
ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memo-
riam facimus in terris*.
Dicitur quinto *Per deſtructionem, vel notabilem ipſius rei* 9
*oblatæ immutationem*, quia ad rationem Sacrificii proprie
dicti requiritur, vel quod res oblata phyſice deſtruatur, vel
ſaltem moraliter notabiliter immutetur, ita ut res oblata ac-
cipiat alium ſtatum, & reddatur omnino inutilis ad proprios
uſus, ſeu functiones naturales; Sic olim ab Hebræis oves ve-
riſſime ſanctificabantur, quando realiter percuſſæ deſtrue-
bantur; Et in Libaminibus vinum, & oleum vere ab ipſis
ſacri-

ſacrificabatur, quando eſſundebatur in terram circa Altare Domini; Nam tunc ponebatur in ſtatu corruptionis, & notabilis immutationis, & licet non ſtatim ſubſtantialiter corrumperetur, donec ſiccaretur, tamen acquirebat ſtatum inutilem ad ſuum uſum naturalem, & humanum.

10 Dicitur ſexto, & ultimo *In recognitionem noſtræ totalis ad ipſum ſubjectionis, ſupremique ipſius in nos, & res omnes Dominii*, quia ideo per Sacrificium res ſenſibilis deſtruitur, vel notabiliter immutatur, ut conteſtemur noſtram totalem ad Deum ſubjectionem, & ſupremam ipſius poteſtatem ſuper nos, & res omnes, plenumque ipſius Dominium vitæ, & mortis, ita ut tam facile poſſit nos, & omnia immutare, vel deſtruere, quam facile nos rem aliquam noſtram immutamus, & deſtruimus.

11 Sacrificium varie dividitur; Primo ratione materiæ dividitur in *Victimam*, ſeu *Hoſtiam*, in *Immolationem*, & in *Libamen*. *Victima*, ſeu *Hoſtia* dicebatur Sacrificium, quo in veteri Lege Deo offerebantur animalia, ſive fuiſſent quadrupedia, ſive volatilia, & inter volatilia præcipue offerebantur Columbæ, Turtures, & Paſſeres; inter quadrupedia vero Boves, Oves, & Capræ. *Immolatio* dicebatur Sacrificium, quo Deo offerebantur res inanimes, ſed ſolidæ, ut fruges terræ, panes, thura, & hujuſmodi. *Libamen* dicebatur Sacrificium, quo Deo offerebantur res inanimes, ſed liquidæ, ut vinum, oleum, ſanguis, & hujuſmodi.

12 Secundo ratione formæ, ſeu modi, quo fiebat, dividitur in *Holocauſtum*, *Hoſtiam pacificam*, & *Hoſtiam pro peccato*. *Holocauſtum* dicebatur Sacrificium, in quo tota res oblata deſtruebatur, ſeu comburebatur, & in fumum reſoluta ſurſum ad Deum aſcendebat, ut nihil inde cederet in uſus hominum. *Hoſtia pacifica* dicebatur Sacrificium, in quo una pars rei oblatæ comburebatur in honorem Dei, altera cedebat in uſum Sacerdotum, & tertia in uſum ipſorum offerentium. *Hoſtia pro peccato* dicebatur Sacrificium, in quo una pars rei oblatæ comburebatur, & altera cedebat in uſum Sacerdotum tantum eo in atrio Templi veſcentium.

13 Tertio ratione finis, quo fiebat, dividitur in *Latreuticum*, *Euchariſticum*, *Impetratorium*, & *Satisfactorium*. Sacrificium *Latreuticum* dicebatur illud, quod per ſe totum in Dei cultum, & honorem exhibebatur. *Euchariſticum* dicebatur illud, quod fiebat pro beneficiis obtinendis, ſcilicet pro obtinendis bonis, & avertendis malis. *Satisfactorium* dicebatur illud, quod offerebatur Deo in ſatisfactionem pro peccatis.

14 Omnia dicta Sacrificia modo coadunata ſunt in uno Tremendo, & Incruento Miſſæ Sacrificio; *Communis inter Catholicos*; Unde Sanctus Leo *ſerm. 8. de Paſſione* ſic ait: *Carnalium Sacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias Hoſtiarum una Corporis, & Sanguinis implet Oblatio.* Et Eccleſia in Secreta Miſſæ poſt Dominicam VII. Pentecoſtes ſic orat: *Deus, qui Legalium differentiam Hoſtiarum unius Sacrificii perfectione ſunxiſti*, & expreſſius idipſum docet Conc. Trid. *ſeſſ.22. cap.1.* ibi: *Hæc denique illa munda oblatio eſt, quæ per varias Sacrificiorum Naturæ, & Legis tempore ſimilitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia per illa ſignificata, veluti illorum omnium conſummatio, & perfectio complectitur.*

15 Quamvis unicum tantum ſit Sacrificium novæ Legis, ſeu Miſſæ, ratione unius tantum rei oblatæ, quæ eſt ipſe Chriſtus; Ratione tamen modi offerendi eſt duplex, ſcilicet *Cruentum* dicitur, quo Chriſtus in Cruce ſeipſum obtulit Deo cum reali effuſione Sanguinis, mactatione, & morte violenta. Sacrificium *Incruentum* dicitur, quo Chriſtus offertur Deo abſque reali effuſione Sanguinis, & morte violenta; ſed modo Incruento, myſtico, ſeu repræſentativo in omnibus Miſſæ Sacrificiis; *Communis* ex Trid. *ſeſſ. 22. cap.2.* ibi: *In Divino hoc Sacrificio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruente immolatur, quia in Ara Crucis ſemel ſe ipſum cruente obtulit.*

16 Sacrificium Miſſæ propter diverſos fines dividitur in *Latreuticum*, *Euchariſticum*, *Satisfactorium*, & *Impetratorium*. *Latreuticum* dicitur, quatenus per ſe offertur in Dei cultum, & honorem, & in conteſtationem ejus ſupremi Dominii, tamquam finem principalem Sacrificii. *Euchariſticum* dicitur, quatenus offertur Deo in gratiarum actionem pro beneficiis receptis. *Satisfactorium*, quatenus offertur Deo in ſatisfactionem pro peccatis. *Impetratorium* dicitur, quatenus offertur Deo pro beneficiis impetrandis, ſeu obtinendis, ideſt pro obtinendis bonis, & avertendis malis.

17 Propter autem iſtos diverſos fructus, & effectus ſuos Sacrificium Miſſæ dividitur in *Propitiatorium*, ſeu *Meritorium*, in *Satisfactorium*, & *Impetratorium*, de quibus ſub verb. *Miſſa art. 1. a n.4. ad 7.* Vide *ibi*.

18 Sacrificium dicitur *quaſi Sacrum factum*; *cap. Multi ſæcularium* 84. *cauſ.1. quæſt.1.* ibi: *Sacrificium autem* (dicitur) *quaſi ſacrum factum, quia prece myſtica conſecratur pro nobis in memoriam Dominicæ Paſſionis.*

19 Miſſa dicitur a verbo *Mitto*, quia in illa preces, ſupplicationes, vota, imo & ipſum Chriſti Corpus, & Sanguis mittuntur ad Deum; Unde S. Gregorius *lib.4. Dialogorum cap.58.* ſic expreſſe habet: *Dicitur Miſſa quaſi tranſmiſſio, eo quod populus fidelis per miniſterium Sacerdotis, qui fungitur vice Mediatoris inter Deum, & homines, preces, & ſupplicationes, & vota tranſmittat Altiſſimo; Ipſum vero Sacrificium, ideſt Hoſtia, Miſſa vocatur, quaſi tranſmiſſa.*

20 Sacrificium Miſſæ a Chriſto eſt inſtitutum, et hoc in nocte Cœnæ, et eſt Deo gratiſſimum; Concil. Senonenſ. *cap.11.* et Concil. Trid. *ſeſſ.22. cap.1.*

21 In Sacrificio Miſſæ eſt eadem Hoſtia, quæ in Cruce; Conc. Trid. *ſeſſ.22. cap.2.*

22 In Sacrificio Miſſæ continetur Chriſtus incruente, et immolatur; Concil. Trid. *ſeſſ. 22. cap.2.*

23 Sacrificii Miſſæ oblatio non præjudicat Sacrificio facto a Chriſto in Cruce; Concil. Trid. *cit. ſeſſ.22. cap.2. & Can. 4.* ibi: *Si quis dixerit, blaſphemiam irrogari Sanctiſſimo Chriſti Sacrificio in Cruce peracto per Miſſæ Sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema ſit.*

24 Sacrificium in pane, et vino conſecratis obtulit etiam Chriſtus; Concil. Senonenſ. *cap.11.* et Concil. Trid. *ſeſſ. 22. cap.1.* Et ſic faciendum præcepit Apoſtolis, et Succeſſoribus; *ibidem cap.1.*

25 Sacrificium Miſſæ a D. Jacobo Apoſtolo fuit ordinatum, ſeu diſpoſitum quo ad ritum, et celebrationem; *cap. Jacobus 47. diſt.1. de Conſecret.* et habetur per extenſum *in Conſt. Apoſtol. lib.8. cap.12. & ſequent.*

26 Ad rite perficiendum Sacrificium Miſſæ Canon fuit ab Eccleſia inſtitutus ex Chriſti verbis, et Apoſtolorum traditione; Concil. Trid. *ſeſſ.22. cap.4.*

27 Cæremoniæ, quæ in Sacrificio Miſſæ fiunt, ex Apoſtolorum traditione habentur; *cap. Eccleſiaſticorum 5. diſt. 11.* Concil. Trident. *ſeſſ. 22. cap. 5.* 28 Sic veſtes, Benedictiones, Thymiamata; Concil. Trident. *ibidem cap.5.*

29 Sacrificium Miſſæ non poteſt fieri vulgari lingua; Concil. Trid. *ſeſſ.22. cap.8. & Canon.9.* 30 In Sacrificio Miſſæ quædam dicenda ſunt clara, & alta voce, & quædam ſubmiſſa; Concil. Trid. *ſeſſ.22. cap.5. & Canon.9.*

31 Sacrificium Miſſæ ab Apoſtolis cœpit fieri poſt Aſcenſionem Chriſti in Cœlum; *lib. 8. Conſtit. Apoſt. cap. ult.* ibi: *Nos vero poſt Aſſumptionem ejus offerentes, ut idem conſtituit, Sacrificium mundum, & incruentum elegimus Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos ſeptem.*

32 Miſſa olim dividebatur in duas partes, ſcilicet in Miſſam Cathecumenorum, & Miſſam Fidelium. *Miſſa Cathecumenorum* durabat a principio Miſſæ uſque ad Offertorium excluſive, & fuit ſic dicta, quia tandiu, & non ultra Cathecumenis intereſſe licebat. Poſt Evangelium enim ante Offertorium, quo incipiebat Miſſa Sacra, Diaconus publica voce clamabat *Ite Miſſa eſt*, quibus auditis ab Eccleſia excludebantur Cathecumeni, Energumeni, ac publice Pœnitentes, quibus non licebat intereſſe Conſecrationi Corporis, & Sanguinis Domini Noſtri JESU CHRISTI. *Miſſa Fidelium* incipiebat ab Offertorio, & durabat uſque in finem. Unde ob hanc veterem Miſſæ diviſionem etiam nunc tota Sacra Actio ſolet quandoque dici in plurali *Miſſarum ſolemnia*, quamvis etiam Miſſa in ſingulari pro noſtro jam communi uſu intelligendi ſufficienter ſignificet, & denotet totam illam Actionem Sacram, quæ in Miſſa a principio uſque in finem peragitur; Et hinc poſt totam illam Sacram Actionem in fine Celebrans, aut Diaconus dicit: *Ite Miſſa eſt*; quibus inſinuatur, & ſignificatur, Hoſtiam ſacram jam eſſe plene oblatam, miſſam, ſeu tranſmiſſam ad Patrem, & ideo omnibus eſſe jam liberam miſſionem, ſeu dimiſſionem, ac licentiam abeundi.

33 Miſſa eſt *verum, & unicum novæ Legis Sacrificium, quo a Sacerdote rite ordinato Corpus, & Sanguis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini ex ejus inſtitutione certo ritu pro ſalute vivorum, & Defunctorum Deo offertur, immolatur, & ſumitur*; Sic in re *Communis Theologorum*. Et ſumitur ex Concil. Trid. *ſeſſ.22. cap.1. & 2. & Canon.1. 2. & 3.*

Prin-



34 Principalis Offerens Miſſæ Sacrificium eſt Chriſtus Dominus, quamvis illud offerat Sacerdotum miniſterio; *Communis Catholicorum*, & habetur clare ex Concil. Florent. *ſeſſ. ult. in Decreto Eugenii IV.* & Concil. Tridentin. *ſeſſ. 22. cap. 2*, ubi expreſſe dicit: *Una eſt, eademque Hoſtia, idem nunc Offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa.* Et id ipſum clare demonſtrant verba Conſecrationis, ubi Sacerdos non nomine proprio, ſed in perſona Chriſti loquens dicit. *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus &c.*

35 Minus principalis Offerens Miſſæ Sacrificium eſt Sacerdos Celebrans, ut proximus, & immediatus Chriſti Miniſter, & Vicarius; *Communis*, & clare conſtat ex adductis verbis Concilii Tridentini: *Idem nunc Offerens Sacerdotum miniſterio*, & ex eo, quod Sacerdos per Ordinationem accepit poteſtatem a Chriſto, ut in ejus perſona hoc Sacrificium offerret; Unde Chriſtus Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio Succeſſoribus, juxta Trident. *ſeſſ.22. cap.1.* præcepit, ut Sacrificium offerrent, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*; Cum autem Sacerdos in perſona Chriſti loquens hoc conficiat Sacramentum, & Sacrificium, ut patet ex verbis Conſecrationis: *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus*, hinc non eſt principalis Offerens, ſed poſt Chriſtum, qui eſt offerens principalis, immediatus, & proximus ejus Miniſter, & Vicarius.

36 Etiam cæteri alii Fideles non Sacerdotes aliquo modo, licet minus proprie hoc Sacrificium offerunt; *Communis*, & habetur expreſſe ex verbis Innocentii III. *lib. 3. de Myſter. Miſſæ capit. 6.* ibi: *Non ſolum offerunt Sacerdotes, ſed & univerſi Fideles, nam quod ſpecialiter adimpletur miniſterio Sacerdotum, hoc univerſaliter agitur voto Fidelium*, Unde *in Canone Miſſæ* dicitur; *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis*; Et infra. *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ ſed & cunctæ familiæ tuæ.* Unde Fideles dicuntur offerre hoc Sacrificium dupliciter; Primo ratione quadam generaliſſima tamquam membra Eccleſiæ, cujus nomine Sacerdos offert Deo hoc Sacrificium; Secundo ratione quadam magis ſpeciali, & particulari, quatenus ſpeciali quadam cooperatione ad ejus Oblationem concurrunt, vel dando pro tali Sacrificio eleemoſynam, ſeu honorarium, vel neceſſaria ſuppeditando, vel Sacerdoti Sacrificanti inſerviendo, & hujuſmodi.

37 Hoſtia, & res Oblata principalis, ſeu id, quod proprie, & principaliter offertur in Sacrificio Miſſæ, eſt Corpus, & Sanguis Chriſti, atque ipſe Chriſtus, ut conſtitutus ſub ſpeciebus panis, & vini vi actionis conſecrativæ; *Communis inter Catholicos*; Et expreſſe habetur ex Concil. Trid. *ſeſſ.22. c.1.* ubi expreſſe dicit, quod Chriſtus *Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum Symbolis, Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituit ut ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque ſucceſſoribus in Sacerdotio, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit.* Et *idem Canon. 2.* expreſſe definitur: *Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem: Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem ſuum, anatema ſit.*

38 Subſtantia panis, & vini in Sacrificio Miſſæ eſt Hoſtia miminus principalis, ſeu materia, ex qua fit Hoſtia principalis hujus Sacrificii; *Communis*. Panis enim, & vinum, cum deſtruantur, ut in teſtimonium Divinæ Excellentiæ Chriſti Corpus, & Sanguis ponantur ſub ſpeciebus, vere poſſunt dici deſtrui in honorem Dei, & in teſtimonium Divinæ Excellentiæ ſaltem mediate; Unde Eccleſia volens deſignare, quod etiam panis, & vinum aliquo modo in Miſſa offerantur, ſicque pertineant ad rem, quæ ſacrificatur, in Miſſæ Offertorium ſic orat: *Suſcipe Sancte Pater hanc immaculatam Hoſtiam*, præſentando ſimul panem conſecrandum, Et infra: *Offerimus tibi Domine Calicem ſalutaris*, elevando vinum conſecrandum.

39 Quamvis variæ Actiones interveniant in Miſſæ Sacrificio, ut Oblatio panis, & vini, Conſecratio, Oblatio Corporis Chriſti poſt Conſecrationem, quando Sacerdos dicit; *Unde & memores Domine . . . . offerimus præclaræ majeſtati tuæ &c.* Specierum mixtio, Fractio, diſtributio, 40 Sacerdotis Communio; Et tres communiter aſſignentur partes Miſſæ, ſcilicet prima pars ab Introitu uſque ad Offertorium excluſive, quæ olim dicebatur Miſſa Cathecumenorum, ſecunda pars ab Offertorio, totus Canon uſque ad Sumptionem incluſive, tertia pars a Poſt-Communione uſque in finem. 41 Tamen ſola Conſecratio eſt eſſentialis pars, immo tota eſſentia hujus Sacrificii; ſeu eſſentia Sacrificii Miſſæ conſiſtit in ſola Conſecratione. Sic Sporer *tom.3. part.2. cap.2 num.84.* ubi vocat hanc concluſionem communiſſimam Theologorum & Sanctorum Patrum, Henno *tom.2. diſp. XI. q.3. concluſ.4.* ubi aſſerit eſſe communiorem cum D. Thoma *quæſt.82 art. 4. ad 1. & art.10. ad 1.* Sannig. *diſt.5. de Miſſa q.4. numer. 5.* Herincx *diſp.8. de Euchariſtia quæſt.3. num.42.* Reiffenſtuel. *Theol. moral. tract. 14. diſt. 5. quæſt.3. num.34.* cum communiori Theologorum contra Bonacinam *diſp. 4. de Euchariſtia quæſt. ultim. punct. 2. num.1.* dicentem, quod partes eſſentiales Sacrificii Miſſæ ſint Conſecratio, Oblatio, & Sumptio; & contra aliquos alios tenentes etiam ſumptionem a celebrante peractam ſpectare ad eſſentiam Sacrificii Miſſæ.

42 Probatur ex Sanctis Patribus, & primo ex S. Irenæo *lib.4. contra Hæreſes c.32.* ubi dicit: *Chriſtum docuiſſe novi Teſtamenti novam Oblationem, quando dixit: Hoc eſt Corpus meum*; Deinde ex S. Chryſ. *homilia de proditione Judæ*, ubi dicit *Verba Domini*; *Hoc eſt Corpus meum uſque in finem mundi præſtare Sacrificio firmitatem*. Item ex divo Ambroſio *lib.4. de Sacrament. cap.4.* ubi ait: *Sermo Chriſti*, ideſt Conſecratio, *hoc conficit Sacramentum*. Item ex D. Thoma *quæſt. 81 art.4. ad 1.* ubi expreſſe dicit; *Conſecratio Chriſmatis, vel cujuſcumque alterius materiæ non eſt Sacrificium, ſicut Conſecratio Euchariſtiæ*, & ibidem *art.10. ad 1. Hoc Sacramentum perficitur in Conſecratione Euchariſtiæ, in qua offertur Sacrificium*, & conſimiliter loquuntur paſſim alii Sancti Patres, adeoque &c.

43 Probatur ratione, quia Sacrificium Miſſæ fieri debet, & de facto fit, ac perficitur a Sacerdote in perſona Chriſti, qui eſt principalis Offerens, ut dictum eſt *ſupra num.34.* Atqui Conſecratio eaque ſola fit in perſona Chriſti, in qua Sacerdos loquitur, tamquam ipſe ſit Chriſtus dicens: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus*, ergo &c. Tum quia in ſola Conſecratione perfecte reperitur immutatio Hoſtiæ in Dei cultum quatenus Corpus, & Sanguis Chriſti ſuccedunt in locum panis, & vini tamquam Hoſtiæ minus principalis deſtructæ, atque in ipſa ſola Conſecratione fit immutatio ſeu deſtructio Hoſtiæ principalis myſtica, & repræſentativa Sacrificii cruenti ac mortis Chriſti, quatenus in ipſa Conſecratione per diverſas ſpecies per ſe, & vi verborum Corpus velut mortuum, & Sanguis velut effuſus incruente repræſentatur, adeoque &c. Unde Feria 6. Paraſceves proprie non fit Sacrificium, quia ibi non fit Hoſtiæ Conſecratio, ſed ſumitur ſolum Hoſtia pridie conſecrata.

44 Hinc eſſentia Sacrificii Miſſæ non conſiſtit in Oblatione ſive panis, & vini ante Conſecrationem, ſive Corporis & Sanguinis poſt eamdem. *Communior Doctorum.* Immo *Communis* teſte Sporer *loc cit. num.85.* Et ratio eſt, quia neutra Oblatio eſt Hoſtiæ immutativa, neutra a Chriſto, qui tamen hoc Sacrificium obtulit, adhibita eſt, adeoque neutra ſpectat ad veram eſſentiam Sacrificii Miſſæ, cum utraque inſtituta ſit ab Eccleſia, quæ non poteſt aliquid inſtituere, & mutare quo ad eſſentiam Sacramentorum, ex Concilio Trid. *ſeſſ22. cap.2* & conſequenter neque ad eſſentiam hujus Sacrificii.

45 Neque Sumptio Hoſtiæ, ſeu Sacramenti, quæ fit a Sacerdote celebrante, ſpectat ad veram eſſentiam Sacrificii Miſſæ. Quamvis tamen aliquo modo ſit de ejus integritate. Sic Reiffenſtuel *loc. cit. num. 36.* Henno *loc. cit. concluſ. 3.* Sporer *loc. cit. num.86.* ubi dicit hanc eſſe communiorem, & veriorem ſententiam Doctorum contra Bellarminum, Lugonem, & alios non paucos. Et ratio primæ partis eſt, quia Sacrificium eſſentialiter, ſeu quo ad ſua eſſentialia fit in perſona Chriſti; Sumptio autem non fit in perſona Chriſti, ſicut Conſecratio, ut de ſe patet, adeoque &c. Tum quia Sumptio, ſeu manducatio eſt ſolum participatio Sacrificii jam peracti, adeoque non eſt ipſum Sacrificium. 46 Tum etiam quia certum eſt de Fide ex Trid. *ſeſſ.22. c. 1.* Chriſtum in ultima Cœna ſacrificaſſe, & tamen valde incertum eſt, an communicaverit, adeoque ex Concilio colligitur Communionem Sacerdotis non eſſe de eſſentia hujus Sacrificii, cum aliquid incertum non poſſit eſſe de Fide. Secunda autem Concluſionis pars colligitur *ex cap. Relatum 10. diſt.2 de Conſecratione*, ubi ex Concilio Toletano XII reprehenduntur Sacerdotes, qui non communicabant ſemper, quando ſacrificabant, & expreſſe dicitur: *Quale erit illud Sacrificium, cui nec ipſe Sacrificans particeps eſſe cognoſcitur?* Quibus verbis non utique inſinuatur ſacrificium ſine Communione non eſſe verum ſacrificium (alias conficiens non vocaretur ibi *Sacrificas*) ſed ſolum inſinuatur non habere ſacrificium complementum ultimatum, ad quod res

ſacri-

ſacrificata ordinatur, adeoque Communio Sacerdotis eſt aliquo modo de integritate ſacrificii Miſſæ, quamvis non ſpectet ad veram ejus eſſentiam.

48 Neque aliæ omnes ſacræ Actiones, quæ in Miſſa peraguntur, pertinent ad eſſentiam ſacrificii; *Communis*. Et colligitur ex Concilio Tridentin. *ſeſſ.22. cap.5*, ubi dicit, quod pleræque ſunt piæ quidem, ſed ſolum accidentales Cœremoniæ, Rituſque ſacri ab Eccleſia inſtituti: *Ex Apoſtolica Diſciplina, & traditione, quo & majeſtas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes Fidelium per hæc viſibilia Religionis, & Pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, completionem excitarentur.*

49 Conſecratio utriuſque ſpeciei non eſt de eſſentia ſacrificii Miſſæ, ut ſacrificium eſt præciſe, ſeu Conſecratio utriuſque ſpeciei panis, & vini non eſt de neceſſitate Sacramenti (a); *Communis ac certa*. Et ratio eſt clara, quia formæ Conſecrationis panis, & vini ſunt a ſe invicem independentes in ſignificando, & conſequenter etiam in cauſando verum Sacramentum; Adeoque quomodocumque alterutra ſpecies ſolum conſecretur, ſive per oblivionem, ſive per ignorantiam, vel malitiam, ſive per impoſſibilitatem alterius ſpeciei, valide conſecratur, & verum Sacramentum efficitur eſſentialiter in ratione Sacramenti, quamvis non integrum ſit in ratione convivii ſpiritualis. Tum quia panis valide conſecratur, & ſub ejus ſpeciebus realiter, & vere continetur Chriſtus, exhibeturque Populo adorandus, antequam conſecretur vinum, adeoque &c.

50 Conſecratio utriuſque ſpeciei panis, & vini eſt de neceſſitate præcepti Divini. *Communis*. Conſtat enim ex facto ipſo Chriſti utramque ſpeciem conſecrantis, & adjuncto præcepto, *Hoc facite in meam commemorationem*: Unde Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 1.* ſatis indicat conſecrationem utriuſque ſpeciei eſſe de Jure Divino, dum dicit, quod *Deus, & Dominus noſter . . . Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum Symbolis, Apoſtolis, quo, tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam Commemorationem, uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, et docuit.*

51 Unde nunquam licitum eſt conſecrare unam tantum ſpeciem panis v. g. & non vini, etiam in gravi neceſſitate communicandi infirmum, alioquin ſine Viatico moriturum. *Communiſſima Doctorum*, teſte Sporer *tom. 3. part. 2. capit. 3.*

52 *num.* 132. Ac proinde, ut proſequitur *ibidem* Sporer juxta communiorem, & veriorem ſententiam Doctorum, neque Summus Pontifex poteſt diſpenſare, & concedere, ut una tantum ſpecies conſecretur. Et ſic tenet Lugo *tom.5. diſ.19. ſect. 8. num.* 105. dicens ita neceſſariam utriuſque ſpeciei Conſecrationem ad valorem Sacrificii, ut neque ex diſpenſatione Pontificis poſſit licite una ſpecies abſque altera conſecrari, teſtaturque hanc ſententiam tenere communiter Recentiores Theologos, Suarez *diſp. 43. ſect.* 4. Vaſquez *diſ.* 223. *cap.* 3. & alios fere omnes. Ita etiam tenent Reiffenſtuel *Theolog. moral. tract. XIV. diſt. 5. q.2. n.39.* teſtans de probabiliori, & communiori, & ſic plurimi alii. Et conſtat ex tali perpetuo, & communi uſu Eccleſiæ, quem aliquando fuiſſe immutatum nullo ſufficienti teſtimonio probari poteſt.

53 Hinc falſum, & fabuloſum eſt, quod ſcribit Raphael Volaterranus *lib.7. Geographiæ cap.4.* nempe Innocentium VIII. cum Norvegis diſpenſaſſe, *ut ſine vino Calicem conſecrarent*; ſeu ut in una tantum ſpecie panis conſecrarent, quod idem refert Onophrius Panvinius *in Chron. anno* 1490. Et Claudius Sainctes ex eodem Volaterrano *repet.*10. *de Euchariſt. cap.3.* refert Innocentium IV. diſpenſaſſe; Falſitatis enim aperte convincitur ipſe Volaterranus ex ipſamet ſua Hiſtoria, quæ manifeſte falſitatem ſuam prodit, cum dicat conceſſum fuiſſe Norvegis, ut *ſine vino Calicem conſecrarent*, quod abſque manifeſto errore concedi non potuit, ut conſtat, & recte advertit Lugo *loc. cit. num.* 119. Item falſitatis convincitur Volaterranus, ut recte notat Amat de Graveſon *tomo 6. Hiſtor. Ecleſt. fol.* 143. *Romanæ impreſſionis anno* 1720. ex eo potiſſimum, quod nulla illius conceſſionis apud alios Auctores memoria, vel minimum extet veſtigium, & falſa ſit ratio, ob quam hujuſmodi diſpenſationem conceſſa *Volaterranus* ſcribit, quia ſcilicet vinum in eam Regionem importatum ſtatim aceſcat, cum tamen ibi vina generoſiſſima conſervari experientia compertum ſit; Tum quia, ut recte obſervat Bellarminus *lib.4. de Summo Pontifice cap.14. in fine*, mirum videtur, quod Norvegi eo tempore vini uſum non habuerint, ne quidem pro ſacrificando, cum hoc tempore adeo ſit frequens, ut ſine illo ne communicare quidem velint. Si autem aliquod talis diſpenſationis Pontificium Diploma alicubi fuerit publicatum, dicendum eſt cum Bzovio *in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum* 1490. & Graveſon *loco cit.* extitiſſe circa illud tempus nonnullos male feriatos Sacerdotes, qui poſtea combuſti ſunt propter adulterata Pontificia Diplomata, a quibus falſam illam diſpenſationem publicari potuiſſe veriſimile eſt. Quod autem Claudius Sainctes *l. c.* dicit, Innocentim IV. cum Novergis diſpenſaſſe, conſtat fuiſſe errorem, dum pro Innocentio VIII. quem Volaterranus refert, ſcribit Innocentium IV. de quo nullus umquam Hiſtoricus talem diſpoſitionem retulit.

Et ratio fundamentalis noſtræ concluſionis eſt, quia ut conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 1.* & fatentur omnes Catholici, Chriſtus inſtituit, & præcepit offerri ſub utraque ſpecie Sacrificium incruentum Miſſæ ad repræſentandum ſuum Sacrificium cruentum Crucis, in quo Corpus, & Sanguis ipſius Chriſti fuerunt ſeparata; Atqui hæc ſeparatio Sanguinis a Corpore Chriſti in ejus Paſſione, & morte nequit exprimi, & repræſentari per Conſecrationem unius ſolius ſpeciei, ſed tantum per Conſecrationem utriuſque ſpeciei, quia nimirum ſub ſpecie vini & per ſe, & vi verborum conſtituitur in Altari Sanguis in Calice, & per ſe, & vi verborum Corpus ſub ſpecie panis, quæ eſt quaſi pictura exprimens quomodo in Cruce ſeparatus fuerit Sanguis a Corpore, & ſic Curpus velut mortuum, & Sanguis velut effuſus incruente repræſentatur, ergo &c. & conſequenter &c. Tum quia Eccleſia in nullo caſu permittit Sacrificium mutilum ſub una tantum ſpecie, & ut hoc caveat, diſpenſat, ut patet *in Rubricis Miſſalis Titul. de Defectibus in Miniſterio ipſo occurrentibus* in ſtrictiſſimo præcepto jejunii naturalis, ut ſi Sacerdos poſt Conſecrationem unius ſpeciei recordetur ſe non eſſe jejunum, nihilominus conſecraret aliam ſpeciem, ut compleat Sacrificium; Et ſi moreretur poſt Conſecrationem Corporis, præcepit compleri ab alio Sacerdote etiam non jejuno, ne videlicet maneat Sacrificium mutilum ſub una tantum ſpecie; Ex quibus colligitur, Eccleſiam ſatis velle declarare ſe non poſſe diſpenſare, quod ſacrificetur in una tantum ſpecie. 54

Non eſt tamen omnino improbabile, quod in aliquo urgentiſſimo caſu poſſet Papa diſpenſare, ut ſacrificium Miſſæ fieret ſub una tantum ſpecie, ſeu potius ex rationabili interpretatione declarare tunc ceſſare obligationem præcepti Divini de integritate ſacrificii ſub utraque ſpecie (b). Sic notant Herincx *de Euchariſtia, diſp. 2. q. 7. in fine*. Sporer *loc. cit. n.* 132. & alii. Et poſſe Papam ex cauſa urgenti concedere, ut Conſecratio Euchariſtiæ, & ſacrificium Miſſæ in una ſpecie fiat, tenent Turrecremata, S. Antonin. Gabriel, Alanus Azorius, & alii citat. & ſecuti a Barboſa *in Concil. Trident. ſeſſ.22. c.1. n.26.* & aliqui apud La Croix *l.6. p2. n.245.* 55

Sacrificium Miſſæ differt a Sacrificio Crucis ſolum ratione modi offerendi Cruent, & Incruenti, quia nimirum in Cruce, Chriſtus ſe obtulit Deo cum reali effuſione Sanguinis, mactatione, & morte violenta; In Miſſa vero Chriſtus offertur Deo abſque reali effuſione Sanguinis, & morte violenta, ſed modo incruento, & myſtico, ſeu repræſentativo. 56

Sacrificium Miſſæ differt a Sacrificio ultimæ Cœnæ ſolum in qualitate rei oblatæ, quia nimirum in ultima Cœna Chriſtus offerebatur adhuc mortalis, & paſſibilis; In Miſſa vero offertur nunc Chriſtus immortalis, & impaſſibilis. 57

Sacrificium Miſſæ differt eſſentialiter a Sacramento Euchariſtiæ in hoc, quia nimirum eſſentia Sacrificii conſiſtit in actione tranſeunte ſacrificativa, ſcilicet Conſecratione, & neceſſario requirit utramque ſpeciem; Eſſentia autem Sacramenti Euchariſtiæ tamquam ejus effectus, in facto eſſe permanet, & in una ſpecie ſola ſalvatur. Inſuper differt Sacrificium Miſſæ a Sacramento Euchariſtiæ ratione diverſi finis, quia Sacrificium Miſſæ principaliter ordinatur ad Deo debitum 58

(a) Nota. Conſecratio utriuſque ſpeciei, licet non ſit de eſſentia Sacramenti, quia in alterutra ſpecie confici poteſt Euchariſtia Sacramentum, eſt tamen de eſſentia Sacrificii Miſſæ, ut Sacrificium eſt præciſe, Vide quæ idem Ferraris adducit *numer.* 54. & *numer.* 58.

(b) Nota. Si verum eſt quod P. Ferraris *n.* 51. cum Sporer dicit, ut eſt verum, non video, quomodo hæc opinio poſſit non eſſe omnino improbabilis.



tum cultum exhibendum in recognitionem ejus ſupremi Dominii; Sacramentum vero Euchariſtiæ ordinatur ad hominem juſtificandum, ſeu ſpiritualiter nutriendum. Unde ratione finis perfectius eſt Sacrificium, quam Sacramentum, quia Sacrificium habet finem proximum nobiliorem, nempe cultum Dei, & recognitionem ejus ſupremi Dominii; Sacramentum autem habet finem minus nobilem, nempe hominem juſtificare.

60 Hinc generaliter loquendo Sacramenta, & Sacrificia differunt: Primo in inſtitutione, quia Sacrificia inſtitui poſſunt etiam publica auctoritate humana; Sacramenta autem ſola auctoritate Divina. Secundo differunt ratione finis, quia Sacrificia principaliter ordinantur ad cultum Dei in recognitionem ejus ſupremi Dominii; Sacramenta vero ordinantur ad ſalutem, & juſtificationem hominum. Tertio differunt ratione materiæ, quia materia Sacrificii conſiſtit ſolum in rebus; Materia autem Sacramentorum in rebus ſimul, & verbis.

Alia ad rem, Vide verb. *Euchariſtia*, & verb. *Miſſa*.

## SACRILEGIUM.

1 SAcrilegium ſic dicitur a *Sacris legendis*, ideſt *furandis*; Unde *Sacrilegus* eſt qui *ſacra legit*, ideſt *furatur*, ut dicit S. Iſidorus Hiſpalenſis *lib.* 10. *Etymologiar. cap.* 18. & colligitur etiam ex *cap. Sacrilegium 4. cauſ.* 17. *quæſt.* 4. ubi ex verbis S. Gregorii Magni ſic habetur: *Sacrilegium, & contra Leges eſt, ſi quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis ſtudiis ſuis tentaverit compendiis retinere*

2 Sacrilegium eſt violatio rei Sacræ ſive in ſe, ſive in aliis; *Sic in re communis*.

3 Sacrilegium eſt triplex, ſcilicet Perſonale, Reale, & Locale; *Communis*.

4 Sacrilegium *Perſonale* eſt, quo violatur Sacra Perſona. Sacrilegium *Reale* eſt, quo violatur Sacra Res. Sacrilegium *Locale* eſt, quo violatur Sacer Locus; *Communis*.

5 Sacrilegium *Perſonale* committitur per omnem violentam manuum injectionem in Perſonam Sacram, ſcilicet in Clericum, ſive Religioſum, aut Monialem: Per uſurpatam Juriſdictionem in perſonas Eccleſiaſticas, ipſas ad Tribunalia ſæcularia trahendo, incarcerando, & hujuſmodi, vel eaſdem ad vectigalia obligando. Item per luxurioſam violationem perſonæ Deo per votum Caſtitatis ſacratæ, & hujuſmodi.

6 Sacrilegium *Reale* committitur, cum violantur, ſeu injurioſe tractantur, aut miniſtrantur Sacramenta, Vaſa ſacra, Reliquiæ Sanctorum, Dei, & B. V. M. ac Sanctorum Imagines, inſtrumenta, ſeu ornamenta Sacra. Item Sacrilegium Reale committitur per rapturam bonorum Eccleſiæ, per ſuppreſſionem piorum Legatorum, per fraudationem Jurium Eccleſiæ, per abuſum Sacrarum Veſtium, Sacrarum Cæremoniarum, & ſententiarum Sacræ Scripturæ ad ſtabiliendas hæreſes, ad ſortilegia, ad incantationes, ad Divinationes, ad res turpes, ad adulationes, ad detractiones, ad Libellos famoſos, ad amatoria, ad fabuloſa, ad ſcurrilia, & hujuſmodi; imo nunc temerarium Sacræ Scripturæ abuſum rigoroſe ſub arbitrariis pœnis ab Epiſcopis infligendis intercedit Conc. Trid. *ſeſſ. 4. in Decreto de editione, & uſu Sacrorum Librorum*.

7 Sacrilegium *Locale* committitur per omnia, quæ fiunt contra ſanctitatem Loci ſacri, ut ſunt deſtructio malitioſa Templi, vel Altaris, occiſio hominis, injurioſa effuſio ſanguinis, vel ſeminis humani, illicita, & notoria ſepultura excommunicati, vel non baptizati in Loco ſacro. Item Sacrilegium Locale committitur per violentam extractionem Reorum e loco Sacro; per actus prophanos, & illicitos, & repugnantes Immunitati Eccleſiaſticæ exercitos in locis ſacris, ut ſunt negotiationes, ſeditiones, illiciti concubitus, & ſpurcities, Concilia ſæcularia, ſtabulationes equorum, incendia, effractiones, ſpoliationes, mercaturæ, & hujuſmodi Item Sacrilegium Locale committitur per furtum, quod Sacrilegum evadit tribus modis. Primo nempe cum quis furatur *Sacrum de Sacro*, ideſt rem ſacram, ut Calicem, Planetam, Pyxidem, & hujuſmodi, in loco ſacro. Secundo cum quis furatur *Non Sacrum de Sacro*, ideſt rem prophanam non ſacram, ut pecuniam, aut aliam rem in loco ſacro repoſitam. Tertio, cum quis furatur *Sacrum de non Sacro*, ideſt rem ſacram ut Pyxidem, Calicem, & hujuſmodi, in loco non ſacro, ſcilicet extra Eccleſiam, textu expreſſo *in cap. Quiſquis* 21. *cauſ. 17. q. 4.* ubi ex verbis Summi Pontificis Joannis VIII. ſic præciſe habetur: Similiter *Sacrilegium committitur auferendo Sacrum de Sacro, vel non Sacrum de Sacro, ſive Sacrum de non Sacro*.

Sacrilegium ex genere ſuo eſt peccatum mortale, niſi excuſet parvitas, ſeu levitas materiæ, aut inadvertentia, & indeliberata voluntas; *Communis*. Et quoad primam partem clare patet, quia Sacrilegium ex genere ſuo opponitur graviter excellentiſſimæ Virtuti Religionis; Unde nemo dubitat eſſe peccatum mortale, cum Sacrilegium fit in gravem contemptum Perſonæ, ſeu Rei, aut Loci Sacri. Quoad ſecundam etiam partem clare conſtat, quia ſicuti parvitas, & levitas materiæ, aut inadvertentia, & indeliberata voluntas excuſat a mortali in aliis actionibus peccaminoſis, ita etiam in actionibus ſacrilegis; unde apud omnes certum eſt, ſacrilegium eſſe ſolum peccatum veniale, cum ſecluſo contemptu, aut ſcandalo fit aliqua levis injuria, irreverentia, aut inhonoratio Perſonæ, ſeu Rei, aut Loci ſacri, & hoc propter parvitatem materiæ, ſeu irreverentiæ, & injuriæ commiſſæ; Sicuti pariter omnes concedunt eſſe ſolum peccatum veniale, & quandoque nullum, ſi injuria, & irreverentia facta Perſonæ, Rei, aut Loco Sacro; ſi ex inadvertentia, indeliberatione, aut ignorantia invicibili. 8

Alia ad rem, Vid. ver. *Eccleſia art.4.* & ver. *Luxuria a n.29. ad 32.* 9

*Novæ additiones ex aliena manu.*

SI violetur per peccatum Carnis Perſona ſpecialiter conſe- 1
crata Deo, habet peccatum hoc rationem ſacrilegii, in
quantum eſt violatio rei ſacræ, ſcilicet ſpecialiter conſecratæ Deo.
Hujuſmodi eſt fornicatio cum Moniali, quæ jure etiam 2
civili, uti graviſſimum delictum pœna mortis punitur. Hujuſ-
modi quoque eſt fornicatio commiſſa ab eo, qui Ordine ſacro 3
ſit initiatus, quæ jure antiquorum Canonum puniebatur pœ- 4
na perpetuæ depoſitionis ab omni miniſterio Eccleſiæ. Quo-
modo vero hodie puniatur, petendum ex *Concilio Tridentino* 5
*ſeſſ.25. c.14. de Reformat.* & alibi etiam dictum a nobis eſt. 6
Illud vero hic non omittendum, adhuc hodie deponen-
dum Sacerdotem cognoſcentem filiam ſuam ſpiritualem, vel 7
eam, quæ propter pœnitentiam effecta fuit filia ſpiritualis,
vel Parochianam ſuam, ut probe monuit *Zypæus in jure novo
de Cohabitat. Cleric. n.* 10. ubi quod idem procedat in Reli-
gioſis fornicantibus. Ratio eſt, quod pœna inflicta a *Conci-
lio Tridentino* locum haud habeat quoad fornicationem Clerici 8
adjunctam habentem aliquam circumſtantiam aggravantem. 9

## SACRISTA, SACRISTIA.

AD Sacriſtæ Officium pertinet cuſtodia Sacrorum Vaſorum, Veſtimentorum Eccleſiaſticorum, ſeu totius Theſauri Eccleſiaſtici, & eorum quæ ad luminaria pertinent, ſive in cera, ſive in oleo; textu expreſſo *in cap. Ut ſciat unico, de Officio Sacriſtæ*. 1

Sacriſtæ Capellæ Palatii Apoſtolici Officium ab immemoriali tempore alicui ex Fratribus Eremitarum S. Auguſtini committi conſuevit, & deinceps committi debere concedit, Commiſſioneſque aliter factas irritat Alexander VI. Conſtit. 5. incip. *Ad Sacram*. 2

Sacriſta Conclavis gaudet gratiis, & privilegiis Conclaviſtarum; Clemens VIII. *Conſtit.* 16. *§.* 14. 3

Sacriſtæ, ſeu Præfecti Eccleſiarum Regularium adſtringi poſſunt ad non permittendum in eis celebrationes Sacerdotum Sæcularium, niſi exhibita Ordinarii licentia; *Sac. Cong. Concil. in Neapolitana* 17. *Auguſti* 1630. 4

Sacriſtæ munus per ſimplices Sacerdotes Eccleſiæ exerceri ſolitum, non cogitur ſuſcipere Cantor, qui ſit una ex Dignitatibus Eccleſiæ; *Sacra Rit. Congregatio in Adrien.* 2. *Martii* 1682. 5

Sacriſtæ nihil exigere debent pro benedictione Sponſi, & Sponſæ; *Sac. Cong. Rit. in Neriton.* 25. *Februarii* 1606. 6

Sacriſtanatum obtinens in Parochiali erectum cum unione ſimplicis Beneficii pro uno Clerico, qui in Divinis Officiis, & Cura exercenda, ac aliis oneribus adjuvare teneatur, poteſt deſervire per Subſtitutum, & fructus eidem debentur; *Sac. Cong. Concil. in Spoletana* 21. *Julii* 1629. 7

Sacriſta in Eccleſia Cathedrali eſt Dignitas, & requirit Sacerdotium; *Sacra Rota recent. part.* 14. *deciſ.* 162. *num.* 8. 8

Si intervenerit Funeribus Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, in hoc caſu Curatus, & Sacriſta illius Cathedralis, licet ſint 9

amovibiles, debent præcedere Parocho Defuncti; *Sac. Rit. Cong.* 22. *Martii* 1631.

10 Determinatis horis pulſandi Matutinum, & alias Horas Canonicas, & pulſata Campana per Sacriſtam, aut ejus Deputatum, ac in Eccleſia accenſi luminibus, Divina Officia differri non valent ad alicujus inſtantiam, & Hebdomadario abſente, Archidiaconus jubere debet alteri, ut incipiat; *Sac. Cong. Epiſcop. in Theatina* 18. *Aprilis* 1617.

11 Quod preſcribitur in Cæremoniali, ut Canonici de Sacriſtia egrediantur bini, intelligitur in ſolemnitatibus. *Sacra Congregat. Rit.* 12. *Julii* 1628.

12 Tolerandum eſt, quod Canonici tribus menſibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in Sacriſtia. *Sacra Congr. Epiſc. in una S. Severini* 13. *Septembris* 1641.

13 Non poteſt Epiſcopus in aliquo caſu adſtringere Canonicos, ut Domi ſuæ Capitulum convocent, ſi fuerit ſolitum, ut fiat in Sacriſtia. *Sacra Congregat. Epiſcop.* 1. *Februarii* 1483.

14 Sedes Archiepiſcopalis ære proprio Archiepiſcopi, non ex Sacriſtiæ ſacris veſtibus eſt ornanda. *Sacra Congr. Concilii in Meſſanen.* 4. *Septembris* 1586.

15 Epiſcopus vaſis argenteis, vel alia Sacriſtiæ Supellectili non utatur in Menſa, vel in alios profanos uſus, immo nec ad Sacros extra Cathedralem, ſed ea ibi pro Eccleſiæ ſervitio relinquat. *Sacr. Congr. Epiſc. in Tullen.* 10. *Martii* 1597. & *in Caſtellaneten.* 16. *Maii* 1642.

16 Cum ſolium Archiepiſcopale pertineat ad Officium Archiepiſcopi, ſequitur, id ſuis ſumptibus fieri, ac manuteneri debere, & non ſumptibus Sacrarii Metropolitanæ. *Sac. Congreg. Concilii in Urbinaten.* 10. *Martii* 1663.

17 Non poteſt Epiſcopus, niſi habeat Privilegium ſpeciale, compellere Regulares ad exhibendos libros Sacriſtiæ, in quibus adnotantur celebrationes Miſſarum ad hoc, ut ex iis conſtare poſſit de ſatisfactione obligationis debitæ ex Legato pio. *Sacra Congr. Concilii in Urbinaten. ad. cap* 7. *ſeſſ.* 22. *de reformat.* 10. *Maii* 1663.

18 Sacriſtia contigua Choro alicujus Monaſterii Religioſorum eſt ſub clauſura comprehenſa. *Sac. Congr. Epiſcop. & Regul. in Sulmonen.* 10. *Auguſt.* 1615. Vide verb. *Conventus art.* 3. *num.* 14.

19 Sacriſtiæ expenſæ ſpectant ad Epiſcopum, non autem ad Capitulum. *Sacr. Congr. Epiſc. in Melphien.* 4. *April.* 1704. apud Urſayam *tom.* 2. *part.* 1. *diſcept.* 34.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 EX quo Eccleſiæ Cathedrales abundare cœperunt theſau-
ro magni pretii, conſtituti ſunt *Sacriſtæ*, qui habebant
cuſtodiam ſacrorum vaſorum, veſtimentorum Eccleſiaſtico-
rum, ſeu totius theſauri Eccleſiaſtici, necnon eorum, quæ
ad Luminaria pertinent; *cap. unic. de offic. Sacriſt.* Dicti pro-
2 pterea, & *Theſaurarii* ſunt. Primitus officium ſimplex ſine
3 dignitate Eccleſiaſtica gerebant; progreſſu vero temporis in
pluribus Cathedralibus Eccleſiis, honore dignitatis decorati
4 ſunt. Confer *Corvin. de Perſon. & Benefic. Eccleſ. lib.* 1. *tit.*
22. *n.* 3.
5 De culpa, quam præſtare debent Sacriſtæ circa cuſtodiam
theſauri Eccleſiaſtici, non inutilis hic diſquiſitio eſt. Leviſſi-
mam culpam ab iis exigit *Brucknerus de Cuſtodia templor. ar-*
6 *tic.* 3. §. 12. & jure quidem meritoque. Præficiuntur enim
ejuſmodi negotiis, quæ non *vulgarem*, ſed *penitiorem* curam
7 & ſollicitudinem *ſingularem* deſiderant. Quapropter natura
ipſa negotiorum ipſos obligat ad exactiſſimam diligentiam.
8 Reque ipſa Romani quoque Juriſconſulti, in hujuſmodi quæ-
ſtionibus decidendis, potiſſimum reſpexere ad naturam ne-
gotiorum, & ex gravitate & indole eorum æſtimarunt, qualis
induſtria ab Adminiſtratore deſideretur. Confer *Jacobum Go-
thofredum in Commentar. ad L.* 23. *ff. de Regul. Juris.*

## SALUTATIO ANGELICA.

*Additamenta noviſſima Auctoris.*

NOtandum, quod in Salutatione Angelica additionem illam *Sancta Maria* &c. in nulla precum formula ante annum MDVIII. reperiri inquit *Grancolas in Breviarium Romanum cap.* XXV. Sed tunc temporis uſurpari cæpiſſe: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus. Amen.* Fratreſque Minores addidiſſe poſtea verba illa: *nunc, & in hora mortis noſtræ*; ut legitur in eorum Breviario edito Anno MDXV. Sic ad literam eruditiſſimus D. Joſeph Catalanus in *Pontifical. Roman. tom.* 2. *tit.* XV. §. 2. *n.* 2.

## SAMARITANA A CHRISTO CONVERSA.

*Additamanta noviſſima Auctoris.*

SAmaritana, quæ Chriſtum ad puteum Jacob Patriarchæ excepit, & ibi a Chriſto ipſa converſa fuit, Photina communiter nuncupatur, & ab Eccleſia ſub tali nomine, ut vera Martyr, una cum duobus filiis ſuis, & aliis martyribus colitur die 20. Martii, ut canit Martyrologium Romanum his verbis: Eodem die Sanctorum Photinæ Samaritanæ, Joſeph & Victoris filiorum, itemque Sebaſtiani Ducis, Anatolii, Photis, Photidis, Paraſceves, & Cyriacæ germanorum, qui omnes Chriſtum confeſſi Martyrium ſuum ſunt aſſecuti. De hac Samaritana Photina traditur, quod poſt Chriſti Aſcenſionem a Deo inſpirata una cum dictis duobus ſuis filiis, & quinque ſuis germanis, conſobrinis Carthaginem petierit, ibique omnes fidem Chriſtianorum prædicantes, plurimoſque gentiles, inter quos celebrem Ducem Sebaſtianum convertentes, ob id fuerint omnes ad crudeliſſimum Martyrium condemnati. Vide omne acerbiſſimi martyrii genus apud Bollandiſtas ad diem 20. Martii, & apud Clericatum *nelle Spiche* verb. *Samaritana a num.* 821. *ad* 823. Ubi vero adſerventur eorum reliquiæ, vide Bolland. *loco citat. num.* 8. Plura alia ad rem de Samaritana Photina, vide apud Calmet in Dictionario verb. *Photina*, & verb. *Samaritana*.

## SANCTITAS, SANCTI.

*Additio Auctoris e II. Editione.*

SAnctitas non in una, vel altera virtutum ſpecie, ſed in 1
complexu omnium in gradu heroico uſque ad obitum exer-
citarum, conſiſtit. Benedict. XIV. tom. 2. Conſtitut. 54. in- 2
cip. *Poſtquam intelleximus* §. 26. Sanctitati alioquin probatæ
non officiunt errores circa dogmata nondum ab Eccleſia defi-
nita. Idem *ibid.* §. 31.
Sancti vocabulum in primæva Eccleſia, nec vitæ ſanctita- 3
tem, nec martyrium pro Chriſti nomine toleratum, indicabat,
ſed Chriſtianæ Religionis, quæ cuique fidelium communis
erat, integritatem declarabat: *Qui olim Chriſtiani* (inquit Spon-
danus in Epit. Annal. Baron.) *iidem nominabantur ſancti*. 4
Hinc unus *Sancti* titulus par non eſt, ut corpora, quæ ex Ca-
tacumbis afferuntur, ſacro cultu donentur. Succeſſu vero tem-
poris *Sancti* titulus ad peculiarem vitæ ſanctimoniam ſignifi- 5
candam translatus eſt: *Demum obtinuit uſus* (Spond. *loco cit.*)
*ut illi tantummodo Sancti in Eccleſia dicerentur, qui eminentio-
ri probatiorique fulgerent morum ſanctitudine.* Idem *ibid.* §. 32.
Sanctorum nomina, & elogia in Martyrologium inferri ne- 6
queunt, ſine Auctoritate Congregationis Sacrorum Rituum. 7
Idem *ibidem* §. 3. Sanctorum nomina in Martyrologio inferen-
da non ſunt, niſi publicus cultus ipſis per ſolemnem Canoni-
zationem decretus, aut ſaltem ab antiquis temporibus univer-
ſalis Eccleſiæ conſenſione præſtitus fuerit. Idem *ibidem* §. 15.
& 16.
Sanctorum nomina, quæ in noviſſima Martyrologii Roma- 8
ni editione Benedicti XIV. juſſu inſerta fuerunt enumerantur
ab eodem *ibidem* §. 6. 7. 8. & 9. nempe *ſub* §. 6. ſic. Sexta-
decima die Februarii *Beatus Gregorius X.* Die vigeſima ſepti-
ma Aprilis *Beata Zita*. Die decima Maii *Beatus Nicolaus Al-
bergatus*. Die vigeſima quarta Maii *Beatus Joannes de Pra-
do* Prima die Junii *Sanctus Eneco Abbas*. Die ſeptima Julii 9
*Beatus Benedictus XI.* Die vigeſima Decembris *Sanctus Domi-
nicus de Sylo*. Et ſub §. 7. tradita ratione, ob quam poſſint
in Martyrologio inſeri etiam nomina aliquorum Beatorum, &
adducto ex Theologo Raynaudo *tom.* 18. *ſuorum Operum pag.*
500. quod *Nomen quoque Martyrologii, quod olim ſonabat
dumtaxat indiculum Sanctorum Martyrum, nunc extenſum eſt
ad Syllabum plurimorum aliorum Sanctorum Confeſſorum ac
Sanctarum Virginum*, pergit ſub §. 8. enumerare aliquos Bea-
tos Martyres Martyrologio de novo additos, videlicet die
quinta Februarii *Commemoratio vigintiſex Martyrum Japonen-
ſium*. Die nona Julii *Commemoratio novendecim Martyrum
Gorcomienſium*. Die decimaſeptima Septembris *Beati Petri
de Arbues*. Die duodecima Novembris, *Commemoratio Bea-*
10 *ti Joſaphat Polocenſis*. Et tandem *ſub* §. 9. addit nomina alio-
rum Sanctorum in præteritis editionibus omiſſorum. Nempe
Die decima Januarii nomen *Sancti Wilhelmi Epiſcopi Bituri-
cenſis*. Die decimanona Januarii nomen *Sancti Wlſtani Epiſ-
copi Vigornienſis*. Die quarta Februarii nomen *Sancti Joſephi
a Leoniſſa*. Die decimatertia Februarii nomen *Sanctæ Cathe-
rinæ de Ricciis*. Die decimaſeptima Aprilis nomen *Sancti Ro-
berti Abbatis Caſæ Dei*. Die quarta Maii nomen *Sancti Gode-
hardi Epiſcopi Hildesheimenſis*. Die tertiadecima Maii nomen
*Sancti Petri Regalati*. Die ſecunda Junii nomen *Sancti Nico-
lai Peregrini Tranenſis*. Die octava Junii nomen *Sancti Wil-
lhelmi Archiepiſcopi Eboracenſis*. Die Sextadecima Junii no-
men *Sancti Joannis Franciſci Regis*. Die prima Julii nomen
*Sancti Theobaldi Eremitæ*. Die quartadecima Julii nomen *San-
cti Camilli de Lellis*. Die vigeſima quarta Julii nomen *Sancti
Franciſci Solani*. Die decimaquinta Auguſti nomen *Sancti
Stanislai Koſtkæ*. Die vigeſima ſexta Octobris nomen *Sancti
Bernardi Hildesheimenſis Epiſcopi*. Die vigeſima ſeptima No-
vembris nomen *Sancti Virgilii Epiſcopi Salisburgenſis*. Die
vigeſimaoctava Novembris nomen *Sancti Jacobi Piceni*. Die
Decimaſeptima Decembris nomen *Sancti Sturmii Abbatis Ful-
denſis*. Idem in citat. Conſtitut. incipien. *Poſtquam intellexi-
mus*, in qua plurima ad rem traduntur ſcitu digniſſima.
11 Sanctorum Patrum unanimis conſenſus in explicatione Sacræ Scripturæ in re pertinente ad Fidem, & bonos mores, eſt infallibile teſtimonium Divinæ Revelationis, ad differentiam unius, vel alterius, aut aliquorum, reliquis contradicentibus. Idem *de Servorum Dei Beatificat. & Beatorum Canonizatione lib.* 2. *cap.* 33. *ſub n.* 12.

SAPIENS ERROREM PROPOSITIO. V. *verb. Propoſitiones damnatæ n.* 34.

SAPIENS HÆRESIM PROPOSITIO. V. verb. *Propoſitiones damnatæ n.* 23.

SAPIENTIA. V. verb. *Theologia n.* 15.

SATISFACTIO, SIVE PŒNITENTIA SACRAMENTALIS. Vide verb. *Pœnitentiæ Sacramentum art.* 3. *per tot.*

## SCANDALUM.

1 SCandalum proprie, & phyſice importat, & ſignificat, ſeu declarat aliquid in via poſitum, in quod ambulans impingat, & corruat. Et idem etiam eſt offendiculum. Sic Joannes Kahl, alias Calvinus *in ſuo magno Lexico verb. ſcandalum*. Unde Scandalum phyſice *eſt Offendiculum in via præbens itinerantibus occaſionem lapſus*. *Sic in re Communis.*

2 Moraliter autem *ſcandalum eſt Offendiculum ſpirituale, quo quis offendit, & in peccatum ruit*. Seu expreſſius & clarius: *ſcandalum eſt dictum, vel factum, ſeu omiſſum minus rectum præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis, ſeu peccandi*. *Sic in re Communis.*

3 Dicitur primo, quod ſcandalum ſit *dictum, vel factum*, quia ſolum loquendo, vel agendo poſſumus eſſe proximo occaſio ruinæ ſpiritualis, non autem cogitando, ut de ſe patet, cum cogitatio tamquam mere interna, & occulta in corde non poſſit extrinſece proximum ſcandalizare, & ideo in definitione ſcandali non additur *vel concupitum*, ſicuti in Definitione peccati. Dicitur ſecundo *Vel omiſſum*, per quod intelligitur omnis omiſſio externa, ſeu non dictum, non factum potens proximum ſcandalizare, ut omiſſio Sacri, Horarum, non dicta veritas, non facta debita defenſio innocentis, & hujuſmodi. Dicitur tertio *Minus rectum*, hoc eſt, aut per ſe malum, aut ſpeciem mali habens, quia non ſolum dictum, vel factum, ſeu omiſſum per ſe, & ex natura ſua malum, & peccaminoſum, ſed etiam dictum, vel factum, ſeu omiſſum habens tantum ſpeciem mali ex circumſtantiis perſonæ, loci, & temporis, poteſt habere rationem ſcandali, ſi proximo occaſionem peccandi præbitura ſit. Dicitur quarto; *Præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis, ſeu peccandi* ad denotandum, quod occaſio debet eſſe vera, ſive interim ſcandalizans intendat *expreſſe* ruinam ſpiritualem proximi, quod eſt diabolicum,





ſive tantum *interpretative* dicendo, vel faciendo, aut omitten-
do id ex quo prævidet, aut prævidere debet proximum for-
te lapſurum.
Scandalum dividitur in activum, ſeu datum, & in paſſi- 4
vum, ſeu acceptum; *Sic Doctores communiter*. Scandalum 5
activum, ſeu datum eſt illud proxime definitum per ſingula
verba mox explicata, nempe ſcandalum activum eſt *dictum,
vel factum, ſeu omiſſum minus rectum præbens alteri occaſio-
nem ruinæ ſpiritualis, ſeu peccandi*. *Eſt in re Communis*. Scan-
dalum paſſivum eſt *ipſa ruina ſpiritualis proximi in peccatum* 6
*contingens ratione dicti, vel facti, ſeu omiſſi alterius minus
recti*; *Eſt in re Communis*. Et ſic hoc ſcandalum paſſivum
opponitur ſcandalo activo tamquam cauſæ ſuus effectus.
Scandalum activum eſt duplex, ſcilicet unum directum, 7
vel proprium, ſeu per ſe inductivum, & aliud indirectum,
vel improprium, ſeu per accidens inductivum aut occaſiona-
tivum tantum. *Sic Doctores communiter*. Scandalum activum
directum, vel proprium, ſeu per ſe inductivum eſt, cum 8
quis directe, & expreſſa intentione, dat alteri occaſionem
peccandi ſuadendo, conſulendo, inducendo, vel malo exem-
plo faciendo aliquid, quod per ſe eſt inductivum ad pecca-
tum, & ſic intendendo ruinam ſpiritualem proximi, ſive
*formaliter* ob damnum ſpirituale proximi, quod eſt diaboli-
cum, ſive *materialiter* ob propriam delectationem, vel uti-
litatem, quod eſt humanum, & proprium hominis, ut ſi quis
verba obſcena proferat, vel turpia, & laſciva peragat coram
muliere, ut ipſam ad ſecum carnaliter peccandum inducat;
ipſe enim graviſſime peccat peccato ſcandali, licet formaliter
non intendat ruinam ſpiritualem talis mulieris, ſed ſolam ſuam
carnalem delectationem. *Communis*.
Scandalum activum indirectum, vel improprium, ſeu per 9
accidens inductivum, aut occaſionativum tantum, eſt, cum
quis dicit, vel facit, ſeu omittit dicere, vel facere aliquid,
quod licet ex natura ſua, & per ſe non ſit malum; ſpeciem
tamen mali præſefert, quo ipſe prævidet, vel prævidere
debet alios ſcandalizandos, vel de facto ſcandalizari adver-
tit. Ut ſi quis feminam populo ſuſpectam Domi ſuæ retineat,
is peccat peccato ſcandali, teneturque ad ipſum publicum
ſcandalum removendum, talem feminam e Domo ſua dimit-
tere, quamvis revera nullum ſubſit peccatum, nec pericu-
lum peccati. Unde Apoſtolus 1. *ad Theſſalonicenſes cap.* 5.
*num.* 22. expreſſe dicit: *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*
Et 1. *ad Corinth. cap.* 8. *num.* 9. & *ſequen.* eos ſevere mone-
bat ne recumberent in Idolio, ideſt loco, ubi carnes Idolis
immolatæ comedebantur, quod licet per ſe non eſſet malum,
tamen habebat ſpeciem mali ad ſcandalum puſillorum, ſeu
infirmorum, ibi: *Videte, ne forte hæc licentia veſtra offen-
diculum fiat infirmis, ſi enim quis viderit eum qui habet ſcien-
tiam in Idolio recumbentem, nonne conſcientia ejus, cum ſit
infirma, ædificabitur ad manducandum Idolothyta? Et peribit
infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus
eſt*. Et infra *num.* 13. concludit: *Quapropter ſi eſca ſcandali-
zat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne
fratrem meum ſcandalizem*.
Scandalum paſſivum eſt duplex, ſcilicet ſcandalum paſſi- 10
vum datum, & ſcandalum paſſivum acceptum; ſeu clarius.
Scandalum paſſivum datum ſimul & acceptum, & Scanda-
lum paſſivum non datum, ſed duntaxat acceptum. *Sic in re
Doctores communiter*.
Scandalum paſſivum datum ſimul & acceptum eſt illud, 11
quod vere oritur ex alterius dicto, vel facto, ſeu omiſſo ex
natura ſua, & per ſe, quia revera malum eſt, vel ſpeciem
mali habet, ut merito inde proximus ſumat occaſionem ruinæ
ſpiritualis. *Sic in re Communis*.
Scandalum paſſivum non datum, ſed duntaxat acceptum 12
eſt, quo quis ex alterius dicto, vel facto, ſeu omiſſo præter
omnem ejus intentionem, & præter ipſius dicti, vel facti, ſeu
omiſſi naturam, & conditionem ex ſola ſua ſiniſtra apprehen-
ſione ſumit occaſionem ruinæ ſpiritualis, & peccati. *Sic in
re Communis*.
Et hoc ſcandalum paſſivum non datum, ſed duntaxat acce- 13
ptum ſubdividitur *in ſcandalum puſillorum*, quod ex ſola ho-
minis ignorantia, vel infirmitate, ſeu fragilitate provenit, &
in *Scandalum Phariſæorum*, quod ex mera malitia, ſeu ma-
lignitate alterius procedit. Et tunc dicitur *Scandalum Phari-
ſaicum* a Phariſæis, qui propria malitia, malignitate, & in-
vidia erga Chriſtum male, ni dicam peſſime, interpretando
clariſſima ejus miracula, optimam ejus doctrinam, ſanctiſſi-
mamque converſationem, ſcandalizati ſunt. *Communis*.

14 Scandalum activum , ſive directum , ſive indirectum eſt peccatum mortale , vel etiam veniale pro ratione peccati gravis vel levis , ad quod inducit. *Communis , & certa* . Unde non indiget probatione .

15 Scandalum activum , nedum directum , ſed etiam indirectum contrahit malitiam ſpecie diſtinctam contra Caritatem in Confeſſione explicandam . *Communiſſima* quoad primam partem , & *Communior* quoad ſecundam . Et ratio primæ partis eſt , quia ſi peccat contra Caritatem proximi ſaluti debitam qui non corripit errantem,a fortiori qui inducit , ad errorem ; Unde certum eſt apud omnes , ſcandalum activum directum , quo directe intenditur ruina ſpiritualis proximi , eſſe peccatum ſpeciale contra Caritatem proximi graviſſimum , ideoque ſpecialiter explicandum in Confeſſione una cum ſpecie peccati , & circumſtantiis perſonæ inductæ ad ipſum peccatum . Ratio autem ſecundæ partis eſt , quia in omni peccato damnifico commiſſo in proximum ſufficit voluntas interpretativa , ſeu voluntarium indirectum , ponendo ſcilicet voluntarie cauſam , ex qua prævidetur ſequuturum damnum proximi , quamvis directe non intendatur , ergo etiam ad ſpeciale peccatum ſcandali contra Caritatem ſufficit voluntas interpretativa , ſeu voluntarium indirectum , nempe dicere , vel facere , ſeu omittere aliquid , ex quo prævidetur ſequutura ruina ſpiritualis proximi , quamvis ea directe non intendatur ; Tum quia ex præcepto Caritatis tenemur non ſolum ad non procurandam ex propria induſtria ruinam ſpiritualem proximi , ſed etiam ad nos abſtinendum a cauſa injuſta , ut proximus ſpiritualiter , ruat , adeoque etiam in ſcandalo activo indirecto tenemur explicare ſpeciem peccati , ad quam proximum ratione talis ſcandali inducimus .

16 Scandalum mere paſſivum eſt evitandum , ſeu impediendum , quotieſcumque nulla ratio neceſſitatis , vel utilitatis propriæ , vel alienæ cogit nos dicere , vel facere , aut omittere aliquid , ex quo prævidemus proximum eſſe ſcandalizandum , ſeu ſumpturum occaſionem peccandi . *Communis* . Et ratio eſt , quia Lex Caritatis non obligat impedire, cum facile poſſumus ſine noſtro , aut alieno incommodo , etiam damna temporalis proximi , & ſic a fortiori ejus damna ſpiritualia , ſeu peccata .

17 Non eſt tamen obligatio impediendi ſcandalum mere paſſivum , quoties urget neceſſitas , vel utilitas propria dicendi , vel faciendi , aut omittendi aliquid ceteroquin non malum , quamvis exinde alii ſumpturi ſint occaſionem peccandi; *Communis* . Et ratio eſt , quia tunc non ſumus nos cauſa , quod proximus peccet , cum neceſſitas, vel utilitas propria nos urgeat ad id licite dicendum , vel faciendum , aut omittendum; unde ſi exinde proximus peccet , peccatum debet ejus malitiæ imputari , alias non poſſemus unquam quidquam nobis neceſſarium , utile aut ceteroquin non malum licite dicere , vel facere , aut omittere ob evitandum tale proximi ſcandalum , quod nemo audebit aſſerere .

18 Ob evitandum præciſe ſcandalum aliorum probabilius omittenda non ſunt opera præcepti , ſive naturalis , ſive Divini, ſive humani . Sic Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 43. *artic.* 7. Caſtrop. *tom.* 1. *tract.* 6. *diſput.* 6. *punct.* 16. *num.* 3. Paſqualig. *de Sacrific. quæſt.* 1347. Henno *tom.* 1. *tract.* 2. *de Virtutibus diſput.* 6. *art.* 3. *concl.* 3. Illſung. *tract.* 3. *num.* 111. Felix Poteſtas *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 338. & Communior aliorum . Et ratio eſt , quia ordine Caritatis ſalus propria præferenda eſt ſaluti proximi ; unde quiſquis curare debet , ut prius ipſe præcepta impleat , quam ut curet , quod impleat alter , cum obligatio ſervandi præcepta ſit primaria , & obligatio vitandi ſcandalum ſit ſecundaria; Et certe niſi oſtendatur præceptum tunc non obligare , clarum eſt , non poſſe omitti ob evitandum præciſe ſcandalum aliorum , ut habetur ex *cap. Cum ex injuncto* 2. *de novi operis nunciatione* , ibi : *Quæ ſine mortali peccato omitti non poſſunt , non ſunt pro vitando ſcandalo omittenda* .

19 Hinc quamvis multi velint Feminam ſcientem aliquem in particulari , ſe turpiter amare , quoties eam aſpicit , poſſe, & debere Sacro abſtinere die Feſto ſemel atque iterum ad peccatum illud evitandum; Alii tamen univerſaliter ſuſtinent, quod ob evitandum præciſe ſcandalum non ſint omittenda ulla opera præcepta . Vide verb. *Femina a numer.* 14. *ad numer.* 26. ubi multa ad rem .

20 Opera tantum conſilii omittenda ſunt , vel ad aliquod tempus differenda , ob evitandum ſcandalum puſillorum ex ignorantia , vel infirmitate ſeu fragilitate inde ſecuturum . Sanctus Thomas *loc. cit.* Caſtrop. *loc. cit.* Henno *loc. cit.* Felix Poteſtas *loc. cit. num.* 343. Diana *part.* 5. *tract.* 7. *reſp.* 23. Spor. *tom.* 2. *tract.* 5. *cap.* 1. *ſect.* 2. *num.* 31. ubi teſtatur de communi . Sic ſpontanea peregrinatio ad aliquod ſanctuarium, ingreſſus voluntarius in Religionem , & hujuſmodi ſunt omittenda , vel ad aliquod tempus differenda , donec puſilli , qui inde ex ignorantia , vel infirmitate , ſeu fragilitate ſcandalizabantur , admoniti , & informati de juſtis motivis , & rationibus pro tali peregrinatione , & ingreſſu in Religionem , & hujuſmodi non amplius ſcandalizentur .

21 Nullimode autem omittenda ſunt opera conſilii ob evitandum ſcandalum Phariſaicum . *Communis* ; Et ratio eſt , quia ſcandalum Phariſaicum oritur ex mera malitia , & pravo affectu illorum , qui ſe ſcandalizant , cum ipſi non ſint in neceſſitate , ſed mera , & libera malitia ; unde de ipſo Phariſaico ſcandalo non eſt curandum, nec ullum opus bonum eſt omittendum ob ipſum vitandum ; Non enim tenemur aliorum malitiæ condeſcendere cum tali damno noſtro ſpirituali ; Unde de illis Chriſtus Dominus *Matthæi* 1. dicit : *ſinite illos , cæci ſunt , & duces cæcorum* .

22 Ob evitandum ſcandalum puſillorum , & a fortiori Phariſaicum raro , vel nunquam adeſt obligatio ſubeundi gravem, & magnam jacturam in propriis bonis temporalibus . Caſtrop. *loc. cit. part.* 17. Sporer *loc. cit. num.* 32. Diana *loco citato* , Suarez , & alii , Sanchez *in Dialog. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 11. La Croix *lib.* 2. *num.* 146. & alii . Et ratio eſt , quia , quando inde oritur magnum , & grave damnum , eſt veluti moralis impotentia vitandi talem occaſionem , & tunc adeſt ſufficiens cauſa eam permittendi ponendo rem indifferentem , adeoque &c.

23 Adeſt tamen obligatio ſubeundi leve, & modicum damnum in propriis bonis temporalibus ob evitandum ſcandalum puſillorum . *Communis* cum S. Thoma *loc. cit. art.* 8. & Sporer *loc. cit. num.* 32. Et ratio eſt , quia bonum ſpirituale proximi ordine Caritatis præferendum eſt bono temporali proprio , maxime ſi inde oriatur ſolummodo leve , & modicum damnum , ut loquitur concluſio .

24 Ut aliquis peccet peccato ſcandali , non requiritur , quod alter de facto peccet , ſed ſufficit , ſi credatur probabiliter peccaturus ; Unde poteſt eſſe ſcandalum activum ſine paſſivo, ſicuti e contra poteſt eſſe ſcandalum paſſivum ſine activo , ut de facto fuit in Phariſæis , qui ſe ſcandalizarunt ex Sanctiſſimis Chriſti verbis , & miraculoſiſſimis ejus factis undequaque incapacibus active ſcandalizandi .

25 Utilius ſcandalum naſci permittitur , quam veritas relinquatur . Textu expreſſo in cap. *Qui ſcandalizaverit* 3. *de Regul. Juris* , in cujus Summario ſic habetur ; *Propter Scandalum evitandum veritas non eſt omittenda* .

SCANDALOSA PROPOSITIO . Vide verb. *Propoſitiones damnatæ n.*35.

## SCHISMA SCHISMATICI

1 SChiſma generice , & large ſumptum eſt nomen Græcum ſciſſuram , & diviſionem ſeu diſruptionem communionis ſignificans . *Cap. Schiſma* 34. *cauſ.* 24. *q.* 1. ibi : *Schiſma ſiquidem ipſum , quod Græcum nomen eſt , ſciſſuram ſonat* .

2 Schiſma multipliciter contingere poteſt , & accipi tam in bonam , quam in malam partem . In bonam partem accipi poteſt , ut Joann. *cap.* 9. *num.* 16. ibi : *ſchiſma erat inter eos.* In malam autem partem , ut 1. *ad Corinth. cap.* 1. *num.* 10. ibi: *Et non ſint in vobis ſchiſmata* . Schiſma vero ſimpliciter prolatum , in malam partem uſurpatur . Et ſchiſma in malam 3
partem uſurpatum ſic definitur : *ſchiſma eſt ſubtractio ab obe-* 4
*dientia Capitis Eccleſiæ formaliter ſumpti , vel ab unione univerſalis* Eccleſiæ . *Eſt in re Communis* .

5 Schiſma ſic definitum dividitur in purum , & mixtum , ſeu
6 conjunctum cum Hæreſi ; *Communis* . Schiſma purum eſt malitioſus receſſus a vera Eccleſia quo ad obedientiam ſolum , & fit , & eſt , cum quis omnes Fidei Articulos , ac etiam Supremam Pontificis poteſtatem , & Primatum in Eccleſia credens ex mera malitia recuſat ſubeſſe , & obedire Summo Pontifici formaliter ſumpto qua tali , ſeu qua Capiti , & Chriſti in terris Vicario , Eccleſiæ univerſali , vel ceteris dictæ univerſalis Eccleſiæ membris uniri , aut unitus , & conjunctus eſſe detrectat . Sic ſchiſma fit & eſt , cum aliquis Principatus, ſeu aliquod Regnum negans obedientiam Summo Pontifici tamquam Capiti univerſalis Eccleſiæ, conſtituit ſibi proprium Patriarcham , aut Epiſcopum , eique in Spiritualibus obedit, ſpretis , ſeu neglectis , & non attentis Papæ mandatis , licet de cetero Papatum , & Articulos Fidei credat , & hujuſmodi Principatus , & Regni Princeps , Rex , & Incolæ in tali caſu ſunt *puri* , & propriæ dicti *Schiſmatici* . Sic in re Doctores communiter .



7 Schiſma mixtum , ſeu conjunctum cum Hæreſi eſt *malitioſus receſſus a vera Eccleſia quo ad obedientiam pariter , & credentiam ; non quo ad omnes Articulos* ( quia tunc eſſet Apoſtata ) ; *ſed quo ad unam , aut plures veritates Catholicas ab Eccleſia definitas , & propoſitas* . Et fit,& eſt , cum quis præter ſeparationem ab unitate veræ Eccleſiæ negat unam , vel plures propoſitiones ab ipſa Eccleſia definitas , & propoſitas , verb. grat. negat Romanum Pontificem eſſe in terris Vicarium Chriſti , & Caput Eccleſiæ,negat Sanctorum Communionem, auricularem Confeſſionem , & hujuſmodi . Hic in tali caſu eſt Schiſmaticus mixtus,quamvis alios Fidei Articulos credat, & approbet . *Sic in re Communis Doctorum* .

8 Advertendum tamen hic eſt , quod ordinarie , & practice loquendo vix unquam noſtris hiſce diebus datur amplius ſchiſma *purum* , ſeu ſine Hæreſi ; Quamvis enim in ſuo principio ſchiſma non habeat perverſum Fidei Dogma , ſicut Hæreſis; tamen in fine nullum ſchiſma eſt ſine Hæreſi , ut ex verbis Sancti Hieronymi recte notatur in *cap. Inter Hæreſim* 26. *cauſ.* 24. *quæſt.* 4. ibi : *Inter Hæreſim , & Schiſma hoc intereſſe arbitramur , quod Hæreſim perverſum Dogma habeat , Schiſma propter Epiſcopalem diſſenſionem ab Eccleſia pariter ſeparat . Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi poteſt : Ceterum nullum Schiſma non aliquam ſibi confingit Hæreſim , ut recte ab Eccleſia receſſiſſe videatur* .

9 Item eſt hic pariter advertendum, quod non omnis receſſus, ſeu ſeparatio a Papa eſt ſchiſma , ſed ſolum receſſus , & ſeparatio ab ipſo tamquam a Vicario Chriſti in terris , & Capite formaliter totius Eccleſiæ ; Unde ſchiſmaticus non eſt, qui Romanum Pontificem tamquam Vicarium Chriſti in terris , & Caput formaliter Eccleſiæ recognoſcit , eique qua formaliter Pontifici obedientiam præſtat , ſed non vult illum recognoſcere tamquam temporalem Dominum alicujus Provinciæ, Civitatis , & hujuſmodi , eique obedientiam denegat , dum jubet , ut arma deponat , bellum contra ipſum non gerat , inviſum , & odioſum Miniſtrum recipiat , & hujuſmodi : Similes enim inobedientiæ , & receſſus adhuc bene compatiuntur cum debita recognitione , & obedientia erga eumdem tamquam Vicarium Chriſti in terris , & Caput formaliter totius Eccleſiæ Catholicæ , nec ſeparant a vera Eccleſia , quatenus eſt Corpus Myſticum . *Sic Communis* .

10 Item proprie *Schiſmaticus* non eſt , qui ſe a quolibet alio Epiſcopo , etiam qua talis eſt , ſeparat , eique obedire detrectat , vel ſe a ſolis membris alicujus particularis Diœceſis , et Eccleſiæ disjungit . Schiſma enim proprie dictum importat ſeparationem , et receſſum ab Eccleſia univerſali , et ejus formaliter Capite , non autem ſolam ſeparationem , et receſſum ab aliqua Eccleſia , et Diœceſi particulari , et ejus Diœceſano , ſeu Epiſcopo ; Quamvis tamen talis ſeparatio , et receſſus poſſit dici aliquo modo ſchiſma large , et improprie . *Communis , argument. cap. Scire* 7. *cauſ.* 7. *q.* 1. *cap. Loquitur* 18. *cauſ.* 24. *q.* 1.

11 Schiſma proprie dictum , et purum differt ab Hæreſi in hoc , quia Hæreſis per ſe , ac directe opponitur Fidei negando , ſeu non concedendo unum , aut plures Fidei Articulos; ſchiſma vero opponitur Caritati , Eccleſiæ unitatem , quæ in Caritate conſiſtit , ſcindendo . *Communis* cum S. Thoma 2.2.
12 *quæſt.* 39. *art.* 1. Reiffenſtuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 8. *num.* 7. Pirhing *ibidem num.* 2. Unde Schiſma , et Hæreſis differunt inter ſe ſicut genus , et ſpecies , ut docet Gloſſa communiter recepta *in citat. cap. Inter Hæreſim* 26. *cauſ.* 24. *quæſt.* 3. *verb. Et Schiſma* . Nam omnis Hæreticus eſt etiam ſchiſmaticus , quia eo ipſo , quod quis falſum dogma , et Eccleſiæ doctrinæ et definitioni contrarium credit ut Hæreticus , eſt etiam ſchiſmaticus , quatenus ab Eccleſiæ unitate recedit,et ſe ſeparat , erroneam et ei contrariam doctrinam ſectando . Non tamen omnis Schiſmaticus eſt etiam Hæreticus , quia poteſt quis omnes Articulos Fidei ab Eccleſia definitos et propoſitos credere , credendo etiam Romanum Pontificem eſſe verum , et unicum univerſalis Eccleſiæ Caput , ſed ex malitia , ſeu prava voluntate nolle ipſo facto eum pro Capite Eccleſiæ recognoſcere , eique obedire , nec aliis membris Eccleſiæ uniri , ſeu conjungi .

13 Hinc conſtat , ſchiſma eſſe errorem voluntatis , et non intellectus , ut eſt Hæreſis : Schiſmaticus enim conſtituitur per contemptum , contumaciam,et inobedientiam , qui actus ſunt voluntatis . Urſaya *Inſtit. crim. lib.* 1. *tit.* 7. *num.* 4. et alii paſſim .

14 Schiſmatici proprie dicti , ſeu puri , et nullam conjunctam habentes Hæreſim pluribus ſubjacent pœnis . Prima talium Schiſmaticorum pœna eſt Excommunicatio major . Colligitur *ex cap. Nulli fas* 5. *diſt.* 19. *cap. De Liguribus* 43. *cauſ.* 23. *quæſt.* 5. Et expreſſe habetur *in Bulla Coenæ* §. 1. ibi : *Excommunicamus Schiſmaticos, & eos qui ſe a noſtra , & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt* .

15 Secunda poena eſt privatio Juriſdictionis Eccleſiaſticæ . Unde omnes collationes Beneficiorum , alienationes rerum Eccleſiaſticarum , ſententiæ Cenſurarum , Abſolutiones &c. a Schiſmaticis factæ ipſo Jure ſunt irritæ ; *cap. Novatianus* 6. *cauſ.* 7. *q.* 1. *cap. Didicimus* 31. *cauſ.* 24. *q.* 1. ibi : *Didicimus Schiſmaticos nil habere Juris , & poteſtatis* , & expreſſe *cap. Quod a Prædeceſſore* 1. *de Schiſmaticis* , in cujus Summario ſic dicitur , *Irritæ ſunt ordinationes , Beneficiorum collationes , & Eccleſiaſticarum rerum alienationes per Schiſmaticos factæ* .

16 Quoad Ordinationes autem *cit. cap. Quod a Prædeceſſore* 1. *de Schiſmaticis* , & *c. Ordinatione* 5. *cauſ.* 9. *q.* 1. ubi diſponitur , quod ſi factæ fuerint a Schiſmaticis , ſint nullæ , & irritæ , debet ſic intelligi , nempe quod accipiens Ordines a Schiſmatico ſit ſuſpenſus ipſo facto ab executione eorum ; Ordines tamen recepti valeant , & Characterem imprimant . *Sic Communis Doctorum* cum Gloſſa *in cit. cap. Quod a Prædeceſſore verb. Irritas* .

17 Tertia poena eſt inhabilitas ad Beneficia , & Dignitates Eccleſiaſticas , & præſertim Epiſcopalem ; *c. quia diligentia* 5. *de electione* ; & *cap. Ad ſuccidendos unic. de Schiſmaticis in*
6. Et quamvis *in cit. cap. Ad ſuccidendos* varii Doctores te- 18
neant , Schiſmaticos privandos eſſe etiam Beneficiis omnibus ante Schiſma obtentis; Quia tamen dicta Bonifacii VIII. Conſtitutio *cit. cap. Ad ſuccidendos* , fuit revocata a Benedicto XI. *Extravag. unic. de Schiſmaticis* . *inter Communes* ſola excepta confiſcatione bonorum ibidem ſtatuta , ideo nos dicimus tales Schiſmaticos non incurrere poenam privationis Beneficiorum ante Schiſma rite obtentorum . Sic Garcias *de beneficiis p.* 11. *cap.* 10. *n.* 151. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 36. *n.* 16. Pirhing. *lib.* 5. *Decr. tit.* 8. *num.* 7. Reiffenſt. *ibid. numer.* 11. & alii .

19 Quarta poena eſt confiſcatio omnium bonorum , *cit. cap. Ad ſuccidendos unic. de Schiſmaticis in* 6. cum aliis Juribus adductis a Card. de Albic. de *Inconſtant. in Fide p.* 1. *c.* 10. *num.* 41.

20 Quinta poena eſt ultimum etiam ſupplicium durante eorum contumacia ; *cap. Non vos* 22. & *c. de Liguribus* 43. *cauſ.* 23. *q.* 7. cum aliis apud Farinac. *q.* 184. *n.* 51. & 52. Card. de Albic. *l. c. n.* 42.

21 Schiſmatici mixti , ſeu habentes adjunctam Hæreſim , quales hiſce temporibus ſunt fere omnes Schiſmatici , uti jam dictum eſt *ſupra n.* 8. ſubjacent omnibus poenis , quibus ſubjacent Hæretici ; Unde vide verb. *Hæreticus* .

22 Si tempore Schiſmatis ſint duo , aut plures Pontifices , & unus ſit certus , ei ſoli eſt adhærendum ; Unde qui aliter facerent , & alteri ſchiſmatico Pontifici , ſeu Antipapæ adhæ-
rerent , eſſent & ipſi ſchiſmatici . *Communiſſima* . Immo in 23
tali caſu ſchiſmatico Pontifici , ſeu Antipapæ adhærentes de fautoria Hæretici puniri deberent . Concil. Conſtantienſ. *ſeſſ.* 12.

24 Si tempore ſchiſmatis ſint duo , vel plures Pontifices , & neſciatur quis ſit vere legitimus Papa , tunc nulli eſt adhærendum , donec Eccleſiæ proviſum ſit de certo Pontifice , & interim recte & tute quiſque ſe gereret adhærendo ſuis Epiſcopis , & Parochis cum animo parato adhærendi illi , quem Eccleſia Chriſti ut verum Papam receperit . *Sic Communior Doctorum* cum Suarez *diſp.* 12. *de ſchiſmate ſect.* 1. *num.* 1. Reiffenſt. *lib.* 5. *Decr. tit.* 8. *n.* 17. & *ſeq.* & Baſſæo *tom.* 2. *verſ. ſchiſma n.* 5. ubi inſuper citat Cajetanum , Silveſtrum
& alios . Quamvis tamen Sayrus *in Theſauro lib.* 3. *cap.* 1. 25
*num.* 22. & alii cenſeant , quod quando duobus , vel pluribus de Pontificatu contendentibus vere neſcitur quis ſit legitimus Pontifex , nec per Concilium Generale res adhuc ſit terminata , tunc tam ipſi , quam eorum ſequaces a peccato excuſentur ; Dummodo vero animo parati ſint ipſi prætenſi Pontifices ad determinationem Generalis Concilii a Papatu ſe abdi-

abdicare, & ipſi eorumque ſequaces illi ſtatim adhærere,
quem Concilium Generale, ſeu Eccleſia Chriſti ut verum
Papam habuerit.
26 Tempore ſchiſmatis, ſi Commercia Civilia ſine ſcandalo
tolli nequeant, permittendum eſt, quod Catholici cum Schiſ-
maticis communicent. Sic declaraſſe ſacram Congregationem
de Propaganda Fide de anno 1626. refert ex Nicolio Urſaya
*Inſtit. Crimin. lib.* 1. *tit.* 7. *n.* 24.
27 Schiſmatici Paſtores ad Eccleſiam reverſi, animarum Cu-
ra non privantur, modo idonei ſint, & conditiones præſcri-
ptas obſervent, nempe ſint pietate, & caſtis moribus conſpi-
cui, bonorum exemplo præluceant, & in reditu ad Eccle-
ſiam nihil fictum ſimulatum, ſed certum ſinceræ converſio-
nis indicium oſtendant, & ab exercitio abſtineant quouſque
reportaverint neceſſariam in utroque Foro abſolutionem,
rehabilitationem, necnon diſpenſationem ab irregularitate,
Cenſuris, & poenis, lapſis in Hæreſim canonice inflictis;
Ritu præterea Catholico adminiſtrent Sacramenta, &
nullum eiſdem cum Schiſmaticis in Divinis ſit conſortium.
Benedict. XIV. tom. 1. Conſt. 129. incip. *Eo quamvis tempore*
§. 12. & 13.
28 Schiſma prout eſt diſtinctum ab Hæreſi, quod raro con-
tingit, nihil aliud eſt, quam ſeparatio ab unitate Eccleſiæ.
Idem *de Servorum Dei Beatificat. & Beatorum Canonizatione*
29 *lib.* 3. *cap.* 20. *n.* 5. Duobus ad Summum Pontificatum, ele-
ctis, ſi ignoretur quis ex eis legitime electus ſit, & aliquis
adhæreat ei, quem putat legitimum Pontificem, ſed cujus
poſtmodum electio minime legitima judicata eſt, non eſt
30 ſchiſmaticus. Idem *ibid. n.* 6. Schiſmaticus autem eſt, qui
perſiſtit in obedientia ejus, quem putavit verum Pontificem,
quia ejus electio nulla judicata eſt ab habente poteſtatem.
31 Idem *ib. n.* 6. In primo caſu poſſunt eſſe, & fuerunt Sancti; Se-
32 cus autem in ſecundo caſu. Idem *ibid. n.* 7. ubi affert pro
33 primo caſu exempla Petri de Luxemburgo, & Ludovici
Alemanni inter Beatos a Clemente VII. legitimo Pontifice
adſcriptorum propter eximias virtutes, & inſignia miracula,
quibus floruerunt, licet dictus Petrus Cardinalis fuerit crea-
tus a Roberto Genevenſi Antipapa, cui adhæſit credens
ipſum legitimum Pontificem, & dictus Ludovicus in Conci-
lio Baſileenſi ſteterit adverſus Eugenium IV. legitimum Pon-
tificem, & Felicem V. Antipapam conſecraverit, attamen
facti poenitens ad Nicolai V. ipſius Eugenii legitimi ſucceſ-
34 ſoris obedientiam rediit, & Eccleſiæ unitatem reſarcivit. Et
aliud exemplum celeberrimi Sancti Vincentii Ferrerii heroi-
cis virtutibus undequaque in vita conſpicui, & maximis mi-
raculis ſemper, & adhuc in dies coruſcantis, mei particula-
ris Advocati, meique etiam cognominis, ut tradit eruditiſ-
ſimus Tirinus *tom.* 2. *in Indice Auctorum litt. V.* ibi: *Vincen-
tius Juſtinianus Antiſtius ex Valentia Hiſpaniæ Ordinis Præ-
dicatorum ſcripſit vitam Confratris, et Concivis ſui B. Vincen-
tii Ferrarii, vel Ferrerii Valentini ex eodem Ordine Prædica-
torum*, qui in teterrimo ſchiſmate inter Petrum de Luna di-
ctum Benedictum XIII. & Angelum Corrarium nuncupatum
Gregorium XII. qui in Concilio Piſano, & ſubinde una cum
Joanne XXIII. in Concilio Conſtantienſi depoſiti fuerunt,
electo in Pontificem Martino V. ac magna parte Hiſpaniæ
Petrum de Luna, ſeu Benedictum XIII. tamquam verum,
& legitimum Pontificem colente, aliquibus vero Italiæ Ci-
vitatibus Angelo Corrario, ſeu Gregorio XII. pariter tam-
quam vero, & legitimo Pontifici adhærentibus, licet ipſe in
primis bona fide Petri de Luna, ſeu Benedicti XIII. partes
ſecutus, auctor etiam fuerit, ut Reges Aragoniæ eidem
adhærerent; attamen ſtatim ac ejus obſtinationem, & malas
artes perſpectas habere coepit, Ferdinando Regi Aragoniæ
perſuaſit, ut ab ejus Obedientia ſe ſubduceret, Edictumque
publicaret, quo ſuis ſubditis inhiberet, quin ullam ad eum,
tamquam ad Pontificem, adhæſionem, quocumque præte-
xtu haberent; ſicque ejus potiſſima opera ſchiſma extin-
ctum penitus fuit.
35 * Schiſmata, quæ vexarunt Romanam Eccleſiam,
vide Thomo 6. hujus Biblioth. in Serie *Romanorum Ponti-
ficum*.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 COmmuniter admittitur, ſchiſma adjunctam habens hære-
ſim crimen eſſe Eccleſiaſticum, prout eſt ipſa hæreſis,
2 adeoque pertinere ad judicium ſolius Eccleſiaſtici Judicis. At
non convenit, num idem obtinere debeat in ſchiſmate mero
ſine hæreſi; Confer *Vaneſpen Jur. Eccleſ. univ. part.* 3. *tit.* 4.
*cap.* 2. §. 2.

SCHISMATICA PROPOSITIO. Vide verb. *Pro-
poſitiones Damnatæ num.* 26.

SCIENTIA CONFESSARII. Vide verb. *Confeſſa-
rius art.* 1. *a n.* 48. *ad* 51.

## SCRIPTURA SACRA.

SCriptura ſacra dicitur *Biblia* a voce Græca *Biblion*, quæ 1
libellum ſignificat. Unde Antonomaſtice Sacra Scriptura
vocatur *Liber*, eo quod ſit omnium Librorum Liber tum ſui
origine, tum ſanctitate, tum præſertim utilitate, jam figura-
tus in illo, quem vidit Joannes *in Apocalypſ. c.* 5. ibi: *Et vi-
di in dextera Sedentis ſuper Thronum Librum ſcriptum intus,
& foris*.
Scriptura Sacra, quæ breviter definitur. *Verbum Dei ſcri-* 2
*ptum*, fuſius, & clarius definitur, quod ſit *Volumen ſacrum
dictante Spiritu Sancto ad ſalutem hominis conſcriptum, et ut
tale ab Eccleſia receptum*. Eſt *in re Communis*.
Dictum ſacrum Volumen eſt aggregatum quoddam ex ſe-
ptuaginta duobus Canonicis libris particularibus, ſcilicet qua- 3
draginta quinque Veteris Teſtamenti, & viginti ſeptem Te-
ſtamenti Novi in unum Codicem redactum. *Communis, ac
certa*. Dicti autem ſeptuaginta duo Libri Canonici ſunt ſe-
quentes recenſiti a Concilio Tridentino *ſeſſ.* 4. *in Decreto de* 4
„ *Canonicis ſcripturis*; nempe „ Geneſis, Exodus, Leviticus,
„ Numeri, Deuteronomium, Joſue, Judicum, Ruth, qua-
„ tuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ primus, & ſe-
„ cundus, qui dicitur Neemias, Tobias, Judith, Eſther,
„ Job, Pſalterium Davidicum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Job,
„ Canticum Canticorum, Sapientia. Eccleſiaſticus, Iſaias,
„ Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Pro-
„ phetæ Minores, *ideſt* Oſeas, Joel, Amos, Abdias Jonas,
„ Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Za-
„ charias, Malachias, duo Machabæorum, primus, & ſe-
„ cundus: Novi Teſtamenti quatuor Evangelia ſecundum
„ Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, Actus Apo-
„ ſtolorum a Luca Evangeliſta conſcripti, quatuordecim E-
„ piſtolæ Pauli Apoſtoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios,
„ ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſen-
„ ſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad
„ Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri Apoſtoli
„ duę, Joannes Apoſtoli tres, Jacobi Apoſtoli una, Judæ
„ Apoſtoli una, & Apocalypſis Joannis Apoſtoli.
Prædictus numerus librorum Canonicorum Sacræ Scriptu- 5
ræ non eſt novus, ſed antiquiſſimus in Eccleſia Catholica, &
receptiſſimus: Omnes enim prædicti libri inter Canonicos
recepti ſunt *in Concilio Carthaginenſi cap.* 47. celebrato anno
397. Item in Concilio Romano I. ſub Gelaſio Papa celebra-
to anno 494. Atque in aliis ſubſequentibus Conciliis, & præ-
ſertim *in Concilio Florentino in Decreto Unionis*. Unde dicti 6
libri *Canonici* dicti ſunt, vel quia continent normam, & re-
gulam, quam in Fide, & moribus ſequi tenemur; *Canon
enim Græce, Latine Regula nuncupatur*, textu expreſſo *in c.
Canon* 1. *diſtinct.* 3. vel quia in Catalogum librorum Divino-
rum ſunt ab Eccleſia in dictis Conciliis relati.
Libri ſpectantes ad Teſtamentum vetus dividuntur in qua-
tuor Claſſes, ſcilicet in Legales, Hiſtoriales, Sapientiales, & 7
Prophetales. *Legales* ſunt quinque libri Moyſis, ſeu Pen-
tatheuccus ideſt Geneſis, Exodus, Leviticus Numeri, Deu-
teronomium. *Hiſtoriales* ſunt Joſue, Judicum, Ruth, Re-
gum, Paralipomenon, Machabæorum, Job, Eſdræ, Tobiæ,
Judith, Eſther. *Sapientiales* ſunt Proverbia, Eccleſiaſtes,
Cantica, Sapientia, Eccleſiaſticus. *Prophetales* ſunt Pſal-
mi, quatuor Majores Prophetæ, Iſaias, Jeremias, Ezechiel,
Daniel, & duodecim Minores, Oſeas, Joel, Amos, Mi-
chæas, Abdias, Jonas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Ag-
gæus, Zacharias, Malachias.
Libri ſpectantes ad Teſtamentum novum dividuntur & ipſi 8
in quatuor Claſſes, ſcilicet legales, Hiſtoriales, ſapientiales,
& Prophetales. *Legales* ſunt quatuor Evangelia Matthæi,
Marci, Lucæ, & Joannis. *Hiſtoriales* ſunt Actus Apoſtolo-
rum. *Sapientiales* ſunt quatuordecim Epiſtolæ Divi Pauli,
una Divi Jacobi, duæ divi Petri, tres Divi Joannis, & una
Divi



Divi Judæ Thaddæi. *Prophetales* tandem Apocalypſis Bea-
ti Joannis Apoſtoli.
9 Recollectio dictorum omnium librorum vocatur Teſta-
mentum vetus, & novum duplici ratione; Prima quia ſicuti
Teſtamentum eſt charta ſcripta, in qua continetur ultima
voluntas hominis, ſic in illis libris continetur ultima Dei Vo-
luntas, & Lex, quam Deus vult ab hominibus ſervari. Se-
cunda quia ſicuti Teſtamentum eſt, quo bonorum tempora-
lium defertur hæreditas intercedente Teſtatoris morte, qua
contingente, cum eſſet antea clauſum & obſignatum, aperi-
tur; Ita per dictos libros ſacros defertur nobis hæreditas bo-
norum Cœleſtium, & Chriſti morte in ea confirmamur, iiſ-
que apertis legimus non eſſe Dei heredes, & cohæredes
Chriſti.
10 Unum autem ex dictis duobus Teſtamentis vocatur *Vetus*,
quia ipſum tamquam jam antiquatum, & inveteratum deſiit
obligare adveniente *Novo*, uti patet in Teſtamentis, quo-
rum primum jam ceſſat valere adveniente ejuſdem Teſtatoris
ſecundo. Et aliud vocatur *Novum* propter novitatem ſpiri-
tus, quam affert lex Chriſtiana in eo contenta, quæ novos
effectus, novoſque ardores erga Deum excitat in iis, qui il-
lam amplectuntur, & vere obſervant; unde a veteri Teſta-
mento ad Teſtamentum novum proceditur tamquam a figura
ad ſuum figuratum, a ſigno ad ſuum ſignatum, & a parabo-
la ad ſuam veritatem, quia *Lex per Moyſem data eſt, gratia,
& veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*, ut expreſſe habetur
Joannis *cap.* 1. *n.* 17.
11 Omnes prædicti Libri, tum veteris, tum novi Teſtamen-
ti ſunt ab omnibus pro Sacris & Canonicis, ſeu a Deo in-
ſpiratis habendi, & qui ipſos omnes ut tales non ſuſce-
perit, aut aliquam veritatem in ipſis contentam negave-
rit, erit Hæreticus; Unde Concil. Trident. *citat. ſeſſ.* 4. *in
Decreto de Canonicis Scripturis* poſt enumeratos ſupradictos
omnes Libros ſic expreſſe concludit: *Si quis autem Libros
ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Ca-
tholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Editione ha-
bentur, pro Sacris, & Canonicis non ſuſceperit, anathema ſit*.
12 Libri alii duo, ſcilicet tertius, & quartus Eſdræ non ſunt
ab Eccleſia recepti pro Canonicis, quamvis ſint magnæ aucto-
ritatis, & a Sixto V. in Sacris Bibliis poſt Libros Canonicos
una cum Oratione Manaſſe fuerint appoſiti, ne penitus pe-
reant, & ut a Patribus citati reperiantur.
13 Et tanto minus pro Canonicis habentur ab Eccleſia liber
tertius, & quartus Machabæorum, cum ipſi ſint, & a Ca-
none, & a Bibliis penitus excluſi, ut patet.
14 Item pro Canonicis non habentur ab Eccleſia plura Evan-
gelia, quæ ſub nomine diverſorum Apoſtolorum, ut Tho-
mæ, Andreæ, Bartholomæi, Thaddæi, Barnabæ &c. cir-
cumferuntur conſcripta. Sicuti nec pro Canonicis habentur alii
Libri, de quibus omnibus fit mentio *in cap. Sancta Romana* 3.
*diſt.* 15. ibique a Gelaſio Papa pro Apocryphis declarantur.
15 Ex Libris Sacris plures, & plures perierunt. Ita S. Joan-
nes Chryſoſtomus *Homil.* 9. *in Matt. & Homil.* 7. *in primam
ad Corinth.* Bellarmin. *tom.* 1. *de Verbo Dei lib.* 4. *cap.* 4. Abu-
lenſis *in Numer. cap.* 21. *q.* 3. & alii communiter; Et hoc
clare conſtat ex pluribus locis ipſiuſmet Sacræ Scripturæ. *In
primo enim Libro Paralipomenon cap. ult.* fit mentio Libri Sa-
muelis videntis, & Libri Nathan Prophetæ, atque libri Gad
videntis, ibi: *Geſta autem David Regis propria, & noviſſi-
ma ſcripta ſunt in libro Samuel videntis, & in libro Nathan
Prophetæ, atque in Volumine Gad videntis*. Et 2. *Paralipo-
menon cap.* 9. fit mentio libri Nathan Prophetæ, libri Ahiæ
Silonitis, & libri Addo videntis, ibi: *Reliquia autem opera
Salomonis priorum, & noviſſimorum ſcripta ſunt in libris A-
biæ Silonitis, in viſione quoque Addo videntis*. Et ibidem
*cap.* 12. fit mentio libri Addo videntis, ibi: *Opera vero Ro-
boam prima, & noviſſima ſcripta ſunt in libris Semejæ Pro-
phetæ, & Addo videntis*. Et ibidem *cap.* 20. fit mentio li-
bri Jehu filii Anani, ibi: *Reliquia geſtorum Joſaphat priorum,
& noviſſimorum ſcripta ſunt in verbis Jehu filii Anani*. Et 3.
*Reg. cap.* 4. fit mentio de libro trium millium Parabolarum,
& ejus Carminum quinque & mille Salomonis ibi: *Loquutus
eſt quoque Salomon tria millia Parabolas, & fuerunt Carmina
ejus quinque & mille*. Et ibidem *cap.* 11. fit mentio de libro
verborum dierum Salomonis ibi: *Ecce univerſa ſcripta ſunt
in libro verborum dierum Salomonis*. Et ibidem *c.* 14. fit men-
tio libri ſermonum dierum Regum Juda, ibi: *Ecce ſcripta
ſunt in libro ſermonum dierum Regum Juda*. Et 2. *Machabæo-
rum cap.* 2. fit mentio libri Jaſonis Cirenæi, ibi: *Itemque ab
Jaſone Cirenæo quinque libris comprehenſa*. Et *ad Coloſſenſes
cap.* 4. *fit mentio Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli ſcriptæ ab ipſo ad
Laodicenſes*, ibi: *Et cum lecta fuerit Epiſtola hæc, facite
ut & in Laodicenſium Eccleſiam legatur, & eam, quæ Laodi-
cenſium eſt, vos legatis*. Et *in Epiſtola Catholica Judæ Apo-
ſtoli* fit mentio de libro Enoch Prophetæ, ibi: *Prophetavit
autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch dicens; Ecce venit
Dominus in Sanctis millibus ſuis &c.* Omnes autem prædicti
Sacri Libri, & alii brevitatis gratia relicti, tum veteris, tum
novi Teſtamenti Deo permittente perierunt, vel quia homi-
nes deſides eos non cuſtodierunt, vel quia impii eos combu-
ſerunt, vel quia ſe illis indignos præbuerunt, vel ob alias cau-
ſas ipſi ſoli Deo notas.
Prima editio Sacræ Scripturæ facta eſt *Hebraicæ* quoad fe- 16
re totum Teſtamentum. *Sic Communior, & fere omnium
ſententia*. Dicitur autem notanter: *Quoad fere totum*, quia
libri Eſdræ, & Danielis, teſte S. Hieronymo *Epiſt.* 120. *præ-
fat. in Daniel.* ſcripti ſunt (a) lingua Chaldaica, ſicuti non-
nulli aſſerunt de libro Tobiæ, libro Judith. librum autem Sa-
pientiæ vult Sanctus Hieronymus *Epiſt.* 115. *ad Chromatium*
fuiſſe ſcriptum lingua Græca, ſicuti eadem lingua Græca fuiſ-
ſe ſcriptum librum 2. Machabæorum teſtatur idem Hieronymus
*in Prologo Galeato*.
Quo vero ad fere totum Teſtamentum novum facta eſt 17
*Græce*. *Sic fere Communis opinio*. Apoſtolorum enim tem-
pore apud Judæos valde familiare erat Idioma Græcum.
Dicitur autem notanter: *Quoad fere totum*, quia Evangelium
Matthæi fuit ab ipſo ſcriptum lingua Hebraica, ut tenent fe-
re communiter Doctores cum S. Hieronymo *lib. de Scriptori-
bus Eccleſiaſticis num.* 5. ubi loquens de S. Matthæo ſic expreſ-
ſe dicit: *Evangelium Chriſti Hebraicis litteris verbiſque com-
poſuit*. Et Evangelium Marci ſecundum communiorem
opinionem fuit ab ipſo ſcriptum primo *Lingua Latina* in gra-
tiam Romanorum, & ſecundo *Lingua Græca* in gratiam
Alexandrinorum. Et Epiſtola ad Hebræos, ut tenet com-
munis ſententia cum Sancto Hieronymo *libro de Scriptoribus
Eccleſiaſticis numer.* 15. fuit ſcripta *lingua Hebræa* (b).
Secunda editio Sacræ Scripturæ quoad totum Teſtamentum 18
vetus eſt Paraphraſis Chaldaica; Tota enim Scriptura vetus
tranſlata eſt Paraphraſtice ex Hebræo in Chaldæum, quam
Paraphraſim ipſi Hebræi *Targum* vocant, ut recte notat Car-
din. Bellarmin. *tom.* 1. *de Verbo Dei lib.* 2. *cap.* 3. Hæc Pa-
raphraſis Chaldaica tres habet Auctores, ſcilicet R. Onke-
lum, R. Jonatham Urielis filium, & R. Ioſeph Cæcum,
qui omnes quilibet pro ſua parte totam veterem ſcripturam
in Chaldaicum tranſtulerunt. Paraphraſis autem in hoc dif- 19
fert a Translatione, ſeu Verſione, quod in Translatione, ſeu
Verſione verba Auctoris transferantur in aliam linguam ſine
additione, & mutatione, ſeu de verbo ad verbum; In Para-
phraſi autem verba Auctoris transferuntur in aliam linguam
cum additionibus, & mutationibus, & in ipſa magis ſenſus
de ſenſu, quam verbum de verbo exprimatur; Unde Para-
phraſis juxta communem intelligentiam eſt: *Explicatio rei
per ſermonem copioſiorem, & dilucidiorem*.
Tertia editio Sacræ Scripturæ ex Hebraico in Græcum quo 20
ad totum Teſtamentum vetus, ut docet probabilior ſententia,
fuit ſeptuaginta Interpretum, qui anno Ptolemæi Philadel-
phi 17. & ante Chriſtum 272. incluſi in Cellulis ſeparatis to-
tum vetus Teſtamentum ex Hebræo in Græcum tranſtulerunt
72. dierum ſpatio non ſine ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia,
cum ſeparatim ſcribentes quiſque in ſua propria Cellula ſeor-
ſum ab aliis non ſolum in eundem ſenſum, in eaſdem ſen-
tentias, ſed etiam in eadem verba, in eandem verborum ſe-
riem, immo & in eoſdem apices coinciderint; Hinc S. Joan-
nes Chryſoſtomus *homil.* 3. *in Geneſim* hanc Translactionem
vocat *Rarum miraculum*. Sic tenent S. Juſtinus *in Oratione
exhortatoria ad Gentes*, ubi dicit ſe apud Alexandriam veſti-
gia harum Cellarum vidiſſe; S. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 25. S. Cy-
rillus *Catecheſi* 4. S. Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Stromat.*
S. Au-

(a) Aliqua ſcilicet eorum capita, ut patet hebraicam ve-
ritatem conſulenti.

(b) Vide tamen Prolegomen Eruditiſſimi Auguſtini Cal-
met, ubi contrarium adſtruitur.

S. Auguſtinus *lib.* 18. *de Civitate Dei cap.* 32. & alii Recentiores citantes pro hac ſententia Philonem *lib.*2. *de vita Moyſis*, Tertullianum *in Apologetico cap.*10. & S. Joann. Chryſoſtomum *homilia* 5. *in Matthæum*, & ſic plurimi alii contra alios, & ſignanter contra S. Hieronymum *Epiſt.*104. *præfat. in Pentatheucum*, ubi expreſſe negat, & ridet Hiſtoriam hanc de tot Cellulis ſeparatis: *Neſcio* inquit *quis primus Auctor ſeptuaginta Cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxerit &c.*

21 Unde dictus S. Hieronymus tenet, quod Septuaginta duo Interpretes, ſenes viri Hebræi ex qualibet Tribu filiorum Iſrael, utriuſque linguæ, ſcilicet Hebraicæ, & Græcæ peritiſſimi, ſpatio dierum ſeptuaginta duorum in eadem Baſilica ſedentes, & inter ſe conferentes Sacram Scripturam tranſtulerint: Et hoc probat Teſtimonio Ariſtææ *in hiſtoria de hac ipſa re*, qui Ariſtæas negotio interfuit, & expreſſe dicit, quod ipſi ſimul conferendo ſingulis diebus uſque ad horam nonam, hanc verſionem tandem ſeptuaginta duobus diebus abſolverint. Idemque confirmat teſtimonio Joſephi Hebræi, qui licet eſſet cupidiſſimus gloriæ ſuæ gentis, tamen *lib.* 12. *antiquitat. cap.* 2. referens hac hiſtoriam, nequidem mentionem facit de dictis ſeparatis Cellulis. Sic etiam Euſebius videtur fuiſſe ejuſdem opinionis, quia *libro octavo de præparat. Evang. cap.* 1. narrat rem totam ſine ulla mentione de dictis ſeparatis Cellulis, referens ad verbum quæ habentur in libro Ariſtææ.

22 Sanctus Epiphanius autem *in libro de menſuris, & ponderibus* contra fere omnium ſententiam ponit ſolum triginta ſex Cellulas, cum alii vel ſeptuaginta duas, vel nullas ponant. Scribitque dictus Sanctus Epiphanius, quod hi Interpretes bini, & bini fuerint incluſi in Cellulis triginta ſex, & Divino miraculo ſingula paria ipſorum iiſdem verbis totam Scripturam tranſtulerint, ita ut ſimul confecerint triginta ſex exempla ejuſdem prorſus verſionis.

23 Sanctus Auguſtinus vero, licet *lib.*18. *de Civitate Dei c.* 42. videatur conſentire cum iis, qui affirmant dictas Cellulas, ut patet *ſupra num.*21. Tamen *lib.*2. *de Doctr. Chriſtian. cap.*15. non audet abſolute rem affirmare; Sed illud ab omnibus decantatum de iſtis Interpretibus, quod quaſi uno ore Scripturam verterint, rectiſſime intelligi poſſe ſignificat, tam ſecundum eos, qui Cellulas affirmant, quam ſecundum illos, qui ipſas negant. De Cellulis enim non habetur certa ſententia, cum ſcriptores abierint in diverſa.

24 Supradictis verſionibus Græcis ſucceſſerunt Latinæ, Teſtamentum vetus ex Hebreo, & Teſtamentum novum ex græco transferentes, & iſtæ verſiones Latinæ ſunt innumeræ, ut patet ex S. Hieronymo *Epiſt.* 105. *Præfat. in Joſue*; *cum apud Latinos tot ſint æxemplaria, quot Codices, unuſquiſque pro arbitrio ſuo, vel addiderit, vel ſubtraxerit, quod ei viſum eſt.*

25 Ex omnibus autem Latinis verſionibus, & editionibus ſola vetus, & vulgata Editio eſt vere authentica, & pro tali ab omnibus habenda. Sic expreſſe ſtatuit Conc. Trid. *ſeſſ.*4. *in Decreto de editione, & uſu Sacrorum Librorum*, ibi: *Inſuper eadem Sacroſ ancta Synodus conſiderans non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur Sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda ſit innoteſcat, ſtatuit, & declarat, ut hæc ipſa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot Sæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt in publicis lectionibus, prædicationibus, & expoſitionibus, pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat.*

26 Auctor hujus vulgatæ editionis non eſt unus ſolus, ut recte advertit Bellarminus *Tom.*1. *lib.* 1. *de verbo Dei cap.*11. *verſ. Nam vulgata*, ubi ſic expreſſe habet: *Nam vulgata editio non eſt unius Auctoris, ſed quædam habet ex S. Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædan ex alio quodam Interprete innominato*; Ita tamen ut fere tota ſit a Sancto Hieronymo, aut verſore, aut aliorum correctore, ut notant paſſim Doctores.

27 Senſus ſacræ Scripturæ generatim, ac prima ſui diviſione eſt duplex, nempe unus *Litteralis*, & alter *Spiritualis*, ſeu *Myſticus*. *Communis inter Catholicos*.

28 *Litteralis ſenſus* eſt ille, quem verba ipſa immediate ſignificant, ita ut ſenſus litteralis ſit præciſus ſenſus litteræ, ſeu verborum. Senſus autem *Spiritualis*, ſeu *Myſticus* eſt ille, quem non immediate verba ipſa ſignificant, ſed ſolum mediate, nempe mediis illis rebus, quas verba immediate ſignificant, ita ut ſenſus ſpiritualis, ſeu myſticus ſit ſenſus rerum ſecundum myſterium. Sic eadem verba eodemque loco ſignificant litteraliter, & ſpiritualiter, ſeu miſtice; ut patet *in Epiſtola Pauli Apoſtoli ad Galatas cap.* 6. ubi eadem verba, quæ litteraliter indicant, quod *Abraham duos filios habuit, unum de Ancilla, & unum de Libera*, ſpiritualiter, ſeu myſtice ſignificant vetus, & novum Teſtamentum, ut ibidem expreſſe dicit Apoſtolus: *Hæc enim ſunt duo Teſtamenta*. Item eadem Hiſtoria Agni Paſchalis *Exodi cap.*12. litteraliter ſignificat Ritum Agni Paſchalis a Judæis olim immolandi, ſpiritualiter vero, ſeu Myſtice ſignificat Chriſtum pro ſalute totius mundi in Ara Crucis poſtmodum immolatum. Item eadem verba in uno loco Sacræ Scripturæ ſignificane Litteraliter, & in alio Spiritualiter, ſeu Myſtice, ut patet de eodem hoc verbo *Aqua*, quæ primo Geneſis Litteraliter ſignificat elementum: *Congregentur Aquæ in locum unum, & in Pſalm.* 65. Spiritualiter ſignificat Tribulationes ibi: *Tranſivimus per ignem & aquam*. *Joann. cap.* 4. Myſtice ſignificat Donum Gratiæ ibi: *Si ſcires Donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forſitan petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam*. Et *joann. capit.*3. Myſtice, ſeu ſpiritualiter ſignificat Baptiſmum, ibi: *Niſi quis renatus fueirt ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Et ſic de aliis.

Senſus Litteralis ſubdividitur in *proprium*, & in *improprium* 29
ſeu *translatum*, vel *figuratum*. *Communis*. *Proprius* eſt ille, quem verba in propria, & primaria ſua ſignificatione capta immediate ſignificant, Si *aqua* proprie ſignificat elementum, terram abluens: *Ignis* proprie ſignificat elementum calefactivum, & combuſtivum, & ſic de aliis. *Improprius*, ſeu *translatus*, vel *figuratus* eſt ille, quem verba improprie, ſeu figurate, & tropice accepta ſignificant. Sic Chriſtus Domi- 30
nus improprie, ſeu tropice, & figurate per metaphoram, ſeu ſimilitudinem, & non per proprietatem dicitur Leo, Petra, Vitis, & hujuſmodi. *Sic Doctores communiter.*

Item ſenſus Spiritualis, ſeu Myſticus ſubdividitur in *Allego* 31
*icum* correſpondentem Fidei, *Anagogicum* correſpondentem ſpei, & in *Tropologicum*, ſeu *Moralem* correſpondentem Caritati; Juxta enim numerum dictarum trium Virtutum Theologicarum aſſignantur tres dicti ſenſus Myſtici Sacræ Scripturæ ipſis correſpondentes. *Communis*.

Senſus *Allegoricus* correſpondens Fidei eſt, cum verba 32
Sacræ Scripturæ ultra ſenſum Litteralem ſignificant, & oſtendunt aliquid credendum. Dicitur enim *Allegoricus* a nomine Græco *Aleon*, quod eſt *alienum*, & a *Loges*, quod eſt *ſermo* quaſi ſit alienus ſermo ab eo, quem verba literaliter important. *Communis*,

Senſus *Anagogicus* correſpondens Spei eſt, cum verba ultra 33
ſenſum litteralem ſignificant, & oſtendunt aliquid ſperandum in æterna Beatitudine; dicitur enim *Anagogicus* a nomine Græco, *Ana*, quod eſt *Surſum*, & a *Goce*, quod eſt *ductio*, quaſi ſit quid ſurſum ducens, ſeu locutio nos ducens a terrenis ſurſum ad Cœleſtia, *Communis*.

Senſus *Tropologicus*, ſeu *Moralis* correſpondens Caritari eſt 34
cum verba ultra ſenſum litteralem ſignificant, & oſtendunt aliquid moraliter agendum, ſeu aliquod opus Caritatis exercendum; Dicitur enim *Tropologicus*, a nomine Græco *Tropos* quod eſt *Converſio*, & a *Logos*, quod eſt *ſermo*, quaſi ſit ſermo converſus ad morum inſtitutionem. *Communis*.

Unde juxta huc uſque dicta clare infertur, quod ſunt qua- 35
tuor ſenſus Sacræ Scripturæ, ſcilicet *Litteralis*, *Allegoricus*, *Tropologicus*, & *Anagogicus*, omnes breviter contenti in his duobus verſiculis.

*Littera geſta docet, quid credas Allegoria;*
*Moralis quid agas, quid ſperes Anagogia.*

Omnes dicti quatuor ſenſus poſſunt reperiri in uno Sacræ 36
Scripturæ paſſu, ut clare patet *in Epiſtola Apoſtoli ad Galatas cap.*4. ubi aperte exprimuntur omnes in Filiis Abrahæ. Immo omnes dicti quatuor ſenſus reperiuntur in hac voce *Jeruſalem*, quę *Litteraliter* ſignificat Urbem Palæſtinæ, *Allegoricæ* ſignificat Sanctam Eccleſiam militantem a nobis credendam juxta illud *Apocalypſ.*25. *Vidi Civitatem Sanctam Jeruſalem novam deſcendentem de cælo a Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Tropologice*, ſeu *Moraliter* ſignificat animam noſtram ſanctis moribus, & virtutibus ornandam, juxta illud *Jeremiæ cap.* 2. *Jeruſalem, Jeruſalem convertere ad Dominum Deum tuum*. *Anagogice* ſignificat Eccleſiam Triumphantem, ſcilicet Patriam Coeleſtem a nobis ſperandam, juxta illud Apoſtoli *ad Galatas cap.*4. *Illa, quæ ſurſum eſt, Jeruſalem, eſt libera, quæ eſt Mater noſtra.* 37

Non poſſunt tamen omnes dicti ſenſus reperiri in quolibet

Sacræ



Sacræ Scripturæ paſſu; multi enim allegari poſſunt Sacræ Scripturæ paſſus, ubi nullus eſt ſenſus Myſticus, ſed ſolummodo *Litteralis*, ut patet in illo *Mathæi c.*22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Et in illo *Marci ultimo*: *Euntes docete omnes gentes*, & ſic in plurimis ſimilibus. E contra multi poſſunt allegari paſſus, ubi nullus eſt ſenſus *Litteralis*, ſed ſolummodo *Myſticus*, ut patet in *Judic. cap.*9. *Ierunt ligna, ut ungerent ſupra ſe Regem*. ibi enim nullus ſanæ mentis dicet adeſſe ſenſum Litteralem, cum ſolummodo adſit ſenſus Myſticus, intelligendo per *ligna* habitatores Civitatis Sichen, qui ut in eodem loco exponitur, conſtituerunt Abimelech in ſuum Regem. Et illo 1 *Reg. cap.*2. *num.*35. *Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam faciet*, ubi ly *Cor*, & *Animam* non poteſt ſumi in ſenſu Litterali, quia Deus non habet Cor, & Animam, ſed ſolum in ſenſu Myſtico per voluntatem, & ſic de innumeris aliis ſimilibus.

38 Quamvis Sacræ Sripturæ interpretatio Doctrinalis, & Magiſterialis ſecundum Sanctorum Patrum conſenſum poſſit fieri a viris Doctis, & idoneis, ut patet de tot Sacris Expoſitoribus, & tenet Communis Doctorum, Tamen interpretatio Canonica, & infallibilis veri illius tenendi ſenſus pertinet ſolummodo ad ſanctam Matrem Eccleſiam. *Communis inter Catholicos, &* habetur expreſſe a Concilio Trid. *ſeſſ.*4. *in Decreto de editione, & uſu Sacrorum Librorum*, ibi: „ Præterea ad
„ coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſuæ pru-
„ dentiæ innixus, in rebus Fidei, & morum, ad ædificatio-
„ nem Doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scriptu-
„ ram ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem
„ tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare
„ de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum,
„ aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam
„ Scripturam ſacram interpretari audeat, etiamſi hujuſmo-
„ di interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendę
„ forent: qui contravenerint, per Ordinarios declarentur,
„ & pœnis a Jure ſtatutis puniantur.

39 Sacra Scriptura legi nequit lingua vulgari omnibus alicujus Patriæ communi, niſi ab habentibus ad id legitimam licentiam, ſeu facultatem. Habetur expreſſe *in Regula* 4. *Indicis Librorum prohibitorum*, ubi inſuper redditur ratio, ibi:
„ Cum experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari
„ lingua paſſim ſine diſcrimine permittatur, plus inde ob ho-
„ minum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri.

40 Unde merito Clemens XI. die 8. Septembr. 1713. in Conſtitut. incip. *Unigenitus Dei Filius* damnavit ſequentes propoſitiones Paſchaſii Queſnelli contendentis, male ab Eccleſia prohiberi ulli homini fideli, etiam laico, & fœminæ lectionem ſacræ Scripturæ, ac præſertim novi Teſtamenti in vulgari lingua: Propoſitiones igitur ſunt iſtæ, ſcilicet 79. in ordine; „ Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni lo-
„ co, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere
„ ſpiritum, pietatem, & myſteria ſacræ Scripturæ. 80. ibi:
„ Lectio ſacræ Scripturæ eſt pro omnibus. 81. ibi, „ Obſcu-
„ ritas ſancta verbi Dei non eſt laicis ratio diſpenſandi ſe ip-
„ ſos ab ejus lectione. 82., ibi: Dies Dominicus a Chri-
„ ſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia
„ ſanctarum Scripturarum; damnoſum eſt velle Chriſtianum
„ ab hac lectione retrahere: 83. ibi: Eſt illuſio ſibi perſua-
„ dere, quod notitia Myſteriorum Religionis non debeat
„ communicari Feminis lectione ſacrorum Librorum. Non
„ ex Fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba Virorum
„ ſcientia ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt Hære-
„ ſes. 84. ibi: Abripere e Chriſtianorum manibus novum
„ Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis
„ modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.
85. ibi: „ Interdicere Chriſtianis lectionem ſacræ Scripturæ,
„ præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lu-
„ cis, & facere, ut patiantur ſpeciem quamdam Excommu-
„ nicationis. 86. ibi „ Eripere ſimplici populo hoc ſola-
„ tium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus
„ contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.

41 SacraScriptura abutentes in Sortilegiis, Incantationibus &c. Juris, & arbitrii pœnis debent ab Epiſcopis puniri. Concil. Trident. *ſeſſ.*4. *in Decreto de editione, & uſu Sacrorum Librorum.*

42 Sacram Scripturam convertentes ad uſus profanos, verba jocoſa, ſcurrilia, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, ſortes, libellos etiam famoſos, &c. eodem modo puniri debent. Concil. Trid. *l. c.*

43 Sacrę Scripturæ Lector, ſeu Expoſitor tenendus eſt in Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis exiſtentibus in aliquo inſigni Oppido. Conc. Trid. *ſeſſ.*5. *cap.* 1. *de reform.* Et talis Lector eſt examinandus ab Epiſcopo Concil. Trid. 44
*cit. cap.* 1.

Sacræ Scripturæ Lector tenendus eſt etiam in Monaſteriis 45
Regularium, & Epiſcopus ut Papæ delegatus poteſt ad hoc compellere Superiores. Concil. Trident. *cit. cap.* 1. At iſte Lector pro Monaſteriis Regularium non debet, nec poteſt 46
examinari ab Epiſcop. Concil. Trident. *cit. cap.* 1.

Sacræ Scripturæ lectio in Conventibus Regularium debet 47
fieri bis in hebdomada, & ea finita, debet fieri collatio de illa; Clemens VIII. conſtitut. 50. incip. *Nullus* §. 1.

## APPENDIX,

### *De Sacra Scriptura*

### NOVUS ARTICULUS.

I. ADdimus novum de Sacra Scriptura Articulum, ut ea quæ brevitatis cauſſa ab Authore Bibliothecæ prætermiſſa ſunt, fuſius Lectoribus noſtris exhibeamus. Itaque Sacram Scripturam Libros illos vocamus ab hominibus ſcriptos, quos Deus ſelegit, ac veluti miniſtros adhibuit, ut Divino ejus verbo ſcripto hominibus manifeſtaret voluntatem ſuam. Librorum numerus is eſt, quem Author ex Decreto Concilii Tridentini deſcripſit. Nos vero paucis indicabimus controverſiam, quæ hac de re occurrit inter Orthodoxos, & Novatores. Primum vero agemus generatim de Sacræ ſcripturæ veritate, & integritate; & aſſiſtentia illa, qua ſcriptoris ſacri adjuti divinos libros conſcripſerunt. Deinde de Canone Sacrarum ſcripturarum; & de eo, ad quem ſpectat Sacrarum ſcripturarum Canonem decernere, & infallibili auctoritate Eccleſiæ proponere. Præterea de Sacrorum librorum verſionibus; ubi etiam de lectione Sacræ Scripturæ in lingua vernacula. Denique regulas nonnullas exponemus, quarum beneficio erui, inveſtigari, ac cognoſci poſſit verus Sacræ Scripturæ ſenſus.

II. Duplici in ſenſu veram ſacram Scripturam affirmare poſſumus, ſcilicet pro ut verum fictitio, & ſuppoſito opponitur, & prout falſo adverſatur. Hic in priori ſenſu Sacræ Scripturæ veritatem tuemur: Nam ſi hac ratione vera & integra ſtatuatur, pro falſa haberi non poteſt; cum verbum Dei exhibeat, quod falſo ſubeſſe nequit: Nam Deus, infinite ſapiens cum ſit, falli nequit, & cum ſit infinite bonus, nequit fallere. Facile vero oſtendimus veros & genuinos eſſe, non vero ſuppoſititios Sacræ Scripturæ libros. Tales enim habendi ſunt, ſi quovis ſæculo adſcripti Authoribus fuerint, quorum nomen præſeferunt: Hoc enim argumento Viri docti, atque Critici, vera eſſe & genuina antiquorum opera probant. Sed Moſi Synchroni, & Prophetarum coætanei, ac ſubſequentium ſæculorum homines, tamquam germanum illorum fætum tradidere libros ab illis exaratos; Idemque Chiſtiani Apoſtolorum auditores docuerunt de libris Novi Teſtamenti, atque ita ad noſtram uſque ætatem non interrupta ſerie factum eſt. Hoc argumenro uſus eſt Auguſtinus contra Manichæos Sacrarum Scripturarum veritatem negantes *lib.* 28. contra Fauſtum *cap.*6. Videantur Daniel Huetius in ſua Demonſtratione Evangelica, Natalis Alexander *Tom.*1. *Hiſtor. Eccleſ.* Alexand. Mazzinelli *de Locis Theol. diſſert.* 1. Elias Dupinus, aliique doctiſſimi Theologi, qui ſcripſerunt adverſus Hobbeſium, Spinozam, & Iſaacum Pereyrum, qui poſt Aben Eſram temerarium Scriptorem Judæum duodecimi ſæculi, Pentateuchum Moſi adjudicare conati ſunt: ii enim invictiſſimis argumentis demonſtrat, Pentateuchum eſſe genuinum Moſis fætum; & aut ſingillatim oſtendunt, ſingulos cum Veteris, tum Novi Teſtamenti libros genuinos eſſe, aut regulas præſcribunt, quarum uſu id quiſquæ facile demonſtrare poſſit.

III. Sacra Scriptura eſt etiam integra, ſaltem quoad partes eſſentiales. Primum id conſtat auctoritate ſimul, & rationibus Sancti Hieronymi, qui quamvis in Commentario in *cap.* 3. Epiſtolæ ad Galatas in oppoſita opinione verſari videatur, re tamen diligentius conſiderata hæc ſcripſit *cap.* 6. Commentarii in Iſaiam: Si aliquis dixerit Hebræorum libros poſtea a Judæis eſſe falſatos, audiat Origenem quid in octavo volumine explanationum Iſaiæ huic reſpondeat quæſtiunculæ, quod numquam Dominus, & Apoſtoli, qui cætera

crimina arguunt in Scribis & Phariſæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuiſſent : Sin autem dixerint poſt adventum Redemptoris, & prædicationem Apoſtolorum libros hebræos fuiſſe falſatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Evangeliſtæ, & Apoſtoli, ita teſtimonia protulerint, ut Judæi falſaturi erant; ergo nec ante, nec poſt Chriſti adventum corrupta eſt Sacra Scriptura Veteris Teſtamenti. Deinde fieri non potuit, ut Judæi ſacros Codices adulterarent nemine advertente, ac reclamante nemine; 1. quia in ſingulis familiis ſaltem Tribus Levi, utpote conſecratis miniſterio Altari, Sacri libri reperiabantur, & Judæi ubique terrarum diſperſi hos penes ſe religioſe cuſtodiebant. 2. quia in eam corruptionem conſentire etiam debuiſſent Auctores Verſionis Septuaginta Interpretum, quæ in ſubſtantialibus capitibus ab hebraicis codicibus non diſſidet. 3. quia credibile non eſt voluiſſe Judæos ſacros Codices depravare, in quos tanto ſtudio & reverentia ferebantur, ut parati eſſent mortem potius ſubire, quam vel apicem in illis immutare, ut ſcribunt Juſephus lib. 1. contra Appionem, & Philo apud Euſebium lib. 8. cap. 6, & 8.

IV. Quæ autem argumenta Veteris Teſtamenti integritatem probant, ad libros quoque Novi Teſtamenti applicari poſſunt. Nam hujuſmodi libri in rebus, quæ ad fidem, moreſque pertinent, iidem ſunt, & eodem modo reperiuntur apud ſectas, & Communiones alioquin ſibi infenſiſſimas, ſcilicet apud Neſtorianos, Jacobitas, & Photianos in Oriente; & apud Catholicos tum Orientis, cum Occidentis, atque apud omnes Novatores. Et quidem ſi a Catholicis tentata fuiſſet depravatio, eam illis hæretici exprobraſſent, & viciſſim hæreticis Catholici. Denique nec tempus, nec modus, nec Authores hujuſmodi depravationis proferri poſſunt. Negari tamen non poteſt errata plura levioris momenti in Sacros Codices irrepſiſſe, quæ incuriæ, & ignorantiæ Scribarum potius, quam Judæorum, aliorumque malitiæ tribuenda ſunt. Regulas præſcribunt Authores, præſertim ex Auguſtino l. 11. contra Fauſtum cap. 2., quarum uſu corrigi, & expurgari Sacri Codices poſſint. Una vero atque tutiſſima regula eſt, judicium, atque ſententia Eccleſiæ, cui concredita ſunt eloquia Dei, cui in cuſtodiendo Divinæ revelationis depoſito interrantiæ privilegium conceſſum a Deo fuit, cui denique præſto ſemper adeſt divinus ille Spiritus, qui ex infallibili Chriſti Domini promiſſione recturus eſt Eccleſiæ Paſtores uſque ad conſummationem ſæculi.

V. Sacra Scriptura divinæ atque omnino infallibilis veritatis eſt; Etenim integros complectitur Veteris, ac Novi Teſtamenti libros, quos Moſes, Prophetæ, Evangeliſtæ, & Apoſtoli conſcripſerunt; conſcripti vero ab iſtis libri divinam atque omnino infallibilem veritatem obtinent. Nam Sanctus Petrus Spiritu Sancto inſpiratos, atque loquutos ait ſanctos Dei homines; Paulus ad Timotheum 2. cap. 3. omnem Scripturam divinitus inſpiratam aſſerit; atque Iſaias *cap.* 5., Jonas, aliique Prophetæ palam teſtati ſunt, ſe verbum Dei litteris conſignaſſe. Quis ergo dubitet Divinam atque infallibilem præſeferre auctoritatem? Deinde in libris Moſis perſpicui characteres occurrunt Divinæ revelationis: Nam Moſes ſe a Deo miſſum prædicat, ac miſſionem ſuam, legem, & doctrinam, quam Dei nomine promulgat, cum miraculis, tum prophetia eventu comprobata, tum doctrinæ ſanctitate comprobat. Similia occurrunt in aliis Prophetarum libris. Nec de Sapientialibus, & Hiſtoricis libris dubitatio occurrere poteſt ulla. Tum quia Sapientiales libri leges continent, & præcepta, quæ homines dirigunt ad finem ultimum, qui alius non eſt, quam Deus ipſe: leges enim & præcepta tradunt bene vivendi, Deoque per cognitionem & amorem adhærendi, cum ſeparatione ſui a creaturis non minus, quam a ſe ipſo. Doctrina hæc, inquit Auguſtinus lib. 20. de Civitate Dei c. 25. ſi cum doctrina comparetur Philoſophorum de fine & hominis felicitate diſputantium, facile comperietur inſpirante Deo conſcripta. Tum etiam quia ſapientiales, ac hiſtorici libri, de quibus loquimur, primum ab Hebræorum Synagoga, deinceps a Chriſti Eccleſia veluti Deo inſpirante conſcripti ſuſcepti fuere, atque in maxima veneratione habiti. Iis ergo characteribus muniti prodiere, quibus conſtaret divinitus revelatam doctrinam continere. Neque enim præſumere aut ſuſpicari licet, Synagogam Judæorum, quæ vera Dei Eccleſia erat, & quæ Deo docente didicerat inter Verbum Dei, & hominum doctrinam diſtinguere, ſuſcipere voluiſſe veluti divinos libros illos, quos perſpicue non noſſet exaratos fuiſſe ab hominibus a Deo miſſis, & Divino Spiritu inſpiratis. Ac multo minus affirmari id poterit de Chriſti Eccleſia, cui peculiaris aſſiſtentia promiſſa, ac uberiora privilegia conceſſa fuerunt.

VI. Eadem ratione infallibilis auctoritas tribuenda eſt libris Novi Teſtamenti, quos conſcripſere viri a Deo miſſi ad prædicandum Evangelium, quales fuiſſe Apoſtolos & Evangeliſtas nemo dubitat. In iis enim characteres divinæ revelationis omnino conſpicui ſunt, ut nos in *cap.* 3. Articuli de Religione naturali, & revelata demonſtravimus.

VII. Venio nunc ad quæſtionem expendendam de inſpiratione illa, qua inſpira Sacri Authores divinos libros conſcripſerunt. Pro rei claritate duplicem diſtinguere placet inſpirationem ſpecialem unam, directionis alteram. Prior illa eſt, qua ſcriptor aliquis ita Dei ſpiritu agitur, ut ei per manifeſtationem, & revelationem oſtendantur ea quæ ſcribit, & quæ aliunde minime noverat: Poſterior vero, aſſiſtentia, & directio quædam eſt, qua Spiritus Sanctus præſto ſcriptori ſit, ne ſcribendo in errorem incidat; atque hac in directione, ſive aſſiſtentia, duo Spiritus Sanctus præſtat: Primo ingerit ei conſtantem voluntatem vera ſcribendi; ſecundo eumdem tanto lumine perfundit, ut errori obnoxius eſſe non poſſit in iis ſcribendis, quæ noverat. Non dubito quin utrumvis inſpirationis genus ſatis ſit, ut Sacris Scriptoribus infallibilis auctoritas concilietur. His præmiſſis.

Quæritur, num Spiritus Sanctus Scriptoribus ſuis inſpiraverit tantum res, quas narrant, an etiam voces ſingulas, terminos, expreſſiones, & ſtylum?

*Reſp.* Quamquam adfirmans ſententia non paucis Theologis placuerit, negans tamen aliis videtur probabilior. 1. quoniam modus ille inſpirantis non eſt neceſſarius ad conciliandam infallibilitatem libris Sacris 2. quia ſtyli diverſitas inter Scriptores Sacros, indicare videtur oppoſitum. 3. Quia nec ſacræ litteræ, nec traditio ſpecialiſſima illam inſpirationem docent, ſed tantum Sacros Scriptores ita Spiritu Sancto dirigente ſcripſiſſe, ut minime potuerit in errorem labi. Legatur Diſſert. P. Calmet præfixa ſecundæ Epiſtolæ Sancti Petri, *& Dupin. in diſſ.* præliminari *ad Sacram Scrip. lib.* 1. *cap.* 2. §. 6. Pro prima opinione videri poterit Mazzinellus *Diſſ.* 1. *de Sacr. Script. cap.* 2. *art.* 2, ubi probat ex Sacra Scriptura & S. Thoma, voces quoque Sacris Scriptoribus divinitus ſuppeditatas eſſe, quia Iſaias *cap.* 50. *v.* 4. ait: *Dominus dedit mihi linguam eruditam*; Quia Chriſtus dum miſit Apoſtolos, ut docerent omnes Gentes, dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus*, vobiſcum ſcilicet verba proferens; Et quia neceſſaria erat inſpiratio verborum, ut unanimis eſſet Eccleſiæ doctrina, & ut unanimes uno ore Fideles honorificarent Deum, ut legitur ad *Rom.* 15.

VIII. Inquiri poſſet deinde de rebus & veritatibus his litteris conſignatis. Nulli dubium eſt, quin per immediatam, & ſpecialem inſpirationem cum Divina revelatione conjunctam ea ſcripta ſint, quæ Sacri Scriptores minime noverant. At ſi ſermo habeatur de rebus, quas ipſimet viderant & audierant, ut plurimæ in Utroque Teſtamento occurrunt, non fuit neceſſaria primi generis inſpiratio; ſed ſati fuit ea, quam ſecundi generis diximus. In hac opinione verſantur Cornelius a Lapide Comment. in ſecundam Epiſtolam ad Timotheum; *Bellarm. lib.* 2. de verb. Dei; Canus de Locis *Theol. lib.* 2. *cap.* 18. *Simonius in Hiſtor. Critic. N. T. cap.* 23. *&* 24., *& Dupinus loc. cit.*

IX. Circa facta vero, ac res alias ad Religionem minime pertinentes, non deſunt, qui aſſerant litteris conſignata fuiſſe a ſacris ſcriptoribus abſque inſpiratione, ac Sancti Spiritus directione, ut opinatus eſt Henricus Olden ſæculi 17. ſcriptor, & Doctor Facultatis Pariſienſis in Analyſi Fidei *lib.* 1. *cap.* 3. ſed nova hæc opinio eſt, ac Patribus, & Theologis omnibus contraria, ideoque veluti ſuſpecta, temeraria, ac pernicioſa, rejicienda eſt. Etſi enim finis principalis ſacræ ſcripturæ eſt ea nos docere, quæ ad Religionem ſpectant, tamen vel ipſe finis poſtulat, ut nil falſi in ſacris libris contineatur, ne illa falſitatis admixtio præjudicium afferat veritatibus. Facile enim increduli ex falſitate factorum ad hiſtoriam pertinentium dubitare poſſent de veritate eorum, quæ ad Religionem pertinent. Præterea quis certo diſcerneret, an factum aliquod ad Religionem pertineat, nec ne, an veritas aliqua moralem Chriſtianam, & Religionem ſpectet, aut potius philoſophiam, & œconomiam? En igitur quam pernicioſum aditum oppoſita ſententia aperiat; Vide *Mazzinel. loc. cit.*

X. Supereſt alia quæſtio; num ſacri ſcriptores libere ſcripſerint. Scio Authores eſſe, qui contendant voluntarie quidem, ſed non libere ſcripſiſſe. At oppoſita ſententia magis arridet, 1. quia Deus ſolet hominibus tamquam inſtrumentis uti, modo, qui eorum naturæ congruat; in ſacris ergo ſcriptoribus libertatem, quæ naturæ hominis propria eſt, ſervavit; 2. quia facilitas tum loquendi, tum ſcribendi ſummam quidem ac maxime perſpicuam in eorum mente rerum cognitionem arguunt, ſed ſcribendi neceſſitatem in voluntate non probant. 3. quia uberius, & efficax auxilium, quo ſpiritus ſanctus adjuvit ſacros ſcriptores, cum voluntatis libertate quammaxime cohærent, ut docent Theologi in tract. de Divina gratia. *Vid. Orig. lib.* 3. *de Princip. cap.* 1. ubi variis argumentis hanc opinionem probat. Nec eſt alicujus momenti objectio Abulenſis, qui ait, Moſem numquam ſcripturum fuiſſe hoc de ſemetipſo elogium, ſi fuiſſet liber, *erat Moſes vir mitiſſimus*; nam id ſcripſit Moſes, tum peculiari Spiritus Sancti afflatu, tum ſpeciali Dei præcepto; afflatus autem ille, præceptum illud, cohærent cum arbitrii libertate.



XI. De ſacrorum librorum numero dictum eſt ab Auctore in ſuperiore articulo, ubi Tridentini Concilii decretum profert. Dicendum vero nobis ſupereſt de Canone, ſive Catalogo ſacrorum librorum publica Eccleſiæ auctoritate conditio. Nota res eſt libros ſacros cum veteris, tum novi teſtamenti non fuiſſe omnes uno eodemque tempore conditos; Conſtat enim ex veteris teſtamenti libris primum Moſis Pentateuchum, deinceps libros Joſue, Paralipomenon, Regum, ac ſequentibus ſæculis alios ſcriptos a Prophetis fuiſſe, & ex libris novi teſtamenti Evangelia, Apoſtolorum acta, Epiſtolæ, & Apocalypſis diverſis temporibus ſcripta fuere. Nec ſtatim ac in lucem prodiere libri publica Eccleſiæ auctoritate in Canonem ſacrarum ſcripturarum relati fuerunt. Nam Judæi ante Eſdram nullum Canonem ſacrarum ſcripturarum habuerunt, ac ſoli quinque Moſes libri paulo poſt iſtius mortem in unum collecti fuerunt Nam primum ſolus Deuteronomii liber, qui præcedentium quatuor ſumma eſt, repoſitus fuit in latere Arcæ fœderis, prout præceperat Moſes Levitis *Deuteron. cap.* 21.; Deinde vero omnes quinque libri in unum collecti Canonem publica auctoritate confectum exhibuere. Alii autem libri adjecti Canoni non fuere, niſi poſt diviſionem tribuum, quæ poſt Salomonis mortem contigit, ut facile colligere eſt ex eo, quod Samaritani ſolos quinque Moſis libros pro Canonicis habuerint. Ita Dupinus, aliique viri Eruditi conjiciunt. Neque in Eccleſia Chriſti fuere ſtatim libri omnes novi teſtamenti collecti, & in Canonem relati; ſcimus enim a pleriſque quatuor prioribus ſæculis rejectos fuiſſe Apocalypſim, Epiſtolam s. Pauli ad Hebræos, alioſque libros, & in Concilio Hipponenſi an. 393. fuiſſe primum integrum ſacrorum librorum novi Teſtamenti Catalogum concinnatum. Ex iis vero colligitur, Deum non præcepiſſe ſynagogæ, & Eccleſiæ, ut ſacros libros ſtatim in Canonem referrent ſcripturarum, ſed earum curæ, & diligentiæ id commiſiſſe, ac voluiſſe, ut nonniſi opportuno tempore hujuſmodi Catalogus conficeretur. Atque hinc patet injuria de auctoritate alicujus ſacri libri dubitari, quia aliquibus ſæculis in Canone ſacrarum ſcripturarum non fuit.

XII. Ad Judæorum Canonem quod ſpectat, Eruditi omnes fatentur ab Eſdra fuiſſe confectum. Sunt qui cum s. Baſilio contendant in Hieroſolyimitanæ Urbis excidio, & Templi incendio periiſſe omnes ſacros Codices, ab Eſdra vero poſt captivitatem per 40. dies iterum dictatos fuiſſe quinque viris, afflante Spiritu Sancto, omnes ſacros libros; ſed veriſimilior habetur eorum opinio, qui ajunt, non periiſſe omnia librorum exemplaria, ac Eſdram, cum eſſet ſcriba doctus, collatis invicem pluribus exemplaribus errata correxiſſe, quæ in ſacros Codices irrepſerant, & poſtea canonem condidiſſe, qui magnæ Synagogæ auctoritate probatus fuit. In hujuſmodi Canone ex libris veteris teſtamenti deſiderantur Libri Tobiæ, Judith, ſapientiæ, Eccleſiaſtici, & duo Machabæorum; & in libro Danielis apud Judæos deeſt hymnus trium puerorum, ac hiſtoria Suſannæ, Belli, Draconiſque, & in libro Eſther ſeptem poſtrema Capita.

XIII. Non deſunt, qui alium quoque Canonem deinceps a Judæis conditum fuiſſe autumant. Serrarius duos apud Judæos fuiſſe Canones ait, primum ab Eſdra, & ſynagoga, alterum vero vel cum ſeptuaginta Interpretes in Ægyptum miſſi ſunt, ut græcam verſionem perficerent, vel quando quæſtio de Reſurrectione Corporum Sadducæos inter atque Phariſæos agitata fuit. Genebrardus vero tres fuiſſe ab Hebræis confectos Canones aſſerit, primum ab Eſdra approbante Synagoga: alterum a Synagoga, quo tempore miſſi 70. Interpretes fuerunt, in quo repoſiti fuerunt libri Tobiæ, Judith, Eccleſiaſtici, & ſapientiæ: tertium denique fervente de reſurrectione diſputatione, in quem duo Machabæorum libri relati fuerunt: Sed hæc paucis probantur. Licet enim libri, quos diximus, magno in pretio eſſent apud Judæos Elleniſtas, græco ſcilicet ſermone utentes, numquam tamen in Canone Judæorum extitere; ut ex Judæis, & antiquis Eccleſiæ Patribus novimus.

XIV. Etſi ſex ſupra recenſiti libri, ac Eſtheris capita ſeptem, & nonnulla Danielis Capita in Hebræorum Canone non fuerunt, tamen jure atque merito Tridentina Synodus illos in Canonem retulit. Nam quod in Canone Judæorum non fuerint, argumentum non eſt non fuiſſe afflante Spiritu Sancto conſcriptos; tum quia longo tempore extra Canonem fuere plures ex iis, qui in Canone Judæorum reperiuntur, ut ſupra oſtendimus; tum etiam quia nonnulli ſacri libri perierunt, ut oſtendit Ferraris in ſuperiori articulo. Ergo ſi aliunde Eccleſiæ conſtet divinitus hujuſmodi libros fuiſſe conſcriptos, jure atque merito in Canonem referunt. Id vero conſtat; tum ex eo, quod apud Elleniſtas Judæos in maxima veneratione eſſent; tum ex divina quam complectuntur doctrina; tum denique quia Eccleſia Chriſtiana per divinam traditionem accepit fuiſſe libros illos inſpirante Sancto Spiritu exaratos. Nam ſemper in maxima veneratione habiti ſunt in Eccleſia Chriſti, quæ dum in Canone repoſuit omnes Novi Teſtamenti libros, etiam libros hujuſmodi in Canone collocavit. Scilicet in Canone Hipponenſis Concilii an. 393. celebrati omnes iſti libri recenſentur: Hipponenſis Canon tranſcriptus fuit in Concilio Chartaginenſi III. an. 395., in quo Patres conſulendam cenſuere tranſmarinam, hoc eſt, Romanam Eccleſiam; quæ eoſdem libros probavit; Nam Innocentius primus in Epiſtola ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum numerat omnes libros ſacros, qui in Canone ab Africanis Patribus recepti fuerant; Et Africani PP. in altero an. 419. celebrato Concilio eumdem Canonem comprobant: Si alia cupis antiqua Monumenta, quibus divinos eſſe hujuſmodi libros comprobatur, conſule eruditam Diſſertationem editam a P. Joanne Chryſoſtomo a S. Joſeph *de Canone Scripturarum divinarum*. Ex quo conſtat jure meritoque Eugenium IV. in Inſtructione pro Armenis, & Concilium Florentinum in Decreto edito pro Jacobitis, quod includit etiam decreta pro Armenis, & Græcis, §. *Firmiſſime* Syllabum exhibere ſacrorum librornm, quem deinceps probavit Tridentina Synodus.

XV. Neque alicujus momenti eſt Novatorum objectio ex eo deprompta, quod hujuſmodi libros Judæi non retulerint in Canonem: Tum quia id Judæorum negligentiæ tribui poteſt, quorum incuria nonnulli ſacri libri perierunt. Tum etiam quia rationes non deſunt, ob quas extra Canonem hujuſmodi libri eſſent. Nam libri Machabæorum, & Eccleſiaſtici ſcripti fuere poſt confectum ab Eſdra Canonem: hujuſmodi enim libri regnantibus Græcis conſcripti fuere, poſt confectum ab Eſdra Canonem: hujuſmodi enim libri regnantibus Græcis conſcripti fuere, ideoque clauſo jam Canone. Quod vero ſpectat ad Libros Tobiæ, & Judith, dici poteſt, vel hos Eſdram ignoraſſe, vel in Canone non collocaſſe, quia non erant ſcripti Hebraica lingua, qua Deus Judæos allocutus fuerat, ſed Chaldaica; Idem dicimus de libro ſapientiæ, qui continet ſententias Salomonis, græce tamen ſcriptas a Philone antiquiore, quem ferunt unum fuiſſe ex 70. Interpretibus. Et licet Eccleſiaſticus, & primus Machabæorum perhibeantur hebraice ſcripti; tamen conſtat originales textus periiſſe, & græca tantum exemplaria ſupereſſe. Vide Nat. Alex. Huet. Dupin. Mazzinel., alioſque.

XVI. Circa Verſiones ſacræ ſcripturæ, vide citatos Auctores; Nos enim hic de ſola ſcriptura in lingua vernacula nonnulla ſubjiciemus, ac poſtea regulas ſubnectemus, pro vero dignoſcendo ſcripturæ ſenſu. Habes in ſuperiori articulo relatas Indicis, & damnatas hac de re ab Apoſtolica Sede propoſitiones. Ut autem appareat quænam mens ſit Apoſtolicæ Sedis, exhibeo decretum Sacr. Congregat. Ind. 13. Junii 1757. prout legitur in nova editione Indicis Librorum prohibitorum pag. VI. in additione ad Regulam IV.

,, Quod ſi hujuſmodi Bibliorum verſiones Vulgari lingua
,, fuerint ab Apoſtolica Sede approbatæ, aut editæ, cum

„ Annotationibus deſumptis ex Sanctis Eccleſiæ Patribus, „ vel ex doctis, catholiciſque viris, conceduntur „ Vides ergo, qua ratione legi non poſſit ſacra ſcriptura in lingua vulgari: atque hinc intellige, quo in ſenſu damnatæ ſint Queſnelli propoſitiones. In illis enim ſtatuit omnibus neceſſariam, & præceptam eſſe lectionem ſac. ſcript., & Eccleſiam reprehendit, quæ juſtis de cauſis promiſcuam lectionem in lingua vulgari interdixit. Addi quoque poteſt, in Gallia, in Germania, in Britannia, ac in Polonia pluries prodiiſſe Biblia in lingua vernacula, ac toleratam fuiſſe ab Apoſtolica Sede promiſcuam eorum lectionem, ex quo apparet, Apoſtolicam Sedem, remotis illis cauſis, ob quas, juſte interdixit lectionem ſacræ ſcripturæ in lingua vulgari hujuſmodi lectionem permittere.

XVII. Sed venio ad regulas, quarum uſu inveſtigari, erui, & dignoſci poſſit verus ſacræ ſcripturæ ſenſus. 1. Ad ſacræ ſcripturæ lectionem nemo accedat animo curioſo, critico, aut ſuperbo, ſed religioſo, ſubmiſſo, ac docili, qui unico veritatis detegendæ, ac obtinendæ ſalutis ſtudio feratur. 2. Intelligentia ſcripturæ, quantum fieri poteſt, ex ipſa ſacra ſcriptura repetenda eſt, loca cum locis, vetus Teſtamentum cum novo, & obſcura cum manifeſtis conferendo: ac præterea recurrendum eſt ad antiquos Eccleſiæ Patres, qui verum divinę revelationis ſenſum ab Apoſtolis, aliiſque viris divino ſpiritu afflatis per traditionem acceperunt. 3. Tradita eſt ab Origene in Evang. Joannis per hæc verba: „ Qui accurate ſcripturam legere vo„ luerit, diligentiam is adhibeat, oportet: obſervare ne„ ceſſarium cum ſit, quæ dicuntur, a quibus, quo tem„ pore, ut per totos ſanctos libros inveniamus perſonis „ apte tributum ſermonem „. 4. A literali ſcripturæ ſenſu non eſt recedendum, niſi ratio, & evidens cauſa moveat; alioquin actum eſſet de ſcripturis, & cuique fas eſſet a proprio, & naturali ſenſu ad figuratum, & allegoricum ſcripturam detorquere. 5. *In allegoria*, inquit s. Auguſtinus in „ *Pſal.* 8. hæc regula retinenda eſt, ut pro ſententia præ„ ſentis loci, conſideretur, quod per ſimilitudinem dicitur. „ 6. Ab eodem s. Doctore præſcribitur lib. 3. de Doct. Chriſt. „ cap. 10. Quidquid in ſermone divino, neque ad morum „ honeſtatem, neque ad fidei veritatem proprie referri „ poteſt, figuratum eſſe cognoſcas. 7. Interpretandam „ eſſe ex communi ſanctorum Patrum ſenſu, ut inquit „ Tridentina Synodus; quæ monet etiam, reprimendam „ illorum temeritatem eſſe, qua ad profana quæque con„ vertuntur, & torquentur verba, & ſententiæ ſacræ ſcri„ pturæ; ad ſcurrilia ſcilicet, vana, fabuloſa, adulatio„ nes, divinationes, ſortes, libellos etiam famoſos „ 8. Ex ſenſu accommodato firmum deſumi non poteſt argumentum ad probanda dogmata fidei, & morum, quia talis ſenſus non eſt Spiritus Sancti, ſed hominis, nec ſcripturæ verbis immediate, vel mediate exprimitur: At ex ſenſu litterali, & Myſtico deſumi optime poteſt; cum hoc tamen diſcrimine, quod ex ſenſu litterali ſemper, & in quolibet caſu firmum argumentum ſumitur, ex myſtico vero ſenſu tunc tantum, cum talis ſenſus aſſeritur ab aliquo ſacro ſcriptores, & ab idoneo Interprete ſacrum ſcripturarum; Interpres vero, ac legitimus ſcripturarum Judex Eccleſia eſt cui concredita ſunt Eloquia Dei; ſuprema vero poteſtas cum inerrantiæ privilegio eſt in Romano Pontifice Petri ſucceſſore, qui ut Chriſti Vicarius ſuſtentat, & ita regit Eccleſiam, ut numquam portæ inferi adverſus ipſam prævalere poſſit. Omiſimus uberiorem diſputationem de verſionibus ſacrarum ſcripturarum, quia de his ſatis a Lucio dictum eſt. Quod vero ſpectat ad Eccleſiæ auctoritatem, cujus judicio interpretari ſcriptura, & ſcripturæ Canon confici debet, vide quæ diximus *in art. de Eccleſia, de Rom. Pontif., & de Relig. Nat., & revel.*

## SCRIPTURÆ, SEU INSTRUMENTA.

1 SCripturæ aliæ ſunt publicæ, & aliæ privatæ. Scripturæ publicæ generatim dicuntur omnes illæ, quæ publicam habent auctoritatem. Scripturæ privatæ e contra dicuntur illæ, quæ a privatis perſonis fiunt, nec alias publicam obtinent auctoritatem; *Sic in re Communis Doctorum, arg. cap. Si Scripturam* 1. *cap. Scripta vero* 2. *cap. Imputari* 13., *& cap. Si cautio* 14. *de Fide inſtrument.* cum ſimilibus, *Authent. Ad hæc de iis, Cod. de Fide Inſtrument.* cum ſimilibus.

2 *Scripturæ* publicæ, pro quibus ordinariè intelliguntur *Inſtrumenta publica*, ſunt illæ, quæ per manum publicam, ſeu a publico Notario legitime, & cum debitis ſolemnitatibus confectæ ſunt; *Authent. de Inſtrumentor. cautelis, & fide §. Sed etſi Collat.* 6. *cap. Scripta vero* 2. *de Fide Inſtrumentor.* cum ſimilibus. Sed de his infra.

3 Scripturæ privatę reducuntur ad tres ſpecies, quarum prima vocatur *Apocha*, quæ alio nomine appellatur *Chirographum*, & complectitur ſub ſe *Antapocham*, & *Syngrapham*. Secunda dicitur *Liber rationum*. Et Tertia *Epiſtola*; Sic Bartholus *in Authent. At ſi contractus §. Ut igitur Cod. de fide Inſtrument.* Jaſon *in Repetit. leg. Admonendi num.*87. *ff. de Jurejurand.* Maſcard. *de probationib. quæſt.*6. *num.*26. & alii paſſim.

4 *Apocha* proprie accepta, eſt ſcriptura, ſeu Chirographum Creditoris confitentis de recepta a Debitore re ſibi debita. Et hæc alio nomine vocatur *Quietantia*, de qua fit alio mentio *in l. Plures* 19. *Cod. de Fide Inſtrumentor.* Et Gloſſa *ibid. verb. Apochis*, ſic expreſſe dicit: *Apocha eſt de receptis, puta, Confiteor me recepiſſe tantum, & a Creditore fit, & datur Debitori*.

5 *Antapocha* e contra eſt de ſolutis, ſeu datis, & non de receptis uti *Apocha*. Et ſic *Antapocha* eſt ſcriptura Debitoris confitentis ſe tantum, vel tantum ſolviſſe nomine annui v. g. Cenſus, ſeu penſionis, & de hac fit etiam mentio *in tit. l. Plures* 19. *Cod. de Fide inſtrumentor.* juncta citat. Gloſſa *ibidem*.

6 *Syngrapha* latina *Conſcriptio* eſt ſcriptura, ſeu Schedula, quæ in alicujus rei fidem a pluribus conſcribitur, & utriuſque partibus tradi ſolet. Calvinus *in ſuo magno Lexico Juridico tom.* 2. *verb. Syngrapha*; ubi inſuper addit, quod in hoc Syngraphæ differunt a Tabulis, quod Tabulæ ab una parte tantum ſervari conſueverunt.

7 *Liber rationum* eſt ſcriptura privata, quam quilibet ſua ſponte de datis, & acceptis ſibi conficit; *arg. Si quis ex argentariis §. Rationem, ff. de Edendo*, juncta Gloſſa *ibidem*.

8 *Epiſtola* eſt ſcriptura privata, quam quis alicui abſenti dirigit, ſeu mittit. *Communis*.

9 Scriptura privata alia eſt Authentica, & alia non Authentica. *Scriptura privata Authentica* eſt illa, quæ licet originaliter ſit privata, aliquibus tamen adminiculis, ſeu ſupplementis, ac modis roboratur, & auctorizatur adeo ut plenam fidem faciat in Judicio. *Scriptura privata non Authentica* e contra eſt illa, quæ caret omnibus ſimilibus adminiculis, ſupplementis, ac modis, ſicque plenam fidem, ac perfectam Probationem non facit, *Sic in re Communis Doctorum*.

10 Scriptura privata auctorizatur, ſeu redditur authentica pluribus modis. Et ſignanter redditur authentica per ſubſcriptionem propriæ manus, aa trium Teſtium adhuc viventium probatæ fidei, & bonæ famæ. Talis enim ſolemnitas dat vires publici, & authentici inſtrumenti; *l. ſcripturas, Cod. qui potiores in pignore*, juncta Gloſſa, *ibidem in fine*, tradente hos vulgares verſiculos.

*Cautio privata jam Trino teſte notata*
*Hoc Jus eſt nacta quod cautio publice facta.*

11 Dicitur autem notanter *Trium teſtium adhuc viventium*, quia ſcriptura mortuis Teſtibus ſubſcriptis non facit amplius plenam fidem, niſi fuerit etiam ſubſcripta per Notarium, aut ſigillo authentico munita; *c. ſcripta* 2. *de Fide inſtrumen„ tor.*, ibi: Scripta authentica, ſi Teſtes inſcripti deceſſe„ rint (niſi per manum publicam facta fuerint, ita quod „ appareant publica, aut authenticum ſigillum habuerint, „ per quod poſſint probari) non videntur nobis alicujus „ firmitatis robur habere. Et ibi Gloſſa, & Summarium ac „ Doctores communiter. Et concordat Authentic. ſeu No„ vella 73. titul. 2. cap. Si vero moriantur omnes Teſtes 7. „ Collat. 6.

12 Item ſcriptura privata authenticatur per appoſitionem ſigilli authentici majoris Magiſtratus, ut Epiſcopi, Capituli, Principis, Civitatis, Judicis, ſeu illius, cujus Officium eſt in illo loco publicis ſigillationibus præeſſe, textu expreſſo in *cit. Cap. Scrip.* 2. *de Fide inſtrumentor.*, ibi: *Niſi . . . authenticum ſigillum habuerit*, & Gloſſa *ibid. verb. Authentica*, & Doctores communiter.

13 Item Scriptura privata authenticatur per ſubſcriptionem factam manu publici Notarii, textu expreſſo *in cit. cap. Scripta*, ibi: *Niſi per manum publicam facta fuerint*; ſecus



eus autem ſi dictam ſcripturam confecit, aut ſubſcripſit Notarius, non ut Tabellio, ſeu ut perſona publica, ſed ut aliqua alia perſona privata; Tunc enim ſcriptura illa non acquireret majorem auctoritatem, quam ſi fuiſſet confecta, aut ſubſcripta a qualibet alia perſona privata. Pax Jordan. *tom.* 3. *tit. de Fide inſtrumentor. num.* 6. allegans Rotam *deciſ.* 13. *num.* 4. *part.* 2. *noviſ.* Baldus *in cit. cap. Scripta num.* 5. *verſ. Sed pone*, Felin. *ibidem num.* 2. Maſcard. *de probationibus concluſ.* 131. *n.* 9. & alii paſſim.

14 Item Scriptura privata authenticatur ratione Archivii publici; Pro Authentica enim habetur ſcriptura illa, quæ reperitur fideliter cuſtodita in Archivo publico, ſeu in loco, ubi ſolent reponi, & cuſtodiri ſcripturæ publicæ; *arg. leg. Cenſus, ff. de probat. Authent. Ad hæc, Cod. de Fide inſtrum. cap. Ad audientiam* 13. *§. Nos igitur, de præſcriptionibus*, Pax Jordan. *loc. cit. num.* 11. Abbas *in cit. cap. Scripta nu.* 6. Reinffeſtuel *l. c. n.* 150. & 151. & alii.

15 Item Scriptura privata authenticatur per ejus confectio- Connem ſecundum morem, & conſuetudinem Regionis; ſuetudo enim habet vim reddendi Authenticam ſcripturam, quæ alias non eſſet talis; *argum. c. Cum tanto* 11. *de conſue- tudine, Cap. Cum dilectus* 9. *de Fide inſtrumentorum*, ibi: *Reſpondemus, quod ſi conſuetudo illius Patriæ obtinet appro- batæ, ut inſtrumentis illius Regis fides adhibeatur, vos ea ſecure poteritis admittere*. Juncto ejus ſummario, in quo ſic expreſſe dicitur: *Conſuetudo loci facit inſtrumentum Au- thenticum*. Gloſſa *ibidem verb. Approbata*, Felinus *ibidem num.* 35. Abbas *num.* 5., & 6. cum Innocentio, & Hoſtienſi a ſe citatis, Pax Jord. *loc. cit. num.* 8. Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 153., *& ſeq.*, & alii paſſim.

16 Scriptura privata, v. g. Apocha, Antapocha, Syngrapha, Epiſtola, quando negatur eſſe illius, contra quem produ- citur, nihil probat, donec oppoſitum per producentem va- lidis documentis oſtendatur. *Communis*, textu expreſſo *in l. Inſtrumenta* 5. *Cod. de probationib.*, ibi: *Inſtrumenta do- meſtica, ſeu privata teſtatio, ſeu adnotatio, ſi non aliis quoque adminiculis adjuventur, ad probationem ſola non ſuf- ficiunt*; Et concordat textus *in cit. cap. Scripta* 2. *de Fide Inſtrumentor.* ubi Summus Pontifex Alexander III. de ſimi- libus ſcripturis privatis expreſſe dicit: *Non videtur nobis alicujus firmitatis robur habere*.

17 Scripturam autem privatam manu cujuſpiam fuiſſe ſcri- ptam, vel de ejus voluntate, ſeu mandato fuiſſe ab alio conſcriptam, ſeu ſubſcriptam poteſt probari per appoſitio- nem ipſius proprii ſigilli. Appoſitio enim proprii ſigilli de- notat conſenſum, & ratihabitionem; *arg. l. Fidejuſſor* 26. *§.* 1. *ff. De pignoribus*, Maſcard. *de probationib. concl.* 330. *num.* 10., *& concluſ.* 1301. *numer.* 26. Romanus *conſil.* 303. Reiffenſtuel *l. c. n.* 160. & alii.

18 Dummodo tamen dolus in appoſitione ſigilli non inter- venerit, quia, eo oſtenſo, ſigillum nihil probaret, cum fraus, & dolus nemini debeant patrocinium impartiri, *cap. Tuæ* 12. *de Clericis non reſident. cap. Ex litteris* 2. *de dolo, & contumac. cap. Sedes* 15., *& cap. Ex tenore* 16. *de Reſcri- ptis, l. In fundo, ff. Rei vindicat. l. Cum his, ff. de Tranſa- ctionib. l. Si Legatarius, Cod. de Legatis* cum ſimilibus. Et id habetur in variis ſecutis caſibus, & ſignanter *in cap. Ter- tio loco* 5. *de probation.* ubi ſigillum Capituli furtive appoſi- tum cuipiam inſtrumento nihil probavit. Et *in l. Diſtrahen- te, Cod. de rebus alienis non alienandis*, ubi ſigillum Uxoris fraudulenter appoſitum a Marito cuidam Inſtrumento vendi- tionis rei dictæ ſuæ Uxoris, nihil ipſi præjudicavit, & ſic de aliis.

19 Item ſcripturam propria manu, vel de voluntate cujuſ- piam fuiſſe ſcriptam probari poteſt per Teſtes, qui præſen- tes fuerint, quando pars nunc negans ſuam ſcripturam, ip- ſam ſcribebat, vel de expreſſa ſua voluntate, & mandato ab alio ſcribebatur; Bartolus *in l. Admonendi num.* 26. *ff. de Jurejurand.* Jaſon. *in Repetit. cit. l. Admonendi numer.* 88. Maſcard. *de probationib. concluſ.* 110. *num.* 1. cum aliis a ſe ibi citatis, Reiffenſtuel *l. c. n.* 162. & alii.

20 Item ſcripturam fuiſſe ab aliquo ſcriptam probari poteſt per comparationem aliarum ſcripturarum, ſeu litterarum ab eodem ſcriptarum; Et ſi tales ſcripturæ ſeu litteræ non habeantur, tunc negans ſcripturam ſua manu ſcriptam, cogi poteſt ad ſcribendum, ut inde fieri poſſit comparatio litte- rarum. Sic deſumitur ex *l. Comparationes litterarum* 20. *Cod. de Fide Inſtrumentor.* Et notat Menochius *lib.* 2. *de Fide In- ſtrumentor.* Et notat Menochius *lib.* 2. *de Arbitr. Judic. caſ.* 114. *num.* 11., & 12. cum aliis ibi a ſe citatis, Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 165., & alii.

21 Verum comparatio litterarum eſt valde periculoſa proba- tio: Non pauci enim reperiuntur, qui alterius manum ita imitantur, ac fingunt, ut ipſiſſima alterius ſcriptura eſſe cenſeatur, & varios tales ſe vidiſſe referunt Marſilius *in Ru- bric. Cod. de probationib. num.* 318. Maſcardus *de probatio- nib. concluſ.* 330. *num.* 1. Zapſius *lib.* 2. *ſing. reſponſ. cap.* 25. & alii, & de facto non ſemel adhuc in dies tales ſimiles re- periuntur. Immo Cardinalis Cævæ Teſtamentum ab ipſo- met perito, qui illud exemplaverat, non fuit recognitum, dum accepit exemplatum, & imitatum pro vero Teſta- mento, quod notandum eſt ad effectum parum fidendi ſi- mili modo recognoſcendi, ut advertit Anſal. *in Addit. ad deciſ.* 22. *num.* 33. & refert, ac notat Urſaya *in Miſcellaneo Sac. & profano part.* 1. *litt. C. n.* 128.

22 Hinc comparatio litterarum de ſe ſola non ſufficit ad ple- ne probandum ſcripturam manu cujuſpiam eſſe factam, ſed ad id requiruntur una ſimul alia adminicula, ut proprii ſcri- bentis ſigilli appoſitio, ſubſcriptio Teſtium, authorum at- teſtatio, quod ipſimet viderint ſcripturam illam a tali fuiſſe factam tali die, talique loco. *Authent. ſeu No- vell.* 73. *Cap. Si quis* 1. *de Inſtrumentor. cautela, & fide Collat.* 6. Gloſſa *in Authentic. At ſi contractus verb. Soli*, & ibi Bartolus *Cod. de Fide Inſtrumentor.* Maſcard. *cit. concluſ.* 330. *num.* 1., *& ſeq.* Menochius *cit. caſ.* 114. *per totum*, Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 167. & alii. Unde cautiſſime de- bent quo ad hoc procedere Judices rite ac mature omnia examinando, & adhibendo alios in arte peritos: Ut enim advertitur *in Authent. ſeu Novella* 73. *in Præfatione de In- ſtrumentor. cautela, & fide*, ejuſdemmet hominis ſcriptura per vitæ decurſum ſolet mutari, cum non ita quis ſcribat juvenis, & robuſtus, ac ſenex, & forte tremens, & ſæ- pe etiam languor litterarum diſſimilitudinem inducat, & calami atque atramenti immutatio ſimilitudinis litterarum per omnia auferat puritatem, ibi: *Litterarum diſſimilitudi- nem ſæpe quidem facit, non enim ita quis ſcribit juvenis, & robuſtus, ac ſenex, & forte tremens, ſæpe autem, & lan- guor hoc facit, & quidem hoc dicimus, quando calami, & atramenti immutatio ſimilitudinis per omnia aufert purita- tem*.

23 Scriptura privata confeſſata regulariter probat plene contra ſcribentem, *l. Publia Mævia* 26. *§. fin. ff. Depoſiti, l. Vice Donatricis* 20. *Cod. de donat. et l. Generaliter* 13. *Cod. de non numerat. pecun.* Nulla enim datur major probatio, quam ea quæ fit ex proprii oris confeſſione, ut tenet *Communis Docto- rum* cum Rota *p.* 9. *tom.* 1. *dec.* 98. *n.* 4. per text. *in cap. Per tuas* 10. *de probat. l. Cum te, Cod. de tranſact. l. Generaliter, Cod. De num. pecun.*

24 Dicitur notanter *Regulariter*, quia ſcriptura privata con- feſſata in aliquibus caſibus non probat plene, & ſignanter in ſcriptura privata, ſeu cautione, quę continet quidem debi- tum, ſed non exprimit cauſam debiti. In tali enim caſu, ſi Debitor neget ſe revera debere id, quod in tali ſcriptura continetur, allegando, quod dicta cautio indebite expoſita, ſeu data fuerit, nulla inde actio, ſeu obligatio oritur in Fo- ro externo, tam Eccleſiaſtico, quam Civili, ſed neceſſe eſt quod Actor aliunde probet id, quod in dicta ſcriptura con- tinetur ſibi revera deberi tali, vel tali cauſa. *Communis* per textum expreſſum *in l. Cum de indebito* 25. *§.* 4. *ff. de probat. & cap. Si cautio* 14. *de Fide Inſtrument.* ibi: „ Si cautio, „ quam a te indebite proponis expoſitam, indeterminate „ loquatur adverſarius tuus, tenetur oſtendere debitum, „ quod continetur in ea.

25 Item ſcriptura privata plene non probat contra ſcribentem, ſi ipſe ſcribens in ſcriptura fateatur quidem ſe accepiſſe pe- cuniam ab alio ſibi mutuatam, at revera ipſa non receperit, prout ſæpe fieri ſolet, ut hæ Apochæ dentur, vel mittantur ante receptionem pecuniæ, quam quis petit mutuam: tunc enim, ſi Debitor intra biennium a die datæ Apochæ, ſeu Chirographi oppoſuerit, tenetur Creditor ipſe probare nu- merationem, & conſignationem pecuniæ revera factam dicto Debitori. *Communis* per text. *in l. In contractibus, tot. titul. Cod. non numerata pecunia*.

26 Sicuti pariter in dote ſtatutum eſt, ut Marito intra biennium concedatur exceptio non nu- meratæ dotis; *cit. l. In Contractibus §. final. Cod. de non num. pecun.* ibi: *Quæ etiam in exceptione non numeratæ dotis locum habere certum eſt*.

27 Scriptura privata non probat regulariter incommodum ſcri-

ſcribentis, textu expreſſo *in l. Exemplo 7. Cod. de probat. l. Inter Chartulas 5. Codic. de conveniendis Fiſci Debitor.* Et Gloſſa communiter recepta *in c. Scripta 2. verb. Authentica, de Fide Inſtrum.*

28 Dicitur autem notanter *Regulariter*, quia dantur aliqui caſus, in quibus ſcriptura privata probat etiam in commodum ſcribentis, & ſignanter, quando eſt ſubſcripta a partibus, ſimulque a tribus Teſtibus; In tali enim caſu, ſi Teſtes adhuc vivant, & ſcripturam recognoſcant, habetur plena probatio in commodum ſcribentis. Colligitur clare argumento a ſenſu contrario deſumpto ex *cap. Scripta 2. de Fide inſtrum.* & tenet *Communis Doctorum*, per text. in *l. Scripturas 11. Cod. Qui potiores in pignore habeantur*.

29 Et ſi Teſtes jam fuerint mortui, ſcriptura ſubſcripta a partibus facit magnam præſumptionem in commodum ſcribentis, ſeu ſubſcribentis contra alteram partem ſubſcribentem. Et ſi non negetur ſubſcriptio ab altera parte, etiam plene probat, *arg. cit. l. Scriptura 11. Cod. Qui potiores in pignore habeantur*; Maſcard. *De probat. concl.* 1301. Bartolus *in Authent. At ſi contractus, Cod. de Fide inſtrum.* Speculator *tit. de inſtrum. edit. §. Nunc dicendum, n.7.* Reiffenſt. *l. c. n.*188. *& ſeq.* Et quod ſcriptura privata plene probet in commodum ſcribentis, ſeu ſubſcribentis contra alteram partem recognoſcentem, & confitentem talem ſuam ſubſcriptionem habetur ex *l. Publia Mævia 26. §. final. ff. Depoſiti, l. Vice Donatricis 20. Cod. de donat. & l. Generaliter 13. Cod. de non numerata pecunia*.

30 Item ſcriptura privata plene probat in commodum ſcribentis, quando aliunde eſt authentica; Vel per appoſitionem ſigilli authentici majoris Magiſtratus, vel per ſubſcriptionem publici Notarii, vel per aſſervationem in publico Archivo; vel per ejus confectionem ſecundum morem, & conſuetudinem Regionis, ex dictis, & Juribus adductis *ſupra n.* 12. 13. 14. *et* 15.

31 Libri rationum uſitati inter Mercatores, Tutores, Curatores, ac alios rerum alienarum Geſtores, ſeu Adminiſtratores regulariter plene non probant in commodum ſcribentis, bene tamen in præjudicium ipſius, ſeu contra ipſum. Gloſſa communiter recepta *in Clement. unic. §. Ceterum verb. Rationum. de Uſuris*. Et alia Gloſſa *in l. Quædam §. Nummularios verſ. Decernitur, ff. de Edendo*, Maſcard. *de probation. concluſ.977. num.1.* & *Communis aliorum*, per text. in *leg. Exemplo 7. Cod. de probation. l. Inter Cartulas 5. Cod. de conveniendis Fiſci Debitoribus*; Libri enim rationum non ſunt, niſi ſcripturæ privatæ, adeoque, ſicuti ſcripturæ privatæ non probant regulariter in commodum ſcribentium ex dictis *ſupra n.27.* ita neque libri rationum; Alias ſi libri rationum plene probarent in commodum ſcribentium, daretur nimis facilis anſa delinquendi; Tum quia inſtrumenta quoque Notariorum, non obſtante quod eorum fides ſit publica auctoritate comprobata, adhuc tamen non probant in commodum, ſeu favorem ſcribentis; *l. Div. Claudius 15. ff. de leg. Cornelia de falſ. l. Quæ in teſtam. 4. et l. Quod adhibitus 5. Cod. de his, qui ſibi adſcribunt in Teſtamento*.

32 Secunda autem pars concluſionis, ſcilicet quod libri rationum probent in præjudicium ſcribentis, ſeu contra ipſum, colligitur ex *c. Mævia 26. § fin. ff. Depoſiti, l. Vice Donatricis 20. Cod. de donat. et l. General. 13. cod. de non numerata pecunia*: Libri enim rationum habentur tamquam ſcripturæ privatæ confeſſatæ, adeoque de ipſius libris diſcurrendum eſt, ac de dictis ſcripturis privatis confeſſatis, ut *ſupra num.* 23. Sive tales libri rationum ſint ſcripti propria ſua manu, ſive manu alterius de ejus voluntate, & mandato, cum paria cenſeantur per ſe ſubſcribere, vel alium ſubſcribere vice ipſius; *l. Vice Donatricis 20. Cod. de donat. et c. qui facit per alium 72. de Regul. Jur. in 6.* Cum enim Mercatores, aliique dicti *num. antecedenti* tales libros retineant ut ſuos, iiſque utantur ut ſuis, quidquid reperitur in ipſis ſcriptum, præſumitur ſcriptum, vel manu ſua, vel ab alio de ejus voluntate, & mandato, niſi evidenter contrarium probetur. Maſcard. *de probat. concl.978. num.9.* Jaſon *in Repetit. l. Admonendi n.112. ff. de Jurejuran.* Alexander *conſ. 245. num. 1. et ſeq. lib.6.* concludens, quod libro Creditoris etiam privato, in quo continetur ſolutio debiti, danda eſt plena fides contra ipſum Creditorem; *l. quædam 9. §. 2. ff. de Edendo*; & *ibid.* Gloſſa magna, & Doctores paſſim.

33 Dicitur autem notanter *Regulariter*, quia dantur aliqui caſus, in quibus libri rationum probant etiam in commodum, ſeu favorem ſcribentis, vel ſuorum heredum; Et ſignanter, quando adeſt ſtatutum, ſeu Lex ſpecialis, aut legitima ſpecialis conſuetudo, quod libris rationum, v. g. Mercatorum detur plena fides in favorem ſcribentis, *arg. cit. l. quædam 9. §.2. de Edendo*; *cap. Cum dilectus 8. et cap. Cum tanto 11. de conſuetudine*; Sic Jaſon *cit. Repet. l. Admonendi n. 120. ff. de Jurejurando* allegans Paulum de Caſtro *ibid. col. penult.* Baldum, & Alexandrum *in d. l. quædam §.2.* cum aliis, Cravetta *Tractatuum tom. 17. tract. de antiq. temp. §. Vidimus & abunde n.2. et ſeq.* Reiffenſt. *l. c. n.*202. & alii referentes plurimis in locis vigere talem conſuetudinem inter Mercatores, quod eorum libris detur fides etiam in ſuum favorem, niſi manifeſte convincantur de falſitate.

34 Item liber rationum defuncti optimæ probitatis, & famæ facit pro herede non ſolum præſumptionem, ſed etiam ſemiplenam probationem; Non enim credibile eſt, quod vir talis probitatis, & famæ in periculo mortis aut ſcribat librum falſum, aut eum falſa continentem relinquat. Sic Jaſon *citat. Repetit. l. Admonendi n.*120. poſt Paulum de Caſtro *ib. coll. ult. ff. de Jurejurando*, Sigiſmund. Scaccia *l.2. de Judic. cap. 11. num.261.* Maſcard. *de probat. concl. 977. num.4. & 6.* Reiffenſt. *l.c. n.*106. & alii.

35 De ſe ſolo tamen Liber rationum defuncti non facit plenam probationem, textu expreſſo *in l. Rationes 6. Cod. de probat.* ibi: „ Rationes defuncti, quæ in bonis ejus inveniuntur ad probationem ſibi debitæ quantitatis ſolas ſufficere non poſſe ſæpe reſcriptum eſt „.

36 Plenam autem probationem facit, ſi concurrant alia adminicula, *arg. l. Inſtrumenta 5. et cit. l. Rationes 6. Cod. de probat.* in quarum prima lege cum dicatur: *Ad probationem ſola non ſufficiunt*, & in ſecunda *ſolas ſufficere non poſſe*, ponderando ly *ſolo*, & *ſolas* denotatur poſſe ſe ſufficere cum adminiculis. Sic Bartolus *in l. Admonendi num.27. ff. de Jurerand.* Abbas *in c. Scripta 2. num.9. de Fide inſtrum.* Maſcard. *cit. concluſ.977. num. 8.* Genova *de ſcriptura privata lib. 4. tit. 1. ſeu de libris rationum n.24.* Reiffenſt. *l.c. n.*107. & alii.

37 Item in favorem ſcribentis probat liber rationum Tutoris Curatoris, Mercatoris, ſeu alterius Adminiſtratoris viventis, talique libro, prævio dicti ſcribentis juramento, ſtatur in parvis, ac veriſimilibus ſummis; Dummodo ille ſit vir legalis, ac fide dignus. Ita Jaſonus *l.c. n.*126. Ancharanus *conſ. 44. n. 6.* Abbas *in cap. Bonæ memoriæ 4. num. 30. de Poſtulat. Prælat.* Maſcard. *cit. concluſ.977. n.13. & 58.* Reiffenſt. *l.c. n.* 208. & alii; Cum enim ſit communiter approbatum illorum Officium, debet eſſe etiam communiter approbatus liber ſuarum rationum ad probandum ſaltem in parvis, ac veriſimilibus ſummis, tam pro ſe, quam contra ſe; alias negligerentur talia munia, & Officia cum non parvo Reipublicæ detrimento, ſi ſolum contra ſe, & non pro ſe probaret liber ſuarum rationum.

38 Secus autem dicendum eſt in magnis ſummis grave præjudicium tertio inferentibus, niſi concurrant legitime probationes, vel ſufficientia adminicula, ut v. g. Legalitas conſcribentis librum rationum, ſolemnis forma confectionis talis libri continentis ſimul data, & accepta, additio in eo cauſæ, propter quam ſit quid acceptum, & quid expenſum, appoſitio in ipſo anni, menſis, & diei, prout ſolet fieri in Diariis, & hujuſmodi. *Communis*, *arg. l. inſtrumenta Domeſtica 5. l. Rationes 9. et leg. Exemplo 7. Codic. de Probation.* cum ſimilibus.

39 Quæ autem dicenda ſit ſumma parva, aut magna relinquitur arbitrio Judicis, qui iſtud debet dijudicare attentis & bene perpenſis omnibus circumſtantiis rerum, perſonarum, locorum, & temporum; *arg. l. ſed et ſi 52. §. 2. ff. de Judiciis*, cum ſimilibus.

40 Inſtrumentum ſic dictum *ab inſtruendo* ſecundum Abbatem ad *Rub. de Fide Inſtrumentorum*, & alios communiter proprie ſumptum, ut ſcriptura eſt, definitur: 41 *Commentarius, ſive Deſcriptio eorum, quæ inter paciſcentes, vel contrahentes placita ſunt, ac conventa*. Calvinus *in ſuo magno Lexico t.1. verb. Inſtrumentum*. Et Inſtrumentum hoc modo captum aliud eſt publicum, & aliud privatum, uti patet *ex cap. Scripta 2. c. Imperatoris 13. & cap. Si cautio 14. de Fide Inſtrumentorum*.

43 Inſtrumentum publicum eſt ſcriptura publica auctoritate, ſive a publica perſona legitime, ac cum debitis ſolemnitatibus confecta, ſive in Judicio, ſive extra Judicium. *Eſt in re Communis*, patetque ex dictis *ſupra num.* 2. 44 Pro perſona publica venit hic Tabellio, ſive Notarius juxta *l. Orphanotrophos* juncta Gloſſa verb. *Alia Tabulario, Cod. de Epiſcopis, &*

Cleri-



*Clericis, & c. Cum P. Tabellio 15. de Fide inſtrum.* Qui & ſervus publicus appellatur, quia publicum Officium exercet, *l. Si pupillus 2. ff. Rem pupilli ſalvam fore*, ibi: „ Servus ejus „ ſtipulabitur, cap. Quamquam 2. de Uſuris in 6. ibi; Servo „ publico de ipſius Ordinarii mandato idonee de reſtitutione „ facienda ſit cautum „. Item *Scriniarius* prout vocatur *cap. Ad audientiam 13. de præſcriptionibus*, & notat Gloſſa *ibid. verb. Scrinarius*.

45 Ad Inſtrumentum publicum manu Notarii confectum reducuntur aliæ quædam ſcripturæ, quæ licet non ſint a publica perſona, ſeu Notario confectæ, tamen quo ad effectum probandi dicuntur publicæ, quia nempe perinde plene probant, ac ſi eſſent a publica perſona confectæ. Et tales ſunt ſcripturæ illæ privatæ, quæ ſunt auctorizatæ, ſeu redditæ authenticæ aliquo ex modis aſſignatis *ſupra a numer.* 10. *ad* 15.

46 Inſtrumentum privatum eſt ſcriptura privata auctoritate facta a privatis perſonis, non autem a Notario ſolemni forma confecta. *Eſt in re Communis*, patetque ex dictis *ſupra num.* 1.

47 Inſtrumentum publicum a Notario confectum eſt duplex. Primum appellatur *Protocollum*, & eſt Summaria quædam, & ſuccincta, ſeu brevis actus geſti prima adnotatio memoriæ cauſa facta, ut deinde Inſtrumentum extendi, & in ſolemnem formam redigi poſſit: 48 *Eſt in re Communis*. Dicitur autem *Protocollum* a verbo *Græco Protos*, quod eſt primum, & *Collum*, quod eſt *Collatio* litterarum, quaſi diceretur; *Protocollum* eſt prima Collatio litterarum in Charta. Gloſſa *in Authent. de Tabellionibus verb. Protocollum collat.* 4. & alio nomine dicitur *Abbreviatura*. Maſcard. *de probationibus concluſ.4. n.1. & 6.* Card. Thuſc. *litt. P. concl. 945. n.1.* ubi illud appellat *Imbreviaturam*, ſive inſtrumentum Notarii non extenſum. 49 Inſuper *Protocollum* dicitur etiam liber, in quo prima Matrix, ſeu originalis ſcriptura inſtrumentorum rogatorum deſcribitur; habens generalem ſubſcriptionem. *Hic eſt Liber Protocollorum mei &c.* de quo ſit mentio *in cit. Authentica, ſeu Novella 44. cap. illud quoque 2. de Tabellionibus*; juncta Gloſſa *ibid. verb. Protocollum*; & notat Card. Thuſc. *l.c. n.* 3. Alterum autem Inſtrumentum vocatur *Tranſumptum*, ſcilicet inſtrumentum authenticum, & Originale, quod ex Protocollo ſumitur, & debita forma, ſive cum requiſitis ſolemnitatibus conficitur, & in ipſo actus geſti non ſummarie, ac ſuccincte, & breviter, ut in Protocollo, ſed plene, & diffuſe per extenſum exponuntur. *Sic in re Communis*.

51 Inſtrumentum publicum dividitur etiam in *Originale*, & in *Exemplum*. *Originale inſtrumentum* eſt illa prima, ſeu principalis ſcriptura ſolemnis, quæ eſt veluti origo ipſius actus, de quo inſtrumentum conficitur. *Exemplum* vero eſt illud, quod ex originali inſtrumento deſcribitur, & deſumitur, quæ & copia appellatur. *Sic in re Communis*.

52 Inſtrumentum adhuc dividitur in Authenticum, & non authenticum, Inſtrumentum *Authenticum* eſt, quod per ſe fidem facit ad id auctoritatem habens, vel ex appoſitione ſigilli authentici, vel ex interventu publici Tabellionis, ſeu alio modo a publica authoritate ſtatuto. 53 Vocatur autem *Authenticum*, quaſi ex ſe auctoritatem habens, ut notat Abbas *in c. Si ſcripturam Authenticam 1. n.54. 2. de Fide inſtrument.*

54 Inſtrumentum *non Authenticum* dicitur quod ex ſe, & ſecluſis aliis adminiculis non facit fidem nec plenam probationem. *Sic in re Communis*.

55 Quamvis inter inſtrumentum publicum, & Authenticum poſſit notari aliqua differentia, in effectu tamen parum intereſt, & paſſim inſtrumenta publica, & Authentica ſumuntur pro Synonimis, cum ſolum ſe habeant ut ſuperius, & inferius, in quantum omnia inſtrumenta publica poſſunt dici Authentica, ſed non e contra; ſic Abbas *in cit. c. Si ſcripturam Authenticam 1. n.2. de Fide inſtrum.* ubi expreſſe dicit, quod *omnis ſcriptura publica eſt Authentica, ſed non omnis Authentica eſt publica; habent enim ſe ut ſuperius, & inferius*. Speculator *tit. de Editione inſtrum. §. Nunc dicendum*. Innocent. *in c. Scripta 2. num. de Fide inſtrum.* Bald. *ibid. n.8.* Engel *lib.2. Decr. tit.22. n.2.* Pirhing. *ibid. n.* 3. Reiffenſt. *ibid. n.4. & ſeq.* Sanig. *ibid. cap.2. n.1.* & alii.

56 Ad inſtrumentum publicum manu publici Notarii confectum plures ſolemnitates de Jure, vel conſuetudine requiruntur. *Communis*. 57 Primo enim requiritur, quod in eo præponatur Invocatio Divini nominis, quæ ſolet fieri per ly *In nomine Domini Amen. In nomine Sanctiſſimæ, & individuæ Trinitatis*; colligitur *ex cap. In nomine Domini 1. diſt. 23. cap. In nomine Patris 1. diſt.73.* juncta *Authent. ſeu Novell. Ut præponatur nomen Imperatoris documentis cap.1. §.1. collat.5.* ibi: *Auctore Deo*.

58 Secundo requiritur, quod in eo ponatur Annus Incarnationis, ſeu potius Nativitatis Domini currens tempore initi contractus, & confectionis dicti inſtrumenti. Ita Gloſſa *in cit. Authent. ſeu Novella, ut præponatur nomen Imperatoris, verb. Auctore*, & alia Gloſſa *in cap. Inter dilectos 6. verb. Indictionis, de Fide inſtrum.* Abbas *in cit. cap. Si ſcripturam Authenticam cap.1. n.2. de fide inſtrum.* Maſcard. *de probat. q.6. n.82.* Pirhing. *l.c. n.6.* Reiffenſt. *l.c. n.19.* & alii paſſim; *arg. citat. cap. In nomine Domini, & citat. cap. In nomine Patris*.

59 Tertio requiritur, quod in eo ponatur Menſis, ac Dies Anni Dominici currens tempore initi contractus ac confectionis Inſtrumenti; *cit. Authent. ſeu Novella 47. Ut præponatur nomen cap.1. §. 1.* Gloſſa *in cit. cap. Inter dilectos verb. Indictionis*, & alia Gloſſa *in l. Generali verb. ſervituti, Cod. de Tabulariis*, Speculator *l.c. n.7.* Reiffenſtuel *l. c. num.* 20. & alii paſſim.

60 Quarto requiritur, quod in eo ponatur *Indictio*; *cit. Authentic. ſeu Novella: Ut præponatur nomen cap. 1. collat.3.* Gloſſa *in cit. cap. Inter dilectos verb. Indictionis*, juncto textu *ibid. §. Sed contra*, Felin. *ibid. num.12.* Covarruv. *lib.1. Variar. reſolut. cap.1. n.7.* Reiffenſt. *l.c. n.21.*

61 Indictio autem (ſic dicta ab *indicendo*, ſeu *jubendo* trinam exactionem tributi, quæ tribus continuis Luſtris fieri ſolebat a Cæſare Auguſto) eſt numerus annorum conſtans ex tribus Luſtris ſeu ex quindecim annis. Gloſſa *cit. cap. inter dilectos verb. indictionis*. Quibus tribus Luſtris, ſeu quindecim annis peractis reditur ad unitatem, & initium ſumit quilibet annus hujus Cycli Indictionum a Januario in Bullis Pontificiis, prout notatur circa initium Breviarii Romani *Titul. de Indictione*. Originem autem hujus nominis *Indictionis* aſſignat Gloſſa *in cit. Authent. Ut præponatur nomen Imperatoris verb. Indictionis Collat.5.* ſequentibus verbis; Quia, inquit, antiquitus Romani ſingulis quindecim annis recipiebant Tributum de toto mundo, & erat in primo quinquennio ferrum, ut inde fierent arma militibus Romanis. Secundo quinquennio argentum, ut inde haberent ſtipendia milites. Tertio quinquennio aurum, quod in ærario reponebatur, ut tempore neceſſitatis pro Republica Romanorum expenderetur; Unde adhuc hodie ſervamus curſum illorum trium Luſtrorum ſcilicet horum quindecim annorum, & Indictionem appellamus. Hæc Gloſſa *l.c.* ſubjungens modum facillimum inveniendi Indictionem cujuslibet anni. Accipe, inquit, annos Domini, & eis addas tres annos, quia tertius annus Indictionis erat tempore Nativitatis Chriſti: deinde numerum annorum divide per quindecim, & ſemper abjicias illa quindecim, & reſiduum, vel ſaltem ultimum quindecim dabit Indict. Et concordat alia Gloſſa *in c. inter dilectos 6. de Fide inſtrum. verb. indict.* his præciſis verbis. Et hæc eſt regula ad inveniendam Indict. Tres annos Dom. appone pro Indictionibus regulariter, & partire per quindenum numerum, & quotus numerus remanet infra quindecim, tanta eſt Indictio. Et ſi facta diviſione, remanent quindecim tantum, quintadecima eſt indictio. Hæc Gloſſa *l.c.* ubi totam dictam regulam comprehendit, & exprimit tribus ſequentibus verſiculis.

Si per quindenos Domini diviſeris annos,
His tribus adjunctis Indictio certa patebit.
Si nihil excedit, quindena Indictio currit.

62 Quinto requiritur, ut in eo inſeratur nomen Papæ, vel Imperatoris, aut Regis in locis ipſius dominio ſubjectis una cum anno Papatus, ſeu Imperii, vel Regni, textu expreſſo *in citat. Authent. ſeu Novella, Ut præponatur nomen Imperatoris cap.* 1. ubi inſuper additur, quod debeat inſeri etiam nomen Proconſulis illius anni; Quod tamen hiſce temporibus non amplius inſeritur, ut notat Gloſſa *in cap. Quoties cordis 1. q. 7. verb. Conſulibus*, & ſervat praxis.

63 Sexto requiritur, quod in eo exprimatur locus Civitatis, vel Caſtri, & inſuper locus particularis, verb. grat. Domus, in qua actus, qui in inſtrumento continetur, factus eſt. Gloſſa *in cap. Abbate ſane, verb. Cenſetur*, juncto textu *ibidem de ſententia, & re judicata in 6.* Abbas *loco citato num.3.* Maſcard. *citat. quæſt. 6. num. 89. & ſequen.* Covarruv. *Practic.*

*quæſt.*

quæſt. cap. 20. num. 3. Reiffenſtuel loc. cit. num. 24. Pirhing. loc. cit. num. 7. Engel loc. cit. num. 13. & alii paſſim.

64 Septimo requiritur, quod Teſtes tres, vel ſaltem duo, qui ordinarie ſufficiunt, præſentes ſint actui, & eorum nomina in inſtrumento inſerantur; *Authentic. ſeu Novella 73. de inſtrumentorum cautela, & fide, cap. Sed & ſi inſtrumenta 5. Collat. 6.* Abbas *loc. cit. num. 3.* Speculator *loc. cit. num. 10.* Pirhing. *loc. cit. num. 7.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 25.* addentes ſolere addi per Tabellionem in inſtrumento, quod Teſtes illi fuerint ad hoc vocati, & rogati, quamvis de Jure id non
65 ſit neceſſarium, niſi in certis caſibus. Sicuti nec neceſſarium eſt de Jure, quod Teſtes in inſtrumento nomina ſua ſubſcribant, ut colligitur *ex citat. Authentica, ſeu Novella 73. de inſtrumentorum cautela &c.* juncta Gloſſa *ibidem verb. Compleantur*; & notant Abbas *citat. loc. num. 3.* Covarruv. *loc. citat. num. 4.* Pirhing *loc. citat. num. 7.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 26.* & alii; Quamvis tamen id eſſet valde expediens, & ſervandum, ubi adeſſet conſuetudo, eo vel maxime quod Gloſſa *cap. Poſt ceſſionem verb. Litteras, de probationibus* cum nonnullis aliis id abſolute requiri contendit.

66 Octavo requiritur, quod Notarius in inſtrumento nihil aliud ſcribat, quam id, quod circa rem geſtam vere ſcit, ac propriis oculis vidit, atque præſens audivit; Et inde inſtrumentum legat coram partibus, ut appareat, omnia rite percepta, & conſcripta fuiſſe; *Authent. ſeu Novella 44. de Tabellionibus cap. 1. Collat. 4.* Speculator *loc. cit. num. 13.* Engel *loc. cit. num. 7.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 37.* Menochius *lib. 2. de Arbitr. Judic. caſ. 1445. n. 6.* & alii.

67 Nono requiritur, quod Notarius exprimat in inſtrumento, quod fuerit rogatus ab eo, vel ab iis, ex quorum conſenſu actus dependet. *Authent. ſeu Novell. 44. de Tabellionibus cap. 1. Collat. 4.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 30.* Pirhing *loc. cit. n. 7. verſ. Sexto* Engel *l. c. n. 7.* & alii paſſim.

68 Decimo requiritur, quod Notarius nomen ſuum inſcribat propria manu, addendo qua authoritate, an Pontificia, vel Cæſarea, ſeu Regia ſit Notarius; *citat. Authentic. ſeu Novella 73. de inſtrumentorum cautela, & fide, cap. Sed & ſi inſtrumenta 5. Collat. 6.* juncta Gloſſa *ibidem verb. adjicitur*; Speculator *loc. citat. num. 11.* Covarruv. *citat. cap. 20. nu. 5.* Maſcard. *loc. cit. num. 91.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 28.* Engel *loc. cit. num. 14.* & alii communiter; Sufficit autem ſubſcriptio Notarii, quamvis per alium etiam privatum inſtrumentum ſcriptum fuerit: prout innuitur *cap. Inter dilectos 6. verb. Inſtrumentum quoque, de fide inſtrumentor.* Abbas *ibidem num. 7.* & alii communiter, ſervatque praxis generalis.

69 Undecimo requiritur, quod Notarius apponat in Inſtrumento ſignum ſolemne ſui Notariatus, ideſt certam aliquam imaginem, vel figuram calamo depictam, aut per modum typi impreſſam. Gloſſa *in citat. Authentic. ſeu Novella 73. de inſtrumentor. cautela &c. verb. Oportet.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 25.* Engel *loc. citat. num. 14.* Pirhing. *loc. cit. nu. 7. verſ. Deniq.* Covarr. *cit. cap. 20. num. 5.* Maſcard. *loc. cit. n. 92.* poſt Bartolum *in Proœm. ff. n. 6.* et alios.

70 Duodecimo requiritur ad uberiorem cautelam, quod Notarius ſervet ſemper eandem formam ſubſcriptionis in uno inſtrumento, ac in aliis, ut cum opus fuerit, poſſit fieri comparatio inſtrumentorum per ipſum confectorum; *arg. cit. Authentic. ſeu Novella 73. de inſtrumentor. cautela* juncta Gloſſa *ibid. verb. Adjiciatur.*

71 Supradictæ ſolemnitates, quamvis non omnes de rigore Juris requirantur ad eſſentiam, ſeu ſubſtantiam inſtrumenti publici, ſolent tamen omnes ſecundum receptam conſuetudinem adhiberi, ita ut, ſi aliqua omittatur, tale inſtrumentum de fraude, et falſitate ſuſpectum reddatur; Unde ſervandæ ſunt ſecundum cujuslibet Provinciæ probatam conſuetudinem, *argument. cap. Cum Dilectus 8. & cap. Cum tanto 11. de conſuetudine*, Maſcard. *l. c. n. 17.* Pirhing. *loc. c. n. 7. in fine*, et alii paſſim.

72 Inſtrumentum publicum manu Notarii confectum cum dictis requiſitis ſolemnitatibus, ſi Originale, ſeu Authenticum ſit, plene probat, plenamque facit fidem, tam pro proferente, quam contra proferentem. *Communis*, per text. *in l. In exercendis 15. & tot. Titul. Cod. de Fide inſtrumentor. cap. Si ſcripturam Authenticam 1. cap. Scripta vero Authentica 2. & cap. Cum P. Tabellio 15. de Fide Inſtrumentorum*, cum ſimilibus.

73 Item plene probat, plenamque facit fidem etiam Protocollum, ſi habeat dictas ſolemnitates, ad inſtrumentum publicum, et ſolemne requiſitas: Immo Protocollo habenti dictas requiſitas ſolemnitates adeo creditur, ut in dubio magis ſit ſtandum Protocollo, quam inſtrumento inde deſumpto; Sic clare deſumitur ex *cap. Quoniam contra 12. de probationibus, & ex citat. Authentic. ſeu Novella 44. de Tabellionibus cap. Illud quoque 2. Collat. 4.* ubi Imperator fatetur, quod mediis Protocollis fuerint ſæpe detectæ multæ fraudes, ibi: *Novimus enim, multas falſitates ex talibus Chartis* (ſcilicet Protocollis) *oſtenſas, & prius, et nunc*; Et ſic tenent Bartolus *in leg. Sempronius, ff. de Legat. 2.* illud probans ex *leg. Si quis ex argentariis §. penult. ff. de Edendo, & citat. Authentic. ſeu Novella 44. de Tabellionibus Collat. 4. per totum.* Maſcard. *de probationib. concluſ. 1205. num. 2.* Alexander *concluſ. 105. num. 1. volum. 2.* Menoch. *de Arbitr. Judic. lib. 2. cap. 87. num. 1.* Zoeſius *tit. de Fide Inſtrumentor. num. 6.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 37.* Pirhing *loc. citat. num. 17.* et alii. Et ratio eſt, quia ſi ex Juribus citat. *num. antecedenti* inſtrumentis ex Protocollo extractis datur publica, et plena fides, multo magis debet dari ipſi Protocollo, juxta vulgatum commune Axioma. *Propter quod unumquodque tale, & illud magis tale.*

Mortuo ante perfectionem ſolemnis inſtrumenti Notario illo, 74
qui ad partium petitionem Protocollum fecit, tunc accedente Judicis auctoritate, poteſt alius Notarius requiſitus ab iis, quorum intereſt, mortui notas, ſeu Protocollum in publicum, & ſolemne inſtrumentum redigere & tale inſtrumentum plenam fidem facit, perinde ac ſi a priore Notario confectum, & abſolutum fuiſſet. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Cum P. Tabellio 15. de Fide inſtrumentor.*

Ad id tamen requiruntur plures conditiones. Et Prima eſt, 75
quod prior Notarius fuerit mortuus, ſive naturaliter, ſive Civiliter per diuturnum impedimentum, vel per perpetuam
infirmitatem. Nullus enim Notarius poteſt in inſtrumentum 76
publicum redigere Protocollum alterius Notarii adhuc vivi. *Authentic. ſeu Novella 33. de Tabellionib. Collat. 4.* juncta Gloſſa *ibidem verb. Ipſi per ſe, cap. Cum P. Tabellio 15. de Fide Inſtrumentor.* & Gloſſa *ibidem verb. Perpetuam*, ubi expreſſe dicit, quod *Tabellio, dum vivit, non poteſt alteri committere completionem inſtrumenti, ſed ipſemet debet complere inſtrumentum, prout in Protocollo reperitur.*

Secunda eſt, quod ad id interveniat auctoritas Judicis, ſive 77
Ordinarii, ſive Delegati, qui de morte ſeu diuturno impedimento prioris Notarii ſimulque de fide, & integritate illius, & Portocolli, ſeu notarum ab ipſo factarum ſummarie cognoſcat: *cap. Cum P. Tabellio 15. de Fide Inſtrumentorum*, Covarr. *Pract. q. cap. 21. num. 3.* Pirhing *l. c. n. 19.* Reiffenſtuel *l. c. n. 51. & 54.* & alii paſſim.

Tertia eſt, quod Notarius id faciat ad petitionem eorum, 78
quorum intereſt, ſicque etiam pars adverſa, cujus intereſt, debet citari; *citat. cap. Cum P. Tabellio 15. de Fide inſtrumentor.* Pirging. *loc. cit. n. 19.* Reiffenſtuel *loco cit. num. 50.* & alii communiter.

Quarta eſt, quod Notarius id præſtet fideliter, nihil ad ſub- 79
ſtantiam pertinens addendo, diminuendo, vel mutando ex iis, quæ in notis, ſeu Protocollo defuncti continentur; Gloſſa *in citat. cap. Cum P. Tabellio verb. Perpetuam*, ubi expreſſe dicit, quod *debet complere inſtrumentum prout in Protocollo reperitur, nihil addendo, vel diminuendo, quam in Protocollo continetur, ut in Authentic. de Tabellionib. Collat. 4.* Abbas *ibidem num. 5.* & Joann. Andreas *num. 8.* Reiffenſtuel *l. cit. n. 53.* Pirhing. *l. cit. n. 19.* & alii paſſim.

Quinta eſt, quod Notarius notas, ſeu Protocollum Notarii 80
mortui redigat in publicam inſtrumenti formam; & tale Protocollum ſemper penes ſe ſervet; *cap. Quoniam contra 11. de probationibus, & citat. Authentica de Tabellionibus Collat. 4.* ea addita ratione: *Ut habeat unde ſciat negotium, & interrogatus a Judice poſſit, quæ ſubſecuta ſunt, cognoſcere, & reſpondere*, Pirhing. *l. c. n. 19.* Reiffenſtuel *l. c. num. 52.* & alii communiter.

Exemplaria, ſeu Tranſumpta Originalium inſtrumentorum, 81
ſi fiant auctoritate Judicis Ordinarii, vel Delegati per publicam perſonam, ac ſervatis de Jure ſervandis, habent eandem vim probandi, ac Originalia, textu expreſſo *in cap. Si inſtrumenta 16. de Fide inſtrumentor.* ibi: *Si inſtrumenta propter vetuſtatem, vel propter aliam juſtam cauſam exemplari petantur, coram Ordinario Judice, vel Delegato, ab eo ſpecialiter præſententur, qui ſi ea diligenter inſpecta, in nulla ſui parte vitiata repererit, per publicam perſonam illa præcipiat exemplari, eamdem auctoritatem per hoc cum Originalibus habitura.*

Imo



82 Imo in pluribus caſibus Exemplaria habent eandem vim probandi, ac Originalia, etiamſi ſint facta ſine auctoritate Judicis. Et ſignanter quando in Litteris Pontificiis, ut fieri ſolet, habetur inſerta hujuſmodi clauſula: *Quodque præſentium Tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.* Tunc enim, ut Exemplaria eandem vim habeant probandi, ac Originalia, ſufficit prædicta in tali Clauſula obſervari; Reiffenſtuel *l. c. n. 65.* et alii communiter.

Item quando Exemplar fuit factum, ſeu ſcriptum manu
83 ejuſdemmet Notarii, qui inſtrumentum Originale confecit. Cum enim idem Notarius de eodem negotio poſſit conficere plura ipſiſſima inſtrumenta, et in tali caſu ſit idem Auctor ejuſdem Scripturæ, eadem fides debet præſtari utrique; *arg. cap. Dudum 20. de converſ. conjugator.* ubi tale publicum inſtrumentum poſt amiſſionem prioris ab eodem Notario confectum, fuit habitum pro legitimo, et valido; Pirhing. *l. cit. n. 23.* Reiffenſtuel *l. c. n. 66.* Maſcard. *de probat. concluſ. 712. n. 35.* teſtans de communi.

84 Item quando, et ubi contraria conſuetudo derogavit citato Canoni *Si inſtrumenta 16. de Fide inſtrumentor.* uti in praxi non ſolet hodie Judex inſpicere Originale, ſed Notarius, qui inſtrumentum tranſcribit, teſtatur, quod illud omni cum diligentia inſpexit, et nullum in eo vitium reperiit, atque de verbo ad verbum cum ipſo concordat &c. Pirhing. *loc. cit. n. 22.* Reiffenſtuel *l. c. n. 67.* & alii, *arg. cap. Cum dilectus 8. & cap. Cum tanto 11. de conſuetudine.*

85 Item quando Notarius Exemplum inſtrumenti conficit de conſenſu, & rogatu partium, quarum intereſt; Tunc enim illud fidem facit, & plene probat etiam ſine Judicis auctoritate ſaltem in præjudicium partium, earumque ſucceſſorum, quia *in citat. cap. Si inſtrumenta 16. de Fide inſtrumentor.* eſt ſermo, quando ex unius tantum partis voluntate inſtrumentum Originale per Notarium exemplatur, tunc enim neceſſario requiritur Judicis Auctoritas; Secus autem ſi id fiat ex conſenſu omnium partium, quarum intereſt.

86 Actor non poteſt regulariter petere, ut Scripturæ, & inſtrumenta propria Rei ſibi ab ipſo tradantur ad probandam ſuam intentionem; Nec Reus ſuas Scripturas & inſtrumenta, quibus in Judicio non eſt uſurus, tenetur tradere, ſeu conſignare ipſi Actori. *Communis* per text. *in cap. 1. de Probationibus*, juncto ejus Summario, in quo expreſſe dicitur: *Reus Actori ſua propria inſtrumenta dare non tenetur, & l. Qui accuſare 4. Cod. de Edendo*; Non enim Juris, aut æquitatis ratio permittit, ut quis invitus arma, quibus impugnatur adverſario ſuo tradere, eumque contra ſe adjuvare cogatur, *l. Nimis grave, Cod. de Teſtibus.*

87 Tenetur tamen Reus tradere Actori petenti inſtrumenta communia, & ſi Judex parti petenti non faciat tradi inſtrumenta communia, licite ab ipſo appellatur, & quidquid poſt appellationem attentatum fuerit, non valet, *Communis*, text. expreſſo *in cap. P. Perpetuus Vicarius 12. de Fide inſtrumentor.* juncta Gloſſa *ibidem verb. Inſtrumentorum communium*,
88 cum pluribus Juribus ibi a ſe adductis. Et ratio eſt, quia inſtrumenta communia ſunt quodammodo propria utrique parti; Nam quod commune eſt, meum eſt, *l. Servi electione* juncta Gloſſa verb. *Communis, ff. de Legat. 1.* adeoque talia communia inſtrumenta a qualibet parte juſte petuntur, et ab altera tradi debent, et ad id compelli poteſt, et debet a Judice, alias ſit ibi locus appellationi.

89 Inſtrumenta inter ſe contraria, ſi ab eadem parte contra adverſarium ſuum producantur in judicio, nihil probant, ſed fidem ſibi adinvicem derogant, textu expreſſo *in cap. Imputari 13. de Fide inſtrumentor.* ubi inſuper redditur ratio, ibi; *Imputari ei poteſt, quod contrarias inter ſe ſcripturas in judicio protulit fidem ſibi ad invicem derogantes, cum in ipſius fuerit poteſtate, quam voluerit non proferre*; Et concordat *l. Scriptura, Cod. eodem.*

90 Si autem inſtrumenta contraria a diverſis partibus producantur, tunc ſtandum eſt inſtrumento digniori, verb. grat. publico, aut quod magis caret falſi ſuſpicione, *argument. leg. Scripturas, Cod. Qui potiores in pignore.* Sic Gloſſa *final. in citat. cap. Imputari*, & Abbas *ibidem num. 3.* Reiffenſtuel *loc. citat. num. 324.* & alii, & deſumitur ex *citat. leg. Scripturas, Cod. Qui potiores in pignore, & cap. In noſtro 32. de Teſtibus* cum ſimilibus.

91 Si inſtrumenta hinc inde producta omnino ſint æqualia, & paris auctoritatis, ſeu dignitatis, tunc Reus eſt abſolvendus, præterquam in cauſa liberali, ſeu favorabili, textu expreſſo *in cap. Ex litteris 3. de probationibus*, ibi: *Quod ſi ambarum partium teſtes ſunt æque idonei, poſſeſſoris teſtes præferentur, cum promptiora ſint Jura ad abſolvendum, quam ad condemnandum, præterquam in liberali cauſa, in qua ſi utriuſque partis teſtes æquales fuerint, pro libertate ſententia proferetur.* juncto Summario *ibidem*, in quo ſic præciſe dicitur: *In communi judicio probant actor, & reus, & ſi pariter probant, reus abſolvitur, niſi favorabilem cauſam foveat Actor.* Et Gloſſa *ibidem verb. In liberali*, ubi aſſignat quatuor cauſas liberales, in quibus ſi utriuſque partis probationes fuerint æquales, ſententiari debet favore ipſarum, ſcilicet pro favore Matrimonii, favore Teſtamenti, favore Dotis, & favore Libertatis, adducitque ad id duos ſequentes verſiculos.

*Stat Teſtamentum, Libertas, Conjugium, Dos;*
*Si ſint æquales qui producuntur utrinque.*

Inſtrumentum ob factam in parte ſubſtantiali raſuram red- 92
ditur ſuſpectum de falſitate, ac proinde reprobari poteſt: Secus ſi raſura facta ſit in parte non ſubſtantiali ſeu in loco non ſuſpecto. *Communis*, & quoad primam partem colligitur clare ex *cap. Inter dilectos 6. de Fide Inſtrumentor.* juncto ejus ſummario, in quo præciſe dicitur: *Inſtrumentum publica manu confectum habens ſigillum, cujus litteræ non ſunt legibiles, vel ſcripturæ deletæ, vel enormem patitur fracturam, non probat.* Et clarius ex *capit. Cum venerabilis 7. de Religioſis domibus*, ubi ſtatuitur: *inſtrumento nullam fidem penitus adhibendam propter ſuperlinearem ſcripturam, & raſuram loco ſuſpecto factam, ubi videlicet annotatio temporis recenſetur*, & infra ſubjungit Pontifex: *Inſtrumentum prædictum . . . . . ad faciendam ſuper hoc fidem invalidum eſſe cognovimus, utpote propter prædicta de Jure ſuſpectum.* Quo ad ſecundam autem partem habetur clare *ex capit. ex litteris 3. de Fide inſtrumentorum*, ibi: *Dicimus, quod propter abraſionem illam judicari falſæ non poſſunt, nec etiam haberi ſuſpectæ*, juncto ejus Summario, in quo expreſſe dicitur: *Reſcriptum Apoſtolicum propter raſuram in loco non ſuſpecto non cenſetur vitioſum, & capit. Ex conſcientia 9. de crimine falſi*, in cujus Summario ſic præciſe habetur: *Propter paucam litterarum raſuram in loco non ſuſpecto Reſcriptum non probatur falſum.*

Amiſſio ſcripturæ, ſed inſtrumenti non nocet, ſi poſſit 93
fieri probatio ipſius negotii, v. g. debiti per teſtes, vel alio legitimo modo; *Communis*, textu expreſſo *in l. Debitores 1. Cod. De Fide inſtrumentor.* ibi: *Debitores tuos quibuſcumque rationibus debere tibi pecuniam ſi probaveris, ad ſolutionem compellet aditus Præſes Provinciæ. Nec oberit tibi amiſſio inſtrumentorum, ſi modo manifeſtis probationibus eos debitores eſſe apparuerit.*

Si inſtrumentum ſit amiſſum caſu fortuito, ut incendio, 94
inundatione, prædatione, & hujuſmodi, oportet, ut illud allegans probet caſum fortuitum, & tenorem inſtrumenti, vel per Teſtes, qui præſentes fuerint contractui celebrato, & inſtrumento per Notarium legitime confecto; vel per Teſtes, qui licet tempore celebrati contractus, & confecti inſtrumenti non fuerint præſentes, poſtea tamen illud propriis oculis viderint in nulla ſui parte vitiatum, & attente legerint ejus tenorem ita, vel ita ſonantem; alias Debitores ad ſolutionem non poſſunt compelli, textu expreſſo *in l. Sicut iniquum eſt 5. Cod. de Fide inſtrumentor.* ibi: *Sicut iniquum eſt inſtrumentis vi ignis conſumptis Debitores quantitatum debitarum renuere ſolutionem, ita non ſtatim caſum conquerentibus facile credendum eſt. Intelligere itaque debetis, non exiſtentibus inſtrumentis, vel aliis argumentis probare debere fidem precibus veſtris adeſſe*, juncto ejus Summario ex Saliceto, ibi: *Si creditor dicat ſe perdidiſſe caſu inſtrumentum debiti, non debent propterea, qui dicuntur Debitores, ad ſolutionem urgeri, niſi Creditor probet caſum, & tenorem inſtrumenti*, & ibi Bartolus *num. 2.* Abbas *in cap. Albericus num. 4. de Teſtamentis*, Alexander *conſil. 196. num. 11. lib. 2.* Maſcard. *de probationib. concl. 910. num. 6. & ſeq.* Reiffenſtuel *loc. cit. n. 333. & ſeq.* & alii.

Si inſtrumentum pereat facto adverſarii, illud v. g. dilace- 95
rantis, vel auferentis, oportet, ut illud legitime probetur, & facta tali legitima probatione, tunc per ſolum juramentum ſpoliati probatur tenor inſtrumenti, & valor rerum in eo contentarum; Sic deſumitur ex *l. Si de poſſeſſione 20.* juncta Gloſſa marginali *Cod. de probationibus*, & notant Abbas *in*

cap. *Accepimus* 4. *num.*4. *de Fide inſtrument.* Maſcard. *loc.cit.*
*concluſ.*911. *num.*3. *&* 4. Reiffenſtuel *loc.cit. num. num.*337.
Engel *loc.cit. num.*54. & alii paſſim; In ſimilibus enim, pro-
bata fraude, ſeu violentia per teſtes, ſufficit, quod res amiſ-
ſæ, earumque valor probentur per juramentum ſpoliati, textu
expreſſo *in t. Super eo 7. de his, quæ vi, metuſve cauſa fiunt*,
juncto ejus Summario, ubi ſic expreſſe habetur: *Probata
violentia per teſtes, res amiſſæ probantur per juramentum, &
ſuper valore rerum amiſſarum, taxatione Judicis præmiſſa,
& ſecuto petentis juramento fit condemnatio.*
96 Falſificantes ſcripturas, ſeu inſtrumenta quas pœnas incur-
rant? Vide verb. *Falſum, Falſarius a num.*39. *ad* 73.
97 Scripturæ, & inſtrumenta, quæ conficiuntur, & rogantur
a Cancellario Epiſcopi tamquam Cancellario, ſervari de-
bent in Epiſcopi Cancellaria, non autem transferri debent in
Archivio Communitatis; *Sacr.Congr.Concil.* 5. *Novemb.*1625.
apud Pignatell. *tom.*4. *conſult.*210. *num.* 3.
98 Imo poteſt Epiſcopus per Edictum præcipere aliis Nota-
riis, quod exhibere debeant in Cancellaria Epiſcopali acta,
ſeu rogitus, illorumque Exemplaria ſpectantia ad Monaſteria
Monialium, prout laudando Epiſcopum Eugubinum, qui tale
mandatum dederat, reſpondit *Sacr.Congreg. Epiſcop.* 31. *Ja-
nuarii* 1596. apud Monacell. *part.*1. *tit.*1. *formul.*5. *n.*3.
99 Eccleſiaſtici non poſſunt cogi ad faciendam inſinuationem
in Cancellaria Laicali Inſtrumentorum dotalium Monialium,
Patrimoniorum, & ſimilium Scripturarum; *Sacr. Congreg.
Immunit. in Nicæn.* 28. *Septembr.*1667. *lib.*2. *Decret.Altov.
pag.*1461.
100 Epiſcopus requiſitus a Laicis pro conſignatione Scriptura-
rum reſpondeat ſe non habere facultatem, ſed adeundum eſſe
Sanctiſſimum pro obtinenda facultate; *Sacr. Congr. Immunit.
in Neritonen.* 17. *Novembr.*1654. *lib.*5. *Decret. Paul. p.* 54.
101 Omnes Scripturæ pertinentes ad Abbatiam N. exiſtentes in
Archivio Archiepiſcopali debent communicari Abbati pro
tuitione Jurium ei competentium; *Sac.Congr.Immun. in Ace-
ren.* 23. *Maji* 1703. *lib.*3. *Decr.Vallem. pag.*490.
102 Datur facultas extrahendi ſer. ſer. Protocolla, & Inſtru-
menta Notarii demortui a loco immuni, & conſignandi ſer.
ſer. in Archivio publico Civitatis, cum prævio Inventario
dictarum Scripturarum, ita tamen, ut nullum inferatur dam-
num, ſeu præjudicium hæredi pro Jure ſibi competente ſuper
dictis Scripturis; *Sac.Congr. Immunit. in Foroſempronien.* 13.
*Aug.*1667. *lib.*1. *Decret. Alt. pag.*141. *& in Marſicen.* 10. *De-
cembris* 1673. *lib.*2. *Decr. Altov. pag.*1685.
103 Ad evitandas fraudes, quibus poteſt ſubjici Juſtitia ob fal-
ſificationem prætenſam Scripturarum, quas apud ſe retinet
Notarius confugitus in loco immuni, datur Epiſcopo facul-
tas perquirendi dictas Scripturas ad effectum faciendi Inven-
tarium, & conſignandi in manu Judicis competentis, ut de
ipſis diſponat prout de jure; *Sac.Congreg.Immun. in Reatina*
31. *Decembris* 1677. *lib.*1. *Decr. Altov. pag.* 189.
104 Præcipitur Archiepiſcopo, ut auctoritate ſua ordinaria
cogat Secretarium Communitatis ad communicandas Scri-
pturas pro lite cum Communitate pendente in Sacr.Congreg.
ratione aperitionis Macelli; *Sacr. Congr. Immun. in Beneven-
tana* 22. *April.*1673. *ibi pag.*792.
105 Injungitur, mandante Sanctiſſimo, Epiſcopo Montis Re-
galis, & Nuncio, ut faciant abolere omnes Scripturas ab
eorum Tribunalibus quomodolibet emanatas, & omnia acta
inde ſecuta quoad ſolutionem oneris Laicalis contra Eccleſia-
ſticos, & tranſmittant ad Sacr.Congr. publicum Documentum
dictæ abolitionis; *Sacr. Congreg. Immunit. in Montis Regalis*
5. *Maji* 1677. *lib.*2. *Decret. Altov. pag.*1384.
106 Archiepiſcopus curet reſtitui Eccleſiæ Protocolla, ſeu
Scripturas ab ipſa extractas de ejus ordine ad effectum conſi-
gnandi, cui de jure, & homine, ex defectu facultatis;
*Sacr.Cong.Immun. in Regien.* 4. *Octobr.*1681. *ibi pag.*2266.
107 Niſi Scripturæ ab Eccleſia ablatæ reſtituantur, non conce-
ditur abſolutio; *Sacra Congreg.Immunit. in Oritana* 10. *Sept.
1629. lib.*2. *decr. Paul. pag.*5.
108 Alia ad rem. Vide verb. *Falſarius*, verb. *Litteræ*, verb.
*Notarius*, verb. *Probatio*.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 DE hoc argumento quamvis late diſſeruerit *Auctor*, libet
tamen per compendium totam materiam complecti.
2 Scripturæ, aut publicæ ſunt, aut privatæ. Publicæ ſcriptu-
ræ ſunt, quæ auctoritate publica a Perſonis illa pollentibus 3
confecta ſunt. Huc autem I. Pertinent inſtrumenta a Capi- 4
tulis Eccleſiaſticis confecta, & ſigillo eorum munita; *cap.*2.
*de Fid. Inſtrumentorum.*
II. Libri Eccleſiaſtici, quibus conſignantur Baptizati & 5
novi conjuges copulati; *Carpzov. lib.*12. *Juriſprud. conſiſtor.
defin.*315. *num.*2. *&* 3. *Philippi in uſ. practic. Inſtit. Ecl.* 47.
Notandum vero, libros hoſce de iis tantum fidem facere, 6
quæ coram Parochis acta ſunt, non vero quæ ex relatione
aliorum habent. Vide quæ diximus *in addit. ad verb. Ætas.*
III. Acta judicialia legitime confecta a publica Perſona, 7
ſeu Actuario Judicii ad illa judicia ſolemni juramento obſtri-
cti, quæ tunc demum fidem publicam habent; *cap.* 11. *de
Fid. Inſtrum.*
IV. Scripturæ privatæ teſtium ſubſcriptione munitæ, mo- 8
do adhuc vivant, ut ſubſcriptionem ſuam recognoſcere va-
leant. Iis enim defunctis, vim probandi haud habent; *c.*2. 9
*eod. titul.* Publica vero documenta ex ſe probant, ut ut mor- 10
tui ſint Teſtes ſubſcripti. Hoc intuitu *in L.*11. *C. Qui potior.* 11
*in pignor.* hypotheca publica cenſetur, quæ conſtituta eſt in
ſcriptura trium teſtium ſubſcriptione roborata; quod tamen
aliter intelligi nequit, quam ſi Teſtes adhuc vivant, ſeu ſub-
ſcriptiones ſuas recognoſcere queant, vel ad minimum duo
ſuperſint, qui recognitionem facere poſſint, quia inde fides
publica ſcripturæ privatæ dependet. Conſule *Brunemann.
ad cit. L.*11. *num.*5. *C. Qui potior. in pignor.*
V. Notariorum inſtrumenta legitime confecta. Probant ta- 12
men ſi in originali, non item in exemplo producantur; *c.* 1.
*dict. titul.* Nec ſufficit exemplum quod fide Notarii ab Ori- 13
ginali, vel quod pro tali habetur, tranſumptum eſt. Exem- 14
plum vero tranſumptum ſecundum formam *in cap. finali dict.
titul.* præſcriptam attendi debet. De hac autem forma plures
incidere ſolent quæſtiones. At vide de iis *Bohemer. in decr.
lib.*2. *tit.*22. §.5. *& ſequent.* Extra ordinem vero fides etiam 15
exemplo eſſe poteſt, non quidem, ſi in Archivio repertum
ſit, ut perperam nonnulli volunt, ſed ſi agatur de cauſa
antiqua, & inſignia quædam adminicula eidem accedant;
*cap.*13. *de Probat.*
Sunt qui in claſſe Scripturarum publicarum recenſent VI. 16
Et Regeſta Monaſteriorum quibus deſignati ſunt redditus, aliæ-
que obventiones ad Monaſterium ſpectantes. Confer *Genua
de Scriptur. privat. lib.*5. *quæſt.*1. *&* 2. Sed eos refutat *Bohe
mer. loco mox citato* §.3.
Scripturæ privatæ regulariter pro ſcribente non probant. 17
Contra vero ſcribentem probant, dummodo debite recogno- 18
ſcantur, nec *indeterminate* loquantur, ſed cauſam debendi
adjectam habeant; *cap.*14. *de Fid. inſtrum. L.*25. §. *final. ff.
de Probat.*
Extra ordinem vero ſcripturæ hæ indeterminate loquentes 19
probant. I. Inter Mercatores, quippe qui ſtylo admodum
laconico inter ſe utuntur, ut plurimum cauſam ſpecialem de-
bendi omittunt, & ſimpliciter fidei datæ inhærent; *Mar-
quard. de Jur.Mercator. lib.*1. *cap.* 14. *num.* 11. *Brunemann.
Centur.*2. *deciſ.*99. *per tot.* II. Si juramentum acceſſerit; *Bar-* 20
*boſ. ad cap.*14. *num.*2. *de Fid. inſtrum. Seraphin, de Privileg.
Juram. privileg.*94. *num.*8. ubi tamen aliquas limitationes af-
fert. III. Si ſtatuto contrarium introductum. IV. Si Actor 21
ſuper cauſa debendi juramentum præſtitit, licet generaliter 22
tantum juraverit, ex juſta cauſa Reum debere. Confer *Bohe-
mer.* ubi *ſupra* §.10.
Illud ſubnectendum, ſubtrahi poſſe vim probandi ſcripturis 23
variis ex cauſis. I. Si per Teſtes, vel alio modo earum fal-
ſitas probetur; *cap.* 4. *&* 10. *de Fid. Inſtrum.* II. Si non 24
ſint legibiles. Vide *Bohemer. in diſſertat. de Scriptur. non le-
gibil. cap.*4. III. Si contradictoriæ ab eodem producantur, 25
*cap.*13. *dict. tit.* IV. Ex raſura, ſi in loco principali appareat; 26
*cap.*3. *dict. titul.*

## SCRUPULUS.

SCrupulus eſt ſic dictus, eo quod inſtar ſcrupuli, ſeu la- 1
pilli calceis incluſi, pedemque vexantis animo hominis
inſidens eum vexet, & angat; Scrupuli enim ſunt minuti
lapilli, qui inter ambulandum inſiliunt in calceos hominibus,
ac pedem torquent; Inde injicere ſcrupulum dicitur, qui ſo-
licitudinem injicit animo cujuſpiam; Et ſcrupulum eximit,
qui ſolicitudinem eximit; Unde in *l. Cum proponas* 3. *Cod. de
interdicto Matrimonio*, ſic dicitur: *Ut autem omnis ſcrupu-
lus auferatur, inſiſtere pater tuus debet*; Sic expreſſe notat
Joannes Kahl, alias Calvinus *in magno Lexico Juridico verb.
Scrupuli.*



2 Hinc Scrupulus definitur, quod ſit inanis apprehenſio, &
hinc ortus timor, & anxietas mentis alicubi eſſe, vel fuiſſe
peccatum, ubi revera non eſt, nec fuit; *Eſt in re Communis.*
Unde Scrupulus proprie fit, & tunc conſcientia ſcrupuloſa
proprie dicenda eſt, quando intellectus, neque determinate
judicat, neque dubitat practice aliquid eſſe peccatum, ſed
potius habito, vel ſufficienter propoſito judicio non eſſe
peccatum, ſola apprehenſione, vel ſuſpicione mali ex inani,
ſeu levi motivo titubat, fluctuat, & anxie formidat eſſe,
vel fuiſſe peccatum, v.g. forte ſe conſenſiſſe tali ſuggeſtioni,
& hujuſmodi.
Scrupuloſi alii ſunt circa præſentia, & alii circa præterita,
3 & utrique qui ſint? Vide verb. *Conſcientia a num.* 115. *ad
num.*126. ubi fuſe agitur de conſcientia ſcrupuloſa, & aſſi-
gnantur ſigna conſcientiæ ſcrupuloſę. Item cauſæ conſcien-
tiæ ſcrupuloſæ; Item remedia conſcientiæ ſcrupuloſæ; Item
privilegia Conſcientię ſcrupuloſæ. Et quando liceat, vel
non, operari contra conſcientiam ſcrupuloſam?

## SECRETARIUS, SECRETUM.

1 SEcretarius tenetur ſcire ea, quæ ad ſuum Officium ſpe-
ctant, & juſte, diligenter, fideliterque dictum ſuum Of-
ficium exercere: *Communis.*
2 Secretarius in pluribus peccat, & ſignanter ſi juramentum
violet. Item ſi ſecreta revelet. Item ſi ſententiam nondum
publicatam manifeſtet. Item ſi proceſſus, aut ſententiam
nondum publicatam manifeſtet. Item ſi proceſſus, aut ſen-
tentiam non recte cuſtodiat, vel partibus ſine præſcripto Ju-
dicis oſtendat. Item ſi teſtimonia non fideliter tranſcribat,
ſive exagerando, vel imminuendo, ſeu immutando, aut in-
vertendo. Item ſi ſurripiat aliquid ultra conventam merce-
dem ad compenſandum laborem, cui putat non eſſe æqua-
lem dictam conventam mercedem, præſertim ſi non inter-
veniant requiſitæ conditiones ad juſtam compenſationem;
*Communis.*
3 Quæ autem ſint conditiones requiſitæ ad juſtam compen-
ſationem? Vide verb. *Compenſatio.*
4 Et quam mercedem poſſint exigere Secretarii, ſeu Can-
cellarii Curiæ Epiſcopalis? Vide verb. *Cancellarius.*
5 Secretarius, qui multa ſcribit, probabilius non excuſatur
a jejunio. Poteſt enim Secretarius vires habere ſufficientes ad
multum ſcribendum, quamvis jejunet; Imo temperantia &
jejunium maxime conducit ad valetudinem Sedentarii; San-
chez *in Conſil. lib.*5. *cap.*1. *dub.*7. La Croix *lib.*3. *part.* 2. *nu-
mer.*1332. & alii paſſim; Quamvis tamen non deſint Aulico-
rum aſſentatores, qui excuſent a jejunio Secretarios multum
ſcribentes, v.g. Secretarios Regum, aliorumque Principum,
ac præcipuorum Officialium, quia dicunt tale Officium re-
quirere conſtantes vires, quæ multum debilitantur per jeju-
nium; Sic Angles, aliique ejuſd. furfuris cum Burghaber.
*cent.*3. *caſ.*5. & Diana *in Compend. verb. Jejunium numer.*10.
Vide verb. *Jejunium num.*21.
6 Secretum (præter illud Confeſſionis Sacramentalis, de
quo infra ſub verb. *Sigillum Confeſſionis*) poteſt aliquid dici
quinque potiſſimum modis. Primo, quando aliquid ex na-
tura rei petit eſſe, & teneri ſecretum, ſeu quando res uni,
aut alteri revelata poſtulat ex ſe manere occulta. Secundo,
quando res aliqua expreſſe, vel tacite ſub ſecreto commiſſa
eſt. Tertio, quando audiens ſecretum promittit, licet non
fuerit ipſi commiſſum. Quarto, quando res aliqua occulta
cognoſcitur per injuriam. Quinto, quando res aliqua occulta
cognoſcitur caſu ſine ulla injuria &c.
7 Revelare ſecretum in primo caſu, ſeu modo, eſt peccatum
mortale contra Juſtitiam, ſi materia ſit gravis; *Communis.*
Et ratio eſt, quia ex revelatione talis ſecreti in materia gravi
cauſatur proximo grave, & notabile detrimentum in bonis
vitæ, vel famæ, ſeu fortunæ. Proximus autem habet verum
Jus ad omnia dicta bona, adeoque revelare tale ſecretum,
ratione cujus imminet proximo jactura dictorum bonorum,
eſt gravis injuſtitia, & conſequenter gravis culpa cum onere
reſtitutionis.
8 Revelare ſecretum ſecundo caſu, ſeu modo eſt etiam pec-
catum mortale contra Juſtitiam, ſi materia ſit gravis; *Com-
munis.* Et ratio eſt, quia Secretum revelatum ſub expreſſo,
vel tacito pacto tacendi, continet in materia gravi gravem
obligationem Juſtitiæ: Eſt enim contractus oneroſus, cum
ſubeat onus revelandi, petens viciſſim onus tacendi, adeo-
que &c.
Revelare ſecretum in tertio caſu, ſeu modo, eſt pecca- 9
tum mortale contra Juſtitiam in re gravi, ſi promittens inten-
derit ſe obligare ad ſervandum tale ſecretum ex Juſtitia. Secus
autem ſi ſolum ex fidelitate; An autem promittens intenderit
ſe obligare ex Juſtitia, vel ſolum ex fidelitate, ſeu urbani-
tate, judicandum eſt ex circumſtantiis materiæ, perſonæ,
loci, temporis, & modi.
Revelare ſecretum in quarto caſu, ſeu modo, eſt pecca- 10
tum mortale contra Juſtitiam in materia gravi. *Communis.*
Si quis enim per injuriam injuſte aperit litteras alicujus, ex
quibus cognoſcit ipſum aliquod pingue beneficium certo me-
dio conſecuturum, certa negotiatione multum lucraturum,
& hujuſmodi, & poſtea revelat id amico, qui prævenit, im-
pedit, & ſibi tali medio, & negotiatione acquirit, peccat
contra Juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem juxta proportio-
nem certitudinis, probabilitatis, vel ſpei habitæ illud bonum
conſequendi, quia talis injuſta aperitio, & lectio litterarum,
& revelatio ſecreti fuit impeditiva ipſius boni, & cauſa mali.
Vide verb. *Litteræ n.*6.
Revelare ſecretum in quinto caſu, ſeu modo, eſt pecca- 11
tum mortale contra Juſtitiam in materia gravi, licet non tam
grave, quam revelare ſecretum in quarto caſu, ſeu cogni-
tum per injuriam. *Communis.* Si enim quis ſciens, ſeu co-
gnoſcens caſu fortuito ſine injuria ubi alter habeat Theſaurum
occultum, illum revelat, & inde ſurripiatur a Latronibus,
peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem damnorum,
cum ipſe ſit eorum cauſa, licet non tam graviter peccet, ac
ſi cognoviſſet per injuriam, quia obligatio Juſtitiæ circa ſe-
cretum cognitum ſine injuria eſt levior, quam circa ſecretum
cognitum per injuriam.
Juſtæ cauſæ revelandi ſecretum ſunt potiſſimum quinque. 12
Prima eſt, quando res nullatenus ſecretum meretur, ex quo
nulli prodeſſe, vel nocere poſſit. Secunda, quando res tra-
dita ſub ſecreto, eſt aliunde facta jam publica. Tertia, quan-
do ſecretum cedit in damnum commune Reipublicæ, aut ali-
cujus innocentis. Quarta, quando ſecretum ceſſurum eſſet in
grave nocumentum ipſiuſmet ſecretum committentis. Quinta,
quando ipſemet, cui ſecretum commiſſum eſt, grave dam-
num incurrere deberet, niſi ſecretum revelet.
Ex ſupradictis colliges primo, per revelationem ſecreti 13
poſſe aliquando fieri injuriam gravem, aliquando injuriam
levem, & aliquando nullam. *Communis.*
Colliges ſecundo, tunc per revelationem ſecreti fieri in- 14
juriam gravem, et peccari mortaliter, quando quis in materia
gravi ſecretum, expreſſa, vel tacita conventione tacendi
ſibi commiſſum, revelat. *Communis.* Et ratio eſt, quia ſer-
vare fidem ſibi commiſſam eſt de Jure naturali, ut tra-
dunt communiter Doctores cum Sancto Thoma 2. 2. *q.* 70.
*art.*1. *ad* 2. Unde Proverb. *c.*11. *n.*13. ſic habetur: *Qui am-
bulat fraudulenter, revelat arcana, qui autem fidelis eſt ani-
mi, celat amici commiſſum*, Et quidem quoad expreſſam
conventionem res de ſe clara eſt. Quoad tacitam autem con-
ventionem manifeſte patet in multis, et ſignanter in Conſilia-
riis, Belli Officialibus, Advocatis, Theologis, Medicis,
Chirurgis, Obſtetricibus; Immo et probabiliter etiam in
amicis, et propinquis, quibus conſilii, remedii, vel auxilii
capiendi cauſa certa ſecreta revelantur, quia ſupradicti
omnes eo ipſo, quod talia ſecreta ſuſcipiunt, ſecluſa alia
expreſſa conventione tacendi, tacite cenſentur vi Officii,
aut muneris, aut rei ex natura ſua poſtulantis ſecretum ad ſi-
lentium ſe obligare, et a fortiori injuriam gravem inferunt,
et graviter peccant cum onere reſtitutionis, qui revelant ſe-
creta cognita per injuriam, ut dicebatur ſupra de injuſte, et
fraudulenter aperientibus alienas litteras, et inde detecta
ſecreta cum eorum notabili damno revelantibus; Et ſic de ſi-
milibus.
Colliges tertio, tunc per revelationem ſecreti fieri injuriam 15
levem, et peccari ſolum venialiter, quando quis in materia
levi modicum ſolum inde inferente damnum, aut ex imper-
fectione actus ſine expreſſa gravi obligatione tacendi ſecre-
tum revelat. *Communis*; Et ratio eſt, quia res levis momen-
ti obligat ſolum leviter ad ſecretum; Additur tamen *ſine
expreſſa gravi obligatione tacendi*, quia, ſi quis præcedente
tali expreſſa obligatione tacendi in aliqua ſpeciali materia,
etiam levi, ſecretum revelaret, injuriam gravem inferret,
et conſequenter graviter peccaret, non ratione materiæ, quæ

de ſe eſſet levis, ſed ratione violatæ fidei contra expreſſam ſibi impoſitam, et a ſe voluntarie aſſumptam obligationem tacendi, ſeu ſervandi fidem, etiam in dicta ſpeciali materia levi.

16 Colliges quarto, tunc per revelationem ſecreti nullam fieri injuriam, et nulliter peccari, quando quis ſecretum revelat aliqua ex quinque aſſignatis *ſupra n.*12. interveniente juſta cauſa ipſum revelandi. *Communis*; Et quidem interveniente prima, vel ſecunda ex aſſignatis cauſis res de ſe patet; Interveniente autem tertia, ut ſi Urbs eſſet prodenda, aut innocens injuſte eſſet occidendus, licitum eſt etiam cum diſpendio alterius, & malitia ſua nocere volentis, revelare ſecretum ad avertendum ſimile malum, ut docet Communis Doctorum cum S.Th. 2. 2. *q.*79. *art.* 1. Et ratio eſt, quia ex Lege, & ordine Caritatis quilibet licite poteſt, immo obligatur liberare innocentem ab injuria injuſte nocentis, quamvis cum aliquo nocentis damno fieri debeat; Item interveniente quarta ex dictis cauſis, ut ſi committens ſecretum velit Matrimonium inire cum impedimento dirimente alicui revelato, tunc ſi non poſſit aliter a tali matrimonio revocari, ſeu impediri, niſi Canonice denuncietur, licita, immo debita erit denunciatio, ſeu revelatio ſecreti, quia id exigit reverentia Sacramenti, & obligatio evitandi etiam proximi peccatum, ut tradit Communis Doctorum cum Sanchez *lib.*3. *de Matr. diſp.*13. Laym. *lib.*3. *tract.* 3. *cap.*5. *n.*1, Sporer *tom.*2. *tract.*5. *cap.*4. *ſect.*3. *n.*46. Sicuti etiam licitum eſt, immo debitum pravam alicujus conſuetudinem ſub ſecreto commiſſam revelare Superiori, aut alteri, ſi non poſſit aliter ejus ſaluti conſuli, quia bonum animæ præponderat bono famæ; Item interveniente quinta ex dictis cauſis, ut ſi quis ſecretum ſibi commiſſum non poſſit ſervare niſi cum diſpendio vitæ, & famæ; tunc enim poteſt is licite tale ſecretum revelare, quia non cenſetur ſe voluiſſe obligare ad ſervandum ſecretum in ſimili caſu tanti ſui detrimenti inde ſecuturi, cum præſumatur potius quemque ex ordine Caritatis propriam incolumitatem voluiſſe, & velle præferre alienæ, ut docent communiter Doctores cum Leſſio *lib.*2. *c.*11. *dub.*18. Layman *loc.cit. n.*2. Sporer *loc.cit. n.*46.

17 Generales, Provinciales, Viſitatores, aliique Religioſorum, & Religioſarum Superiores graviter peccant contra Juſtitiam, ſi perſonas, a quibus aliorum defectus corrigendos ſuſceperint, manifeſtent. *Communis*. Et ratio eſt, quia certum eſt ex conventione ſaltem tacita id ſibi ſub ſecreto ſtrictiſſimo eſſe commiſſum; Tum quia talis revelatio apertiſſime retrahit ſubditos a declarandis defectibus neceſſario corrigendis, quod cedit in maximum, & graviſſimum detrimentum diſciplinæ Regularis, & conſequenter totius Provinciæ, & Religionis.

18 Item graviter peccant juxta gravitatem materiæ, & circumſtantiarum Generales, Provinciales, Definitores, aliique Vocales, et Secretarii, qui acta, et dicta in Capituli Definitoriis, aliiſque Congreſſibus revelant, et aperiunt, et ſignificant amicis cum magno Religionis, aut Religioſorum diſpendio, ſicuti et illi graviter peccant, qui perſonis particularibus ſignificant quos favorabiles, et quos adverſarios habuerint in ordine ad Dignitates, Gradus, et Officia, ad quæ fuerunt propoſiti. *Communis*. Et ratio eſt, quia ſimilia ſunt apertiſſima ſemina diſcordiarum, et diviſionum; Et Proverb. *cap.*6. *num.*19. Dominus deteſtatur *eum, qui ſeminat inter Fratres diſcordias*.

19 Item graviter peccant Regulares omnes utriuſque ſexus quidquam in Religionis detrimentum extra Religionem patefacientes, ſeu aliquid in præjudicium famæ Religionis, ſeu particularis Religioſi aut Religioſæ manifeſtantes. Hinc in pluribus Religionibus tales manifeſtationes, et patefactiones ponuntur inter peculiares ſuos caſus reſervatos. *Communis*.

20 Alia ad rem. Vide verb. *Detractio*, et verb. *Litteræ*.

## SEDES VACANS.

1 NOmine Sedis vacantis intelligitur potiſſimum Sedes Papalis, ſeu Epiſcopalis, ideſt Eccleſia Epiſcopalis ſuo
2 viduata Paſtore. *Communis*. Inſuper nomine ſedis vacantis intelligitur etiam quælibet Abbatia, ſeu prælatura, aut Dignitas inferior, cui facultas conferendi Beneficia competit, et per obitum ſui reſpectivi prælati cenſetur viduata, juxta *c.Ne pro defectu* 4. *de election.* Sic Gloſſa *in c.* 1. *verb. Eccleſia de rebus Eccleſ. non alienand in* 6. Barboſa *lib.* 3. *decr. tit.*9. *n.*2. Pirhing *ibid. num.*1. Reiffenſtuel *ibid. n.* 2. Abbas *in c.His quæ n.*2. *de majoritat. & obedient.* et alii paſſim.

Per vacationem autem intelligitur omnis vacatio Sedis, ſive 3
per mortem, ſive per renunciationem, tranſlationem, depoſitionem, vel quemvis ſimilem modum, per quem Titulus amittitur. Sic expreſſe Gloſſa communiter recepta *in c.unico, Ne Sede vacante, verb. Mortuo in* 6. ibi: *Mortuo idem eſt ſi quocumque alio modo vacet Sedes, renunciatione, & depoſitione, vel quovis modo*, Pirhing *loc.cit. n.*1. Barboſa *loc.cit. num.*5. & alii communiter.

Item Sedes vacat, ſi Prælatus, ſeu Epiſcopus ſit notorie 4
Hæreticus. Sic declaraſſe Sacram Congregationem Concilii refert Fagnan. *lib.*3. *Decretal. in cap. Quia diverſitatem* 5. *de conceſſione Præbend. n.* 24. Nam propoſito dubio: *An Epiſcopo exiſtente Hæretico facultas concedendi Dimiſſorias juxta cap.*10. *ſeſſ.*7. *pertineat ad Capitulum Cathedralis Eccleſiæ? Sacra Congregatio die* 14. *Januarii* 1588. *cenſuit, ad Capitulum pertinere, ſi Epiſcopus ſit notorie Hæreticus*. Ex qua declaratione Fagnan. *loc.cit. n.*34. *& lib.*5. *Decretal. cap. Ad abolendum* 9. *de Hæret. n.* 36. *&* 37. concludit, quod quando Epiſcopus eſt notorie Hæreticus, Sedes non vacat interpretative, ſed vacat vere, & ideo Juriſdictio, conſequenter facultas concedendi Dimiſſorias tranſit in Capitulum Sede vacante, ut *cap. His quæ, & cap. cum olim, de major. & ob. Ut commiſſi* 12. *de Hæretic. in* 6.

An autem Sedes vacet, & Capitulum poſſit procedere ad 5
electionem Vicarii Capitularis, quando Epiſcopus eſt excommunicatus, vel ſuſpenſus, quando eſt factus captivus ab Hoſtibus Catholicæ Fidei, quando eſt Relegatus, quando Epiſcopo in remotis degente, Vicarius Generalis ab ipſo relictus moritur, vel a Principe Sæculari ejicitur a Diœceſi, aut eſt excommunicatus, vel ſuſpenſus; Vide verb. *Capitulum art.*3. *a n.*52.

Sedes vacare incipit a die ſcientiæ mortis certæ, & non
præſumptæ Epiſcopi, ſeu Prælati. Vel a die certæ tranſ- 6
lationis, reſignationis, & hujuſmodi. *Sacra Cong. Epiſcop. in una Neritonen.* 24. *Maii* 1654. *ex cap. Bonæ Memoriæ* 36. *de election.* Vide dict. verb. *Capitulum art.*3. *n.*37.

Quando vero cenſeatur vacare Sedes per tranſlationem
Epiſcopi. Vide *d. verb. Capitulum art.* 3. *num.* 31. *& verb.* 7
*Epiſcopus art.*3. *n.*60. 61. *&* 62. ubi dantur ad id Decreta.

Sedes ſemel vacans durat vacare tamdiu, donec Litteræ 8
Apoſtolicæ novi Prælati in Curia promoti, vel confirmati, fuerint expeditæ, & Capitulo præſentatæ. Gonzalez *ad Regul. Cancellar. gloſſ.*15. §.2. *n.*82. 83. *& ſeq.* Rebuff. *in praxi Titul. de Simonia in reſignat. num.*31. *&* 40. Barboſa *part.*3. *de Offic. & poteſt. Epiſcop. alleg.* 54. *num.* 160. Reiffenſtuel *lib.*3. *Decr.tit.*9. *num.*6. *& ſeq.* & alii paſſim per text. *in Extravagant. Injunctæ* 1. *de elect. inter communes*.

Sola enim expeditio Litterarum Apoſtolicarum non ſufficit 9
ad ceſſationem vacationis Sedis Epiſcopalis, ſeu alterius Prælaturæ, ſed inſuper requiritur earumdem Litterarum præſentatio facta Capitulo, ſive Conventui. Nam ante hanc Litterarum præſentationem non poteſt Epiſcopus, ſeu alius Prælatus promotus adminiſtrare Epiſcopatum, ſeu Prælaturam, neque Capitulum, ſeu Conventus poteſt eumdem recipere, ut expreſſe ſtatuitur *in cit. Extravagant. Injunctæ*. Et tenent Azorius *Inſtit. moral. part.*2. *lib.*3. *cap.*29. *q.*9. *verſ. Ceterum*, Barboſ. *loco cit. n.*161. Reiffenſtuel *loc.cit. n.*8. & alii paſſim.

Sede Romana vacante, qui tenentur accedere, vel mit-
tere ad Curiam, ad id tenentur, ac ſi non vacaret, tex. ex- 10
preſſo *in Clementin. de election. cap. Ne Romani* §. *final. ibi: Statuimus, ut electi, & alii, qui ex quacumque cauſa ad Sedem Apoſtolicam venire, vel mittere ſunt adſtricti, ad ipſam, cum vacet, ac ſi non vacaret, venire, vel mittere teneantur*.

Sede Romana vacante, Collegium Cardinalium non habet 11
auctoritatem Papalem, niſi eam, quam ſibi concedit Papa juxta Conſtitutionem Gregorii X. *in Concil. Lugdunenſ. Clementin. de electione c. Ne Romani*.

Sede Romana vacante, poteſt Collegium Cardinalium 12
providere de Camerario, & Pœnitentiario, *cit. Clement. Ne Romani* §. *Eo tamen*.

Sede Romana vacante tempore Concilii Generalis legitime 13
congregati electio Pontificis ſpectat ad Cardinales, & non ad Concilium. Vide verb. *Papa art.*1. *n.*45.

Sede Apoſtolica vacante, Summus Pœnitentiarius poteſt 14
diſpenſare ſolummodo in Foro Conſcientiæ. Sic expreſſe ſtatuit Innocent. XII. Conſtit. 20. incip. *Romanus Pontifex* §. 46.



§. 45. ibi: *Sede Apoſtolica vacante Major Pœnitentiarius, ejuſque Officiales ea tantum facere, & expedire valeant, quæ ad Forum Conſcientiæ pertinent, in reliquis eorum Officium conquieſcat, & a quibuſcumque Matrimonialibus, & aliis diſpenſationibus, ac abſolutionibus, & declarationibus, nec non quibuſvis aliis expeditionibus Forum Fori mixtim, vel ſeparatim quomodolibet reſpicientibus omnino abſtineant*.

15 Sede Apoſtolica vacante, poteſt Vicarius Papæ facere ordinari ſuos, aut eis etiam non arctatis dare Dimiſſorias. Barboſ. *de Offic. & poteſt. Epiſcop. part.*2. *alleg.*7. *num.*13. Majol. Henriq. Campanil. & alii ab ipſo citati, La Croix *lib.*6. *p.*2. *n.*223. cum aliis ibi citatis: Concilium enim Trid. *ſeſſ.*7. *c.*10. *& ſeſſ.*23. *cap.*10. *de reform.* non reſtringit Juriſdictionem Sedis Apoſtolicæ, quamvis vacantis.

16 Sede Apoſtolica vacante, omnes menſes ſunt Ordinariorum, & tunc Epiſcopi, & Ordinarii collatores poſſunt providere de Beneficiis vacantibus in quolibet menſe. Anaſtaſius German. *de Indult. Cardinal.* §. *Quod tamen n.*99. *&* 109. Zerola in Praxi Epiſcop. *part.*2. *verb. Beneficium* §. 2. Flores de Mena *var. lib.*1. *q.*4. *numer.*51. Gonzalez §. 5. *proœm. a n.*46. qui *num.*53. ait, quod non ſolum erunt omnes menſes Ordinarii ante aſſumptionem novi Papæ, ſed etiam antequam faciat Regulas Cancellariæ. Barboſa *de Offic. & poteſtat. Epiſcop. part.*3. *alleg.*57. *num.*191. *&* 192. cum pluribus aliis ibi citatis. Et ratio eſt, quia cum Menſes Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Junii, Auguſti, Octobris, & Novembris reſerventur in Regula nona Cancellariæ ſolum ad Beneplacitum Papæ concedentis, talis reſervatio non eſt perpetua, ſed expirat, & extinguitur morte Papæ illius conditoris. Cum enim talis Papa poſt ejus mortem non ſit amplius in rerum natura, non poteſt amplius habere beneplacitum, nec diſpoſitionem; *cap. unic.* §. *final. Ne Sede vacante in* 6. Unde Gratiam ad Beneplacitum Papæ, vel Regis conceſſam morte Pontificis, vel Regis expirare probat textus *in cap. Si gratioſe, De reſcriptis in* 6. Barboſa *loc.cit.* cum pluribus aliis ibi allegatis.

17 Beneficia reſervata Papæ vacantia, Sede Romana vacante, a Papa Succeſſore ſunt conferenda. Urbanus VIII. Conſtit.6. incip. *Sanctiſſimus cap.*68. *& Regul.* 68. *Cancellariæ*.

18 Licet Beneficia Curata vacantia in Curia Papæ ſint reſervata, tamen ſi vacent, Sede Romana vacante; Vel ſi Sede plena vacaverint, & ante mortem Papæ non fuerint collata, conferri poſſunt de jure communi ab Epiſcopo, vel ab aliis, ad quos ſpectat, textu expreſſo *in cap. Si Apoſtolica* 35. *de Præbend. in* 6. Dummodo non ſint de reſervatis Papæ alia ratione, quam ob vacantiam in Curia. Urban. VIII. cit. Conſtitut. incip. *Sanctiſſimus cap.* 68. Barboſa *in cit. cap. ſi Apoſtolica n.*4. cum aliis ibi citatis. Vide tamen *Regulam* 68. *Cancellariæ*, & *infra n.*24. ubi refertur.

19 Beneficia Eccleſiaſtica cum Cura, & ſine Cura, Sæcularia, & Regularia qualitercumque qualificata, & ubicumque exiſtentia vacantia, Sede Epiſcopali, Archiepiſcopali, Primatiali, & Patriarchali vacante, ſunt Papæ reſervata. S. Pius V. Conſtit.55. incip. *Sanctiſſimus in Chriſto*. Et *Reg.*2. *Cancellariæ*.

20 Hæc autem reſervatio Beneficiorum vacantium Sede Epiſcopali vacante procedit, quando ad Epiſcopum ſpectat electio, nominatio, ſeu præſentatio perſonæ, quamvis Collatio, ſeu inſtitutio ad alium pertineat, ſeu ſit communis Epiſcopi, et aliorum, quia attendenda eſt prima diſpoſitio Beneficii.

21 Secus autem, quando præſentatio, vel electio ad alium pertinet, quia tunc, quamvis collatio, ſeu inſtitutio ſpectet ad Epiſcopum, non intrat hæc reſervatio. Nam Beneficia, quorum collatio non poteſt fieri ab Epiſcopo abſque alterius electione, nominatione, præſentatione, ſeu interventu, non comprehenduntur ſub hac reſervatione. Sic *Regul.* 2. *Cancellariæ*, Gonzalez *ad Regul.*8. *Cancellariæ*, Gloſſa 45. *n.*10. Barboſ. *cit. alleg.*57. *num.*90. Garcias *de Benefic. part.*5. *c.*1. *num.*230. *& ſeq.* et alii paſſim.

22 Item non procedit hæc reſervatio, ubi ſimultanea ex concordia eſt diviſa per turnos, ita ut una vice provideat Epiſcopus, et altera Capitulum, non ſolum quando Beneficium vacat in turno Epiſcopi, quia etiam tunc mortuo Epiſcopo, ſeu alias vacante ſede, poteſt Capitulum jure proprio conferre Canonicatus, et alia Beneficia ſimultanea in quocumque turno vacent. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellariæ*, Gloſſ. 45. §.3. *n.*39. *cum ſeq.* Garcias *cit. cap.* 1. *a num.* 237. Barboſa *cit. allegat.*57. *n.*90. & alii.

23 Item hæc reſervatio non procedit, ubi collatio Beneficiorum ſpectantium alias ad collationem Epiſcopi, Sede Epiſcopali vacante, ad aliquem ſpectat, nec reſervatur futuro Succeſſori, quia Regula Cancellariæ non intendit tertio præjudicare. Sic deciſum in Rota referunt, & tenent Nicol. Garcias *d. c.*1. *num.*244. Caſtropal. *in Oper. moral. tract.*13. *diſp.*2. *punct.*18. *n.*4. & 5. Barboſa *cit. alleg.*57. *n.*90. & alii.

Beneficia reſervata Papæ quomodolibet, & ex quavis 24
cauſa, ſi vacent Sede Apoſtolica vacante, & de ipſis per quoſcumque Ordinarios Collatores tunc diſpoſitum non fuerit, ſeu minus valide diſpoſitum fuerit, ſunt conferenda a Papa Succeſſore. *Cit. Regula* 68. *Cancellariæ* præciſis his verbis: *Item Sanctiſſimus Dominus noſter provide conſiderans conſueviſſe quandoque Romanos Pontifices Prædeceſſores ſuos Beneficia, quæ vacante Sede Apoſtolica contigerant, diſpoſitioni ſuæ reſervare, intendens de Beneficiis hujuſmodi tam Conclaviſtis, quam pauperibus Clericis, & aliis benemeritis perſonis providere, omnia, & ſingula Beneficia per Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ, aut quaslibet alias Conſtitutiones Apoſtolicas temporales Romani Pontificis pro tempore exiſtentis diſpoſitioni quomodolibet, & ex quavis cauſa reſervari ſolita, quæ a die obitus felicis recordationis Innocentii XII. Prædeceſſoris ſui uſque ad diem vigeſimam tertiam Novembris vacaverunt, & de quibus per quoſcumque Ordinarios Collatores tunc diſpoſitum non fuerat, ſuæ proviſioni, ac diſpoſitioni reſervavit. Decernens irritum &c.* Hic adverte, quod hæc Regula eſt deſumpta ex illis felicis recordationis Clementis XI. & ideo ponitur tempus vacationis Sedis Apoſtolicæ a die obitus Innocentii XII. ſui immediati Prædeceſſoris uſque ad tempus ſuæ glorioſiſſimæ aſſumptionis in Summum Pontificem; Quod tempus in tali Regula variatur a quolibet Summo Pontifice juxta differentiam temporis interceſſi a die mortis ſui immediati prædeceſſoris uſque ad ſui electionem.

Sede Epiſcopali vacante, nihil eſt innovandum præſertim 25
in præjudicium ipſius Eccleſiæ, vel Prælati Succeſſoris. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Novit ille* 1. *Ne Sede vacante aliquid innovetur*; ubi inſuper redditur ratio ibi: *Cum non ſit, qui Epiſcopale Jus tueatur*.

Unde Sede vacante Judicium factum contra Eccleſiam eſt 26
nullum. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Conſtitutus* 3. *Ne Sede vacante*: juncto Summario *ibidem* ſic expreſſe dicente: *Sede vacante Judicium habitum contra Eccleſiam non tenet*. Et Gloſſa *ibidem verb. Vacante*, ſic expreſſe loquente: *Hic patet manifeſte, quod Eccleſia, quæ caret legitimo defenſore conveniri non poteſt, quia ea vacante nihil eſt innovandum, quia non habet defenſorem*.

Sede Epiſcopali vacante, ſi mandetur Capitulo, ut præ- 27
bendam alicui conferat, & interim nondum a Capitulo executo mandato creetur Epiſcopus, cui ſpectet collatio præbendæ, ab ipſo Epiſcopo debet conferri, text. expreſſo *in cap. Dum te* 7. *de Reſcriptis*, juncto ejus Summario, in quo ſic præciſe habetur: *Si Sede vacante ſcribitur Capitulo gerenti vices Epiſcopi, ut Præbendam alicui conferat, ſi creatur Epiſcopus, nondum executo mandato, & ad eum ſpectet Collatio Præbendarum, illud adimplere tenetur*.

Sede Epiſcopali vacante, quid poſſit facere Capitulum, 28
& quid non? Vide verb. *Beneficia art.* 4. verb. *Capitulum art.*3. & verb. *Vicarius Capitularius per tot*.

Vacante Sede Apoſtolica Major Pœnitentiarius, ſeu Offi- 29
ciales facere, & expedire poſſunt quæcumque ad Forum conſcientiæ pertinent. Ideo abſolvere, ſeu abſolvi mandare in dicto conſcientiæ Foro poſſunt ab iis quoque Cenſuris, a quibus alias vivente Pontifice adempta etiam Majori Pœnitentiario, & Pœnitentiariæ Officio abſolvendi facultas reperitur. Hac tamen lege, quod in hujuſmodi Cenſuris, ad 30
tempus duntaxat, & cum reincidentia in eaſdem, ſervatis alias ſervandis, abſolutio concedatur; Itaut qui fuerint abſoluti, ad novum Pontificem intra terminum pro locorum diſtantia definiendum, recurrere pro eadem cauſa teneantur;
Neque liceat Pœnitentiario Majori, ejuſque Officialibus præ- 31
finitum terminum poſt Pontificis electionem ampliare, vel prorogare. Benedict. XIV. tom. 1. Conſtit. 95. incip. *Paſtor bonus* §.51. qui §.52. *ad* 55. proſequitur declarare facultates Sede Vacante Majori Pœnitentiario competentes, Ibi §. 52.
„ Præterea concedimus, ut ſi quando aliquod gravius Animæ
„ periculum immineat, cui celeriter occurrendum videatur,
„ re in Signatura diligenter examinata, & Majori quoque
„ Pœnitentiario, ſi in Conclavi degat pro materiæ gravitate
„ conſulto, & approbante, diſpenſare, aut diſpenſari man-
„ dare pro eodem Foro conſcientiæ valeant; ſuper illis etiam,
„ ſuper quibus alias vivente Pontifice inhibita ſit Majori Pœ-
„ nitentiario, & Pœnitentiariæ diſpenſandi facultas; Ita ta-
„ men

„ men, ut Oratores ſicuti ſuperius dictum eſt, ad novum
„ Pontificem poſt ejus electionem ſimiliter debeant recur-
„ rere; aliiſque appoſitis clauſulis pro caſus natura neceſſa-
„ riis, & opportunis.
32 Pro foro vero externo, eadem Sede Apoſtolica vacante
eorum Officium penitus conquieſcat itaut a quibuſcumque
„ matrimonialibus, & aliis diſpenſationibus, & abſolutio-
„ nibus, ac declarationibus, nec non quibuſvis aliis expe-
„ ditionibus forum fori mixtim, vel ſeparatim quomodoli-
„ bet reſpicientibus omnino abſtineant.
33 „ Attamen concedimus, ut dicta Sede vacante, pro Foro
„ externo facere, & expedire valeant, quæ ad Regularium,
„ & præſertim Apoſtatarum, & fugitivorum remedium, in
„ Superioribus facultatibus conceſſa ſunt. Nec non ut Mo-
„ nialibus Confeſſarios extra Ordinem valeant deputare, ſi
„ eos ex aliqua rationabili cauſa petierint, pro earum libitu
„ inter approbatos ab Ordinario ad audiendas Monialium
„ Confeſſiones, eligendos.
34 „ Et demum, ut illos, qui in aliquam Cenſuram Sedi Apo-
„ ſtolicæ reſervatam, etiam ob violatam Eccleſiaſticam Li-
„ bertatem, vel Immunitatem publice incurrerint, vel in-
„ curriſſe declarati fuerint, & vere, ac ſincere pœnitentes,
„ & novi Pontificis, ad quem poſt electionem recurrere de-
„ bebunt, mandatis obtemperare parati, beneficium abſo-
„ lutionis ſibi ulterius non differri enixe deprecentur, ab-
„ ſolvere cum reincidentia, quemadmodum in ſuperioribus
„ dictum eſt, vel abſolvi mandare poſſint.
Vacante Sede Apoſtolica Proceſſio Generalis Corporis
Chriſti celebrari debet apud Vaticanam Baſilicam, Idem
Conſtitut. 12. incip. *Paſtoralis ſolicitudinis* §. 3. ubi §. *ſeq.*
præſcribit etiam Ritum, quo ibi celebranda eſt dicta Pro-
ceſſio.

*Novæ Additiones ex aliena manu.*

1 MAgna olim queſtio fuit, an Parochiæ per aſſequutio-
nem incompatibilium Beneficiorum vacatæ Pontificia
Sede vacante vel antea vacatæ, ſed ex ſequuta interim
ejuſdem Pontificiæ Sedis vacatione non collatæ, poſſint ab
Ordinariis conferri *vigore cap. Si Apoſtolica, de Præbend.
in 6.*
2 Ratio autem dubitandi inde oriebatur, quod *Bonifacius VIII.
in d. cap. Si Apoſtolica* poteſtatem tantum fecit Ordinariis con-
ferendi Parochias, quæ *vacabant in Curia*, & ex Sedis Pon-
tificiæ vacatione nequierunt conferri.
3 Prævaluit nihilominus affirmativa opinio, ex ratione illa,
quod ſi Bonifacius VIII. facultatem dedit Ordinariis confe-
rendi mox dictas Parochias obnoxias dictæ reſervationi in
corpore Juris clauſæ, multo ſane magis facultatem dedit con-
ferendi Parochias obnoxias alteri huic reſervationi inductæ
ab Extravagantibus, & Regula I. Cancellariæ, quæ utpote
non clauſa in corpore Juris longe minor eſt. Accedit, quod
4 Bonifacius VIII. providere intellexit ſaluti animarum, ne ex
diutina Sedis Pontificiæ vacatione proprio Paſtore diu ca-
reant. Hæc autem ratio urget, quæcumque ſit reſervatio
5 Parochiæ. Vide celebrem deciſionem *Rotæ in Comen. Paro-
chialis* 11. *Maii* 1731. *cor. feliciter regnante Summo Pontifice
inter impreſſas deciſ.* 16.
6 Et quod hic non eſt ſilentio prætereundum, Rota hanc af-
firmativam opinionem tenet, licet agatur de Parochia ha-
bente decretum, quod de ea tali pacto vacata: *per Sedem
Apoſtolicam tantum diſponi poſſit*: propterea quod ex hoc
decreto non emergit nova reſervatio, ſed eadem per Extra-
vagantes, & Regulam 1. Cancellariæ inducta.

## SEDES, SCAMNA.

1 SEdes Epiſcopi in Choro exiſtentis debet eſſe quaſi fixa,
& immobili, juxta diſpoſitionem *Libri Cæremonialis
in Tit. de Sedibus Epiſcopi*. Ita *Sacra Congreg. Rit. in Colim-
brien.* 23. *Maii* 1603.
2 Sedes Epiſcopi in Choro exiſtentis ornanda eſt Serico, vel
alia materia coloris congruentis tempori, juxta *Regulam Libri
Cæremonialis d. Tit. de Sedibus Epiſcopi, In eadem Sac. Congr.
Rit. in d. Colimbrien.*
3 Sedes Epiſcopi, & Chorus Canonicorum, ſi fieri poteſt,
debent reduci ad formam Libri cæremonialis. *Sacr. Congreg.
Rit. in Granat.* 9. *Maii* 1609.

Sedes Epiſcopi in Eccleſia exempta, ubi Abbas uſum Mi- 4
træ habens, etiam Sedem tenet, quando illuc accedit, eſt in
cornu dextro Chori, ſive Eccleſia collocanda uno gradu emi-
nentiori cum ornatu congruo, & ſitu aliquatenus ſuperiori
reſpectu Sedis Abbatis, quæ in ſiniſtro ponenda eſt uno gradu
humilior abſque ornatu, & loco aliquatenus inferiori, adeo
ut non ſit oppoſita Sedi Epiſcopali. *Sac. Cong. Rit. in Alexan-
drina S. Petri in Bergolio*, 7. *Februar.* 1604.
Sedes Abbatis, ſeu Prioris habentis uſum Mitræ, & Baculi 5
debet collocari in cornu Evangelii in plano Presbyterii cum
duobus tantum gradibus parvis, & ſine ullo ſuppedaneo ſug-
geſtu lapideo, vel ligneo, ac ſine Baldachino deſuper, ſed cum
poſtergali tantum ex aliquo panno, vel ſerico levi, ſine
auro, coloris convenientis Solemnitati. *Sacr. Congr. Rit. in
Neapolitana* 18. *Mar.* 1617.
Sedes Abbatis exempti etiam in Eccleſiis ſuæ Juriſdictioni
ſubjectis debet eſſe inferior Sede Epiſcopi. *Sacr. Congr. Rit.* 6
*in Aquilana* 18. *Martii* 1617.
Sedes Dignitatum abſentium non debent occupari ab aliis
Dignitatibus, ſeu Canonicis, ſed unaquæque Dignitas in 7
proprio Stallo permanere debet. Sedes vero abſentis vacua
eſſe debet. *Sac. Congr. Rit. in Capuana* 12. *Martii* 1618. *& in
Placentina* 25. *Maii* 1632.
Sedes Gubernatoris Civitatis, quando audit Concionem
ſimul cum Epiſcopo, debet eſſe apud Epiſcopum, quæ non 8
ſit major, nec pulchrior Sede ipſius Epiſcopi, & neutra ſit
coloris rubri. *Sacr. Congr. Rit. in Peruſina* 3. *Octobris* 1615.
Sedes Laicorum, veluti Perfecti, ſeu Locumtenentis non
ſunt locandæ in presbyterio apud Altare. *Sac. Congr. Rit. in* 9
*Engitanien.* 10. *Junii* 1602. *in reſponſ. ad* 6. *dub.*
Sedes, Scamna, & loca in Eccleſia Sæculari moderari de-
bent arbitrio Epiſcopi. *Sac. Rit. Congr. in Ventimilien.* 10. *De-* 10
*cembr.* 1604. *in reſponſ. ad* 3. *dub.* Epiſcopus enim eſt abſolu-
tus Arbiter illa moderandi, & removendi, præſertim quando
ſunt cauſa rumoris, & impediunt functiones Eccleſiaſticas,
ut ſæpius reſolvit *Sac. Congr. Epiſcop.* apud Nicol. *in Floſcul.
verb. Eccleſia numer.* 11. & nuper *in Narnien. Terræ Carbii*
8. *Maii* 1693. *in Fundana* 5. *Octob.* 1697. *& in Verulana* 6.
*Sept.* 1698. apud Monacell. *part.* 1. *tit.* 5. *formul.* 8. *num.* 4.
Sedes pro audienda Concione ita debent aptari, ut aliis
retro ſtantibus ad viſum Prædicatoris non officiant. *Sac. Cong.* 11
*in Faventina* 11. *Aprilis* 1601.
Sedes non debent eſſe in Eccleſia extra tempus Concionum.
*Sac. Congr. Epiſc. in Januen.* 7. *Aprilis* 1583. Maxime ſi ſint oc- 12
caſio Scandali. *Ead. Sacr. Congr. Epiſc. in Cirentina* 24. *Sept.* 13
1585. Niſi ſint lapideæ, vel etiam ligneæ parietibus adhæ-
rentes. *Sac. Congr. Epiſcop. in Sarzan.* 21. *Novembr.* 1600. 14
*&* 28. *Febr.* 1601.
In removendis, & alterandis Sedibus non debent permitti
novitates. *Sac. Congr. Epiſcop. in Cirentina* 4. *Junii* 1602. *&* 15
*in Ferentina* 8. *Decembris* 1945.
Sedes poſſunt a Dominis ornari. *Sac. Congr. Epiſc. in An-*
*drien.* 25. *Octobris* 1602. Et eis etiam inſcriptio, vel aliud 16
ſignum apponi; *Ead Sacr. Congr. Epiſcop.* 14. *Januar.* 1603. 17
Eſt removenda Sedes adeo Altari vicina, ut Celebrantem
impediant; *Sacr. Congreg. Epiſcop. in Nullius Caſtri Durantis* 18
10. *Novembris* 1623.
Regularium Superiores non poſſunt removere Sedes a loco
ſolito, niſi cum circumſpectione maxima, ſi ſpectent ad 19
Magiſtratum; *Sacr. Congr. Epiſcop. & Regul. in Aſſiſien.* 22.
*Martii* 1603. Debent autem Superiores Regularium ſolicite
attendere, ne in ſuis Eccleſiis occaſione Sedilium, & Scam- 20
norum rumores, & ſcandala oriantur, & in caſibus proce-
dere debent juxta occurrentes circumſtantias, ſicuti in ſimi-
libus contingentiis procedere debent Epiſcopi pro ipſis impe-
diendis in ſuis Eccleſiis ſæcularibus, ut recte advertit Mat-
theucc. *Officialis Curiæ cap.* 12. *num.* 18. *in fine.*
In Eccleſia de Jurepatronatus Laicorum non poteſt Epi-
ſcopus concedere Jus retinendi Sedilia, invito Patrono; Rota 21
*in Taurinen.* 26. *Februar.* 1666. *coram Decano*, apud Panim.
*deciſ.* 1. *adnot.* 15. *num.* 29.
Genuflectoria honorifica retineri poſſunt a Dominis Loci
in Eccleſia; Panimol. *loc. cit. num.* 34. cum aliis ibi citatis. 22
Alia ad rem, Vide verb. *Abbas numer.* 31. §. 2. *&* 3. &
verb. *Eccleſia art.* 5. *a num.* 7. *ad* 27. 23

Novæ



*Novæ additiones ex aliena manu.*

DE ſcamnis in Eccleſiis frequentes ſunt controverſiæ.
Latius propterea eſſet de iis agendum. Sed limites Ad-
ditionum cogunt, ut vix pauca hæc adnotemus.
1 Scamna in Eccleſiis haud poſſe a Laicis retineri ad ſeden-
dum, niſi cum licentia expreſſa, aut tacita Epiſcopi, vel
ipſarum Rectoris, juris eſt indubii: *Fraſſ. de Jurepatr. Reg.
tom.* 2. *cap.* 97. *num.* 12. *Romaguer. ad Conſtit. Synodal. Gerund.
lib.* 3. *tit.* 14. *cap.* 2. *num.* 1. *Pilaja deciſ. canon. lib.* 1. *deciſ.* 4.
*num.* 22. *Corſind. deciſ.* 159. *num.* 9. *part.* 3.
2 Quæſtionis vero eſt, an conceſſo uſu ſcamnorum Laicis ab
eo qui hac poteſtate pollet, jus aliquod quæratur ipſis Laicis
pro tuitione hujus uſus. Diſtinguendum eſt, num controver-
ſia ſit cum altero Laico, an cum Epiſcopo, vel Rectore
Eccleſiæ. Priori caſu convenit inter omnes poſſe Laicos ſe
tueri in uſu illo, ut præter mox allegatos tradunt *Manfrelli
in obſerv. ad deciſ.* 181. *Capyc. Latr. num.* 1. *Panimol. deciſ.* 1.
*adnot.* 15. *num.* 1. *&* 12. *Sanfelic. deciſ.* 331. *numer.* 14. *Calderi
deciſ. Crimin.* 38. *num.* 19. *& ſeq. tom.* 1.
3 Poſteriori vero caſu rurſus diſtingui debet, num Epiſcopus,
vel Rector Eccleſiæ amovere ſcamna intendat ſine ulla cauſa,
vel ut illorum uſum aliis concedat, an ita exigente neceſſi-
4 tate Eccleſiæ. Amovere enim nequit ſcamna ſine ulla cauſa,
vel ut aliis concedat uſum eorum, poteſt vero amovere ex
neceſſitate Eccleſiæ; ſed debet, ſi fieri poſſit, eorum uſum
alio in loco illis ipſis concedere; *Antonell. de Loc. legal. c.* 3.
*num.* 68. *lib.* 1. *Lagunez de fructib. part.* 1. *cap.* 30. §. 1. *n.* 38.
*& ſeq.* omneſque ſupra allegati.
5 De conceſſione uſus ſcamnorum in Eccleſia num ea perſo-
nalis ſit, an tranſeat ad Heredes, diſquiri ſolet. Perſonalem
vero eſſe tenent inter alios *Loiſeau des Seigneuries chap.* 11.
*num.* 60. *Marechal des Droits Honorifiques chap.* 2. At conſule
& hos de aliis quæ circa ſcamna emergere poſſunt quæſtio-
nibus, quippe quia materiam funditus examinant.

## SEDITIO.

Vide verb. *Bellum art.* 1. *num.* 1. & verb. *Virtus num.* 87.

## SEDITIOSA PROPOSITIO.

Vide verb. *Propoſitiones damnatæ num.* 37.

## SEMINARIUM.

1 SEminaria erigenda ſunt in qualibet Eccleſia Metropoli-
tana, vel Cathedrali, & in eis tenendi & erudiendi ſunt
Clerici adoleſcentes. Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 23. *de reformat
cap.* 18. Et etiam erigenda ſunt in Eccleſiis Abbatialibus ha-
bentibus proprium Territorium privative quoad Epiſcopos.
Sic declaraſſe *Sacram Congregationem Concilii* teſtatur ex aliis
Ventriglia *part.* 1. *adnot.* 29. §. *Unic. n.* 2.
2 Si non poſſit erigi Seminarium in omni Cathedrali, debent
erigi duo, vel unum ſaltem in Provincia per Synodum Pro-
vincialem, & debent aliæ Eccleſiæ concurrere ad expenſas.
Concil. Trid. *cit. cap.* 18.
3 Seminaria plura fieri poſſunt in Diœceſi ampla; omnia
tamen ab eo, quod eſt in Cathedrali, dependere debent. Con-
cil. Trid. *cit. cap.* 18.
4 Seminarium cenſetur vere, & formaliter erectum, quoties
Alumni in aliqua etiam domo conducta collegialiter vivunt,
& juxta formam Concilii inibi erudiuntur. Rota *coram Cocci-
no deciſ.* 1365. *num.* 1. Garcias *de Benefic. part.* 12. *cap.* 2.
*num.* 194. *&* 195. Lotter. *de re Benefic. lib.* 2. *cap.* 29. Ven-
triglia *part.* 2. *adnot.* 29. §. *Unic. n.* 42. Monacell. *part.* 1. *tit.*
12. *formul.* 1. *n.* 2. & alii paſſim.
5 Seminarium erigi non poteſt in Ædibus Canonicalibus, niſi
de conſenſu Canonicorum, & ita ſeparatum, ut Presbyteri,
vel Clerici nullam communicationem habeant cum Seminari-
ſtis. *Sac. Congr. Epiſcop. in Mutinen.* 3. *Febr.* 1604.
6 Pueri alendi in Seminario ſumptibus illius ſunt filii paupe-
rum bonæ indolis, quiſpem bonæ expectationis præſeferant.
Conc. Trid. *cit. cap.* 18.
7 Poſſunt tamen in Seninario etiam teneri, & erudiri filii Di-
vitum, ſed ſumptibus propriis. Conc. Trid. *cit. cap.* 18.
8 Pueri in Seminario recipiendi debent eſſe ex legitimo Matri-
monio nati, & ad minus ætatis annorum duodecim, qui ſciant
legere, & ſcribere competenter; Tonſura ſtatim, atque Ha-
bitu Clericali ſemper utantur; Diſcant Grammaticam, Can-
tum Eccleſiaſticum, computos, aliaſque bonas artes, Sacram
Scripturam, Doctrinam Confeſſionum audiendarum, Sacra-
mentorum miniſtrandorum, Rituum, & Cæremoniarum, om-
ni die Miſſæ inſerviant, omni menſe confiteantur, & com-
municent, diebus Feſtis inſerviant Cathedrali, vel alteri Ec-
cleſiæ. Conc. Trid. *cit. cap.* 18.
Pro adminiſtratione, & regimine Seminarii faciendæ ſta- 9
tuuntur tres ſpecies Deputatorum, ſeu Conſultorum. Prima
ſpecies eſt duorum Canonicorum ſeniorum, & graviorum
ab Epiſcopo eligendorum, quorum conſilium adhibere debet
Epiſcopus circa ea, quæ viſitationem, correptionem, & gu-
bernationem perſonarum ſeminarii concernunt. Concil. Tri-
dentin. *cit. cap.* 18. ibi: *Quæ omnia, atque alia ad hanc rem
opportuna, & neceſſaria Epiſcopi ſinguli cum conſilio duorum
Canonicorum ſeniorum, & graviorum, quos ipſi elegerint, pro-
ut Spiritus Sanctus ſuggeſſerit, conſtituent, eaque, ut ſemper
obſerventur, ſæpius viſitando, operam dabunt &c.* Secunda
ſpecies Deputatorum, ſeu Conſultorum eſt duorum etiam
de Capitulo, quorum alter ab Epiſcopo, alter vero ab ipſo
Capitulo eſt eligendus. Concilium Tridentinum *citat. cap.* 18.
ibi: *Iidem Epiſcopi cum conſilio duorum de Capitulo, quorum
alter ab Epiſcopo, alter ab ipſo Capitulo eligatur*; Tertia ſpe-
cies eſt duorum de Clero Civitatis, quorum unus ſimiliter
ab Epiſcopo, & alter a Clero eſt eligendus. Concilium Tri-
dentinum *citat. cap.* 18. ibi: *Itemque duorum de Clero Civita-
tis, quorum quidem alterius electio ſimiliter ad Epiſcopum, al-
terius vero ad Clerum pertineat*; Et horum Deputatorum,
ſeu Conſultorum ſecundæ, & tertiæ ſpeciei conſilium tenetur
Epiſcopus requirere circa ea, quæ concernunt portiones de-
trahendas ex ſingulis Beneficiis pro ſuſtentatione Seminarii,
& uniones Beneficiorum illi facienda, Sic expreſſe Conc. Trid.
*cit. cap.* 18.
Conſilium dictorum Deputatorum adhibere debet Epiſco- 10
pus, tam in conſtituendis Regulis Seminarii, quam in ele-
ctione, admiſſione, & expulſione puerorum, in deputatio-
ne Magiſtrorum, & librorum legendorum, in viſitatione, &
rerum temporalium adminiſtratione. Sic declaravit *Sacr. Con-
gregat. Concil.*, ut teſtantur Ventriglia *part.* 2. *adnot.* 29. §.
*Unic. num.* 6. 9. *&* 10. Criſpin. *de Viſitat. part.* 1. §. 31. *n.* 6.
Monacell. *part.* 1. *tit.* 12. *formul.* 1. *num.* 1. & alii, inter quos
Eminentiſſ. Cardinal. Cavalchinus alias Sacr. Congregat. Con-
cil. Secretarius in expoſitione cauſæ *in Tricaricenſi Admini-
ſtrationis Seminarii ſub die* 24. *Martii* 1736. ubi plura refert de-
creta ad rem, uti videri poteſt in tomo 7. Theſauri Reſolution.
Sacræ Congr. Concilii.
Hinc Epiſcopus tenetur omnino requirere conſilium prædi- 11
ctorum Deputatorum reſpective, alias actus non valet, cum
tale conſilium videatur requiſitum a Concilio pro forma. Sil-
veſter verb. *Conſilium num.* 9. *verſ. Quarto quæritur*; Pignatel.
*tom.* 1. *Conſult.* 118. *num.* 7. ubi multa ad rem, Monacell. *lo-
co citat. formul.* 3. *num.* 1. ubi dicit, quod ſic in terminis de-
claravit *Sacr. Congregat. Concil. in Salernitana*, quam refert
Criſpin. *de viſitatione part.* 2. §. 31. *n.* 6. Ventriglia *loco citat.
num.* 6.
Licet autem Epiſcopus teneatur Deputatorum conſilium 12
requirere, non tamen tenetur eorum conſilium ſequi, ut de-
ciſum referunt Barboſa *ad Concil. Tridentin. citat. ſeſſ.* 23. *de
reformat. cap.* 18. *num.* 7. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancellar.* Gloſ-
ſa 46. *num.* 74. Ventriglia *loco cit. num.* 6. & Cardinal. Caval-
chin. *loco cit.*
Seminarii Deputati, & alii Officiales habent votum conſul- 13
tivum, non autem deciſivum. *Sacra Congregat. Concil.* 1620.
apud Barboſa *loco citat. num.* 6. & Aldan. *in Compend. Cano-
nicar. reſolut. lib.* 3. *tit.* 18. *n.* 2.
Canonici duo eligendi, poſtquam fuerint electi, erunt per- 14
petui, nec ſine legitima, & juſta cauſa amoveri poſſunt; Eſt
autem cauſa legitima ſenectus, infirmitas, & ſimilis alia. 15
*Sacr. Congr. Conc. in Cremon.* 5. *Septembr.* 1602. apud Pignatell.
*tom.* 9. *conſult.* 81. *n.* 56. & Card. Cavalchin. *loco cit.*
Dicti duo Canonici Deputati, ſi quandoque contingat ea 16
de cauſa ſine fraude ab Eccleſia abeſſe cum Epiſcopo, non
ſunt privandi quotidianis diſtributionibus, tamquam abſentes
propter Eccleſiæ utilitatem ex Officio eis attributo. Barboſa
*loco citat. num.* 8. Ventriglia *loco citat. num.* 9. Moneta *de di-
ſtributionib. quotidian. part.* 2. *q.* 8. *n.* 7. & alii.
Conſultorum prædictorum Deputatio, quamvis poſſit fieri 17
extra

extra Synodum, nihilominus regulariter fieri debet in Synodo, in qua jam totus Clerus congregatus reperitur. Corrad. *Prax. Beneficior. lib. 4. cap. 8. n. 28.* Monacell. *loco cit. formul. 2. n. 2.* & alii.

18 Pro expenſis erectionis, & manutentionis Seminarii applicandi ſunt eo ipſo eidem Seminario redditus omnes, ac bona omnia, quæ ad inſtituendos, vel alendos pueros ſunt in aliquibus Eccleſiis, & locis piis deſtinata; Dummodo in illis Eccleſiis, & locis piis actu erectum non ſit Collegium puerorum, nec Seminarium actu habeatur: Secus enim eſt de tali Collegio, ſive alio Seminario, quia illud non tollitur per Tridentinum *in dict. ſeſſ. 23. cap. 18.* licet ex fructibus ſuperexcreſcentibus portio detrahatur. *Sac. Congregat. Concilii in Vercellenſi 27. Julii* 1570.

19 Ubi ſupradicti redditus non habentur, ſeu non ſufficiunt pro erectione, & integra manutentione Seminarii, debet Epiſcopus primo ex ejus Epiſcopali menſa ratam fructuum Seminario contribuere, & poſtea ſuo exemplo Capitulum, & ceteros Beneficiatos ad id pro rata compellere; Sic de mente Concilii Tridentini declaravit *Sacra Congregat. ejuſdem Concilii in dict. capit. 18. ſeſſ. 23. de reformat.* ut referunt Barboſa *de Offic. & poteſtat. Epiſcop. allegat. 77. num. 2.* Pignatell. *tom. 9. conſult. 81. num. 96.* Ventriglia *loco citat. num.* 14 Monacell. *loc. cit. formul. 1. n. 3.* & alii paſſim.

20 Unde ad contribuendum pro Seminario non ſolum tenetur Epiſcopus de ſua Menſa Epiſcopali, Abbas de ſua Menſa Abbatiali, & Capitulum de ſua Menſa, ſeu Maſſa Capitulari, ſed etiam omnes Beneficiati de ſuis reſpective Beneficiis, etiamſi ſint de Jurepatronatus, ut expreſſe ſtatuit Conc. Tridentin. *citat. ſeſſ. 23. cap. 18.* A Seminarii enim contribu-
21 tione nullus eſt exemptus, niſi qui nominatim a Concilio excipiuntur, ut declaravit *Sacr. Congregat. ejuſdem Concilii 11. Januarii* 1601. apud Sellium *in Select. Canon. cap. 36. num. 3.* Barboſa *in Summ. Apoſt. Deciſ. verb. Seminarium Collect. 1768. n. 1.*

22 Hinc etiam Cardinales tenentur contribuere Seminario de fructibus Abbatiarum, & Beneficiorum, quæ habent in Diœceſi, in qua eſt Seminarium, & hanc contributionem ſolvere tenentur juxta taxam ab Epiſcopo, & Deputatis factam. *Sacr. Congregat. Concil. in Adrien. 3. Decembr. 1622. & in Tudertina 15. April. 1628.* apud Barboſam ad Concilium Tridentinum *citat. ſeſſ. 23. cap. 18. num. 23.* & noviſſime Benedictus XIII. Conſt. incip. *Creditæ* §. 1.

Seminario contribuere tenentur omnia Monaſteria Regu-
23 larium, non tamen Mendicantium. Concil. Tridentin. *citat.*
24 *cap.* 18. Etiamſi Monaſteria illa contribuant Seminario ſui Ordinis, tenentur adhuc contribuere Seminario Epiſcopi de eo, quod ſupereſt. *Sacr. Congregat. Concil. in Monaſterien. 7. Septembr.* 1630. apud Barboſa *loco citat. num. 29.* Sellium *in Select. Canonic. cap. 10. num. 19.* Ventriglia *loco citat. n. 33.*

25 Eximit autem Concilium *loco cit. num. 19.* ab hac contributione facienda Seminario omnia Monaſteria Regularium Mendicantium, quorum nomine veniunt omnia Monaſteria Dominicanorum, Franciſcanorum, Auguſtinenſium, Carmelitarum & aliorum omnium, qui ex particularibus privilegiis Summorum Pontificum participant de privilegiis Mendicantium. *Communis.*

26 Regulares autem Mendicantes, ſi habeant beneficia unita ſuis Monaſteriis, tunc habita ratione reddituum eorumdem ſolvere debent pro eorum rata. *Sacra Congregat. Concil.* apud Pignatell. *tom. 9. conſult. 81. num. 56.* Monacell. *loco citat. formul. 1. num. 4.* Ventriglia *l. c. n. 35.* Barboſa *ad Concil. Trident. l. citat. n. 28.*

27 Unio tamen dictorum Beneficiorum ad hoc, ut Regulares compellantur contribuere, eſt probanda per Epiſcopum; Nam in Monaſteriis Mendicantium, quæ poſſident bona immobilia, onus probandi ea eſſe per uniones acquiſita in Epiſcopum transfertur, quo non probante, ea bona erunt exempta. Sic *Sacr. Congregat. Concil. in una Patavina* apud Pignatell. *loco*
28 *citat. num.* 68. Et talis unio ad hoc, ut Mendicantes poſſint compelli ad contribuendum, eſt plene probanda, non per conjecturas, & præſumptiones, ſed per Gratiæ unionis expeditionem. *Sac. Congr. Concilii in Cornetana 28. Julii* apud Monacell. *l. c. n. 5.*

29 Regulares Mendicantes ex redditibus Beneficiorum ſuis Monaſteriis unitorum debent contribuere Seminario, non obſtante, quod prætendant ſe exemptos, quia videlicet in illis lectiones Grammaticæ, & Conſcientiæ Caſuum pro audiendis Confeſſionibus quotidie habeantur, quia ex hoc non eximuntur, ſed tantum deducitur impenſa facienda pro habendis prædictis lectionibus a contributione & ex reliquo ſolvant ad ratam. *Sacra Congregat. Concilii* apud Sellium *in Select. Canon. cap. 10. n. 19.* Barboſa *ad Tridentin. l. c. n. 28.*

30 Unde Sacra Congregat. prædicta 21. *Julii* 1629. declaravit, portionem debitam Seminario ratione Beneficiorum exigi poſſe poſt unionem ejuſdem Beneficii factam Regularibus, qui Mendicantium privilegiis gaudent. Sic apud Barboſa *ad Tridentin. loco citat. num.* 27. Sell. *loco citat. num.* 18. Vide tamen infra Conſtitutionem noviſſime editam a Benedicto XIII. incipient. *Creditæ* §. 1. *in fine*.

31 Seminario contribuere tenentur etiam Beneficiati eorum Beneficiorum, quæ ad Collationem, & inſtitutionem Monachorum pertinent, ſi intra fines Diœceſis ſint. *Sacr. Congregat. Concil. in Caputaquen. 4. Februar.* 1593. apud Aldan. *in Compend. Canon. Reſolut. lib. 2. tit. 10. num. 22.* Barboſa *ad Tridentin. loco citat. num. 26. & in Summ. Apoſtolic. deciſ. Collect. 1568. n. 8. & 13.*

32 Moniales non tenentur contribuere Seminario, ſi Beneficia non habeant unita, & ſi habeant, non tenentur niſi de redditibus Beneficiorum unitorum earum Monaſteriis. *Sacra Congregat. Concil. in una Hieracen. de anno* 1693. apud Sellium *loco citat. num.* 19. Barboſa *ad Trid. l. c. n. 3.* Ventriglia *loco cit. n. 36.*

33 Confraternitates, Scholæ, & Capellæ etiam intra Regularium Eccleſias ſitæ, ſi habeant Beneficia annexa, vel redditus, ſeu proventus Eccleſiaſticos, tenentur contribuere Seminario; *Sacr. Congregat. Concil. in Lucana 5. Julii 1628. & in Signina 18. Novembr.* 1628. & noviſſime Benedictus XIII. citat. Conſtitut. incipient. *Creditæ* §. 1. ibi: *Nec non fructus ac redditus Confraternitatum Laicorum ex certis fundis, & Capitalibus provenientes (non autem ſummas pecuniarias, quæ a Confratribus quolibet menſe, vel anno, vel per modum eleemoſynæ, vel in vim Statutorum contribuuntur) ſubjici, & ad illius ſolutionem perpetuo teneri decernimus, ſtatuimus, & mandamus.*

34 Seminario contribuere tenentur Hoſpitalia, quæ dantur in Titulum, vel Adminiſtrationem, & habent annexa Beneficia, vel reditus Eccleſiaſticos. *Sacr. Congregat. Concilii in Lucana 5. Julii* 1628. apud Ventrigl. *loco citat. num.* 21. & alios ibi adductos. Non tenentur tamen contribuere Hoſpita- 35
lia illa, quæ adminiſtrantur a Laicis, & in quibus ſunt bona Laicorum, quæ non data ſunt in Titulum, Commendam, ſeu Adminiſtrationem. Sic *Sacra Congregat. Concilii* apud Barboſa *in Summa Collect. 1568. num. 16.* Ventriglia *loco citat. numer. 22.*

36 Item Seminario contribuere tenentur omnia Beneficia ſæcularia, & Regularia per quoſcumque, etiam per Cardinales, per Pontificis Familiares, per Cameræ Apoſtolicæ Clericos, Miniſtros, ac Officiales quoſcumque obtenta, & in poſterum obtinenda. Sic noviſſime ſtatuit Benedict. XIII. citat. Conſtitut. incipient. *Creditæ* §. 1. ibi: *Eidem vero taxæ omnia, & ſingula Beneficia Sæcularia, & Regularia per quoſcumque etiam Venerabiles Fratres Noſtros S.R.E. Cardinales, nec non Noſtros, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Familiares, & Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ Clericos, Miniſtros, ac Officiales quoſcumque præſentes, & futuros obtenta, & in poſterum obtinenda .... ſubjici, & ad illius ſolutionem perpetuo teneri decernimus, ſtatuimus, & mandamus.*

37 Item contribuere tenentur omnia Beneficia Sæcularia Prioratibus, Commendis, vel Bajulivatibus Ordinis Fratrum Sancti Joannis Hieroſolymitani quomodocumque unita, aut de cetero unienda; Sic Benedictus XIII. in dict. Conſtitut. incipient. *Creditæ* §. 1. ibi: *Ac omnia inſuper Beneficia Sæcularia Prioratibus, Commendis, vel Bajulivatibus Ordinis Fratrum Sancti Joannis Hieroſolymitani quomodocumque unita, aut de cætero unienda .... ſubjici, & ad illius ſolutionem perpetuo teneri decernimus, ſtatuimus, & mandamus.*

38 Non ſolum Beneficiarius Titularis, ſed etiam Penſionarius tenetur ad contributionem Seminarii pro rata Penſionis, ſive Seminarium erectum ſit ante reſervationem Penſionis, ſive non; Sic declaraſſe *Sacram Congregationem Concilii* refert ex aliis Barboſa *ad Concil. Tridentin. citat. ſeſſ. 23. capit. 18. n. 48.*

39 Dicta rata Penſionis licet poſſit exigi a Titulari, ille tamen prædictam ratam retinebit a Penſionario, niſi aliter inter partes cautum ſit in conſtitutione Penſioni. Papa annuente, quam ratam poteſt Titularis retinere ad rationem, quam ipſe ſolvit. Sic *Sacr. Congregat. Concil. in Lucana 5. Julii*





1628. apud Ventrig. *loco cit. num.* 28. Barboſa *ad Concil. loco cit. n. 49. & 50.*

40 Seminarii contributio anticipate ſolvenda eſt de quadrimeſtri in quadrimeſtre. *Sac. Congregat. Epiſcop., & Regul. 8. Martii* 1688. apud Ventrigl. *loco cit. num.* 38. ubi addit, quod in praxi pluribus in locis videntur dictæ contributiones ſolvi de ſemeſtri in ſemeſtre.

41 Capitulum non tenetur ſolvere taxam Seminarii de diſtributionibus quotidianis diſtinctis a Præbendis; *Sacr. Congreg. Concilii in Lucana 5. Julii* 1682. apud Ventrigl. *loco citat.*
42 *num.* 51., & alios ibi citatos. Ubi ſubjungit, quod hoc procedit, etiamſi omnes fructus Canonicatum conſiſtant in diſtributionibus quotidianis, quæ dari ſolent duntaxat Divinis perſonaliter intereſſentibus; Adhuc enim non tenentur Canonici ad Seminarii contributionem, & refert ſic deciſum fuiſſe per *Sac. Congreg. in Capuana 10. Decembr.* 1592.

43 Item non tenetur Capitulum, ſive alius Beneficiatus ſolvere taxam Seminarii ex emolumentis, proventibus, & Legatis relictis pro celebratione Miſſarum; *Sacr. Congreg. Concilii in Caven. 17. Novemb.* apud Ventrigl. *loco citat. numer. 16.* Barboſa *in Summa Apoſtolic. Deciſion. Collect. 1568. num. 18.*

44 Item ſeminario non eſt contribuendum ex iis, quæ in incerto, & in eleemoſynis piorum, & ſimilibus conſiſtunt. *Sacra Congregat. Concil.* apud Piaſec. *in praxi Epiſcop. part. 2. cap. 2. num. 5.* Barboſa *loco cit. numer.* 20. Ventriglia *loco cit. num. 17.*

45 Seminario contribuere non tenetur Abbatia unita Capitulo Cathedralis ante Concilium; *Sacr. Congregat. Concil. in Lucana 17. Febr.* 1629. apud Barboſ. *loco cit. num. 19.* Ventrigliam *loco cit. num. 19.* ubi ſubjungit, intelligendum hic eſſe, quod non teneatur ſolvere ipſa Abbatia principaliter, licet teneatur Capitulum habita ratione omnium reddituum etiam Abbatiarum.

46 Nec ſeminario contribuere cogi poteſt Abbas, qui in ſuo Territorio, & Juriſdictione ſeminarium proprium erectum habet, & proviſum retinet. *Sacr. Congregat. Concil. 30. Martii* 1594. apud Barboſ. *loco cit. num.* 15., & Aldan. *in Compend. Canonic. reſolut. lib. 3. tit. 11. n. 31.*

47 Beneficia ſæcularia, quæ ob illorum fructuum tenuitatem Decimis Papalibus non contribuunt, neque contribuere tenentur ſeminario. *Sac. Congregat. Concil. 21. Martii 1602. & 23. Martii 1604., & in Amalphitana 18. Julii 1699. in reſponſ. ad 11. & 6. Februarii* 1700.

48 Quantitas taxæ ſolvendæ ſeminario conſtitui debet ab Epiſcopo cum conſilio duorum Deputatorum de Capitulo, & totidem de Clero. Conc. Trid. *citat. ſeſſ. 23. cap. 18.*, & Benedictus XIII. dict. Conſtitut. incip. *Creditæ* §. 1.

49 In taxanda portione Beneficiorum habenda eſt ratio ad onera perpetua eorumdem, & ad alias expenſas neceſſarias a Beneficiariis faciendas, quæ prius deducendæ ſunt. *Sacr. Congregat. Concil. in Caven. 17. Novemb.* 1629. apud Barboſ. *ad Concil. cit. cap. 18. num. 4., & in Summa loco cit. num. 3.* & apud Bonfadin. *in Theſauro Eccleſiaſtic. deciſ. reſolut. 32. num. 7.*

50 Taxa inſtituenda eſt juxta Beneficii qualitatem, loci, & Diœceſis ubertatem, & caritatem; Alibi enim ſumma duorum cum dimidio pro centenario ſufficit, & alibi etiam quatuor approbatur, ut deciſum refert Pignatell. *tom. 1. conſult. 416., & tom. 9. conſult. 81. num. 100.* Et licet taxa regulariter non debeat excedere dimidiam Decimarum; Clemens tamen VIII. conceſſit Epiſcopis poſſe taxare Beneficia pro ſeminario plus medietate Decimarum, non obſtante Bulla s. Pii V. ſi expedire judicaverit. Sic refert, & tenet Ventriglia *loco cit. num.* 39. Garcias *Benefic. part. 12. cap. 2. num. 107. in fine*. Epiſcopus enim virtute poteſtatis ſibi attributæ a Concilio, nedum in dimidio Decimæ poteſt taxare Beneficia, ſed etiam in majori, prout expedire judicaverit, ut ex Decretis Sacræ Congregationis probat Gallemart. *ſupra d. cap. 18. num. 26.*, & ſequitur Monacell. *loc cit. formul. 2. num. 6.* Noviſſime autem Benedict. XIII. Conſtit. incip. *Creditæ* §. 2. ſtatuit, quod Taxa numquam minor ſit ſcutis tribus, neque major ſcutis quinque pro quolibet centenario. Vide infra, ubi datur ipſa Conſtitutio ad litteram.

51 Taxa juxta temporum, & rerum exigentiam augeri poteſt, ut in caſu, quo redditus ſeminarii eſſent ita diminuti, ut ad victum ſcholarium, aliaque onera ſubeunda non ſufficerent. Corrad. *prax. Benefic. lib. 4. cap. 8. numer.* 19. Pax Jordan. *Lucubrat. tom. 2. lib. 7. tit. 4. num.* 23. Monacell. *loco cit. n. 7.* & alii.

52 Ita e contra Taxa eſt reducenda, & moderanda, ſi redditus Beneficii taxati abſque culpa Beneficiati notabiliter diminuantur. *Sacra Congregat. Concil. in Romana Taxæ 26. Januarii* 1697. apud Monacell. *loco citat. formul. 1. n. 7.*

53 Si Seminarium in totum, vel in partem reperiatur dotatum, vel alias auctum de redditibus, tunc quantum ſeminarium lucratum fuerit, tantundem demi debet de Taxa, textu expreſſo in Conc. Trid. *cit. cap.* 18., ibi: Succedente
„ vero caſu, quo per uniones effectum ſuum ſortientes,
„ aliter Seminarium ipſum in totum, vel in partem dota-
„ tum reperiatur, tunc portio ex ſingulis Beneficiis, ut ſu-
„ pra, detracta, & incorporata ab Epiſcopo, prout res
„ ipſa exegerit, in totum, vel pro parte remittatur „ &
ſic declaraſſe etiam Sacram Congregationem refert Ventriglia *loco cit. num. 41.*

54 Epiſcopus poteſt compellere Debitores Taxæ ſeminarii ad ſolvendum etiam Cenſuris, aliiſque Juris remediis. *Sac. Congregat. Concil. in Mexicana* apud Aldan. *in compend. Canonic. reſolut. lib. 3. tit. 16. num. 24.*, & Barboſ. *in ſumma loco cit. num. 4.*

55 Quod ſi Epiſcopus denegaverit ſuam portionem, poteſt compelli, & acriter corripi ab Archiepiſcopo, & Archiepiſcopus a Concilio Provinciali, uti etiam ſi adeſſet negligentia in ſeminarii erectione, ejuſque conſervatione. Sic expreſſe Concil. Tridentin. *citat. cap.* 18., ibi: Quod ſi Ca-
„ thedralium, aliarumque majorum Eccleſiarum Prælati
„ in hac Seminarii erectione, ejuſque conſervatione negli-
„ gentes fuerint, ac ſuam portionem ſolvere detrectave-
„ rint, Epiſcopum Archiepiſcopus, Archiepiſcopum &
„ ſuperiores, Synodus Provincialis acriter corripere, eoſ-
„ que ad omnia ſupradicta cogere debeat.

56 Epiſcopus poteſt, immo tenetur unire ſeminario Beneficia aliquot ſimplicia cujuſcumque qualitatis, & dignitatis fuerint ſine cultus Divini, & obtinentium præjudicio, etiamſi eſſent affecta, aut in Curia effectum ſortirentur. Conc. Trident. *cit. cap.* 18. Barboſa *ibidem num.* 33., & alii communiter.

57 Pro hujus unionis forma tamen requiritur primo, quod ſeminarium jam ſit erectum, & formaliter inſtitutum. Sic Auctoritate Rotæ, & Sacræ Congregationis probat Garcias *de Beneficiis part. 12. cap. 2. num. 193.*, & Lotter. *de re benefic. lib. 1. quæſt. 30. num. 47., & ſeq.* Ricc. *in prax. 3. part. reſolut. 415. num. 3.* Ventriglia *loco cit. num.* 42. contra Gonzal., & Grat. Ad hoc autem, ut ſeminarium ad hunc effectum cenſeatur jam conducta, ſeu empta, & pueri ſint introducti, & ſint duo de Capitulo, & totidem de Clero ad præſcriptum Concilii *citat. cap.* 18. vere electi, & deputati. *Communis.*

58 Secundo requiritur, quod concurrat vera, & præciſa neceſſitas ſeminarii faciendi ei talem unionem cum conſilio dictorum deputatorum; Nec ſufficit pro facienda tali unione cauſa commodioris ſuſtentationis, vel amœnitatis, & recreationis gratia. Sic *Rota in una Mediolanen. prætenſæ unionis 16. Novemb. 1594. coram D. Orano*, Lotter. *loco cit. num.* 60. Cæſar de Graſſ. *deciſ. 132. per tot.* Ventriglia *loco cit. n. 42.*, & alii.

59 Tertio requiritur, quod præceſſerit detractio fructuum de Menſa Epiſcopali, & de aliis Beneficiis juxta formam Concilii Sic reſpondit. *Sacr. Congregat.*, & tenuit Rota *in Averſana Beneficiorum . Julii 1606. coram D. Sacrato, & in recentioribus part. 2. deciſ. 361. num. 7.* Lot. *loco cit. numer.* 61. Ventr. *loc. cit. n. 42.*, & alii.

60 Quamvis autem poſſit, immo teneatur Epiſcopus unire ſeminario Beneficia aliquot Simplicia non poteſt tamen unire Beneficia ſimplicia Juris patronatus, ſive Laicalis, ſive Eccleſiaſtici, vel alia pertinentia ad inferiorem Collatorem, & Electorem, ſine conſenſu Patronorum. *Clementin. Unica de ſtatu Monachor.* Conc. Trid. *ſeſſ. 24. de reform. cap.* 15. Et ſic expreſſe deciſum fuiſſe referunt Franciſcus Leo *in Theſauro Fori Eccleſ. part. 2. cap. 16. num.* 23. Molfeſius *in Summa Theolog. Moral. tract. 6. cap. 14. a numer.* 62., & alii.

61 Neque ſeminario uniri poſſunt Beneficia reſervata poſt vacationem; Quamvis enim uniones Beneficiorum factæ ſervata forma a Tridentino præſcripta validæ ſint, ſi fiant ante vacationem; ſunt tamen invalidæ, & nullæ, ſi fiant

poſt vacationem, & proviſi a Sede Apoſtolica mitti debent in poſſeſſionem. *Sacra Congregat. Concil.* apud Garciam *de benefic. part.* 12. *cap.* 1. *num.* 102. & Barboſa *in ſumma Apoſtolic. deciſ. verb. Unio n.* 6. *&* 7.

62 Neque ſeminario uniri poſſunt Canonicatus Collegiatarum Eccleſiarum, quamvis ex conſuetudine non obligent ad reſidentiam, quia Conc. Trident. *cit. cap.* 18. non loquitur de his Beneficiis ſimplicibus. *Sac. Congregat. Epiſcopor, in Aquilana* 27. *Martii* 1590. apud Sell. *in Select. Canon. cit. cap.* 10. *num.* 21. Et Barboſ. *in Trident. cit. cap.* 18. *numer.* 35.

63 Item neque ſeminario uniri poſſunt Beneficia Curata nequidem habitu tantum. *Sac. Congregat.* 12. *Febr.* 1622. apud Pignatell. *tom.* 9. *concluſ.* 81. *n.* 141.

64 Neque ſeminario uniri poſſunt Beneficia Regularia, ſive dentur in Titulum, ſive in Commendam, ſecus tamen ſi ſtatum mutaverint. Sic *Sacr. Congregat. in Caputaquen.* 26. *Julii* 1586. apud Sellium *loco cit. num.* 23. Barboſa *loco cit. n.* 39. Ventriglia *loc. cit. n.* 45.

65 Neque ſeminario uniri poſſunt Abbatiæ, Prioratus, & Monaſteria Conſiſtorialia, ſeu Beneficia quovis modo Apoſtolica Auctoritate commendata, & obtenta, ſeu obtinenda per S. R. E. Cardinales, ſeu veros, & proprios Papæ Familiares, Nuncios Apoſtolicos, & Secretarios Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales interſunt. Sic expreſſe Benedict. XIII. in cit. Conſtit. incip. *Creditæ* §. 5.

66 Nec valet unio facta ſeminario omnium beneficiorum ſimplicium. Sic deciſum fuiſſe referunt Molfeſ. *in ſumma Theol. moral. tract.* 6. *cap.* 14. *num.* 60., & Barboſ. *ad Trident. cit. cap.* 18. *num.* 35. & alii.

67 Epiſcopus ſingulis annis præſentibus quatuor Deputatis tenetur exigere rationem redditUum ſeminarii ab Adminiſtratoribus. Sic expreſſe ſtatuit Concil. Trid. *cit. cap.* 18. ibi:
„ Rationem autem reddituum hujus ſeminarii Epiſcopus an-
„ nis ſingulis accipiat præſentibus duobus a Capitulo, &
„ totidem a Clero Civitatis deputatis.

68 Bona ſtabilia ſeminarii non poſſunt ultra triennium locari; Nec eadem bona cum aliis bonis in evidentem Eccleſiæ utilitatem permutari; Nec ſterilia, & inculta in Emphyteuſim ad tertiam generationem concedi ſine Beneplacito Apoſtolico. *Sacra Congregat. Concil. in Vercellen.* 19. *Februar.* 1633., *& in ſalutiarum* 20. *Sepembr.* 1642. *in reſponſ. ad* 2. ubi cum quæreretur; An bona ſtabilia ſeminario in hereditate relicta, poſtquam fuerint ei incorporata, poſſint alienari, inconſulto Romano Pontifice pro ſolutione Æris alicui ab ipſa hereditate debiti abſque incurſu pœnarum? *Cenſuit, non poſſe alienari*. Sic Card. Petra *Comment. ad Conſtitut.* 5. *Urbani II. ſect.* 3. *n.* 28.

69 Hinc ſeminarium auctoritate Epiſcopi erectum gaudet immunitate Eccleſiaſtica, ita ut Reus ad illud confugiens

70 non poſſit extrahi. *Communis*. Et ita ſeminarium eſt immune a tributis, & aliis ſæcularibus muneribus extraordinariis; Nec Gabellarii poſſunt diminuere Rectori, ac Magiſtro Seminarii conſuetam Franchitiam farinæ, *Sac. Congreg. Immun. in Salernitana* 1. *Novembr.* 1693. *lib.* 1. *Decretal. Vallem. pag.* 84.

71 Seminarii Clerici debent in publicis Proceſſionibus primi incedere ante Clerum Sæcularem, ac relinquere locum digniorem Curatis. *Sac. Congregat. Rit. in Capuana* 1607. *& in Adrien. Rodigii* 22. *Mar.* 1620.

72 Seminarii Clerici non præcedunt Canonicis Collegiatæ. *Sacr. Congregat. Rit. in Fundana* 20. *Dec.* 1601.

73 Seminarium non eſt membrum Eccleſiæ Cathedralis, licet in ea Clerici ſeminarii officient, *S. C. R. in Capuana* 1. *Sept.* 1607.

74 Pro erectione ſeminarii cogitur quis vendere rem ſuam, ſicuti etiam pro ampliatione Domus ſeminarii. Sic pluries deciſum fuiſſe refert Maranta 3. *par. controv. reſ.* 28. *n.* 7.

75 Hinc ad uberiorem notitiam juvat adducere varia Decreta, prout ad litteram referuntur a Pignatell. *tom.* 9. *conſult.* 81. *a num.* 47. *ad* 148. *incluſive*. Quamvis tamen varia ex ipſis ſint jam ſupra adducta.

76 *In Oſcenſi*. Curare debet Epiſcopus cum conſilio duorum Canonicorum Seniorum, ut pueri ſeminarii Cathedrali, & aliis locis Eccleſiaſticis diebus Feſtis cum ſuperpelliceis in gradibus inferioribus Chori deſerviant.

77 *In Faventina*. Epiſcopus pro fabrica ſeminarii, vel pro inſtauratione Domus ſeminarii poteſt taxam exigere, licet adhuc juvenes non in illud introducti.

78 *In Averſana*. Ante erectionem Seminarii nihil eo nomine ſolvendum eſt.

79 *In Cremonenſi*. Illi duo de Capitulo eligendi poſtquam fuerint electi, erunt perpetui, nec ſine legitima cauſa amoveri poſſunt; Eſt autem cauſa legitima Senectus, Infirmitas, & ſimilis alia; 5. *Sept.* 1602.

80 *In Ravennatenſi*. Epiſcopus, adhibito conſilio Deputatorum, ad Regimen Seminarii, poteſt circa illud ſtatuere, quod ſibi magis videbitur, etiam moderando ſtatuta in hoc Decreto *cap.* 18. ut colligitur ex verbis ultimis dicti Capituli.

81 *In Oſcenſi*. Epiſcopus cum conſilio Deputatorum tenetur providere, tam circa diſciplinam, & mores Clericorum, quam circa adminiſtrationem rerum temporalium. Poteſt autem eorum conſilio adhibito facere, quod ſibi expediens videbitur; Exactio vero Taxæ ad ſolum Epiſcopum ſpectat; Unde ſolus abſque interventu Deputatorum compellere poteſt ad ſolvendam portionem Seminario debitam.

82 *In Uritana*. De diſtributionibus quotidianis, & incertis nihil ſeminario ſolvendum eſt.

83 *In Ulyſipponenſi*. Antequam fructus taxentur pro rata Seminario ſolvenda, deducendæ ſunt expenſæ, quæ fiunt in Beneficiis.

84 *In Sorana*. Beneficium, quod non reperitur taxatum in libris Decimarum, non contribuit ſeminario erecto per diem undecimum Julii anni 1567.

85 *In Burgenſi*. Regulares ad ſeminarium non tenentur, niſi habeant Beneficia unita ſuis Monaſteriis, quod caſu contribuere debent pro eorum rata.

86 *In Ulyſipponenſi*. In ſolutione Taxæ pro ſeminario debent pro rata detrahi expenſæ, quæ fiunt in colligendis fructibus, ac onera poſita ante Collegium.

87 *In Uritana*. Quando fructus omnes conſiſtunt in diſtributionibus quotidianis, quæ dari ſolent Divinis intereſſentibus tantum, non tenetur Capitulum ad contributionem Seminarii.

88 *In Melphitana*. Quando Abbatia, ſive aliud Beneficium eſt nullius Diæceſis, ſolvitur Seminario illius Diæceſis, in qua alias dicta Abbatia, ſive Beneficium erat conſtituta; Si vero Eccleſia eſt in una Diœceſi, & bona ejus in altera, contributio fieri debet Epiſcopo loci, ubi eſt Eccleſia, niſi bona in altera Diœceſi exiſtentia ſint propinqua alicui Eccleſiæ ibi conſtitutæ, quæ tamquam membrum ſubjecta eſſet Eccleſiæ Parochiali, aut eidem unitæ. Quo caſu contributio fieri debet, ubi ſunt bona. Quod etiam declarandum eſt in Eccleſia unita, aut ſubjecta, ſi conſtructa fuerit ante acquiſitionem ipſorum bonorum; Quod ſi conſtaret bona fuiſſe prius applicata Eccleſiæ Parochiali, licet poſtea ibi alia Eccleſia ædificata fuerit, contributio fit Epiſcopo Eccleſiæ Parochialis.

89 *In Tudertina*. Hoſpitalia ad contributionem ſeminarii non tenentur, neque etiam Confraternitates Laicorum, niſi habeant unita Beneficia, quo caſu contribuere debent.

90 *In Ulyſipponenſi*. Monaſteria in quibus ſeminarium actu non eſt, ſed tamen contribuunt alteri Monaſterio pro ſubſtentatione ſcholarium, cenſentur ac ſi ſcholares habeant; propterea non tenentur ad contributionem niſi de redditibus, qui ſuperſunt.

91 *In Mediolanenſi*. Canonici electi ab Epiſcopo ad conſtituendam educationem puerorum mutari non debent, niſi ut ſupra, & eorum conſilium Epiſcopi tenentur adhibere, ſed non tenentur ſequi, & adhibendum eſt in omnibus infraſcriptis.

92 In conſtituendis regulis univerſalibus ſeminarii.
In electione ſingulorum introducendorum.
In electione librorum legendorum.
In punitione diſcolorum.
In viſitationibus.
In electione loci.
In electione Magiſtrorum.
In electione Confeſſoris.
In eorumdem expulſione.

93 Alii quatuor adhibendi ſunt Deputati in conſilio circa taxationem fructuum contributionis.
Circa unionem Beneficiorum.
In difficultatibus, ob quas ſeminarii inſtructio, vel conſervatio impediretur, aut perturbaretur.
In omni temporali adminiſtratione Seminarii.

In



In expulſione, & Deputatione Miniſtrorum ſeminarii.
In expenſis quotidianis.
In proviſionibus bladarum.

94 In adminiſtratione bonorum quorumcumque ac reddituum ipſius. Non autem etiam in iis Epiſcopus tenetur ſequi eorumdem conſilium, ſed ut ſupra ſolummodo adhibere.

95 *In Antuerpienſi*. In Monaſteriis, in quibus habentur Magiſtri ſalario conducti pro docendis Monachis, eadem ratio eſt habenda de illis expenſis, quæ de illis ſcholarium, ſeu diſcentium Monachorum habentur.

96 *In Bracarenſi*. Milites Hieroſolymitani, qui habent beneficia ſibi commodata alterius Ordinis, vel qualitatis, tenentur ad contributionem ſeminarii ratione hujuſmodi Beneficiorum, cum exceptio non reſpiciat Perſonas, ſed tantum beneficia Ordinis Hieroſolymitani.

97 *In Patavina*. Si ignoratur cujus naturæ ſint beneficia Eccleſiaſtica Monaſterii unita, vel alias exempta, ſeminario contribuere debent; & hoc procedit in Monaſteriis, quæ non ſunt Mendicantium; nam in iſtis Monaſteriis, quæ poſſident bona immobilia, onus probandi ea eſſe per uniones acquiſita in Epiſcopum transfertur, quo non probante, ea bona erunt exempta.

98 *In Imolenſi*. Simplicia Beneficia ad collationem inferioris Collatoris ſpectantia, Epiſcopus unire non poteſt, nec etiam Beneficia Regularia, nec Beneficia Juris patronatus Eccleſiaſtici, nec Canonicatus.

99 *In Gandavenſi*. De Beneficiis unitis vigore hujus Decreti ſuperfluum eſt petere confirmationem a Sede Apoſtolica.

100 *In Cameracenſi*. Sicut Beneficia ante vacationem Seminario uniri poſſunt valide, ita nulla erit unio facta poſt vacationem de Beneficio reſervato.

101 *In Aquilana*. Epiſcopus qui in ſuis menſibus Beneficia vacantia non univit, in menſibus reſervatis unire poteſt.

102 *In Marſicana*. Contra recuſantes ſolvere taxam Seminario poteſt Epiſcopus procedere uſque ad Interdictum, & alia graviora juris remedia.

103 *In Brunduſina*. Si Epiſcopus duabus Civitatibus præeſt, in utraque erigetur Seminarium, & ſi redditus non ſufficiunt, conducantur Magiſtri.

104 *In Melphitana*. In Eccleſia, ubi ſunt adeo tenues reditus, ut Seminarium erigi non poſſit, provideatur ſaltem expenſis Beneficia obtinentium de duobus Miniſtris, altero Grammaticæ, & altero Muſicæ, a quibus inſtruantur pauperes pueri Civitatis & Diœceſis, in eorumque ſumptus totus Clerus contribuat, per inde ac ſi contribuerit ad Seminarium formatum.

105 Pars, quæ ratione Seminarii eſt detrahenda, ad Decimam integram fuit taxata, ſi Seminarium fuit erectum ante diem undecimam Julii 1567. Nam in Seminariis poſtea erectis dicendum eſt, ut infra.

106 Quicumque vero Epiſcopus ante diem undecimam reipſa Seminarium erexit, & ſervata forma Concilii certam taxam ſtabilivit eamque a majori parte taxatorum exigere cæperit, ſeu illi ſponte, ſeu ex contentione, aut metu ſolverint dummodo in hac quaſi poſſeſſione ſit exigendi, eaque taxa ſic exacta in uſum Seminarii verſa ſit, & quotidie vertatur, in exactione hujuſmodi perſeveret, & omnes, qui diſtulerint ſolvere, cogere poterit juris remediis.

107 Sacra Congregatio Concilii tum alias, tum *in Sabinenſi* 26. *Maji* 1640. declaravit, Archipresbyterum, & Canonicos Collegiatæ Eccleſiæ Montis Rotundi teneri contribuere Seminario, non tamen pro portione quæ cedit in uſum quotidianarum diſtributionum, nec pro Legatis piis pro celebratione Miſſarum relictis, prout neque incertis; & eleemoſynis Sacriſtiæ elargitis, ſed tantum ex illis redditibus certis conſtitutis, etiam ſi proveniant a legatis piis, ut legitur *l.* 16. *Decret. fol.* 380.

108 *In Lucana* 19. *Novembris* 1616. Seminarii deputati, aliique Officiales habent votum conſultivum, non autem deciſivum.

109 *In Fundana* 20. *Decembris* 1601. Clerici Seminarii non præcedunt Canonicis Collegiatæ. *S. C. Rituum*.

110 *In Atrienſi* 21. *Martii* 1620. Clerici Seminarii in Proceſſionibus præcedunt aliis Clericis, *Eadem S. Rit. Cong.*

111 *In Capuana* 1. *Septembr.* 1620. Clerici Seminarii debent in publicis Proceſſionibus primi incedere ante Clerum Sæcularem, & relinquere locum digniorem Curatis. *Eadem Sac. Rit. Congr.*

112 *In eadem, eademque die, & anno*. Seminarium non eſt membrum Eccleſiæ Cathedralis, licet in ea Clerici Seminarii officient. *Ead. S. Rit. Congr.*

113 *In Vercellenſi*. Seminarii bona ſtabilia non licet ad novennium locare, nec eadem bona cum aliis bonis in evidentem Eccleſiæ utilitatem permutari, nec ſterilia, & inculta in emphiteuſim ad tertiam generationem concedere. *S. C. Concil.* 19. *Febr.* 1633. *ad* 3. 4. *&* 5.

114 Seminarii a contributione nemo eſt exemptus, niſi qui nominatim a Concilio excipiuntur. *Sacr. C. Conc.* 11. *Januarii* 1601.

115 Seminarii contributio anticipate ſolvenda eſt de quadrimeſtre in quadrimeſtre. *Sac. Congregat. ſuper Epiſc.* 8. *Martii* 1588.

116 Seminario contribuere tenentur Eccleſiæ Sæculares, quæ non ſunt de Menſa Monaſteriorum, tametſi ad eorum inſtitutionem, & collationem pertineant. *In Caputaquenſi Sacra Congr. Concil.* 23. *Junii* 1586. *&* 4. *Febr.* 1593.

117 *In Caputaquenſi* 4. *Febr.* 1593. Seminario contribuere tenentur Beneficiati Beneficiorum Collationis Monachorum, ſi intra fines Diœceſis ſunt. *S. C. Conc.*

118 *In Lucana* 5. *Julii* 1628. Seminarii occaſione poteſt taxa pro penſionibus detrahi, & exigi a Titularibus dummodo ſpecialiter non ſint exemptæ, qui Titulares retinebunt pro rata ſoluta.

119 Titularis occaſione contributionis per eundem factæ Seminario non poteſt detrahere ex penſione, quam ſolvit, niſi pro rata illius, & ad eam rationem, qua ipſe Titularis contribuit. *S. C. Concil.*

120 A contributione Seminarii ſunt exempti Clerici Cameræ Apoſtolicæ ratione Beneficiorum, quæ obtinent. *S. C. ſuper Epiſc. in Macerat.* 12. *Maji* 1604.

121 Seminario ad contribuendum cogi non debet Abbas, qui in ſuo Territorio, & Juriſdictione prius Seminarium erexerat, & proviſum retinebat. *Sacr. Congregation. Concil.* 30. *Mart.* 1594.

122 *In Lucana*, 17. *Febr.* 1629. Seminario contribuere non tenetur Abbatia unita Capitulo Cathedralis ante Concilium. *S. C. Concil.*

123 *In Auguſtana* 14. *Decemb.* 1630. Ad contributionem Seminarii non tenentur, neque compelli poſſunt Fratres S. Joannis Hieroſolymitani, ſive eorum Vicarii in Eccleſiis Parochialibus Religioni prædictæ unitis, vel ab ea dependentibus. *S. C. Conc.*

124 Legata, ut conducatur Grammaticus, qui pauperes inſtruat pueros, applicari poſſunt Seminario. *Sac. Congregat. Concil.*

125 Epiſcopus debet, primum de ſua, & Capituli menſa contribuere, & poſtea alios cogere. *S. C. Concil.*

126 Cardinales debent contribuere de fructibus Beneficiorum in Diœceſi, ubi eſt Seminarium. *S. C. Conc.*

127 Non ſunt magis gravanda Beneficia ſimplicia, & penſiones, quam Curata. *Sacr. Congregat. ſuper Epiſc.* 27. *Octobris* 1603.

128 Uniones Beneficiorum factæ Seminario non ſubſiſtunt, poſt illius erectionem, & actualem educationem puerorum. *S. C. Concil.* apud Gonzal. *Gloſſ.* 7. *n.* 68.

129 Emptio Domus, aut electio Deputatorum non eſt erectio Seminarii. Rota 15. *Aprilis* 1622.

130 Uniones factæ abſque conſilio quatuor Deputatorum non valent. *S. C. Conc.* 13. *Jan.* 1549.

131 Cogi poſſunt ad ſolvendum prædictos redditus per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia Juris remedia ab Epiſcopo, non obſtantibus quibuſcumque. Trident. *d. c.* 18.

132 Seminarium erigi non poteſt in Ædibus Canonicalibus, niſi de conſenſu Canonicorum, & ita ſeparatum, ut Presbyteri, vel Clerici nullam communicationem habeant cum Seminariſtis. *In Mutinenſi* 3. *Febr.* 1604.

133 Recipi non poſſunt in Seminario Clerici ſine licentia Ordinarii. *In Salernitana* 10. *Jul.* 1590.

134 Licet Epiſcopus nihil contribueret pro manutentione Seminarii, non poteſt propterea Seminarium prætendere aliquam exemptionem ab ejus juriſdictione. *In Aquilejenſi* 27. *Januar.* 1597.

135 Taxa quatuor pro centenario ſuper Beneficiis approbatur. *In Agrigentina* 25. *Febtuat.* 1602.

136 Quæ ſi non ſufficiat pro tenendo ſaltem Magiſtro Grammaticæ, & cantus Gregoriani, cum Domo, & aliis neceſſariis, non debet augeri. *In Recanatenſi* 25. *Jun.* 1597.

137 Capitulum, & Canonici licet exempti ſint ab Epiſcopi juriſdi-

riſdictione, compelli tamen ab eo poſſunt ad ſolvendam eorum ratam. 29. *Nov.* 1604.

138 Niſi redditus omnes conſiſtant in diſtributionibus quotidianis. *In Tarentina* 24. *Jul.* 1595.

139 Nullius etiam loca contribuere debent, ſi proprium Seminarium non habent. *In Caputaquenſi* 2. *Maji* 1601.

140 Quemadmodum ſubditi Abbatis Monaſterii Cavenſis Seminario Caputaquenſi 3. *April.* 1608. Niſi tamen Beneficia ſint unita, vel de Menſa Monaſterii per privilegium S. Pii V. donec autem hoc probetur, Seminarium manutenendum eſſe in quaſi poſſeſſione exigendi.

141 Regulares etiam contribuere tenentur. *In Cæſenatenſi* 2. *Maji* 1601.

142 Niſi ſint exempti per privilegium ſpeciale, ut Cartuſiani. 12. *Maji* 1587.

143 Et Prioratus S. Spiritus. 6. *Septemb.* 1603. Vel niſi vivant de eleemoſynis, *ibid.* Proviſi de beneficiis Seminario unitis, unione effectuanda, cum primum vacaverint, cogi non poſſunt ad contributionem. 1. *Octob.* 1599.

144 Neque Confraternitates, & alia loca pia, quæ non habent beneficia annexa; 23. *Jan.* 1586. & 10. *Jan.* 1594. & 25. *Febr.* 1602.

145 Neque Hoſpitalia, quæ non conferuntur in Titulum, *ut ſupra*.

146 Neque Monaſteria Monialium, niſi ratione Beneficiorum unitorum, vel bonorum ſubjectorum aliis oneribus Epiſcopalibus. 22. *Dec.* 1583. & 26. *Jul.* 1593.

147 Vel niſi eſſent ſolita; Quia tunc omnes ſupradicti cogi debent, licet vellent renunciare privilegio tenendi alumnum in eodem Seminario. 20. *Jul.* 1620.

148 Capitulum S. Petri in Vaticano non tenetur ad aliam contributionem pro beneficiis ipſi unitis in aliis Diœceſibus, quia contribuit pro omnibus Seminario Romano, *S.C. ſuper Epiſcop. in Caputaquenſi* 1594.

149 Uniri non poſſunt Seminario per Ordinarium Beneficia Curata, ſed ſimplicia tantum, & eorum ſupportatis oneribus. 15. *Maji* 1580.

150 Neque Canonicatus etiam Collegiatæ, licet non ſint amplius de reſidentia. 27. *Mart.* 1590.

151 Scholaſteria in locis, ubi non eſt Seminarium, non eſt neceſſario conferenda Doctoribus, vel Magiſtris, aut licentiatis in Sacra Scriptura, vel jure Canonico, quia Concilium *d. c.* 18. *§. de cetero*, loquitur, ut cum minori impenſa poſſint docere in Seminario per ſe ipſos. *In Calaguritana* 5. *Maji* 1610.

152 Ludimagiſtri Univerſitatis non tenentur docere pueros Seminarii, niſi ad publicas Scholas accedant. *Civitatis Plebis* 11. *Dec.* 1610.

153 Verba illa; *In quibus Seminaria diſcentium, vel docentium actu non habentur*, intelliguntur de Clericis Sæcularibus, ubi Seminarium erigitur, licet in loco adſit ſtudium Regularium. Nec ratione hujus ſtudii Conventus prætendere ſe poteſt exemptum a contributione.

154 Illegitimi non poſſunt ab Epiſcopo admitti in Seminarium, licet ſint diſpenſati ad Canonicatus, & dignitates. 15. *Mart.* 1599.

155 Circa Taxam adeſt Decretum S. Pii V. quod Epiſcopus, qui ante undecimam diem Julii 1567. Seminarium re ipſa non erexit, quandocumque illud erigere conſtituerit, ab ipſa reali erectione nihil ejus nomine ultra dimidiam decimam relatam ad antiquam taxam exigat, & ſi quid amplius exegerit, vel reſtituat, vel ab eo compenſetur, quod in poſterum poſt ipſam erectionem ad eam rationem exigendum erit, niſi tamen appareat, totum illud, quod amplius exactum erit, jam fuiſſe vere converſum in præparamenta neceſſaria, aut aliam ſimilem operam Seminarii.

156 Vel niſi Epiſcopus eſſet in quaſi poſſeſſione exigendi majorem taxam impoſitam a Concilio Provinciali. *S.C. Concil. in Surrentina*. Quæ *in Materana* conceſſit poſſe taxari in plus dimidia decima.

157 Alias, ſi non poteſt erigere Seminarium formale, debet erigere Scholam, *in Marſicana*. Et pro hujuſmodi Schola permittitur dimidium taxæ, quæ ſolveretur Seminario. 18. *Nov.* 1587.

158 Simili modo poteſt Epiſcopus cogere Capitulum & alios ad contributionem pro Magiſtro Muſicæ, dummodo & ipſe contribuat pro rata; *in Andrienſi*.

159 Circa hujuſmodi Scholam notandum, quod cum plures Epiſcopi, qui Seminarium erigere minime poterant, Scholam inſtituiſſent, ac certam portionem ex Beneficiis propterea detraxiſſent, animadverſum fuit in Congregatione Concilii, quod hujuſmodi facultas tributa erat Epiſcopis a Concilio, cum non poſſet inſtitui lectio Theologiæ, non autem cum non poſſet inſtitui Seminarium, ut habetur *c.* 1. *ſeſſ.* 5. *verſ. Eccleſiæ*; Ideoque Congregatio juſſit ea de re agi cum Sanctiſſimo, ad quem cum D. Cardinalis Matthejus die 16. *Febr.* 1598. in Conſiſtorio retuliſſet, Sanctitas ſua mandavit, has beneficiorum taxationes de cetero pro Schola in alio caſu, quam in eo, de quo Concilium loquitur, non eſſe permittendas, ſed hactenus inſtitutas confirmavit.

Ex redditibus Parochiarum, quæ apud Indos Doctrinæ vo- 160
cantur, ſit contributio Seminario, deducta congrua Parochorum ſuſtentatione. *S. C. Concil.* 7. *Septemb.* 1603. *coram Clemente VIII.*

Penſionarii etiam Regulares tenentur contribuere Semina- 161
rio. 17. *Aug.* 1652.

Et notandum, Penſionarios ante Concilium teneri contri- 162
buere indiſtincte: Si vero Penſio reſervata fuerit poſt Concilium, ita demum Penſionarios ad contributionem teneri, ſi per ſedem Apoſtolicam a tali contributione non fuerint exempti; Verum etiam in caſu, quo Penſionarii contribuere tenentur, Beneficiorum poſſeſſores ab Epiſcopo debere compelli ad ſolvendam portionem taxatam non ſolum pro ſe, ſed etiam pro penſionibus, quas ſolvunt. Licet tamen poſtea ita ſolventibus, retinere pro rata quidquid pro Penſionibus ipſis ſolverunt. *In Tridentina*.

Tenetur autem Penſionarius contribuere Epiſcopo Semi- 163
narii, ubi ſitum eſt beneficium, non ubi habitat ipſe Penſionarius, licet ſit perpetuus, & perſona ficta, ut Capitulum, ſacrarium &c.

Seminarium non eſt erigendum ſuper mendicitate, *Congr.* 164
*Propag.* 1627.

Beneficium unitum Seminario alterius Diœceſis tenetur 165
nihilominus contribuere Seminario propriæ, quod ante unionem contribuere conſueverat; *in Cremonenſi* 16. *Jul.* 1588. *Congr. Conc.*

*Eadem tamen Congr. Conc.* 2. *Febr.* 1606. declaravit, quod 166
Beneficium fundatum a Patrono certa lege de conſenſu Epiſcopi appoſita, ut ad nulla onera teneatur, dummodo fundatio poſt Concilium facta fuerit, non tenetur contribuere Seminario. Multo minus ſi id etiam expreſſe caveatur in fundatione, ut neque ad Seminarium contribuere debeat.

Illa Beneficia, quæ ob tenuitatem decimis Papalibus non 167
contribuunt, neque Seminario contribuere teneri. *S.C. Conc.* 21. *Mart.* 1602. & 23. *Mart.* 1604.

Ex fabricarum redditibus, ſi Eccleſiaſticæ ſunt, contribuen- 168
dum eſt Seminario, quamvis a Laicis adminiſtrentur. *Congr. Concil.*

Beneficia Cameralium, licet ſimplicia, non poſſunt uniri 169
Seminario. *In Murana*.

Ordinarius non poteſt unire Seminario Beneficia Curata, 170
nequidem habitu tantum *Congr. Conc.* 12. *Febr.* 1622.

Capellanias vero, quæ celebrandi Miſſas onus habent, & 171
in Titulum dantur, unire poteſt Seminario modo oneri injuncto ſatisfiat. *Ead. S. C.*

Unio facta Seminario non erecto ad formam Conc, ut ſi 172
pueri non vivant ſimul, nulla eſt. *In Piſaurenſi arg. c. Ad audientiam* 2. *de Eccleſ. Ædif.*

Unio Beneficiorum alioqui legitime facta non impeditur, 173
aut ſuſpenditur per reſignationem, etiamſi in Curia ſuum effectum ſortita ſit, & in favorem tertii; *in Bellunen.* Quod intelligendum eſt cum vacaverit. Quia per reſignationem in favorem tertii non dicitur proprie vacare Beneficium. Et ſic ſi Beneficium non vacans uniatur vigore Concilii *d. c.* 18. & poſtea reſignetur in favorem tertii, ac reſignatio admittatur, unio pro illa vice ſuſpenditur, ut *in Hoſtuenſi ſuperius adducta* 24. *Febr.* 1581. Maxime quia in Litteris reſignationis inſeri ſolet illa Clauſula: *Cum ſuſpenſione omnium & quorumcumque unionum*; 19. *Jun.* 1608. *in Bellunen.*

Regula de triennali non impedit unionem Seminario legi- 174
time factam, *in eadem*.

Si Epiſcopus prædeceſſor Beneficium ſimplex, non ſer- 175
vata forma Concilii, ac per conſequens nulliter, Seminario univit, non poteſt ſucceſſor illud eidem Seminario valide unire ſervata forma Concilii. Quia Concilium non videtur dare facultatem uniendi Beneficia devoluta. 16. Junii 1599.

Neque poteſt unire Beneficia Regularia. *In Hiſpalenſi*. 176

Sac. Concilium *d. c.* 38. non prohibet transferri Penſiones 177
ſuper Beneficiis Seminario vittis. *Cong. Conc. in Æſina* 26. *April.* 1602.

178 Supradicta autem Decreta, & omnia ſupra expoſita moderanda ſunt, & intelligenda juxta noviſſimam Conſtitutio-
179 nem Benedicti XIII. incip. *Creditæ*. Quæ Conſtitutio, cum ſit modo attendenda tamquam regula in iis, quæ ad Seminaria ſpectant, ad litteram hic pro omnium commodo ſubnectitur.

Conſtitutio, qua locorum Ordinariis Italiæ, Inſularumque adjacentium diſtincte mandatur, ut Seminariorum erectionem ſedulo promoveant, eorumque honeſtæ ſuſtentationi provideant Taxam, & ſubſidia reſpective unione Beneficiorum juxta modum a Sacro Tridentino Concilio præſcriptum, ac inſuper nova inſtituitur Congregatio Seminariorum nuncupanda, quæ recto illorum regimini, & adminiſtrationi præſideat cum aliis ordinationibus, & clauſulis, ac derogationibus opportunis.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei,

*Ad perpetuam rei Memoriam.*

CReditæ Nobis cœlitus diſpenſationis Officium ſalubriter exequi, adjuvante Domino, ſatagentes, ad ea mentem, curaſque Noſtras libenter convertimus, per quæ ſedulæ Clericorum inſtitutioni opportune proſpicitur. Ubi enim illi a teneris annis, ceu plantæ novellæ benigniori cultura educentur, Litterarumque ſcientia in Seminariis accurate informentur, cum poſtea ad laborioſa Eccleſiaſtica Miniſteria in viam Dominicam tranſplantantur, Eccleſiarum regimini populorumque ſaluti maxime fructuoſos, ac utiles eſſe diuturna plurimorum annorum experientia ſatis compertum habemus.

§. 1. Cum itaque Seminarii Eccleſiaſtici erectio a Sacra Tridentina Synodo *cap.* 18. *ſeſſ.* 23. *de reformat.* Epiſcopis omnibus tantopere commendata, & ad Eccleſiaſticam diſciplinam conſervandam adeo neceſſaria, in pluribus Cathedralibus Eccleſiis, quemadmodum non ſine gravi animi Noſtri mœrore accepimus, hucuſque neglecta fuerit; Nos pro paſtorali vigilantię noſtrę debito pium hoc, & ſanctum opus ſtrenue promovere cupientes; motu proprio, & certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, univerſis & ſingulis Locorum Ordinariis Italiæ, Inſularumque adjacentium hac Noſtra perpetuo valitura Conſtitutione diſtricte injungimus, præcipimus, & mandamus, ut in Cathedralibus, in quibus Seminarium hactenus erectum non fuit, illud quamprimum erigi, ac omnino inſtitui curent. Ubi vero jam reperitur erectum, ſed congruis redditibus ad Alumnorum, Magiſtrorumque ſuſtentationem neceſſariis inſtructum non eſt, de iis, ut infra, opportune provideant. Utroque igitur caſu, nimirum tam pro erectione novi Seminarii, quam pro ſupplemento redditnum Seminarii jam erecti Taxam cum conſilio duorum de Capitulo, & totidem de Clero conficiant a memorato Tridentino Concilio *cap.* 18. *ſeſſ.* 23. *de reformat.* præſcriptam incipiendo ab integris fructibus Menſæ Epiſcopalis, & abſque ullo diſcrimine proſequendo juxta normam ibidem expreſſam, & provide conſtitutam. Eidem vero Taxæ omnia, & ſingula Beneficia ſæcularia, & Regularia per quoſcumque etiam Venerabiles Fratres Noſtros S. R. E. Cardinales, nec non Noſtros, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Familiares, & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Clericos, Miniſtros, ac Officiales quoſcumque prᴇſentes, & futuros obtenta, & in poſterum obtinenda, ac omnia inſuper Beneficia ſæcularia Prioratibus, Commendis, vel Bajulivatibus Ordinis Fratrum Sanctis Joannis Hieroſolymitani quomodocumque unita, aut de cetero unienda, nec non fructus, ac redditus Confraternitatum Laicorum, ex certis fundis, & capitalibus provenientes (non autem ſummas pecuniarias, quæ a Confratribus quolibet menſe, vel anno, vel per modum eleemoſynæ, vel in vim ſtatutorum contribuuntur) ſubjici, & ad illius ſolutionem perpetuo teneri decernimus, ſtatuimus, & mandamus, Declarantes ab ea exemptos eſſe debere Regulares pro iis tantum Beneficiis, vel fructibus, quorum ratione ipſius Apoſtolica Sedes diſerte, ac expreſſe, & ex cauſa vere ac proprie oneroſa indulſit, ut ab onere Taxæ pro Seminario exempti ſint.

§. 2. Porro ejuſmodi Taxa juxta locorum qualitatem reſpondere debeat ſummæ ſcutorum trium pro quolibet centenario proventuum Beneficii, & ſi neceſſitas urgeat, augeatur etiam uſque ad ſummam quinque pro centenario, itaut numquam minor ſcutis tribus, neque major ſit ſcutis quinque pro quolibet centenario, & anno, ac in illius confectione regula a Tridentino Concilio in prædicto *cap.* 18. ſancita accurate, & ad amuſſim obſervetur. Donec autem nova hæc Taxa confecta, & a Congregatione a Nobis deputata, ut infra dicetur, approbata fuerit, alia Taxa, quam Seminarium antea exigere conſueverat, omnino perſolvatur. Ceterum novæ Taxæ exactio ſemper committatur Perſonæ fide, & facultatibus idoneæ ab Epiſcopo, & Cathedralis Eccleſię Capitulo ſpecialiter approbandæ, ac deputandæ, ita quidem, ut quoties Exactor hujuſmodi negligens, aut minus idoneus repertus fuerit, illius culpam idem Epiſcopus, & Capitulum præſtare debeant, & pro non exactis, atque deperditis reſpective de proprio teneantur, liceatque Seminario, tam contra Exactores, quam contra Deputantes, eorumque heredes quocumque tempore agere, nedum pro deperditis, ſed etiam pro non exactis ad præciſam Taxæ faciendæ normam, & quantitatem.

§. 3. Præterea Epiſcopi, & Capitula portiones, ſeu quotas ſibi obtingentes juxta præfatam Taxam quolibet anno realiter, & cum effectu deponere teneantur penes Exactorem deputatum, qui eas ſolvat, ſeu eroget in ſumptus pro Seminarii manutentione neceſſarios, & tam hujus depoſiti, quam ſucceſſive ſolutionis, ſeu erogationis, ſimulque cujuslibet alterius exactionis non factæ, & qua de cauſa documentum per eoſdem Epiſcopos, & Capitula ad antedictæ Congregationis Secretarium quotannis tranſmittatur.

§. 4. Quod ſi in aliqua Diœceſi computatis propriis Seminarii redditibus, ſi qui ſint, nec non Beneficiorum antea cum effectu illi unitorum, ac fructibus parvorum Conventuum ſuppreſſorum præcedenter applicatis (quas quidem tum Beneficiorum uniones, tum applicationes fructuum parvorum Conventuum firmas eſſe volumus) per hujuſmodi etiam Taxam erectioni, & ſuſtentationi Seminarii ad neceſſitatem nimirum uniuſcujuſque Diœceſis, & Alumnorum, non autem ad pompam, & voluptatem ſufficienter provideri nequiverit tunc, & eo caſu, ac in ſubſidium tantum Ordinarii Locorum eidem Seminario unire, & applicare poſſint, ac debeant Beneficia ſimplicia cujuſcumque qualitatis, & dignitatis fuerint, etiam Juſpatronatus Eccleſiaſtici, vel quomodocumque affecta, & diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervata, ſine tamen ullo Divini cultus, ac illa obtinentium præjudicio. Hæc porro unio fiat ſtatim, & ante eorumdem Beneficiorum vacationem, nempe uniantur Beneficia primo loco vacatura uſque ad certam annui redditus quantitatem in ipſa unione ſpecificandam, quæ computata Taxa inſufficienti, ſatis eſſe poſſit ſuſtentationi certi numeri Alumnorum pro unoquoque Seminario deſignatorum, ipſaque unio, ſtatim ac Beneficia prædicta quomodocumque vacaverint, debitum, atque integrum ſortiatur effectum, fel. rec. Clementis VIII. ac Urbani pariter VIII. nec non aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutionibus, vel Decretis in contrarium facientibus non obſtantibus.

§. 5. Ceterum conſiderantes Monaſteria, Prioratus, & Beneficia Conſiſtorialia, nec non aliqua alia indiſpenſabiliter neceſſaria eſſe, ac fore pro congrua ſuſtentatione S. R. E. Cardinalium, & Miniſtrorum Romano Pontifici, & Sedi Apoſtolicæ actualiter inſervientium, volumus, & declaramus, quod Abbatiæ, Prioratus, & Monaſteria Conſiſtorialia, ſeu Beneficia quovis modo Apoſtolica auctoritate commendata, & ad præſens obtenta, ac in futurum obtinenda per antedictos S. R. E. Cardinales, ſeu veros, & proprios Papæ familiares, Nuncios Apoſtolicos, & Prælatos Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales interſunt, Secretarios duntaxat, memoratis Seminariis uniri, & applicari nunquam poſſint, & uniones, quas forſan fieri contigerit, nullæ, ac irritæ prorſus ſint, firma in reliquis remanente libertate, & facultate uniendi (ſervata tamen forma ſuperius expreſſa, & non aliter) cetera omnia Beneficia, etiam, ut præfertur, affecta, & reſervata, vel alias ad proviſionem, ac diſpoſitionem Sedis Apoſtolicæ quomodolibet pertinentia.

§. 6. Cum autem, ſicut accepimus, Seminaria pleriſque in locis ideo erecta minime reperiantur, vel quia Epiſcopi Taxam conficere detractant, ne illam a ſemetipſis inchoare cogan-

cogantur, vel quia Beneficia ſimplicia, quorum diſpoſitio ad eos libere ſpectat, occurrente illorum vacatione, ſuis Familiaribus, aliiſve perſonis ſibi gratis, & beneviſis conferre volunt. Hinc eſt, quod Nos omne ſcopulum, & obicem impeditivum boni ſpiritualis ab ejuſmodi Seminariorum erectione provenientis e medio prorſus tollere, ac removere intendentes, motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine paribus, Congregationem Seminariorum nuncupandam, in qua Venerabiles Fratres Noſtri S. R. E. Cardinales Congregationi ſuper negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, nec non Congregationi Interpretum Concilii Tridentini præfati utriuſque Congregationis Secretarii, Datarius, ſeu Prodatarius, ac Subdatarius, nunc, & pro tempore exiſtentes eſſe debeant, tenore præſentium perpetuo erigimus, ac inſtituimus, ejuſdemque Congregationis Secretarium illum ipſum, qui Congregationis Concilii prædicti Secretarius pro tempore fuerit, conſtituimus, ac deputamus: prædictaque Congregationis, ac illius Secretario omnium & ſingulorum Seminariorum in locis, ubi adhuc erecta non ſunt, erigendorum, & ubi erecta quidem ſunt, ſed ſufficientes non habent redditus, iis pro modo indigentiæ, ut præfertur, augendorum omnimodam curam committimus, ac demandamus, nec non ejuſdem Congregationis Deputatis prædictis ſemel ſingulis menſibus, & quoties opus fuerit, ſe congregandi, dictorum Seminariorum erectionem promovendi, jam erectorum ſtatum, & proventus recognoſcendi, eorum neceſſitatibus opportune conſulendi, Taxas approbandi, reformandi, & augendi, numerum Alumnorum in ſingulis Seminariis taxandi, & præfigendi, eumque pro modo redditum augendi, & minuendi, ſtatuta pro recto feliciqu eorumdem Seminariorum regimine, & adminiſtratione condendi, eaque mutandi, variandi, corrigendi, ac toties, quoties illis expedire videbitur, de novo faciendi, emergentes controverſias ſummarie, ſolaque facti veritate inſpecta cognoſcendi, & definiendi, Viſitatores etiam, qui ejuſmodi Seminaria diligenter perluſtrent, & an recte, atque fideliter adminiſtrentur, ac in iis potiſſimum regulæ a Trid. Conc. præſcripte, ſedulo adimpleantur, inſpiciant, & recognoſcant, ubi, quando, & quoties opus eſſe judicaverint, facto tamen prius verbo cum Rom. Pontifice pro tempore exiſtente delegandi ac deputandi, aliaque in præmiſſis neceſſaria, & opportuna pro data ipſis a Domino prudentia decernendi, & gerendi, & exequendi plenariam, atque omnimodam facultatem, poteſtatem, & auctoritatem tribuimus, concedimus, ac impartimur.

§. 7. Univerſis itaque Epiſcopis, quorum in Diœceſibus non adſunt, vel congruis redditibus inſtructa non ſunt Seminaria, per preſentes injungimus, & mandamus, ut quam primum præfatam Taxam ſedulo conficiant, eumque ad antedictæ Congregationis Secretarium infra ſex menſes a die publicationis præſentis Conſtitutionis computandos omnino tranſmittant, una cum diſtincta, & accurata relatione omnium Beneficiorum ſuarum Diœceſum, eorumque annui valoris, nec non locorum, animarumque, & Eccleſiarum in illis exiſtentium cum ſuis qualitatibus, ad hoc ut eadem Congregatio omnibus mature perpenſis, ſtatuere poſſit, an prædicta Taxa approbari nec ne debeat, ſimulque numerum Alumnorum in unoquoque Seminario retinendorum, & ſummam pro ſingulorum ſubſtentatione neceſſariam præſcribere, & reliqua tandem omnia, quæ pro recta eorumdem Seminariorum adminiſtratione, ſedulaque Alumnorum inſtitutione utilia, ac opportuna judicaverit, ſalubriter decernere valeat.

§. 8. Omnibus inſuper Epiſcopis præfatis, ne de cetero pro ſe, vel ſuis Vicariis, aut Familiaribus quibuſcumque ſub quovis colore, & prætextu, habitatione, coquina, famulis, Miniſtris, aut Officialibus Seminarii, vel Lectoribus, Magiſtris, Sacerdotibus, Clericis quoquomodo inſervientibus eidem Seminario, & Alumnis, vel a Seminario ſalariatis, & ſubſtentatis, ac quomodocumque retentis, uti audeant, diſtricte ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ vetamus, ac inhibemus. Non tamen per hoc prohibere intendimus Epiſcopo Pontificalia exercenti, ne Cæremoniarum Magiſtro, vel Sacerdotibus a Seminario retentis uti poſſit, immo ut eorum opera, ac aſſiſtentia in hujuſmodi ſacris functionibus libere uti valeat, plenam ipſi Epiſcopo tribuimus facultatem.

§. 9. Poſtremo ſaluberrimæ præfati Concilii depoſitioni inhærentes, volumus, præcipimus, & ſancimus, ut in omnibus Seminariis, tam hactenus erectis, quam impoſterum erigendis, Alumni Grammatices, Cantus Gregoriani, computi, aliaque bonarum artium tantum diſciplina erudiantur, & Sacræ Scripturæ, Cathechiſmi, aliorumque Eccleſiaſticorum Librorum, præſertim vero de Sacramentis, Sacriſque Ritibus, & Cæremoniis tractantium, Lectioni diligenter incumbant, ut cum ad Vineam Domini excolendam vocati fuerint, dignos, peritos, utileſque Operarios ſeſe probare valeant, fructumque ei reddant uberrimum temporibus ſuis.

§. 10. Decernentes, præſentes Litteras &c.

§. 11. Non obſtantibus, &c.

§. 12. Ut autem præſentes Litteræ &c.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum &c.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quinto, ſeptimo Idus Maii, Pontificatus Noſtri Anno I.

Inſuper ad complementum ſubnectuntur hic inſtructiones, 180
quæ de Mandato dicti Benedicti XIII. emanarunt circa Taxam ſeminariorum, quæ tranſmiſſa fuit ad Epiſcopos Italiæ, & inſularum adjacentium cum ſequenti Encyclica Epiſtola.

Rever. D. uti Fr. Cum in omni Republica experimento ſemper compertum fuerit, tales eſſe Cives, quales educatione informantur, nihil certe opportunius ad Eccleſiaſticam diſciplinam conſervandam, vel reſtaurandam excogitari potuit, quam inſtitutio Collegiorum, in quibus adoleſcentes Eccleſiaſticis Miniſteriis addicendi, Religione, & bonis artibus inſtruerentur, adeo ut ejuſmodi Collegia, quaſi perpetua heſſent egregiorum Dei Miniſtrorum, & pro Animarum ſalute Operariorum Seminaria. Jure itaque ac merito in immortali laude verſabitur hoc, quod a Patribus Sacroſancti Conc. Tridentini in eam rem providentiſſime fuit conſtitutum. Fidem quippe fecit eventus, quam vere tunc a nonnullis (ut abetur in hiſtoria a Cardinali Pallavicino perſcripta) dictum fuerit, ſatis utiliter labores omnes impenſos, omnemque operam poſitam, ubi etiam nihil aliud commodi in Chriſtianam Rempublicam inde manaſſet, quam recta ubique ejuſmodi Collegiorum inſtitutio.

Primus porro, qui memorati Concilii Sanctionem ad effectum perduxit, fuit Divus Carolus Borromæus Archiepiſcopus Mediolanenſis, & adeo quidem appoſita ad Clericos bonis moribus, ac diſciplinis imbuendos ratione, adeoque ſapientibus pro recta Seminariorum gubernatione legibus conditis, ut in hoc etiam de Univerſa Eccleſia optime miritus dicendus ſit, cum plurimi inde ſumpſerint exemplum, quod publico, uberrimoque cum fructu imitarentur.

Inter ceteros vero Antiſtites qui glorioſi illius Archiepiſcopi veſtigia ſunt perſecuti, maxime enituit Cardinalis Vincentius Maria Urſinus, quem modo ſummum Catholicæ Eccleſiæ moderatorem veneramur. Is enim Sypontinæ Metropolitanæ Eccleſiæ gubernaculis admotus cum ejus Seminarium inveniſſet jam pridem Turcarum incurſione anno 1620. vaſtatum, funditusque everſum, nihil habuit antiquius, quam ut illud redintegraret, idoneiſque proventibus inſtrueret, multo etiam ære ſuo in eam cauſam collato, id, quod honorificentiſſimis, ut parerat, verbis laudavit ſub annum 1679. Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium negotiis præpoſita. Deinde vero ad aliam Archiepiſcopalem Sedem Beneventanam translatus pari pietate, ac liberalitate Seminarii ædes horribili terræmotu bis quaſſatas proſtrataſque longe magnificentius reſtauravit, illudque ſaluberrimis Conſtitutionibus, & documentis firmavit, ac opimis largitionibus auxit, quorum monumenta extant in Synodorum Beneventanorum Volumine; Cumque Tuſculanæ quoque poſtmodum regimen Eccleſiæ ſuſcepiſſet, Seminarium numero, & loco perangustum, & amplificari juſſit, & augeri, adjunctiſque Collegio Patrum Societatis Jeſu novis ædibus, Alumnos, Convictoreſque ſub eorum diſciplina, bonis moribus, & litteris voluit informari.

Ex his ſane, quę fecit Archiepiſcopus de Seminariis Eccleſiarum, quibus præfuit, certam capere licuit conjecturam ſolicitudinis, & Curæ, quam Pontifex Maximus de omnium Eccleſiarum Seminariis eſſet ſuſcepturus. Et expectationi quidem cumulate reſpondit eventus. Nam in Romano Concilio ſuperiore anno habito Sanctitas ſua non ſolum plura edixit monita bene gerendæ hujuſmodi Collegiorum adminiſtrationi conſentanea, verum etiam peculiarem Conſtitutionem promulgavit in ejuſdem Concilii appendice relatam, qua omnibus Præſulibus Eccleſiarum in Italia, Inſuliſque adjacentibus exiſtentium juſſit, omni cunctatione abjecta inſtitui Seminaria, ſicubi hactenus non eſſent, nec non ſuſtentationi Collegiorum, ſive inſtitutorum, ſive inſtituendorum congruen-

tia



tia ſubſidia comparari, facta quoque ad id facultate imponendi augendique Taxam ſuper omnibus Beneficiis, quibus etiam fruerentur perſonæ exemptioni ante hac aſſuetæ, itemque, ubi opus fuerit, & quatenus Taxa non ſufficeret, uniendi iiſdem Seminariis Beneficia ſimplicia, etiam quomodocumque affecta, & diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervata, quemadmodum fuſius in memorata Conſtitutione habetur.

Cum vero ibidem quoque Sanctiſſimus D. N. peculiarem Congregationem inſtituerit, quam voluit præeſſe iſtiuſmodi Seminariorum negotio, hæc, ut mandato ſibi muneri ſatisfacere aggrediatut, Amplitudinis Tuæ, itemque aliis prædictorum Locorum Ordinariis per has Litteras, Sanctitate ſua annuente ſcriptas ſignificandum duxit, quid facto opus eſſet.

Primum igitur renunciabit Amplitudo Tua num in iſta Diœceſi Seminarium Clericorum fuerit hactenus inſtitutum, quod ſi non fuerit, commodiorem pro ſuo Judicio illius inſtituendi rationem indicabit, referetque etiam, tum quot ſint annui proventus Menſæ Epiſcopalis, Canonicatuum, aliorumque Beneficiorum totius Diœceſeos, tum vero an ulla ſint Beneficia ſimplicia, quæ Seminario fundando adſcribi unione perpetua poſſint, vel etiam an in aliqua Confraternitate, aut Loco pio redditus annui redundent, poſtquam oneribus, quæ ipſis inhærent, ſatisfactum fuerit, & demum an in Eccleſia Metropolitana, cui tamquam Suffraganeus ſubſit, commodum inveniatur Seminarium, ut cum Archiepiſcopo agi poſſit, ut aliquos ſuæ Diœceſis Alumnos ad illud admittat.

Si autem extat Seminarium, partes tuæ erunt, memoratam Sacr. Congregationem de iis, quæ ſubjicientur, diligenter certiorem reddere. I. Videlicet an ejuſdem Seminarii ædes tales ſiut, ut in iis convenienter habitare Alumni & præceptores poſſint. II. Quot ibi commorentur Adoleſcentes, quotve Præceptores, aliique Miniſtri. III. Quot ſint Clerici, qui ob egeſtatem ſuam gratuito alantur, quotque alii, qui quotidiani victus pretium de ſuo reſpondeant. IV. An numerus Adoleſcentum, qui in Seminario nunc educantur ſatis reſpondeat neceſſitati totius Diœceſeos, vel ſi impar ſit, quot præterea addendi videantur. V. An certæ leges pro Seminarii gubernatione conditæ jam fuerint eæque accurate ſerventur. VI. An Alumni pias illlas exercitaciones obeant, iiſque bonis artibus ediſcendis dent operam, quæ præſcriptæ ſunt a Sacro Conci. Trid. *ſeſſ.* 23 *c.* 18. *de reformat.* VII. An Seminarium idoneis proventibus ſit inſtructum, & quænam ſit annua eorum quantitas. VIII. Num ab Amplitudine, vel a Prædeceſſoribus tuis unita Seminario fuerint ulla Beneficia ſimplicia, vel bona parvorum Cœnobiorum ſuppreſſorum. IX. An Seminarii commodo, impoſita jam fuerit ſuper Beneficiis, aliiſque Eccleſiaſticis redditibus iſtius Diœceſos Taxa ulla, vel quanta; & ad quam Normam conſtituta. An hujuſmodi contributio re ipſa diligenterque perſolvatur a Menſa Epiſcopali, ceteriſque omnibus huic oneri obnoxiis. XI. An in iſta Diœceſi ulla ſint Beneficia ſimplicia, quorum unione ſuppleri valeat id, quod forte neceſſariæ ſuſtentationi Seminarii deſit, vel in ordinariis ejus proventibus, vel etiam in prædicta contributione. XII. An, quomodo exigatur quotannis a Seminarii Miniſtris ratio adminiſtrationis redditum ad illud pertinentium.

Quoniam, vero in citata Conſtitutione SS. D. N. præcipipitur, exactionem Taxæ, ubi hæc imponenda fuerit, mandari idoneo Viro deligendo ab Amplitudine Tua, & a Capitulo Cathedralis Eccleſiæ, communi quidem periculo, ſi ille Officii ſui partes haud impleverit, recte ſignificari quoque ſibi optat Sac. Congregat. quiſnam tali muneri idoneus iſtic exiſtimetur.

Denique, ut uberior haberi hic poſſit notitia omnium, quæ ad Seminaria Eccleſiaſtica ſpectant, Amplitudo Tua referre etiam non gravabitur, quonam anno, & a quonam Antiſtite Seminarium fuerit inſtitutum, vel quinam alii Præſules inſtitutionem ejus, vel amplificationem, opera aut ære ſuo juvaverint. Ad hæc quinam liberalium artium, Sacrarumque ſcientiarum Magiſtri, præ ceteris ibi floruerint, quive Alumni ſex eodem Seminario prodierint doctrinæ laude præſtantes, vel obitis ſubinde muneribus, partiſque dignitatibus præclari.

Una cum hac Epiſtola inſtructio ſuper Taxa Seminario ſolvenda da Amplitudinem Tuam tranſmittitur, cui ſe conformare debebit, & interea fauſta omnia a Deo Optimo Maximo precamur, Romæ hac die 30. Martii 1726.

Amplitudinis Tuæ &c.

*Inſtruzione ſopra la Taſſa da imporſi, o pagarſi per l'inſtituzione, e mantenimento reſpettivamente de Seminarj.*

1. OLtre la Conſtituzione fatta dalla Santità di Noſtro Signore Papa Benedetto XIII. ſopra l'erezione, e ſoſtentamento de'Seminarj per l'Italia, e l'Iſole Aggiacenti, ed oltre la Lettera circolare ſcritta ſopra la medeſima materia per Ordine della Santità Sua a tutti gli Ordinarj de'Luoghi predetti, ſi è ſtimato neceſſario fare la preſente Inſtruzione da mandarſi unitamente colla Lettera poc'anzi accennata a i predetti Ordinarj, e di regolarla colle riſoluzioni preſe altre volte dalla Sacra Congregazione del Concilio, ad effetto d' imporre a dovere la Taſſa, e di levare per quanto ſarà poſſibile ogni occaſione di lite, che poteſſe inſorgere nelle detta impoſizione, coll'avvertenza, che quanto ſi dirà nella preſente Inſtruzione, dovrà avere luogo tanto nel caſo, in cui non ſia ſtato eretto nella Dioceſi il Seminario, ma debba erigerſi, quanto nel caſo, in cui il medeſimo già ſia ſtato eretto, e debba mantenerſi, avendo altre volte la Sacra Congregazione del Concilio (*Sac. Cong. Conc. In Viſitationis SS. Lim.* 10. *Mar.* 1663 *lib.*23. *Decr. pag.*451. *& ſeq.*) riſoluto, che i rimedj preſcritti dal Sacro Concilio di Trento alla *ſeſſ.* 23. *cap.*18. *de reform.* per l'erezione de'Seminarj debbano ancora adropare per la loro conſervazione in tal maniera, che chiunque è obbligato a contribuire per l'erezione del Seminario, reſta altresì obbligato a contribuire per la conſervazione del medeſimo, dopo che è ſtato eretto.

2. E perchè il procedere con ordine, e diſtinzione ſembra la metodo più adattata, tanto per la Teorica, quanto per la Patrica quindi è che nella preſente Iſtruzione s'incominciarà a parlare dell'Obbligo dell'Ordinario circa la contribuzione, che deve fare al Seminario, per proſeguire dopo tutto ciò, che riſguarda l'obbligo degli altri inferiori.

## §. I.

*Dalla contribuzione, o ſia taſſa da pagarſi dall' Ordinario al ſuo Seminario,*

3. COſa certa ſi è, che la Menſa, o Patriarcale, o Arciveſcovile, o Veſcovile è obbligata a pagare la Contribuzione, o ſia la Taſſa al Seminario, derivando queſt' obbligo della Lettera del Sacro Concilio di Trento alla *ſeſſ.*23 *cap.*18. *de refor.* qual diſpoſizione Conciliare è rinovata nella Conſtituzione di Noſtro Signore Papa Benedetto XIII. al §. *Cum itaque Seminarii*.

4. In eſecuzione dunque non meno del Sacro Concilio, che della Conſtituzione di Noſtro Sign. dee ogni Ordinario attentamente riconoſcere a qual ſomma aſcendino l'annue entrate della ſua Menſa, ed iſtabilita la rendita dee obbligarſi a pagare, e con effetto pontualmente pagar ogni anno al Seminario, quella quota, che ogn'altro Beneficiato, e qualunque altra perſona obbligata a contribuire paga ogni anno al predetto Seminario, quale quota non deve eſſer meno del tre per cento, nè maggiore del cinque per cento dell'annua ſopradetta entrata, ſecondo ciò che altrove ſi accennerà, eſſendo la Contribuzione al Seminario un vero Debito, a cui gli Ordinarj, e gli altri, che hanno il peſo di pagare, ſono obligati tam in Foro Poli quam in Foro Fori, ed al quale pagamento in caſo di renitenza non ſi mancherà dalla Congregazione particolare deputata da Noſtro Signore ſu queſte materie d'aſtringer ſecondo i termini di giuſtizia.

5. Ed avvegnachè ſiano nate, e poſſino altresì naſcere alcune controverſie intorno alla liquidazione dell'annua entrata, o per le ſpeſe, che devono farſi per raccogliere i frutti, e l'entrare, o per altri obblighi fiſſi, che abbiano gli Ordinarj, o pure per le Penſioni, che ſono obbligati a pagare, ſi ſoggiunge che l'annua entrata regolativa della Contribuzione, o ſia Taſſa del Seminario, (*Sac. Conc. in Cong. Vlyxipponen. an.*1673. *lib.*1. *Decr. pag.*174. *a tergo & pag.*175.) è quella, che ſopravanza, detratte le ſole ſpeſe neceſſarie per la percezione de'frutti, che parimente per fiſſare l' annua entrata, ſi deono dedurre quegli obblighi ſoli, che ſono ſtati impoſti avanti il Sacro Concilio di Trento, e che finalmente in ciò, che riſguarda le Penſioni o fiſſe, o vitalizie, dee l'Ordinario (*Conc. Trid. ſeſſ.*23. *c.*18. *de refor.*) pagare non ſolamente la quota corriſpondente alla ſua annua entrata, ma altresì la quota appartenente al Penſionario ritenendoſi al pagamento della

Penſio-

Penſione ciò, che avrà per eſſo pagato al Seminario, nel caſo però, in cui il Penſionario nell'impoſizione della Penſione non foſſe ſtato con amplo, e litterale privilegio eſentato dal Papa dal contribuire al Seminario. Imperocchè in queſto caſo l'Ordinario ſarebbe obbligato (*Sac. cong. in Forolivien. 16. Jul. 1661. lib. 22. Decr. pag. 584. a tergo & pag. 585.*) a pagare per eſſo, e non potrebbe nel pagamento dell'annua Penſione ritenerſi ciò, che ha pagato per eſſo. Il che però, non può ſuccedere, nè ſuccederà oggidì non ſolo per ciò, che è ſtato ſtabilito dalla Santità di Noſtro Signore nella ſua Conſtituzione, come diraſſi più a baſſo, ma ancora per avere con molta maturità la Sacra Congregazione del Concilio (*S. Cong. Conc. in Romano Contributionis Seminarii 3. Feb. 1646. lib. 18. Decr. fol. 20. a tergo, in ſpoletana die 30. Sept. 1710.*) altre volte determinato, che non ſono eſenti dalla Taſſa del Semirio per i Benefizj, e le Penſioni che hanno, ſe non quelle perſone, che ſono eccettuate nel Sagro Concilio di Trento, e che però ſono tenuti al pagamento gli Eminentiſſimi Signori Cardinali ancorchè Camerali, li Prelati, e li Famigliari del Papa, nè ſuffragare a queſti verun privilegio d'eſenzione, ſe in eſſo non ſi fa una ſpeciale, ed individua deroga al Sagro Concilio, ed un'eſpreſſa menzione del pagamento, che facevaſi al Seminario da i predetti Benefizj, e Penſioni, avanti che i Benefizj foſſero ſtati conferiti, e le Penſioni foſſero ſtate aſſegnate a i predetti Perſonaggi.

6. Aggiungendo che il detto ſin'ora riſpetto alle ſpeſe per la Collezione de' frutti, per gli obblighi, e per i pagamenti per i Penſionarj, procede non ſolo per gli Ordinarj, ma ancora per i Beneſiziati, ed ogn'altra perſona obbligata alla più volte nomitata Taſſa del Seminario.

## §. II.

*Della Contribuzione o ſia Taſſa da pagarſi da Capitoli della Metropolitana, o Cattedrale, e Collegiata della Diœceſi al Seminario della medeſima.*

7. SOno i predetti Capitoli, Dignità, e Canonici tenuti al pagamento della Contribuzione, o ſia Taſſa del Seminario, come ſi deduce dal Sagro Concilio di Trento alla citata *ſeſſ. 23. cap. 18. de reform.* e nel liquidare l'annue entrate, ad effetto di regolare la Taſſa, dovranno oſſervarſi (*Sac. Cong. Conc. in Panormitana anni 1585. pag. 73. a tergo, in Salernitana anni 1589. in reſponſ. ad 4. lib. 6. Decret. p. 22. a tergo, in Avellina 15. Jun. 1601. lib. 9. Dec. p. 120. in Eugubina 1. Decemb. 1605. lib. 10. Dec. p. 140. in Sab. 23. Jun. 1640. lib. 16. Dec. in reſponſ. ad 1. p. 394. & 395.*) le regole poc'anzi accennate, ed in oltre la ſeguente, ed è di non valutare nell'annua entrata ciò, che ſi dà a chi interviene a Divini Offizj a titolo di diſtribuzioni quotidiane, eſſendo queſte eſenti dal pagamento al Seminario in tal maniera, che ſe i Canonicati non hanno Prebenda, e ſe tutta l'entrata conſiſte nelle Diſtribuzioni, non ſi devono queſti Canonici aſtringere al pagamento a proporzione di tutta l'entrata, ma di due delle tre parti della medeſima, facendo in queſto caſo le dette due parti la figura di prebenda, e la terza delle Diſtribuzioni ſecondo la vera intelligenza delle riſoluzioni della Sacra Congregatione del Concilio.

8. E nel caſo, in cui foſſero ſtati uniti al Capitolo, o alle Prebende alcuni Benefizj, acciò colle rendite di queſti ſi conſtituiſſero le diſtribuzioni quotidiane a proporzione dell'annue entrate de' Benefizj uniti, il Capitolo, o i Prebendati ſarebbero obbligati al pagamento della Taſſa al Seminario, come pure più volte è ſtato riſoluto dalla Sagra Congregazione del Concilio. (*Sac. Congregat. in Narnien. contributionis ſeminarii 2. April. & 30. Maii 1661. pag. 483. & 526. libr. 22. Dec. & in Lucana 29. Januar. 1686. lib. 35. Dec. pag. 13. a tergo.*)

9. E per terminare ciò, che riſguarda i Capitoli, ſi ſoggiunge, che regolare la Taſſa non ſi dovranno calcolare i Legati Pii delle Meſſe, che ad eſſi ſiano ſtati laſciati, ſiccome nè meno l'elemoſine, che ſi fanno alle loro Sagreſtie, ma ſolamente le rendite fiſſe, e ſtabili d'eſſe, ancorchè le medeſime provegnano da Legati pii giuſta la riſoluzione della Sagra Congregazione del Concilio. (*Sac. Cong. Conc. in cit. Sabinenſ. 23. Jun. 1640. lib. 16. Decr. pag. 394. & 395. in reſponſ. ad primum.*)

## §. III.

*Della Contribuzione, o ſia Taſſa da pagare al Seminario della Dioceſi da qualunque Benefiziato, o con cura d'anime, o ſenza cura d'Anime.*

10. SOno i benefizj curati obbligati alla contribuzione del Seminario (*Sac. Cong. in Nicien. 28. Nov. 1676. libr. 29. Dec. pag. 312. & a tergo*) eſſendo generaliſſime le parole del Concilio di Trento nella più volte citata *ſeſſ. 23. cap. 18. de refor.* e dovendoſi conſiderare, che ſono ſtati principalmente inſtituiti i Seminarj per allevare i Chierici, ed abilitarli alla cura dell'Anime, nè poſſono i Parrochi pretendere eſenzione per il motivo, che l'annua rendita della Parrocchia non eccede la congrua de i cento Scudi, conforme ha altre volte riſoluto la Sacra Congregazione del Concilio, e proſeguendo il diſcorſo de' Benefizj curati, o ſiano Parrochiali fa di meſtieri l'avvertire, che la Taſſa dee cadere ſopra l'annua fiſſa entrata delle medeſime, e ſopra ancora quei proventi, che ſi dicono *certis de incertis*, ma non ſopra le rendite totalmente incerte ſecondo un'altra riſoluzione della Sagra Congregazione del Concilio. (*Sac. Cong. in Panorm. de menſe Octob. 1587. lib. 5. Decr. pag. 23. & a tergo.*)

11. Paſſando agli altri Benefizj, devono i medeſimi contribuire al Seminario, ancorche ſieno di Juſpadronato, come ſi legge nel Sagro Conc. di Trento, ed ancorchè la nomina loro apparteneſſe a qualunque perſona, benchè degna di ſpecialiſſima menzione, conforme è ſtato riſoluto dalla Sagra Congregazione del Concilio (*Sac. Congregat. in Civitatis Reg. menſe Feb. 1486. lib. 4. Decr. p. 11. & in Meſſan. menſe Feb. 1588. lib. 5. Dec. p. 96. a tergo*) Nè poſſano i Benefizj Secolari pretendere d'eſſere eſenti dalla Taſſa del Seminario, ancorchè la nomina, e l'iſtituzione appartenga a qualche Religione, o Monaſtero, come ſi deduce da una riſoluzione della Sacra Congregazione del Concilio (*Sac. Cong. Concil. in Caputaquen. de menſe Jul. 1586. lib. 4. Dec. in reſp. ad 1. p. 159. & ſeq.*) e ritrovandoſi alcuni Benefizj, che ricuſano di pagare al Seminario per l'incertezza a qual Seminario debbano pagare, eſſendo il titolo del Benefizio in una Dioceſi, ed in Beni in un'altra, ſembra a propoſito il ſoggiungere, che la regola iſtabilita dalla Sacra Congregazione del Concilio (*Sac. Cong. in Lunen. Sarzan. 19. Febr. 1604. lib. 10. Decr. p. 74. a tergo*) ſi è, che il pagamento ſi faccia al Seminario di quel luogo, in cui è la Chieſa, o il Titolo del Benefizio ancorchè i Beni appartenenti al medeſimo ſiano in un'altra Dioceſi, eccettuando il caſo, in cui in queſta ſeconda Dioceſi vi foſſe una qualche Chieſa, che foſſe come membro del Titolo del Benefizio, poichè in queſte Circoſtanze ſi dovrebbe a proporzione dell'annua entrata pagare il Seminario di quella Dioceſi, in cui ſono ſituati i beni, ed è ſituata la predetta Chieſa, purchè queſta Chieſa foſſe ſtata fabbricata avanti l'acquiſto de' beni. (*Sac. Cong. Concil. anno 1573. lib. 1. Decret. pag. 23. a tergo, & in Melphen. eodem anno lib. 1. Decret. pag. 190. & a terg.*) in tal maniera, che ſe prima foſſero ſtati uniti i beni, ed applicati al Titolo del benefizio ſituato nell'altra Dioceſi, e dappoi foſſe ſtata fabbricata la Chieſa, non dovrebbe il pagamento farſi al Seminario del Veſcovo, in cui è ſituata la Chieſa, e ſono ſituati i beni, ma al Seminario dell'altra Dioceſi, in cui è ſituato il Titolo del Benefizio.

12. Finalmente tutti, e ſingoli Benefizj, o Secolari, o Regolari generalmente parlando ſono tenuti al pagamento della Taſſa, ancorchè ſiano poſſeduti o dagli Eminentiſſimi Signori Cardinali, o da i Famigliari dello ſteſſo Romano Pontefice, o da i Chierici della Rev. Camera Appoſtolica, o da qualſivoglia altro Miniſtro, o Offiziale, e ciò, parlando de i Benefizj, che hanno avuto fino ad ora, e degli altri, che poſſono avere in avvenire, o eſſi, o gli altri, che ne' tempi futuri ſaranno promoſſi alle ſopradette Dignità, Uffizj, ed impieghi, come chiaramente ſi ſtabiliſce nella Conſtituzione di Noſtro Signore §. *Cum itaque Seminarii*, e le Cappellanie devono contribuire al Seminario, ſe ſono perpetue, e ſe ſi conferiſcono in Titulum, ma non già quando ſono amovibili. *Sac. Cong. Conc. in Sabinen. 21. Jun. 1640. in reſponſ. ad 2. lib. 16. Decr. p. 394. a tergo & p. 395.*

§. IV.



## §. IV.

*Della Contribuzione, o ſia Taſſa da pagarſi al Seminario da i Regolari, e dalle Monache.*

13. La Taſſa pel Seminario deve pagarſi da i Regolari, e da eſſa ſecondo la Conſtituzione di Noſtro Signore, ſono eſenti i Regolari per quei Benefizj ſolamente, e frutti ſopra i quali la Sede Appoſtolica ha ad eſſi conceduta l'eſenzione dalla Taſſa del Seminario chiaramente, ed eſpreſſamente, e per una cauſa veremente, e propriamente oneroſa, e nel liquidar la Taſſa, s'oſſerverà, quanto di ſopra s'è detto.

14. Riſpetto a i Religioſi di Malta, ſe qualcheduno di loro aveſſe qualche Benefizio Eccleſiaſtico, che non apparteneſſe alla Religione, dovrà queſti pagare per il detto Benefizio la Taſſa al Seminario, come fu riſoluto alla Sagra Congregazione del Concilio. (*S. Cong. Conc. in Bracaren. anni 1573. lib. 1. Dec p. 41. a tergo & p. 42.*) e parimente ſe a' Priorati, Commende, Baliaggj del predetto Ordine di Malta ſaranno ſtati uniti, o ſi uniranno Benefizj Secolari, dovranno i Religioſi di Malta contribuire ad ratam dell'annua entrata di queſti al Seminario, com'è ſtabilito da Noſtro Signore nella ſua Conſtitutizione al luogo citato. E perchè il Sagro Concilio di Trento eccettua dalla Contribuzione quei Collegj, ne' quali s'inſegna, e ſi promovono i ſtudj per il comun bene della Chieſa, dal che è derivato, che qualche volta i Regolari hanno preteſo di non dover contribuire a i Seminarj anche per i Benefizj uniti a qualche loro Collegio, in cui ſi promovono detti ſtudj, la Sacra Congregazione del Concilio; *Sac. Con. Conc. in Velitern. Taxæ Seminarii 24. April. & 31. Jul. 1703.*) ha dichiarato, che la predetta eſenzione ha luogo ne' Collegj de' Secolari, e non de' Regolari, e quando ſi è trattato di Religioſi, che hanno preteſo d'eſſerne eſenti per il motivo d'inſegnar la Gramatica, ed i Caſi di coſcienza tanto a i ſuoi Religioſi, quanto ad altre perſone, che andavano alle loro Scuole, la Sacra Congregazione) *S. Congr. Conc. in Bracaren. anni 1573. lib. 1. Decret. p. 41. a tergo & 43.*) ha dichiarato doverſi detrare la ſpeſa, che fanno per i Salarj de' Lettori, e che fatta la detta detrazione, paghino ſopra il reſto la Taſſa al Seminario.

15 Subentrano le Moneche, che pure ſono tenute alla Contribuzione, o ſia Taſſa per il Seminario a proporzione dell'entrate, che hanno, ed oſſervata nella liquidazione dell'entrate la Regola pure eſpoſta di ſopra, dovendo eſſe riflettere, che ſe non vi foſſero i Seminarj, non avrebbero Confeſſori, e Direttori idonei per l'Anime loro, e però è regola generale, che i Beni poſſeduti dalle Monache, per i quali pagano gli altri peſi Eccleſiaſtici, non ſiano immuni dalla Contribuzione del Seminario (*Sac. Cong. Conc. in Caputaquen. 1589. in reſponſ. ad 5. lib. 4. Dec. p. 159. & ſeqq.*) ſe non hanno un Titolo ſpecialiſſimo d'eſenzione dal detto pagamento, ed avvegnachè più volte ſucceda, che dalle Monache s'allega il titolo della povertà per eſentarſi dal pagamento, ſembra neceſſario l'avvertire, che il Titolo della povertà ſuffraga a quelle Monache (*Sac. Cong. in Catanien. 20. Martii 1595. lib. 9. Dec. p. 9.*) che non hanno entrate, e che vivono di pure elemoſine, o pure a quelle Monache, che benche poſſiedino alcuni beni deſcritti, e taſſati nel libro delle Decime, & altri peſi Eccleſiaſtici; ſono però ſtate eſentate dal pagamento delle predette Decime, e peſi per il Titolo della loro povertà, come altre volte ha riſoluto la Sagra Congregatione del Concilio. (*Sac. Cong. Conc. in Patavina 1573. liber. 1. Dec. pag. 97. a tergo, & in Avenionen. 22. Aug. 1609. liber. 12. Dec. p. 73 a tergo & 74.*)

## §. V.

*Della Contribuzione, o ſia Taſſa da pagarſi dagli Oſpedali, Confraternite, Fabbriche delle Chieſe, Monti di Pietà, e Legati Pii.*

16. Secondo il Sagro Concilio di Trento alla più volte citata *ſeſſ. 23. cap. 18. de reform.* quegli Oſpedali, che ſi danno in Titolo, o amminiſtrazione, devono pagar la Taſſa, o ſia Contribuzione al Seminario, dal che deriva, che ſono eſenti da queſto pagamento gli Oſpedali puramente Laicali, (*Sac. Congregat. Concil. in Gravinen. 23. Jun. 1594. lib. 8. Decret. pag. 43.*) che non ſi danno per conſequenza, nè in Titolo, nè in amminiſtrazione, come ha altre volte riſoluto la Sacra Congregazione del Concilio, ſe per accidente non foſſero ſtati uniti a queſti Oſpedali alcuni Benefizj; mentre ad ratam de' frutti di queſti dovrebbero li predetti Oſpedali pagare al Seminario, (*Sac. Congregat. Concil. in Meſſanen. 2. Aug. 1696. in reſp. ad 5. lib. 8. Decr. pag. 183. a tergo.*)



17. Circa le Confraternitate de Laici erette coll'autorità ordinaria anche nelle Chieſe de' Regolari, ſono eſſe obligate (*S. Cong. Conc. in Lucana 13. Maii 1628. in reſp. ad 4. & 5. lib. 13. Decr. p. 452. a tergo*) al pagamento della Taſſa, ſe han Benefizj uniti, o non avendo, abbino fondi certi, Capitali, e Legati, devono pagar la Taſſa a proporzione ancora dei frutti, e delle rendite dei detti fondi, Capitali, e Legati con avvertenza, che nella Taſſa non ſi devono comprendere quell'altre rendite, che ricavano de certe quote pecuniarie, che ſi pagano da i Confratelli ogni meſe, o ogni anno, o per titolo d'elemoſina, o in ſequela de' Statuti, come ha determinato Noſtro Signore nella ſua Conſtituzione §. *Cum itaque Seminarii*.

18. Le Fabbriche delle Chieſe, che hanno i loro aſſegnamenti, le Decime, che per qualſiſia capo ſono venute in mano de' Laici, e delle quali ſi vogliono pagare gli altri ſuſſidj Eccleſiaſtici, giuſta il Sagro Concilio di Trento al luogo più volte citato, non poſſono eſſentarſi dal pagamento a fover del Seminario, il che pure ha luogo riſpetto a' Monti di Pietà (*Sac. Cong. Conc. in Meſſanen. 2. Aug. 1596. l. 8. Dec. pag. 185. a tergo*) ſe ad eſſi ſaranno uniti i Benefizj, poichè queſti Monti di Pietà ſaranno obbligati a pagare in vigore de' Benefizj uniti.

19. Reſterebbe il dire qualche coſa circa la quantità della Taſſa, ma parlando di queſta, altro non occorre ſoggiungere, ſe non che ſecondo la Conſtituzione di Noſt. Sig. ella non può eſſer meno del tre, nè più del cinque per cento, e che ſin tanto, che dalla Congregazione deputata da Sua Beatitudine non ſarà approvata la nova Taſſa, ſi paghi pontualmente la Taſſa, che ſi è per lo paſſato pagata al Seminario, il pagamento della qual Taſſa non può eſſere in veruna maniera ritardato da qualunque Inibizione, che ſi ſpediſca da qualſiſia Tribunale, come ha altre volte riſpoſto la Sacra Congregazione del Concilio (*Sacr. Cong. Conc. in Sabinen. 2. Jul. 1650. lib. 19. Decr. pag. 63. a tergo & 64. & in Interamnen. Taxæ Seminarii 11. Maii 1720.* ed acciò per bene imporre la Taſſa ſi cammini colla maggior poſſibile ſicurezza, dovrà ciaſcun Ordinario imporre a tutti quelli, che ſono obbligati al pagamento d'eſſa l'eſibire nella ſua Cancellaria dentro un termine conveniente la notula giurata dell'annue rendite, che detratte le ſpeſe, come ſi è detto di ſopra, ricavano da' Benefizj o Beni da loro poſſeduti, & obbligati alla predetta Taſſa, come per appunto ſi tratta nell'eſazione delle Decime Papali.

20. Aggiungendoſi per compimento di queſta Inſtruzione, che eſſa è ſtata letta, conſiderata, e corretta dalla Santità medema di Noſtro Sig., quale ha comandato, che ſi ſtampi, e ſi traſmetta, come ſi fa, ad ogni Ordinario.

### *Additio ex Auctore.*

Seminaria Clericorum debent inſtitui, ubi adhuc non ſunt, 182
& augeri ubi opus fuerit, & ab Epiſcopis ſæpe viſitari, ſingulorum adoleſcentium vitam, indolem, & in ſtudiis profectum explorando, Magiſtros idoneos, viroſque Eccleſiaſtico ſpiritu præditos ad eorum culturam deſtinando, litterarias ipſorum exercitationes, ſive Eccleſiaſticas functiones quandoque præſentia ſua decorando, aliqua demum Beneficia iis, qui virtutum ſuarum ſpeciem clarius præſtiterint, majoremque laudem retulerint conferendo. Sic expreſſe Bened. XIV. tom. 1. Conſtit. 2. incip. *ubi primum*.

Hic juvat afferre aliqua ad rem edita a Sacra Congregatio- 183
ne Concilii Decreta erudite congeſta ab Eminentiſſimo Cardinali Cavalchino, dum erat Secretarius ejuſdem Congregationis, *in Tricarien. Adminiſtrationis Seminarii* apud tom. 7.
Theſauri Reſolutionum Sacr. Congregat. Concil. ibi: In 184
Oſcen. propoſita ſub Menſem Octobris 1585. ita habetur: Alias nacra Congregatio ad interpretationem Decreti cap. 18. ſeſſ. 23. cenſuit, Epiſcopum Oſcen. cum conſilio Deputatorum teneri tam circa inſtitutionem, Diſciplinam, & mores

Clericorum, quam circa temporalium rerum adminiſtrationem providere, ſufficere tamen, quod Epiſcopus hujuſmodi conſilium requirat, eorumque conſilio adhibito, poſſe Epiſcopum ſtatuere, & deliberare, quæ pro prudentia ſua magis expedire judicaverit, exactionem vero quæ fit pro Seminario, ad ſolum Epiſcopum pertinere. Dubitatur modo, mortuo Epiſcopo, & in Sede vacante, ad quem pertineat erectio & adminiſtratio dicti Seminarii, & videtur, quod pertineat ad Capitulum, quia, Sede vacante, Capitulum fungitur vice Epiſcopi, tam in Spiritualibus, quam in temporalibus; cap. penult. & ult. de ſupplen. neglig. Prælat. in 6. & c. Is, cui, de elect. in 6. -- Sacra Congregatio cenſuit, pertinere ad Capitulum -- ut in lib. 4. Decr. pag. 84.

185 In Curien. anno 1594. editum fuit hoc Reſcriptum: Sacra Congregatio cenſuit, omnes quatuor Deputatos adhibendos eſſe in conſilio in tota temporali adminiſtratione Seminarii, præterquam in exactione, quæ ad ſolum Epiſcopum ſpectat, ut in lib. 8. Decr. pag. 65. & conſonat Reſolutio, quæ prodiit in Nullius, ſub annum 1595. hiſce verbis -- Sacra Congregatio cenſuit, omnes quatuor Deputatos, de quibus agitur in cap. 18. ſeſſ. 23. verſ. Et quia, adhibendos eſſe in conſilio in adminiſtratione rerum ipſius Seminarii, præterquam in compulſione ad portionem Seminario debitam, cujus facultas ad ſolum Epiſcopum ſpectat, ut in lib. 8. Decret. pag. 97.

186 In Salernitana propoſitis ad petitionem Capituli Cathedralis inter cætera hiſce dubiis:

I. *An duo Canonici electi ab Archiepiſcopo ad conſtituendam educationem puerorum Seminarii poſſint pro libito Archiepiſcopi mutari?*

II. *An eorum conſilium adhibendum, tam in conſtituendis regulis univerſalibus Seminarii, quam in electione ſingulorum puerorum introducendorum, electione Magiſtrorum, librorum legendorum, Confeſſoris proviſione, dyſcolorum expulſione, viſitatione, & ſimilibus?*

III. *An alii quatuor ſint deputandi, & deputati adhibendi ſint in conſilio tantummodo in taxatione, contributione fructuum ex unione Beneficiorum, & in aliis difficultatibus, ob quas Seminarii inſtructio, vel conſervatio impediretur, aut perturbaretur; an etiam in exactione, & temporalium adminiſtratione tam d. Seminarii, ut puta, deputatione, vel expulſione Miniſtrorum, & famulorum temporalium, expenſis quotidianis proviſionis bladorum, quam etiam Bonorum quorumcumque, & redditum ipſius Seminarii etiam ex Beneficiis unitis, ut puta locationibus, conceſſionibus, aliiſque contractibus, & litibus?*

IV. *An hi quatuor deputati ſint perpetui, vel etiam amovibiles, ſervata tamen ratione Concilii in eorum electione, & dicta electio ſpectet ad Capitulum?* Reſponſum fuit: *Ad I. non poſſe amoveri, niſi ex legitima cauſa. Ad* II. *in omnibus his eſſe adhibendos. Ad* III. *teneri Epiſcopum adhibere Deputatorum conſilium tam circa inſtitutionem, diſciplinam, & mores quam temporalium rerum adminiſtrationem. Ad* IV. *eſſe perpetuos*: ut in lib. 6. Decr. pag. 32. & ſequent.

187 In Papien. 5. Julii 1591. *eadem Sacra Congregatio cenſuit, Canonicos ab Epiſcopo electos ad Seminarii adminiſtrationem ad præſcriptum* cap. 18. ſeſſ. 23. verſ. Quæ omnia, *eſſe perpetuos, nec poſſe amoveri, niſi ex juſta, & legitima cauſa*;
188 ut in lib. 7. Decret. pag. 14. & in Sarzan. 25. Junii 1639. reſcripſit, *Oratorem ab Epiſcopo electum ad Seminarii adminiſtrationem juxta præſcriptum Sacri Concilii* cap. 18. ſeſſ. 23. verſ. Quæ omnia, *non poſſe amoveri, niſi ex juſta, & legitima cauſa*, ut in lib. 16. Decret. pag. 221.

189 In Fundana denique Deputationis Officialium Seminarii, inter cætera fuerunt diſcuſſa duo hæc dubia.

I. An Epiſcopus potuerit, & poſſit deputare Rectorem, alioſque Officiales Seminarii abſque conſilio Deputatorum a Capitulo?

II. An Epiſcopus in reviſione, & ſolidatione computorum dicti Rectoris debuerit ſequi conſilium eorumdem deputatorum?

Die vero 26. Martii 1689. reſponſum fuit: *Ad* I. *negative. Ad* II. *teneri adhibere conſilium, ſed non ſequi*, ut in lib. 39. Decr. pag. 129. & ſequent.

Et in dicta Tricaricen. Adminiſtrationis Seminarii 24. 190
Martii 1736. ad ſequentia dubia.

I. An adminiſtratio oeconomica Seminarii exerceri debeat per Epiſcopum, vel potius per Deputatos?

II. An conſtet de ſufficienti redditione rationis adminiſtrationis exercitæ per Deputatos Seminarii?

III. An ſit locus remotioni Canonici Filiucci Deputati Seminarii in caſu &c.?

Eadem Sacra Congregat. Concil. Reſpondit: *Ad* I. *adminiſtrationem competere Epiſcopo cum conſilio Deputatorum, præterquam in exactione, quæ ſpectet ad ſolum Epiſcopum. Ad* II. *negative, & Epiſcopus procedat prout de jure contra Debitores. Ad* III. *Affirmative.*

Seminarii Rectorem eſſe ab Epiſcopo conſtituendum, cum 191
Deputatorum conſilio, juxta allata Decreta, limitationem patitur, ut ſcite, & erudite tradit Benedictus XIV. *in Synodo Dioeceſana lib. 5. cap. 11. num. 9.* quoad Seminaria, quæ legitima auctoritate tradita ſunt Curæ, & regimini alicujus Ordinis Regularis ſub expreſſa conditione, ut ejuſdem Ordinis Prælato integrum ſit, quem maluerit, ſui Inſtituti Religioſum in Seminarii Rectorem eligere, & deputare, uti patet de Seminario Romæ, quod Pius IV. commiſit Curæ, & Regimini PP. Societatis Jeſu, ut legitur in Bulla 134. Urbani VIII. §. 4. *Bullar. tom.* 5. ibi: *ipſumque Seminarium ſic erectum, & inſtitutum Curæ, & Regimini, & adminiſtrationi Præpoſiti Generalis, & Presbyterorum Societatis Jeſu, & ſui, ac Romani Pontificis pro tempore exiſtentis in dicta Urbe Vicarii in Spiritualibus Generalis tutelæ, patrocinio, & protectioni com-* 192
*miſit*. Et de Seminario Civitatis Conceptionis in America Meridionali commiſſo pariter Curæ, & regimini Patrum ejuſdem Societatis Jeſu ex facultate Sacræ Congregationis Concilii conceſſa ſub die 13. Junii 1722. in dicta Americana apud Theſaur. Reſolutionum *tom. 2. pag.* 191. ibi: *Pro facultate, ita tamen ut Alumni nominentur ab Epiſcopo, & Seminarium ſit ſub Patrocinio, protectione, & ſubjectione Epiſcopi*. Inſu- 193
per ſub iiſdem legibus alia quoque Epiſcoporum Seminaria aliorum Regularium gubernio reperiuntur commiſſa; Cura ſiquidem Seminariorum Civitatis Albani, & Senogalliæ tradita eſt Clericis Regularibus *Scholarum Piarum* nuncupatis; & ipſemet Benedictus Seminarii Bononienſis regimen dedit Clericis Regularibus Sancti Pauli vulgo *Barnabitis* non amoris quidem deputatis qui juxta Tridentini Sanctiones Seminarii diſciplinæ atque adminiſtrationi invigilant, ſed eorumdem auctoritate intra certos limites coercita. Hæc ille *loco citat. num. 9.*

Quibus adde Seminarium Civitatis Viglevanenſis legitima 194
auctoritate commiſſum Curæ Patrum Congregationis Somaſchæ, ut videre eſt *in Theſauro Reſolutionum Sacr. Congregat. Concil. tom. 9. fol. 90. & ſequent.* ubi propoſita, & reſoluta fuerunt ſequentia dubia.

I. An omnes Alumni ſint eligendi per Epiſcopum? Et quatenus negative?

II. An illi octo nominandi per Patrem Rectorem ejuſdem Seminarii indigeant examine, & approbatione Epiſcopi, ut admittantur in caſu &c.?

III. An exactio redditum aſſignatorum per alimonia Alumnorum ſpectet privative ad Epiſcopum, illorumque adminiſtratio ad eumdem Epiſcopum cum conſilio Deputatorum Seminarii, excluſo Rectore Seminarii? Et quatenus negative.

IV. An ſaltem adminiſtratio, & exactio facienda ſit per dictum Rectorem, cum participatione tamen, conſenſu, & mandato Epiſcopi pro tempore in caſu &c?

V. An PP. Somaſchenſes teneantur reddere rationem de adminiſtratis Epiſcopo cum aſſiſtentia Deputatorum Seminarii in caſu &c?

VI. An liceat Epiſcopo cum aſſiſtentia, ut ſupra, toties quoties voluerit viſitare Seminarium tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus in caſu &c?

VII. An idem, cum aſſiſtentia, ut ſupra, licitum ſit Capitulo, ſeu Vicario Capitulari, Sede vacante in caſu &c?

VIII. An Magiſtri miſſi a Congregatione Somaſchenſi ad ſervitium Seminarii, pro Grammatica, Rhetorica, & Caſibus Conſcientiæ debeant examinari, & approbari ab Epiſcopo in caſu &c?

An



IX. An hoc ipſum tempore Sedis Vacantis ſpectet ad Capitulum, ut ſupra in caſu &c?

X. An PP. Somaſchenſes teneantur reddere rationem de annuis libris 3256. pro toto tempore, quo in Seminario non fuerunt Alumni, & cui, ac quibus remediis cogi poſſint in caſu &c?

XI. An iidem teneantur reſtituere pro eodem tempore, quo Seminarium remanſit clauſum, proventus pro eorum manutentione, & ſalario aſſignatos in caſu &c?

XII. An PP. Somaſchenſibus, ultra præfixum numerum viginti Alumnorum liceat in Seminario recipere alios Convictores de aliena Diœceſi in caſu &c?

Sacra Congregatio die 13. Januarii 1714. diſtulit propoſitionem, die vero 27. ejuſdem menſis, & anni reſpondit: Ad I. *Negative*. Ad II. *Indigere approbatione Epiſcopi*. Ad III. *Negative*. Ad IV. *Affirmative*. Ad V. VI. VII. *Affirmative*. Ad VIII. *Negative*. Ad IX. *Negative*. Ad X. *Affirmative Epiſcopo, ac per eum cogi Juris remediis*. Ad XI. *Negative*. Ad XII. *Affirmative de licentia Epiſcopi, & amplius in omnibus*.

195 * Tenetur Epiſcopus providere ſibi conſilium duorum de Capitulo, quorum alter ab Epiſcopo, alter a Capitulo eligatur, item duorum de Clero Civitatis, quorum alterius electio ad Clerum ſpectat, quæ omnia ſunt *ex cap. 18. ſeſſ. 23.* Tridentini. His omnibus deputatis uti debet in adminiſtratione rerum Seminarii; ſicut etiam illi adhibendi ſunt circa inſtitutionem & diſciplinam ejuſdem Seminarii; quanquam Epiſcopus ita debet in his omnibus eorum conſilium audire, ut ſequi non teneatur; *de Synod. diœc. cap.* 2. ex pluribus Sacr. Congr. Decretis.

*Novæ Additiones ex aliena manu.*

1 DE exordio, & progreſſu Seminariorum, tum de optima eorum regiminis ratione, vide *Joannem de Joanne in Hiſtoria Seminariorum Clericalium*. Confer etiam *S. M. Benedictum XIV. de Synodo Dioeceſana lib. 5. cap. 11. per tot.*

2 Tria vero hic haud ſunt omittenda. Primum eſt, quod id quod dicitur Seminarii Rectorem eſſe conſtituendum ab Epiſcopo cum conſilio deputatorum, limitationem recipit quoad Seminaria, quæ *legitima auctoritate* tradita ſunt curæ, & regimini alicujus Ordinis Regularis, data Prælato ejuſdem Ordinis facultate eligendi quem maluerit ex ſuis Religioſis in Rectorem; *S. M. Benedictus XIV. de Synodo Dioeceſana lib. 5.*
3 *cap. 11. §. 9. Legitima* inquam *auctoritate*, ſcilicet Sacræ Congregationis Concilii interpretis, nam ab Epiſcopo propria auctoritate haud poteſt Seminarium tradi curæ, & regimini
4 alicujus Ordinis Regularis. Hinc Epiſcopus Civitatis Conceptionis in America Meridionali die 13. Junii 1722. hanc facultatem impetravit a mox dicta Sacr. Congregat. Vid. *ſupra num.* 192.

5 Alterum eſt, quod neceſſe haud habet Epiſcopus rationes redditum Seminarii accipere ab Adminiſtratoribus in Synodo, ut ſentiunt *Piaſec. in Prax. Epiſcopal. part. 1. cap. 2. articul. 1. num. 11. Barboſ. de offic. & poteſtat. Epiſcop. part. 3. alleg. 93. num.* 22. ſed poteſt etiam accipere extra Synodum, dummodo ad normam *Tridentini Concilii ſeſſ. 23. cap. 18. de Reformat.* accipiat præſentibus duobus a Capitulo, ac totidem a Clero Civitatis deputatis; *S. M. Benedictus XIV. de Synod. Dioeceſan. lib. 1. cap. 11. §. 4.* ubi ſolum limitat ſi conſuetudo Diœceſis ferat, ut rationes hæ accipiatur in Synodo.

6 Tertium demum eſt, quod ſi duæ Eccleſiæ Cathedrales æque principaliter unitæ ſint, non aliter Epiſcopus ſatisfaciat præcepto *Concilii Tridentini*, quam ſi in una itemque altera Eccleſia Cathedrali erigat Seminarium; idque quia verbum *Singulæ*, quo *Concilium Tridentinum* utitur diſtributive, refert diſpoſitionem Decreti ad unamquamque Eccleſiam Cathedralem, ita ut tot eſſe debeant Seminaria, quot ſunt Eccleſiæ Cathedrales; Conſule *Lanfredin. Reſponſ. Eccleſ. 46. fere per tot.* ubi etiam, & illud diſcutit, quando Seminarium dici queat erectum.

# SENTENTIA.

SEntentia dicitur a *ſentiendo*, eo quod Judex per eam quid 1
ſuper re propoſita ſentiat, declaret.

Unde Sententia eſt Judicialis deciſio rei controverſæ per pro- 2
nunciationem Judicis rite factam liti finem imponens. *Eſt in re Communis.*

Sententia eſt duplex, una definitiva, & altera Interlocutoria. 3
*Communis.*

Sententia definitiva eſt illa, quæ principalem cauſam, ſeu 4
controverſiam in Judicium deductam definit, eique finem imponit per abſolutionem, vel condemnationem. Sic deſumitur ex *l. 1. ff. de re judicata*, & eam ita definit Gloſſa *in Clementin. unic. verb. Definita, de ſequeſtr. poſſeſſ.* Abbas ad *Rubric. de Sentent. & re judicata num.* 4. Hoſtienſ. *in ſumma num.* 1. *de Sentent. & re judicata*, & alii paſſim.

Sententia Interlocutoria eſt illa, quæ non ſuper principali 5
cauſa, & controverſia, ſed ſuper aliquo emergente, vel incidente articulo inter principium, & finem cauſæ fertur, ut verb. grat. ſuper dilationibus dandis, vel Teſtibus producendis, recitandis, examinandis, repellendis, & ſimilibus rebus incidenter in Judicio ſe offerrentibus. Sic Gloſſa *loc. citat.*
Abbas, *l. citat.* Hoſtienſ. *l. citat.* & eſt *in re Communis*, & 6
dicitur *Interlocutoria*, vel quia Judex in iſta Sententia cauſam non definit, ſed interloquitur inter principium, & finem. Vel quia inter partes loquendo ſine ſolemnitate Scripturæ pronunciat, ut ex multis a ſe citatis tenet Fagnan. *in cap. Super eo, de appellat. num.* 39. Unde quiquid Judex decernit & ſtatuit inter principium, & finem litis conteſtatæ ante Sententiam definitivam pertinens ad ipſam litem conteſtatam; dicitur Sententia Interlocutoria. *Sic in re Communis Doctorum.*

Sententia interlocutoria ſubdividitur in mere interlocuto- 7
riam, & in interlocutoriam habentem vim Definitivæ. *Com-* 8
*munis*. Sententia mere interlocutoria eſt illa mox definita. 9
*Communis*. Sententia vero interlocutoria habens vim definitivæ eſt illa, quæ quidem cauſam principalem non definit, eam tamen ferme perimit, ut deducitur ex *leg. Poſt Sententiam 6. Codic. de Sententiis, & interlocutionibus omnium Judic.* ubi dicitur: *Nec cauſam ullam interlocutiones plerumque perimunt:* Dicitur enim notanter *plerumque*, quia interlocutio aliquando rem firme perimit, ut ex aliis notat Reiffenſtuel *lib. 2. Decretal. tit. 27. §. 1. num.* 17. Et proinde talis ſententia inter- 10
locutoria dicitur habere vim ſententiæ Definitivæ, ut eſt omnis illa ſententia, poſtquam non ſperatur alia ſententia ferenda in eadem inſtantia, eo quod ipſi finem imponat, ut ſententia abſolutoria ab obſervatione Judicii. Sic etiam ſententia per quam pronunciatur appellationem eſſe deſertam, quia per talem quoque ſententiam finitur inſtantia; Vel per quam alicui mulcta imponitur; Vel præcipitur aliquid eſſe dandum, aut faciendum; Vel per quam finitur Officium Judicis, ut ſi Judex interloquendo pronunciet ſe non eſſe Judicem competentem; Vel per quam definitur unus articulus ſubſtantialis controverſiæ principalis; Vel per quam admittitur, ſeu rejicitur exceptio peremptoria, & aliæ ſimiles, ut videri poſſunt apud Felinum *in Rubric. de ſentent., & re judicata*, Pirhing. *lib. 2. Decretal. tit.* 27. Reiffenſtuel *ibidem*, & alios paſſim.

Inter ſententiam definitivam, & mere interlocutoriam plu- 11
res dantur differentiæ. Et prima eſt, quod ſententia definitiva non poteſt fieri niſi ſervato ſubſtantiali ordine Judiciario, aliter eſt nulla. Interlocutoria autem poteſt fieri ſine ullo ſervato ordine Judiciario, cum de ſua natura petat ferri ſolum ſuper aliquo emergente, ſeu contingente articulo, circa quem interloquitur Judex, dum conficit proceſſum, ſervato ordine Judiciario quo ad ſententiam definitivam. Scaccia *tract. de Sentent. & re judicata*; *Gloſſ. 14. quæſt. 4. num.* 20. Maranta *part. 6. Speculi aurei tit. de Sententia num.* 31. Pirhing. *lib. 2. Decret. tit. 27. n. 1. verſ. Porro*, Reiffenſt. *ibidem n.* 28. & alii paſſim.

Secunda differentia eſt, quod Sententia definitiva non va- 12
let, niſi feratur in ſcriptis, & ex ſcripto recitetur, *leg. Statutis, 3. Cod. de ſententiis ex periculo recitandis, & cap. Ultim. de ſentent. & re judicata in 6.* Interlocutoria autem poteſt ferri ſine ſcriptis, quamvis poſtea debeat redigi in ſcriptis, ut appareat de ipſa ex Actis. Gloſſa *in citat. cap. ultim. verb. Definitiva, de ſentent. & re judicat. in 6.* & alia Gloſſa *in cap. Quoniam contra verb. Interlocutiones, de probationib.* Maranta

ranta *l. cit. n.*12. Pirhing *l. cit. n.*1. *verſ. Porro*, Reiffenſtuel *l. c. n.*29. & alii communiter.

13 Tertia differentia eſt, quod ſententia definitiva non poteſt ferri, niſi Judice pro Tribunali ſedente; *leg. Cum ſententiam 6. Cod. de ſententia & interlocution. omn. Judic.* & niſi partibus præſentibus, aut ſaltem legitime citatis, & contumaciter abſentibus, *leg. Ea quæ 7. & leg. Conſentaneum 8. Cod. Quomodo, & quando Judex &c.* Secus autem eſt dicendum de ſententia interlocutoria: Iſta enim poteſt proferri etiam parte abſente, ac per Nuncium, vel Epiſtolam; *leg. Diem proferre 27. ff. de Receptis arbitr.* ubi Bartolus *in Summario*, Gloſſ. *in leg. Nec quicquam, verb. Decretum, ff. de Offic. Proconſul.* Maranta *l. citat. num.* 1. Reiffenſtuel *l. citat. num.* 30. Franciſcus de Acceptantibus *tract. de Sententia definitiva, & interlocutoriæ n.*8. & 10. & alii.

14 Quarta differentia eſt, quod ſententia definitiva determinat controverſiam principalem deductam in Judicium, ut patet ex ejus Definitione tradita *ſupra num.*4. Unde debet continere abſolutionem, vel condemnationem, aliter non valet, *leg. Res judicata* 1. *& leg. Præſes 27. ff. de re judicata*; Scaccia *l. citat. num.* 1. Maranta *l. citat. num.* 3. Reiffenſtuel *l. citat. num.* 27. Speculator *tit. de Sententia §. Species, num.*3. & alii; Interlocutoria autem non determinat, neque definit cauſam principalem, ſed determinat ſolum articulos emergentes, & incidentes inter principium, & finem controverſiæ principalis, ut liquet ex ejus definitione tradita *ſupra num.*5. & tenet Communis Doctorum.

15 Quinta differentia eſt, quod ſententia definitiva ſemel a Judice prolata ordinarie non poteſt ab eodem revocari; *leg. Hac lege 2. Cod. de ſententiis ex periculo recitand. & leg. Judex 55. ff. de re judicata*; *& cap. Quod bene 6. quæſt. 4. & cap. In litteris 9. de Offic. Delegat.* Interlocutoria autem poteſt a Judice revocari ante ſubſecutam ſententiam definitivam, *leg. Quod juſſit 14. ff. de re judicata*, ubi Summarium ex Bartolo ſic ait: *Judex poteſt ſuam ſententiam interlocutoriam revocare,*
16 *ſed non definitivam*. Et ratio hujus differentiæ eſt, quia *Judex poſteaquam ſemel dixit ſententiam* (definitivam), *Judex eſſe deſinit. Et hoc Jure utimur, ut Judex, qui ſemel, vel pluris, vel minoris condemnavit, amplius corrigere ſententiam ſuam non poſſit, ſemel enim male, ſeu bene Officio functus eſt*, ut expreſſe dicitur *in cit. leg. Judex*; Poſtquam autem dedit ſententiam ſolum interlocutoriam, adhuc remanet Judex in eadem cauſa, donec eam totaliter terminet per ſententiam definitivam, cum quo ad eum nondum tranſierit in rem judicatam, *citat. leg. Quod juſſit 14. ff. de re judicata*.

17 Sexta differentia eſt, quod a ſententia definitiva regulariter appellari poteſt; Secus autem ab interlocutoria, niſi habeat vim definitivæ, aut contineat damnum irreparabile, *leg. Ante ſententiæ tempus 7. Cod. Quorum appellationes non recipiuntur*, juncta Gloſſa *verb. Diſcuſſores*. Et habetur expreſſe a Concilio Trident. *ſeſſ. 24. de reformat. cap.* 20. ubi ſic decernit: *Neque appellationes ab eiſdem* (Ordinariis locorum) *interpoſitæ per Superiores quoſcumque recipiantur, niſi a definitiva vel a definitivæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat*. Et de hoc ipſo adeſt *declaratio Sacræ Congregat. Epiſcop. die 16. Octobris* 1600. *edita, & a Clemente VIII. approbata*, quæ per extenſum una cum aliis noviſſimis Decretis refertur ſub verb. *Appellatio art. 3. a n.29. uſque in finem*. Vide *ibi*.

18 Quibus autem in caſibus, & quibus de cauſis poſſit appellari tum a ſententia definitiva, tum ab interlocutoria, tam de Jure Civili, quam Canonico, & Conciliari? Vide verb. *Appellatio art.4. per tot.* ubi fuſe de omnibus.

19 Antequam in Judicio ordinario deveniatur a Judice ad ſententiam, debet prius a partibus fieri *concluſio in cauſa*. Sic expreſſe habetur *in cap. Judicantem 30. quæſt.5.* ibi: *Judicantem oportet cuncta rimari &c. Nec litigantibus Judex prius velit ſua ſententia obviare; niſi quando ipſi jam peractis omnibus nihil habeant in quæſtione, quod proponant*. Engel *lib. 2. Decretal. tit. 27. n.*1. Reiffenſtuel *ibi. n.* 46. Vallenſis *ibidem*. §. 3. *n.*1. & alii paſſim.

20 Dicitur autem notanter *in Judicio ordinario*, quia in Judicio Summario, ubi ſimpliciter, & de plano proceditur, poteſt a Judice proferri ſententia, etiam Concluſione a partibus non facta, ſi ita ei videbitur expedire, textu expreſſo *in Clementina Sæpe contingit, §. Sententiam, de verb. ſignificat. in 6.* ibi: *Sententiam vero definitivam* (*citatis ad id, licet non peremptorie, partibus*) *ſtans, vel ſedens proferat, etiam* (*ſi ei videbitur*) *concluſione non facta, prout ex petitione, & probatione, & aliis actitatis in cauſa fuerit faciendum*.

21 Concluſio in cauſa poteſt fieri tam oretenus, quam ſcripto, cum nulla certa ſolemnitas ſit ad id a Jure præſcripta. Immo non ſolum expreſſe, ſed etiam tacite poteſt fieri concluſio in cauſa, ſi videlicet partes nulla facta formali renunciatione ulteriorum probationum, ſimpliciter a probationibus deſiſtant, & a Judice ſententiam poſtulent. *Communis*.

22 Conſueta autem, & vulgaris formula faciendi Concluſionem in cauſa eſt, quod partes in ultima ſua Scriptura adjungant, quod *hiſce in cauſa concludere, & ſe ad ſententiam ſubmittere velint*. Et hæc Concluſio in cauſa ſolet interdum fieri *conditionate*, vel proteſtando, quod non aliter intendat quis in cauſa concludere, quam ſi etiam adverſarius concluſerit, & in ſua Scriptura nihil novi poſuerit, vel concluſioni ſuæ adjiciendo expreſſe hanc conditionem; *Niſi novæ probationes, vel nova inſtrumenta reperiantur*. Et revera hanc adjicere conditionem ſatis expedit, cum alioquin poſtquam partibus in cauſa concluſum pure, & abſolute fuit ante ſententiam, nulla admittatur nova exceptio, vel probatio, *cap. Cum veniſſet 25. & cap. De Teſtibus 29. de Teſtibus, cap. Cum Dilectus 9. de Fide inſtrumentor.* Unde Maſcard. *de probationib. quæſt.17. proœm. num.*44. ſic expreſſe *dicit*: *Concluſio in cauſa partibus os obſtruit, & claudit, ut probationibus nullus amplius relinquatur locus*.

23 Reſpectu Judicis tamen nunquam concluditur in cauſa; Unde ipſe Judex, ſi ſibi juſtum, & æquum viſum fuerit, poterit etiam poſt concluſionem in cauſa factam a partibus novas probationes admittere, textu expreſſo *in cap. Paſtoralis 5. §. penult. & ultim. de cauſæ poſſeſſ.* Immo ipſe Judex poſt concluſionem in cauſa poteſt ex ſuo officio partes examinare, Teſtes interrogare, ac recipere pro informatione, & ulteriorem probationem ipſis partibus injungere, *citat. capit. Cum Joannes* 10. *§. ad hoc autem, de Fide inſtrument.* Fagnan. *in cap. Qualiter leg. 2. num. 67. de accuſation.* Gailus *lib.*1. *Practic. Obſervat.* 107. *num.* 5. Jaſon *in Repetion. leg. Admonendi num. 62. ff. de Jurejurand.* Farinac. *de Teſtibus q.75. n.266.* & alii apud ipſos.

24 Si una parte concludente in cauſa, altera pars ſeſe adhuc aliquid addendum habere aſſerat, eſt ei ſtatuendus a Judice competens terminus ad id addendum, & allegandum, & in cauſa concludendum, & ne lites malitioſe nimis in longum protrahantur, concedendæ ei ſunt tres ſolum ſucceſſivæ dilationes, ſeu prorogationes, quarum ſingulæ continent triginta dies, quibus elapſis Judex non amplius expectare, ſed ſententiam Legibus, & moribus, ſeu conſuetudini conſonantem proferre debet, textu expreſſo *in Authent. Jubemus, Cod. de Judiciis*, ibi: *Jubemus, ut ſi quando una pars allegationibus ſuis renuntiaverit, alia vero pars ſe habere aliquid, quod proponat, dixerit, Judex negotii modis omnibus eam partem, quæ utitur dilatione, compellat intra triginta dies, poſtquam altera pars allegationibus renunciaverit, quidquid velit ſine aliqua intermiſſione proponere. Quod ſi non fecerit, tunc ad ejus malitiam ſuperandam alius menſis indulgeatur a Judice. Si vero adhuc diſtulerit, alterius menſis dilatio ei præbeatur, ita ut, ſi uſque ad prædictos tres menſes ſuas non propoſuerit allegationes, cauſæ cognitor non amplius expectans ſententiam omnibus modis, Legibus, & moribus conſonantem proferat, vel ſi voluerit, referat, ne litigatoribus male tractantibus liceat cauſarum exitus ultra protrahere*; Reiffenſtuel *l. citat. num.*53. Vallenſis *l. cit.* §.3. *n.*1. Engel *l. c. n.*1. & alii paſſim.

25 Facta a partibus Concluſione in cauſa, debet Judex, ſervatis ad rectam Sententiam requiſitis, ad ipſam proferendam procedere; Requiſita autem ad rectam ſententiam difinitivam, quæ proprie, & abſolute nomen ſententiæ meretur, & de qua hic eſt ſermo, alia ſunt, quæ reſpiciunt ſolemnitatem Judicialem, ſeu modum, quo ipſa ſolemniter eſt promulganda, & alia, quæ concernunt ipſam ordinatam cognitionem cauſæ; Engel *loc. citat. num.* 6. Reiffenſtuel *loc. citat. num.* 57. & *Communis aliorum*.

26 Requiſita prioris generis, nempe quæ reſpiciunt ſolemnitatem Judicialem ſunt, quod ſententia definitiva debeat in ſcriptis concipi, & per ipſum Judicem, & non per alium recitari; *leg. Arbitri* 1. *& leg. Hac Lege 2. Cod. de ſententiis ex periculo recitandis*, & *cap. Etſi Sententia 5. de Sentent. & re judicat.* in 6. Exceptis tamen Epiſcopis, & Perſonis illu-
27 ſtribus quibus conceditur ob Dignitatis prærogativam, quod Sententiam a ſe latam per alios recitare poſſint, *leg. Hac Lege 2. Cod. de Sentent. ex periculo recitand. & citat. capit. Etſi Sententia*. Item quod Sententia proferatur a Judice non
28 ſtante, vel ambulante, ſed ſedente pro Tribunali; *citat. cap. Etſi Sententia*, ſive in loco publico, ubi Anteceſſores ſui Jus reddere conſueverunt; *leg. Cum ſententia 6. Cod. de Sentent. & interlocution. omn. Judic. & leg. penult. ff. de Juſtit. & Jur.* Epiſcopus etiam poteſt in quolibet loco ſuæ Diæceſis non
29 exempto per ſe, vel per alium pro Tribunali ſedere, & Sententiam ferre; *cap. cum Epiſcopus 7. de Offic. Ordinar. in 6.* Sicuti, & Judex Delegatus ad aliquam cauſam particularem poteſt Juriſdicendi cauſa eligere quemcumque ſibi beneviſum, honeſtum locum, cum ipſe certam Sedem deputatam non habeat; *l. Si cum dies §. Si arbiter, ff. de Recept. Arb.*

30 Item, quod Sententia feratur de die, & non de nocte; *cap.*
31 *Conſuluit 24. de Offic. Delegat.* Item quod Sententia feratur die non feriato; *cap. Omnes dies* 1. *& cap. Conqueſtus 5. de*
32 *Feriis*. Qui autem, & quot ſint dies feriati? Vide verb. *Judicium*. Item quod Judex citari faciat pro certa die utramque partem litigantium ad audiendam Sententiam; idque vel trina citatione, vel ſaltem una peremptoria; *leg. Ea quæ 7. leg. Conſentaneum 8. Cod. Quomodo, & quando judex Sententiam proferre &c. & leg. De unoquoque 47. ff. de re judicata*; Si autem aliqua pars legitime citata, fuerit contumax, & ceſſante juſto impedimento, noluerit comparere, poterit Judex nihilominus procedere ad ſententiam, cum legitime citati, & contumaciter abſentes habeantur pro præſentibus, *leg. Properandum 13. §. 3. ff. de judiciis*, atque eorum contumacia litis damno coerceatur; *leg. Contumacia 63. ff. de re judicata*, ibi: *Contumacia eorum, qui Jus dicenti non obtemperant, litis damno coercetur, contumax eſt, qui tribus Edictis prepoſitis, vel uno pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, litteris evocatus, præſentiam ſui facere contemnet*.

33 Requiſita poſterioris generis, nempe quæ concernunt ipſam ordinatam cauſæ cognitionem, ſunt, quod Sententia debet eſſe *Libello conformis*, ideſt conformis Scripturæ Actoris petitionem, & ejus cauſam continenti, *leg. Ut fundus 18. ff. Communi dividundo, cap. Qualiter & quando 24. circa finem, de Accuſationibus, & Clementin. Sæpe contingit, de verb. ſignificat.* ibi: *Verum quia juxta petitionis formam pronuntiatio ſequi debet*. Et Gloſſa *ibidem verb. Formam*, ubi allegat alia Jura.

34 Item quod ſententia ſit certa, ideſt per eam res, vel quantitas debita determinetur, Non enim ſufficit dicere: *Solve quod debes*: Sed quantitas ipſa rei debitæ eſt exprimenda, *§. Curare 32. Inſtitut. de Actionibus*, ibi: *Curare autem debet Judex, ut omnino quantum poſſibile ei ſit, certæ pecuniæ, vel rei Sententiam ferat, etiamſi de incerta quantitate apud eum actum eſt*. Et Gloſſa *ibidem verb. Poſſibile*; *leg. Hæc ſententia 3. & leg. Hæc ſententia 4. Cod. de ſententia, quæ ſine certa quantitate profertur*.

35 Item quod ſententia non feratur ſub conditione, dicendo, verb. grat. *condemno te, ſi Actor probaverit*, ſed debet continere puram abſolutionem, vel condemnationem; *leg. 1. §. Biduum, ff. Quando appellandum ſit*, ibi: *Sane quidem non eſt dicenda ſub conditione ſententia*; Et ratio eſt clara, quia ut expreſſe habetur *in leg. Præſes 3. Cod. de ſententiis, & interlocutionib. omn. Judic. Præſes Provinciæ non ignorat definitivam ſententiam, quæ condemnationem, vel abſolutionem non continet, pro juſta non haberi*.

36 Item ſententia debet eſſe Juri conformis, *leg. Si cum inter te, Cod. Quando provocare non eſt neceſſe, leg. Si expreſſum, ff. De appellationibus*, cum ſimilibus, & *cap. ſententiam 1. de ſententia, & re judicata*, ubi ſic expreſſe habetur: *ſententia contra Leges, Canoneſque prolata, licet non ſit appellatione ſuſpenſa, non poteſt tamen ſubſiſtere ipſo Jure*.

37 Sententia ferenda eſt intra tempus a Jure præſcriptum, quod tempus de Jure Civili in cauſis Civilibus (exceptis cauſis Fiſcalibus, & publicarum Functionum) eſt triennium; Cauſæ enim Civiles debent terminari intra triennium a tempore litis conteſtatæ numerandum, ne lites fiant pene immor-
38 tales, textu expreſſo *in leg. properandum 12. §. 1. Cod. de Judiciis*. In cauſis autem Criminalibus eſt biennium; Cauſæ enim Criminales intra duos annos pariter a conteſtatione litis computandos, terminandæ ſunt, textu expreſſo *in leg. Criminales cauſas 3. Cod. Ut intra certum tempus Criminalis quæſtio terminetur*, ibi: „ Criminales cauſas intra duos annos a „ conteſtatione litis connumerandos finiri cenſemus. Nec ulla alia occaſione ad ampliora produci tempora, ſed poſt „ biennii exceſſum minime ulterius lite durante accuſatum „ abſolvi „. Unde ex citatis Juribus, aliiſque conſimilibus ſtat clarum, quod de Jure Civili perimitur inſtantia Judicii ex lapſu Biennii in Criminalibus, & ex lapſu Triennii in Civilibus, ſi cauſa intra præfatum tempus a litis conteſtatione computandum, non finiatur, & a Judice non proferatur definitiva ſententia.

39 Secus autem eſt de Jure Canonico, ut clare patet ex *cap. Venerabilis 20. de Judiciis*; ubi Summus Pontifex Honorius III. expreſſe mandat Judici a ſe Delegato, ut lapſu triennii non obſtante, procedat in cauſa ſibi commiſſa. Et notat Gloſſa *ibidem verb. Non obſtante*; Abbas *num.* 6. Barboſa *numer.* 2. cum pluribus aliis ibi citatis. Et ratio eſt, quia, ut inquit Abbas *l. citat*. Jus Civile quo ad propoſitum, non fuit moribus receptum in Foro Eccleſiaſtico. Sic enim jam antea *in cap. Cum olim 14. §. Judicis, de Privilegiis* legitur factam eſſe condemnationem in expenſis per quadriennium, quo Judicium duravit, & *in cap. Tum ex litteris 5. de in integrum reſtitut.* lis duravit longe ultra triennium prout declarat Gloſſa *ibid. verb. ſententia*.

40 Noviſſimo tamen Jure Civili Tridentini *Seſſ. 24. cap. 20. de reformat.* ſtatutum eſt, quod omnes cauſæ ad Forum Eccleſiaſticum ſpectantes in prima inſtantia ſaltem infra biennium a die motæ litis terminentur, alioquin vero liceat partibus competentes Judices Superiores adire.

41 Sententia definitiva regulariter tranſit in Rem judicatam, ſi poſt decendium, ſeu infra decem dies a ſua prolatione non appelletur ab ipſa, adeo ut poſtea retractari non poſſit, & contradicere volens amplius non audiatur. *Communis*, textu expreſſo *in Authent. Hodie*; Juncta Gloſſa *ibidem, Cod. de Appellat.* & *cap. Anteriorum 28. cauſ. 2. quæſt. 6.* ubi revocato biduo, vel triduo antiquitus ad appellandum duntaxat conceſſo ſic expreſſe ſtatuitur: „ Sancimus, omnes appellationes, „ ſive per ſe, ſive per Procuratores, ſive per Defenſores, „ vel Curatores, & Tutores ventilentur, poſſe intra decem „ dierum ſpatium a recitatione Sententiæ numerandum, Ju- „ dicibus ab his, quorum intereſt, afferri, & clariſſime in ejus Summario: *Infra decem dies remedium appellationis conceditur*, & expreſſe habetur *in cap. Quod ad conſultationem 15. de ſententia & re judicata* ibi: *Cum poſt decem dierum ſpatium Sententia in auctoritatem rei tranſeat judicatæ, qui ad provocationis ſubſidium infra id temporis non recurrit, appellandi ſibi aditum denegavit, cum per hoc videatur per interpretationem Juris latæ ſententiæ paruiſſe*.

42 Item Sententia definitiva tranſit in Rem judicatam, quando inter decendium ab ea quidem appellatum eſt; poſtea tamen appellatio fuit deſerta, textu expreſſo *in Authent. Ei, qui appellat, Cod. de temporibus, & reparationibus appella-* „ *tionum*, ibi: „ Ei, qui appellat, impertitur annus, intra „ quem ſecundum ſe communiterve cum adverſario litem „ exequatur, aut ſi juſta cauſa interceſſerit, alius annus in- „ dulgeatur, quo tranſacto, lite non completa, rata manet „ Sententia „, ac ſi non fuiſſet appellatum, ſubjungit Gloſſa *ibid. verſ. Manet*.

43 In aliquibus tamen cauſis Sententia poſt decendium non tranſit in rem judicatam, & ſignanter Sententia lata in cauſis Matrimonialibus, quæ revocatur, quandocumque conſtat de errore. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Lator 7. de Sententia, & re judicata*.

44 Item ſententia non tranſit in rem judicatam in Beneficialibus, argumento a ſimili deſumpto ex Matrimonio carnali ad ſpirituale, juxta *c. Inter corporalia 2. de translat. Epiſc.* & tenent Abbas *in c. Cum dilectus, n. 3. de Erection.* Maranta *p.6. Speculi aurei tit. de Sententia, num.* 150. Reiffenſt. *l. c. num.*123. & alii. Qui tamen iſtud intelligunt quoad præjudicium Superioris, per text. *in cap. Cum Bertholdus 18. de ſententia & re judicata*, Secus autem quoad præjudicium ipſarum partium, ut tenet etiam Gloſſa *in cap. 1. de conceſſione Præbendæ*.

45 Item ſententia non tranſit in Rem judicatam in iis cauſis, & caſibus, in quibus ejus obſervantia nutrit peccatum de conſenſu partium non impedibile, *arg. c. cum tanto 11. de conſuetudine, & c. Quoniam omne 20. de præſcript.* cum ſimilibus, & docent Gloſſa *fin. in c. Inter Monaſterium, de Sentent. & re judicata*, Innoc. *ib. in fine*, Maranta *l. c. nu.* 147. Abbas *in cap. Lator 7. de Sent. & re judicat. n.* 9. Hoſtienſ. & Joannes Andreas *ib. n.*5. Pirhing. *l.*2. *Decr. tit. 27. n.*49. Reiffenſt. *ib. n.*125. & alii paſſim.

46 Res autem judicata proprie ſumpta dicitur Sententia, quæ poſt lapſum decem dierum accepit auctoritatem, & vires rei judicatæ, adeo ut pro veritate accipiatur, & poſtea retractari non poſſit, & quicumque velit contradicere, non audiatur. Un-

Unde *in l. Res judicata* 207. *de Reg. Juris*, ſic expreſſe dicitur: *Res judicata pro veritate accipitur*.

47 Quandonam vero incipiat currere, & quomodo debeat currere dictum decendium, poſt quod Sententia tranſit in rem judicatam? Vide verb. *Appellatio art.*8, *n.*6. 7. 8.

48 Sententia inter aliquos lata nec præjudicat, nec prodeſt aliis. *Communis*, textu expreſſo *in l. Res inter alios judicatæ* 2. *Cod. Quibus res judicata non nocet*, ibi: Res inter alios ju„ dicatæ neque emolumentum afferre his, qui in Judicio „ non interfuerunt, neque præjudicium ſolent irrogare „. Et concordant *l. ſi neque* 1. *l. Juris manifeſtiſſimi* 3. *l. Nec in ſimili* 4. *Cod. eod. l. Inter alios res geſtas* 1. *l. Inter alios factam* 2. *l. Si cum fratre* 3. *Cod. Inter alios acta, vel judicata aliis non nocere*, *l. Sæpe conſtitutum eſt* 63. *ff. de re judicata*, *& de effectu Sentent. & de interlocution. cap. inter dilectos* 6. §. *In omnibus*, *de Fide Inſtrument.* ibi: „ Cum ipſa Sententia lata fuerit inter alios, & res inter alios acta alios non „ præjudicet, cap. Cum ſuper 17. de Sententia & re judicata, „ in fine, ibi: Cum res inter alios acta non noceat regulari„ ter aliis juxta Conſtitutiones Canonicas, & Civiles, cap. „ Quamvis 25. eod. tit. ibi: Quamvis regulariter aliis non „ noceat res inter alios judicata.

49 In variis tamen cauſis Sententia lata inter alios poteſt aliis nocere, aut prodeſſe. Et ſignanter in cauſis connexis, ut colligitur clare *ex cap. Tantis Daniel* 3. *diſt.*81. ubi ſententia lata contra indigne Ordinatum præjudicat Ordinanti, ut recte notat Gloſſa *ibid. in fine*, Et concordat *cap. Ad petitionem* 22. juncta Gloſſa *ibid. verb. Per conſequentiam*, *de Accuſation. cap. Hæc quippe* 10. *cauſ.* 3. *q.*6. juncta Gloſſæ *ibidem verb. His amortis*.

50 Item in re individua, & pluribus communi; Tunc enim *victoria unius aliis proderit*, ut ſtatuitur *in l. Loci* 4. §. 3. *ff. Si Servitus vindicetur*, ubi eſt ſermo de ſervitute itineris, reſpectu cujus competit actio pluribus in ſolidum, & concordat *cap. Una ſententia* 72. *de appellat.* ubi ſic expreſſe habetur: *Una ſententia pluribus condemnatis, ſi unus ſolus ad appellationis beneficium convolaverit, illius victoria Jure communis ceteris ſuffragatur, ſi communi Jure juventur, idemque negotium, & eadem cauſa defenſionis exiſtat.*

51 Item in duobus caſibus aſſignatis *in cap. Quamvis* 25. *de ſententia, & re judicata*, ibi: „ Quamvis regulariter alii „ non noceat res inter alios judicata; Ei tamen, qui cum ſi„ bi primum de ea re actio, vel defenſio competebat, ſuſti„ nuit ſequentem agere. At illi etiam, qui paſſus eſt eum, „ a quo cauſam habuit, experiri, eſt præjudicium genera„ tum „. Ubi ut vides, ſtatuit Pontifex, quod ſententia contra alterum lata noceat etiam ei, qui cum ſibi primum de re quapiam actio, vel defenſio competeret, paſſus fuit litigare ſequentem, id eſt illum, cui ſecundo loco competebat ejuſmodi actio. Et ſic etiam de illo, qui paſſus eſt alterum agere, a quo cauſam habuit. Et idem clare ſtatuitur *in l. Sæpe conſtitutum eſt* 63. *ff. de re judicata*, in cujus Summario Bartolus ſic expreſſe habet: *Sententia lata contra unum non præjudicat alteri, qui eum prohibere non poterat, vel ab eo cauſam non habebat; Secus ſi poterat prohibere, & ab eo cauſam habebat, & ſciens erat.*

52 Item ſententia lata contra unum nocet alteri, quod is actionem mandavit, vel ratam habuit; *Communis*, & colligitur clare a ſenſu contrario ex *l. Si neque* 1. *Cod. Quibus res „ judicata non nocet*, ibi; „ Si neque mandaſti fratri tuo de„ fenſionem rei tuæ, utque quod geſtum eſt, ratum habui„ ſti, præſcriptio rei judicatæ tibi non oberit; Ubi, ut vides, a ſenſu contrario videtur ſtatui, quod tibi obſit, ſi mandaſti, quod geſtum eſt, vel ratum habuiſti.

53 In ſententia victus victori in expenſis eſt condemnandus; *l. Eum quem temere* 79. *ff. de judiciis*, *l. Properandum* 13. §. 6. *Cod. de judiciis*, *Inſtit. de pœna temere litigantium* §. 2. *in fine*, ibi: „ Improbus litigator, & damnum, & impenſas li„ tis inferre adverſario ſuo cogatur, cap. Finem litibus 5. de „ dolo, & contum. cap. Contumac. de pœnis.

54 Et hoc procedit nedum in cauſis Civilibus, ſed etiam in Criminalibus. Gloſſa *final. in cap. Cum dilecti* 6. *de dolo, & contumac.* & Abbas *ibid. n.*17. Gailus *lib.*1. *Pract. obſerv.* 152. *n.*1. cum aliis ibi citatis, Reiffenſt. *l.c. n.*177. Card. de Luca *diſc.*39. *de Judiciis n.*7. ubi dicit, quod, refectio expenſarum Judicialium eſt debita tamquam ſpecies pœnæ injunctæ temere litigantibus ex diſpoſitione Juris, adeoque debet habere locum in omni cauſa etiam Criminali, ubi talis temeritas litigatoris intervenit.

Non eſt tamen victus condemnandus in expenſis, quando habuit juſtam cauſam litigandi; In tali enim caſu expenſæ 55
compenſantur; *l. Qui ſolitum* 78. §. 2. *ff. de Legatis* 2. Gloſſa *ibidem verb. In litis ſamptibus*. Inde inferens, quod juſta ignorantia excuſat a litis ſumptibus. Idem tradit Gloſſa *in cap. Finem litibus* 5. *de dolo, & contumac. verb. Expenſas*, Abbas *ibid. num.* 22. Barboſa *n.*6. & Gailus *l.c. Obſerv.* 152. *n.*3. teſtans de com.

Quando autem quis cenſeatur habere juſtam cauſam litigandi? relinquitur arbitrio Judicis, qui ex qualitate facti, 56
& conditione perſonarum id debet arbitrari. Ita Abbas *in c. cap. Finem n.*25. *&* 26. Barboſa *ibid. n.*7. Menochius *lib.*2. *de Arbitr. Judic. cauſ.*177. *n.*2. *& ſeq.* Jaſon *in cit. l. Properandum* §. 6. *n.*8. *C. de Judiciis*, Reiffenſt. *l.c. num.* 179. ubi *a n.*180. ex Menoch. & Jaſon. affert pro exemplis plures caſus, in quibus litigans cenſetur habere juſtam cauſam litigandi. Unde ſi ſuccumbat, non eſt in expenſis condemnandus.

Judex non condemnans victum victori in expenſis, quando iſtæ ſive explicite, ſive implicite, fuerunt petitæ, tene- 57
tur ipſas reſarcire de ſuo, textu expreſſo *in cit. l. Properandum* 13. §. 6. *Cod. de Judiciis*, ibi: „ Omnes Judices, qui ſub „ imperio noſtro conſtituti ſunt, ſciant victum in expenſa„ rum cauſa victori eſſe condemnandum quantum pro ſolitis „ expenſis litium juraverit. Non ignorantes, quod ſi hoc „ prætermiſerint, ipſi de proprio hujuſmodi pœnæ ſubjace„ bunt, & reddere eam parti læſæ coarctabuntur; leg. Con„ ſtitutio 5. Codic. de fructibus, & litium expenſis, ibi: „ Quod ſi judex hoc non fecerit, ipſe parti victrici damnum „ illud compenſare cogitur „. Et ſic tenent Doctores communem.

In eadem cauſa non poteſt ab eodem tertio appellari a 58
ſententia, quæ fuit bis confirmata, *l. Unic. Cod. Ne liceat in una eademque cauſa ter provocare*, *cap. Sua nobis* 65. *de Appellat.* juncto ejus Summario, in quo præciſe dicitur: *Ab eadem ſententia ab eodem tertio appellare non licet*. Et hoc 59
verum eſt non ſolum in Appellatione a Definitiva, ſed etiam in Appellatione ab Interlocutoria. Barboſa *in cap. cit. Sua nobis n.* 2. cum aliis multis ibi citatis, Scaccia *tract. de Appellat. q.*17. *limit.*1. *n.*3. Reiffenſt. *lib.* 2. *decret. tit.* 28. *numer.* 312. Pirhing *ib. num.* 130. & alii paſſim. Immo hoc 60
verificatur etiam in ſententiis, quæ non tranſeunt in Rem judicatam. Licet enim in his poſſit cauſa de novo inchoari, non poteſt tamen tertio appellari. Abbas *in cit. cap. Sua nobis n.*3. Barboſa *ib. n.*2. Pirhing *lib.* 2. *Decr. tit.*28. *num.*126. Reiffenſt. *ib. n.*312. & alii. Et hoc adeo verum eſt, ut nec 61
Papa, nec alius Princeps Supremus poſſit poteſtate ordinaria per viam Reſcripti concedere, quod tertio appelletur ab eodem in eadem cauſa, quamvis poſſit per viam Privilegii, & ex certa ſcientia hoc Princeps ſupremus concedere; Pirhing *lib.*2. *Decret. tit.*28. *num.*126. Alexander de Nævo *ib. n.*20. Reiffenſtuel *l.c. n.*315. Scaccia *l. c. n.* 2. Marcheſanus de *Commiſ. p.* 2. *de Comm. ſuper nullit. c.*2. *num.* 1. *fol.* 140. & alii.

Poteſt tamen ab eodem appellari pluries, v.g. centies, & 62
millies, ſi centies, & millies gravaretur ſupra diverſis articulis, licet in una eademque cauſa, *cap. Quoties Epiſcopi* 16. *cauſ.*2. *q.*6. ubi dicitur, quod quoties Epiſcopi putaverint ſe gravari a ſuo Metropolitano, poſſint ad Romanam Sedem appellare. Gloſſa *in cap. Directæ* 39. *de Appellat. verb. Appellare*, Abbas *in c. Sua nobis* 65. *de appell. num.*7. Barboſa *ib. n.*2. cum variis aliis, Scaccia *in tract. de appell. q.* 17. *n.*18. *&* 40. Pirhing *lib.*2. *Decr. tit.*28. *n.*127. & alii paſſim.

In eadem cauſa, & ſuper eodem articulo licet utrique 63
parti collitigantium bis appellare ſucceſſive, & ſic in eadem cauſa, & ſuper eodem articulo poſſunt utrinque interponi quatuor appellationes. Detur caſus, v. g. quod Petrus contra Paulum litigans appellet a ſententia contra ſe lata, & ſuccumbat, tunc Petrus poteſt adhuc ſecundo appellare, & ſi in ſecunda ſua appellatione obtineat victoriam cauſæ, tunc Paulus ejus adverſarius poterit etiam ipſe appellare, & erit tertia appellatio in eadem cauſa, & ſuper eodem articulo & ſi feratur ſententia contra ipſum Paulum, poterit adhuc Paulus appellare, & erit quarta appellatio in eadem cauſa, & ſuper eodem articulo, poſt quam quartam appellationem nec Petro, nec Paulo licebit amplius appellare, cum jam uterque bis appellaverit, & ſic victoria cauſæ remanebit illi, qui in quarta, & ultima appellatione ſententiam favorabilem obtinendo tres conformes ſententias in eadem cauſa, & ſuper eodem



eodem articulo reportavit, *arg. Clem. Ut calumniis litigantium, de Sententia, & re judicata*, Abbas *l.c. n.*8. Barboſa *l. c. n.*2. & alii paſſim.

64 Hinc is, contra quem in aliqua cauſa, ſive Civili, ſive Criminali, ſive Mixta, ſive in petitorio, ſive in poſſeſſorio tres ſententiæ conformes ſunt latæ, admitti non debet ad agendum de nullitate ipſarum, vel alicujus ex illis, vel ad excipiendum antequam hujuſmodi ſententiæ plene fuerint executioni mandatæ, textu expreſſo *in cit. Clement. Ut calumniis litigantium* 1. *de ſententia, & re judicata*, juncta Gloſſa *ib. verb. Quavis*. Rota recent. *p.*9. *tom.*2. *deciſ.*488. *n.*21. *p.*17. *dec.*86. *n.*2. Perhing *lib.*2. *tit.*27. *num.* 114. Ventrigl. *tom.*1. *Annot.*35. §. *Unic. de ſententiis conformibus n.*2. *& Comm. aliorum*.

65 Et hoc procedit de tribus ſententiis conformibus, ſive definitivis, ſive interlocutoriis. Dicta enim Clementina loquitur ſimpliciter de tribus ſententiis conformibus, non diſtinguens de definitivis, aut interlocutoriis; ubi autem Lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus; *l. De pretio* 8. *ff. de Publicana in rem actione*, *c. Quia circa* 22. *de privil.* ideo debet intelligi tam de interlocutoriis, quam de definitivis; Gloſſa *in d. Clement. Ut calumniis verb. Sententias*, & Abbas *ibid. num.*3. Covarruv. *Pract. q. c.*25. *n.*3. §. 5. Pirhing *l.c. num.* 116. & alii paſſim.

66 Item dicta Clementina procedit de tribus ſententiis conformibus in quavis cauſa, ſive Civili, Criminali, ſive Mixta; Id enim clare indicant verba ipſiuſmet Clementinæ; *In quavis cauſa*, ut expreſſe notat Gloſſa communiter recepta *ibid. verb. Quavis*, Covarruv. *l.c. n.* 115. Ventriglia *l.c. num.* 2. & alii paſſim.

67 Cum hoc tamen, quod in cauſis Criminalibus tres ſententiæ conformes prius exequi debent antequam agatur de nullitate ſententiarum, ſolum ubi agitur de pœnis, quæ poſt executionem retractari adhuc poſſunt, ac revocari; ut ſi Reus condemnatus ſit ad pœnam pecuniariam, tunc equidem debet prius fieri executio dictæ pœnæ pecuniariæ, & poſtea agi de nullitate ſententiarum; Secus autem ubi agitur de pœnis, quæ poſt executionem retractari, ac revocari amplius non poſſunt. Ut ſi Reus condemnatus ſit ad triremes, ad mutilationem, vel ad mortem, tunc enim prius agi debet de nullitate Sententiarum, quam fiat executio, alias fruſtra poſtea ageretur de illa. Sic Abbas *in cit. Clement. n.*1. Covarruv. *l.c. n.*3. cum multis aliis ibi relatis, Pirhing *l. c. nu-*
68 *mer.*115. Franch. *dec.*139. Ventriglia *l.c. n.*2. & alii. Immo, ut tenet Abbas *in cit. Clementin. n.*5. Ricc. ad Franch. *deciſ.* 139. cum pluribus aliis ibi citatis, Ventriglia *l. c. n.*2. & alii, hoc procedit etiam in cauſis Civilibus: In ipſis enim, quando executio eſt irretractabilis, non proceditur ad illam vigore trium conformium ſententiarum, antequam agatur de earum nullitate.

69 Ad hoc, ut tres Sententiæ conformes debeant, & poſſint exequi, non obſtante exceptione nullitatis, vel appellatione, debent eſſe latæ ſuper eodem articulo, & non ſuper diverſis; habetur clare *ex dicta Clem.* & notant Gloſſa *ib. verb. Tres*, & Abbas *n.*2. Pirhing *l.c. n.*115. *verſ. Notandum tertio*; Ventriglia *l.c. n.*3. & alii. Et ratio eſt, quia ſi ſententiæ eſſent latæ ſuper diverſis articulis, ceſſaret ratio diſpoſitionis dictæ Clementinæ, quæ eſt præſumptio calumniæ, in qua illa fundatur.

70 Poteſt tamen aliquis tertius pro ſuo intereſſe opponere exceptionem nullitatis ſententiæ, & impedire executionem trium ſententiarum conformium; Dummodo ille tertius nondum bis appellaverit (cum de Jure ex dictis *ſupra n.*58. non poſſit niſi bis, & non tertio appellari) ſed adhuc appellare poſſit a ſententia, quæ illi nocet. Tunc enim poterit ille tertius per exceptionem nullitatis impedire executionem ſententiæ. Covarruv. *Practic. q. c.*25. *n.* 9 Gabriel *commun. concluſ.*2. *tit. de execution. Sentent. concluſ.*1. *n.* 10. Pirhing. *l. c. num.*116. *verſ. Notandum quinto*, Ventrigl. *l. c. nu.* 16. Mareſcot. *Var. reſol. lib.*1. *cap.* 86. *n.* 55. & alii.

71 Sententiæ illæ dicuntur conformes, quarum una confirmat aliam. Ad hoc tamen non eſt neceſſe, quod una confirmet aliam expreſſe, ſed ſufficit, quod in ſubſtantia idem contineant, & non ſint diſformes quo ad ſubſtantiam, vel qualitatem principalem. Gabriel *l.c. num.* 33. *&* 34. Barboſa *in cit. Clement. Ut calumniis n.*11. Pirhing *l. c. verſ. Notandum ſexto*, & alii communiter.

72 Non dicuntur tamen tres ſententiæ conformes, ſi duæ ſententiæ ſint latæ in principali, & tertia ſuper deſertione appellationis propoſitæ a duabus prædictis ſententiis. Unde in hoc caſu poteſt impediri executio per exceptionem nullitatis, & ſic non habet locum diſpoſitio dictæ Clementinæ. Sic Rota *in antiquis dec.*427. Bald. *in l.* 2. *Cod. de Epiſc. aud. & in l. Eas, Cod. de Appellat. in princ.* Oldrad. *conſil.* 105. Felin. *in rubr. de Re judicat. Col.*8. Romani *Singul.*487. & alii.

Executio ſententiæ fieri debet regulariter ab illo Judice, 73
qui eam tulit, dummodo is ſit Judex Ordinarius: *l. A Divo Pio* 15. *in princ.* juncta Gloſſa *verb. a ſe*, *ff. de re judicata c. Si quis* 4. juncta Gloſſa *ib. verb. Ipſius ſolicitudine*, *de Foro competenti*, Maranta *de ordin. Judic. p.* 6. *tit. de execut. ſent. in* 3. *actu n.*2. Pirhing *lib.*2. *Decret. tit.*27. *n.* 99. Reiffenſtuel *ib. n.*167. & alii paſſim.

Judex Delegatus Papæ poteſt ſententiam ſuam exequi, & 74
quidem uſque ad annum, *cap. In litteris* 9. *cap. Quærenti* 26. *& cap. Paſtoralis* 28. §. *Præterea*, *de Offic. Delegati.* Quam ſententiam exequi poteſt ſive per ſe, ſive per alium, *citat. cap. In litteris*. Immo Delegatus Papæ poteſt executionem ſuæ ſententiæ committere Judici Ordinario, qui omnimode tenetur ejus mandato obedire, & ejus ſententiam exequi, *cap. Significaſti* 7. *& cit. cap. Paſtoralis* 28. §. *Quia vero*, *de Offic. Deleg.*

Item Delegatus Principis ſupremi poteſt ſuam ſententiam 75
exequi; *l. Cum ſpecialis Judex* 18. *Cod. de Judiciis*, Menoch. *lib.*1. *de Arbitr. Judic. q.*74. *n.*48. cum aliis ibi citatis, Pirhing. *l.c. n.*99. teſtans de communi.

Delegatus, ab inferiori Magiſtratu, ut ab Epiſcopo, ſeu 76
ab alio, quam a Principe ſupremo, probabilius non poteſt exequi ſuam ſententiam, ſed debet executionem Deleganti remittere; *l. A Divo Pio* 15. §. 1. *ff. de re judicata*, ibi: *Judicum a ſe datorum, vel Arbitrorum ſententiam exequantur ii, qui eos dederunt*, ac tradit Bartolus *ibid.* cum aliis. Et idem colligitur *ex cap. Si quis contra* 4. *de Foro competenti*, ubi Epiſcopus, qui ut ſuſpectus legitime recuſatur, poteſt dare Delegatum partibus non ſuſpectum, cujus ſententiam ipſe exequatur. Sic tenet etiam Menoch. *l.c. n.*52. Maranta *l.c. num.*4. Reiffenſtuel *l.c. n.*170. teſtans de communiori. Pirhing. *l.c. n.* 99. dicens id communiter teneri, quia lata ſententia a delegato ab alio, quam a Principe Supremo ſtatim omne ejus Officium expirat; *l. Judex* 5. *ff. de re judicata*, adeoque non poteſt ipſe exequi ſuam ſententiam, ſed debet ejus executionem remittere ad Delegantem.

Contrarium tamen docet Gloſſa *in cit. cap. Si quis contra* 77
*de Foro competenti*, *verb. Ipſius ſolicitudine*, & *ibid.* Abbas *num.*32. Imola *num.*2. quia, inquit Gloſſa a ſupradictis ſecuta, eo ipſo, quod Judici Delegato cauſa committitur, intelliguntur ei omnia illa commiſſa eſſe, quæ ad cauſam ipſam ſpectant, & ſine quibus cauſa ipſa expediri non poteſt. *ut c. Præterea* 5. *& c. Suſpicionis* 39. *de offic. Delegat.* Et *ibid.* Gloſſa reſpondet ad textus *num. præcedenti* allegatos, quia, dicit, quamvis in ipſis dicatur, quod Ordinarius exequitur ſententiam a Delegato latam, non tamen ibi prohibetur quo minus etiam id poſſit Delegatus, ſaltem ſi abſens ſit Judex Ordinarius.

Poſt latam a Judice ſententiam definitivam non eſt ſtatim 78
ipſa executioni mandanda in actionibus, & cauſis Civilibus, ſed in actionibus realibus expectandum eſt ſaltem per decem dies, priuſquam executio fiat, & in actionibus, & debitis perſonalibus expectandum eſt per quadrimeſtre, quod condemnato ad ſolvendum conceditur; *c. Quod ad conſultationem* 15. *de ſentent. & re judicata*, *l. Eos, qui* 2. *& l. Sancimus* 3. *Cod. de uſuris rei judicatæ*. Et quidem quod in actionibus realibus expectandum ſit ſaltem per decem dies, clare patet, quia ante elapſum decendium ſententia nec dum tranſiit in rem judicatam, immo ab eadem poteſt adhuc condemnatus appellare. *Authent. Hodie*, *Codic. de appellat. cap. Anteriorem* 28. *cauſ.*2. *q.*6. *c. Quod ad conſultationem* 16. *de ſentent. & re Judicata*, adeoque ante elapſum decendium non poteſt fieri executio ſententiæ in actionibus realibus. Quod autem in actionibus & debitis perſonalibus expectandum ſit per quadrimeſtre, ratio eſt, quia alteri obligatus actione perſonali non detinet rem alterius, pro ut contingit in obligato alteri actione, ſeu debito reali. Unde Jure merito pro executione ſententiæ in actionibus, & debitis perſonalibus Jura conceſſerunt quadrimeſtre ad ſolvendum, *cit. l. Eos, qui* 2. *& l. Sancimus* 3. *Cod. de uſuris rei Judicatæ*, *c. Quod ad conſultationem* 15. *de ſent. & re Judicata*, *cap. Quærenti* 26. Juncta Gloſſa *verb. Quadrimeſtre*, *de Offic. Delegati*. Sic Pirhing *l. c. num.*100. Reiffenſtuel *loc. cit. a num.* 160. & alii paſſim.

Dici

79 Dicitur autem notanter *In actionibus, & cauſis Civilibus*,
quia ſecus dicendum eſt de cauſis, & actionibus Criminali-
bus. In iſtis enim crimine liquidato, & prolata ſententia,
ſtatim fieri poteſt executio; *l. Cum reis* 18. *Cod. de pœnis*, &
docent Bartol. *in l. Quod ultimo* 29. *n.* 5. *ff. de pœnis*, Pi-
rhing *l.c. num.*100. Reiffenſtuel *l. c. n.*161. Layman *in cap.
Quærenti* 26. *num.*2. *de Offic. Delegati*, cum aliis ibi citatis,
ubi inſuper ſubjungit, quod in Imperio criminaliter conde-
mnatis remedium appellationis non concedatur; Urſaya *In-
ſtit. Crimin. lib.*4. *tit.*9. *num.*27. & alii contra alios.
80 Si condemnatus ad mortem nolit ſe diſponere ad Chriſtia-
ne moriendum, ſed mori velit deſperatus, & impœnitens,
adhuc ducitur ad patibulum, & ſuſpenditur. Muta *ad Prag-
matic. Regni Sicil. tit.*41. *ne condemnat. ad mortem num.* 15.
Raynald. *tom.*1. *cap.*4. *n.*7. *verſ. Dicit quarto*, cum Caſſan.
ibi cit. Urſaya *Inſtit. Crimin. lib.*4. *tit.*5. *n.*115. ubi *n.* 16. ſic
ſubjungit: Verum tamen eſt, quod omnes ſolent adhiberi di-
ligentiæ, antequam id ad praxim reducatur, quia raro id
evenit, ex quo quando condemnati obſervant, quod eodem
prætextu non obſtante, ad executionem deveniunt Juſtitiæ
Miniſtri, ut plurimum ad bene moriendum ſe diſponunt. Et
*de Angel. ubi proxime*, ubi quod non debet fieri executio,
niſi conſulto Principe. Hactenus ille.
81 Alia ad rem; Vide verb. *Appellatio*, verb. *Judex*, verb.
*Judicium*.
82 Sententiam condemnatoriam D.N.J. C. ſequentibus verbis
fuiſſe conceptam refert P. Mazzolin. nella *Prædic.*56. *n.* 13.
*Jeſum ſeducentem populum, blaſphemantem Deum, dicentem
ſe Chriſtum Judæorum eſſe, Cruci affigendum condemno, &
adjudico*.... Illius vero tenorem diverſimode refert Nico-
„ lius „ in Floſcul. verb. Judicium ante finem. Ego Pontius
„ Pilatus Judex in Jeruſalem ſub potentiſſimo Cæſare Tibe-
„ rio, cui felix, & fauſtum ſit Imperium, cum ſederem pro
„ Tribunali ac Jus omnibus etiam Synagogæ Judæorum di-
„ cerem, audita, & cognita cauſa Jeſu Nazareni, quem
„ Judæi vinctum adduxerunt, ſic judico, quando ipſe qui-
„ dem arrogantibus verbis ſe fecit Filium Dei, & ſe Regem
„ Judæorum prædicavit, tametſi pauperrimis parentibus ſit
„ prognatus, & ſe Templum Salomonis deſtructurum dixit,
„ cum duobus Latronibus ad Crucem damnetur „. Sic re-
fert Urſaya *in Miſcellaneo Sacro, & Profano par.* 2. *litt. S.
num.* 28.
83 Pro juſta ferenda ſententia debent Judices præ oculis ha-
bere, & diligenter ponderare cauſæ merita ſecundum utriuſ-
que juris diſpoſitionem; *arg. c. Intelleximus* 1. *de novi ope-
ris nunciat.* ibi: *Quia vero ſicut Leges non dedignantur Sacros
Canones imitari, ita & Sacrorum ſtatuta Canonum Principum
Conſtitutionibus adjuvantur, Fraternitati tuæ mandamus, qua-
tenus diligenter conſiderans .... negotium ipſum ſecundum*
84 *Legum, & Canonum ſtatuta non differas terminare*. Unde
Judices tum jure Civili, tum Canonico ſatis inſtructi eſſe
tenentur, quia, ut recte notarunt Ludovicus Romanus *Sin-
gulari* 654. & poſt ipſum Zoeſius *in proœmio Juris Canonici
num.*5. Fagnan. *in cap. Super ſpecula num.*30. *Ne Clerici, vel
Monachi*, Rota *dec.*26. *num.*30. relata ab Antonell. *de Juri-
bus Cler. circa fin.* Reiffenſt. *lib.*1. *Decr. in proemio* §.13. *nu-
mer.*226. & alii paſſim: *Legiſta ſine Canonibus parum valet,
Canoniſta ſine Legibus nihil*, & Rebuff. cit. & ſecutus a Rota
*in dict. dec.*26. *num.*33. expreſſe habet: *Immo audacter dico,
quod Jus Pontificium perfecte non poteſt intelligi ſine Legibus,
cum ſit medulla Legum, & Jus Canonicum eſt practica Juris Ci-*
85 *vilis*. Aliter illi ſubjacerent cenſuræ, cui ſubjacere quoſdam
Doctores ex And. Mend. *lib.*1. *ſelect. q. de Acad. q.*15. re-
fert Brancacc. *de Jur. Doctor. cap.*1. *in fine*, & Urſaya *Inſtit.
Crimin. lib.*3. *tit.*10. *n.*13. ibi:

„ In inſtitutis comparo vos Brutis.
„ In Digeſtis nihil poteſtis.
„ In Codice ſcitis modice.
„ In Novellis comparamini Aſellis.
„ Et tamen creamini Doctores.
„ O tempora, o mores?

86 Poſſentque vocari non *Juris Doctores*, ſed *Juris dolores*,
ut aliquos vocat eruditiſſimus de Rubeis *in diſc. ad ſcient.
amat. in princ. p.* 4. *tom.* 3. *num.*26. appellando etiam ipſos
*Doctores neceſſitatis*, hoc eſt ſine Lege, qui neceſſitas non
habet Legem, *cap. Sicut* 11. *de conſecr. diſt.* 4. *c. Conſilium* 2.
*de obſerv. Jejun.* cum ſimilibus; in quo ſenſu vocari etiam
poſſent *Doctores monetæ tonſæ*, hoc eſt ſine litteris quia iſtæ
primæ in monetæ tonſione abraduntur. De quibus ut adver-
tit Urſaya *Inſtit. Crim. lib.*2. *tit.*10. *num.* 103. *& ſeq.* quan-
do cauſas quærunt, ſemper verificatur lepidum illud dictum
communiter per ora Curialium volitans quod ſint *Advocati
ſeu Procuratores Pilati*, in quibus ſcilicet nullius reperiun-
tur cauſæ defendendæ, juxta id, quod legitur *Joan. cap.*18.
*num.*38. *Nullam invenio in eo cauſam*. *Advocati de Reper-
torio* appellatur a Pacichel. *de diſtant. cap.*4. *ſub num.*1. *fol.*
7. Illoſque *Doctores privilegio non autem ſapientia*, vocat
Rota *in Romana, ſeu Spoletana Legati* 5. *Mart.* 1717. §. *A
quo ſane, in fine coram Cerro*, Leonard. vero *de Doctor.
par.*1. *q.*13. *fol.* 9. vocat illos *Doctores honorarios*; Sic ex-
preſſe refert Urſaya *cit. n.* 103. *& ſeq.* Unde caveant ſi qui
ſint hujus furfuris Doctores, & Advocati, ne quærant fieri
Judices juxta illud *Eccleſiaſtici cap.*7. *num.*6. *Noli quærere
fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, quia
ſolum Judex ſapiens judicabit populum*. *Eccleſiaſtici cap.* 10.
*num.* 1.
Advertant Judices, quod prætextu æquitatis non ſcriptæ, 87
in concurſu Legis claræ, & contractus litteralis, non eſt lo-
cus ſententiæ innixæ eidem æquitati, quæ in hoc caſu vo-
catur potius duplex iniquitas. Conciol. *alleg.* 50. *nu.* 38. *&*
39. Andreol. *controv.*92. *n.*17. *in fin.* Gobat *conſult.*97. *n.*40.
& ſequut. ab Urſaya *Inſtit. Crim. lib.*4. *tit.* 8. *n.* 53. *& ſeq.*
ubi, quod Judex ſequi debet æquitatem legis, non proprii
capitis, ne contra admittentes talem æquitatem deprecari
contingat id, quod de Parlamento, & Magno Conſilio refert
Franc. Marc. *dec.*2. *in fine p.*1. nempe: *Ab illius æquitate,
& expedienti liberet nos Deus*, & Grat. *diſcept. forenſ.* 669.
*num.*55. *& ſeq.* ubi *num.*27. quod quidam amicus blande
redarguit Judicem illum, qui ſententiam æquam voluit dare,
præ oculis nimirum habendo æquitatem, aſſerendo fuiſſe
equam, ſed ſine diphtongo. Hactenus Urſaya *l.c.* Qui *ibid.* 88
*num.*56. *& ſeq.* ſubjungit coincidere lepidam illam reſpon-
ſionem a Bulgaro datam Federico Imperatori, qui incedens
medius inter eundem Bulgarum, & Martinum ejus æmulum,
eoſdem interrogavit, cujuſnam eſſet merum imperium?
Martinus ſolius Cæſaris reſpondit, Bulgarus vero non Cæſa-
ris tantum, ſed & Præſidum Provinciarum; Cum autem
gratior fuiſſet Imperatori aſſentatio Martini, eique proinde
equum donaſſet ille dicere ſolebat, *ſe æquum dixiſſe, equum
vero adduxiſſe Martinum*; qui cum eſſet obſtinatiſſimus in
ſuſtinendis ſuis opinionibus, quamvis erroneis, & ſingula-
ribus, ex ejus cervicoſa duritie ortum eſt vulgare adagium,
quod *Martinus* appelletur quicumque in aliqua ſingulari ſua
ſententia, ſeu opinione pertinaciter ac contumaciter perſe-
verat. (a)
Unica ſententia pro nullitate Matrimonii prolata, nemini
licet ad alia vota tranſire. Benedict. XIV. tom. 1. Conſtit. 89
30. incip. *Dei miſeratione* §.9. *&* 14. Appellatio a ſententia
lata ſuper nullitate Matrimonii in quacumque inſtantia ſem- 90
per ſuſpendit executionem. Idem *ibid.* §.11. Appellatio in
cauſis Matrimonialibus impediri nequit per pacta pœnalia. 91
Idem Conſt.85. incip. *Nimiam* §. 4. *&* 7. Sententia ſuper
nullitate Matrimonii numquam tranſit in rem judicatam, ſed 92
ex noviter detectis quandocumque revideri poteſt. Idem
cit. Conſtit. *Dei miſeratione* §.11. Vide alia tom.5. *ad verb.
Matrimonium*.
Sententia unica lata in prima inſtantia ſuper nullitate Ma-
trimonii, non licet ad ſecunda vota tranſire, ſed duas con- 93
formes ſententias ad hunc effectum prodiiſſe oportet. Idem
tom.3. Conſt.47. incip. *Si Datam*. Idipſum a Pontifice ſta-
tuitur pro cauſis ſuper nullitate Profeſſionum Regularium, 94
& reclamanti prohibetur e Clauſtris exire poſt unicam ſen-
tentiam. Idem *ibid.* Niſi quis antea per duas conformes re-
ſolutiones obtinuerit reſtitutionem in integrum adverſus la- 95
pſum quinquennii. Idem *ib.* Sententia ſuper nullitate Profeſ-
ſionis expectanda eſt etiam poſt legitime obtentam reſtitutio- 96
nem in integrum, ad hoc ut reclamans e Clauſtris migrare
poſſit. Idem *ib.* Sententiæ, quæ proferuntur in cauſis nul-
lita- 97

(a) Nota. Quæ Auctor a *num.*82. uſque ad *num.*88. adducit, ſerio legenda ſunt; quare, vos rogo, *riſum teneatis
Amici*.



litatis Profeſſionis Regularis, poſtquam a Sancta Sede con-
ceſſa fuit in integrum reſtitutio, ut plurimum ſunt pro Pro-
98 feſſionis invaliditatem. Idem *ib.* Sententia ſuper nullitate
Profeſſionis prolata abſque proceſſu ſecundum juris ordinem
99 confecto, nulla definitur. Idem *ib.* Item ſi citati non fuerint
omnes intereſſe habentes in ſuſtinenda illius validitate. Idem
100 *ibid.* Vide alia tom.6. ad verb. *Profeſſio Regularis*.

*Novæ additiones ex aliena manu*.

1 REgulariter ſententia habet effectus ſuos inter ſolos Liti-
gantes, *aliis* vero non nocet; *L.* 63. *ff. de Re judicat.*
2 *L.*2. *C. quibus res judic. non noceat*. Idque tum naturali ra-
3 tione, quod Alter ex facto Alterius prægravari non debet,
tum ratione civili, quod in judicio quaſi contrahitur, atque
adeo obligatio judicati inter eos tantum operari debet, inter
quos quaſi contractum, ideſt inter Litigantes.
4 Ad rectam vero hujus Regulæ applicationem inquirendum
quinam in ſenſu juris maxime in hac materia *Alii* dicantur.
5 *Alii* in hac Regula dicuntur, qui non eamdem cum Litiga-
tore perſonam gerunt, quales ſunt Hæredes, ſed proprium
principale, ſeparatum, & diverſum plane jus ab eo habent,
quod non dependeat a jure ejus, contra quem judicatum eſt.
6 Contra vero in effectu juris in hac materia pro *aliis* non ha-
bentur, quorum jus dependet a jure legitimi Contradictoris.
quo cum hactenus actum, & adverſus quem judicatum, &
ſic facile æquiſſima ratione contingere poteſt, ut ſententia
proſit adverſus Tertium, vel eum qui non quidem fuit in lite,
ſed tamen idem jus habet cum legitimo Contradictore. Sic
enim ſententia tota jus facit quoad omnes, tametſi nec liti-
gaverint, nec ad judicium fuerint vocati, nec ſcientiam litis
controverſæ habuerint.
7 Res exemplis illuſtrior redditur. Initium ſumamus a ſtatu
perſonarum, qui triplex eſt, Libertatis, Civitatis, & Fa-
8 miliæ. De ſtatu libertatis *in L.*15. *ff. de ſtat. homin.* habetur,
*Ingenuum etiam accipere debemus eum, de quo ſententia lata
eſt, quamvis fuerit libertinus, quia res judicata pro veritate
accipitur*. Poteſt de ingenuitate duplici modo ferri ſententia,
ut probet is qui aliquem ſervum eſſe aſſerit, aut qui ſe inge-
9 nuum ait. Si prius fiat, & hic in probando deficiat, tantum
pronunciatur non probatum eſſe, quod probandum erat, &
ſervum non videri; *L.*27. §.1. *ff. de Liberal. cauſ.* & hæc ſen-
tentia aliis non præjudicat, quia non de jure & ſtatu ipſius
10 ſervi, ſed tantum de jure Auctoris pronunciatum eſt. Si
vero poſterius contingat, quod contingere poteſt, ſi volens
onus probandi ſubierit; *L.*14. *ff. de Probat.* jam ſuper ipſius
11 ſtatu directo pronunciatur; & ita ſi ingenuus pronunciatus
fuit, hæc ſententia etiam prodeſt contra omnes, qui talem
libertinum eſſe aſſerere contendunt. Sunt enim hic verba
ſententiæ concepta in rem, ſive de ipſo ſtatu, & ita ſemel
ſtatus perſonæ per rem judicatam adjudicatus eſt. Confer
*Hartmann. Piſtor. par.*4. *quæſt.* 29. *fer. per tot. Carpzov. Ju-
riſprud. Forenſ. part.*1. *Conſtit.* 26. *defin.* 16. *numer.* 1. *&* 2.
12 Neceſſe vero eſt in hoc caſu, ut ſententia de ſtatu ſit lata
contra Dominum, vel Patronum, eumque præſentem, non
vero ex contumacia abſentem; *L.* 17. §. 1. *ff. de Inoffic.
Teſtam.*
13 Eodem ex fundamento ſententia pro filiatione lata contra
14 omnes prodeſt; *L.*1. §. *final. ff. de Agnoſcend. liber.* Intellige
tamen ſi quæſtio filiationis cum ipſo Patre, qui eſt unicus
Contradictor legitimus, non cum aliquo de Agnatis fuerit.
Conſule *Alexandr. in L. penultim. num.*60. *ff. de Re judicat.*
15 Idem dicendum de ſententia lata pro Uxore, modo Ma-
ritus fuerit Contradictor.
16 Quatenus vero ſententia in cauſa nobilitatis lata jus faciat,
vide *Tiraquell. de nobilit. cap.*37. *numer.* 2. *& plur. ſequent.*
17 ubi etiam diſſerit de viribus contra Tertium ſententiæ pro
Cive latæ.
18 Gravior quæſtio eſt, an ſententia lata ſuper Primogenitu-
ra, vel majoratu, & bonis inde dependentibus noceat ei,
qui poſt illum, qui hactenus in lite fuit, ſed ſuperatus eſt,
ad illam Primogenituram aſpirare poteſt. Affirmant ex text.
in *L.*44. *ff. de Re judicat. Brunemann. in dict. L.* 44. *numer.*1.
*Hartman. Piſtor. part.*4. *quæſt.*29. *Molin. de Primogen. Hiſ-
pan. lib.*4. *cap.*8. *num.*3. *Carpzov. part.*3. *deciſ.*254. *num.* 13.
19 De ſententia contra aſſaſſum lata an noceat domino, adi
*Raſenthal. de Feud. cap.*9. *membr.*1. *concluſ.*23. *numer.* 3. *&
plur. ſequent.*

*Ferrar. Biblioth. Tom.VII.*

Et de ſententia *lata de ſtatu ſubjectionis* an proſit contra 20
omnes, conſule *Zaſium ad L.*63. *n.* 39. *ff. de Re judic. Gail.
lib.*1. *obſerv.*70. *num. final.*
Sed hæc quidem de ſtatu Perſonæ ſufficiunt. Transeo nunc 21
ad jura rerum, ubi itidem ſæpe contingit rem judicatam jus
facere inter alios, quam qui in lite fuere, & quidem potiſſi-
mum inter illos, qui ab eo qui victus eſt cauſam habent.
Tales ſunt Legatarii; Iis porro nocet ſententia lata contra
Hæredem ſuper teſtamento, dummodo tamen bona fide ab 22
Hærede actum ſit, hæres ſit victus propterea quod teſtamen-
tum valere non potuerit, & per incuriam Judicis victus non
fuerit, & demum ab ipſis Legatariis non fuerit appellatum.
Diverſum autem eſt, ſi ſententia contra unum ex Legatariis 23
lata ſit, nam aliis non nocet.
Tales etiam ſunt Subſtituti. Hinc ſententia contra hære- 24
dem lata ſubſtitutis nocet. Aliter vero ſe res habet quoad 25
ſententiam latam contra cohæredem. Hæc enim alii cohæ-
redi qui in judicio non fuit haud nocet. Confer *Zaſium in L.*63.
*num.*17. *ff. de re judicat.*
Ex alio etiam fundamento ſententia inter alios jus facit. 26
Hoc ſuppeditat Juriſconſultus *in citata L.*63. *ff. de Re judic.*
ſcilicet: *Quum quis de ea re, cujus actio, vel defenſio pri-
mum ſibi competit, ſequentem agere patitur*. Subjungit Ju-
riſconſultus exemplum: *Veluti ſi Creditor experiri paſſus ſit
debitorem de proprietate pignoris*. Sed vide *Zaſium in dict.
L.*63. *qui num.* 4. *& plur. ſequent.* materiam illuſtrat. 27
Pariter contra alios etiam ſententia prodeſt, ſi per neceſſa- 28
riam conſequentiam ſit etiam juris Tertii excluſiva. Deſumi
exemplum poteſt *ex l.*1. §. *final. ff. de Carbon. Edict.* quan-
do ſcilicet Mater ſubjecti partus arguitur, ubi primum quæ- 29
ritur, an propter ſtatum Pueri quæſtio differenda ſit? Quod
negatur, quia principaliter hic Mater rea poſtulatur, & ſic
recenti tempore, hoc eſt de præſenti poteſt cognitio fieri;
& porro Juriſconſultus ſubjicit: *Et poſt eventura cognitionis,
ſi ſuppoſitum partum apparuerit, actiones hæreditariæ Puero
denegandæ ſunt, omniaque perinde habenda, atque ſi hæres* 30
*ſcriptus non fuiſſet*. Revera enim ex errore ſcriptus eſt a
Patre putativo hæres, qui ſi partum ſuppoſitum eſſe cogno-
viſſet, nunquam eum ſcripſiſſet hæredem. Neque obſtat 31
quod ſententia principaliter contra Matrem ſit lata. Nam
quum ipſa de crimine ſuppoſiti partus ſatis convicta ſit, neceſ-
ſario hæc ſententia eſt excluſiva juris ipſius Pueri, quum
nullum jus poſſit habere, ubi conſtat per ſententiam eum eſſe
ſuppoſitum.

## SEPULTURA.

NOmen Sepulturæ tribus modis ſumi poteſt. Primo pro 1
Jure ſepeliendi Corpora, ſeu Cadavera mortuorum;
*arg. Clementin. c. Dudum* 2. *de Sepulturis*, cum ſimilibus. Se-
cundo pro actu, ritu, ſeu Officio, quo in aſſociandis ad Se-
pulturam & ſepeliendis Cadaveribus mortuorum impenditur;
*cap. Dictum* 105. *cauſ.*1. *q.*1. *cap. Præcipiendum* 15. *cauſ.* 13.
*q.*2. cum ſimilibus. Tertio pro ipſo loco, & ſitu, in quo
Cadavera mortuorum ſepeliuntur; *cap. Aurum* 69. *cauſ.*12.
*q.*2. *cap. Fraternitatem* 3. *de Sepulturis*, & de Sepultura hoc
tertio modo ſumpta erit ſermo.
Sepultura igitur hoc tertio modo accepta eſt locus auctori- 2
tate Epiſcopi benedictus, in quo cadavera Catholicorum
pie decedentium ſepeliuntur; *Sic in re Communis*.
Locus Sepulturæ regulariter olim erat atrium, aut porticus, 3
vel aliud terræ ſpatium prope Eccleſiam, quod hodie Cœ-
meterium communiter appellatur, text. expreſſo *in cit. cap.
Præcipiendum* 15. *cauſ.*13. *q.* 2. ibi: *Præcipiendum eſt etiam
ſecundum Majorum inſtituta, ut in Eccleſia nullatenus ſepe-
liantur, ſed in atrio, porticu, vel in Exedris Eccleſiæ*.
Cœmeterium autem Græce ſignificat idem ac latine *Dor-* 4
*mitorium*, eo quia ibi requieſcunt corpora Catholicorum,
qui ratione Fidei infallibilis finaliter reſurgendi non tam mor-
tui ibi jacere, quam dormire dicuntur; *Joann. cap.*11. *n.*11.
ibi; *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, ut a ſomno ex-
citem eum*. Et Epiſt.1. *Ad Theſſalonicenſ. cap.*4. *n.* 12. ibi:
*Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus*, quem
textum ſic exponit S.Hieronymus dicens: *Eos dormientes ap-
pellari, quia certum eſt eos reſurrecturos*.
Quamvis tamen olim in ſolis Cœmeteriis, & nullus in Ec- 5
cleſia ſepeliri poſſet, ut patet *ex cit. cap. Præcipiendum* 15.
*cauſ* 13. *q.* 2. *& cap. Nullus* 18. *ead. cauſ.* 13. *& q.* 2. ibi:
*Nullus mortuus intra Eccleſiam ſepeliatur, niſi Epiſcopi, aut*

Abbates, aut digni Preſbyteri, aut fideles Laici, ideſt Laici fama Sanctitatis, & miraculis clari, ut explicat Gloſſa ibid. verb. Fideles; Tamen hodie, & Jure, & conſuetudine introductum eſt, ut omnes Catholici, ſive Clerici, ſive Laici in Eccleſiis ſepeliantur; cap. Fraternitatem 3. cap. Ex parte 5. & c. Cum liberum 6. de Sepulturis, juncto cap. Cum gratia 17. cauſ. 13. q. 2. ubi additur ratio, ibi: Prodeſt mortuis, ſi in Eccleſia ſepeliantur, quia eorum proximi quoties ad eadem Sacra loca veniunt, ſuorum, quorum Sepulturam aſpiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt.

6 Quilibet a jure non impeditus poteſt ſibi eligere Sepulturam in qualibet Eccleſia ad id jus habente; Communis, per claros textus in cap. Nos inſtituta 1. cap. Fraternitatem 3. cap. Cum liberum 6. cap. Cum ſuper 8. cap. In noſtra 10. de Sepulturis, cap. Animarum 1. & cap. Cum quis 2. de Sepulturis in 6.

7 Et ſi Cadaver illius, qui elegit Sepulturam in aliqua Eccleſia, etiam Regulari, & per vim Parochi, aut alterius, non ibi, ſed alibi ſepeliatur, eſt reſtituendum ſimul cum oblationibus Eccleſiæ electæ; textu expreſſo in c. Ex parte 5. cap. Cum liberum 6. de Sepulturis, cap. Animarum 1. eod. in 6. Et ſic pluries decrevit Sacra Congregatio in facti contingetia, ut videri poteſt verb. Cadaver num. 11. ubi referuntur Decreta una cum confirmatione facta ab Alexandro VII. Conſtit. incip. Alias pro parte.

8 Qui ſibi Sepulturam non eligit, ſepeliri debet in Sepulcro Majorum ſuorum, textu expreſſo in cap. Nos inſtituta 1. de Sepulturis, ibi: Statuimus unumquemque in Majorum ſuorum Sepulcris jacere, ut Patriarcharum exitus docet, cap. Cum quis 2. & cap. Is qui 3. eod. in 6. ibi: Is, qui .... in ea, in qua Majorum ipſius ab antiquo Sepultura extitit, ſepeliri debebit dummodo abſque periculo ab ipſam valeat deportari.

9 Majorum nomine ad hunc effectum veniunt Pater, Avus, Proavus, & alii aſcendentes in linea recta; l. Juriſconſultus 10. ff. De gradibus, l. Appellatione 51. ff. de verb. ſignif. Panimol. deciſ. 5. adnot. 3. n. 15. Barboſ. de Offic. & poteſt. Parochi cap. 26. n. 32. Reiffenſtuel lib. 3. Decretal. tit. 28. n. 10. & alii paſſim.

10 Si Majores non in uno, & eodem ſepulcro ſepulti fuerint, ſed in diverſis, v. g. Avus, Proavus, Abavus, aliique omnes Majores in uno, Pater vero in alio, tunc ſecundum Gloſſam in c. Is qui 3. verb. Antiquo. de ſepulturis in 6. Engel. lib. 3. Decret. tit. 28. num. 6. Reiffenſtuel ibid. n. 11. Silveſter verb. Sepultura q. 8. & alios, filius decedens non electa Sepultura ſepeliri debet in ſepulcro majorum, & non Patris, niſi Pater pro ſe, & poſteris aliam Sepulturam expreſſe elegiſſet. Et id tenent, & probant ex quo ſemper in Jure fiat locutio in plurali, ut patet in cap. Nos Inſtituta 1. de Sepulturis ibi: in Majorum ſuorum ſepulcris cap. Fraternitatem 3. eod. ibi: Patrum, aliorumque Parentum Sepulcbris, quo nomine etiam Majores veniunt. cit. l. Juriſconſultus 10. d. 8. ff. de Gradibus affinit. ibi: Parentes uſque ad Tritavum nominantur, & c. Cum quis 2. de Sepulturis in 6. ibi: Cujus Majores ſunt ſoliti ab antiquo in aliqua Eccleſia ſepeliri, cap. Is qui 3. eod. in 6. ibi: In qua majorum ipſius ab antiquo Sepultura extitit, ſepeliri debebit. Hæc autem Jura magis verificantur, ſi in dicto caſu Filius non in Sepulcro ſolius Patris ſed in Sepulcro Majorum antecedentium ſepeliatur, ut ex verbis patet, adeoque &c.

11 Multi autem alii tenent contrarium, nempe quod Filius decedens, non electa Sepultura, debeat in tali caſu ſepeliri, non in Sepulcro omnium Majorum, ſed in ſepulcro Patris; Dummodo Pater ex propria electione, & non caſu, vel ex aliquo accidenti ſepultus fuerit in Sepultura diverſa ab antiqua Majorum. Sic late Oldrad. conſil. 25. num. 2. verſ. Contrarium uſque ad fin. Abbas in citat. cap. Nos inſtituta 1. n. 5. de Sepulturis, Sperell. tom. 1. deciſ. 88. n. 9. cum alii ibi relatis, Barboſa de Offic. & poteſtat. Parochi cap. 27. num. 32. & lib. 2. Jur. Eccleſ. univerſ. cap. 10. num. 32. Medic. de Sepult. quæſt. 7. num. 22. 1. part. Panimol. deciſ. 5. adnotat. 3. n. 19. ubi dicit, quod hæc eſt receptior ſententia, Ventriglia part. 1. Annot. 52. §. unic. n. 24. Mattheucc. Official. Curiæ quoad Sepulturas c. 48. num. 23. Zechius de Republich. Eccleſiaſtic. lib. 1. cap. 28. de Parocho num. 27. verſ. Fallit, Cardin. Petra tom. 2. Comment. in Conſtitut. 2. Honorii III. num. 25. Pirhing. lib. 3. Decretal. tit. 28. n. 4. & alii, quorum tamen varii, ut Card. Petra, Barboſa, Mattheuc. & alii, ut eos legenti patet, id ſolum affirmant quando Proavus, Abavus, & alii Aſcendentes Majores ſepulti ſunt in uno Sepulcro, Avus vero, & Pater ſepulti ſunt in alio, & non quando omnes Majores ſepulti ſunt in uno, & ſolus Pater in alio. Sicque non videntur diſſentire a Doctoribus primæ ſententiæ relatis ſupra n. 10.

Et revera ſi Abavus, & Proavus ſepulti ſint in uno Sepulcro, Avus vero, & pater in alio, Filius decedens, non electa ſepultura ſepeliendus eſt cum Patre, & Avo. Pirhing loc. cit num. 4. Reiffenſtuel loc. cit. num. 11. Engel loc. citat. num. 6. Petra loc. citat. num. 25. Matthæuc. loc. cit. num. 23. Oldrad. cit. conſil. 25. Barboſa de Offic. & poteſtate Parochi cap. 26. num. 32. & in cap. Nos inſtituta 1. n. 2. de Sepulturis, Silveſter loc. citat. quæſt. 8. & alii; Et ratio eſt, quia Sepultura inter mortuos comparatur domicilio inter vivos; Atqui Filius ſequitur originem, & Domicilium proximiorum Parentum, ſeu Majorum, Patris ſcilicet, & Avi, & non remotiorum Aſcendentium, l. Aſſumptio 6. §. Filius ff. ad municip. cap. Fraternitatem 3. de Sepulturis, ergo &c. Tum quia, in dicto caſu æque ſatisfit Juris Textibus, ac ſi in ſepulcro remotiorum ſepeliretur. 12 Si autem Pater pro ſe, & poſteris aliam Sepulturam elegiſſet expreſſe, tunc utique Filius, ut dictum fuit ſupra num. 10. deberet ſepeliri in Sepultura Patris; arg. Unaquæque 3. §. Item in novo cauſ. 13. q. 2. quia ſi poſteri aliam Sepulturam non eligant, in ſimilem Patris electionem conſentire, ſicque ſibi ipſis Sepulturam tacite elegiſſe cenſentur. Reiffenſtuel loc. cit. n. 11. & a fortiori omnes citati Doctores ſupra num. 11. 13

Si adſit ſepulcrum Gentilitium ſeu familiare, & ſepulcrum hereditarium, attendendum eſt primum, & poſtea ſecundum, cum etiam hoc dicatur aliquo modo ſepulcrum Majorum. Sic cum aliis Card. Petra cit. tom. 2. Commentar. in Conſtitut. 2. Honorii III. ſect. unic. n. 35. Matthæucc. loc. cit. n. 23. verſ. Sicut, Paſſerin. de ſtatu homin. tom. 2. q. 187. art. 4. inſpect. 4. cap. 2. & alii. 14

Etiam infantes, quamvis juxta Rituale Romanum tit. de Exequiis puer. debeant ſepeliri in ſepulcro ſeparato, adhuc tamen ſepeliri poſſunt in Sepulcro Majorum. Sic expreſſe decrevit Sacra Congr. Epiſc. & Regul. in Aſculana 21. Octobris 1616. apud Barboſa de Offic. & poteſt. Parochi cap. 26. n. 28. Card. Petram loc. cit. n. 26. Panimol. c. cit. n. 18. Sperelli cit. deciſ. 88. in fine, & noviſſime Sacr Congr. Concilii in Novarien. Funerum 15. Martii 1704. in reſponſ. ad primum. Vide verb. Quarta Funeralis n. 32. ubi una cum aliis datur ad litteram Decretum. 15

Filii illegitimi, & naturales ſepeliendi ſunt in ſepulcro Patris, niſi is in Dignitate ſit conſtitutus. Non item Filii Spurii, quia iſti ſepeliendi ſunt in Sepulcro Matris, niſi ſit femina illuſtris. Silveſter verb. Sepultura q. 8. dict. 4. Pirhing loc. cit. ſub n. 4. & alii. 16

Filii adoptivi, & arrogati, ſi moriantur vivente Patre, in cujus poteſtate erant, debent ſepeliri in ſepulcro ejuſdem. Secus autem, ſi eo jam mortuo, decedant, quia tunc debent ſepeliri in ſepulcro Patris naturalis, cum jam expiraverit in tali caſu adoptio. Silveſter loc. cit. diſt. 4. Pirhing loc. cit. ſub num. 4. & alii. 17

Infantes expoſiti non in Sepultura Patris, ſeu Majorum, ſed in Sepultura Hoſpitalium, in quibus exponuntur, ſunt ſepeliendi, arg. cap. Si a Patre unic. de infantibus, & lang. l. fin. Cod. de infantibus expoſit. Sebaſtianus Medices p. 1. de Sepultur. q. 7 n. 25. Ventrigl. loc. cit. n. 25. & alii. Si autem tales infantes non eſſent expoſiti in Hoſpitalibus, nec Hoſpitalium expenſis alerentur, eſſent ſepeliendi in Parochia, in qua contingeret eos decedere, quia decedentes, non electa Sepultura, ſepeliendi ſunt in ſua reſpectiva Eccleſia Parochiali; cap. Ex ea parte 5. cap. Cum ſit liberum, cap. in noſtra 10. de Sepulturis, cum ſimilibus. 18

Supradicta Regula, quod decedens ſine electione Sepulturæ ſepeliendus ſit in Sepulcro Majorum, non procedit e converſo, taliter quod, ſi moriatur Pater, vel Avus, ſepeliendus ſit in ſepulcro Filii, vel nepotis; Et ratio eſt, quia aſcendentes non ſequuntur ſepulcrum deſcendentium, nec tranſverſales ſepulcrum tranſverſalium, niſi ſint heredes & Sepultura ſit hereditaria, nec ſit ibi facta electio; Lavorius variar. lucubrat. tit. 2. cap. 11. n. 121. Sebaſtianus Medices loc. cit. n. 24. Ventriglia loc. cit. n. 24. & alii. 19

Si quis nullam habeat ſepulturam Majorum, nec aliquam ſibi elegerit, ſepeliendus eſt in propria Parochia, ubi Sacramenta ſuſcepit. Communis, per text. in cap. Ex parte 5. & cap. In noſtra 10. de ſepultur. cap. Animarum 1. & cap. Is qui 3. eod. in 6. 20 Et nullam habere ſepulturam Majorum cenſetur etiam Filius ille, cujus Majores ſinguli ſepulti ſunt in diverſis Sepulcris, nempe Proavus in uno, Avus in alio, 21 Pater



Pater in altero, cum ad hunc effectum requiratur concurſus plurimorum, qui ab antiquo in eodem Sepulcro ſepulti fuerint, quia ab uno ſolo denominari non poteſt ſepulcrum Majorum; Unde ceſſante hoc caſu Majorum Sepulcro talis filius ſepeliendus erit in ſua Parochia, Sic Ancharanus in cap. Is qui ſub n. 4. de Sepultur. in 6. Silveſt. verb. Sepultura ſub num. 8. Barboſa in cap. Nos inſtituta 1. num. 2. de ſepult. Reiffenſtuel loc. cit. num. 11. in fin. Engel loc. cit. n. 6. & alii; Contrarium tamen, nempe quod hoc caſu ſit attendendum ſepulcrum Patris, tenet Abbas in c. 1. n. 5. Extravag. de ſupulturis, & ita de conſuetudine ſervari teſtatur Lavorius variar. lucubration. tit. 2. cap. 11. n. 113. Sperell. tom. 1. deciſ. 88. n. 10. At iſti intelligendi ſunt in caſu, quo Pater pro ſe, & poſteris Sepulturam elegiſſet, juxta dicta ſupra n. 13. Alias non eſſet, qui non haberet ſepulcrum Majorum, cum quilibet habeat ſuum Patrem in aliquo ſepulcro ſepultum loquendo de Patribus jam ſuis filiis præmortuis.

22 Peregrini pertranſeuntes, & Viatores, niſi ſepulturam elegerint, ſepeliendi ſunt in Cathedrali; Advenæ autem, ſeu exteri, & peregrini habentes per aliquod tempus habitationem in aliqua Parochia, ſepeliendi ſunt in ipſa. Sic S. C. Epiſcop. & Regular. in Fulginaten. 5. Julii 1592. reſcribens Epiſcopo: Etiam circumſcripta conſuetudine Advenas, & pertranſeuntes in Cathedralibus, & reliquos in Parochia, intra cujus fines obierint, ſi per aliquod tempus habitaverunt, eſſe ſepeliendos, Sperell. deciſ. 87. n. 14. Lavorius loc. cit. n. 144. Card. Petra tom. 2. Comment. in Conſtit. 9. Innocent. III. ſect. unic. n. 50. Matthæucc. loc. cit. n. 12. & alii referentes dictam Sacræ Congreg. reſolutionem; Si autem adeſſet alibi legitima aliqua conſuetudo, tam favore Cathedralis, quam Parochi, eſſet ſervanda, ut concordant Doctores apud Sperell. loc. cit. n. 14. Panimol loc. cit. n. 43. Card. Petra loc. cit. n. 50. arg. cap. Cum dilectus 8. & c. Cum tanto 11. de cunſuetudine, l. Si de interpretatione 37. ff. de Legibus.

23 Studioſi, famuli conductitii, milites, Officiales, aliique ſimiles conducentes domos ad aliquod tempus, ſeu alicubi habitantes, ſi ſepulturam non ſibi elegerint, debent ſepeliri in Parochia, ubi ſic habitabant, & deceſſerunt. Communis, & ſervat recepta conſuetudo, quæ non ſolum eſt in dubiis optima Legum interpres; cit. l. Si de interpretatione 37. ff. de Legibus, cap. Cum dilectus 7. de conſuetud. Sed etiam claræ Legi derogat, cap. Cum tanto 11. de conſuetudine. Miles tamen præſidiarius ſepeliri debet in Parochia Arcis ubi actualiter moratur, non autem in alia Parochia ubi retinet domum apertam cum uxore, & filiis; Sac. Congr. Conc. in Romana 17. Auguſt. 1697. apud Urſayam in Miſcellaneo Sacr. & prof. lit. M.

24 Qui habet domicilium in Civitate, vel Caſtro, & ad Villam ruralem ſe transfert recreationis gratia, vel ut ruralia exerceat, & inibi, non electa ſepultura, nec habens Sepulcrum Majorum decedat, debet ſepeliri in propria Parochia Civitatis, vel Caſtri, ſi abſque periculo ad ipſam poſſit deferri, textu expreſſo in cap. Is, qui 3. de Sepulturis in 6. ibi: Is qui habet domicilium in Civitate, vel Caſtro, quando ad Villam ruralem ſe transfert recreationis cauſa, vel ut ruralia exerceat in eadem, ſi non electa ſepultura decedat ibidem, non in Eccleſia dictæ Villæ, ſed in ſua Parochiali, vel in ea potius, in qua majorum ipſius ab antiquo Sepultura extitit, ſepeliri debet, dummodo abſque periculo ad ipſam valeat deportari. 25 Qui autem habet Domum hyemalem, v. gr. in Civitate, & æſtivam in rure, & ſic æquali tempore, modo in una, modo in altera habitat, ſeu moratur, ſepeliendus eſt in Parochia, in qua decedit. Et ratio eſt, quia parificatur cum eo, qui in duobus locis æque principale domicilium habet, & ſic efficitur utriuſque Parochiæ Parochianus, adeoque ſepeliendus eſt in Parochia, in qua decedit, cum ipſa ſit pro tunc vera ipſius Parochia, argum. cap. Ex parte 5. c. In noſtra 10. de Sepulturis, cap. Animarum 1. eod. in 6.

26 Advenæ, ſeu hoſpites, aliique decedentes in Regularium Conventibus, niſi eligant ibidem Sepulturam, ſepeliendi ſunt de jure communi in Parochiali, cap. In noſtra 10. de Sepulturis, ubi expreſſe cavetur non poſſe Regulares ſepelire niſi eos, qui vere in ſuis Eccleſiis Sepulturam elegerint. Et ita cenſuit Sacra Congregatio Concilii in Ripana 3. Febr. 1652. nempe non licere Regularibus commoranti per aliquot dies in eorum Conventu, ſibique defuncto omnia Sacramenta miniſtrare, & in eorum Eccleſiis dare Sepulturam ſine licentia Parochi, cui Quarta Funeralis debetur. Sic referunt Pignatell. tom. 1. Conſult. 306. num. 1. Card. Petra tom. 2. Comment. in Conſtitut. 9. Innocentii III. numer. 49. & alii. Item eadem Sacra Congregatio Concilii in Ravennaten. 20. Januar. 1674. cenſuit: Spectare ad Parochos ſepelire, & ad proprias Parochias deferre Cadavera eorum, qui in Monaſterio recepti, ſepultura non electa, deceſſerant. Item eadem Sacra Congregatio Concilii in Gerunden. 3. Februar. 1694. Expugnato enim a Gallis præſidio de Roſes in eodem vulneratus eſt Didacus Fonſeca, qui hoſpitii cauſa ſe recipiens ad Conventum S. P. Dominici Gerundæ, ibi Parocho irrequiſito, Sacramentis munitus deceſſit, & ſepultus fuit. Qua de re propoſito dubio: An dicto militi Fonſecæ potuerint Religioſi, irrequiſito Parocho, Sacramenta miniſtrare, & Corpus deponere, Sacra Congregatio reſpondit: Detur Decretum in nullius 19. Sept. 1637. tenoris ſequentis: Quidam miles occaſione infirmitatis divertit in Monaſterium Regularium, ibique ab eiſdem Sacramentum Euchariſtiæ pro Viatico, & extremam Unctionem recepit, & exinde obiit, Parocho intra cujus fines Monaſterium exſtitit, reluctante. Quæritur: An Adminiſtratio hujuſmodi Regularibus eſſet permiſſa; Sacr. Congr. Concilii reſpondit: Non eſſe permiſſam: Card. Petra tom. 2. Comment. ad Conſtit. 9. Innocent. III. ſect. unic. n. 49. Pignatell. tom. 1. conſult. 306. Paſſerin. de ſtatib. hominum tom. 2. cap. 187. art. 5. num. 229. & ſeq. Burdon. Oper. moral. tom. 3. reſolut. 51. n. 216. Matthæuccius Offic. Curiæ quoad Sepulturam c. 68. num. 14. Antonell. de Regimine Eccleſ. lib. 1. cap. 12. num. 11. verſ. Infertur tertio, ubi ſic expreſſe dicit. „ Infertur tertio, eos qui hoſpitii cauſa recipiuntur in Conventu Regularium, ibique „ infirmantur, & moriuntur, in Parochiali Eccleſia ſepeliendos eſſe „ & ſic alii.

Oblati, Donati, ſeu Tertiarii, atque etiam ſæculares, qui Regularibus deſerviunt, & intra eorum Monaſteriorum ſepta, ac domos reſident, & ſub eorum obedientia vivunt, licet non ratione voti, ſed ratione ſervitutis, ſi inibi decedant, ſunt ibi irrequiſito Parocho tumulandi; iſti namque eximuntur a ſubjectione Ordinariorum, & Parochorum, & gaudent Privilegiis Religioſorum, quibus inſerviunt, quamvis ſalario ſint ſtipendiati. Vide verb. Approbatio pro Confeſſionibus expediendis artic. 1. a numer. 64. ubi fuit jure, & ratione concluſum, poſſe Regulares ſupradictorum omnium Confeſſiones excipere cum ſola approbatione ſui Prælati Regularis ſine approbatione Epiſcopi; Unde cum ſepultura potiſſimum dependeat ab adminiſtratione Sacramentorum, ut ponderavit Rota recent. part. 11. dec. 343. n. 9. & notant Doctores communiter, ſi ſupradicti omnes recipiunt Sacramenta independenter ab Ordinario, & Parocho, ab ipſis Regularibus ſepeliendi etiam ſunt independenter ab Ordinario, & Parocho in Regularium Eccleſia. Et ſic in terminis firmat Card. Petra l. c. n. 42. Card. de Luca de Regularibus diſc. 1. num. 50. Paſſerin. citat. tom. 2. de ſtatu homin. qu. 187. art. 4. a n. 228. Matthæucc. l. c. num. 15. Reiffenſt. l. c. num. 21. Pirhing l. c. num. 9. & alii communiter. 27

Secus autem ſæculares illi, qui tantum ipſis Monaſteriis deſerviunt, ſed in eis non ſunt de familia, nec continui commenſales, & cum ſæcularibus exteris extra Monaſteria habitant, & vivunt; Iſti enim, ſi non habeant ſepulcrum Majorum, vel ſepulturam non elegerint, ſepeliendi ſunt in propria Parochia, juxta reſoluta ſub dict. verb. Approbatio num. 65. & 69. 28

Monialium famuli, & famulæ habitantes in manſionibus intra atria Monaſteriorum, ubi debeant ſepeliri? Vide verb. Moniales art. 6. n. 4. 29

Puellæ educandæ, & mulieres ſæculares in Monaſteriis Monialium legitima facultate commorantes, & inibi decedentes ubi ſint ſepeliendæ? Vide verb. Moniales art. 1. num. 61. ad 63. 30

Novitii, & Novitiæ ſepulturam ſibi non eligentes, debent ſepeliri in Monaſterio, ubi decedunt, & abſque ulla obligatione ſolvendi portionem Canonicam Parocho loci. Engel lib. 3. Decret. tit. 28. num. 12. Reiffenſt. ib. n. 20. Card. Petra l. c. n. 38. & alii communiter; & ratio eſt, quia in favorabilibus Novitii, & Novitiæ veniunt nomine Religioſorum, & Religioſarum, arg. cap. Religioſo §. Quamvis 21. de ſent. Excommunicat. in 6. Accedunt ſpecialia circa hoc privilegia Religioſis conceſſa, de quibus teſtatur Donatus tom. 3. tract. 10. q. 4. n. 2. & etiam univerſalis conſuetudo Religionum, quæ derogaret Legi contrariæ, ſi quæ adeſſet cap. Cum tanto 11. de conſuetudine. Inſuper debent Novitii, & Novitiæ ſepeliri in Monaſterio, ubi decedunt, etiamſi habuiſſent animum determinatum exeundi a Religione. Card. Petra l. c. num. 38. 31

*num.*38. cum Palao, & aliis ibi citatis, Silveſter verb. *Sepultura q.*8. Engel *l.c. num.* 12. Reiffenſt. *l.c. num.*20. & alii & ratio eſt, quia non voluntas, & affectus, ſed factum mutat ſtatum, & domicilium, *leg. Domicilium* 20. *ff. Ad municipalem*.

32 Immo in Monaſterio, ubi decedunt, ſepeliri debent etiam juvenes ſæculares, & puellæ nondum habitu Regulari induti, ſeu indutæ, ſed de brevi induendi, ſeu induendæ, & jam in Novitiatum admiſſi, ſeu admiſſæ, ut ſic ſub Obedientia Regulari per aliquos dies incipiant experiri Religionis auſteritates; Vide verb. *Novitius*, *Novitia num.*16. *&* 17.

33 Novitii, & Novitiæ, & a fortiori dicti juvenes, & puellæ adhuc ſæculares, ſi habeant patrimonium, debent ſepeliri propriis expenſis, niſi adeſſet conſuetudo, ut expenſis ſemper Monaſterii ſepelirentur; Si autem patrimonio careant, debent ſepeliri expenſis Monaſterii; Card. Petra *loc. c. num.*38. cum aliis ibi adductis, & plures alii apud Donat. *l.c. q.*4. *num.*1. *&* 3.

34 Regulares Profeſſi decedentes extra Conventum, ſi commode ad ipſum deferri poſſint, debent in eo ſepeliri; *Communis*, textu expreſſo *in cap. Religioſi* 5. *de ſepulturis in* 6. „ ibi: „ Religioſi, niſi a propriis Monaſteriis adeo forſitan „ ſint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode por- „ tari non poſſint, nequeunt (cum velle, vel nolle non ha- „ beant) ſibi eligere ſepulturam, ſed ſunt apud ſua Mona- „ ſteria tumulandi „.

35 In tali caſu non tenentur Regulares ſolvere portionem Canonicam Parocho loci, in quo Regularis deceſſit, quamvis Religioſo infirmo Viaticum, & Extremam Unctionem miniſtraverit; *S.C. Epiſc. & Regul. in Puteolana* 22. *Maji* 1615.
36 apud Barboſa *de Offic. & poteſt. Parochi cap.* 26. *numer.* 68.
Poſſuntque Regulares dictos defunctos ſuos Religioſos deferre ad ſuum Monaſterium, inconſulto Parocho; *S.C. Conc. in Bononien.* 2. *Julii* 1620. *in reſponſione ad* 10, quod erat „ his verbis conceptum: „ Decimo, morendo Frati, come „ avviene alle volte, & in particolare de' Canonici Latera- „ nenſi fuori del Monaſtero in caſa de' loro Parenti, ed aven- „ do i Curati amminiſtrato loro i Santiſſimi Sacramenti, ſe „ poſſono i loro Superiori farli portare di notte alla loro „ Chieſa ſenza dirne coſa alcuna al Curato, e ſenza darli le „ ragioni Parochiali? Ad decimum Sacra Congr. Concilii „ reſpondit: *Regulares extra clauſtra decedentes poſſe ad eorum Eccleſias deferri, etiam Parochis inconſultis*; Sic referunt *Paſſerin. tom* 2. *q.*187. *art.*4. *n.*214. Card. Petra *l.c. n.*7. Donat.
37 *l.c. q.*9. *num.*1. & alii paſſim.
Talis autem delatio, inconſulto Parocho, eſt facienda modo privato ſine pompa, ſine Cruce, & Proceſſione, ut firmant Card. Petra *l.c. num.*9. Pignatell. *tom.* 4. *conſult.* 199.
38 *num.*9. Mattheucc. *l.c. n.*16. referens ſic in caſu fuiſſe obſervatum Romæ. Si autem quandoque ex quibuſdam circumſtantiis congrua videretur ſolemnis delatio defuncti Regularis cum Cruce, & proceſſione ad Monaſterium ſue Religionis, deberet fieri cum aſſiſtentia, vel ſaltem de conſenſu Parochi; cum ratio, & conſuetudo non patiatur, ut Regulares ſine Parocho, aut ejus Delegato, qui poſſet in caſu eſſe etiam aliquis Regularis, cauſa exequiarum, procedant extra Monaſterium proceſſionaliter; Card. Petra *l. c. num.*11. Pignatell. *l.c. n.*6. Mattheucc. *l.c. n.*16. & alii. Aſt tamen in hoc dicerem ſervandam eſſe Locorum conſuetudinem, cum ipſa non ſolum ſit in dubiis optima Legum interpres; *l. Si de interpretatione* 37. *ff. De Legibus*, *cap. Cum dilectus* 8. *de conſuetudine*, ſed etiam clare Legi deroget; *c. Cum tanto* 11. *de con-*
39 *ſuetudine*.
In caſu autem, quod Regulares decedant in locis a ſuis Monaſteriis ita remotis, ut ad ea deferri commode non poſſint, ſepeliri debent in Eccleſia ab ipſis electa, cum ad id in ſimili caſu facultatem habeant a Jure ſibi conceſſam per dictam limitationem *in cit. c. Religioſi* 5. *de ſepult. in* 6. ibi: „ „ Nequeunt..... ſibi eligere ſepulturam.... Niſi a propriis „ Monaſteriis adeo ſint remoti, ut ad ea commode portari
40 non poſſint; „ Sic Gloſſa *ibid. verb. Nota*, Donat. *l. c. q.*2. *n.*3. Engel *l.c. n.*11. Reiffenſtuel *l.c. n.*18. & alii paſſim. Si tamen in dictis locis remotis decedant Regulares, non electa ſibi ſepultura, ſepeliendi ſunt in Eccleſia Parochiali, in qua moriuntur, idque expenſis proprii Monaſterii, ſi bona in communi poſſideat; Donat. *l.c. q.*2. *num.*4. cum aliis ibi citatis, Reiffenſt. *l.c. num.*18. Gloſſa *in cit. cap. Religioſi verb. Nota*, ubi citat communem Doctorum his verbis: „ Sed quid „ ſi moriatur, non electa ſepultura? Communis opinio Do- „ ctorum eſt, quod ſepeliendus eſt in Eccleſia Parochiali, „ in cujus Parochia mortuus eſt.

Tunc autem dicitur Religioſum mori in loco remoto, ut 41 detur ei locus electioni ſepulturæ, quando ejus cadaver diſtat a ſuo Monaſterio per iter unius diei, ideſt ad quod per unicum diem Cadaver transferri nequit, ne forte putreſcat, & inficiat aerem. Donat. *loco cit. q.*2. *num.*5. Bord. *tom.* 2. *reſol.*51. *num.*161. Pelliz. *in Man. Regul. tom.*2. *tr.*8. *cap.*5. *numer.*29., & alii. Vel relinquitur arbitrio prudentis judicandum, ut notant Card. Petra *loco citat. n.*31. Matthæucc. *loc. cit. n.*16. *in fin.* & alii.

Quod dictum eſt de Profeſſis decedentibus extra Clauſtra, 42 dicendum eſt etiam de Novitiis, præſertim cum extra Clauſtra decedunt, quando ad exequendam Superiorum voluntatem exierunt, ſeu quando de conſilio Medici, & licentia ſui Superioris ſe tranſtulerunt ad Domum ſuorum Parentum pro recuperanda inibi ſanitate; Tunc enim ſepeliendi ſunt in Monaſterio ſine obligatione ſolvendi Canonicam portionem Parocho, quia gaudent Juribus, & privilegiis Ordinis, & in favorabilibus veniunt nomine Profeſſorum: *arg. cap. Religioſo §. Quamvis* 21. *de ſent. Excomm. in* 6. Donat. *loco cit. q.* 8. *num.*5. Pelliz. *tom.*2. *Man. tr.*8. *cap.*5. *ſect.*4. *q.*10. *num.*137. Mancin. *in brevi tract. de infirmitat. in ordine ad ſepulturam dub.*9. Dicaſtill. *de Juſtit. lib.* 2. *tract.* 19. *d.* 3. *num.*209. La Croix *lib.* 7. *num.* 248. cum Sanch. *ibi cit.*, & pluribus declarat Pignat. *t.*7. *conſult.*70.

Regularis Confeſſarius Monialium pro earum cura ſpiri- 43 tuali habitans in Domo prope Monaſterium ad præſcriptum Alexandri VII. Conſtitut. incip. *Felici* §. 11. ſi infirmetur ad mortem, recipit Viaticum, & extremam Unctionem a ſuis Religioſis, & non a Parocho: Quamvis enim Regulares, qui infirmantur ad mortem in Domibus Sæcularium, talia Sacramenta recipere debeant a Parocho, ut declaravit *Sacra Congregatio ſub anno* 1620. apud Donat. *tom.*3. *tract.* 10. *quæſt.* 9. *num.*5. Itemque *eadem Sacra Congregat. Concil. in Collen.* 11. *Aprilis* 1609., *& Meſſanen.* 20. *Septemb.* 1698. Tamen hæc declaratio non videtur comprehendere dictum Confeſſarium, quia ipſe non infirmatur proprie in domo ſæculari, ſed potius in Domo quaſi Religioſa, & exempta ad hunc effectum, & quidem a Summo Pontifice præſcripta quaſi Domo Parochiali, ſeu Conventuali ipſius Regularis Confeſſarii inibi habitantis tamquam Parochi ad Curam ſpiritualem Monialium. Unde non eſt cenſendum, quod Pontifex ſtatuendo talem manſionem pro dicto Confeſſario Regulari, voluerit ipſum reddere inferioris conditionis, quam ſint alii Religioſi commorantes in ſuo Conventu, adeoque exempti a Juriſdictione Parochiali, cum ipſe ibi manendo cenſeatur quoad hunc effectu manere in Conventu, & de facto ibi maneat ſub Obedientia ſui Superioris in ſibi tamquam Conventuali manſione deſignata a Pontifice, alias non reperiretur, qui vellet hoc onus ſubire, ſicque Moniales remanerent deſtitutæ tam neceſſaria cura ſpirituali; Tum quia ſi infirmetur Parochus in propria ſua Domo Parochiali recipit ſacramenta a ſua Parochia independenter a quolibet, ergo etiam dictus Confeſſarius Regularis, qui velut Parochus habitat in dicta Domo ſibi a Pontifice præſcripta tamquam ſua Domo Parochiali, poteſt independenter a quolibet recipere hæc Sacramenta ab Eccleſia Monialium tamquam a ſua exempta Parochia; Talis enim Regularis nedum gaudet exemptione perſonali, ſed quo ad hunc effectum etiam exemptione locali: Tum etiam quia nemo poteſt rationabiliter aſſerere, quod ipſe Confeſſarius infirmus non poſſit refici eodemmet Sacramento, quod ipſemet ſanus in ſua velut Parochiali Monialium Eccleſia confecit, *argum. Epiſt.* 1. *ad Corinth. cap.*9. *num.*7., ibi: *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit?* Accedit etiam recepta conſuetudo, quæ non ſolum in dubiis eſt optima Legum interpres; *leg. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus*; *cap. Cum dilectus* 8. *de conſuetudine*, ſed etiam claræ Legi derogat; *Cap. Cum tanto* 11. *de conſuetudine*.

Regularis Viator, & hoſpes in Conventu alterius Re- 44 ligionis, v.g. Dominicanus in Conventu Franciſcanorum, ſi ibi decedat, non ſibi electa ſepultura, & valde remotus, & diſtans ſit Conventus proprii Ordinis, ſepeliendus eſt in Eccleſia Parochiali, intra cujus fines eſt Conventus in quo decedit; De ipſo enim diſcurrendum eſt, ac de Regularibus decedentibus in locis ſæcularibus, ita remotis a ſuis



a ſuis Monaſteriis, ut ad ea deferri commode non poſſint, qui, ut diximus *ſupra numer.*30. ſepeliendi ſunt in Parochiali.

45 Et inibi ſepeliendus eſt expenſis ſui peculii, ſi habeat, vel, eo carente, expenſis proprii Monaſterii. Card. Petra *loco cit. num.*36. Sanchez *lib.*6. *in decalog. cap.* 14. *nu.*4. Caſtropal. *part.* 3; *tract.*19. *diſp.*4. *punct.*13. §. 8. *num.*6., & alii. Et ratio eſt, quia Monachus in vita acquirit Monaſterio; *cap. Statutum* 15. *cauſ.*18. *quæſt.*1. *Cap. Abbates* 16. *cauſ.*18. *q.* 2. *cap. Quia ingredientibus* 7. *cauſ.* 19. *q.* 3. *cap. In præſentia* 8. *de prob.* cum ſimilibus, ergo Monaſterium in ejus morte debet ipſius ſepulturæ onus ſentire; Qui enim ſentit commodum, ſentire debet, & onus; *l. Si merces* 25. §. 6. *ff. Locati*, *cap. Qui ſentit* 15. *de regul. Jur. in* 6.

46 Quod uſque nunc dictum eſt de Regularibus, eſt dicendum etiam de Monialibus, ita ut in omnibus diſpoſitio *cit. cap. Religioſi* 5. *de ſepulturis in* 6. cum eiſdem procedat. Hinc ſi contingat, quod aliqua Monialis moriatur extra ſuum Monaſterium, idem eſt concludendum, quod ibi ſtatuitur de viris Regularibus. Murga *diſp. for. tom.*1. *diſp.*8. *de electione ſepulturæ* §.9., *&* 10, Card. Petra *loco cit. num.*40. & alii paſſim.

47 Regularis expulſus, ſeu ejectus, ſi non eligat ſepulturam, ad quod habet facultatem, cum ſtatim ac ejicitur a Religione cenſeatur relinqui, ac ſi Religioſus non eſſet, & videatur nolle ejus corpus cum illis Religioſorum ſociari, ut docent Murga *loco cit. diſp.* 8. §.3. Molina *tract.* 2. *diſp.* 276. Leſſius *de Juſtit.*, *& Jur. lib.*2. *cap.*41. *dub.*15. *num.* 113. Card. Petra *loco cit. num.* 37., & alii paſſim, ſepeliendus eſt in Parochia, in qua decedit, *arg. cap. Nos inſtituta* 1. *Cap. Ex parte* 5. *Cap. In noſtra* 10. *de ſepulturis*, *cap. Animarum* 1., *& cap. Is qui* 3. *eodem in* 9.

48 Et tunc expenſæ faciendæ ſunt de ejus peculio, ſi habeat, ſeu de peculio parentum, & in caſu omnimodæ paupertatis debet a Parocho tumulari gratis, ſicut gratis tumulari debent cadavera aliorum pauperum, ut ſtatuit *Sac. Cong. Epiſc. & Regul. in Caſſanen.* 5. *Maii* 1617.

49 Tertiarii, & Tertiariæ, habentes requiſita a Leone X. in Conſtitutione incip. *Dum intra*, & alia incip. *Nuper*, & in Decreto Sacræ Congregationis edito *die* 20. *Decembris* 1616. ſi decedant non ſibi electa ſepultura, & in Eccleſiis Ordinis, cujus habitum aſſumpſerunt, communis ſepultura pro ipſis reperiatur, debent in ipſa ſepeliri, alias ſepeliri debent in Parochiali. Sic declaravit Sacra Congregat. Concilii, ut ex Novario refert Card. Petra *loco cit. nu.*41. *verſ. Si vero*, his verbis: *Præterea ſi contingat aliquos ex prædictis Tertiariis abſque ſepulturæ electione decedere, eos ſic decedentes ita demum in Eccleſiis Ordinis, cujus habitum aſſumpſerunt, ſi in ipſis eorum ſepultura communis reperiatur, ſin minus, in Eccleſiis Parochialibus ſepeliendos eſſe decrevit*; Nam ut proſequitur Eminentiſſimus Petra *loco citat.* uti gaudentes privilegiis Regularium, pars dicuntur ipſius Religionis, ut dixit etiam *Sac. Congregation. Epiſcop., & Regular. in Nepeſina* 11. *Decembris* 1615. *ad quintum*, *&* 20. *De-*
50 *cembris* 1617. Verum Cadavera non poſſunt deferri a Domo, niſi cum præſentia Parochi, vel hoc requiſito, ut *Sacra Congreg. cit. in Mutinen.* 17. *Junii* 1636. apud Dian. *part.* 6. *tract.* 9. *Miſcell. reſolut.* 30., & Paſſerin. *de ſtatib. homin. tom.*2. *num.*246., *& ſeq.* qui *num.*248. adducit Epiſtolam per extenſum. Sic Card. Petra *loco cit. numer.* 41. *verſ. Si vero*; Panimol. *deciſ.*5. *Adnot.* 3. *num.*47., *&* 48. Sellius *in Select. Canon. cap.*35. *num.*20. Gavant. *in Manual. Epiſcop. verb.* Tertiarii *num.* 10., *&* 11. Tamb. *de Jure Abbatiſſar. diſp.*7. *quæſt.* 3. *verſ. Tertiariæ*, *& verſ. Sacra Congregat. Cardinal.* Barboſa *de Offic.*, *& poteſt. Parochi cap.* 26. *num.*69. Sperel. *tom.*1. *deciſ.*87. *numer.* 17. Lavor. *var. lucubr. tit.*2. *cap.*11. *num.* 102., *&* 103. Matthæucc. *Official. Cur. cap.*48. *num.*31., *& cap.*52. *nu.*3. §.2., *&* 3., & alii. Vide verb. *Tertiarii*, ubi dantur citatæ Conſtitutiones Leonis X. editæ in Concilio Generali Lateranenſi, & cit. Decret. Sacræ Congregationis.

51 Quo ad ſepulturam Chordigerorum utriuſque ſexus *Sacra Congregat. Epiſcop.*, *& Regul. in una Senogal.* 22. *Novemb.* 1580. ſic obſervari mandavit: *Quod ubi adeſt ſepultura communis pro Chordigeris in Eccleſia Fratrum Minorum, ubi eſt erecta Confraternitas, ſepeliantur in ea, ubi vero non eſt talis ſepultura, moderentur ſicut ceteri ſæculares, & ſepeliantur in ſæculari Eccleſia, ſi non ſibi elegerint aliunde ſepulturam*. Lantuſc. *Theatr. Regul. verb. Confraternitas numer.* 12. Matthæucc. *Offic. Curiæ quoad ſepulturas cap.* 48. *num.* 21. ſed quantum ad hoc attentenda eſt conſuetudo, cum circa id habeantur poſteriora Decreta contraria, ut apparet *in num. ſubſeq.*

Confratres Confraternitatum exiſtentium in Eccleſiis Re- 52 gularium ſepeliendi ſunt in Parochia, niſi alibi elegerint ſepulturam. Sic *Sacra Congregat. Concil.* prout in Conſtitutione Innocentii X. incip. *Ex injuncto* §. 6., ibi: *An liceat Regularibus ſepelire in ſuis Eccleſiis Confratres Laicos, qui ſepulturam non elegerunt?* Reſpondit: *Confratres Laicos, ſi non præcedat eorum electio ſepulturæ, ſepeliendos eſſe in eorum propria Parochiali Eccleſia*. Et hoc procedit, etiamſi in Eccleſiis Regularium adeſſet cummunis ſepultura pro dictis Confratribus, ut reſpondit *Sacra Congregat. Concilii in Neapolitana die* 12. *Februarii* 1666. *ad ſeptimum dubium*. Vide verb. *Confraternitas art.*5.

Confratres, ut poſſint ſibi eligere ſepulturam in Oratorio 53 Confraternitatis habente Jus ſepulcri, requiritur, quod per ſex menſes ante obitum fuerint adſcripti: Sic cavetur in Concilio V. Mediolanen. relato a Gavant. *Manual. verb. Confraternitas numer.* 46. a Monacell. *part.* 4. *ſupplem. ad* 1. *tom. num.* 131.

Volentes ſepeliri in habitu Religioſorum, non eſt de 54 neceſſitate, quod tumulentur in Eccleſiis eorum, quorum eſt Habitus, ſed poſſunt ſepeliri, ubi ſepulturam elegerint, prout eorum relinquitur arbitrio a Leone X. Conſtit. incip. „ *Dum intra*, ibi: Volentes quoque ſepeliri in Habitu eo- „ rumdem Fratrum in Clauſtro non degentes, ſed in propriis „ domibus cohabitantes, in eorum ultima voluntate ſepul- „ turam ſibi libere eligere poſſint. Et ſic ſtatuit etiam Sac- „ ra Congregat. Epiſcop., & Regular. in Novarien. 23. „ Novemb. 1582. apud Pignatell. tom.1. conſult.17. n.20. „ reſcribens illius Civitatis Epiſcopo in hæc verba: V. S. „ non permetta in modo alcuno, che i Terziarj ſi confeſſi- „ no, ſe non da quelle perſone, che ſono ſtate ammeſſe „ alle Confeſſioni da lei, benchè ſiano Frati, perchè niun „ deve confeſſare ſenza l'approvazione dell'Ordinario. Fa- „ cendo intendere inoltre alli Terziarj, che abitano nelle „ caſe loro, che s'ingannano, penſando, che tutti quel- „ li, che hanno l'Abito da Terziario, ſi debbano ſenz'al- „ tro, quando muojono, ſepellire nelle Chieſe de' Frati, „ ſe eſſi non ſi ſono eletta quella ſepoltura, e gli faccia ca- „ paci, che non anno tanti privilegj, quanti forſe ſi per- „ ſuadono, come ſi può vedere nel Concilio Lateranenſe „ ultimo nella ſeſſ.11. Ne meno è vero, che ognuno, che „ laſcia morendo d'eſſer veſtito con l'Abito di Terziario, „ o di Frate, perciò debba eſſer ſepolto nella Chieſa de' „ Frati, ſe non hanno moſtrato più che chiaramente la loro „ volontà circa l'elezione della ſepoltura, ma dovranno eſ- „ ſer portati, dove di ragione ſarebbero andati ſenza quel- „ l'Abito. Et idem cenſuit Sacra Congregat. Concilii in „ Neapolitana 13. Februarii 1666. in reſponſione ad 9. du- „ bium, quod erat conceptum his verbis: Nono: An qui „ poſt mortem mandat ſuum Corpus indui Habitu Tertia- „ riorum, ſit ſepeliendus in Eccleſia Regularium? Ad 9. „ Sac. Cong. cenſuit Negative.

Barboſa tamen *lib.*2. *Jur. Eccleſ. univ. cap.*10. *numer.*73., 55 *& de Offic.*, *& poteſt. Parochi cap.*26. *num.* 73. refert ſe- „ quens Decretum „ Suſcipientes Habitum a Guardiano, „ vel ab alio, cui ille committendum duxerit, & cum eo „ decedentes, in Eccleſiis ejuſdem Ordinis Eccleſiaſticæ „ ſepulturæ ſunt tradendi, ſi Guardianus propter Habitus „ conceſſionem, & receptionem eos præmonuit eorum Ca- „ davera ibi ſepelienda eſſe, ut cenſuit Sacra Congregat. „ in d. Nepeſina 11. Decembr. 1615. ad 2., & Samuel. de „ ſepultur. tract. 1. controverſ. 15. concluſ. 12. allegat, ut „ ſequitur, Bullam auream Sixti IV., ibi: Cum autem „ nonnulli ad Ordines prædictos Prædicatorum, & Mino- „ rum ſpecialiter gerentes devotionis affectum, eorum „ Cadavera cum Habitu FF. Prædic., & Minorum, ſeu „ Fratrum, vel Sororum de Pœnitentia utriuſque Ordinis „ Prædicatorum, & Minorum ſepeliri mandent, & per- „ ſepe antequam moriantur Habitum hujuſmodi eis poſtu- „ lent exhiberi.

„ Decernimus, Habitum hujuſmodi per Priorem Do- „ mus Ordinis Prædicatorum, aut Guardianum Domus „ Ordinis Minorum loci, in quo tales decedere continget, „ vel per Superiorem Prælatum ipſorum Ordinum, Do- „ morum, ſeu Prioris, & Guardiani, vel cui illi duxerint „ com-

„ committendum duntaxat, & non per alium quavis aucto-
„ ritate, vel Prælatione fungentem, exhiberi debere.
„ Qui prædictum Habitum recipientibus declarare tenean-
„ tur apud eorum Ordinum Eccleſias debere ſepeliri in eo-
„ rum Habitum ſuſcipiunt, & illorum ſic indutorum Cada-
„ vera diſcooperta, nullo pallio, ſeu tegumento ſuperpo-
„ ſito, deferri poſſe; Ordinariorum etiam ſub Cenſuris
„ prohibitione locorum qualibet in contrarium edita non ob-
„ ſtante, quas quoad hoc modificamus.
56 Adeſt præterea declaratio „ Sacræ Congregat. Epiſcop.
„ & Regul: ſub his verbis: Prædicta Cadavera recto tra-
„ mite ſunt ad Eccleſias Regularium deferenda cum Paro-
„ cho, quo requiſito expreſſe ſi venire recuſaverit, licere
„ tunc eiſdem Regularibus, etiam ipſo invito, portare ad
„ ſuas Eccleſias. Rota die 11. Dec. 1615. Antonius Ma-
„ ria Cardinalis Gallus.

Loco ✳ Sigilli.

*V. Theatinus Secret.*

„ Eadem interrogata Sacra Congregat. a Patribus Mino-
„ ribus; An in eorum Eccleſiis ſepelienda ſint Cadavera
„ illorum, qui dicti Ordinis Habitu induti ex hac vita mi-
„ grarunt? Reſpondit id fieri debere, ſi tamen a Guardia-
„ no Domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab
„ alio Superiore, vel altero, cui id Superior committen-
„ dum deduxit, Habitum receperit, ac prædicti Guardia-
„ nus, vel alius Superior hujuſmodi ſuſcipientes præmo-
„ nuerint, eorum Cadavera propter Habitus conceſſionem,
„ ac receptionem penes ipſos Fratres, quorum Habitum
„ geſtant, eſſe ſepelienda. Hactenus apud Samuellium *loc. cit. concluſ.* 12.

57 Papa decedens Romæ ſine electione ſepulturæ in Baſilica Vaticana, in qua non poſſunt ſepeliri, niſi Summi Pontifices, & Perſonæ Regales prout patet de Principiſſa Methilda tam bene merita Eccleſiæ Romanæ, & noviſſime de Chriſtina Regina Svecorum ibi ſepultis. Et ne quidem Eminentiſſimis Cardinalibus permiſſum eſt inibi ſepeliri. Cohel. *not. Card. privil. tit.* 90. Paſſer. *de ſtatib. hom. tom.* 2. *q.* 187. *art.* 4. *num.* 139. Cardin. Petra *loc. cit. num.* 27. referens dictam Baſilicam amiſiſſe Legatum cujuſdam, qui mandaverat ibi ſepelire. Et de ſepultura Pontificis Rota Romana *Juris tumulandi n.* 14. *die* 20. *Feb.* 1702.

58 Si autem contingeret Pontificem ſine electione ſepulturæ decedere extra Urbem, nec poſſet commode transferri ad ipſam, eſſet ſepeliendus in Eccleſia Cathedrali loci, ubi decedit, *cap. Is qui* 3. *de ſepultur. in* 6. Rota *in Romana Juris tumulandi num.* 16. *die* 20. *Februarii* 1702. *coram D. Priolo*; Lavorius *tom.* 1. *variar. tit.* 2. *num.* 45. Sebaſtianus Medices *de ſepultur. part.* 1. *cap.* 11. *quæſt.* 7. *num.* 2. Card. Petra *loco cit. num.* 29. referens id de facto eveniſſe in aliquibus Civitatibus, ut Neapoli, & Salerni &c.

59 Papa poteſt ſibi eligere ſepulturam in quacumque ſibi beneviſa Eccleſia, etiam Regularium, ut patet ex pluribus monumentis, quæ videntur in diverſis etiam Regularium Eccleſiis in Urbe; Corpus tamen ſolet deferri ſemper ad dictam Eccleſiam S. Petris pro functionibus exequiarum explendis, & deinde defertur ad Eccleſiam electam. Card. Petra *l. c. n.* 27.

60 Cardinales decendentes in Urbe, ſi non habeant ſepulcrum Majorum, nec ſibi elegerint ſepulturam, ſepeliendi ſunt, non in Parochia, ſed in Eccleſia proprii Tituli; ſic articulo late diſcuſſo firmavit Rota *in Romana Juris tumulandi* 1702. coram Priolo in cauſa ſepulturę Eminentiſſimi Cardinalis Pallavicini, quæ deciſio refertur a Monac. *tom.* 4 *in Appendic. deciſ.* 18. & a Pitonio *diſcept. Eccleſiaſtic. tom.* 2. *poſt diſcept.* 51. eamque citant., & ſequuntur ultra prædictos, etiam Card. Petra *loc. cit. Comment. ad Conſtit.* 2. *Honorii III. num.* 32. Matthæucc. *Official. Curiæ quod ſepulturas c.* 48. *num.* 9. ubi citat etiam aliam deciſionem *de quinta die Martii* 1703. refertque tali anno ratione dictarum Deciſionum Cadaver Cardinalis Radolovich Titularis S. Bartholomæi in Inſula, qui ſuum Corpus reliquit eſſe tradendum Sepulturæ in Eccleſia prout *de Jure*, redditum fuiſſe Eccleſiæ Titulari, & in ejus ſolo tumulatum, cum prius pendente lite inter Parochiam, & Titulum, fuerit interim depoſitum in ſua Parochia S. Marcelli.

61 Et hoc etiamſi Cardinales non reſideant in Titulo, cum non omnes Eccleſiæ Cardinalium Titulares habeant contiguas habitationes. Rota *cit. deciſ. in Romana Juris tumulandi* 20. *Februarii* 1702. *numer.* 28. & 31. Card. Petra *loc. cit. num.* 32. & alii.

Et hoc procedit etiam in Cardinalibus Regularibus; Non 62
enim ipſi in tali caſu ſepeliendi ſunt in Eccleſia Regulari, ſi ſpecialiter eam non elegerint, quia magis ſtringit vinculum ſpeciale proprii Tituli Cardinalitii, quam generale Religionis; Tum quia dum Regulares aſſumuntur ad Cardinalatum, eximuntur ab Obedientia Religionis, adeoque ſicuti remanent ſoluti a Lege vetante electionem ſepulturæ, ita præſumptio oritur, ut electio debeat eſſe in eo loco, in quo uti Cardinales, & non uti Regulares ſepeliri debuerant, etiamſi alibi Cardinales Sacramenta recipiant, ut proſequitur citata Rotæ deciſio *num.* 34. & 35. Card. Petra *l. c. n.* 33. & alii.

Cardinales autem decedentes extra Urbem ſine electione 63
ſepulturæ ſepeliri debent in Eccleſia Majori loci, ubi decedunt, quia, ut dicitur Rota *in citat. deciſ. num.* 16. ratione Dignitatis illa Eccl. cenſetur Parochialis Card. defuncti, ſicuti cenſeretur in caſu ſimili obitus Summi Pontificis. Sic Card. Petra *loc. cit. num.* 34. Murga *de Sepulturis tract.* 8. *ſect.* 2. *dub.* 7. *concluſ.* 4. Matthæucc. *loc. cit. num.* 9. & alii paſſim. Hoc tamen intelligendum venit, niſi in vita ſe ſubjecerint
ſpecialiter alicui Parochiæ, ut notant Card. Petra *loc. cit.* 64
*num.* 34. Matthæucc. *loc. cit. num.* 9., & alii, *arg. cap. Inſtituta* 1. *cap. Ex parte* 5. *cap. In noſtra* 10. *de ſepultur. Cap. Animarum* 1. & *Cap. Is qui* 3. *eod. in* 6.

Debetur tamen ſemper Quarta Canonica Eccleſiæ Paro- 65
chiali ratione adminiſtrationis Sacramentorum, prout debetur, ſi quis decedat ſine electione ſepulturæ, & ſepeliatur in Sepulcro Majorum, vel in Cathedrali. Sic Rota *in cit. deciſ. num.* 34. Card. Petra *loc. cit. num.* 35. Matthæucc. *loc. cit. num.* 9. Antonell. *de Regim. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 30. Pitonius *in addit. ad dictam diſceptat.* 51. *in fine*, & alii.

Epiſcopi decedentes in propria Diœceſi, non electa Sepul- 66
tura, nec habentes ſepulcrum Majorum, ſepeliri debent in propria Cathedrali tamquam ſua ſponſa; ſi vero decedant extra Diœceſim, & commode poſſint deferri ad propriam Cathedralem, ſunt in ea tumulandi; Si autem ad ipſam commode deferri non poſſint, tumulandi ſunt in Eccleſia digniori loci, in quo decedunt, quia de ea, ratione dignitatis eorum præſumitur voluntas. Card. Petra *loc. cit. numer.* 36. Sperell. *deciſ.* 87. *num.* 42. Antonell. *loc. cit. numer.* 45. Matthæucc. *loc. cit num.* 11., & alii paſſim; Quod ſi habeant duas Eccleſias æqualiter unitas, ſepeliendi ſunt æqualiter unitæ, ſed una alteri ſubjecta, ſepeliri debent in principali. Card. Petra *loc. cit. num.* 37. Pitonius *l. c. n.* 23. & alii.

Canonici Cathedralis decedentes, non electa ſepultura, 67
ubi tumulari debeant? Vide verb. *Canonicus art.* 8. *a num.* 11. *ad* 14.

Clerici, & Presbyteri decedentes, non electa ſepultura, ſepe- 68
liendi ſunt in Cathedrali, ſi ibi adſit ſepultura propria ſeparata pro Presbyteris, & Clericis, etiam non attento ſepulcro Majorum. *Sacra Congregat. Epiſcop. in Foroſempronien.* 1. *Septembris* 1690. Monacell. *tom.* 1. *tit.* 2. *formul.* 4. *num.* 17. Samuel. *de ſepultur. diſp.* 5. *tract.* 1. *controv.* 9. *concluſ.* 20. *num.* 30. Nicol. *lucubrat. Canonic. lib.* 4. *tit.* 15. *de ſepultur. num.* 15. Matthæucc. *loc. cit. nu.* 11. *verſ. Canonici*; Paſſerin. *loc. cit. num.* 325. *cum ſeq.*, & alii. Vide tamen verb. *Canonicus art.* 8. *num.* 11. 12. & 13.

Si vero non adſit in Cathedrali ſepultura propria ſeparata 69
pro Presbyteris, & Clericis, Clerici, & Presbyteri decedentes ſine electione ſepulturæ, ſepeliendi ſunt in ſepulcro Majorum, ſi habeant, & ſi non habeant, in propria Parochia. *Communis*, *arg. cap. Nos inſtituta* 1. *cap. Ex parte* 5. *Cap. In noſtra* 10. *de ſepulturis*, *c. Animarum* 1. *cap. Is qui* 3. & *cap. Licet* 4. *eodem in* 6. Et ratio eſt, quia Jura nihil ſpeciale de eis ſtatuunt, adeoque eſt diſcurrendum de eorum ſepultura, ac de ſepultura Catholicorum ſæcularium, cum ubi Jus non diſtinguit, neque nos diſtinguere debeamus; *l. De pretio* 8. *ff. De Publiciana in rem action.*, & verba generalia generaliter ſint intelligenda, *Cap. Quia circa* 22. *de privil.* Unde cum quæſitum fuiſſet a Sacra Congreg. Conc. *in una Fulginat. die* 10. *Julii* 1694. An liceret Capitulo Cathedralis privative quo ad omnes alias Eccleſias, tumulare Cadavera Perſonarum in Sacris, vel in Minoribus Ordinibus conſtitutarum, etiam Prima Tonſura initiatarum, de-
ceden.



cedentium abſque electione ſepulturæ, Sacra Congregat. noluit decidere, ſed remiſit cauſam ad Judices ſuos; Cum enim ageretur de conſuetudine probanda, ideo forte noluit aſſumere cognitionem, ut dicit Card. Petra *loc. cit. num.* 40. ſubdens *ibidem num.* 41. num Jus favere Parochis, ſi non probetur legitima conſuetudo; nam ipſi habent aſſiſtentiam Juris in tumulatione iſtorum carentium Sepulcro Majorum decedentium ſine electione inter fines propriæ Parochiæ per Jura ſupra adducta. Card. de Luca *de Parochis diſc.* 27. *numer.* 2. Panimol. *deciſ.* 5. *num.* 1., & 5. Rota *part.* 11. *recent. deciſ.* 348. *num.* 9., & in his terminis Paſſerin. *loc. cit. num.* 325. *cum ſeq.* & alii.

70 Si autem adeſſet conſuetudo quadragenaria cum titulo, tunc deberet attendi prout etiam quando Eccleſia Cathedralis teneatur ſolvere Quartam Funeralem Parocho alterius Eccleſiæ, ſi ibi ſepulturam quis elegerit, ut declaravit *Sacra Congregation. Concilii in Mantuana die* 13. *Julii* 1694., & confirmavit *die* 30. *Aprilis* 1695. Et ita ſi ſibi reſervatum fuiſſet tale Jus in ſignum Superioritatis, quando Parochiæ fuerunt diſtinctæ, ſeu creatæ. Sic Card. Petra *loc. cit. num.* 41. Panimoll. *deciſ.* 5. *annotat.* 4. *num.* 8., & *ſeq.* Barboſa *lib.* 3. *Jur. Eccleſ. cap.* 24. *num.* 16. Cavaler. *deciſ.* 649. *num.* 2., & *deciſ.* 295. *nu.* 3. *coram Bichio*; Immo ſufficeret etiam conſuetudo immemorabilis ſine titulo, cum iſta quemcumque titulum præſumere faciat.

71 Clerici Beneficiati cum onere reſidendi, tam ſimplices, quam Curati decedentes ſine electione ſepulturæ; & carentes ſepulcro Majorum, ſepeliri debent in Eccleſia ſui Beneficii, & reſidentiæ, & non in propria Parochia. Barboſa *in cap. Nos inſtituta* 1. *num.* 4. *de ſepulturis*, Pirhing. *lib.* 3. *Decret. l. tit.* 28. *num.* 9. Sannig. *ibidem n.* 18. Vallenſis *ibid. num.* 6. Reiffenſtuel *ibidem numer.* 24. Tuich. *litt. P. concluſ.* 99. *num.* 5. Burſat. *Conſil.* 226. *num.* 18., & 19. Bellet. *diſquiſit. Cleric. part.* 1. §. 3. *num.* 9. 10. 11., & 20. Joan. Aſin. *in l. Familiaria*, *ff. de Rel.*, & *ſumpt. Funer.* Murga, & communis aliorum, teſte Reiffenſtuel *loc. cit. arg. Cap. Nos inſtituta* 1. *de ſepult.*, ibi: *In qua Cœleſti pabulo refici conſueverunt, ut juxta Apoſtolum ſint conſolationum ſocii, ubi fuerunt paſſionum*, *cap. De his* 5. *eodem*, ibi: *A quibus receperunt ſalutis pabula*; & *cap. Cum quis* 2. *eodem in* 6., ibi: *In qua ille Officia conſuevit audire Divina, & Eccleſiaſtica recipere Sacramenta*. Ubi, ut vides, ſtatuitur, decedentes ſine electione ſepulturæ, & carentes ſepeliendos eſſe in Eccleſia, in qua conſueverunt audire Officia Divina & Eccleſiaſtica recipere Sacramenta; Atqui Clerici Beneficiati cum onere reſidendi ibi Divina audiunt, & Sacramenta percipiunt; imo etiam Divina faciunt, & Sacramenta miniſtrant, ubi Beneficium habentes ſervitium cum reſidentia præſtant, ergo &c. Et ratio eſt, quia Clerici Beneficiati cum onere reſidendi ſunt potius Parochiani Eccleſiarum ſuorum reſpective Beneficiorum, quam ſuorum domiciliorum, quia alias non in illis, ſed in iſtis Sacramenta percipere, & Divina audire ſtatutis a Jure temporibus deberent; *arg. Cap. Omnis utriuſque ſexus* 12. *de Pœnitent. & remiſſionib.* ubi ſtatuitur, quod *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi poenitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum*; adeoque cum Clericis Beneficiatis cum onere reſidendi, non Parochus Domicilii, ſed Parochus Beneficii reſidentialis Divina adminiſtret, potius iſte, quam ille cenſendus eſt eorum proprius Parochus cum Jure eos ſepeliendi.

72 Nec valet objicere, quod Clericis Beneficiatis Viaticum, & Extremam Unctionem adminiſtret Parochus domicilii, & non Parochus Beneficii, adeoque potius ille, quam iſte cenſendus eſt eorum proprius Parochus cum Jure eos ſepeliendi. Non valet, inquam, quia, conceſſo antecedente, negatur conſequentia, cum in ordine ad Sepulturas Sacri Canones non attendant locum, ubi quis in extremis recipit Sacramenta, ſed locum, ubi in vivis ſanus Sacramenta recipere conſuevit, ut patet ex *cit. Juribus num. anteced.* ut clare denotant illi termini; *Conſueverunt*, *conſuevit*: adeoque cum Clerici Beneficiati in vivis, & ſani Sacramenta recipere conſueverint in Eccleſiis ſuorum Beneficiorum cum reſidentia, & non in illis ſuorum reſpective domiciliorum, ſunt tumulandi in illis, non obſtante, quod in extremis ab illis receperint Viaticum, & extremam Unctionem, quia hoc non evenit, quaſi ipſi ſint eorum proprii Parochi, ſed quia proprii Parochi Eccleſiarum dictorum ſuorum Beneficiorum fines, & Territorium Parochorum ſuorum reſpective domiciliorum intrare, ibique ipſis invitis Sacramenta miniſtrare nequeunt; *arg. cap. Eccleſias* 1. *cauſ.* 13. *quæſt.* 1. *Cap. In Eccleſiis* 1. *de Capellis Monachor. Cap. Cum ſingula* 32. *de Præbend. in* 6. cum ſimilibus. Et de facto ſi quis recreationis, vel negotii cauſa in Villam extra ſuam Parochiam ſitam ſe conferat, & ibi moriatur, non ibidem, ſed ſi non habeat ſepulcrum Majorum, nec ſibi elegerit ſepulturam, in propria Parochia ſepeliri debet, non obſtante, quod in aliena Viaticum, & Extremam Unctionem receperit, text. expreſſo *in cap. Is qui* 3. *de ſepulturis in* 6.

Uxor licet ſit ſub poteſtate Viri, poteſt libere ſine ejus li- 73
centia eligere ſibi ſepulturam, quia in hoc eſt ſui Juris; *Communis*, textu expreſſo *in cap. De uxore* 7. *de Sepulturis*, juncto ejus Summario ſic expreſſe dicente: *Mulier nupta libere poteſt ſibi eligere ſepulturam*.

Si autem Uxor decedat, non electa ſepultura, & adhu 74
ſuperſtite ſuo Marito, debet ſepeliri in ſepultura Mariti, ſi hic aliquam jam ſibi elegit, & determinavit, aut jam determinavit ſepeliri in ſepulcro Majorum; Abbas *in cit. cap. De uxore num.* 6. Barboſa *ibid. num.* 4. Pirhing. *loc. cit. num.* 12. Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 24. Silveſter verb. *Sepultura q.* 8. *dict.* 5. & alii *arg. cap. Ebron.* 2. *cauſ.* 13. *quæſt.* 2. & ſic cenſuit *Sacra Congr. Rit. in Senogallien.* 15. *Januar.* 1663. apud Panimol. *dec.* 5. *adnotat.* 3. *num.* 32. Et ratio eſt, quia Maritus deſtinatione, & determinatione animi jam cenſetur eſſe ſepultus in tali ſibi electa, & deſtinata ſepultura. Si autem
Maritus nondum ſibi ſepulturam elegerit, nec voluntatem 75
ſuam circa ipſam adhuc declaraverit Uxor eſt ſepelienda in ſepulcro ſuorum Majorum, ſi habeat, vel ſi non habeat, in Parochia, ubi decedit, *arg. cap. Nos inſtituta* 1. *cap. Ex parte* 5. *cap. In noſtra* 10. *de ſepult. cap. Animarum* 1. *cap. Is qui* 3. & *cap. Licet* 4. *eod. in* 6. Sic cit. Doctores & alii.

Si vero Uxor remaneat vidua & decedat, non ſibi electa 76
ſepultura, quamvis habeat ſepulcrum Majorum, debet ſepeliri in Sepulcro Mariti. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Ebron cauſ.* 13. *q.* 2. ubi etiam redditur ratio his verbis: *Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum ſepulcrum, quia una caro ſunt, & quos Deus conjunxit, homo non ſeparet*, Et concordat *cap. Unaquæque* 3. *ead. cauſ.* & *q.* ibi: *Unaquæque mulier ſequatur virum ſuum ſive in vita, ſive in morte*.

Et ſi talis Uxor vidua plures habuerit Maritos; ſepeliri de- 77
bet in ſepulcro ultimi, textu expreſſo *in cap. Is qui* 3 *de ſepulturis in* 6. §. *Mulier* ibi: *Mulier autem, quæ plures viros habuit ſucceſſive, ſi ſepulturam non elegerit, eſt cum viro ultimo, cujus domicilium retinet & honorem, tumulanda*.

Uxor vidua debet ſepeliri in ſepulcro Mariti, etiamſi lo- 78
cum habitationis mutet & redierit ad domum paternam, vel aliorſum ſe contulerit, *arg. cit. cap. Ebron* 2. *cauſ.* 13. *quæſt.* 2. quia in tali vidua aliorſum ſe conferente militat ratio ibi allegata, nempe: *Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum ſepulcrum*; Tale enim privilegium eſt datum perſonæ, & non loco, & mulier vidua viduilem vitam ſervando, cenſetur durare in conjugio viri. Joannes Andreas *in cit. cap. Is qui* 3. *de ſepultur. in* 6. Silveſter verb. *Sepultura q.* 8. *dict.* 5. Pirhing. *lib.* 2. *Decretal tit.* 28. *num.* 12. Reiffenſtuel *ibid. num.* 22. Donat. *tom.* 3. *titul.* 9. *quæſt.* 24. *num.* 9. cum aliis ibi allegatis. Sperel. *tom.* 1. *deciſ.* 88. *num.* 15. cum pluribus aliis ibi citatis, Panimol. *citat. deciſ.* 3. *adnot.* 3. *numer.* 36. & alii.

Non eſſet tamen Uxor ſepelienda in ſepulcro Mariti, ſi nec- 79
dum ad ejus domum fuerit traducta & ab ipſo cognita, quia in tali caſu non acquiſiviſſet ejus domicilium, nec fuiſſet facta una caro cum ipſo, quæ ſunt motiva, ob quæ *ex cit. cap. Is qui* 3. *de ſepulturis in* 6. & *cit. cap. Ebron* 2. *cauſ.* 13. *quæſt.* 2.
Uxor debet ſepeliri in ſepulcro Mariti. Sic doctores citati, & 80
alii paſſim. Item non eſt ſepelienda Uxor in ſepulcro Mariti in caſu, quo ob ipſius adulterium factum ſit divortium, & totalis ſeparatio quia tunc non eſt amplius de domo Mariti, cum ejus domicilium juridice amiſerit. Sic citati Doctores, & alii.

Uxor moriatur prægnas, fœtus in utero exiſtens una cum 81
matre mortuus, & non extractus, tamquam pars ventris ſepelitur una cum matre in Eccleſia. Si autem extractus ſit, ipſe utpote non baptizatus, ſepeliri debet extra locum Sacrum; & mater in Eccleſia. *Communis* cum ſupracitatis Doctoribus.

An autem, ſicuti ex ſupradictis Uxor debet ſepeliri in 82
ſepul-

ſepulcro Mariti, ita etiam Maritus decedens, non electa ſibi Sepultura debeat ſepeliri in ſepulcro Uxoris? contendunt Doctores; Abbas enim *in cap. De uxore 7. de Sepulturis num. 7.* tenet affirmativam ſententiam, quam ſequitur, & probabiliorem aſſerit Reiffenſtuel *loc. cit. num. 24.* Et ratio illorum eſt, quia revera eadem prorſus militat Juris ratio in Marito, quæ in Uxore, *cit. cap. Ebron 2. cauſ. 13. q. 2.* adducta, nempe, *Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum Sepulcrum quia una caro ſunt, & quos Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Ubi autem eadem eſt ratio, eadem quoque eſt Juris diſpoſitio, *cap. Inter corporalia, 2. de translation. Epiſcop. l. Ideo 27. ff. de legibus*, ibi: *Semper quaſi hoc Legibus ineſſe credi oportet, ut ad eas quoque perſonas, & ad eas res pertinerent, quæ quandoque ſimiles erunt*, quia ut expreſſe dicitur *in l. Non poſſunt 12. ff. eod.* ibi: *Non poſſunt omnes articuli ſingillatim, aut Legibus, aut Senatus Conſultis comprehendi, ſed cum in aliquo caſu ſententia eorum manifeſta eſt, is qui Juriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque ita Jus dicere debet.* Silveſter vero *loc. cit. diſt. 5.* Pirhing *loc. cit. num. 10.* Donat. *loc. cit. tract. 9. quæſt. 24. num. 11.* Riccius 4. *part. Prax. reſolut. 293. num. 3.* & alii partem negativam defendunt, *argum cap. Unaquæque 3. cauſ. 13. queſt. 2.* ubi ſolum dicitur, quod *Unaquæque mulier ſequatur virum ſuum, ſive in vita, ſive in morte*, non autem dicitur e contra de viro; Tum quia abſurdum eſt, quod Maritus ſequatur diſpoſitionem Uxoris, *arg. l. Si ita 45. ff. De Legat. 2.*

Aſt hæ rationes, & Jura per Auctores ſecundæ negativæ
83 ſententiæ adductæ de facili, & recte ſolvuntur a Reiffenſtuel *loco cit. num. 25.* quia dicit ipſe, licet Maritus non teneatur ſequi Uxorem, & in vita, & in morte, ſicuti Uxor tenetur ſequi Maritum, tenetur tamen Maritus ſequi Uxorem poſt mortem, ſi non vigore citati Canonis *Ebron*, ob rationis, & Juris omnimodam identitatem, nempe: *Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum ſepulcrum, quia una caro ſunt, & quos Deus conjunxit, homo non ſeparet*; Tum quia Canon *Ebron* majorem vim præſeferre videtur, utpote depromptus a Papa, nempe Gelaſio, quam Canon *Unaquæque mulier* depromptus a non Papa, nempe a S. Auguſtino, ut ibi patet. Nec eſt abſurdum, quod vir ſequatur diſpoſitionem Uxoris, ſi aut Jura ita exigant, aut Uxor rationabiliter diſponat. Immo eſt ſumme laudabile, & quandoque neceſſarium, quod Maritus ſequatur diſpoſitionem Mulieris, præſertim in piis operibus ad ſalutem æternam tendentibus; Dicit enim Apoſtolus 1. *ad Corinth. cap. 7. num. 14.* quod ſic faciendo *ſanctificatus eſt Vir infidelis per Mulierem fidelem*. Nec in contrarium ſtat *cit. l. Si ita 45. ff. de Legat. 2.* ab Adverſariis adducta; ibi enim non id, quod ipſi dicunt, ſed dolum dicitur, quod vocabulo *femineo maſculum non continetur*, ibi: *Exemplum enim peſſimum eſt feminino vocabulo etiam maſculos contineri*.

84 Habitans in confinio duarum Parochiarum, ſcilicet in domo ſita partialiter in fundo duarum Parochiarum, ſi decedat ſine electione ſepulturæ, nec habeat ſepulcrum majorum, ſepeliri debet in illa Parochia, ex qua eſt ingreſſus in Domum; Si autem ſint duæ portæ, ſepeliri debet in illa Parochia, ex qua eſt porta principalis, ſive anterior facies Domus, quia hæc cenſetur nobilior. Sic Pignatell. *tom. 8. conſult. 5. n. 7.* Barboſa *de Offic. & poteſt. Parochi part. 2. c. 21. n. 43. & de Offic. & poteſt. Epiſcop. alleg. 32. n. 71.* Kugler. *de Matrim. n. 298.* De Juſtis *lib. 2. cap. 19. n. 64.* La Croix *lib. 7. n. 241.* cum Bartol. & Bald. ibi citatis.

85 Si quis in teſtamento diſpoſuerit, ut ſepeliatur in Parochia, in qua fuerit moriens, & caſu moriatur in aliena Parochia, non debet ſepelliri in hac aliena, ſed in Parochia proprii ſui domicilii, quia per iſtum egreſſus, vel brevem abſentiam non amiſit propriam Parochiam, nec alteram acquiſivit. Pignatell. *tom. 4. conſult. 151.* La Croix *loc. cit. n. 240.* & alii.

86 Eligere ſepulturam ſibi beneviſam poteſt quilibet, ſive maſculus, ſive femina; Dummodo habeat debitam ætatem, & a Jure non prohibeatur. *Communis*, per text. *in c. Nos inſtituta 1. cap. Fraternitatem 3. cap. Cum ſuper 8. cap. In noſtra 10. de ſepulturis, capit. Animarum 1. capit. Quis 2. eod. in 6.*

87 Et poteſt quis libere ſibi eligere ſepulturam, etiam extra propriam Patriam in diverſa, & remota Provincia, etiam alienam. *Communis*, textu expreſſo *in cit. c. Nos inſtituta 1. de ſepulturis*, ibi: *Nulli tamen negamus propriam eligere ſepulturam, & etiam alienam; Dominus enim & Magiſter alienam eligit ut propriam*, juncta Gloſſa *ibidem verb. Alienam* id notante de Domino noſtro Jeſu Chriſto, *Qui natus in Betlehem, nutritus in Nazareth, ſepultus fuit in Hieruſalem in ſepulcro Joſeph.*

Si quis autem eligat ſepeliri in Sepultura aliena, non po- 88
teſt ibi ſepeliri, niſi conſentientibus Patronis ſepulturæ, quia, quod noſtrum eſt, abſque facto noſtro auferri a nobis non poteſt, *l. Id quod noſtrum 11. ff. de Regul. Juris*, ibi: *Id quod noſtro eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt*. Sebaſtianus Medices *de Sepultur. c. 9. n. 4.* Barboſa *lib. 2. Juris Eccleſ. univerſ. c. 10. n. 12.* Ventriglia *tom. 1. Annotat. 52. §. Unic. num. 2.* & alii paſſim.

Quo ad hunc effectum autem non dicuntur Patroni Rectores 89
Eccleſiarum vel Superiores Regulares, ſed illi, quibus per dictos Rectores, ſeu Superiores Regulares conceſſa eſt ſepultura. Unde in ſimilibus caſibus eſt expreſſe petenda prædicta licentia a dictis Patronis, vel eorum ſucceſſoribus, ſine qua licentia Rectores, vel Superiores Regulares in prædictis ſepulturis aliquem ſepelire non poſſunt, quia de Jure in fundo, in quo quis habet uſum, non poteſt Dominus inhabitare, invito uſufructuario, *l. Heres 12. ff. de Uſu, & Uſufructu, & habitatione*. Patroni enim prohibere poſſunt, ne alii in ſuis ſepulcris tumulentur, *l. Locum 2. l. Familia 5. l. Vel quod 7. l. Si plures 41. ff. de Religioſis & ſumptibus Funer. l. Jus ſepulcri 13. Cod. eod.* Ventriglia *loc. cit. n. 3.* Barboſa
*loc. cit. num. 12.* & alii. Extinctis autem Patronis omnibus, 90
tunc Rectores Eccleſiæ, ſeu Regulares poſſunt non ſolum alios mortuos ibi ſepelire, ſed etiam ſepulturam alteri concedere, quia mortuo uſufructuario, ille uſus redit ad proprietatem libere; *l. Corruptionem uſufructus 16. Cod. de uſufructu, & habitatione* Sebaſtian. Medices *loc. cit. q. 8. num. 3.* Ventriglia *loc. cit. num. 3.* & alii.

Item poſſunt Rectores Eccleſiæ, ſeu Regulares in patrona- 91
tis ſepulcris aliquem alium tumulare, interveniente cauſa neceſſitatis; Lavorius *variar. Lucubrat. titul. 2. c. 11. n. 36.* poſt Abbatem, & Roman. ibi citatos, Ventriglia *l. cit. n. 3.* & alii. Quod enim non eſt licitum in Lege, neceſſitas facit licitum. *cap. Quod non eſt 4. de Regulis Juris, c. Quoniam 13. cauſ. 1. q. 7.* cum neceſſitas non habeat Legem *cap. Sicut 11. de conſecrat. diſt. 1. cap. Omnes 1. de Feriis, cap. Conſilium 2. de obſerv. jejunior. cap. Conſuluiſti 3. de celebrat. Miſſar.* In qualibet enim diſpoſitione intelligitur excepta neceſſitas; *c. Licet 6. de pænitent. & remiſſionibus*; Fagnan. *l. 1. decretal. in cap. Nihil 44. de election. n. 16*

Si plures ſint Patroni debent omnes conſentire, nec ſuffi- 92
cit conſenſus majoris partis ad hoc ut Cadaver illius, qui elegit ſepulturam in alieno ſepulcro, poſſit ibidem ſepeliri, textu expreſſo *in l. Si plures 41. ff. de Religioſ. & ſumptibus funer.* ibi: *Si plures ſint Domini ejus loci ubi mortuus infertur omnes conſentire debent, cum extranei inferantur*; Quod enim omnes tangit, ab omnibus approbari debet, text. expreſſo *in cap. Ad hæc 6. de Offic. Archidiacon.* ibi: *Cum ab omnibus quod omnes tangit, approbari debeat*.

Decedens facta electione ſepulturæ alterius Patroni, ſi Pa- 93
tronus deneget conſenſum, nec intendat admittere Cadaver, ad ejus ſepulturam, dicitur decedere non facta electione; Nam idem eſt, aliquid non eſſe factum quam nulliter factum *l. Si ſe non obtulit 4. §. 6. ff. de re judicata*, ibi: *Condemnatum accipere debemus eum qui rite condemnatus eſt, ut ſententia valeat; Ceterum ſi aliqua ratione ſententia nullius momenti ſit dicendum eſt, condemnationis verbum non tenere*, Paria enim ſunt non eſſe, & nullum eſſe, *arg. l. Duo ſunt Titii, ff. de Teſtamentaria Tutela*. Et quod nullum eſt, nullum producit effectum, *cap. illud 8. de jurepatronatus*, Ventriglia *loc. cit. num. 5.* Pariſ. *conſil. 95. num. 11. lib. 1.* & alii. Contrarium tamen dicendum eſſet, ſi accederet Epiſcopi, vel Rectoris Eccleſiæ diſpenſatio, qui poſſunt illam concedere in caſu neceſſitatis, etiam invito Patrono Bonacina *tom. 2. de contract. diſp. 3 quæſt. 2. punct. 3. num. 4.* Ventriglia *loc. cit. n. 5.* & alii, *arg. citatis Juribus ſupra n. 91.*

Filius familias, dummodo pubes ſit & ſit ſui juris, poteſt 94
etiam ſine conſenſu Patris ſibi libere eligere Sepulturam. *Communis. cap. Unaquæque 4. § Exemplo cauſ. 13. q. 2. c. Nos inſtituta 1. de ſepulturis, cap. Licet 4. eod. in 6.* cum ſimilibus; Et ratio eſt, quia quo ad jura ſpiritualia, quale eſt etiam Jus ſepulturæ, *cap. Quæſita 12. cauſ. 13. q. 2.* Filiusfamilias patriæ poteſtati ſubjectus non eſt.

Item ſervus, ſi pubes ſit poteſt ex eadem ratione ſibi libe- 95
re eligere ſepulturam, quia ſervitus eſt de Jure temporali, & nequit extendi ad ſpirituali a. Card. Petra *tom. 2. Commentar ad Conſtit. 2. Honorii III. num 19.* Samuel. *de ſepultur. tract. 1. diſp. 5. controv. 1. concluſ. 8.* Lavorius *loc. cit. cap. 11. tit. 2. n. 146.* Ventriglia, Panimol. Murga, & alii paſſim.



96 Item ſepulturam ſibi eligere libere poſſunt Novitii etiam extra Monaſterium, & in alia Eccleſia, quia cum hi poſſint vivi libere diſcedere a Monaſterio, & ad ſæculum redire, *cap. Conſuluiſti 19. cap. Statuimus 23. de Regularib.* cum ſimilibus, id illis debet etiam permitti in morte, *arg. cap. Religioſi 5. de ſepulturis in 6.* ubi ideo preciſe prohibetur Religioſis profeſſis eligere ſepulturam, quia *velle, & nolle non habent*, ergo, a ſenſu contrario, quia Novitii *velle & nolle* adhuc habent, cum Obedientiam nondum promiſerint, ſine dubio poſſunt ſibi libere eligere ſepulturam. Pirhing *loc. cit. num. 25.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 43.* Engel *loc. cit. num. 12.* Donat *tom. 3. tract. 10. quæſt. 4.* Armilla verb. *Sepultura numer. 6.* & alii paſſim.

97 Religioſi tamen Profeſſi in Clauſtris morientes non poſſunt ſibi eligere ſepulturam. *Communiſſima*, textu expreſſo *in cit. cap. Religioſi 5. de ſepulturis in 6.* ibi. *Religioſi, niſi a propriis Monaſteriis adeo forſitan ſint remoti, quod ad ea, cum moriuntur commode portari non poſſint, nequeunt (cum velle, vel nolle non habeant) ſibi eligere ſepulturam, ſed ſunt apud ſua Monaſteria tumulandi*.

98 Et hoc procedit etiam de Prælatis, & Superioribus Regularibus; quia licet Prælati habeant aliquod velle & nolle, non tamen proprium, & abſolutum a Regula, & conſtitutionibus, ſed commenſuratur illis, & dependenter ab illis, adeoque ſi Regula, & Conſtitutiones hoc illis non concedant, ſtandum eſt Juri canonico *in cit. c. Si Religioſi 3. de Supulturis in 6.* quod loquitur de Religioſis indiſtincte, & univerſaliter; Ubi enim Jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *l. De pretio 8. de Publiciana in rem action.* & verba generalia generaliter ſunt intelligenda, *cap. Quia circa 22. de privileg.* Tum quia Regulares per Prælaturas, ſeu Superioritates non deſinunt eſſe Regulares, & in ipſis perſeverat diſpoſitio Juris Canonici *in dict. cap. Si Religioſi*, quia quamvis reſpectu ſuorum ſubditorum habeant *velle, & nolle*, ſecus autem reſpectu ſuorum Superiorum, ut patet de Superioribus, ſeu Prelatis localibus reſpectu Provincialium, de Provincialibus reſpectu Generalium, & de Generalibus reſpectu Summi Pontificis. Sic expreſſe Donatus *tom. 3. tract. 10. q. 2.* Bordon. *tom. 2. reſolut. 51. num. 158.* & alii contra multos alios.

99 Impuberes nequeunt ſibi eligere ſepulturam. *Communis*, textu expreſſo *in cit. cap. Licet. 4. de ſepulturis in 6.* ibi: *Nequeunt, antequam ad annos pubertatis pervenerint, eligere ſepulturam*. Niſi tamen malitia ſuppleat ætatem, quia tunc poſſe ſibi eligere ſepulturam tenent Ventriglia *loc. cit. num. 11.* Zerola *in praxi Epiſcop. part. 1. verb. Sepultura* §. 1. Sperell. *deciſ. 89. num. 2.* Lavorius *variar. Lucubrat. tit. 2. cap. 11. n. 109.* Sebaſtian. Medic. *de ſepult. quæſt. 8. num. 3.* Lapus *allegat. 59. num. 2.* Barboſ. *lib. 2. Jur. Eccleſiaſtic. univerſ. cap. 10. ſub. n. 27* Didacus Narbona *in tractat. de ætat. ad omnes humanos actus requiſit. ann. 14. quæſt. 47. in princip.* Card. Petra *loc. cit. n. 3.* & alii.

100 Pro impubere nequeunte ſibi eligere ſepulturam, poteſt ipſi illam eligere Pater, ubi ad id adeſt legitima conſuetudo. *Communis*, textu expreſſo *in cit. cap. Licet. 4. de ſepulturis in 6.* ibi: *Licet Pater, minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere ſepulturam, poſſit. (ſi conſuetudo terræ id habeat) quo voluerit ſepelire, hoc tamen non poteſt, ubi conſuetudo hujuſmodi non habetur ſed ſunt cum ſuis Majoribus, vel in Parochiali Eccleſia tumulandi.*

101 Nequit tamen Pater ſepulturam eligere Filio impuberi, ubi non adeſt talis conſuetudo, ut expreſſe loquitur citatus textus, ibi: *Hoc tamen non poteſt, ubi conſuetudo hujuſmodi non habetur*. Et ſic tenent Barboſa *in d. cap. Licet 4. de ſepultur. num. 5.* Gratian. *diſceptat 94. num. ultim.* Bellet. *diſquiſit. Cleric. part. 1. tit. 1. de Cler. debitor* §. 3. *n. 17.* Sperell. *deciſ. 89 n. 3*, Pignatell. *tom. 7. conſult. 21. num. 1.* Paſſerin. *de ſtatib. homin. tom. 2. q. 187. art. 4. num. 270.* Mathæucc. *loc. cit. numer. 25.* Genuenſ. *in prax Cur Epiſ. Neapolit cap. 76. num. 4. impreſ. Venet.* ubi tradit, hanc conſuetudinem non eſſe Neapoli: Card. *loc. cit. ſub. n. 9. verſ. verum*, ubi refert ſic in terminis firmaſſe *Sacr. Congr. Conc. in Placent. 27. Nov. 1619.* in qua reſpondit *Ad primum Patrem, ſi legitima conſuetudo loci id non habeat, eligere non poſſe*. Et ſic cenſuit noviſſime *Sac. Congregat. Concil. in Alexanen. Funerum 13. Julii. 1743. in reſponſione ad IV. & V. dubium*.

102 Non deſunt tamen Doctores magni nominis defendentes,



quod hodie generaliter, & nulla attenta conſuetudine permittitur parentibus eligere ſepulturam Filio impuberi in quacumque Eccleſia etiam Rugularium. Sic Ventriglia *in Trax. Annotation. 52. §. unic. num. 13.* Barboſ. *in Summ. Apoſtolic. deciſ. verb. Sepultura num. 14* Laurent. de Peirin. *de privileg. Regul. tom. 3. in fine p. 570.* Samuel. *de ſepultur. tract. 1. diſp. 8. controv. 1. concluſ. 4.* Murga *Diſquiſit. moral. tom. 1. tract. 7. ſect. 2. diſquiſit 9. §. 1. concluſ. 2. num. 4.* Nicolius *Lucubrat, utriuſque Jur. tom. 21. lib. 4. tit. 15. de Interdict. num. 21.* & videtur facere Rota *deciſ. 16. numer. 8.* poſt Antonell. *de Juribus Clericor in Caſalen. Quartæ Funeralium ſuper bono Jure 16. Januarii 1697. coram Eminentiſſimo Caprara*, ubi non requirit licentiam Parochi, aut Capituli, & alii, qui omnes ſe fundant in reſolutione *Sacræ Congregationis* Regularium *ſub. die 20. Januarii 1640.* penes Peirin. *loc. cit.* Barboſam *loc. cit. num. 14.* Murgam *loc. cit. num. 7.* quæ ſic habet:
„ Sacra Congregatio negotiis Regularium præpoſita ſæpius
„ cenſuit licere Parentibus in quacumque Eccleſia voluerint
„ etiam Regularium, eorum Filiis Minoribus, qui ad annos
„ pubertatis nondum pervenerunt, eligere ſepulturam, nec a
„ Parochis locorum impediri poſſe, aut debere; præſertim
„ vero ſi in dictis Regularium Eccleſiis ſepeliri conſueve-
„ rint, vel in eis habeant ſepulcra Majorum „. Et ad id facit Decretal. Sacræ Congregat. Concil. in Novarienſ. 15. Martii 1704. in reſponſ. ad primum.

Si adſit ſepulcrum Majorum in Eccleſia Regularium, 103
tunc præciſa conſuetudine debent impuberes ibi ſepeliri, ut declaravit *Sac. Cong. Concilii in Firmana Jurium Parochialium ad tertium, & in Novarien. 15. Martii 1704. ad primum*, teſte Card. Petra *loc. cit. num. 9. in fine*.

Facultas permiſſa Patri eligendi ſepulturam Filio impu- 104
beri non poteſt exerceri poſt mortem ipſius Filii, ſed ſolum pendente ipſius vita. Sperel. *deciſ. 89. numer. 5.* Card. Petra *loc. cit. num. 11.* Nicolius *loc cit. tit. 15. de interdict. num. 21* Murga *loc. cit. tract. 7. ſect. 2. diſquiſ. 9. §. 9. num. 3.* Lavorius *loc. cit. tit. 2. cap. 11. num. 18.* Aldan. *in Compend. Canonic. reſolut. lib. 2. tit. 17. num. 5.* Barboſa *cit. cap. 10. numer. 28 & in Summa apoſtolic. dec. verb. Sepultura num. 6.* Ventriglia *loc. cit. num. 18.* Diana *tom. 5. tract. 3. de caſib. occurrent. tempore mortis reſol. 107. circa med.* & ſic declaraſſe *Sac. Congr. Epiſcop. & Regul in Fulginaten. 27. Octobris* 1587. nempe quod *ſepulturam pro Filio minori in vita, non poſt ejus mortem, poteſt Pater eligere*, teſtantur Barboſa *in Summa loc. cit. n. 6.* Ventriglia *loc. cit.* Diana *loc. cit.* Lavorius *loc. cit.* Aldan *loc. cit.* & alii, & Pignatell. tom. 7. *conſult.* 21. ubi plura adducit Decreta ad rem. Vide tamen Sperel *loc. cit. n. 5.* ſubdentem etiam ſic reſcipſiſſe *in una Montis peluſii 6. Junii. 1659 ſub verb. Quarta funeralis n. 3. decret. Sacr. Congr. Concil. in reſponſione ad 1.*

Deficiente Patre, poteſt Mater eligere ſepulturam Filio 105
impuberi, ſi ad id concurrat legitima conſuetudo; ſecus non. Cardin. Petra *loc. cit. n. 6.* Barboſa *cit. cap. 10. num. 38.* Panimol. *tom. 1. deciſ. 5. adnot. 3. num. 24.* Lavorius *loc. cit. cap. 11 n. 119.* & alii paſſim. Et declaravit *Sac. Congr. Concilii in Majoricenſ.* quæ refertur *in Conſtit. 7. Innocentii XI. §. 6. tom. 5. Bullarii*, & adducitur a Matthæucci *loc. cit. n. 25.* ibi: *Ad dubium; An Mater pro Filiis impuberibus poſſit eligere ſepulturam?* Reſpondit: *Non licere Matribus eligere ſepulturam pro filiis impuberibus ceſſante legitima conſuetudine. In Avellinen.* tamen 15. *Septembris* 1605. ſtatuit ſic: *Etiam Mater cum Pater non adeſt, poteſt filio impuberi ſepulturam eligere vivente tamen filio*, apud Pignatel. *loc. cit.*

Talis conſuetudo pro eligenda ſepultura filiis impuberibus 105
debet eſſe generalis in loco, vel Civitate; alias conſuetudo particularis alicujus Eccleſiæ ceteris ejuſdem Urbis Eccleſiis præjudicaret, ut colligitur *ex cit. cap. Licet, de Sepulturis in 6.* ibi: *Conſuetudo Terræ*, & expreſſe *ibidem* notant Archidiacon. *ante num. 1.* Franch. *ante num. 2.* & Ancharan. *ante num. 3.* & alii, Sperel. *cit. deciſ. 89. num. 30. cum ſeq.* allegans ad id caſus deciſos, & alios Doctores.

Item talis conſuetudo debet eſſe legitime præſcripta, quæ 107
quo ad Patrem ſufficit decennalis, cum ipſi aſſiſtat Jus *in cit. cap. Licet*, approbante talem conſuetudinem: Card. Petra *loc. cit. num. 7.* cum Gloſſa, Barboſa, Ventriglia, Paſſerin. ibi allegatis, Matthæucc. *loc. cit. num. 25.* Sperel. *loc. cit. numer. 26.* cum aliis ibi adductis, & alii. Quo ad Matrem autem cui Jus non aſſiſtit, requiritur conſuetudo quadragenaria, nec ſufficit decennali; Card. Petra *loc. cit. num. 12.* Sperell *loc. cit. num. 20.* cum aliis ibi allegatis, Matthæuc *loc. cit. num. 25*

Burſat *conſil.* 226. *n.* 218. *col.* 3. Sebaſtian. Medices *loc. cit. q.* 8. *n.* 23. Moronus *reſolution.* 51. *num.* 43. & alii.

108 Et hæc quadragenaria conſuetudo introduci poteſt etiam favore Avorum, Fratrum, Conſanguineorum, Affinium, Tutorum, Adminiſtratorum, Maritorum, Uxorum, Dominorum, & Amicorum, quia etiam in iſtis adeſt eadem ratio conſuetudinis conſiderata in Patre, vel Matre, ut per Gloſ. *in d. cap. Licet* & ibi Franch. *num.* 3. & Stephan. Gratian. *tom.* 1. *diſp. forenſ. diſceptat.* 94. *num.* 80. apud Sperel. *loc. cit. n.* 16. & tenent Card. Petra *loc. cit. numer.* 19. & alii apud Gratian. *loc. cit.* aliique plures. Contrarium tamen tenuerunt Joannes Aſin. *l. Familiaria ſepulcra, ff. de Religioſ. & ſumptib. funer.* Burſat. *conſil.* 226. *num.* 118. *col.* 3. Bellet. *diſquiſit. Cleric. tit. de Cleric. debitor.* §. 3. *n.* 18. Barboſa *in Collect. ad c.* 1. *n.* 6. *de ſepultur.*

109 Impuberes decedentes non ſibi electa ſepultura, a ſupradictis ad id facultatem habentibus ratione legitimæ conſuetudinis, ſepeliendi ſunt in ſepulcro ſuorum Majorum, ſi habeant vel ſi non habeant, in propria Parochiali. *Communis*, textu expreſſo *in cit. cap. Licet* 4. *de Sepultur. in* 6 ibi: *Sed ſunt cum ſuis Majoribus, vel Parochiali Eccleſia tumulandi.*

110 Electio ſepulturæ probari debet, cum ſit quid facti, & ſufficit probatio, non ſolum per Teſtamentum, & Codicillum validum, ſed etiam invalidum per ſcripturam manu propria ſubſcriptam, per duos Teſtes, etiamſi ſint ſingulares, & per ſolum dictum Confeſſarii. Riccius *praxi* 1. *part. reſolut.* 575. *per tot.* Maſcard. *de probationibus* 3. *vol. concl.* 1297. Lavor. *loc. cit. cap.* 11. *num.* 18. Molfeſius *in ſumma tom.* 2. *tract.* 13. *cap.* 8. *n.* 32. Ventriglia *loc. cit. num.* 45. Card. Petra *loc. cit. num.* 21. & alii paſſim. Et ſic pluries declaravit Sacra Cong. Concil. & ſignanter die 14. Februarii 1666. & Benedict. XIII. Conſtit. incipient. *Pretioſus* §. 69.

111 Electio ſepulturæ poteſt variari toties quoties eligenti videbitur uſque ad finem vitæ; Electio enim ſepulturæ eſt pars ultimæ voluntatis, omnis autem actus ultimæ voluntatis ſua natura

112 eſt revocabilis, adeoque &c. *Communis.* Et hæc revocatio poteſt fieri, non ſolum expreſſe, ſed etiam tacite per ſecundam; electionem Regulare enim eſt in actibus cauſa mortis, ut ſecunda voluntas revocet primam, *Communis.*

113 Electio ſepulturæ ſemel legitime facta, ſi non revocetur, perſeverat uſque ad mortem; Unde ſi infirmus eligens ſepulturam convaleſcat, & poſtea moriatur ex alia infirmitate, etiam per longiſſimum tempus, cenſetur mori cum electione ſepulturæ, & eſt ſepeliendus in ipſa ſepultura ſemel ab ipſo electa, nam illa electio facta non cenſetur revocata, nec infirmata, ex quo infirmus pro tunc non deceſſerit, ſicuti Teſtamentum factum in articulo mortis non infirmatur, ex eo quod teſtator convaluerit; *l. fin* & *ibi* Bald. & alii *ff. de hæred. inſtit. c. Licet de Procuratoribus in* 6. cum ſimilibus, & in terminis firmavit *Cong. Conc.* 13. *Februari* 1666. *in reſponſione ad tertium* ut mox infra patebit.

114 In materia electionis ſepulturæ valde notanda ſunt reſponſa Sac. Congr. Conc. ad infraſcripta Dubia.

I. *An ſit valida electio ſepulturæ, quamvis ſive ſanus, ſive infirmus coram Parocho elegerit?*

II. *An ad validitatem electionis ſepulturæ requiratur Teſtamentum in ultima infirmitate, vel ſufficiat, quod eligatur antea per alium actum publicum, qui teſtamentum non ſit?*

III. *An ſit nulla electio ſepulturæ, quando ipſa eligitur per Teſtamentum factum in vita, & non in morte?*

IV. *An qui habet Capellam ſuæ familiæ cum propria ſepultura, aut Capellam erexerit cum ſepultura propria, moriens abſque ſepulturæ electione ſepeliendus ſit in Cathedrali?*

V. *An valide eligatur ſepultura coram duobus teſtibus?*

VI. *An electio ſepulturæ per nutus, & ſigna in caſu, quo quis loqui non poſſit, ſit valida?*

VII. *An Confratres ſodalitatum, non electa ſepultura, poſſint ſepeliri in ſepulcro ſuæ Eccleſiæ?*

VIII. *An electiones ſepulturæ, quæ jure præſumuntur, ſicut Uxoris reſpectu Mariti, Filii reſpectu Patris, eorumque Majorum, ac ſervorum reſpectu Dominorum, ſint validæ?*

IX. *An qui poſt mortem mandat ſuum Corpus indui habitu Tertiariorum ſit ſepeliendus in Eccleſia Regulari?*

Ad quæ ſub die 13. Februarii 1666. reſpondens declaravit, cenſuit, & decrevit, ut ſequitur.

*Ad* I. *Cenſuit eſſe validam, dummodo Parochus non teſtetur ad proprium commodum.*

*Ad* II. *Cenſuit non requiri neceſſario Teſtamentum.*

*Ad* III. *Cenſuit non eſſe nullam.*

*Ad* IV. *Non ſepeliendum in Cathedrali.*

*Ad* V. *Eſſe validam.*

*Ad* VI. *Eſſe validam; dummodo ſufficienter conſtet de voluntate eligentis.*

*Ad* VII. *Negative.*

*Ad* VIII. *Cenſuit quatenus electa non fuerit ſepultura, uxorem in ſepulcro ultimi Viri ſepeliendam, filios vero in ſepulcro Majorum, ſervus item in Parochia.*

*Ad* IX. *Cenſuit negative.* Pignatell. *tom.* 1. *conſult.* 17.

115 Clericis omnibus ſive ſæcularibus, ſive Regularibus eſt graviter prohibitum in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ, ne aliquo medio voto, vel juramento, aut pacto, ſeu promiſſione inducant, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent, textu expreſſo *in cap. Animarum* 1. *de ſepulturis in* 6. ibi: *Univerſis Religioſis &, ſecularibus Clericis cujuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtant, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictiſſime prohibemus, ne aliquos ad vivendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent.*

116 Inſuper Clerici ſæculares, & Regulares quo ad hoc tranſgreſſores incurrunt ultra graviſſimam culpam, etiam ipſo facto excommunicationem majorem Papæ reſervatam, textu expreſſo *in Clement. Cupientes* 3. §. *Sane, de poenis*, ibi: *Sane, temerarios Violatores Conſtitutionis illius, quæ Religioſis, & Clericis ſæcularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, ut ſepulturam apud eorum Eccleſias eligant, vel jam electam ulterius non immutent, ſimilem ſententiam* (ſcilicet Excommunicationis, *poena in dicta Conſtitutione contenta in ſuo perdurante robore*) *incurrere volumus ipſo facto, ab alio, quam a Sede Apoſtolica præterquam in mortis articulo, nullatenus abſolvendos, nullis privilegiis, aut ſtatutis cujuſcumque tenoris exiſtant ſuper his valituris.*

117 Dictam Excommunicationem incurrunt Clerici, & Religioſi etiamſi effectus ſepulturæ non ſit ſubſequutus; Dummodo ſubſequutus ſit effectus immediatus inductionis, ideſt electio per juramentum, vel votum, vel pactum. Unde non ſufficit promiſſio de eligendo, ut dicatur inductio facta. Sic Bonifac. *in dict. Clementina num ultim.* & Cardinal. *ibid.* Geminian. *in cit. cap. Animarum* 1. *de ſepult. in* 6. Silveſter. verb. *Excommunicatio* 7. *num.* 49. Roder. *quæſt. Regular.* 58. *art.* 7. *dub.* 5. Ventriglia *loc. citat. numer.* 37. Matthæuc. *loc. cit num.* 20. & alii contra Bonacinam *tom.* 3. *de Excommunic. in particul. diſput.* 2. *quæſt.* 5. *punct.* 8. *num.* 2. *verſ. Secundo.*

118 Dictam Excommunicationem, aliaſque pœnas non incurrunt Clerici, & Religioſi inducentes aliquem ad eligendam ſepulturam in Eccleſia aliena; ſed neceſſario requiritur, ut inducant ad eligendam ſepulturam in propria Eccleſia ad ſe pertinent, ut clare patet ex verbis *cit. cap. Animarum*, ibi: *Ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant*, & *in cit. Clementina Cupientes*, §. *Sane*, *Ut* ibi: *Sepulturam apud eorum Eccleſias eligant*; Ventrig. *loc. cit. num.* 39. Lavorius *loc cit. c.* 11. *num.* 10. Bonacina *loco cit. verſ. Secund conditio* Matthæucc. *loc. c. num.* 26. Monacell. *tom.* 3. *titul.* 1. *formul.* 38. *num.* 9. & *tom* 4. *ſupplement. ad* 2. *tom num.* 417. Medices *loc. cit. q.* 8. *num.* 17. & alii paſſim.

119 Supradictam Excommunicationem, aliaſque pœnas incurrunt ſolum Clerici & Religioſi inducentes ſcienter, vel cum ingenti temeritate, quæ ſcientiam Legis ſupponit, non autem ignorantes prohibitionem, niſi ignorantia ſit affectata. Colligitur aperte ex verbis *cit. cap. Animarum* ibi: *Præſumpſerint ſepelire*, & *cit. Clementina Cupientes*, §. *Sane*, ibi: *Sane, temerarios violatores*; Præſumptio enim, & temeritas ſcientiam Legis, & prohibitionis ſupponunt, Ventriglia *loc. cit. num.* 40. Matthæuc. *loc. cit. num.* 26. & alii.

120 Ut Clerici, & Religioſi incurrant prædictam Excommunicationem, aliaſque pœnas, requiritur, ut ad eligendam ſepulturam in eorum Eccleſiis induxerint medio voto, aut juramento, vel pacto, ſeu promiſſione irrevocabili: Non tamen incurrunt, ſi ad id dederint ſolum ſimplex conſilium, aut adhortationem. Colligitur clare ex verbis *cit. cap. Animarum*, & *cit. Clementinæ Cupientes*, §. *Sane*, ibi; *Ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant.* Sic teſte Monacell. *tom.* 3. *tit.* 1. *formul.* 38. *num.* 10. communiter tradunt Samuel. *de Sepulturis, tr.* 1. *diſp.* 2. *controv.* 1. *concl.* 8. *n.* 16. Paſqualig. *ad Lauret. de Franch. controv. pag.* 2. *q.* 63. *n.* 2. Donat. *prax. rer. Regular. tom.* 3. *tract.* 9. *q.* 27. *n.* 3. & etiam Card. Petra *loc. cit. n.* 45. cum pluribus aliis ibi citatis.

121 Immo ex Bonifac. *in dict. Clement. n.* 74. Roderic. *leg. cit art.* 7. *in fine*, Tolet. *lib.* 1. *cap.* 36. §. *Quarta*, Suarez *diſ.* 22. *de Cenſur. ſect.* 4. *n.* 25. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 12. *n.* 9. Ventriglia *loc. cit. n.* 38. pœnæ appoſitæ *in cit. cap. Animarum*, & *cit. Clementina Cupientes* non procedunt quando quis inducitur ad eligendam ſepulturam in Teſtamento, ſeu ultima voluntate.

122 An autem Parochi, ut ſupra, inducentes alienos Parochianos ad eligendam ſepulturam in ſua Parochia, vel ad non mutandam jam electam, ſeu impedientes proprios, ne ipſam eligant in Eccleſiis Regularium, incurrant prædictam excommunicationem, aliaſque pœnas? Controverſia eſt inter Doctores, Bonacina enim *tom.* 3. *de Excomm. in particulari extra Bullam Cœnæ diſp.* 2. *q.* 5. *punct.* 4. *num.* 5. quem ſequitur Ventriglia *loc. cit. num.* 43. defendit partem negativam, ex quo, ut ipſe ait, dicta Conſtitutio *in cap. Animarum*, & *dicta Clementina Cupientes*, edita fuerint in favorem Parochorum, & quod inductum eſt in favorem alicujus, in ipſius odium retorqueri non debet; *leg. Nulla, ff. de Legibus*, & *c. Quod ob gratiam* 61. *de Reg. Juris in* 6. Monacell. autem *tom.* 4. *ſupplement. ad* 3. *tom. num.* 60. docet mordicus ſententiam affirmativam, dicens cavendum eſſe a tali ſententia, & a doctrina Bonacinæ, quia dicit ipſe, Bonacina in hoc fallitur, cum non in favorem Parochorum, ſed decedentium, ad hoc nempe, ut liber quandocumque, & ubicumque placuiſſet eis, ſepulturam eligere poſſent, edita fuerit utraque citata Conſtitutio tam Bonifacii VIII. *in dict. cap. Animarum* 1. *de ſepult.* quam Clementis V. *in dict. Clementina Cupientes* 3. *de pænis*. Unde Parochi in his tranſgreſſores æque ac alii Clerici Sæculares, & Religioſi incurrunt dictam Excommunicationem, aliaſque pœnas, ut pro indubitato tenent Samuel. *de Sepult. tractat.* 1. *diſp.* 2. *controverſ.* 5. *per tot.* & *controverſ.* 8. *num.* 7. & 15. Paſſerin. *de ſtatib. homin. tom.* 2. *q.* 187. *artic.* 4. *n.* 419. quia directe violant Legem, & morientes inducunt ad obligationem contra Legis mentem, quæ fuit, & eſt, ut electio ſepulturæ maneat libera, & ut adhibeatur remedium contra avaritiam, ut bene obſervat Paſſerin. *loc. cit. n.* 423. quæ ratio æque militat in Parochis reſpectu alienorum parochianorum ac in Clericis ſæcularibus, & Regularibus reſpectu ceterorum, & ubi eadem eſt ratio eadem eſt Legis diſpoſitio; *l. Illud. ff. Ad Legem Aquiliam*, & *cap. inter Corporalia* 2. *de tranſlation. Epiſcop.* Tum quia, ubi Jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; *leg. de Pretio* 8. *de Publiciana in rem action.* & verba generalia (uti ſunt *in cit. Conſtit.*) generaliter ſunt intelligenda; *cap. Quia circa* 22. *de privileg.* Et ſic videtur ſupponere etiam Donatus *tom.* 3. *tract.* 9. *de ſepult. quæſt.* 10. Congregatio Concilii in Laudenſi Funerum die 2. Martii 1711. in reſponſ. ad tertium teſte d. Urlaya *tom.* 1. *p.* 2. *diſcept* 14. *num.* 137.

123 Hinc cum in dictis Conſtitutionibus fiat ſermo generaliter, & indefinite de Religioſis, non diſtinguendo inter Fratres, & Moniales, nec inter Fratres Clericos, & Converſos, prædictam Excommunicationem, aliaſque pœnas incurrunt etiam Moniales, & Fratres Converſi vere Profeſſi inducentes ad electionem Sepulturæ voto, juramento, vel pacto, ut tradunt communiter Doctores cum Samuello *de ſepulturis tract.* 1. *diſp.* 2. *controv.* 1. *concl* 5. *num.* 12.

124 Non incurrunt tamen dictam Excommunicationem, aliaſque pœnas Seculares, ſeu Laici, etiamſi voto, vel juramento, ſeu pacto, vel promiſſione irrevocabili inducerent aliquem ad Sepulturam eligendam in aliqua determinata Eccleſia, quia dictæ Conſtitution. *in cit. c. Animarum* & *in cit. Clementin. Cupientes*, loquuntur ſolum de Religioſis, & Clericis ſæcularibus, & non de ſæcularibus, ſeu Laicis. A diverſis autem non fit illatio; *l. Papinianus* 20. *ff. de Minoribus cap. ad audientiam* 12. *de Decimis*. Nam ad incurrendam talem Juris pœnam, neceſſe eſt, ut ſint Religioſi, vel Clerici Eccleſiaſtici; Monacell. *tom.* 3. *tit.* 1. *formul.* 38. *num.* 11. Medices *de Sepult. part.* 1. *q.* 8. *n.* 18. Ventrigl. *loc. cit. n.* 41. Samuel *loc. cit. concl.* 20. *n.* 46. & 47. & alii paſſim.

125 Aliæ pœnæ, quibus ultra Excommunicationem ſubjacent ut ſupra, inducentes voto, juramento, pacto, ſeu promiſſione irrevocabili ad eligendam ſepulturam, vel jam electam non immutandam ſunt, quod tales Religioſi, ſeu Clerici Sæculares teneantur intra decendium, tam ad reſtitutionem ſepultorum Corporum, quam etiam omnium, quæ occaſione ſepulturæ illorum pervenerunt quomodolibet ad eoſdem. Et ſi dictam reſtitutionem integraliter non fecerint, eorum Eccleſiæ, & Cœmeteria ſubjaceant interdicto, donec ſatisfecerint, textu expreſſo *in cit. cap. Animarum* 1. *de ſepult. in* 6. §. *Si vero*, ibi; „ Si vero iidem Religioſi, vel Clerici „ prædictos in ſuis Eccleſiis, vel Cœmeteriis præſumpſerint „ ſepelire, ad reſtitutionem tam ſepultorum Corporum (ſi petantur) quam etiam omnium, quæ occaſione ſepulturæ illorum pervenerit quomodolibet ad eoſdem infra decendium „ integraliter faciendam, ipſos obligatos eſſe cenſemus, quam „ niſi fecerint, Eccleſiæ ipſæ, apud quos ſepulti fuerint, nec „ non & cœmeteria earumdem ex tunc eo ipſo ſint, & tandiu „ maneant Eccleſiaſtico ſuppoſita Interdicto, donec ab eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium prædictorum „.

126 Inſuper *in cit. c. Animarum* §. *Nos enim*, ſtatuitur, quod electio ad hujuſmodi inductionem facta ipſo Jure ſit nulla, debeantque ita eligentes ibi ſepeliri, ubi nulla electione facta alias de jure ſepeliri debuiſſent, ibi; „ Nos enim, ſi ſecus „ actum fuerit, electionem talem decernimus nullius penitus „ exiſtere firmitatis, ſtatuentes, ut hi, qui ſic elegerint, nec „ apud ſic electas Eccleſias ullatenus ſepeliri, nec alibi (ne „ contra votum, juramentum, aut promiſſum hujuſmodi a „ ſe factum, materiam habeant veniendi) poſſint eligere „ ſepulturam, ſed contradictione quacumque ceſſante, ſi ſepeliantur omnino apud illas Eccleſias, apud quas ſepeliendi „ de Jure fuiſſent, ſi alias ſepultura non electa forſitan deceſſiſſent.

127 Sepulturæ infra terram, & depoſita, ſeu Cadaverum Conditoria in Tumbis profundis ſunt collocanda, & eorum operimenta æqualia debent eſſe cum ſolo Eccleſiæ. Concil. Mediolanenſ. I. *p.* 2. *tit. de Sepulturis*. Et S. Pius V. Conſtit. 5. incip. *Cum primum Apoſtolatus* §. 8. ibi: „ Et ut in Eccleſiis „ nihil indecens relinquatur, iidem (*hoc eſt Ordinarii*) provideant, ut capſæ omnes, & depoſita, ſeu alia Cadaverum „ Conditoria ſuper terram exiſtentia omnino amoveantur, „ prout alias ſtatutum fuit, & defunctorum Corpora in Tumbis profundis infra terram collocentur „.

128 Solis enim Summis Pontificibus competit prærogativa, ut eorum corpora ſepeliantur in Conditoriis elevatis a terra, ut videre eſt in Baſilica Vaticana. Ut ne quidem Perſonæ Regales ea præeminentia gaudeant, ut noviſſime praxis docuit de Cadavere Chriſtianæ Reginæ Svecorum ſepulto in eadem Baſilica ſubtus terram. Sic expreſſe Eminent. Card. Petra *tom.* 2 *Commentar. ad Conſtitut.* 3. *Cæleſtini III. ſect.* 1. *n.* 13.

129 In dicta tamen S. Pii V. diſpoſitione non comprehenduntur monumenta marmorea muris, ſeu columnis adhærentia, præſertim amotis Cadaveribus a locis altis, quia hæc nullam indecentiam immo magnum ornamentum afferunt Eccleſiis. Sic *Sac. Cong. Epiſcop. Regul. reſcripſit Epiſcopo Mantuano* 13. *Octobris* 1579. apud Nicol. *in Floſcul. verb. ſepultura num.* 2.

130 Sepulturæ debent eſſe remotæ ab Altaribus, ita ut ſepulturæ oſtium longe abſit ab Altaris ſcabellis ligneis, ſeu Prædella cubitis ad minus tribus. Concil. Mediolanenſ. I. *part.* 2. *Decret. Viſitat. Apoſtolic. verb. Sepultura*, ibi; „ Sepulcrorum „ ipſorum in poſterum ædificandorum oſtium longe abſit ab „ Altaris Scabellis ligneis, vel Bradella cubitis ad minus tribus; Sepulcra vero ipſa ad Scabellum ligneum non pergant „.

131 Hinc nemo ſepeliendus eſt prope Altaria, ſeu ſub Predellis & ſi quæ inibi reperiantur conſtructæ ſepulturæ, interdicuntur Altaria, donec amotis oſſibus ibi ſepultorum ſepulturæ terra repleantur, & muro obſtruantur. Sic pluries decrevit *Sac. Cong.* ut videre eſt ſub verb. *Altare*, ubi afferuntur Decreta, & ſub verb. *Cadaver*.

132 Sepulturæ conſtrui poſſunt in quovis loco Religioſo, ideſt ubi Divina Officia celebrantur. *Communis* per text. *in cap. Fraternitatem* 3. *de Sepulturis*, *cap. Animarum* 1. & *cap. Cum quis* 2. *eod. in* 6. Et quidem in loco etiam minus Religioſo ideſt ubi Divina Officia minus frequenter celebrantur. *Communis*, *argum. cap. Cum quia* 2. §. *Si quis, de Sepulturis in* 6. ibi: „ Si quis antiqua dimiſſa novam etiam in loco minus Religioſo elegerit ſepulturam, electionem hujuſmodi (licet Jura „ ſuper hoc videantur eſſe diverſa) nequaquam volumus impugnari „. Pro loco autem minus Religioſo intelligitur talis

talis locus qui Religioſo quidem eſt, ſed tamen minus talis utpote in quo minus frequenter Officia divina, Miſſe, aut publicæ Orationes fiunt, ut explicat Gloſſa communiter recepta *in cit. c. Cum quis, verb. Caſus*.

Admonent tamen Gloſſa *ibid.* melius, & utilius eſſe ſepul-
133 turam conſtruere, & ſibi eligere in magis Religioſo loco, hoc eſt *in loco, ubi magis celebrantur Divina*. Quod idem expreſſius docet rationem reddens alia Gloſſa *in cap. Fraternitatem 3. de Sepulturis verb. Frequentius*, ibi „ Hæc eſt ratio, quare potius ſepeliuntur homines in locis Religioſis, quia frequentius ibi Divina Officia celebrantur. „ Ad quod aperte facit expreſſus textus *in cit. c. Fraternitatem*, ibi: „ Fraternitatem tuam non credimus ignorare, mortuorum ſepulcra, & Cœmeteria apud illas Eccleſias, & Monaſteria ex antiquo eſſe diſpoſita, in quibus Religioſorum Fratrum Conventus ſunt conſtituit, & Orationes, atque Miſſarum ſolemnia, tam pro vivis, quam pro defunctis frequentius celebrantur „.

134 Hinc Bordonus *tom. 2. reſolut. 51. num. 87.* Pellizzarius *tom. 2. ſui Manual. tract. 8. cap. 5. ſect. 4. ſubſect. 24. ſub numer.* 144. Donatus *tom. 3. tract. 10. de ſepultur. q. 8.* & alii expreſſe docent, melius, & utilius eſſe ſepulturam ſibi conſtruere, & eligere in Eccleſiis Regularium, quam aliorum. Et ratio eſt clara, quia ſepulti in Eccleſiis Regularium ex frequentiori Divinorum Officiorum celebratione plus de piis operibus participant, cum etiam ex majori freqeuntatione populi accurrentis ad Divina Officia in dictis Eccleſiis audienda frequentior de ipſis fiat memoria, ſicque frequntius Orationes & Suffragia pro ipſis Deo offerantur. Quod clare indicant verba ipſa *cit. cap. Fraternitatem* ibi: „ In quibus Religioſorum Fratrum Conventus ſunt conſtituti, & Orationes, atque Miſſarum ſolemnia, tam pro vivis, quam pro defunctis frequentius celebrantur „; Tum quia in dictis Eccleſiis ſepulti cum habitu Religioſo lucrantur Indulgentiam plenariam ex Indulto Leonis X. ut patet ex dictis ſub verb. *Habitus*.

135 Quamvis enim olim de Jure communi ſepulturæ conſtrui & eligi potuiſſent ſolum in Eccleſiis Parochialibus, earumque Cœmeteriis, & utpote ſolis habentibus fundatam pro ſe intentionem, ita omnes Parochiani ibidem ſepeliri deberent, per text, *in cap. Nos inſtituta 1. cap. Fraternitatem 3. cap. In noſtra 10. de Sepulturis, cap. Cum quis 2. eod. in 6. Clementina Dudum §. Verum de ſepulturis*, cum ſimilibus; Tamen ho-
136 die poſſunt etiam conſtrui, & eligi in Eccleſiis Regularium ex ſpeciali privilegio Juri communi inſerto, Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus conceſſo *in Clementin Dudum 2. §. Hujuſmodi, de ſepulturis, Et Extravagant. Super Cathedrales 2. §. Hujuſmodi, de ſepuliuris*, quo privilegio gaudent omnes alii Regulares, tum per communicationem, tum per ſpeciales ſibi ad id factas a Sede Apoſtol. conceſſiones, ut videre eſt in Compendiis Privilegiorum Regularium, teſtaturque Communis Doctorum, & docet praxis univerſalis.

Excipiuntur tamen Eccleſiæ Monialium, in quibus non
137 poſſunt conſtrui, nec eligi ſepulturæ a Laicis, ſeu Sæcularibus utriuſque ſexus abſque ſpeciali licentia Sacræ Congregationis, & copulativa Monialium. Sic pluries decrevit *Sacra Cong. Epiſcop. & Regul.* & ſignanter *in Montefeltrinen. 21. Novemb.* 1603. *in Gravinen. 1. Octobris* 1650. his verbis: *Nelle Chieſe anco eſteriori delle Monache non ſi poſſono ſepelire eſteri, e foraſtieri, nè Domini, nè Donne, nè anco Principi, ancorchè vi foſſero ſepolti i loro Maggiori*. Sic ex Pignatell. *tom. 4. conſult. 177. n. 1.* refert, & tenent Card. Petra *loc. cit. n. 29.* Idem decrevit *in Foroſempronien. 25. Auguſti* 1652. *& in Maceraten. 8. Novembris ejuſdem anni*; Quæ Decreta bene ponderata iterum probavit *ead. Sac. Congr. Epiſcop. & Regul. in Vercellen. 18. Maii 1695. non obſtante ſolito, referente Eminentiſſ. Pamphil. & in Mantuana* 14. *Martii* 1697. *Ponente Eminentiſſ. Acciajolo. & in Camerin. 6. Martii* 1713. *Ponente Eminentiſſ. Corſino* ex poſt Summo Pontifice ſub nomine Clementis XII. & ſæpe alibi teſte Urſaya *tom. 1. p. 1. diſcept. 36, n. 18.*

138 Solet tamen concedi licentia a Sacra Congregatione, tam pro conſtruendo ſepulcro, quam pro eligenda ſepultura in Eccleſiis Monialium, ut declaravit requiri *in Ferrarien. 13. Julii* 1604. pro perſonis benemeritis, vel cum eleemoſyna competenti; *Eadem Sacr. Congregat. Epiſcop. & Regul. in Meſſan. 16. Auguſti* 1601. *& in dict. Camerinen. 6. Martii*
139 1713. *Ponente dict. Eminentiſſimo Corſino*. Et tunc Officium facit Parochus uſque ad portam Eccleſiæ, & non ultra, Exequias complente ex poſt Confeſſario Monialium; *Eadem Sacra Congregat.* Epiſcop. & Regular. *in una Obſervantium 5. Junii* 1615. & Sacra Congregat. Concil. 19. Martii 1639. teſte d. Urſaya *tom. 1. part. 1. diſcept. 8. n. 13. 27. 28. 29. & 30.*

In caſu autem, quod quis electa ſepultura in Eccleſia Mo- 140
nialium, non poſſet defectu licentiæ in ea ſepeliri, tunc ſi is non haberet ſepulchrum Majorum, deberet ſepeliri in Parochiali, per dicta, & Jura adducta *ſupra num. 93.* & in terminis tenent Paſſerin. *de ſtatu homin. tom. 2. quæſt. 187. art. 4. num. 260.* Cardinal. Petra *l. citat. num. 33. in fine*, dicentes, ſi impedimentum eſſet temporaneum, & ſperaretur obtinenda licentia, poſſet tunc expectari, depoſito Cadavere in aliquo loco; Mattheucci *l. cit. n. 4.* & alii.

Sepulcra nova conſtrui non poſſunt in Eccleſiis Sæculari- 141
bus abſque licentia in ſcriptis obtenta ab Epiſcopo, & in Eccleſiis Regularium ſaltem a Provinciali; Concilium Mediolanenſe I. *num. 2. tit. de ſepultur. verſ. Verum curetur*, & Sanctus Pius V. citat. Conſtitut. *Cum primum Apoſtolatus*, Barboſ. *lib. 2. Juris Eccleſ. univerſ. cap. 10. n. 9.* cum pluribus ibi citatis, & alii paſſim.

Regulares nequeunt de ſe renunciare Juri ſepeliendi Ca- 142
davera eligentium ſepulturam in eorum Eccleſiis, ſi agatur de eorum Eccleſiis, ſeu Monaſteriis jam fundatis, ſeu erectis, ſed tunc requiritur Beneplacitum Apoſtolicum, & ſolemnitas copulative requiſita in alienatione, etiam Jurium Eccleſiæ, ita ut nullus Superior, nec Localis, nec Provincialis, & nec Generalis poſſit per ullum pactum præjudicare Juri quæſito ſepeliendi, *argument. Extravagant. Ambitioſæ Pauli II. de rebus Eccleſiæ non alienand. inter Commun.* Ipſa enim Extravagans procedit verbis ampliſſimis, & comprehendentibus Jura, nam utitur verbo *rerum*, quo vocabulo intelliguntur etiam Jura, & actiones, textu expreſſo *in leg. Rei appellatione 23. ff. de verbor. ſignificatione*, ibi: *Rei appellatione, & cauſæ, & Jura continentur*, maxime ſtante dictione univerſali *omnium*, quæ eſt univerſaliſſima per Barboſ. *dict.* 241. & nihil excipit: Qui enim dicit omnia, nihil excepit, *cap. Solitæ 6. §. Nobis, de Majorit. & Obedient.* cum ſimilibus.

Nec obſtant *cap. Pactum 1. & cap. Quia ex eo 3. de pa-* 143
*ctis in 6.* ubi ſtatuitur, quod ſi Regulares cum Parochis ſpecialiter paciſcantur, quod privilegio ſepulturæ pro Eccleſiis, & locis ſuis conceſſo, ex toto, vel ex parte uti nolint, vel non, niſi cum certis circumſtantiis pacta hujuſmodi ſervare debeant; *Quamquam ſepultura libera ſit Monaſterio veſtro ab Apoſtolica Sede indulta, & illi apud vos elegerint ſepeliri*, ut expreſſe dicitur *in citat. cap. Pactum 1. de pactis in 6.* ubi etiam ratio ſubjungitur his verbis: *Cum per dictum pactum indulto hujuſmodi derogetur*; Et ſi factum ſit ſine præſcitu conſenſu, & auctoritate Provincialis, & Generalis, quinimmo etiam Sedis Apoſtolicæ; *Dummodo a Prioribus, aut Guardianis facta vel approbata fuerint de ſuorum Conventuum conſilio, & aſſenſu; Dum tamen alias ſint licita, & honeſta*, ut expreſſe dicitur *in cit. c. Quia ex eo 3. de pactis in 6.*

Non obſtant, inquam, quia *citat. cap. Pactum* nihil dicit 144
contra nos, ſed ſolum ſtatuit poſſe per pactum privilegio derogari, quod verum eſt, ſi adſit legitima cauſa, & ſolemnitas requiſita. Et aliud *citat. cap. Quia ex eo 3. de pactis in 6.* optime exprimit, ut pacta obſervanda ſint *licita, & honeſta*, quæ nequeunt ſic conſiderari poſt Jus quæſitum Monaſteriis, & populis, qui in fundatione Monaſteriorum acquiſierunt Jus & liberam facultatem ſepulturas ibi eligendi, & reſpective tradendi. Unde prædicti textus non loquuntur, nec intelligendi ſunt de pactis initis poſt fundationem Conventuum, & Jus quæſitum pro ſepulturis, ſed ſolum de pactis initis ante fundationem, & Jus quæſitum, & de quibuſdam concordiis factis per viam tranſactionis, & compoſitionis, ad tollendas diſſenſiones; Et dato, & non conceſſo, quod intelligerentur de pactis initis poſt fundationem, & Jus quæſitum, ipſis quo ad hoc fuiſſet derogatum per dictam Extravagantem *Ambitioſæ*, utpote poſteriorem dictis textibus ſexti Decretalium, cum poſteriora derogent prioribus per text. *in cap. Licet Romanus 1. de Conſtitut. in 6. leg. Sed & poſteriores, ff. de Legibus* cum ſimilibus.

Si autem agatur de Regularium Eccleſiis, & Monaſteriis 145
nondum fundatis, ſed fundandis, ſeu erigendis, tunc ſi in limine fundationis fiat pactum cum Paroch. de non recipiendis ad ſepulturam illius Parochianis ſine expreſſa ipſius licentia, tale pactum erit omnino obſervandum juxta *citat. cap. Pactum 1. & cap. Quia ex eo 3. de Pactis, in 6. & cap. Antigonus 1. de pactis*, ibi: *Inita pacta ſuam obtineant firmitatem*

*pa-*



*.... pacta cuſtodiantur, & cap. Qualiter 3. eod.* ibi: *Studioſe agendum eſt, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur*; Et concordat *leg. Hujus Edicti 1. ff. de pactis in principio*. Ubi expreſſe dicitur: *Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt ſervare?* Nec hic obſtat *citat. Extravagans Ambitioſæ*, quia in hoc caſu agitur de ſolo Jure quærendo; Unde non poteſt dici, quod alienetur Jus Eccleſiæ: Sicut enim Parochus debet audiri, & poterit impedire conſtructionem novi Monaſterii ratione præjudicii ſibi inferendi, ita poteſt pacto, hujuſmodi præjudicio re integra ante erectionem occurrere, prout paſſim in limine fundationis poſſunt apponi conditiones etiam Juri communi non conformes, dummodo ſint honeſtæ, ut in genere tradunt communiter Doctores, & in ſpecie in his terminis præciſe Rota *part. 19. tom. 2. recent. deciſ. 477. numer. 7. & 8. & deciſ. 489. num. 7. & ſequent.* expreſſe canonizando pactum factum cum Parocho in limine fundationis Monaſterii circa hoc Jus ſepeliendi; Tum quia ſimilia pacta facta in limine fundationis Conventuum videntur tranſire ſub approbatione Sedis Apoſtolicæ, quę non ſolet concedere facultatem pro Conventibus de novo erigendis, niſi ſint prius auditi Ordinarii, & conſtet de partium conſenſu. Sic pluribus adductis Cardinal. Petra *in citat. Conſtitut. 3. Cæleſtini III. a num.* 22. Mattheucc. *loc. citat. num. 2.* & alii. Rota tamen *citat. deciſ. 489. num. 6.* tenet, quod dictum pactum valeat, nedum pro Eccleſiis adhuc conſtruendis, ſed etiam pro jam conſtructis, per text. & Doctor. *in cit. cap. Pactum 1. & cap. Quia ex eo 3. de pactis in 6.*

146 An autem pacta, Conventiones, & concordiæ factæ per viam tranſactionis a Superioribus Localibus, ſine licentia Generalium, ſeu Provincialium cum Parochis quo ad ſepulturas, & funeralia pro tollendis diſſenſionibus inter ipſos, valeant, & debeant de Jure ſuſtineri? Vide verb. *Pactum art. 2. n. 27. & 28.*

147 Quamvis proprietas, & Dominium ſepulturæ ab aliquo acquiri non poſſit, ex quo ſit quid Religioſum, & in nullius bonis ſit, & extra commercium hominum eſſe dicatur, & ob id nec acquiri ab aliquo, nec poſſideri poſſit, *leg. Quamquam, ff. de aqua pluvial. arcend. leg. Si ſepulcrum, Cod. de Relig. & ſumptib. funer.* Rota *part. 3. recent. deciſ. 22. nu-*
148 *mer.* 2. & communis Doctorum. Jus tamen, & uſus ſepulturæ, ſive ſepeliendi acquiſibile eſt, ita ut qui acquiſivit, in eo ſepeliri poſſit, ac ceteros, ne ibi ſepeliantur, prohibere; *leg. 2. §. Uſumfructum; leg. Familiaria, & leg. Sequent. ff. de Religioſ. & ſumptib. funer. leg. Jus ſepulcri, Cod. eod. titul.* Rota *l. citat. num.* 2. citans alias deciſiones, & Communem Doctorum.

149 Ad hoc autem Jus ſepulturæ acquirendum quo ad alios privative requiritur licentia ædificandi ab initio ſepulturam una cum ipſa ædificatione ſubſequuta. Samuel. *de ſepultur. tract. 1. diſput. 1. controveſ. 4. concluſ. 6.* Lambertin. *de Jurepatronat. part. 1. art. ultim. verſ. Bene verum, & verſ. Si de cetero*, Barboſ. *de Offic. & poteſtat. Parochi part. 3. cap. 26. num. 12. & lib. 2. Jur. Eccleſ. univerſ. cap. 10. num. 12.* Rota *in Burgenſi ſepulturæ 9. Decembris* 1605. *coram Oltembergo*.

150 Nec cenſetur tale Jus quæſitum ex ſolo curſu decennali, & Cadaverum illatione, ut *in dict. Burgenſi, ac Calaguritana ſepulturæ 21. Maii 1616. coram Coccino Decano*, Barboſ. *locis citatis numero* 13. Samuel. *de Sepultura tract. 1. diſp. 1. controv. 4. poſt. concluſ. 6.* et alii.

151 Nec etiam Jus ſepulturæ cenſetur acquiſitum privative quo ad alios ex Jurepatronatus, quod quis habet in Eccleſia. Rota *in Toletana Capellaniæ, & Sepulturæ uſus 27. Julii* 1616. *coram Ubaldo*: Samuel. *l. citat. concluſ. 7.* Barboſa *l. citat. numer.* 14. Lambertin. *l. citat. quæſt. 11. in princip. §. 13.* Conceſſa enim ſimpliciter Capella, non dicitur conceſſum Jus ſepulturæ, prout fuit reſolutum *in una Avenionenſi conceſſionis Capellarum 13. Januarii 1587. coram D. Litta*; Sed ſi Patronus loco patenti dictæ Capellæ foderet ſepulturam, Epiſcopo, ſeu Rectore Eccleſiæ non contradicente, præſumeretur licentia tacita. Sic Riccius *in prax. part. 1. reſolut. 39. numer. 6.* qui ad tollendas differentias dat cautelam Notariis, ut in ſimilibus contractibus apponant Clauſulam: *Cum Jure funerandi*, Ventriglia *tom. 1. Annotat. 1. §. 2. n. 25.*

152 Cenſetur autem Jus ſepulturæ quæſitum, et pro tali probatur eſſe commune Familiæ ex inſpectione Litterarum, et Armorum in inſculptione, quæ demonſtrant rem eſſe de pertinentia ejus, cujus ſunt Arma, cum imprimi non potuerint, niſi de voluntate Prælati Eccleſiæ, cui ſpectat cura rerum hujuſmodi. Rota *part. 17. recent. deciſ. 139. num. 4. 5. 6. & 7.* Maſcard. *de probationib. concluſ.* 1297. Barboſ. *loc. citat. numer.* 15. cum aliis ibi allegatis.

Jus ſepulturæ familiaris tranſit ad omnes deſcendentes de 153
Familia ejus, qui ſepulcrum conſtruxit, vel alio legitimo modo ſibi et familiæ ſuæ acquiſivit. Et in tali ſepultura ſoli ipſi ſepeliri poſſunt, *cit. l. Familiaria 5. ff. de Religioſ. & ſumptib. funer.* Rota *part. 3. recent. deciſ. 22. num.* 3. Samuel. *l. cit. concluſ. 6.* cum pluribus ibi citatis; unde tale Jus ſepulturæ familiaris retinent etiam feminæ, quæ in aliam familiam tranſeunt, ſive proximiores, ſive remotiores ſint, *leg. Liberorum, ff. De verbor. ſignif.* Sicuti etiam omnes deſcendentes ex ipſis, Rota *part. 2. rec. deciſ. 22. n. 3*, cum ibi allegatis.

Jus ſepulturæ hereditariæ tranſit ad heredes, et ſucceſſores 154
ejus, qui ſepulchrum conſtruxit, vel alio legitimo modo ſibi, et heredibus, ſeu ſucceſſoribus ſuis acquiſivit. Et in tali ſepultura ſoli ipſi ſepeliri poſſunt, *cit. l. Familiaria 5. ff. de Religion. & ſumptibus funer. & leg. Jus ſepulcri, Cod. eod. tit.* Rota *citat. part. 3. deciſ. 22. num.* 3. Molina *lib. 1. de Hiſpaniar. primogenit. cap. 24. numer.* 4. Joan. Baptiſt. Aſin. *in dict. leg. Familiaria 5. ff. de Religioſ. & ſumptib. funer.* et alii paſſim. Et tale Ius tranſit etiam ad heredes extraneos, 155
*citat. leg. Familiaria 5. cum Leg. ſequent. ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.* Rota *part. 2. recent. dec. 126. n. 3.* Molina *l. cit. n. 9.* et alii.

Pro Iure ſepulturæ, ſive ut aliquis in certo loco Eccleſiæ, 156
aut Cœmeterii ſepeliri poſſit, aliquid tamquam pretium exigere, ſimoniacum eſt; Eſt enim rei ſpiritualis venditio pro re temporali. Et ſepultura in tali ſenſu accepta nullatenus vendi poteſt, ſed gratis eſt præſtanda defunctis per eorum Parochos. *Communis*, text. expreſſo *in cap. Abolendæ 13. de ſep.*

Uſus autem vendendi Capellas pro inibi conſtruenda ſe- 157
pultura non eſt Simoniacus, quia id, quod datur, eſt per modum eleemoſynæ ad reparationem Eccleſiæ, vel ad ſuſtentationem Miniſtrorum illius, et non pro pretio, ſicuti datur ſtipendium pro Divinis, et Miſſis celebrandis; Barboſ. *loc. cit. num.* 16. Portell. *in dub. Regular. verb. Sepulturam num.* 8. Suarez *tom. 1. tract. 3. cap. 14. num.* 22. Donat. *l. citat. tract. 9. qu. 3. n. 2.* cum aliis ibi allegatis, & alii paſſim.

Sic ratione honorabilioris ſitus, ſeu dignioris loci poteſt 158
eſſe licita pretii receptio pro ſepultura, cum hoc non videatur concernere ſpiritualia, ſed tantum honorem, præeminentiam, quæ poteſt pretio æſtimari, & vendi; Hujuſmodi enim ſitus honorabilior, & dignior locus non eſt ad ſepulturam neceſſarius, ac idcirco non venditur ſepultura, nec Sacrum; Et Eccleſia habet Cœmeterium, ubi gratis fideles ſepeliuntur, adeoque &c. Sic Samuel. *de ſepulturis, tract. 2. controverſ. 13. concluſ. 8.* cum innumeris aliis ibi citatis, Barboſ. *loc. cit. num.* 16. cum plurimis ibi allegatis, & communiſſima aliorum.

Unde poteſt ſine Beneplacito Apoſtolico concedi ſitus pro 159
conſtruenda Capella, ac ſepultura, ut cenſuit *Sacr. Congregatio Concilii in Melitenſi Alienationis die 6. Septembris* 1659. in qua propoſito dubio: *Arch presbyter, & Parochus Collegiatæ Eccleſiæ Oppidi Seminariæ reverenter exponit, Clerum loci ad procurandam fabricam antedictæ Eccleſiæ, illi donaſſe ad proximum futurum triennium Jus exigendi ab officialibus Laicis Aſſem unum pro quolibet Rotolo carnis pro certo numero Rotolorum competente Clericis illius loci ratione exemptionis ipſius debitæ a Gabellis* Laicalibus; *Cui Donationi pactum additum fuit, ut Procurator ejuſdem Eccleſiæ ſepulcrum pro ipſo Clero in ea conſtituere teneatur; Idem Archipresbyter attenta diſpoſitione Sacri Concilii Tridentini, & Sacrorum Canonum, & præciſe Extravagantis* Ambitioſæ *prohibentis alienationes bonorum, & Jurium Eccleſiaſticorum reverenter ſupplicat declarari*: An prænarrata donatio abſque Sedis Apoſtolicæ Beneplacito facta, fuerit valida? *Sacra Congregatio reſpondit, Affirmative*.

Si autem concedatur uſus privativus Capellæ, ſeu ſepul- 160
turæ jam conſtructæ, cum ſit vera alienatio, requiritur Beneplacitum Apoſtolicum. Et revera ſolent Regulares recurrere ad Sacram Congregationem pro ejuſmodi conceſſionibus Capellarum, & ſepulturarum jam conſtructarum, ut actum fuit pro Patribus Auguſtinianis diſcalceatis Sancti Nicolai Tolentini Urbis, pro conceſſione Capellæ jam conſtructæ Epiſcopo Terracinenſi Monanno pro pretio Scutorum mille, & *ſub die 17. Novembris* 1708. Beneplacitum fuit conceſſum. Sic refert, & tenet Cardinal. Petra *tom. 5. Commentar. ad Conſtitut. 5. Pauli II. ſect. 2. num.* 19. Rota *in Bononienſ. ſe-*

*pul-*

*pulturæ* 13. *Maii* 1570. *coram* Litta, Novarr. *Conſil.* 1. *de Sepultura*, Donatus *tom.* 1. *part.* 2. *quæſt.* 79. Felix Poteſtas *tom.* 1. *part.* 2. *num.* 968. Matthæucc. *Official. Curiæ cap.* 45. *quo ad res Eccleſiarum, & Monaſterior. non alienandas num.* 22. & plures alii loquentes indiſcriminatim de omnibus.

161 Loquendo autem de Fratribus Minoribus, ſpeciali Jure prohibentur ſine Beneplacito Apoſtolico Capellas, & Sepulturas vendere, ſeu alienare, transferendo in alios Dominium, & proprietatem earum; Habetur expreſſe ex declaratione Sacræ Congregationis ab Urbano VIII. conſultationibus Fratrum Minorum præpoſitæ in Bullar. tom. 4. ad Conſtitut. 49. incipient. *Sacroſanctum* præcipientis obſervantiam Ordinationum, pro ut in textu §. *Cum aſſeratis verſ. Item ſtatuitur*, ibi: „ Item ſtatuitur ut deinceps nulla inſtrumenta publica „ fiant a Fratribus capitulariter congregatis, nec quocumque „ alio modo ſe habentibus, in quibus transferatur Dominium, „ & proprietas alicujus Capellæ, ſive Sepulturæ, cum hoc „ omnino ſit contra Regulam, & repugnet noſtro Inſtituto, „ nam quomodo aliquis dat quod non habet? Si tamen occa- „ ſio ſe obtulerit, in qua oporteat ſatisfacere devotæ Fidelium „ voluntati, id fiat per modos noſtræ Regulæ, & Inſtituto „ congruentes. Vid. verb. *Votum art.* 2. *num.* 93. & 95. & *ſequent.* ubi refertur integra talis declaratio.

162 Modi autem noſtræ Regulæ & Inſtituto congruentes ſunt, quod in conceſſione Capellæ, vel ſepulturæ non intercedat mercatus, vel venditio, nec deducatur in pactum aliqua ſolutio pro illis; neque aliqua civilis obligatio ſuperveniat; ſed ſolummodo concedatur titulus honorificus, & uſus facti, fabricandi, ornandi, illuminandi, paramentis decorandi Capellam, & in illa fodiendi ſibi, & ſuis ſepulturam, ac in illa ſe ſuoſque ſepeliendi. Sic enim non contraſit Regulæ, nec Capella, aut ſepultura dicitur alienari, cum dominium, & proprietas non transferatur, nec Perſona, cui conceditur, poſſit cenſeri Domina, ut notant Ameno *de pœnis tit.* 3. *Alienatio bonorum num.* 12. Sanctorus *De pœnis cap.* 7. *difficultat.* 6. *fol.* 648. Lantuſca *Theatr. Regular. verb. Alienatio num.* 4. Felix Poteſtas *tom.* 1. *part.* 2. *num.* 969. Mathæucc. *loc. citat. num.* 26. & 27. ubi Sannig. *Schol. Canonic. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 2. ſubjungit, quod Syndicus, tamquam Œconomus Sedis Apoſtolicæ poſſet per modum eleemoſynæ recipere quidquid liber daret is, cui fuiſſent prædicta conceſſa.

163 Habens propriam ſepulturam ſuis ſumptibus pro ſe, ac ſuis ſucceſſoribus conſtructam, non committit ſimoniam, ſi eam vendat quo ad materiale fundi, & reſpectu habito ad ſolas expenſas factas in illa ædificanda; Ibi enim non venditur quid Spirituale, cum non vendatur benedictio, ſeu conſecratio ſepulturæ, ſed ſolum illud materiale fundi, ad quod alia ſequuntur, quia loca ſimilia Jure hereditario de parentibus transferuntur in Filios ratione temporalitatis in eis remanentis, ſeu exiſtentis. Sic Barboſa, Lambertin. Suarez, Lavorius, Sanchez, Lezana citati, & ſequuti a Samuel. *l. cit. concluſ.* 16. ubi teſtatur de communi ſententia.

164 Jus ſepulturæ amittitur per Simoniam, per Rectoris occiſionem, per Hæreſim, per crimen læſæ Majeſtatis, aut ſi, vivus in ea ſepeliatur, & aliis modis, de quibus Lambertin. *de Iurepatronat. lib.* 3. *quæſt.* 9. *art.* 7. Samuel. *de ſepulturis tract.* 1. *diſput.* 1. *controverſ.* 8. *concluſ.* 1. & aliis ibi allegatis Barboſa *l. c. n.* 39. & alii.

165 Sepultura, vel Capella alicui conceſſa pro ſe & ſuis deſcendentibus, Conventus, ſeu Monaſterium eis illam auferre nequit cum talis ſepultura, vel Capella reputentur, tamquam

166 Hoſpitium, *cap. Ebron* 2. *cauſ.* 13. *quæſt.* 2. Extinctis vero Domino, & illius deſcendentibus, tunc poteſt Conventus libere ſepulturam alteri concedere, nam mortuo Uſurario, uſus ille redit ad proprietarium libere, *leg. penult. Cod. de Uſufruct. & leg. Si habitatio §. final. ff. de uſu, & habitat.* Samuel. *de ſepultur. tract.* 1. *controv.* 14. *concl.* 7. & 8. cum pluribus ibi allegatis.

167 Arma, ſeu Inſignia in Eccleſia, vel Capella, aut ſepultura poſita a primo Fundatore nullo modo amoveri poſſunt, ſed ſemper ibi remanere debent in ejus memoriam. Et nequidem ab ejus Herede mutari poſſunt, qui novus Heres, ſi ſit alienæ familiæ a Fundatore, poteſt quidem etiam ſua arma, & inſignia ibi reponere, at ſemper remanentibus illis primi Fundatoris cum perpetua inſcriptione fidem faciente de primo Fundatore; *leg. Qui liberalitate §. Nec ejus nomine, ff. De operibus public.* ibi: *Nec ejus nomine, cujus liberalitate opus extructum eſt, eraſo, alia nomina inſcribantur.* Vide verb. *Arma ſeu Inſignia a n.* 21. *uſque in finem.*

168 Violatores ſepulturæ, ſeu ſepulcri, pro quibus veniunt, qui ſepulcrum non tantum violant, ſed etiam qui inde monumenta, vel alia aufert, vel Cadavera effodit, & ſpoliat; *leg. Si ſepulcrum* 2. & *leg. Prætor ait* 3. *ff. de ſepulcro violato*, ultra infamiam, quam incurrunt, *leg.* 1. *ff. eodem*, puniuntur pœna arbitraria, & ſubinde etiam capitali, præſertim ſi corpora, vel oſſa eruantur; *leg. Prætor ait* 3. & *leg. final. ff. eod.* ibi: *Rei ſepulcrorum violatorum, ſi corpora ipſa extraxerint, vel oſſa eruerint, humiliores quidem fortuna ultimo ſupplicio afficiuntur, honeſtiores in inſulam deportantur, alias autem relegantur, aut ad metallum damnantur.*

169 Sepultura Eccleſiaſtica non eſt a Parocho retardanda ſeu differenda Cadaveribus ſub prætextu compoſitionis Quartæ Funeralis. *Sacr. Congregat. Epiſcop. & Regular. in Caſſanenſi* 5. *Maii* 1617.
170 Nec etiam propter Jus ſepulturæ minime ſolutum, cum nulla ratio patiatur, Chriſtianæque pietati repugnans videatur; maxime vero ob pecuniarium intereſſe Cadavera inſepulta remanere. *Sacr. Congregat. Epiſcop. & Regular. in Crotonienſi* 17. *Septembris* 1617.
171 Cadavera enim pauperum Fidelium gratis omnino tumulari, & ſepulturæ tradi debent. *Sacr. Congregat. Epiſcop. & Regular. in dict. Caſſanenſi* 5. *Maii* 1617. Clemens IX. in Conſtit. 38. incipient. *In excelſa.*

172 Eccleſiaſtica ſepultura carere debent omnes non baptizati, uti ſunt Judæi, Turcæ, ſeu Pagani, *cap. Eccleſiam* 26. *cap. Eccleſiam* 27. *diſtinct.* 1. *de conſecrat.* Huc pertinent etiam infantes Catholicorum certo decedentes ſine Baptiſmo: ſi vero dubium ſit, an ſint, vel non valide baptizati, non ſunt privandi Eccleſiaſtica ſepultura. Engel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 28. *num.* 17. Reiffenſtuel *ibidem num.* 77. Samuel. *de ſepultur. tract.* 2. *controverſ.* 3. *concluſ.* 13. cum aliis ibi allegatis, *arg. cap. In Obſcuris* 30. *de Regul. Jur. in* 6. Item huc reducuntur Catechumeni, quia & ipſi Baptiſmo carent. Vide Appendicem ad calcem hujus tituli. Paludan. *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 3. *art.* 1. Layman *lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 10. La Croix *lib.* 17. *num.* 250. cum aliis ibi allegatis, Pirhing *lib.* 3. *Decretal. titul.* 28. *numer.* 62. Reiffenſtuel *ibidem numer.* 77. ubi teſtatur etiam de communi. Quamvis tamen Samuel. *loco citat. concluſ.* 13. dicat, Catechumenos eſſe ſepeliendos in loco Sacro, quia jam pro Fidelibus habentur, uti etiam tenet Gobat *de Baptiſmo n.* 620. *verſ. Cum ad Apoſtolicam, de Presbyt. non baptizato.*

173 Item Eccleſiaſtica ſepultura carere debent Hæretici, & in puncto Hæreſis eorum receptores, defenſores, fautores &c. *cap. Sicut* 8. *cap. Excommunicamus* 13. §. *Credentes, de Hæretic. cap. Quicumque* 2. *eodem in* 6. Etiamſi Hæreſis ſolum per mortem eorum fuerit detecta; *argument. cap. Sane* 6. *cauſ.* 24. *q.* 2.

174 Item notorie Excommunicati; *cap. de Communione* 1. *cauſ.* 24. *quæſt.* 2. *cap. Sacris* 12. *de ſepulturis*, niſi in articulo mortis ſigna pœnitentiæ dederint, ac per eos non ſteterit quominus fuerint abſoluti. In tali enim caſu dicti excommunicati etiam poſt mortem ritu ab Eccleſia præſcripto abſolvi, ſicque abſoluti in loco ſacro ſepeliri poſſunt, ac debent, *cap. A nobis* 28. *de ſentent. Excommun. in* 6. Et ſic expreſſe declaravit *Sacra Congregat. Epiſcop. & Regular. in Nolana* 19. *Julii* 1619. apud Barboſ. *lib.* 2. *jur. Eccleſ. univerſ. cap.* 10. *nu.* 40. & *de Offic. & poteſtat. Parochi part.* 3. *cap.* 26. *n.* 40.

175 Item interdicti notorii, & denunciati. *Clementin.* 1. *de ſepultur.* Generaliter enim per omne Interdictum, ſive locale, ſive perſonale uſus Eccleſiaſticæ ſepulturæ prohibetur, *cap. Cum & plantare* §. *Quod ſi Templarii, de privileg.* & idem de ſuſpenſis ab ingreſſu Eccleſiæ deciditur, *c. Is cui* 20. §. *Talis quoque, de ſentent. Excommun. in* 6.

176 Item publici, & manifeſti uſurarii, niſi alienum reſtituerint, vel idoneam dederint de reſtituendo cautionem, *cap. Quia* 4. *de uſuris, c. Quamquam* 2. *eod. in* 6.

177 Item manifeſti raptores & Eccleſiarum violatores, *cap. Super eo* 2. *de Raptorib.* Secus vero eſt dicendum, ſi occulti ſint, & confeſſi, ac reſtitutionem fecerint per ſe, vel per alios. At tunc ſunt in Cœmeterio tumulandi abſque Clero, *ex citat. cap. Super eo* 2. *de Raptoribus.*

178 Item decedentes in Torneamentis, *cap. Felicis* 1. & *cap. Ad audientiam* 2. *de Torneamentis.*

179 Item decedentes in duello, juxta dicta ſub verb. *Duellum*. Vide *ibi*.

180 Item qui per annum integrum non confitentur, & tempore Paſchali ſacram Synaxim ſine juſta cauſa non ſuſcipiunt, niſi de conſilio Sacerdotis prorogaſſent, *cap. Omnis utriuſque* 12. *de pœnit. & remiſſionibus.*



181 Item publice blaſphemantes Deum, ac Sanctos, & præſertim Beat. Mariam Virg. & impœnitentes morientes, ſeu Pœnitentiam eis injunctam non facientes, *cap. Statuimus* 2. *de Maledicis.*

182 Item decimas recipientes, & Eccleſiæ non reſtituentes, *cap. Prohibemus* 19. *de Decimis*, ibi: *Si quis vero recipit* (decimas) *& Eccleſiæ non reddiderint, Chriſtiana ſepultura privetur.*

183 Item ſemetipſos voluntarie ex impatientia, ira, & deſperatione, & alia ſimili cauſa occidentes; *cap. Placuit* 12. *cauſ.* 23. *q.* 5.

184 Advertunt tamen Covarruv. *lib.* 2. *variar. reſolut. cap.* 1. *num.* 11. Navarr. *lib.* 3. *conſil.* 7. *de ſepultur.* Socinus jun. *conſil.* 51. *lib.* 1. Pirhing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 28. *num.* 65. Reiffenſtuel *l. citat. num.* 89. Barboſa *lib.* 2. *jur. Eccleſ. univerſal. cap.* 10. *num.* 49. & *de Offic. & poteſtat. Parochi part.* 3. *cap.* 26. *num.* 49. Burghab. *centur.* 3. *caſ.* 20. La Croix *lib.* 7. *numer.* 256. Samuel. *de ſepultur. tract.* 2. *controverſ.* 5. *concluſ.* 2. & plures alii, quod ſi quis reperiatur in puteo vel in flumine ſubmerſus, aut laqueo ſuſpenſus, veneno, ſeu ferro interfectus, ſepultura privari non debeat niſi aliunde conſtet, quod ſe ipſum voluntarie, & ſui compos occiderit; Quod tamen in dubio non eſt præſumendum, cum in dubio delictum præſertim tam grave de nemine præſumatur, *argument. leg. Merito* 52. *Pro ſocio.* Tum quia potuit talis per inſidias aut vi per alium in puteum, vel flumen præcipitari, aut laqueo ſuſpendi, ſeu quod ſatis probabile eſt, ex amentia vel mentis alienatione ſe ipſum occidere, ut recte notant citati Doctores, & alii; Signum autem ſufficiens ſuſpicandi quod adfuerit alienatio mentis, eſt, ſi antea animadverſus eſt defigi in Melancholia. Gobat *in Quinar. tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 15. La Croix *l. citat. num.* 256. & alii. Item ſi mane ſit confeſſus, communicarit, & poſtea inveniatur mortuus cum laqueo in collo, ſeu demerſus in puteo, vel flumine. Gobat *loco citat. num.* 54. La Croix *loco citat. num.* 256. cum Navarr. & Rodriquez ibi allegatis; Ubi ſubjungit, quod Lohner putat, ſi commode fieri poteſt, & ſit ſuſpicio voluntariæ cædis, quod melius expectetur Judicium Epiſcopi; Sic etiam ſi Reus non confeſſus, nec legitime convictus reperiatur mortuus in carcere, non ideo ſtatim privandus eſt ſepultura Eccleſiaſtica, quia talis non ſufficienter probatur eſſe malus, aut a ſe ipſo, vel Dœmone occiſus, quia præſumendum eſt ſemper pro Reo, & pro innocentia; Multa ſunt enim mortis naturalis argumenta, uti tortura, carcer, vincula, triſtitia, & hujuſmodi, quia dicit Sanctus Auguſtinus *de Civitate lib.* 19. *cap.* 6. Et ſi non morte puniantur, in ipſis, vel ex ipſis, plerumque tormentis moriuntur, La Croix *lib.* 4. *num.* 1477. cum aliis ibi citatis; Unde in ſimilibus caute attendendæ ſunt omnes circumſtantiæ talis mortis, perſonæ, loci, & temporis ad dignoſcendum, an quis ſit a ſeipſo ſibi bene præſente voluntarie occiſus, vel ex amentia, ſeu mentis alienatione, aut ab alio, ſeu Dœmone ſit interfectus, aut ob aliquam ex aſſignatis cauſis obierit, & ſic an privandus ſit, nec ne, Eccleſiaſtica ſepultura?

185 Item ſepultura Eccleſiaſtica privantur ſuſpenſi, impœ-
186 nitentes; *cap. fin. cauſ.* 13. *quæſt.* 2. Et ſic omnes, qui in notorio, ac certo peccato mortali abſque pœnitentia decedunt, ut qui in actuali furto, et rapina, fornicatione, adulterio, et hujuſmodi occiduntur, ut habet communiſſima Doctorum *argument. Quibus peccata* 6. *cauſ.* 13. *quæſt.* 2. *cap. Non æſtimemus* 19. *cap. Pro obeuntibus* 21. *cum ſequent. eadem cauſ.* 13. *q.* 2. *cap. Fures, de Furtis*, cum ſimilibus.

187 Item Regulares utriuſque ſexus proprietarii, ſi moniti a Superiore abſque emendatione, & pœnitentia deceſſerint; *cap. Monachi* 2. *cap. Super quodam* 4. *cap. ad Monaſterium* 6. *de ſtatu Monachor.* Vide verb. *Regulares art.* 1. *a n.* 16. *ad* 20. ubi adducuntur textus & caſus.

188 Recte tamen advertunt quo ad hoc Barboſa *locis citat. numer.* 47. Samuel. *de ſepulturis controverſ.* 6. *concluſ.* 1. cum pluribus ibi allegatis, Roderic. *in Compend. quæſt. Regular. reſolut.* 188. *num.* 20. Portell. *in dub. Regul. verb. ſepultura num.* 11. & alii plures, non eſſe ita præcipitanter privandum Eccleſiaſtica ſepultura Religioſum inventum mortuum cum burſa denariorum; Præſumi enim debet ſeu ſaltem poteſt, denarios non eſſe proprios, vel quod ex oblivione, aut negligentia alterius inibi remanſerint, aut quod tales denarii eſſent ſibi Conſanguinei, vel Amici, ſeu quod illos habuiſſet ad faciendam ſecretam reſtitutionem, ſeu eleemoſynam, & hujuſmodi; Unde in tali caſu non eſſet Religioſus privandus Eccleſiaſtica ſepultura, niſi certo conſtaret, quod eſſet mortuus vere proprietarius, & impœnitens; Eo vel maxime quod *Citata* Jura loquantur ſolum de Religioſo a ſuo Superiore prius admonito, & nihilominus proprietario & impœnitente Defuncto.

189 Omnes quamvis exempti, & privilegiati, qui ſcienter ſepeliunt aliquem tempore Interdicti, vel aliquem nominatim excommunicatum, vel perſonaliter publice interdictum, vel manifeſtum uſurarium, vel Hæreticum, aut ejus defenſorem, fautorem, vel receptorem, & peccant mortaliter, & eo ipſo excommunicationem incurrunt, *Clem.* 1. *de ſepulturis*, & *cap. Quicumque* 2. *de Hæretic. in* 6.
190 Sepelientes autem alios ſepultura indignos, ut ſuicidas, decedentes in peccato mortali, infantes non baptizatos, Catechumenos, Religioſos proprietarios, &c. peccant quidem mortaliter, utpote in gravi cauſa agentes contra prohibitionem Eccleſiæ, poſſuntque pœna arbitraria ab Epiſcopo puniri, utpote qui poteſt tranſgreſſores Legum Eccleſiaſticarum punire; At non incurrunt dictam Excommunicationem, quia talis Lex, utpote pœnalis, non eſt extendenda ultra caſus, & perſonas expreſſas; *leg. Interpretatione* 42. *ff. de pœnis*, ibi: *Interpretatione Legum pœnæ molliendæ ſunt, potius quam aſperandæ, cap. In Pœnis* 49. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *In poenis benignior interpretatio eſt facienda*, juncto *cap. Odia* 15. *eod.* ibi: *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*, Reiffenſtuel *loco citat. n.* 95. Samuel *l. citat. tract.* 2. *controv.* 10. *concluſ.* 1. & alii paſſim.

191 A tali pœna etiam ex prædictis aliquem ſepelientes excuſantur, qui ex ignorantia, vel gravi metu coacti id faciunt, *argument. citat. Clement.* 1. *de ſepulturis*, ibi: *Qui propriæ temeritatis audacia non ſine contemptu Clavium Eccleſiæ .... ſcienter ſepelire præſumunt*, & *citat. cap. Quicumque* 2. *de Hæretic. in* 6. ibi: *Quicumque Hæreticos, credentes, receptatores, defenſores, vel fautores eorum ſcienter præſumpſerint Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ.* Sic Gloſſa *ibid. verb. Scienter*, Pirhing *l. citat. num.* 79. Reiffenſtuel *l. citat. num.* 95.
192 & alii paſſim. Item a tali pœna excuſantur, qui tempore Interdicti ſepeliunt in caſibus a Iure, vel ab Apoſtolicis privilegiis conceſſis. Gloſſa *in d. Clement. verb. a Jure*, Reiffenſtuel *l. cit. n.* 95. & alii paſſim.

193 Nomine ſepelientium ad incurrendam dictam Excommunicationem veniunt terram aperientes, in ſepulturam mittentes, ipſam mandantes, aut concedentes, et procurantes. Anchar. *in citat. Clement.* 1. *de ſepulturis num.* 10. Pirhing *l. cit. num.* 80. Reiffenſtuel *l. citat. num.* 97. Samuel. *l. citat. tract.* 2. *controveſ.* 10. *concluſ.* 3. cum pluribus ibi allegatis. Item etiam cooperantes, aſſociantes, ſeu Crucem portantes, et luminaria deferentes. Anchar. *l. citat.* Samuel. *l. citat.* cum aliis ibi allegatis; Et ratio eſt, quia omnes iſti participant in crimine crimino ſo, adeoque omnes iſti ſubjacent dictæ pœnæ, *arg. c. Nuper, & cap. Concubinæ, de ſentent. Excomm.*

194 Cadavera excommunicatorum denunciatorum ſepulta in loco Sacro debent iterum exhumari, ſi oſſa diſcerni poſſunt, & Eccleſia propter talem ſepulturam polluta reconciliari. *Communis*, textu expreſſo *in c. Sacris* 12. *de ſepulturis*, & *c. Conſuluiſti* 7. *de conſecrat. Eccleſ.*
195 Idem procedit de infidelibus, & Paganis. *Communis*, textu expreſſo *in c. Eccleſiam* 27. & *cap. Eccleſiam* 28. *diſt.* 1. *de conſecr.* ibi: *evulſis corporibus.*
196 Donec autem prædicta Excommunicatorum, & Infidelium, ſeu Paganorum Cadavera exhumentur, & Eccleſia reconcilietur, nemo ibidem ſepeliri poteſt. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Unic. de conſecr. Eccleſ. in* 6.

197 An autem etiam per ſepulturam aliorum ipſa indignorum polluatur Eccleſia, & ſic debeat reconciliari. Vide verb. *Eccleſia art.* 4. *a n.* 51. *ad* 61.

198 Circa ſepulturam Excommunicatorum, ſeu abſolutorum in articulo mortis ſervanda eſt diſpoſitio *cap. final. de ſepult. Sacr. Congr. Immun. in Mediol.* 15. *Febr.* 1633. *lib.* 1. *Decr. Paulucci p.* 150.

199 Suppoſita abſolutione, vel quoad excommunicatus dederit in mortis articulo ſigna pœnitentiæ, & præſtita per heredes cautione de reficiendis damnis, quatenus refecta non fuerint, conceditur facultas tradendi ſepulturæ Eccleſiaſticæ. *S. C. Immun. in Meliten.* 23. *Septemb.* 1656. *lib. Decr. p.* 211. *in Theanen.* 6. *Decembris* 1695. *libr.* 1. *Decret. Valleman. pag.* 234.

200 Ordinarius mandet Cadaver olim excommunicati, & in articulo mortis abſoluti ab ejus ſimplici Confeſſario, ſepeliri in loco Sacro. *S. C. Immun. in Sipontina* 3. *Aprilis* 1661. *lib. Decret. Rocci p.* 329.

Cada-

201 Cadaver Excommunicati, qui non tantum dedit ſigna pœnitentiæ, ſed etiam deceſſit munitus Sacramentis, Epiſcopus tradat Eccleſiaſticæ ſepulturæ ad formam *cap. A nobis, de ſent. Excomm. S.C. Immun. in Nicoteren.* 12. *Novembr.* 1668. *lib.*1. *Decr. Altov. p.*288.

202 Quando quis non fuit declaratus Excommunicatus, vel non fuit notorius, non poteſt impediri ſepultura. *S. C. Immun. in Cathacen.* 12. *Nov.*1647. *lib.*4. *decr. Pauluc. p.* 30.

203 Cadaver correi homicidii in Perſonam Sacerdotis, mortui in Excommunicatione, non eſt tradendus Eccleſiaſticæ Sepulturæ. *S.C. Imm. in Feretrana* 31. *Julii* 1674. *lib.*1. *Decr. Alt. pag.* 974.

204 Niſi Curia Sæcularis amoveat impedimentum appoſitum Sepulturæ, ne Clerici Cadaver ſepeliatur, cum hoc ſit contra Chriſtianam pietatem, & contra Juriſdictionem Eccleſiaſticam, Epiſcopus procedat prout de Jure. *S. C. Immun. in Sorana* 12. *Maji* 1674. *ibi p.*939.

205 Quoad Excommunicatum defunctum Sacra Congr. injungit Epiſcopo, ut præciſe informet ſuper denegatione ſepulturæ Eccleſiaſticæ. *Sacr.C. Immun. in Meliten.*12. *Jan.* 1694. *lib.*1. *decr. Vallem. p.*98.

206 Alia ad rem. Vide verb. *Cadaver*, verb. *Confraternitas*, verb. *Parochus*, verb. *Quarta Funeralis per tot.* verb. *Veſtis n.*17.

207 Conſtructio, manutentio, ampliatio, & reſtauratio communis Sepulcri, ſeu Cœmeterii, fieri debet expenſis Parochianorum & non Parochi, quamvis Parochus dives ſit, quia cum id reſpiciat utilitatem, & commodum Parochianorum, qui ſentiunt commodum ſentire debent & onus, *cap. Qui ſentit* 55. *de Reg. Jur. in* 6. *l. Secundum naturam* 10. *de Regular. Jur.* Sperell. *dec.*68. *num.*8. Panimoll. *dec.*6. *adnot.*8. *num.*31. *& deciſ.*15 *adnot.*1 *n.*44 Criſpin. *de Viſitat. p.*2 §.13 *form.*1 *num.*93. Joan. Baptiſta Baſſi *tract. de Sodalitiis q.*5 *n.*15 impreſſ. ad calcem, Amoſtaz. *de cauſis piis*. Ad expurgationem autem communis ſepulcri, ſeu Cœmeterii tenetur is qui habet Curam Animarum & emolumenta ratione funeralium percipit (ſi dives), & in ſubſidium tenetur populus. Sic *Sac. C. Concil. in Foſſanen.* 19 *Septemb.* 1637. *in reſponſione ad quintum*, ſuper dubiis impreſſis in Synodo bonæ m. Trotti ejuſdem Epiſcopi *pag.*1218.

208 Occiſus, ſeu caſu moriens in confinio duarum parochiarum, ſi prius non ſibi elegerit ſepulturam, nec habeat ſepulcrum majorum, ſepeliendus eſt in Parochia, ſub cujus finibus reperitur caput cadaveris; Ubi enim eſt pars nobilior corporis, ut eſt caput, cenſetur eſſe totum; *l. Cum in diverſis* 44 *ff. de Relig. & ſumptib. funer.* Et ſic ſervat praxis, & communis conſuetudo, quæ eſt optima Legum interpres; *cap. Cum dilectus* 8. *de conſuet. leg. Si de interpretatione* 37. *ff. de legib.*

209 Jam enim dictum fuit ſupra *n.*84. quod habitans in confinio duarum Parochiarum eſt Parochianus illius Parochiæ, ex qua domus aditum habet, quia ex aditu judicatur de domo, cui cedat; *l. Si cui ædes* 31. *ff. de Legatis* 111. Et ſi domus habeat duas portas, judicatur de ea Parochia, in qua eſt porta principalis, & aditus magis frequentatus. Et ſi aditus, ſive oſtium ſit a parte anteriori domus, & a parte etiam poſteriori, ac viciſſim ingrediatur quandoque ab anteriori, & quandoque a poſteriori, nihilominus cenſendus eſt Parochianus illius Parochiæ, in qua eſt aditus a parte anteriori domus cum illa pars cenſeatur nobilior, & ubi eſt pars nobilior, cenſeatur eſſe totum, per *cit. l. Cum in diverſis*, ut expreſſe docet Pignatell. *tom.*8 *conſult.*5 *n.*7 cum pluribus ibi allegatis; Ubi inſuper recte addit, quod ſi tota domus ſit in fundo Parochiæ *A*, & pro ipſa amplianda, illi adjungatur aliud ædificium fundatum in vicina Parochia *B*, iſtud ædificium adjectum accedit ad principale, & eſt ejuſdem Parochiæ *A*, dummodo prius ædificium ſit adhuc nobilius, amplius, & principalius, quia acceſſorium cedit principali; *c. Acceſſorium* 42. *de Regul. jur. in* 9 *l. Nihil dolo* 128. §. *Cum principalis* 178 ff. *de Regul. Jur.* & ſic decernitur in *ſtatu Clerici Romani cap.*3. §.17. teſte Pignat. *l.c. in fine*.

210 Habens ſepulcrum majorum, ſi decedat ſine ſibi ſpecialiter electa alia ſepultura, debet ſepeliri in ipſo majorum ſepulcro, textu expreſſo in *cap. Nos inſtituta* 1. *de ſepult. cap. Cum quis* 2 *& cap. Is qui* 3. *eod. in* 6. juxta dicta ſupra *nu.*8. Et ſi alibi ſepeliatur per vim, aut fraudulenter, ſeu alias invitis, & inſciis Rectoribus Eccleſiæ, in qua adeſt dictum ſepulcrum ſuorum, eſt ipſi Eccleſiæ reſtituendum cadaver ſimul cum omnibus emolumentis, ut dictum eſt de eo, qui non ſepelitur in ſepultura a ſe electa. Vide *ſupra num.*7. & ſub verb. *Cadaver n.*11. ubi refertur ſic deciſum fuiſſe in Alexandrina, & in Calaritana, & ſic confirmatum fuiſſe ab Alexandro VII. Conſtitut. incip. *Alias pro parte*. Et ſic reſpondit *S.C. Conc. in Lunen. Sarzanen. Reſtitutionis cadaveris* 28. *Novemb.* 1711. *& in Sorana Funerum* 24. *April.* 1723. & ſæpe ſæpius alibi. Electio enim ſepulturæ, & ſepulcrum majorum in defectu electionis æquiparantur, & de ſimilibus idem debet eſſe judicium, *l. Non poſſunt & leg. Nam ut ait Pedius* 13 ff. *de legibus.* Ne ad imparia judicentur adverſus diſpoſitionem textus *in l. Non debet* 41. ff. *de Regul. Jur. cap. Non licet* 33 *de Reg. Jur. in* 6. cum concordantibus apud Rotam *p.*19 *t.*1 *dec.*2 *num.*11. Quamvis enim non expreſſe ipſum ſepulcrum elegerit, tacite tamen, & implicite cenſetur elegiſſe per dicta ſupra *n.*10. *&* 12. Facti autem, & expreſſi idem eſt judicium; *cap. Ex part.*2. *de Reſcript. leg. Cum quid* 3. ff. *de rebus credit.* & fruſtra exprimitur quod jam intelligitur; *leg. Cornelius* 69. ff. *de hedib. inſtituend. l. Hæc verba* 3. ff. *de Legatis* 1. Habetur enim pro expreſſo, quod tacite ſubintelligitur, *l. Fideicommiſſa* 11. §. *Si filio*, ff. *de Legatis* 111. cum ſimilibus. Nec poteſt alibi neque ſepeliri neque de conſenſu heredum, & parentum, cum iſtis non competat facultas ipſis eligendi ſepulturam, quam neque pater extra ſepulcrum majorum poteſt eligere filio puberi, & adulto; immo neque filio impuberi poſt mortem, per allata Decreta, & dicta ſupra *num.* 104. Unde caveant qui ſic uſurpant aliena cadavera; Tenentur enim etiam in foro conſcientiæ ad integram reſtitutionem, cum ſic uſurpent jura, & bona aliena.

Moriens in carcere, in quo detinetur cuſtodiæ, & correctionis cauſa, ſi non ſibi elegerit ſepulturam, vel non habeat ſepulcrum majorum, ſepeliendus eſt in Parochia ſui proprii Domicilii. Si vero damnatus fuerit ad carcerem in perpetuum, vel ad certum tempus, ſepeliendus eſt in Parochia, cui ſubeſt carcer. Sic expreſſe per viam Legis determinatum fuit in *Statuto Cleri Rom.* juxta ipſius noviſſimam compilationem, *c.*3. *litt. F. fol.*20. ibi: „ Carceribus quoque ex quavis „ cauſa ad cuſtodiam, vel correctionem mancipati, ſi in illis mori contingat non electa ſepultura, ſepeliendi in Eccleſia Parochiali, in cujus Parochia retinent domicilium, „ damnatos vero ad carceres in perpetuum, vel ad tempus, „ in Eccleſia Parochiali, cui ſubſunt carceres, tumulandos „ eſſe declaramus „. Et in effectu ita practicatum fuit de Menſe Martii 1707. favore Eccleſ. S. Mariæ trans Tyberim pro carcerato defuncto in carceribus Capitolinis. Atque demum in præciſis noſtris terminis probatur id practicari in carceribus novis ex atteſtatione eorumdem Officialium in Secretaria exhibita. Sic refert D. Urſaya *tom.*1. *par.* 2. *diſcept.*30. *num.*24. *& ſeq.* Et de facto *S. C. Conc. in Farfen. Matrimon.* 26. *Martii* 1707. declaravit, quod Matrimonium contractum ab eo, qui erat carceratus ad cuſtodiam, vel ad correctionem, coram Parocho carcerum, nullum eſt. Si vero contraheretur ab eo, qui eſſet damnatus ad carcerem in pœnam perpetuo, vel ad tempus, tunc eſſet validum, quia in hoc ſecundo caſu carceratus acquirit domicilium. Et hoc Decretum legitur impreſſum in ſtatuto *Cleri Romani cap.*3 *de jure eligendi ſepult. n.*4. *in addit.* & ſic cum pluribus aliis juxta noſtram concluſionem tenent Pignatell. *tom.*7. *conſult.*86. ubi in fine adducit etiam ipſe ad id ſtatutum Cleri Romani, dicitque extare decretum pro Eccleſia Parochiali S. Mariæ Tranſpontinæ, & pro Eccleſia S. Blaſilii in via Julia pro captivis pariter in pœnam in carceribus novis; ac concludit tenendum eſſe, quod mancipati carceribus in pœnam per aliquod tempus ſi ibi moriantur, debeant ſepeliri in Parochia carcerum, & ſi contingat alibi ſepeliri, debeatur quarta funeralis eidem Parochiæ; quia cum ſint ſervi pœnæ, contrahunt habitationem, ubi luunt poenam, uti dicitur de Relegatis per text. *in l. Filii libertorum* 22. §. *Relegatus*, ff. *ad municipalia*, ibi: *Relegatus in eo loco, in quem relegatus eſt, interim neceſſarium domicilium habet*; quod Gloſſa in *l. Ejus qui* 27. §. *final. verſ. Unde arcetur eod. tit.* & cum multis aliis Samuel *de ſepulturis diſp.* 5. *controv.*9 *concluſ.*10. *num.* 14. intelligunt de Relegatis in perpetuum; Relegati autem, ac confinati ad tempus ſunt ſepeliendi in eo loco, & Civitate, ubi debuiſſent ſepeliri, ac ſi non eſſent relegati, ut expreſſe concludit Samuel *l.c.* allegans ad id Bartolum, Abbatem, Felinum, Joan. Andream, Zabarellam, Lavorium, Florian. & alios. 211

In ſepulcro ſervi Dei cum fama ſanctitatis deceſſi non eſt 212 vetitum apponi aliquod ſignum inſolitum ad dignoſcendum quod ibi ſit ſepultus; Cultus enim publicus prohibitus non infertur, ex quo corpus ſervi Dei tumulatum ſit in ſepulcro ſeparato cum ſimplici inſcriptione in lapide, aut in capſa collocata in ſepulcro communi cum inſcriptione nominis, aut in ſepulcro magnifico; Sic egregie, & erudite ſuo more plurimis adductis docet Card. de Lambertinis, fuit Summus Pontifex *libr.* 2. *de Servor. Dei Beatific. & Beat. Canoniz. cap.* 12. *& ſeq.* Et ratio eſt, quia ſi hæc, & his ſimilia libere fiunt erga illos, etiam, qui ex hac vita decedunt ſine ulla ſanctitatis fama, ut infinitis exemplis experientia demonſtrat, multo magis fieri potuerunt erga eos, qui cum ipſa ſanctitatis laude moriuntur: cum iſti nedum deterioris, ſed multo melioris, & excellentioris conditionis præ illis haberi debeantur. Tum quia, abſque eo quod, ob id quidpiam commiſſum dici queat, ſeu contra jus commune, ſeu contra Urbani VIII. Decreta, aliaſque Apoſtolicas ſanctiones, ſumme hoc juvat ad probandam identitatem, de qua tractu temporis poſſet exoriri dubitatio, ſicque difficilius fieri probatio, ut contigiſſe in caſu noſtræ Beatæ Hyacinthæ de Mareſcottis teſtatur ſupralaudatus de Lambertinis *l.c. n.*13. Unde ad avertendum dictum periculum ſupradicta licere tradunt Pignatell. *tom.*4 *conſult.*48 *per tot.* Caſtellin. *de certitud. Glor. Sanctor. cap.*2 *punct.*32. *num.*41. & Molpheſ. *conſ.* 45. *n.*14. „ ibi: „ Si enim hujuſmodi viris Sanctitate perſpicuis locus „ ab aliis ſeparatus non daretur, ſed ſimul cum aliis humarentur, non poſſent ſuo tempore ab aliis ſegregari, & diſtingui, & ſic Eccleſia careret Corporibus, & aliis Sanctorum Reliquiis, & Sanctorum cultus maximam pateretur jacturam „. Sic refert, & tenet cum plurimis aliis nunquam ſatis commendatus de Lambertinis *l.c. n.*12. *et ſeq.* merito ibi, & per tot. attente, & fructuoſe legendus

213 Patres Capuccini tenentur tradere, ſicut alii, Parochis quartam Ceræ accenſæ in aſſociatione Cadaverum, quæ ad eorum Eccleſiam tumulanda deferuntur, & Intortitiorum quæ accedunt circa Cadaver in eorum Eccleſia expoſitum. *S. C. Conc. in Aquenſi, Oppidi Ovadæ* 19. *Sept.* 1732. *& in Lunen. Sarzan.* 18. *Martii* 1737. ad tenorem Conſtitutionis Benedicti XIII. incip. *Romanus Pontifex*, ac in *Oritana* 12. *Februar.* 1729.

214 Adduntur attendenda quæ ſequuntur. Pro extractione], introductione, vel tranſitu Cadaveris delati ad ſepulturam nequit exigi gabella, aut vectigal; Sic reprobatis contrarium ſentientibus, nervoſe probat Card. de Luca *de Regul. diſc.*166. occaſione pretenſionis excitatæ pro Cadavere Cardinalis Giberti Borromæi, qui obiit in Oppido Neptuni, & tranſportatus fuit ad urbem; & in fine teſtatur ita vivæ vocis oraculo deciſum fuiſſe a S. M. Alexandro VII. occaſione ejuſdem prætenſionis Dohaneriorum pro tranſlatione Cadaveris Infantis Margaritæ de Sabaudia, quæ in Urbe pie decedens, Aſſiſii ſepulturam elegerat, quem aliis adductis, ſequitur *Add. ad Pamphil. Dec.*323. *n.*9. apud Urſayam *Inſtit. Crimin. lib.*3 *titul.*9. *num.*48. *&* 49. Et ſic expreſſe declaravit *Sac. C. Immun. in Firmana* 10. *Jun.* 1653.

215 Nec Parochus occaſione tranſitus per ſuam Parochiam Cadaveris alterius Parochiæ, & Diœceſis poteſt prætendere aliquam partem ceræ, aut pecuniarium pro quarta funerali, aut alio titulo ab heredibus defuncti, ut expreſſe ſtatuit *Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regul. in Placentina* 24. *Novembris* 1713. *in reſponſ. ad* 2. *dub.* Vid. verb. *Parochus art.* 3. *n.*37. *ubi alia ad rem per tot.*

216 Ante Solis ortum, aut poſt illius occaſum, abſque licentia Ordinarii, non poſſunt Cadavera ad ſepeliendum deferri. *S.C. Conc. in Novarien.* 15. *Martii* 1740. *in reſponſ. ad* 4. *dub.* Et ſic ſtatuunt fere omnes Synodi Diœceſanæ, & ſignanter Noſtra Alexandrina celebrata anno 1732. *tit. de ſepulturis verſ. Ante ſolis ortum*. Non poteſt tamen Epiſcopus demandare ſub pœna Excommunicationis latę ſententiæ, ut Cadavera ante lapſum 24. horarum ab emiſſione Spiritus ad Eccleſiam non deferantur. *S. C. Concil. in Horton. Cenſurarum* 12. *Decembr.* 1705. Quamvis poſſit ſtatuere, ut Cadavera ſepeliantur, niſi 12. ſaltem horis ab emiſſione Spiritus; ſeu 14. ſi agatur de ſubitanea, aut repentina morte deceſſis, ut ſtatuitur in dicta Alexandrina Synodo *loc. c.* & paſſim etiam in aliis.

217 Additur adhuc attendenda ad rem ſequens reſolutio particularis Congregationis a Clemente XI. deputatæ, & adjecta Statuto Cleri Romani §.7. & 8. ac relata a ſæpius laudato Cardinali de Lambertinis *Volumine* 5. *Notificatione* 17. his



verbis: Infantes, qui Nutricibus alendi extra propriam Parochiam dantur, retinent Domicilium in Parochia Parentum, atque ad illam pertinent, licet in alia Parochia decedant. Patre vero orbatos quouſque apud ipſam Matrem aluntur, licet in poteſtate Tutorum, non Matris, exiſtant, de Parochia Matris, non Tutorum, eſſe declaramus. Si Nutricibus alendi extra propriam Parochiam dentur a Matre, Domicilium in Parochia Matris, ſi vero utroque Parente caruerint, domicilium in Parochia Tutorum, non vero Nutricum retinere declaramus. Quod ſi nec Tutores habeant, in Parochia, in qua decedunt, tumulentur.

Attendenda ſunt ſequentia Decreta, relata ab eruditiſſimo 218 P. Cavalieri *in Agenda Defunctorum*, & ibi doctiſſime commentata.

Epiſcopus impediat cum omni diligentia, ac paſtorali ſolicitudine 219 abuſum gentilitatis, quod Feminæ in funere ſuorum liberorum, parentum, aut maritorum capillos vellant; Pœnas autem exigendas ipſe non retineat, ſed apud depoſitarium deponat. *S.C. Epiſc. & Regul.* 20. *April.* 1587. Vide verb. *Cadaver n.*24.

In ſecundo triduo majoris hebdomadæ non poſſunt celebra- 220 ri exequiæ Defunctorum, & Officium, & preces recitentur privatim. *S.R.C.* 11. *Auguſt.* 1736. *in Placentina*.

Defunctorum corpora in Eccleſiis Regularium tumulanda 221 deferenda ſunt recto tramite, & per viam a Parocho declarandam ad Eccleſias ipſorum Regularium, non autem prius ad Parochialem. Quod ſervandum erit etiam hæredibus De- 222 functorum contradicentibus, & ad dictam Parochialem prius deferri volentibus. *Sac. Rit. Congr.* 19. *Decemb.* 1671. *in Savonen.*

Heredes non tenentur vocare, niſi Parochum, *S.C. Epiſc.* 223 *& Regul.* 28. *Sept.* 1646.

Si electio non fiat ab heredibus, Parochus ad funus poteſt 224 vocare, quos voluerit; omiſſis etiam vicinioribus. *S.R.C.* 7. *Septembr.* 1613. *in Ferrar.*

Quoties electio fit a Parocho, Clerici Eccleſiæ debent ex- 225 ternis præferri. *Sacr. Congr. Epiſcop. & Regular.* 23. *April.* 1649.

Funus comitantes in Parochiali Eccleſia, vel in alia juxta 226 loci conſuetudinem omnino convenire debent. *S.R.C.* 8. *Februar.* 1631. *in Tropien.*

Nullo modo permittendum eſt a funus comitantibus Pa- 227 rochum expectari per vias, vel ad Domum Defuncti, non obſtante contraria conſuetudine expectandi per vias, vel ad Domum Defuncti. *S. R. C.* 12. *Febr.* 1633. *in Theleſina*.

An liceat Curatis, ſalvis eorum juribus Parochialibus, 228 impedire contra voluntatem heredum Defunctorum, ne Regulares vocati ad funus, corpora Defunctorum, ad quaſvis Eccleſias deferenda, una cum Parochis, & Clericis perſonaliter aſſocient? *S.R.C.* reſpondit: *Regulares in caſu propoſito non poſſe impediri*. *Die* 3. *April.* 1633. approbante Urbano VIII. *die* 25. *Junii* 1633. in ſua Conſtit. *Nuper pro parte*.

Parochi, Capellani Confraternitatum, Sacerdotes, alii- 229 que Eccleſiaſtici, qui cotta induti interveniunt proceſſionibus funeralibus, deferant, ſicuti in aliis proceſſionibus, birretum Sacerdotale, non vero pileum, excepto tempore pluviæ, & noctis, prout diſponit Rituale Romanum *titul. de Proceſſ.*, & ut ſæpe reſolvit Sacr. Rit. Congregat. Quæ qui- 230 dem pilei prohibitio non ſolum eſt pro Eccleſiaſtico Sæculari, ſed etiam Regulari, licet ſint Parochi cotta induti. Clemens XI. 9. Decembr. 1704. Conſtit. *La Santità di Noſtro Signore.*

Nullo modo eſt tolerandus abuſus quod mortui curru clau- 231 ſi deferantur ad Eccleſiam. *Sac. Cong. Epiſc. & Regul.* 17. *Martii* 1650.

An Congregationi Sacerdotum Sæcularium ſub invocatio- 232 ne Sancti Philippi Nerii in aſſociatione Confratrum Defunctorum competat præcedentia ſupra Regulares? 2. An eidem Congregationi occaſione aſſociationis eorumdem cadaverum liceat elevare propriam Crucem? *Ad primum, & ſecundum affirmative* reſpondit *S. R. C.* 19. *Aug.* 1719. *in Imolen.*

In depoſitione Defunctorum in verbis illis: *Non intres in* 233 *judicium cum ſervo tuo Domine, quia nullus apud te juſtificabitur homo*; quando eſt mulier, aut plures ſunt defuncti, non poſſunt verba *ſervo tuo* immutari in *ſerva tua*, vel *ſervis tuis* abſque Sacræ Rubricæ læſione, & ſervandum eſt Rituale. *Sac. Rit. Congr.* 31. *Aug.* 1697. *in Fanen.*

In exequiis parvulorum in feria V. & VI. & Sabbato Majo- 234 ris hebdomadæ poteſt omitti *Gloria Patri* in pſalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis. *S. Rit. C.* 16. *Jun.* 1677. *in Hiſpal.*

235 Parvulorum ſepulcrum ab aliis debet eſſe ſeparatum. *Sac. Rit. Cong.* 10. *Decembr.* 1620. *in Civit. Caſtellan.*

236 Parvulorum corpora poſſunt ſepeliri etiam in Eccleſiis Regularium, ſi ibi eſt ſepulcrum majorum, vel concurrente conſuetudine, ſi ibi Pater eligat ſepulcrum. *S. R. C.* 10. *Decemb.* 1620. *in una Civit. Caſtellan.*

237 Sepulcrum eligere licet parentibus in quacumque Eccleſia voluerint, etiam Regularium, pro eorum Filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a Parochis locorum impediri poſſunt, aut debent, præſertim ſi in dictis Regularium Eccleſiis ſepeliri conſueverint, vel in eis habeant ſepulcrum majorum. *Sac. Congregat. Epiſc. & Regular.* 20. *Jan.* 1610.

238 Sacra Congregat. Regular. & Epiſcop. examinata prius diligenter relatione Epiſcopi, cenſuit licuiſſe, & licere parentibus in Eccleſia Fratrum Minorum Conventualium Sancti Franciſci eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum devenere, eligere ſepulturam, ac propterea reſtituenda eſſe ipſorum Fratrum Eccleſiæ cadavera infantium jam depoſita, præmiſſis, cæteriſque quibuſcumque non obſtantibus. *Die* 20. *Martii* 1643.

239 Exhumetur puella, & ſepeliatur in ſepulcro majorum, in quo ſepeliri debent, quicumque carent facultate ſibi eligendi ſepulturam. *Sacr. Congr. Epiſcop. & Regul.* 11. *Octobr.* 1616., & præſertim ſi Pater ſic ſepeliri intendat. *Ead. Cong.* 22. *Febr.* 1641.

240 Infantes, aliique quicumque, qui non habent facultatem ſibi eligendi ſepulturam, vel hac non electa decedunt, ſunt tumulandi in ſepulcro ſuorum majorum, vel in Parochiali Eccleſia. *S. Congr. Epiſc. & Regul.* 16. *Novemb.* 1625.

241 Clerici non ſepeliantur in ſepulcro ſuorum Majorum ubi eſt conſuetudo eoſdem ſepeliendi in ſepulcris ſeparatis a laicalibus. *Sac. Congreg. Epiſc. & Regul.* 13. *Maii* 1610.

242 Clericus, qui ſibi non electa ſepultura decedit, ſepeliri debet in ſepulcro majorum, & non Clericorum, *S. R. C.* 6. *Maii* 1705. *in Senogall.*

243 Sepultura non electa, ſi uxor præmoriatur, & maritus habeat proprium ſepulcrum, in ipſo tumulari debent, quamvis extra limites Parochiæ, ubi mortua eſt. *Sac. R. C.* 15. *Jan.* 1633. *in Senogallien.*

244 An cum Fratres aliqui extra Monaſterium moriuntur, & a Curatis Sacramenta receperunt, poſſint ab eorum Superioribus ad ſuas Eccleſias deferri, Parochis inconſultis? Reſp. Regulares extra clauſtra decedentes poſſe ad eorum Eccleſias deferri, etiam Parochis inconſultis. *Sacra Congr. Concil.* 2 *Julii* 1620.

245 ClerusSæcularis nihil poteſt prætendere propter exequias, aut Sepulturam Monachorum, aut Fratrum morientium extra clauſtra. *S. Congr. Epiſcop. & Regul.* 24. *Novemb.* 1634. & 24. *Septemb.* 1636.

246 An in Eccleſiis Fratrum ſepelienda ſint cadavera eorum, qui ejuſdem Ordinis habitu induti, ex hac vita migrarunt? Reſp. ſi conditiones in Bulla aurea fel. rec. Sixti Papæ IV. contentas, in ipſis adimpletas eſſe conſtiterit, videlicet quod a Guardiano Domus loci in quo tales decedere contigerit, aut ab alio Superiore, vel ab altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint, ut prædictus Guardianus, vel alius Superior eoſdem præmonuerit, eorum cadavera propter habitus conceſſionem, ſeu receptionem penes ipſos fratres, quorum habitum geſtant, eſſe ſepelienda; eo caſu cum habitu Religionis decedentes, in Eccleſiis pariter ejuſdem Religionis Eccleſiaſticæ ſepulturæ eſſe tradendos. *Sac. Congr. Epiſc. & Regul.* 11. *Decembr.* 1615.

247 Parochi Superiores Eccleſiarum Sæcularium, & Regularium, Sacriſtæ, & alii, ad quos ſpectat, non permittere debent, quod cadavera Eccleſiaſticorum ſæcularium præſertim Sacerdotum, ſicut etiam Diaconorum, & Subdiaconorum transferantur ex propriis domibus ad Eccleſias, vel in iſtis exponantur quocumque alio habitu, ſive Confraternitatum, ſive Religionum, ſed cum ſacris veſtibus eorum Ordini convenientibus, juxta diſpoſitionem Ritualis Romani tit. de exequiis. *Clemens XI.* 9. *Decemb.* 1705.

248 Canonici pluviali, planeta, dalmatica, vel tunicella parati non debent deferre almutias; Canonico vero defuncto induto planeta, ſeu dalmatica, vel tunicella imponi poteſt almutia ſuper brachium. *Sacr. Rit. Congregat.* 4. *Auguſt.* 1663. *in una Dalmatiarum.*

249 Pileus Epiſcopi demortui debetur Eccleſiæ tumulanti, non Cathedrali. Sacr. Congregat. *Epiſc. & Regular.* 26. *Aprilis* 1653.

Ut in Eccleſiis nihil indecens relinquatur, iidem (ſcilicet 250
Capitula, Parochi, Rectores, Vicarii, Sacriſtæ, Oſtiarii, & alii Cuſtodes, etiam Regulares) provideant, ut capſæ omnes, & depoſita, ſeu alia cadaverum conditoria ſuper terram exiſtentia, omnino amoveantur, prout alias ſtatutum fuit: & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. Pius V. Conſtitut. *Cum primum Apoſtolatus* 1. *Aprilis* 1566.

Eccleſiæ non debent fodi, neque excavari pro ſepultura, 251
ſed in ſepulturis, ſive tumbis profundis infra terram Chriſtianorum cadavera ſepeliri. *Sacr. Congregat. Epiſc. & Regul.* 23. *Jul.* 1603.

Non licet Parochis majorem eleemoſynam exigere pro 252
defunctis in Eccleſiis Regularium ſepeliendis, quam eis ſolveretur, ſi in propriis, vel aliis ſæcularium Eccleſiis ſepeliri deberent. *Sac. Cong. Epiſc. & Regul.* 27. *Octobr.* 1603. 2. *Octob.* 1643. 20. *Martii* 1647. 27. *Jan.* 1651.

Cæteris paribus non poſſunt Parochi majorem eleemoſy- 253
nam exigere pro Sepultura forenſium, aut extraneorum, quam incolarum. *Sacr. Congr. Epiſc., & Regul.* 25. *Maii* 1640. 31. *Martii* 1646. 10. *Junii* 1653. & 10. *Junii* 1654. *ac* 8. *Auguſt.* 1659.

In Eccleſiis Regularium ſine horum conſenſu non poteſt 254
quis ſepeliri, niſi ſit propria Defuncti Parochialis, licet ibi ſepulturam elegiſſet, aut ad rem donationem vel legatum feciſſet. *S. Congr. Epiſc., & Regul.* 2. *Jun.* 1587.

Supra Sepulcri tabulam pro libito ornamenta plana quæli- 255
bet heredes efformare valent, dummodo e ſolo non emineant, & abſint coronæ vulgo *Cornici*. *Sac. Congr. Epiſc., & Regul.* 26. *Maii*, & 6. *Octob.* 1645.

Num illi, qui coram teſtibus dumtaxat, licet abſque ſcri- 256
ptura, in Regularium Eccleſiis ſepulturam ſibi elegerint, ibidem ſint ſepeliendi. *Sacra Congregat. Epiſcop. & Regul.* reſpondit *in dictis Eccleſiis eſſe ſepeliendos, ſine præjudicio tamen jurium Parochialium*, *die* 11. *Decemb.* 1615.

Conſanguinei Defunctorum, qui in Eccleſiis Regularium 257
ſepeliuntur, illis parentare in Parochialibus, & aliis Presbyterorum Eccleſiis, etiam Cathedralibus compelli nullo modo poſſunt. *Sacra Congregat. Epiſcop. & Regular.* 14. *Jun.* 1639. Cujus Decretum approbavit Alexand. VII. in ſua Conſtitut. *Alias pro parte* ſub datum 30. *April.* 16 0.

Damnati ad mortem ſepeliri non debent in Eccleſia ma- 258
gnæ Devotionis, ſi inde populus concipit horrorem, & occaſionem Eccleſiæ minus frequentandæ. *Sacra Congreg. Epiſcop. & Regul.* 17. *Martii* 1570.

In Exequiis poſt abſolutionem, quæ fit ſupra cadaver in 259
die obitus, vel ſupra tumulum in die anniverſario, ℣. *Requieſcant in pace*, ſubjungi debet; *Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace*; ſed ſuper lecticam, ſeu caſtrum doloris in commemoratione omnium fidelium defunctorum, nihil eſt ſuperaddendum. *S. R. C.* 3. *Decemb.* 1682. *in una Canon. Regul. Lateran.*

Inhiberi non poteſt quod non ſepeliantur cadavera abſque 260
interventu duorum Presbyterorum a Capitulo deputatorum vice Parochi etiam ubi Parochia ſpectat ad ipſum Capitulum, quia unius aſſiſtentia ſufficit. *Sacra Cong. Epiſc. & Regul.* 16. *Martii* 1593.

Regulares primi debent invitari, quando cadaver ſepelien- 261
dum eſt in eorum Eccleſia. *Sac. Cong. Epiſc. & Regular.* 9. *Januarii* 1595.

Parochus minime excluditur, licet a defuncto accerſiri 262
tantum Regulares jubeantur. *Ead. S. Cong. Epiſc. & Regul.* 24. *April.* 1594.

In Tudertina electionis ſepulturæ. Franciſca quondam 263
Rugerii de Gregoriis de Terra Maſſæ Diœceſis Tudertinæ mortua eſt die 28. Maii 1721. & cum elegiſſet ſepulturam coram duobus teſtibus in Eccleſia PP. Tertii Ordinis S. Franciſci, & repugnaret Archipresbyter dictæ Terræ, examinatis duobus teſtibus deponentibus pro tali electione, & nolente Archipresbytero, ſuos quos prætendebat contrarios, examinari, & facto ſepelire Cadavere in ſua Parochiali Eccleſia propoſitis in Sacra Congregatione Concil. dubiis: „ I. An „ conſtet de electione ſepulturæ in caſu &c. & quatenus affir- „ mative. II. An ſit locus exhumationi & reſtitutioni Cada- „ veris, de quo agitur, & quæ emolumenta ſint reſtituenda „ a Parocho in caſu &c. Dicta Sacra Congregatio 4. Julii „ 1722. *Reſpondit*. Ad I. affirmative. Ad II. affirmative, „ etiam quoad omnia emolumenta & amplius, & ad mentem.

„ Et



„ Et mens eſt quod cadaver exhumari non debeat „. Deinde
264 obtenta ab Archipresbytero nova audientia, & contendente electionem ſepulturæ in Eccleſia Patrum non poſſe dici probatam, & quatenus eſſet probata, non relevare, utpote factam ad ſuggeſtionem Patrum adverſus Textum *in cap. Animam*, *De ſepulturis in* 6. propoſito dubio: „ An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis die 4. Julii 1722. Eadem Sacra Con- „ gregatio die 21. Novembris 1722. *Reſpondit*: Ad primum „ in deciſis. Ad ſecundum in deciſis, excepta exhumatione, „ & reſtitutione cadaveris „. Sic apud *Theſaur. Reſolut. tom.* 2.

265 In Senogallien. Funerum, propoſito inter alia hoc ſecundo dubio: „ An teſtes ſuper electione ſepulturæ deponentes „ recipi debeant medio juramento per publicum Notarium; „ ſive potius ſufficiat eoſdem teſtes deponere oretenus cum „ juramento coram ipſomet Parocho, vel Vicario Foraneo? „ Sacra Congregatio Concil. die 19. Decembr. 1739. *Reſpon-* „ *dit*: Ad II. Negative ad primam partem, & affirmative „ ad ſecundam „. Apud *Theſaur. Reſolutionum Sacræ Congregat. Conc. tom.* 6.

266 Electio Sepulturæ facta a Confratribus, ſeu ſodalibus alicujus Congregationis, ſeu Confraternitatis in die receptionis, & profeſſionis, etiamſi facta ſit per publicum inſtrumentum, non ſuſtinetur. Sic *Sacr. Congregat. die* 3. *Auguſt.* 1743. quæ *in Alexanen. Funerum*, ad ſeptimum inter alia propoſitum dubium, „ An electio ſepulturæ facta in eadem Eccleſia per pu- „ blicum inſtrumentum, ſeu alium actum ab aliis ſodalibus di- „ cti Oratorii, in ipſorum reſpective receptione, & ante obi- „ tum non revocata ſuſtineatur in caſu. *Reſpondit* Ad VII. *Negative, & amplius*, Sic apud *Theſaur. Reſolutionum dicti anni*. *Vide tom.* 2. *verb. Confraternitas art.* 4. ubi varia ad rem.

267 Pro ſepultura infantium nutricibus extra propriam Parochiam alendorum traditorum, a particulari Congregatione a Clemente XI. deputata, fuit reſolutum ut ſequitur, „ Infan- „ tes qui Nutricibus alendi extra propriam Parochiam dantur, „ retinent domicilium in Parochia Parentum, atque ad illam „ pertinent, licet in aliena Parochia decedant. Patre vero „ orbatos, quo uſque apud ipſam Matrem aluntur, licet in „ poteſtate Tutorum, non Matris exiſtant, de Parochia Ma- „ tris, non Tutorum, eſſe declaramus. Si Nutricibus alendi „ extra propriam Parochiam dentur a Matre, domicilium in „ Parochia Matris, ſi vero utroque Parente caruerint, do- „ micilium in Parochia Tutorum non vero Nutricum, retine- „ re declaramus. Quod ſi nec Tutores habeant, in Parochia, „ in qua decedunt, tumulentur „. Sic habetur in additione ad ſtatutum Cleri Romani §. 7. & §. 8. ut refert Cardinal. Lambertin deinde Summus Pontifex *volum.* 5. *notificat.* 17. *pagina* 204. Et ſic ubique obſervari convenit, cum Stylus Curiæ Romanæ attendi debeat. Gloſſa 2. *in cap. Ad hæc ſumus, de Reſcript.* & cum ipſo procedendum eſſe in aliis Curiis inferioribus, non autem cum praxi propriæ Regionis, ut expreſſe tradit Cardinal. de Luca *de judic. diſcurſ.* 34. *num.* 12. & *diſcur.* 37. *num.* 20. Stylus enim Curiæ Romanæ facit jus, & pro lege habetur *cap. ex litteris* 11. *de conſtitut. cap. Quam gravi* 6. *de crimine falſi*, cum Eccleſia Romana ſit ordo, norma, & caput omnium Eccleſiarum *cap. omnes*, & *cap. Sacroſancta* 2. *diſt.* 22. cum ſimilibus.

268 Quoad ſepulturam Educandarum, Vide tom. 5. verb. *Matrimonium art.* 2. *a n.* 115. *ad n.* 121. & verb. *Monialis art.* 1. *n.* 61. 62.

269 In Tuſculana Reparationis Eccleſiæ, inter alia dubia propoſitis his ſequentibus: Tertio, An reparatio, & expurgatio reſpective quatuor ſepulturarum exiſtentium in dict. Ven. Eccleſia, ac inſervientium pro Laicis adultis, fieri debeat ſumptibus dictæ Communitatis, ſive potius dicti Capituli in caſu? Quarto, An reparatio, & expurgatio aliarum duarum ſepulturarum pariter in dicta Eccleſia exiſtentium, & inſervientium pro pueris, & Sacerdotibus, fieri debeat ſumptibus Capituli, vel Archipresbyteri, ſive potius Communitatis in caſu? *Sacra Congregat. Concil. die* 11. *Januar.* 1738. Reſpondit *Ad III. & IV. affirmative quod ad primam partem & negative ad ſecundam*. Et propoſita cauſa ſub die 1. Martii 1738. ſub dub. *An, & in quibus ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu? Eadem Sacr. Congregat.* Reſpondit *Ad III. in deciſis & ad IV. in deciſis quoad ſepulturam Sacerdotum; quo vero ad ſepulturam puerorum, ſpectare ad Communitatem.* Sic apud *Theſaurum Reſolutionum dicti anni*.

270 Sepultura Sacra denegatur decedentibus ex vulnere in duello accepto, licet extra locum pugnæ obierint. Benedict. XIV. Conſtitut. incip. *Deteſtabilem* §. 9. Vide tom. 2. verb. *Duellum*.

* Sepulcrum in Eccleſiis Confraternitatum haberi poteſt 271
ſed de licentia Epiſcopi, uti ſæpe deciſum a S. Congregatione. *Inſt. Eccl.* 105. §. 124.

Si Confrater obeat, non electa ſepultura, mandari non 272
poteſt ſepulturæ in Eccleſia ejuſdem Confraternitatis, ut eſt deciſum a Sacr. Congregat. *Ibid.* *

*Novæ additiones ex aliena manu.*

De ſepultura latiſſime licet egerit *Auctor*, multa tamen di- 1
cenda eſſent, ſi limites additionum permitterent. Sed vide qui de hac materia accuratius agit *Bohemer. in tractatu de jure Parochiali ſect.* 4. *cap.* 2. *per tot.*

Hic vero tria hæc adnotanda cenſuimus. *Primum* eſt quam- 2
diu ſit expectandum, ut ſepulturæ mandetur hominis cadaver? Nihil hac de re in jure definitum eſt. Cæterum Conſtitutionibus plurium Synodorum receptum eſt, ut poſt duodecim horas ſepeliatur, ſi mors ſit ex morbo ſequuta; & ſi repentina, vel violenta, poſt viginti horas. Vide *S. M. Benedictum XIV. de Synod. Dioeceſan. lib.* 2. *cap.* 6. §. 8. Adde etiam *adnotat. ad Synod. Fulginat. Epiſcopi Baptiſtellii cap.* 23. *num.* 6.

Num autem cadaver hominis violenta morte erepti inhu- 3
mari poſſit, niſi prius Præfectus Loci illud inſpexerit; & ſi ſecus factum ſit, an poſſit ipſe Loci Præfectus demandare, ut exhumetur? Vide *Mean obſerv.* 604. *per tot.*

Secundum eſt, an liceat ſepelire in loco ſacro Infantes ſub 4
dubiis reviviſcentiæ ſignis baptizatos? Tantum abeſt ut liceat, ut Congregatio Sancti Officii pluries decreverit, ne baptizandos quidem eſſe infantes hoſce. Adi S. M. *Benedictum XIV. de Synod. Dioeceſan. lib.* 7. *cap.* 6. §. 11. & *duob. ſequent.*

Tertium eſt, an Eccleſiaſtica ſepultura carere debeant, qui 5
decedunt ex vulnere in Duello accepto, quamvis extra locum conflictus occubuerint, & obtinuerint a peccatis ſimul & cenſuris abſolutionem? Attenta autem Conſtitutione S. M. Benedicti XIV. cui initium eſt: *Deteſtabilem*, & hi carere de- 6
bent Eccleſiaſtica ſepultura. Videtur enim Summus Pontifex imitatus ſanctionem Concilii Lateranenſis relatam in *cap. Felicis*, *de Torneamentis*, qua cautum fuit ne in loco ſacro tumularentur ii, qui in torneamentis decedebant, tametſi antequam extremum vitæ ſpiritum ederent non incerta pœnitentiæ ſigna exhibentes, abſolutionem retuliſſent: *Quod* (ſunt ipſiſſima verba) *ſi quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poſcenti pœnitentia non negetur*, *Eccleſiaſtica tamen careat ſepultura.*

A P P E N D I X

*Romani Cenſoris ad Articulum*

Sepultura

*In hac noviſſima Editione.*

Ferraris noſter num. 172. hujuſce Articuli brevi ſe expe- 1
dit a quæſtione jam toties, & noviſſime etiam acriter diſputata, utrum ſcilicet Catechumeni ſine Baptiſmo decedentes eccleſiaſtica privandi ſint ſepultura? Ab ea, ne dicam exagitanda, ſeu etiam tangenda prorſus abſtinuiſſem, niſi mandatum acceſſiſſet maximi Viri, cujus nutibus reſiſtere, mihi religio eſt. Ut autem ea qua par eſt claritate, hæc controverſiam diſcutiatur, nonnulla in anteceſſum adnotanda dux de variis Catechumenorum gradibus & diſtinctionibus.

Plures jamdiu fuiſſe Catechumenorum claſſes, & gra- 2
dus, res eſt apertiſſima in veteribus Eccleſiæ monumentis, quamquam tum Auctores, qui Sacris Chriſtianorum ritibus inluſtrandis operam navarunt ſuam, tum ipſi Theologi inter ſe non conveniant in iis enumerandis, & diſtinguendis.

Duos dumtaxat recenſet Menardus in notis ad Sacramenta- 3
rium S. Gregorii (*T.* 3. *operum ejuſdem S. Doctoris edit. Maur. Colum.* 374.), nempe *Audientium*, & *Competentium*. Communiter tamen Catechumeni in tres diſtribuuntur claſ-

*Ferrar. Biblioth. Tom.VII.*

K 2

ſus

ſus, quarum prima *Audientium*, *Genuflectentium* altera: tertia *Competentium*, ſeu *Electorum*. In prima conſtituebantur illi, qui privata inſtructione exacta, publice in Eccleſia inſtruebantur per Epiſcopum. Ad ſecundam ſpectabant, qui participes, conſorteſque fiebant Orationum, & Exorciſmorum, qui ſuper Catechumenos fundebantur. In 3. Collocabantur, qui idonei ad Baptiſmum judicati nomina ſua dabant, ut nimirum inter illos recenſerentur qui jam proxime ad ſuſcipiendum Baptiſmum erant deſtinati, illiſque Symbolum tradebatur reddendum poſtea Baptiſmum ſuſcepturi. Vide Opus eruditum Joſephi Vicecomitis *de Antiquis Baptiſmi ritibus*, *lib.* 2. Van. Eſpen *J.E.V. par.* 11. *tit.* 2. *cap.* 3. per totum. Tournely *de Sacram Baptiſmi quæſt.* 3. *art.* 3. Juven. *Comment. Hiſt.*, *& dogm. de Sacramentis Diſſert.* 2. *de Bapt. cap.* 2. *art.* 1. Du Cangii *Gloſſ.* t. 1. pag. 887. alioſque, tametſi viri Eruditiſſimi eandem non ſequantur partitionem, quos inter Martene, qui *l.* 1. *de Antiq. Chriſtianorum Rit. cap.* 1. *art.* 6. *Genuflectentes* Catechumenorum ſpecialem claſſem conſtituiſſe negat, aſſeritque ita vocitari conſueviſſe Catechumenos lapſos, qui pœnitentiæ peragendæ admittebantur, quapropter illos diſtinguit in *Audientes*, *Electos*, *& Competentes*. Eodem pacto Catechumenos partitur Berti *de Theologicis Diſciplinis lib.* 31. *cap.* 20. niſi quod *Electis Campetentes* anteponat.

4 Non eſt hic diſcutiendi locus, quænam harum ſententiarum alteri ſit præferenda. Illud tamen certe eruitur, non omnes Catechumenos eodem in cenſu habitos fuiſſe aut eſſe habendos; ſed ſemper rationem habitam fuiſſe progreſſus quoad Intructionem, mores, Baptiſmi deſiderium, aliaque id genus. Ab eadem regula recedendum non eſſe, ſi diſcedere eos ex hac vita contingat nondum baptizatos, pro certo habeo. Unde Catechumeos omnes ad tres etiam claſſes eſſe revocandos exiſtimarem.

5 Ad primam pertinent illi qui ignavia, & torpore arrepti, vel ut ſuis magis, magiſque cupiditatibus indulgere poſſent, lavacro regenerationis ſua mundare peccata negligebant, quales erant illi, qui primis Eccleſiæ ſæculis ſenectutem, vel mortis articulum expectabant, ut ſacris undis regenerarentur. Eorum vanam fiduciam compeſcere, ac ſegnitiem maturare ſanti Patres ſæpe ſuis in ſermonibus tentarunt, ut S. Baſil. Hom. XIII. *Exhortat. ad Sanctum Baptiſma* (*tom.* 2. *Operum edit. Maur. pag.* 113.) S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 40. (*tom.* 1. *Oper. pag.* 652.) S. Auguſt. *Serma* 132. *num.* 1. (*tom.* 5. *Colum.* 450.) S. Jo: Chryſ. Hom. prima in Act.

6 In ſecunda conſtituuntur Catechumeni, qui cum ſint præcipuis Chriſtianæ Religionis Myſteriis imbuti, Chriſtianis moribus exornati, ac Baptiſmatis deſiderio flagrantes, inopinato morte abſque Baptiſmo corripiuntur.

7 In tertia denique collocantur, qui deſiderio Chriſtianæ Fidei ſuſcipiendæ manifeſtato, ſe ſe erudiendos tradidere. At nondum ejus capita præcipua collent, adeo ut de iis myſteriis, quæ neceſſario credenda ſunt, ut loquuntur Theologi *neceſſitate medii* ad ſalutem, actus elicere nullatenus valeant.

8 Præmiſſa hac enumeratione, Dico primo, Catechumenis ſub priori ſpecie contentis, ſi illis nondum regeneratis ultimum diem obire contingat, eccleſiaſticam ſepulturam nequaquam eſſe concedendam. Ratio evidens eſt. Nulli enim competit Eccleſiaſtica gaudere ſepultura, niſi ſit Eccleſiæ membrum. Porro nemo inter Eccleſiæ membra eſt recenſendus, niſi Baptiſmate particeps fiat Regni celeſtis; Batiſmate, inquam, vel acquæ, vel Sanguinis, vel ſaltem flaminis; & ut a Theologorum diſſerendi ratione non recedam niſi Baptiſmate, vel *in re* vel *in voto* ſuſcepto. Catechumenus autem, qui ſæpius occaſionem Baptiſmatis ſuſcipiendi poſthabuit, nulla rationabili ratione coactus; quinimmo Baptiſmum peſſundedit, ut gentilibus moribus quo fieri poſſet tardius valediceret, Baptiſmatis, neque *in re*, neque *in voto* factus eſt particeps; igitur neque conſors factus dicendus eſt Regni cæleſtis, neque inter Eccleſiæ membra adnumeratus, atque inde eccleſiaſtica prohibendus eſt ſepultura.

9 Dico ſecundo, ſi Catechumenum in ſecunda collocatum claſſe ſacris undis nondum ablutum rex hac vita migrale contingat, Eccleſiaſticis ceremoniis eſſe ſepeliendum.

Conſtat id luculenter Patrum ſacrorumque Canonum auctoritate. Sane Canon apertiſſimus eſt *C. Apoſtolicam*, *de Presbytero non baptizato*, ubi Innocent. III. ad Epiſcopo Cremonenſi conſultus, quid ſentiendum de Presbytero ſine unda Baptiſmatis defuncto: Reſpondet, *quia in ſanctæ matris Eccleſiæ fide & Chriſti nominis confeſſione perſeveravit, ab originali peccato ſolutum, & cæleſtis patriæ gaudium eſſe adeptum, aſſerimus incunctanter*. Mittit Epiſcopum ad legenda opera Sanctorum Auguſtini, & Ambroſii, ac tandem concludit: *Sopitis igitur quæſtionibus Doctorum, Patrum ſententias teneas: & in Eccleſia tua juges preces, hoſtiaſque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato*. Decretorius eſt Innocentii textus. Pro illis enim offerri preces, & hoſtias publice in Eccleſia nequeunt, qui jure privantur eccleſiaſticæ ſepulturæ. Si igitur pro Presbytero non baptizato defuncto jubentur offerri publice in Eccleſia preces & hoſtiæ, illum eccleſiaſtica potitum fuiſſe ſepultura, abſolute eſt pronunciandum. Quod eadem ratio ſit habenda de Catechumeno noſtro, ac de Presbytero, de quo in Canone, nullum, puto, dubitare poſſe; cum rationes a Summo Pontifice pro Presbytero adductæ, æque militent pro Catechumeno. Uterque ſine Baptiſmo decedit, uterque in Sanctæ Matris Eccleſiæ fide, & in Chriſti nominis confeſſione perſeveraſſe creditur; uterque ab originali peccato ſolutus, ac cæleſtis patriæ gaudium adeptus præſumitur. Adde Innocentium pro ſua ſtabilienda Patrum auctoritate ſententia, Orationem S. Ambroſii *de obitu Valentiniani* adhuc Catechumeni vita functi adducere, ſcilicet, vult Pontifex ideo preces hoſtiaſque offerri debere pro anima illius Presbyteri, quia eaſdem juſſerat offerri S. Ambroſius pro anima Valentimani, adeout ſi pro Catechumeno offerri illæ non poſſent, Innocentii ſententia prorſus collaberetur.

Hinc eſt, quod idem Pontifex *Cap. Debitum*, *de Baptiſmo*, loquens de quodam Judæo qui in mortis articulo conſtitutus ſemetipſum Baptizarat, quamquam ejus Baptiſma nullum ſit, ut pronuntiat Papa, ibi: Tamen addit: *Quod ſi continuo deceſſiſſet, ad Patriam protinus evolaſſet, propter Sacramenti fidem, etſi non propter fidei Sacramentum*. Propter eandem rationem, *C. veniens*, *de Presbytero non baptizato*, æque pronuntiat: *Cum quis non ſolum per Sacramentum fidei, ſed per fidem etiam Sacramenti, efficiatur proculdubio membrum Chriſti*. 10

Innocentii III. ſententia nova non eſt in Eccleſia, ſed antiquis Eccleſiæ Canonibus, priſcaque conſuetudine fulta. Ea enim ſuum habet fundamentum in Can. 78. Concil. Carthaginen. IV. habiti an. 398. (*tom.* 2. *Concil. Collect. Labb. colum.* 1206.), & Can. 12. Conc. Arelat. II. habiti an. 452. (*tom.* 3. *colum.* 1012.). Quamquam hujuſmodi duo Canones de Pœnitentibus dumtaxat loquantur defunctis non completa pœnitentia; cum tamen eadem ſit hac de re ratio Pœnitentium, & Catechumenorum; ideo in patrocinium hujuſce ſententiæ præfati Canones citantur a Theologis. Quidquid tamen ſit de eorum efficacia pro noſtra conſtabilienda ſententia, eo tempore quo iidem Canones editi ſunt, morem invaluiſſe fudendi in Eccleſia preces pro animabus Cathechumenorum, aperte conſtat ex S. Ambroſio jam ſupra laudato cujus præſtat verba recitare. Is igitur in Orat. de obitu Valentiniani, poſtquam num. 51., & 52. eum gratiam Baptiſmatis conſequutum fuiſſe dixerat, quia Baptizari optaverat, ac Baptiſmi deſiderium in eo vices Baptiſmi ſuppleverat, num. 83. gregem ſuum hortatur, ut oblationibus Valentiniani animam proſequatur, ut ſacris myſteriis requiem ejus poſcat: neque ſeparanda eſſe nomina (ſacris in dypticis) Gratiani, & valentiniani, quamvis ille Baptizatus obierit. *Date manibus*, inquit, *Sancta myſteria*, *pio requiem ejus poſcamus affectu*. *Date Sacramenta cæleſtia*, *animam nepotis noſtri oblationibus proſequamur*. *Extollite populi mecum manus in Sancta*, *ut eo ſaltem munere vicem ejus meritis rependamus* . . . *Numquam ego piorum fratrum ſeparabo nomina*, *merita diſcernam*. (*tom.* 2. *Operum edit. Monach. S. Mauri Col.* 1189.) 11

Hæc eadem eſt S. Aug. ſententia ut conſtat ex *l.* 4. *de Baptiſmo contra Donatiſtas*, *num.* 30. *&* 32. (*tom.* 9. *Operum col.* 94., *&* 95.) nec non S. Bernardi, Epiſtola, ſeu Tractatu *ad Hugonem de S. Victore*, quam eorundem SS.DD. Ambroſii, & Auguſtini auctoritate, ubi confirmavit, ſubdit: *Ab his duabus columnis* (*Auguſtinum loquor*, *& Ambroſium*) *crede mihi*, *difficile avellor*. *Cum his*, *inquam*, *me errare*, *aut ſapere fateor*. 12

Celebriores Theologi, & Canoniſtæ id pro certo habent, *Paſſerinus*, *deſtat. hom. tom.* 2. *q.* 187. *art.* 4. *numer.* 63., & apud ipſum *Lezana*, v. *Sepultura*, *num.* 23. *Bordon. reſp.* 51. 13

*n.* 119.



*num.* 119. Id etiam tenet Card. Petra. *Comment ad Conſt.* 2. *Honor.* III. *ſect. unica*, *num.* 58. *Sayrus de Cenſur. l.* 5. *c.* 16. *num.* 24. *Barboſa*, *de Off. & Poteſt. Epiſcopi part.* 2. *Allegat.* 28. *num* 53. *Bonac. de Matr. q.* 4. *punct. ult. numer.* 26. *Theſaurus*, *de pænis*, *part.* 2. *ver. ſepulchri violatio cap.* 6. §. *Limita quoad Catechumenos*, *Pax Jordanus*, *de re ſana*, *l.* 5. *tit.* 12. *num.* 120. *Murga tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 4. *dub.* 7. *Clericatus deciſ. ſacram.* 36. *num.* 29., *&* 30. *Gonzalez in c. Ad Apoſtolicam de Presbytero non baptizato*, *Gagliardus. Inſt. Jur. Can. l.* 2. *tit. de Baptiſmo num.* 42., & alii plures qui citari poſſent.

14 Non inficior, huic hucuſque a nobis ſtatutæ doctrinæ opponi poſſe Concilii Brachar. II. auctoritatem an. 563. celebrati: quod quidem Concilium, poſtquam cap. 16. ſtatuerat nullam commemorationem in oblatione eſſe faciendam pro iis qui ſibimetipſis necem inferunt, vel pro ſceleribus puniuntur, neque eorum cadavera cum Pſalmis ad ſepulturam eſſe deducenda, cap. 17. ita decernit: *item placuit ut Catechumeniſine redemptione Baptiſmatis defunctis*, *ſimili modo*, *neque oblationis commemoratio*, *neque pſallendi impendatur officium*. (*tom. V. Concil. Edit. Labb. colum.* 841., *&* 842.)

15 Enim vero hujuſce Concilii decreto occurrimus 1. cum *Lavor. tit.* 12. *cap.* 15. *num.* 92., *& Bordon. Reſp.* 51. *num.* 20. aſſerentibus præfatum Canonem intelligendum eſſe de Catechumeno illo, de quo conſtaret ex culpa, & negligentia non fuiſſe baptizatum, quo quidem in caſu eum non eſſe fidelium ſepulturæ donandum, nos etiam tradidimus. 2. dicimus, Bracharenſem Synodum loqui de eo, quod ut plurimum accidit, nullatenus vero de caſu neceſſitatis. Raro enim contingit ut Catechumenus perfecte diſpoſitus, & Baptiſmi deſiderio flagrans, abſque regenerationis Sacramento decedat. 3. reponam cum Eminentiſs. Cardinali Orſi Hiſt. Eccl. lib. 42. num. 62. tom. 19., ubi relatis ſummatim præfatis duobus Canonibus, ſubjungit: *Quanto a due ultimi caſi ha prevaluto nella Chieſa l' uſo contrario*, *fondato*, *quanto alle preghiere per le anime de' giuſtiziati*, *nel cap.* 14. *del* 2. *Sinodo Aurelianenſe*, *e quante alle anime de Catecumeni nell' eſempio di S. Ambrogio*.

16 His breviter enucleatis de ſecunda Catechorum ſpecie, ad tertiam devenio. Dico igitur 3. Catechumenis nondum in Chriſtianæ Religionis Capitalibus Myſteriis eruditis, atque ab hac vita migrantibus ſine Baptiſmate, non eſſe eccleſiaſticam ſepulturam concedendam.

Palmare id eſt. Intantum enim Catechumeni aliquando Fidelium more ſepeliuntur, in quantum Fideles ſunt, atque æternæ vitæ aſſequendæ capaces. Ille vero, qui præcipua Chriſtianæ Religionis capita ignorat, neque fidelis eſt, neque vitæ æternæ aſſequendæ capax. Sane abſque cognitione, & fide Trinitatis, & Incarnationis, nemo Fidelis, & Chriſtianus dici doteſt. *Quod enim eſt*, (inquit S. Aug. l. de dono perſeverantis num. 2. tom. x. Operum col. 543.) *initium verius Chriſtiano*, *quam credere in Chriſtum*? Fides autem in Chriſtum, Fidem cognitionemque Trinitatis, & Incarnationis præſupponit. Porro eorumdem Myſteriorum cognitionem neceſſarium eſſe ad ſalutem conſequendam, in confeſſo id eſt apud omnes veri nominis Theologos. Scio aliquos laxioris Doctrinæ patronos nonnumquam arbitratos fuiſſe, eandem cognitionem *implicitam* ut dicunt, ſufficere. Vid. Domini Vivam in Prop. 1. damnatam ab Alex. VII, num. 9. Verum ego majoris facio mehercle auctoritatem Jeſu Chriſti Domin. mei, qui abſque diſtinctionibus, & ambagibus, *Joan.* 17. declarat: *Hæc eſt autem vita æterna*, *ut cognoſcant te*, *ſolum Deum verum*, *& quem miſiſti Jeſum Chriſtum*, quam horum ſcriptorum tricas.

## SEQUESTRATIO, SEU SEQUESTRUM.

1 SEqueſtratio, ſeu ſequeſtrum eſt rei controverſæ, ſeu fructuum ejus apud tertium ſecuritatis gratia legitime facta depoſitio; *Sic in re communis*. Et colligitur *ex leg. Licet* 17. *in princ. ff. Depoſiti*, & ex *leg. Sequeſter* 110. *de*
2 *verbor. ſignific.* Unde ſequeſter dicitur is, apud quem plures nempe Actor, & Reus eamdem rem, de qua controverſia eſt, depoſuerunt, dictus ab eo quod ejus fidem partes contendentes, vel Judex ſequantur, dum res litigioſa ejus cuſtodiæ committitur, *cit. l. Sequeſter* 119. *ff. de verbor. ſignificat.*, ibi: *Sequeſter dicitur*, *apud quem plures eamdem rem*, *de qua controverſia eſt*, *depoſuerunt*.

Sequeſtratio, ſeu ſequeſtrum differt a Depoſito. Primo, 3
quia deponi poſſunt etiam res illæ, de quibus nulla eſt controverſia; ſequeſtrari autem poſſunt dumtaxat res illæ, de quibus eſt lis, ſeu controverſia, *l. Licet* 17. §. 1. *ff. Depoſiti*; Secundo, quia non ſolum plures, ſed etiam unus duntaxat apud Depoſitarium deponere poteſt; Apud Sequeſtrem autem non niſi plures, *l. Propriæ* 6. *l. Licet* 57. *in princip. ff. Depoſiti*; Tertio, quia illi, qui rem communem depoſitam deponunt, non ſinguli eam in ſolidum, ſed pro ſua quiſque parte, quam in re habet, deponere cenſetur, *l.* 1. §. *Sed ſi duo & cit. l. Licet*, *ff. Depoſiti*; Qui autem apud ſequeſtrem rem litigioſam deponunt, ſinguli in ſolidum deponunt, non pro parte, *cit. l. Licet* 17. *ff. Depoſiti*. Quarto, quia in depoſito, quoties libuerit, res repeti poteſt; in ſequeſtro autem non niſi poſt deciſam controverſiam, *arg. cit. l. Sequeſter* 110. *ff. de verb. ſignific.*

Sequeſtratio, ſeu ſequeſtrum eſt duplex, ſcilicet ſeque- 4
ſtrum voluntarium, ſeu conventionale, & ſequeſtrum neceſſarium, ſive Judiciale. *Communis*. Sequeſtrum *volunta-* 5
*rium*, ſeu *conventionale*, eſt illud, quod fit mutuo partium conſenſu, cum videlicet partes de re aliqua litigantes, rem illam mutuo conſenſu deponunt apud tertium, ſive ſequeſtrem, ut eam interim cuſtodiat, & poſtmodum tradat vincenti. Et dicitur *voluntarium*, ſeu *conventionale*, quia illud faciunt, non coacte, ſed propria ſua voluntate, & mutua conventione. Sequeſtrum *neceſſarium*, ſeu *Judiciale* eſt illud, quod fit auctoritate, ſive mandato Judicis utraque parte invita, vel certe alterutra; Fit hoc dupliciter, vel motu proprio, & ex Officio, vel ad inſtantiam, ut plerumque fieri ſolet, unius partis litigantis, altera contradicente, ut quando Actor petit ſequeſtrari Rem litigioſam, Reo contradicente. Et dicitur *neceſſarium*, ſive *Judiciale*, quia fit auctoritate Judicis, invita utraque, vel ſaltem alterutra parte, & partes ipſæ litigantes neceſſe habent ſtare tali ſequeſtro, eidemque plene obtemperare. *Communis*.

Sequeſtrari poſſunt res mobiles, & immobiles, res cor- 7
porales, & incorporales, ſeu Jura, res profanæ, & ſpirituales, Card. Tuſchus verb. *Sequeſter*, *concluſ.* 101. *nu.* 6. Barboſa *ad Rubric. tit.* 17. *de ſequeſtrat. num.* 7. Pirhing *l.* 2. *Decret. tit.* 17. *num.* 4. Reiff. *ibid. n.* 4. & alii paſſim.

Sequeſtratio, ſeu ſequeſtrum voluntarium regulariter eſt 8
permiſſum, quia eſt quædam ſpecies Depoſiti & conſequenter eſt legitimus contractus, *cit. l. Licet*, *ff. Depoſiti*. Unde Gailus *lib.* 1. *Practic. Obſerv.* 148. *num.* 7. expreſſe dicit, quod ſequeſtratio, quæ fit ex voluntate, & mutuo conſenſu partium ſemper licita ſit, *l. Si ſoluturus* 39. *ff. de ſolutionibus*, *l. Proprie* 6. *ff. Depoſiti*, *l. intereſſe puto* 39. *ff. de acquir. poſſeſſ.*

Quamvis autem talis ſequeſtratio ab initio ſit voluntaria, 9
ſicuti ceteri contarctus approbati, *l. Sicut* 5. *Cod. de actionibus*, *& obligationibus*; Tamen poſt factam conventionem inter partes, non licet ipſis partibus contrahentibus ab ea recedere, juxta illud vulgatum: *Quod a principio eſt voluntatis*, *ex poſt facto fit neceſſitatis*, per notabilem textum *in cit. l. Sicut initio* 5 *Cod. de obligation.*, *& actionibus*, Item
ob eamdem rationem neque ipſi ſequeſtri recipienti rem in 10
cuſtodiam licet ſua ſponte a tali Officio recedere, niſi juſta de cauſa, & interveniente auctoritate Judicis; *l. Et apud quem* 5. §. *ſi velit*, *ff. Depoſiti*, & ibi Bartolus *in Summario*, Joannes Monachus *in Regula Locupletari num.* 5. Jaſon *in l. Si fidejuſſor* 7. §. *Si ſatiſdatum num.* 4. *ff. Qui ſatisdare cogantur*, Pirhing *loco citato num.* 6. Reiffenſtuel *loco cit. n.* 7. *&* 8. & alii.

Sequeſtratio, ſeu ſequeſtrum neceſſarium regulariter eſt 11
prohibitum. *Communis* per text. *in l. Unic. Cod. de prohibita ſequeſtratione pecuniæ*, & concordat *cap. Ad hoc* 1. *de ſequeſtratione*, juncta Gloſſa *ibidem verb. Arbitrio*; Rota *part.* 10. *recent. deciſ.* 277. *num.* 14. Et ratio eſt, quia non eſt Judicium ab executione inchoandum, ſed requiritur, quod Actor de ſuo Jure doceat, & Reum ſuper debito convincat, *cit. leg. Unic. Cod. de prohibita ſequeſtratione pecuniæ*, Rota *part.* 1. *recent. deciſ.* 464. *num.* 2. *part.* 6. *deciſ.* 222. *num.* 2. Priuſquam enim Actor doceat de ſuo Jure, ſtat præſumptio favorabilis pro Reo; *l. ultim. Cod. de Rei vindicat.*, *& cap. Ex litteris*, *de probationibus*, adeoque non eſt turbandus in ſua poſſeſſione, ſeu ejus uſu per ſequeſtrationem auctoritate Judicis factam, cum lite pendente, nihil

nihil ſit innovandum, *cap. A memoria noſtra* 1. *& cap. Lau-*
*dabilem* 2. *Ut lite pendente nihil innovetur*, cum ſimilibus,
& expreſſe Gloſſa *in cap. Dilectus* 2. *de ſequeſtratione, verb.*
*Sequeſtrari*, citatis ad id variis Juribus.

12 Dicitur autem notanter, quod *ſequeſtratio, ſeu ſeque-*
*ſtrum neceſſarium regulariter eſt prohibitum*, quia ſunt plu-
res caſus in Jure expreſſi, in quibus licite poteſt fieri ſeque-
ſtratio neceſſaria, ſeu auctoritate, vel mandato Judicis.
Primo enim fieri poteſt ad inſtantiam alterius partis ſeque-
ſtratio auctoritate, ſeu mandato Judicis, quando Reus diſ-
ſipat fructus, quos conſervare tenetur, *cap. Dilectus* 2. *&*
*c. Ab eo* 3. *de ſequeſtratione*.

13 Secundo, fieri poteſt ſequeſtratio neceſſaria, nedum quan-
do Reus fructus, quos conſervare tenetur, actu diſſipat,
ſed etiam cum rationabiliter timetur, ne ipſos diſſipet, aut
dilapidet in futurum; *l. Imperatores*, §. *fin. ff. de appel.* jun-
ctis *cit. c. Dilectus* 2., *& cap. Ab eo* 3. *de ſequeſtratione*.

14 Tertio, ſequeſtratio neceſſaria fieri poteſt quando petitur
res mobilis, & Reus eſt ſuſpectus, quod cum ea fugiat, *l.*
*Si Fidejuſſor*, §. *Si ſatiſdatum*, *ff. Qui ſatiſdare cogantur*,
& concordat *l. Senatus conſulto* 16. juncta Gloſſa *ibid. verb.*
*Et deponatur*, *ff. de Offic. Præſidis*.

15 Quarto, ſequeſtratio neceſſaria fieri poteſt, quando quis
obligatus ad aliquid præſtandum, non præſtat, quamvis
ad id monitus, ut ſi Canonicus, vel alius Beneficiatus non
reſideat, nec inſerviat Eccleſiæ prout deberet; Tunc enim
poſſunt fructus Beneficii ſequeſtrari, donec cauſa ſit deciſa,
*arg. c. Pervenit* 28. *de appellat.*

16 Quinto, ſequeſtratio neceſſaria fieri poteſt in cauſis Be-
neficialibus, quando duo de Beneficio contendunt, & neu-
ter adhuc poſſidet. Tunc enim, lite pendente, poteſt ju-
dex fructus Beneficii ſequeſtrare, donec lis ſit deciſa, ne
alioquin una pars cum alterius præjudicio in Beneficium ſe
intrudat, *arg. l. Si quæ* 5. *ff. de Famil. Herciſcund.*, *& Clem.*
*unic. de ſequeſtration.*

17 Sexto, ſequeſtratio neceſſaria fieri poteſt, quando Reus
conventus eſt contumax; tunc enim res petita una cum
fructibus poteſt interim ſequeſtrari, cum Actor Jure ſuo
nondum oſtenſo in poſſeſſionem mitti non poſſit, ne vitium
intruſionis incurrat, *cap. Olim* 25. *de Reſcrip. cap. Ex litte-*
*ris* 2. *de dolo*, *& contumac. cap. unic. De eo qui mittit in poſ-*
*ſeſſ. in* 6.

18 Septimo, ſequeſtratio neceſſaria fieri poteſt, quando
periculum eſt, ne partes contendentes ad arma deveniant;
Tunc enim poteſt Judex ex nobili ſuo Officio rem contro-
verſam apud tertium ſequeſtrare, donec lis decidatur, cum
Judicis ſit impedire, ne ad arma, & rixas deveniant, quos
Juriſdictione ſua componere poteſt, *arg. l. Si cujus* 13. §. 3.
*ff. de Uſufruct.*, ibi: *Cur enim (inquit Julianus) ad arma,*
*& rixam procedere patiatur Prætor, quos poteſt Juriſdictione*
*ſua componere?* Et concordat *c. Cura* 1. *c. Significantibus* 2.
*de purgatione vulgari*.

19 Octavo, ſequeſtratio neceſſaria fieri poteſt quando Colo-
nus negat locationem, & contra Dominum ſuper Dominio
Prædii litigat; Tunc enim, niſi Colonus cautionem det de
reſtituendis fructibus ſi ſuccubuerit, poſſunt fructus illi ſe-
queſtrari, donec lis fuerit deciſa, *l. Litibus*, *Cod. de Agri-*
*colis*, *& Cenſibus*.

20 Nono, ſequeſtratio neceſſaria fieri poteſt, quando ma-
ritus vergit ad inopiam, vel periculum eſt, ne dotem di-
lapidet; Tunc enim ſequeſtrari poteſt ipſa dos, *l. Si cum*
*dotem* 22. §. *Si vero*, *ff. Soluto Matrimonio*, *C. Per veſtras*
7. *de donat. inter Vir.*, *& Uxor.*

21 Decimo, ſequeſtratio neceſſaria fieri poteſt, quando ti-
metur de ſævitia Viri, & non poteſt ſecuritati Uxori ſufficien-
ter caveri, *c. Literas* 13. *de reſtit. ſpoliator.*

22 Undecimo, ſequeſtratio neceſſaria fieri poteſt, quando
adeſt periculum, ſeu juſtus timor, ne ſponſæ, de cujus
Matrimonio contrahendo lis agitur, aliqua violentia infera-
tur; Tunc enim debet quodammodo ſequeſtrari, & in loco
tuto collocari, *Cap. Cum olim* 14. *de Sponſalib. cap. Cauſam*
*Matrimonii* 14. *de probationibus*.

23 Duodecimo, ſequeſtratio neceſſaria fieri poteſt, quando
ſervi conqueruntur de tyrannide Dominorum ſuorum, &
rationabiliter timetur, quod ob id Domini minis ſæviant in
illos; Tunc enim, lite pendente, poteſt, & debet Judex
illæſos conſervare, & ſi opus fuerit, ſequeſtrare, *arg. In-*
*ſtit. De his, qui ſui vel alieni Jur. ſunt*, §. *ſeu major*, *& l.*
1. §. *Quod autem*, *ff. de Offic. Præfecti Urbis*; Quod idem
ampliandum eſt ad Religioſos, qui conqueruntur de ſuis Su-
perioribus eos gravantibus, *arg. Cap. Olim* 26. *de accuſa-*
*tionibus*.

Remedium Juris ad evitandam ſequeſtrationem in ſupra 24
allegatis, & aliis caſibus regulariter eſt ſufficiens cautio, ſeu
ſatiſdatio de reſtituenda re litigioſa, vel fructibus ejus in
caſu, quo pars adverſa obtineat in cauſa victoriam, *l. Se-*
*natuſconſulto* 16. *de Officio Præſidis*, Et concordant *l. Satiſ-*
*datio* 1. *l. Si Fidejuſſor* 7. *ff. Qui ſatiſdare cogantur* cum ſi-
milibus, Rota *par.* 3. *rec. dec.* 381. *n.* 2.

Immo per ſufficientem, & idoneam cautionem, ſeu ſa- 25
tiſdationem tollitur etiam ſequeſtratio jam facta, dummodo
datus fuerit Fidejuſſor idoneus, *cit. l. Si Fidejuſſor* 7. §. *fi-*
*nal. ff. Qui ſatiſdare cogantur*, & notat Bartolus *ib. in Sum-*
*mario*, Rota *part.* 2. *rec. dec.* 654. *n.* 5.

Remedium apponendi ſequeſtrum rebus aſportatis in locis 26
immunibus, quo uſus fuit D. Nuncius, improbatur a Sacr.
Congregatione. *Sac. Congreg. Imm. in Taurinen.* 28. *Nov.* 1693.
*lib.* 2. *Decr. Paul. pag.* 208.

Judex Laicus non potuit relaxare Sequeſtrum contra bona 27
Eccleſiaſtici, & ideo Epiſcopus potuit procedere contra
eum ad declarationem Excommunicationis. *Sacra Congreg.*
*Immunitat. in Caſalen.* 25. *Aprilis* 1634. *ibi p.* 188.

Solus Judex concedens, non autem Partes obtinentes Se- 28
queſtrum contra fructus Bonorum Eccleſiaſticorum incidit in
Cenſuras in Bulla Cœnæ Domini. *Sac. Congregat. Immunit.*
*in Vercellen.* 25. *Nov.* 1636. *lib.* 3. *Decr. Paul. pag.* 18.

Non poſſunt per Regios ſequeſtrari, vel detineri fiſcales 29
redditus debiti Eccleſiis, & Eccleſiaſticis. *S. Cong. Immun.*
*in Sulmon.* 6. *Jun.* 1637. *ibi pag.* 35.

Nuncius curet removeri Sequeſtrum appoſitum a Regiis 30
Miniſtris ſuper bonis menſæ Epiſcopalis, alias Civitas ſubji-
ciatur Interdicto. *Sac. Cong. Imm. in Militen.* 19. *Nov.* 1675.
*l.* 1. *Decr. Altov. pag.* 1172.

Judex Laicus, qui prævenit in ſequeſtrando frumentum 31
Laici debitoris reſpectu Eccleſiaſtici, licet deneget reſtitutio-
nem ipſius frumenti poſtea ſequeſtrati a Curia Epiſcopali, &
depoſitati penes ipſummet Judicem Laicum, non incurrit
Excommunicationem. *Sacra Congr. Immun. in Piſauren.* 4.
*April.* 1702. *lib.* 3. *Decret. Vallem. p.* 414.

Epiſcopus mandet ſequeſtrari res furatas pro indemnitate 32
viduæ, in quolibet loco immuni reperiantur. *Sacr. Congreg.*
*Immunit. in Viterbien.* 15. *Mart.* 1692. *lib. Decr. Grim.*
*pag.* 101.

*Novæ Additiones ex aliena manu.*

POſſunt etiam liberæ Perſonæ aliquando ſequeſtrari. Uxo- 1
res ſequeſtrantur ob Mariti inſignem violentiam, quæ 2
impedit quominus Uxor, quæ a Marito divertit, ipſi reſti-
tuatur; *cap.* 8. & *cap.* 13. *in fin. de Reſtit. Spol.* Cognoſcen-
dum vero ſummatim de ipſa violentia, eaque incontinenti 3
demonſtranda tanta eſſe debet, ut habitare cum Marito ne-
queat ſine probabili periculo vitæ; Confer *Coccejum in diſ-*
*ſert. de ſequeſtr. Foemin. cap.* 5. §. 4. Et quod hic notare opor 4
tet; haud attenditur, an ipſa Uxor cauſam violentiæ præſti-
terit, dummodo periculum vitæ ipſi immineat; *Nicolai de*
*divort. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 75.
Quid autem ſi Maritus offerat cautionem de non offenden- 5
do, an non tunc ipſa ſit reſtituenda, & ſequeſtrum relaxan-
dum? Perpenſis circumſtantiis res decidi debet. Porro ſi
inſidiæ vitæ ſtructæ probabiliter oſtenſæ fuerint, vix eſt ut 6
lubrico cautionis Mulier ſe committere interim teneatur,
quippe quæ malevolum animum haud mutat; *Coccejus cit.*
*loc.* §. 4. *Nicolai pariter eodem loco num.* 58. Neque diſtin- 7
guitur utrum Uxor adhuc Juvenis, an vero provectæ ætatis 8
fuerit. In tali vero loco ſequeſtranda, ubi Vir nullam Mu-
lieri poſſit inferre violentiam; *cap.* 8. *de Reſtit. Spoliat.* Et 9
Monaſterium potiſſimum Locus ſequeſtri eſſe ſolet *cap.* 14.
*de Probat.* Et ſumptibus Mariti alenda eſt. *Coccei citat. loc.* 10
*in fine*.
De ſequeſtratione Uxorum prægnantium, quæ olim potiſ- 11
ſimum in uſu erat, vide *Bohemer. in decretal. lib.* 2. *tit.* 17.
§. 7.
Puellæ quoque interdum ſequeſtrari ſolent, ſi de ſponſa- 12
libus agatur, & metuatur ne vis ipſis inferatur, & impedia-
tur quominus liberum poſſint edere conſenſum; quo caſu
juxta *cap.* 4. *de Sponſal.* in domo, in qua nihil eas timere
oporteat, ſequeſtrandæ ſunt, donec de principali cauſa co-
gnitum



13 gnitum fuerit. Neque enim Parentes Puellas cogere poſ-
ſunt ad matrimonium contrahendum, ad quod præcavendum
ſequeſtrum neceſſarium eſt; *Coccei loc. citat. cap* 2. §. 5.
*Cardinal de Luc. ad Concil. Tridentin. diſcurſ.* 26. *num.* 40.,
*& ſequent.*
14 Sequeſtranda etiam eſt Puella, ſi ſponſus eam injuſte
detinet, ut libere reclamare, & voluntatem ſuam decla-
rare non poſſit, vel ſi a Conſanguineis eſt circumſepta,
ut libertas voluntatis deficere videatur; *Cothmann. vol.* 1.
*Reſponſ.* 1. *n.* 437. *Cluden. de ſequeſtr. cap.* 8. *caſ.* 7., *& ſeq.*
*Reuſner. lib.* 1. *deciſ.* 3. *fere per tot.*
15 Si duo contendunt de ſponſa, quam uterque contendit
ſibi matrimonio jungi debere, lite pendente ſequeſtranda
itidem eſt Puella, ne forte in præjudicium ejus, qui po-
tentius jus habet, alterum admittat; *Gonzal. ad cit. cap.* 14.
16 *in fin. de Sponſal.* Quod tunc potiſſimum obtinere debet, ſi
Puella orbata eſt Parentibus, ſub quorum cuſtodia vivere
17 poſſet. Alioquin Parentibus potius relinquenda, ſub graviſ-
ſimo interdicto ne alterutrum ex Procis ad Puellam accede-
re permittant; *cap.* 4. *de Spon. duor. Coccejus cit. loc. cap.* 2.
§. 2. *Carpzov. Juriſprud. Conſiſtor. lib.* 3. *defin.* 32. Multum
18 tamen Judicis arbitrio relinquendum eſt. Quid enim ſi Actor
19 oſtendat Parentes alteri Proco plus favere? Quid ſi mon-
ſtret, ipſos Parentes, præſertim Matrem præpotentem in
cauſa eſſe, quominus ſponſalia legitime contractu conſum-
mentur?
20 Denique ſi agatur de ſtatu Puellæ, quæ ſe Virginem eſ-
ſe adhuc aſſerit, quum jam ab altero cognita eſſe perhibe-
tur, ſequeſtrum decernitur, *cap.* 14. *de Teſtibus*.

## SERVITUS.

1 SErvitutis nomen dupliciter accipitur a Juriſtis; Primo
nempe pro ſubjectione, ſeu obligatione, qua res, ſeu
perſona unius eſt obligata alteri, ut ipſi quodammodo ſer-
viat, & in hoc ſenſu Mancipia dicuntur premi ſervitute.
Secundo autem modo accipitur pro Jure illo, quod ex par-
te alterius correſpondet dictæ obligationi, & in hac poſte-
riori acceptione Juriſperiti frequentius ſumunt ſervitutem,
uti nos in præſenti, nempe pro Jure fruendi, vel utendi
aliquo modo re aliena, vel aliquid circa eam impe-
diendi.
2 Servitus ut ſic eſt Jus, quo adimitur aliquid libertati, quam
Dominus in re ſua habet, & id conceditur perſonæ, vel rei
alienæ; *Eſt in re communis*, & deſumitur *ex l. Quoties ff.*
*De ſervitutibus*.
3 Servitus ut ſic dividitur in ſervitutem perſonalem, realem,
& mixtam. Servitus perſonalis, quæ debetur a perſona per-
ſonæ, eſt conſtitutio Juris gentium, qua quis dominio alie-
no contra naturam ſubjicitur; Sic expreſſe *in* §. *Servitus In-*
*ſtit. de jure perſonar.* ubi nota quod ponitur ly *contra naturam*,
quia, ut docent communiter Doctores cum Scoto *in* 4. *diſt.*
46. *quæſt. unicà*, quantum eſt de Jure naturæ omnes homi-
nes naſcerentur liberi.
4 Servitus realis, quæ debetur a re rei, eſt quoddam Jus
prædio inhærens, & ipſius utilitatem reſpiciens, & alterius
prædii Jus, ſive libertatem diminuens; Sic expreſſe Barto-
lus *in l.* 1. *ff. de ſervitutib.* ubi nota, quod nomine *Prædii*
intelliguntur etiam agri, vineæ, domus, aliæque res ſervi-
tuti obnoxiæ.
5 Servitus mixta, quæ debetur a re perſonæ, eſt Jus quod-
dam, quod habet perſona aliqua utendi, fruendique rebus
alienis, ut cum prædium alicujus ſervitutem debet alienis
perſonis; Rota *part.* 1. *deciſ.* 199. *num.* 2. *part.* 3. *deciſ.* 239.
*numer.* 1.
6 Servitus realis, alia eſt urbana, & alia ruſtica. Servitus
realis *urbana* eſt illa, quæ debetur prædio urbano, ſive ab ur-
bano, ſive a ruſtico prædio debeatur; Dummodo urbano ſer-
viat. Pro dignoſcenda enim qualitate ſervitutis realis inſpi-
ciendum eſt prædium, cui ea debetur, ut ejuſdem conditio-
nis ſit & ſervitus; Unde ſervitus realis erit ſemper urbana, ſi
prædium, cui debetur ſervitus, ſit urbanum, quamvis a
prædio ruſtico debeatur, ſervitus autem realis *ruſtica* eſt illa,
quæ debetur prædio ruſtico. Patet id ex tot. *tit. Inſtitut. &*
*ff. de ſervitutibus Prædiorum urbanorum*, *& ruſticorum*.
7 Nomine prædii Urbani in Jure venit omne ædificium habi-
tandi gratia factum, ſive ruri, ſive in Urbe exiſtat una cum
horto ipſi cauſa amænitatis annexo, *leg. Urbana* 198 *ff. de*
*verb. ſignif.* ibi: *Urbana prædia omnia ædificia accipimus, non*
*ſolum ea quæ ſunt in Oppidis, ſed & ſi forte ſtabula ſunt, vel*
*alia meritoria in villis, & in vicis, vel ſi Prætoria voluptati*
*tantum deſervientia, quia urbanum prædium, non locus facit,*
*ſed materia; proinde hortos quoque ſi qui ſint in ædificiis con*
*ſtituti, dicendum ſit urbanorum appellatione contineri.* Et con-
cordat §. *Prædium*; *Inſtit. de ſervitutib.* Nomine autem præ-
dii ruſtici venit id, quod colligendorum, vel percipiendorum
cauſa fructuum factum eſt, ut ſtabulum horreum, ager, & hu-
juſmodi, quæ non habitandi gratia erecta ſunt, ſimulque ab ædi-
ficiis urbanorum prædiorum ſeparata: *leg. Eo Jure utimur* 4.
*ff. In quibus cauſis pignus &c.* ibi: *Stabula, quæ non ſunt in*
*continentibus ædificiis, quorum prædiorum ea numero habenda*
*ſint, dubitari poteſt.* Et quidem urbanorum ſine dubio non ſunt,
cum a ceteris ædificiis ſeparata ſint. Et concordat *citat. leg.*
*Urbana* 198. *ff. de verb. ſignific.* ibi: *Plane ſi plurimum horti in*
*reditu ſunt, vinearii forte, vel etiam olitorii, magis hæc non*
*ſunt urbana*.
Prædium, cui ſervitus debetur, vocatur *Dominans*. Alte- 8
rum autem prædium quod patitur ſervitutem, appellatur *Ser-*
*viens*. Sic communiter apud Juriſtas, & Rota *part.* 3. *rec. dec.*
239. *n.* 7. *&* 11.
Servitus realis urbana adhuc eſt duplex, nempe affirmativa, 9
& negativa. Servitus affirmativa eſt illa, quæ exprimitur ver-
bis affirmativis. Negativa e contra eſt illa, quæ exprimitur
verbis negativis. *Communis*.
Servitutes urbanæ tum affirmativæ, tum negativæ plures 10
ſunt, de quibus §. *Prædiorum* 1. *Inſtitut. de ſervitutibus*, *leg.*
*Si intercedat* 1. *leg. Urbanorum* 2. *leg. Eſt & hæc* 3. *leg. Lumi-*
*num* 4. *leg. Inter ſervitutes* 15. *leg. Lumen* 16. *leg. Si arborem*
17. *leg. Fiſtulam* 19. *leg. Servitutes* 10. *leg. Si Domus* 21. cum
aliis ſimibus. *ff. de ſervitutibus Prædiorum urbanorum*, *l. Altius*
8. *leg. Si in Ædibus* 9. cum ſimilibus, *Cod. de ſervitutibus &*
*aqua*, atque per ordinem referuntur *in Arbore ſervitutum, quæ*
*eſt præfixa lib.* 8. *ff. tit.* 2. *de ſervitutibus*.
Et inter ſervitutes urbanas affirmativas ſignanter connume- 11
ratur *Servitus ſtillicidium avertendi*, ideſt Jus derivandi ſtil-
licidium Domus ſuæ in Domum, vel aream vicini. Item
*ſervitus projiciendi*, ideſt Jus, quo quis ex fundo ſuo urbano
in ſolum vicini aquam, aut fimum aut quiſquilias ei projicere
licet. Item *ſervitus tignum immittendi*, & eſt Jus, quo quis ti-
gnum ideſt trabem ſuper parietem ſui vicini immittere poteſt.
Item *ſervitus protegendi*, & eſt Jus, quo alicui licet ædes ſuas
protendere in ſolum vicinum, & ſic in aream projicere, ac
porrigere mœnianis ſubgrundis, vel penſilibus ambulariis, ut
tamen in vicino ſolo vel pariete non inſideant, nec conquieſ-
cant, *Protegere* enim eſt tectum projicere, *Mæniana* autem
ſunt quædam exterius porrecta ædificia; & *ſubgrundia* pars
tecti ultra ſtructuram ædium projecta, & præeminens. Item
*ſervitus proſpectus*, *ſervitus luminum*, *ſervitus altius tollendi*,
& hujuſmodi, de quibus late *in tit. Inſtitut. ff. & Cod. de ſer-*
*vitutibus &c.* & ſignanter *in Legibus ſupracitatis* præcipue *in*
*leg. Urbanorum* 2. *ff. de ſervitutibus prædiorum Urbanorum* ibi:
„ Urbanorum prædiorum Jura talia ſunt. Altius tollendi &
„ officiendi luminibus vicini . . . . Item ſtillicidium avertendi
„ in tectum, vel aream vicini . . . . Item immittendi tigna
„ in parietem vicini, & denique projiciendi, protegendive,
„ ceteraque illis ſimilia.
Inter ſervitutes urbanas negativas ſignanter connumeratur 12
*Servitus Stillicidium non avertendi*, & eſt Jus, quod quis ha-
bet, ne vicinus ſtillicidium ſuum in domum, vel aream ipſius
derivet, ſeu faciat cadere, *leg. Urbanor.* 2. ff. *de ſervitutib*
*prædior. urbanor.* Item *ſervitus ne luminibus officiatur*, & eſt
Jus, quod quis habet, ne alter lumina ſua per ædificationem
ædium, vel plantationem arborum auferat, aut obſcuriora red-
dat *l. Luminum* 3. *& leg. Inter ſervitutes* 15. ff. *de ſervitut.*
*prædior. Urbanor.* Item *ſervitus ne proſpectui officiatur*, & eſt
Jus, quod quis habet, ne quid ei officiatur ad gratiorem, & libe-
riorem proſpectum, *leg. Inter ſervitutes* 15. ff. *de ſervitut.*
*prædior. urbanor.* Item *ſervitus altius non tollendi*, & eſt Jus
quo quis poteſt inhibere vicino ne altius ædificium extollat,
*citat. leg.* Urbanor. 2. ff. *de Servitut. prædior. Urbanor. l. Al-*
*tius*, *de ſervitutibus*, *& aqua*, *l. Si in ædibus* 9. *Cod. eod.*
Servitus realis ruſtica etiam eſt duplex, ſcilicet nominata, & 13
innominata. Servitus *ruſtica nominata* eſt illa, quæ nomen
habet a Jure impoſitum, & hujus ſunt quatuor ſpecies, nempe
Iter, Actus, Via, & Aquæductus, textu expreſſo *in l. Ser-*
*vitutes ruſticorum* 1. ff. *de ſervitut. prædior. ruſticor.* ibi: *Ser-*
*vitutes ruſticorum prædiorum ſunt hæ Iter, Actus, Via Aquæ-*
*ductus*, & concordat §. *Ruſticorum*, *Inſtitut. de ſervitut.* ibi:
Ru-

„ Ruſticorum prędiorum Jura ſunt hæc, Iter, Actus, Via, „ Aquæductus.

14 *Iter* eſt Jus eundi, ambulandi hominem, non etiam jumentum agendi, aut vehiculum, textu expreſſo *in citat.* §. *Ruſticorum*, *Inſtit. de ſervit. & citat. leg. Servitutes ruſticorum* 1. ff. *de ſervit. prædior. ruſticor.* Id autem, quod dicitur de jumento, intelligendum eſt ſolum de jumento ſeparato ab ipſo homine; Nam qui habet Jus itineris, poteſt etiam ſuper equum ſedens, vel lectica portatus incedere; *l. Qui ſella 7. & l. Inter actum 12. ff. de ſervit. prædiorum ruſticorum*.

15 *Actus* eſt Jus eundi ambulandi hominem, agendi jumentum, vel vehiculum. Itaque qui habet Iter, Actum non habet, qui autem habet Actum, habet etiam Iter, eoque uti poteſt etiam ſine jumento, textu expreſſo *in cit.* §. *Ruſticorum, & cit. l. Servitutes ruſticorum*.

16 *Via* eſt Jus eundi, & agendi, & ambulandi. Via enim continet in ſe Iter, & Actum, & inſuper Jus trahendi tignum, ſeu trabem, aut ſaxum, & rectam haſtam ferendi; *cit.* §. *Ruſticorum, & l. Servitutes Ruſticorum*. juncta Gloſſa *ibid. verb. Continet*, & concordat *l. Qui ſella 7. ff. eod.*

17 *Aquæductus* eſt Jus ducendi aquam per fundum alienum, textu expreſſo *in cit.* §. *Ruſticorum, & cit. leg. Servitutes ruſticorum*, ibi: *Aquæductus eſt Jus aquæ ducendæ per fundum alienum*.

18 Servitus *ruſtica innominata* eſt illa, quæ non a Jure nomen habet impoſitum, ſed ab actu denominatur, & hæc etiam eſt multiplex. Prima dicitur *Aquæ hauſtus*, & eſt Jus hauriendæ aquæ de puteo vicini; §. *Inter ruſticorum 2. inſtit. de ſervitutib. prædiorum, l. Servitutes* 1. §. 1. ff. *de Servitutibus prædior. ruſticorum* Item *pecoris ad aquam adpulſus*, & eſt Jus adpellendi ad aquam pecora per fundum vicini *cit.* §. *Inter ruſticorum, & cit. l. Servitutes*. Item *Jus paſcendi*, & eſt Jus, quo in alieno paſcuo licet paſcere boves, pecus, & equos prædii proprii cauſa, *cit.* §. *Inter ruſticorum, & cit. l. Servitutes 1. cum ſequentibus*, ff. *De ſervitutibus prædior. ruſticor.* Item *calcis coquendæ*, & eſt Jus; quo quis in fundo vicini ad utilitatem proprii prædii ruſtici poteſt coquere calcem, *citat.* §. *Inter ruſticorum, & cit. leg. Servitutes*. Item *Arenæ fodiendæ* & eſt Jus, quo quis poteſt ex vicini fundo Arenam, cretam, ſeu lapides effodere ad proprii ruſtici prædii utilitatem, *citat.* §. *Inter ruſticorum, & cit. l. Servitutes*, & ſic de ſimilibus.

19 Servitus realis dividitur inſuper in continuam, quaſi conti-
20 nuam, & diſcontinuam. *Communis. Servitus realis continua* eſt illa cujus & cauſa, & uſus perpetuo durat, vel actu, vel potentia circa continuam hominis operam, ut Servitus aquæductus, tigni immittendi, lumen, & proſpectum habendi, &
21 hujuſmodi. *Communis. Servitus quaſi continua* eſt illa, cujus uſus perpetuo durat poteſtate quidem, ſed non actu, ut ſervitus ſtillicidii, ſervitus Arenæ fodiendæ, calcis coquendæ, &
22 hujuſmodi. *Communis. Servitus diſcontinua* eſt illa, cujus uſus eſt in hominis actione, quæ, cum aſſidua non ſit, nec eſſe poſſit diſcontinua dicitur; ut Iter, Actus, Aquæ hauſtus, & hujuſmodi. *Communis*.

23 Servitus mixta eſt triplex, nempe Uſusfructus, Uſus, &
24 Habitatio. *Communis. Uſusfructus* eſt Jus alienis rebus utendi, fruendi, ſalva earum ſubſtantia. *Communis*, textu expreſſo §. *Uſusfructus, Inſtit. de Uſufructu*, ibi: *Uſusfructus eſt jus alienis rebus utendi, fruendis, ſalva rerum ſubſtantia*.

25 *Uſus* eſt jus utendi tantum rebus alienis ſalva earum ſubſtantia. *Communis* per text. *in* §. 1. *Inſtitut. de Uſu, & Habitatione, & in l. Cui uſus 2. ff. eod.*

26 Unde minus Iuris eſt in Uſu, quam in Uſufructu & cui uſus alicujus rei legatus eſt, uti quidem poteſt, frui vero eadem non poteſt. *Communis*, textu expreſſo *in citat.* §. 2. *Inſtitut. de uſu, & habitat.* ibi: „ Minus autem Juris eſt in uſu, quam in „ Uſufructu. Nam is, qui fundi nudum habet uſum, nihil ulte„ rius habere intelligitur, quam ut oleribus, pomis, floribus, „ fœno, ſtramentis, & lignis ad uſum quotidianum utatur. „ In eoque fundo hactenus ei morari licet, ut neque Domino „ fundi moleſtus ſit, neque iis, per quos opera ruſtica fiunt, „ impedimento, neque ulli alii Jus, quod habet, aut locare, „ aut vendere, aut gratis concedere poteſt. Cum is, qui „ Uſumfructum habet, poſſit hæc omnia facere, & concordat *leg. Planum* 12. *ff. de uſu, & habitatione*, ubi varie illud exemplificatur, & ſignanter de illo, cui uſus pecorum relictus eſt, qui poteſt quidem pecoribus uti ad ſtercorandum, & hujuſmodi; At non poteſt pecorum fœtus, vel lanam, aut lac, niſi in modica quantitate, & quatenus ad victum quotidianum opus habet, *ibi* §. 2. „ Sed ſi pecoris ei uſus relictus eſt, puta gregis „ ovilis ad ſtercorandum uſurum dumtaxat, Labeo ait: ſed „ neque lana, neque agnis, neque lacte uſurum hæc enim „ magis in fructu eſſe. Hoc amplius etiam modico lacte „ uſurum puto, neque enim tam ſtricte interpretandæ ſunt „ voluntates defunctorum „. Et ſic de aliis conſimilibus, ut *ibi in citat. l. Planum* videre eſt.

Habitatio eſt Jus alienas ædes inhabitandi, eaſque etiam 27
commodandi, & locandi. *Communis*, per text. *in* §. *Sed ſi cui 5. Inſtitut. de Uſu, & Habitatione*, ibi: „ Sed ſi cui habitatio le„ gata, ſive aliquo modo conſtituta ſit neque uſus videtur, „ neque uſusfructus, ſed quaſi proprium aliquod Jus, quam„ quam habitationem habentibus propter rerum utilitatem ſe„ cundum Marcelli ſententiam noſtra deciſione promulgata „ permiſimus non ſolum in ea degere ſed etiam aliis locare.

Servitutem allegans tenetur eam probare. Rota *part.* 14. *re-* 28
*cent. deciſ.* 416. *num.* 2. *part.* 18. *tom.* 2. *deciſ.* 697. *num.* 3. Et quidem plene, & concludenter. Rota *part.* 5. *tom.* 2. *deciſ.* 588. *num.* 7. *deciſ.* 590. *num.* 1. *part.* 14. *deciſ.* 398. *num.* 1. Nec ſufficit quaſi poſſeſſio. Rota *part.* 4. *tom.* 2. *deciſ.* 101. *num.* 2. *part.* 17. *deciſ.* 31. *num.* 14. Et quidem probare debet eam acquiſiviſſe, vel ex pacto, vel ex teſtamento vel ex præſcriptione. Rota *part.* 4. *tom.* 2. *dec.* 101. *n.* 3. *part.* 14. *dec.* 398. *n.* 3. & *dec.* 416. *n.* 3.

Quodnam tempus requiratur ad præſcribendam ſervitutem, 29
ſive perſonalem ſive realem tam affirmativam, quam negativam, tam ruſticam quam urbanam continuam, quaſi continuam, & diſcontinuam ſive mixtam? Vide verb. *Præſcriptio* §. V. *a n.* 24. *ad* 29.

In ſervitutibus affirmativis poſſeſſio acquiritur facto; *leg.* 30
*Si quis* 1. *leg. Si aquam* 2. *Cod. de ſervitut. & aqua*, Gratian. *tom.* 1. *diſceptat.* 89. *n.* 19. Panimoll. *deciſ.* 24. *adnot.* 1. *num.* 1.
& alii paſſim. In ſervitutibus autem negativis acquiritur per 31
prohibitionem, ne aliquid fiat, & acquieſcentiam prohibiti, *l. Sequitur* §. *Si viam, ff. de uſucap. l. Qui luminibus ff. de ſervitutib. urban. prædior.* Bald. *in l.* 2. *num.* 54. *vers. Sed quæritur: An per obedientiam ibi, & hoc verum, Cod. de ſervitut. & aqua*, Panimoll. *l. c. n.* 2. Gratian. *l. c. n.* 18. 19. & 20. Burat. *dec.* 38. *n.* 4. & alii.

Hinc Dominus allegans præſcriptionem in ſervitutibus ne- 32
gativis adverſus ſubditos, tenetur probare prohibitionem, patientiam & obedientiam Gratian. *diſceptat.* 564. *n.* 54. Afflict. *decis.* 383. *num.* 10. Theſaur. *decis.* 16. *num.* 8. Aym. *conſil.* 861. *num.* 6. Ferentill. *in addition. ad Burat. decis.* 38. *num.* 3. Pani-
moll. *l.c. num.* 3. & alii. Unde in ſervitutibus negativis non 33
incipit currere præſcriptio niſi a die prohibitionis. Gloſſa celebris communiter recepta *in leg. Qui luminibus*, ff. *de ſervitutib. urbanor. prædior.* Rota *part.* 5. *tom.* 2. *recent. dec.* 265. *num.* 36. *part.* 7. *decis.* 253. *n.* 59. Ripa *in cap. Cum Eccleſia Sutrina num.* 50. *de caus. poſſeſſ. & propriet.* Burat. *dec.* 38. *nu.* 4. Panimoll. *l. c. n.* 6. & alii paſſim.

In materia ſervitutum conventiones ſunt ſervandæ. Rota
*part.* 4. *tom.* 1. *dec.* 250. *n.* 2. Quæ tamen debent eſſe claræ, & 34
expreſſæ. Rota *part.* 17. *recent. dec.* 152. *n.* 1.

Viæ, ſeu tranſitus ſervitus a partibus contrahentibus præſta-
ri debet. Rota *part.* 16. *recent. decis.* 402. *num.* 1. Prætendens 35
ſervitutem tranſitus debet probare tranſitum Jure ſervitutis 36
ſucceſſibile, cum potuerit eſſe Jure familiaritatis. Rota *part.* 14. *recent. dec.* 398. *n.* 5.

Ubi aliunde tranſitus haberi non poſſit, tenetur quis dare
tranſitum in ſuo fundo, loquendo de tranſitu publico, quia 37
nempe via publica ſit corrupta, ſeu perempta. Cardinal. de
Luca *de ſervitutib. disc.* 23. ſub *n.* 8. & *disc.* 94. *num.* 4. Lo- 38
quendo autem de tranſitu, ſeu uſu privato poteſt quidem quis tranſire per fundum vicini, ſi aliunde viam habere nequeat; At debet ſolvi pretii æſtimatio, & eſt in electione vicini dare tranſitum in parte ſibi beneviſa. Rota *part.* 4. *recent. tom.* 2. *decis.* 101. *numer.* 25. & 26. *part.* 14. *deciſ.* 398. *num.* 11.
& 12. Cardinal. de Luca *de ſervitut diſc.* 23. *ſub num.* 8. Ceſ- 39
ſat autem ſervitus hujuſmodi, ſi conſtet fuiſſe antiquitus pra-
cticatam aliam viam. Rota *part.* 4. *tom.* 2. *decis.* 101. *nu.* 27. 40
Et ſi id non conſtet, juſtificandum eſt uſum tranſitus fuiſſe jure ſervitutis credendo uti Jure ſuo ſciente, & patiente Domino fundi, quod in dubio non præſumitur. Card. de Luca *de Regalibus disc.* 136. *n.* 3. *de ſervitutibus disc.* 95. *n.* 3.

Servitus aquæ ducendæ, non ſolum ex capite, vel fonte, 41
ſed etiam ex quacumque parte fundi conſtitui poteſt. *Communis*, textu expreſſo *in l. Servitus Aquæ ducendæ* 9. ff. *de ſervitutib. prædior. ruſticor.* ibi: „ Servitus Aquæ ducendæ, vel „ hauriendæ, niſi ex capite, vel ex fonte conſtitui non poteſt. Hodie tamen ex quocumque loco conſtitui ſolet.

42 Et talis ſervitus aquæ ducendæ conſtitui poteſt, ſive per continuum fluxum, ſive per intervalla temporis, nempe pro certis diebus, & horis; *l. Ruſticorum* 2. §. *Si Aquæ ductus*, ff. *de ſervitutib. prædior. ruſticor. l. Si conſtituta*; *leg. Si is, cui in princip.* ff. *Quemadmodum ſervitus amittatur*, cum aliis
43 per Cepol. *de ſervitutib. n.* 52. Item talis ſervitus conſtitui poteſt, ut aqua dividatur per menſuras, ſcilicet per uncias, & digitos, *l. Cum eſſent* 33. *l. Cum Lucius* 37. *ff. de ſervitutib. præd. ruſt.*

44 Circa aquæ curſum tria ſunt ſpecialiter attendenda, ſcilicet Lex, ideſt pactum, natura, & vetuſtas, adeout Lex, ac natura alterari non debeat, & quando apparet de vetuſtate, & antiqua conſuetudine, illi omnino ſtandum ſit; *leg. Si cui aqua* 1. §. 1. §. 12. & §. 23. *ff. de aqua, & aquæ pluviæ arcendæ*, Bero *conſil.* 144. *n.* 39. *circa med. volum.* 3. & alii paſſim.

45 Hinc in præjudicium alterius non licet antiquum aquæ curſum alterare; *leg. Unica, verſ. Generaliter*, ff. *Ne quid in flumin. public. leg.* 1. §. *Non autem*, ff. *de flumin.* Rota *part.* 4. *tom.* 2. *recentior. deciſ.* 61. *num.* 2. Menochius *conſil.* 999. *nu.* 12. & alii paſſim.

46 Quamvis enim Dominus, per cujus fundum aqua ducitur, rivum, & canale mutare poſſit, juxta Gloſſam communiter receptam *in leg. Si cui, in ultim. Gloſſ.* ff. *de ſervitut.* Hoc tamen ſolum permittitur ad effectum, ut aqua per rivum novum ducatur ratione commodioris uſus ſui prædii, non autem ad effectum faciendi novum opus, & dummodo hujuſmodi mutatio non noceat habenti ſervitutem aquæ ducendæ, *l. Prætor ait* 1. *in princip.* ff. *de rivis*, Gloſſa *in leg. Si cui*, ff. *de ſervit.* cum aliis cumulatis per Bero *conſil.* 144. *n.* 20. *vol.* 3.

47 Aquæ ſervitus non acquiritur ex curſu naturali, ejuſque uſu, etiamſi per mille annos fluxerit in fundum inferiorem propter libertatem ex eodem naturali curſu conſervatam, cum res animæ expers, prout eſt in aqua, nullum Jus tribuere poſſit, niſi concurrat actus hominis ad text. *in leg. Proculus*, ff. *de damnis infectis*. Rota *part.* 4. *tom.* 2. *recent. deciſ.* 425. *n.* 3. & *ſequent.* & ſæpe alibi, Maſcard. *de probationib. concluſ.* 123. *num.* 14. Veronen. *de ſervit. aquæduct. num.* 57. *controverſ.* 310. *n.* 156. Marin. *Controvers.* 16. Cancer. *variar. reſolut. part.* 3. *c.* 4. *n.* 241. & alii paſſim.

48 Dominus fundi inferioris tenetur recipere aquam fundi ſuperioris, ſi agatur de ejus naturali fluxu, vel decurſu, quem ſitus qualitas cauſet abſque induſtria, & opere manufacto; In tali enim caſu Dominus fundi inferioris prohibere non poteſt, ne aqua pluvialis, vel alia fundi ſuperioris in eum decurrat; *leg. Si cui* 1. §. 10. 13. 22. ff. *de aqua, & aquæ pluviæ arcendæ, leg. Si Aquæductus* 47. ff. *de contrahend. emption.* Rota *part.* 14. *recentior. decis.* 461. *num.* 10. Surd. *conſil.* 17. *num.* 14. & 27. *conſil.* 23. *num.* 9. Cardinal. de Luca *de ſervitutibus*
49 *decis.* 93. *num.* 3. cum aliis ibi citatis. Si autem agatur de aquæ fluxu, ſeu decurſu proveniente ex hominum induſtria, & opere manufacto, Dominus fundi inferioris non tenetur recipere ſibi præjudicialem aquam fundi ſuperioris; *l. Si cui aqua* 1. §. 1. & 13. ff. *de aqua, & aquæ pluviæ arcendæ*. Sic Cardinal. de Luca *l. c. n.* 3. cum pluribus aliis ibi citatis, ubi ut ſupra conciliat Leges, quæ in hoc videntur eſſe contrariæ.

50 Servitus in Eccleſia cadit ſub Extravagant. *Ambitioſæ*. Cardinal. de Luca *de ſervitutib. disc.* 17. *per tot. de Alien. disc.* 18. *n.* 8. *de Præeminent. disc.* 26. *num.* 13. & alii communiter; adeoque neque ei ſervitus paſſiva imponi, nec activa alienari poteſt ſine Beneplacito Apoſtolico. Quaranta *in Summa Bullar. verb. Alienatio num.* 22. Corrad. *prax. diſpenſation. leg.* 9. *cap.* 4. *num.* 15. Monacell. *tom.* 1. *tit.* 5. *formul.* 15. *num.* 20. ubi refert, ſic expreſſe declaraſſe *Sacr. Congregat. Concil. in Albanen.* 21. *Junii* 1698. in qua agebatur de impoſitione ſervitutis immittendi tigna, & appodiandi ſuper muros Conventus PP. Minorum Conventualium.

51 Hinc ſervitus cryptæ, & aditus ſubterranei, ſervitus feneſtræ, ſeu proſpectus, ſervitus portæ, vel tranſitus a domibus privatorum in Eccleſias haberi non poteſt ſine ſpeciali indulto Apoſtolico. Vide verb. *Eccleſia art.* 5. verb. *Feneſtre*, verb. *Porta*, verb. *Proſpectus*, ubi aſſeruntur ad id Decreta.





*Novæ additiones ex aliena manu.*

SUfficere hic arbitramur, ſi aliqua addamus de ſervitutibus 1
realibus in genere.

Reales ſervitutes a Prædiis dominantibus dicuntur vel ur-
banæ, vel ruſticæ. Prædia autem dicuntur vel urbana, vel ruſti- 2
ca, ratione uſus, & deſtinationis.

Utilior eſt ſervitutum diſtinctio in affirmativas, quæ in patiendo, & negativas, quæ in non faciendo conſiſtunt. Illæ quaſi traditione acquiruntur, hæ nuda promiſſione. Illæ præſcribuntur ordinario modo, hæ vero requirunt prohibitionem alterius cum ſervientis acquieſcentia conjunctam.

Denique ex male intellecta *L.* 14. ff. *de Servit.* Doctores di- 3
ſtinxerunt continuas a diſcontinuis; illas dicentes, quarum uſus continuo adeſt: has vero, quæ non habent certum continuumque exercitium, & proinde has impræſcriptibiles dicunt, non illas.

In omni vero ſervitute reali quatuor neceſſaria ſunt I. Le- 4
gitima conſtitutio a parte Concedentis. II. Legitima acquiſitio reſpectu Acquirentis. III. Duo eaque vicina prædia, quorum alterum alteri præſtet utilitatem. His addunt IV. cauſam perpetuam.

Quod ad primum attinet, conſtituitur aliquando ſervitus a 5
Judice *L.* 22. §. 3. ff. *Famil. Erciſcund.* ut plurimum vero a 6
Privato. Hic ut legitime conſtituat ſervitutem debet habere dominium irrevocabile Prædii: Qui enim revocabile habet dominium, vix in ſui præjudicium ſervitutem conſtituere valet, Conf. *Stryk. in uſu modern. Pandect. lib.* 8. *tit.* 1. §. 10.
Tum habere debet dominium totius rei: Rei etenim communi 7
nec pro parte ſua imponere dominus poteſt ſervitutem; *l.* 2. ff. *de ſervit. l.* 6. §. 1. ff. *Commun. Præd.* Adi *Donell. Commen-*
*tar. jur. civil. lib.* 11. *cap.* 9. *lit. D. & ſequent.* & liberam de- 8
mum poteſtatem diſponendi habere debet. Fit inde, quod 9
Proprietarius non aliter quam cum conſenſu Uſufructuarii imponere ſervitutem poteſt Fundo uſufructuario, *per l.* 15. ff. *de Uſufruct.* ubi pro *Nequidem* legi debet *Equidem*, ut *l.* 6. *eod.* declarat *BynKershoek lib.* 1. *obſerv.* 11

Quod vero concernit ſecundum, de jure Romano tantum 10
quilibet ſibi ſervitutem acquirere poterat; *l.* 5. *C. Commun. Præd.* Sed aliter hodie. Vide *StryK. in uſu modern. Pandect. tit. Commun. Præd.* §. 5. *Schilter. exercit.* 18. §. 35.

Acquiritur ultima voluntate, adeoque ſtatim a morte Te- 11
ſtatoris tranſit; *L.* 19. §. 1. ff. *Quemadmodum ſervitut. amitt.* 12
Inter vivos per expreſſas conventiones accedente in affirmativis quaſi traditione ſeu patientia, & uſu vel inductione in prædium. Ipſo facto ſeu tacita voluntate non facile conſtituitur; *L.* 36. ff. *de Servit. Præd. Urban. l.* 1. ff. *de Servit. le-*
*gat.* Conſule *Hertium diſſert. de Servit. fact. conſtit.* niſi uſus 14
Rei legatæ forte inutilis; *l.* 30. ff. *de Servitut. Præd. Urban. l.* 7. *pr. l.* 10. *C. Commun. Præd.*

Acquiritur itidem præſcriptione; Si contra ipſum Domi- 15
num poſſidentem, ſine titulo Servitus exercetur, accedente ſcientia & patientia ejus; *l.* 1. *pr. Si ſervit. vindic. l.* 2. *C. de*
*Servit.* Tempus immemoriale olim vice tituli erat; *l.* 1. *in fin.* 16
*l.* 2. *princ.* §. 5. 6. & 7. *l.* 23. *in fin. l. fin.* ff. *de Aqua, & Aqua*
*Pluv. Arcend.* Jure novo ſufficit longiſſimi temporis præſcri- 17
ptio. Si a non Domino alteri conſtituta eſt bona fine acceden- 18
te, & titulo etiam 10. vel 20. annis acquiritur; *l.* 2. *in fin. C.*
*de Præſcript. longi tempor.* Sed in diſcontinuis, ut plurimum 19
immemoriale tempus hodie deſiderant, quod per errorem in quibuſdam Locis introductum; *StryK. in uſu modern. Pandect. tit. de Servit.* §. 6. *Muller. ad Struv. exerc.* 13. *theſ.* 39. *lit.* K.

Quoad tertium inter duo prædia deſideratur vicinia; *l.* 39. ff. 20
*de Servit. Præd. Urban. l.* 5. ff. *de ſerv. Præd. Ruſtic.* ut ut non 21
ſemper immediata eſſe debeat, niſi quam natura rei poſtulat; 21
*l. ultim.* ff. *de Servit. Præd. Ruſtic. l.* 1. *l.* 14. ff. *de ſervit. Præd. Urban. Franzk ad tit.* ff. *de ſervit. n.* 28. & *ſequent.* Adde *Donell. Commentar. jur. civil. lib.* 17. *cap.* 2.

Requiritur præterea, ut alterum alteri præſtet utilitatem, 22
quæ non tantum ex commodo, ſed etiam luxu Civitatum aucto ex amœnitate æſtimatur, ob quam etiam Vicini ſæpe intereſſe poteſt; *l.* 15. ff. *de ſervit. l.* 3. §. 1. ff. *de Aqu. quotid. &*
*æſtiv. Noodt lib.* 1. *Probabil. jur. cap.* 2. præſertim in locis, in 23
quibus voluptas in pretio eſt, in quibus meliorem prædiorum
cauſam faciat; *l.* 6. ff. *de serv. Præd. Ruſtic.* Id vero ubi non 24
fit, non eſt ſervitus realis; *l.* 8. *princip.* ff. *de ſervit.* Præſtat 25
autem utilitatem ordinarie omnibus fundi partibus; *l.* 23. §. 3.
ff. *de Serv. Prædior. Ruſtic.* Similiter ubi indefinite conceſſa 26

27 totus fundus ſervit; *l.21. eod.* Civiliter tamen alter ſervitute
28 uti debet; *l.9. ff. de ſervit.* Adeoque Legatarius audiendus ſi
hæres per certam partem fundi velit ſervitutem aſſignare; *L.*
29 *26. ff. de ſerv. Præd. Ruſtic.* Aliquando etiam per Arbitros
hæc res determinatur. Confer *Men. part.3. dec.372.*
30 Notandum vero, quod ita utilitas eſt præſtanda, ut alterum
prædium aliquid patiatur, aut non faciat; De jure enim Ro-
mano nulla in faciendo conſiſtit ſervitus; *l.15. in fin. ff. de*
31 *ſervit.* Promiſſio hæc operatur obligationem mere perſona-
lem, quę Tertium Poſſeſſorem non ſtringit; *l. final. in fin.* ff.
*de Controv. Empt.* Adi *Stryk. in uſu modern. Pandect. tit. de*
32 *Servit.* §.3. Num autem moribus ſervitus in faciendo conſiſte-
re queat, vide *Titium de Servit. in faciend. conſiſt.*
33 Reliquum eſt, ut de quarto diſſeramus. Requirunt ſervitu-
tes cauſam perpetuam, ſeu naturalem, *l.28.* ff. *de ſerv. Præd.*
34 *Urb.* quia ſervitutes natura ſua ſunt perpetuæ. Admiſſæ vero
fuerunt jure prætorio ex æquitate contra ſubtilem antiquorum
Juriſconſultorum Philoſophiam, ſeu contra jus civile, ſervi-
35 tutes temporales; *l.4.* ff. *de Servit.* Quin & hodiernis moribus
36 non amplius hoc quartum requiſitum in uſu eſt. Qua de cau-
ſa ſervitus Foraminis hodie datur; *Stryk. in uſu modern. tit.*
*de Servit. Pręd. Urban.* §.1.
37 Effectus conſtitutæ ſervitutis eſt a parte ſervientis prædii,
quod nihil poſſit facere in præjudicium dominantis; *l.14.* ff.
38 *de Serv. Præd. Ruſtic.* Omnia concedere debeat, ſine quibus
ſervitus exerceri nequit; *l.20.* §. 1. ff. *de Serv. Præd. Urban.*
39 A parte Dominantis, quod perpetuo poſſit ſervitute uti, niſi ad
40 tempus fuerit conſtituta; *l.4.* ff. *de ſerv.* non vero aliis rurſus
41 concedere; *l.44.* ff. *Locati*, aut ultra Prædii neceſſitatem
42 eam extendere; *l.24.* ff. *de ſerv. Præd. Ruſtic.* quatenus Præ-
43 dio ſervienti inde nocetur; *dict. l.24.* Pactis tamen plus conce-
di poteſt, quam ſervitutis ratio permittit; *l.33.* §.1. ff. *de ſerv.*
*Præd. Ruſtic. Noodt lib.1. Probabil. cap.31.*

## S I G I L L U M.

1 Sigillum pro annulo, & annulum pro ſigillo uſurpatum fuiſſe antiquitus ex Tacito, & aliis probat Cironius *ad Tit. De his, quæ fiunt a majori parte Capituli*, & patet etiam ex utroque Jure, ut *in cap. In nomine Patris 1. diſtinct. 73. & in l. Signatorius 74. ff. de verbor. ſignif. & l. Argumento 25. §. Ornamenta, ff. de auro, & argento legato.* Idque etiam docent plures alii Doctores cum Cardinale Petra *Comment. ad Conſtit. Apoſtol. §.3. Proœmialis n.48.*

2 Sigillorum uſus fuit antiquiſſimus penes Principes pro Juriſdictione communicanda ſubditis per annuli traditionem, ut patet *ex lib. Eſther cap.3.* ibi: „ Tulit ergo Rex annulum, „ quo utebatur, de manu ſua, & dedit eum Aman filio Ama- „ dathi de progenie Agag hoſti Judæorum, dixitque ad eum „ argentum, quod tu polliceris, tuum ſit, de populo age, „ quod tibi placet. *Et infra*: Litteræ ſignatæ ipſius annulo miſſæ ſunt per Curſores Regis ad univerſas Provincias. „ Et *ibidem cap.8.* expreſſe habetur: *Scribite ergo Judæis ſicut vobis placet ex Regis nomine ſignantes Litteras annulo meo.* Et *3. Reg. cap.21.* habetur, quod Jezabel Achabi Samariæ Regis uxor, Litteras, quibus Naboth injuſtæ morti tradi imperabat, Regio ſigillo obſignavit, ibi: *Scripſit itaque litteras ex nomine Achab, & ſignavit eas annulo ejus, & miſit ad majores natu, & optimates, qui erant in Civitate ejus.*

3 Immo uſque ab origine mundi hos annulos pro obſignando fuiſſe conſtat ex *Gen. cap.38.* ubi habetur, quod Judas Thamari annulum dederit pignoris, & fidei loco. Nam ſi vocem hebraicam attendamus, qua fuit uſus Moyſes *ibidem* quæ fuit *Cotam*, ſigillum ſignificat, & ob hoc a Moyſe fuit verbum illud uſurpatum, ut tenet Polyd. Virgil. *de inventor. rerum lib.8. cap.2.* relat. ab Eminen. Card. Petra *loc. citat. num.51.*

4 Sigilli nomen a parva ſtatua derivari putat Theſaur. *lib.2. q. forenſ.100. num.4. & ſeq.* ex eo quod parvæ ſtatuæ in ipſis ſigillis adhibebantur; At vero alii diminutivum nomen *a ſigno* derivari prætendunt, nam in cognitionem alterius, ſcilicet cujus eſt ſigillum deducit ex Gloſſ. *in l. Pediculis 34. ff. de auro, & argento legat.* Hoping *de Jure ſigillorum cap. 1. §.1. num.6.* Card. Petra *l. c. num. 47.* Unde ſigillum impræſentiarum accipitur pro imagine, qua ceræ impreſſa litteras obſignamus. Sicque in hac acceptione dicuntur *litteræ ſigillatæ* ideſt ſigillo appoſito clauſæ, obſignatæ, ſeu munitæ. Calepinus verb. *Sigillum.*

Sigillum igitur eſt ſignum, ſeu ſignaculum certis notis impreſſum, *l. Ad teſtium 22. §. Signum, ff. Qui teſtamenta facere poſſunt, l. Omnibus 1. §.2. l. Tabularum 2. §.4. ff. Teſtamenta quemadmodum aperiantur*, Hoping *cit. cap.1. §.3.* Card. Petra *l.c. n.75.* 5

Et ſigillum debet eſſe tale, ut deducat in notitiam ſigillan- 6
tis, *argum. l. Stigmata 3. Cod. de Fabricenſibus.* Et ſi conti- 7
neat imaginem, debet imago eſſe conformis Originali; alias ſi ſit valde difformis, redderetur ſcriptura ſuſpecta de falſo. Scaccia *de Judic. lib.1. cap.64. num.17.* Qua ratione Pontifex Innocentius III. arguit falſitatem privilegii, quia ſigillum non continebat figuram ſigillantis, *c. Inter dilectos 6. §. Sed contra privilegium, de fide inſtrum.* ibi: „ Unde non Epiſco- „ pi, ſed Imperatoris videbatur fuiſſe ſigillum, quod in una „ medietate Cæſaris imaginem exprimebat, & in altera me- „ dietate præſumebatur, vel filii, vel conjugis imaginem „ habuiſſe „. Gonzalez *ibidem*, Hoping *l.c. cap.8. §.1.* Borel. *lib.2. de Magiſtr. edict. cap.13. n.13.* Card. Petra *loc. cit. num.77.*

Sigillum dividitur in Authenticum, & non Authenticum. *Sigillum Authenticum* eſt quod multorum auctoritate comprobatum eſt, ſeu quod eſt certæ fidei; Illud enim vocabulum *Authenticum* ponitur pro re certæ fidei, ſeu quæ multorum auctoritate comprobata eſt, ut notant Spigelius, & Joannes Calvinus *in Lexico Juris verb. Authenticon. Sigillum non Authenticum* e contra eſt illud, quod non eſt certæ fidei, ſed ejus fides vacillat. Colligitur ex *cit. cap. Inter dilectos 6. de fide Inſtrum.* ubi Abbas *num. 4.* ex ipſo textu notat, quod quatuor ſunt, quibus redditur ſigillum vacillans, ac detrahitur ejus fidei. 8

Primo ſcilicet, quando ſigillum non congruit in ſculpturis Dignitati ſigillantis, non enim poteſt rationabiliter præſumi ſigillum eſſe illius, cui adſcribitur, ſi ſibi in imagine inſculpta non convenit, ut expreſſe declaratur *in citat. cap. Inter dilectos.* 9

Secundo quando litteræ ſigilli ſunt ita corroſæ, vel ſculpturæ ita conſumptæ, ut ex eis oriatur æquivocatio, nec aliter poſſit certificari ſigillum illum eſſe illius, cui adſcribitur, *cit. c. Inter dilectos.* 10

Tertio, quando ſigillum patitur ita enormem fracturam, ut ex reſiduo non poſſit clare cognoſci, cujus ſit. Sic colligitur *ex cit. c. Inter dilectos*, 11

Quarto, quando ſub ſigillo charta reperitur perforata, & per glutinum novæ ceræ ſigillum illud ipſi chartæ connexum, ut expreſſe habetur *in cit. cap. Inter dilectos*, & notant ibi Doctores paſſim. 12

Sigillum dividitur inſuper in publicum, & privatum. *Sigillum publicum* eſt illud, quod publica auctoritate nititur, quia nempe retinetur a perſonis publicis, v.gr. Principe, Magiſtratu, Epiſcopo, Capitulo, Judice, & hujuſmodi pro communicando robore ſcripturis ad ſuam juriſdictionem ſeu Officium pertinentibus, de quibus ſigillis loquuntur Doctores ad *c. Scripta vero authentica 2. de fide inſtrum.* & Gloſſa *ib. verb. Sigillum. Sigillum* autem *privatum* eſt illud, quod apponitur a perſona privata ad ſecretum ſervandum, & notionem ſcribentis excitandam. *Sic in re Communis.* 13

Sigillum probabilius non plene probat, nec plenam fidem facit ſine ſubſcriptione ſigillantis in teſtamentis ſcriptis, ſicut & in aliis caſibus, ubi agitur de magno præjudicio, aut de Jure, vel conſuetudine ſpecialiter requiritur ſubſcriptio. Covarruvias *pract. q. c.22. num.9.* Maſcardus *de probat. concluſ. 1309. num.7.* Reiff. *lib. 1. Decr. tit.22 num. 94.* Bartolus *in Proœmio, ff. nu.8 verſ. Item quæro, ſi eſt ſolum ſigillum &c.* allegans ad id *l. Ad teſtium §. Si quis ex teſtibus, ff. de Teſtam.* ubi dicitur: *Si quis ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſerit, veruntamen ſignaverit, pro eo eſt atque ſi adhibitus non eſt*, juncto Summario *ibidem* ex eodem Bartolo deſumpto, expreſſe dicente: *Requiritur ſignatio, & ſubſcriptio, & alterum ſine altero non valet.* Speculator *tit. de inſtrum. editione §. Inſtrumentum ergo publicum n.19 verſ. Item quod non eſt ſignatum*, Engel *lib.2. Decr. tit.22 n.18* & alii apud Maſcard. *l. c. n.6.* Si enim ſolo ſigillo plena fides præſtanda eſſet, facile fraus & dolus committi poſſet. 14

Oppoſita autem ſententia, quod nempe ſigillum, ubi de ipſo conſtat, probet, & fidem faciat abſque propria ſubſcriptione ſigillantis, niſi aliud legibus, vel conſuetudine conſtitutum fuerit, eſt vere probabilis, & eam expreſſe tenent Innocentius *in cap. Scripta 2. in fine de fide inſtrumentorum*, Menochius *lib.2 de Arbitr. Judic. caſ.113. num.5* Decius *in cap.* 15

Poſt

*Poſt ceſſionem n.31 de probat.* Covarruvias *l.c. n.9 circa finem*, & alii apud Maſcard. *cit. concl.1309 n.5 argum. cit. cap. Scripta 2. de fide inſtrum.*, ubi iſta duo æquiparantur, & alternative ſufficere dicuntur, nempe ſcripta per manum publicam facta, & ſcripta habentia ſigillum Authenticum, ibi: „ Niſi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareant „ publica, aut Authenticum ſigillum habuerint, per quod „ poſſint probari „. In alternativis autem ſufficit alterum adimpleri, textu expreſſo in *cap. In alternativis 70. de Reg. Juris*, ibi: *In alternativis .... ſufficit alterum adimpleri.* Et concordat *l. In eo 110. §.3 ff. de Regul. Jur.*, ibi: *Ubi verba conjuncta non ſunt, ſufficit alterum eſſe factum.*

16 Scripturæ ſeu Inſtrumenta, quæ habent ſigillum authenticum, ſeu publicum, plene probant, *cap. Scripta 2. de fide inſtrum.* ubi ſtatuitur, quod alicujus firmitatis robur non habeant inſtrumenta, ſi teſtes inſcripti deceſſerint, niſi per manum publicam facta fuerint, aut authenticum ſigillum habuerint, & tenent Gloſſa *ibid. verb. Authentica*: Abbas *in Summario*, Barboſ. *in Collectan. n. 1.* Reiffenſt. *l. c. num. 89.* Maſc. *citat. concluſ. 1309. numer. 1.* cum plurimis aliis ibi citatis.

17 Scripta autem ſigillo privato munita probant quidem, & valent in præjudicium illorum, qui ea ſcripſerunt; *l. Generaliter, Cod. de non numerat. pecun. l. Publia §. fin. ff. Depoſiti.* Non vero ad commodum eorum, niſi ab adverſario fuerint approbata, *cit. l. Publia §. final. ff. Depoſiti, l. Inſtrumenta domeſtica, Cod. de probat.* Gloſſ. *in c. Cap. Scripta 2. de fide inſtrum. verb. Authentica*, Bartolus *in Summario cit. l. Publia*, Reiffenſt. *l.c. num.90.* Maſcardus *cit. concluſ.1309. n.1. 4. & 40. ac ſeq.* & alii plures.

18 Teſtamenta, Privilegia, & hujuſmodi, in quibus ſigillum eſt de ſolemnitate, vel ſubſtantia actus, abſque dicto ſigillo non habent vim probandi. Menoch. *lib.2 de Arbitr. Judic. Cap.113. n.13.* Felin. *in Cap. Inter dilectos 6. n.5. de fide inſtrum.* Reiffenſt. *l.c. n.97.* & alii, per text. in *leg. Ad teſtium §. ſi quis ex teſtibus, ff. de teſtam. & cit. Cap. Inter dilectos*; ubi recte advertunt, quod ſi ob enormem fracturam ſigilli vacillat fides privilegii, tanto magis vacillabit, ſi ſigillum penitus deficiat, ſeu nunquam appoſitum ſit.

19 Extra autem dictos caſus, ac regulariter loquendo, ſigillum in inſtrumentis ad ſubſtantiam actus non adhibetur, ſed ſolum ad faciliorem ejuſdem actus probationem. Sic Innocentius *in cit. Cap. Inter dilectos 6. verb. Sigillum de fide Inſtr.* Abbas *ibid. n.3.* Felin. *ibid. n.5.* Reiffenſt. *l. c. n.98.* Menochius *l.c. caſ.113. n.13. & 14.* cum Hoſtienſ. & Card. ibi citatis, & alii plures, per text. *in l. Contractus 17. Cod. de fide Inſtrum.* ubi ad valorem inſtrumentorum plus non requiritur, quam quod *ſubſcriptionibus partium confirmata, & ſi per Tabellionem conſcribantur, etiam ab ipſo completa, & poſtremo a partibus abſoluta ſint*, hoc eſt ſubſcripta, ut explicat Gloſſa *ibid. verb. Abſoluta.*

20 Dicitur autem: *ſed ſolum ad faciliorem ejuſdem actus probationem*, quia ſigillans ſcripturam, contenta in ea præſupponit vera, & videtur fateri omnia contenta in ipſa, cum ſigillum ſit confirmatio quædam eorum, quæ in ſcriptura continentur, & probet conſenſum. Rota *p.10. recent. dec. 200. n.12.* Alexander *conſ.147. n.6. & 7 lib.2* Card. Tuſch. *litt. S. concluſ.239. n.1.* cum Bald. & Romano ibi citatis, & alii paſſim.

21 Sigillum cum propriis Inſignibus habere debent omnia Collegia, Conventus, Prælati, Abbates, Archidiaconi, & Superiores omnes, ac Officiales, & eo uti debent pro Scripturis authenticis. Conc. Londin. II. c. 29.

22 Sigillo aureo, vel argenteo uti non poſſunt Regulares. Concil. Nicæn. *ex Arabico cap.76.*

23 Miniſter Generalis Ordinis S.P.N. Franciſci de Obſervantia legitime uſus fuit, & uti poteſt Titulo, & Sigillo cum inſcriptione: *Miniſter Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum*, ut hoc titulo inſigniri conſuevit a Summis Pontificibus, ut notat Dominicus de Gubernatis *in Orbe Seraphico tom.1. lib.3. c.10. circa finem*, & ſignanter a Leone X. Clemente VIII. Paulo III. Sixto V. Urbano VIII. Gregor. XV. Innocent. IX. & aliis ſequentibus, & noviſſime a Benedicto XIII. Conſt. incip. *Univerſalis Eccleſiæ regimini*, & alia incipien. *Dilectis filiis*, ibi: *Dilectis Filiis Miniſtro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci, nec non Generali Miniſtro Fratrum Conventualium ejuſdem Ordinis.* Et hoc utraque parte informante jam fuerat repetitis vicibus declaratum a Sacra Congregatione Rituum, prout ad litteram refe-



runtur Decreta a ſupradicto Dominico de Gubernatis *loc. cit.* tenoris ſequentis.

*Religionis S. Franciſci.*

„ Cum Procurator Generalis Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci, ſex ab hinc Annis ægre ferret, Miniſtrum Generalem de Obſervantia in præteritum uſum fuiſſe, & in præſentiarum uti Titulo, & Sigillo cum inſcriptione: *Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum*, recurſum habuit ad Sanctiſſimum ſupplicans mandari reformari hujuſmodi Titulum tamquam non legitime dicto Miniſtro Generali de Obſervantia competentem. Et ſupplicatione per Sanctiſſimum ad hanc Sacr. Rituum Congregationem remiſſa; Eadem Sacra Congregatio diſcuſſionem hujus negotii ad referendum uſque de anno 1625. commiſit Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Muto, coram quo formato dubio de conſenſu ambarum partium: An Titulus Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, quo inſignitur Miniſter Generalis Obſervantium ſit reformandus? Utraque parte ſæpe ſæpius in facto & Jure deſuper informante, & audita; ad relationem ejuſdem Eminentiſſimi Cardinalis Muti cauſa acerrime in plena Congregatione diſcuſſa, Sacra Rituum Congregatio reſpondit, nihil innovandum, & Miniſtrum Generalem de Obſervantia legitime uſum fuiſſe, & uti poſſe Titulo, & Sigillo cum inſcriptione *Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum*, & ita ſervari mandavit die 22. Martii 1631. 24

*Religionis S. Franciſci.*

„ Religio Minorum Conventualium conqueſta eſt apud Santiſſimum de Decreto ab hac Sacra Rituum Congregatione emanato ad favorem Miniſtri Generalis de Obſervantia S. Franciſci circa uſum Tituli, & Sigilli Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minoram, ſupplicans tamquam non audita in ſuis juribus audiri in Signatura Gratiæ, & mandari Illuſtriſſimo Datario, qui concedat ad hoc ſuperſeſſoriam neceſſariam.

Ex adverſo autem Frater Alphonſus de Prato Procurator Generalis Minorum Obſervantium adiens & ipſe cum ſupplici Libello eumdem Sanctiſſimum ſupplicavit, quod ſtante jure ſuæ Religioni quæſito, tam ex Bullis Pontificiis, quam ex noviſſimo Decreto, parte adverſa ſuper uſu d. Tituli, & Sigilli per quinquennium, & ultra ſæpius audita, & replicante, nemine ex Eminentiſſimiſſis Patribus contradicente, ad ſui favorem edito, & etiam impreſſo; Sanctitas Sua dignaretur huic negotio perpetuum ſilentium, ut par eſt, imponere. Et utraque ſupplicatione per Sanctiſſimum ad hanc Sacram Congregationem remiſſa, Eadem Sacra Congregatio unanimi Eminentiſſimorum Patrum conſenſu cenſuit, ex hactenus deductis non eſſe locum novæ audientiæ. Et mandavit Secretarium alloqui cum Sanctiſſimo juxta mentem.

Die 12. Aprilis 1631.

„ Feria ſexta die 21. Aprilis Ego Secretarius allocutus fui cum Sanctiſſimo juxta mentem Sacræ Congregationis, & Sanctitas ſua mandavit mihi, ut loquerer, prout feci R.P.D. Datarium pro imponendo perpetuo ſilentio.

*Ita reperitur in Regeſtis Congregationis Sacrorum Rituum. In quorum fidem &c. Hac die 6. Junii 1682.*

Loco ✻ Sigilli.

*Bernardinus Caſalius Secretar.*

*Novæ additiones ex aliena manu.*

Sigillum eſt nota quædam impreſſum habens nomen, & 1
inſigne, vel ſimul, vel alterutrum ad fidem rei conciliandam; *Botticher. de Jur. Sigillor. theſi 8.*

Dividitur autem Sigillum in publicum, ac privatum. Pu- 2
blicum, quod a Perſona publica in negotio ſuam privatam 3
rem non concernente ad publicam fidem faciendam adhibe-
tur. Privatum, quod in negotiis privatis Sigillantium adhi- 4
betur; *Nicol. Honthem. de Art. Notar. lib. cap.11. nu. 29. Gilman. dec.51. n.43.*

Ut autem omne Sigillum maxime privatum rectam, & le- 5



giti-

gitimam faciat probationem, roburque Scripturæ addat, in ejus appoſitione tria regulariter requiruntur a Doctoribus, quos allegat *Hoping. de Jur. Sigill. cap.* 11. *num.* 17. *Primum*
6 requiſitum eſt, ut in Scriptura, ſeu ſubſcriptione exprima-
7 tur cujus ſit ſigillum. *Secundum* a quo ſit appoſitum; & *ter-*
8 *tium* propter quod ſit appoſitum, ſive ex qua cauſa adjectum.
Si enim hæc non appareant, nec ex circumſtantiis poſſint colligi, ſigillum nihil operatur.

9 An ad validitatem inſtrumenti a Notario confecti requiratur ſigillum ipſius? Prævaluit opinio affirmativa, ut videre eſt apud *Covarruv. pract. reſolut. tom.* 2. *c.* 20. *nu.* 5. *Moller. lib.* 4. *Semeſtr. cap.* 15.

## SIGILLUM SACRAMENTALIS CONFESSIONIS.

1 Sigillum Sacramentalis Confeſſionis eſt obligatio ſervandi Secretum in omnibus, quæ in ordine ad abſolutionem Sacramentalem Confeſſario aperiuntur. *Eſt in re communis.*

2 Sigillum Sacramentalis Confeſſionis obligat Confeſſarium ad celanda peccata in confeſſione detecta triplici Jure, ſcilicet Naturali, Divino, & Humano, ſeu Eccleſiaſtico. Ita
3 Scotus *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 2. & *Communiſſima aliorum*. Et quidem quod obliget *Jure Naturali*, clare patet, quia natura dictante, non eſt aliis faciendum, quod quiſque ſibi fieri non vellet, juxta illud vulgatum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: Nemo autem vellet, quod ſuum ſecretum, ex quo aliqua infamiæ nota eidem poſſet inuri, manifeſtaretur, adeoque Sigillum Confeſſionis obligat Jure naturali; alioquin Lex naturæ de ſervanda Fidelitate, & Secreto proximi celando violaretur.

4 Quod autem obliget *Jure Divino*, clare conſtat, quia dum Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ, præcepitque Confeſſionem, ſimul Confeſſariis arctiſſimam hanc Sigilli obligationem impoſuit; Quamvis enim hoc ex nullo textu ſcripto comprobetur, evincitur tamen ex expreſſa, continuata, & conſtanti Traditione ab Apoſtolis ad hæc uſque tempora. Traditiones autem Divinæ tantam vim habent obligandi, ac verbum Dei ſcriptum. Unde Apoſtolus 2. *Ad Theſſalonicenſ. c.* 2. præcipit dicens: „ Itaque Fratres ſtate, „ & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, „ ſive per Epiſtolam noſtram. „ *In quem locum S. Joannes Chryſoſtomus ſic ſcribit*; „ Hinc patet, quod non omnia per „ Epiſtolam tradiderit, ſed multa etiam ſine litteris, eadem „ vero Fide digna ſunt tam illa, quam iſta, *& Conc. Trid. ſeſſ.* 4. *Decreto de Canonicis ſcripturis* ſic expreſſe habet: „ Sacroſancta Œcumenica, & Generalis Tridentina Synodus.... Traditiones ipſas, tum ad Fidem, tum ad mores pertinentes tamquam vel oretenus a Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictatas, ac continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas pari pietatis affectu, ac reverentia ſuſcipit, & veneratur.

5 Quod vero obliget *Jure humano*, ſeu *Eccleſiaſtico*, habetur expreſſe ex *cap. Sacerdos* 2. *diſt.* 6. *de Pœnitent.* ubi pœna depoſitionis a Sacerdotali Officio, & perpetuæ ignominioſæ peregrinationis erat impoſita Confeſſariis violantibus Sacramentales Sigillum, ibi: „ Qui hoc fecerit (*Sigillum* „ *videlicet violaverit*) deponatur, & omnibus diebus vitæ „ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat, & cap. Omnis „ utriuſque ſexus 12. de pœnitentiis, & remiſſionib. „ ubi violatoribus Sigilli Confeſſionis conſtituitur pœna depoſitionis ab Officio Sacerdotii, ac perpetuæ pœnitentiæ in arcto Monaſterio peragendæ, ibi: „ Qui peccatum in Pœnitentiali „ Judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum „ a Sacerdotali Officio deponendum decernimus, verum „ etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Mo- „ naſterium detrudendum.

6 Hinc obligatio ſervandi Sigillum Sacramentale tam ſtricte ligat, & urget, ut in nullo excogitabili caſu directe, vel indirecte revelari poſſit, quamvis ſalus propriæ vitæ, immo totius mundi inde penderent; Quinimmo licet per hoc omnium hominum damnatio impediri poſſet. *Communiſſima omnium Catholicorum*.

7 Ad Sigillum Sacramentale tenentur ultra Confeſſarium, etiam ſequentes, nempe Interpres, per quem facta eſt Confeſſio. Item Laicus, qui Sacerdotem ſe fingens Confeſſionem excepit. Item ille, cui Confeſſarius ſacrilege revelavit peccatum. Item audientes tempore peſtis, ſeu naufragii Confeſſionem publicam. Item audientes caſu, vel malitioſe peccata, dum confitentur. Scotus *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 2. Roſignol. *de Pœnit. part.* 1. *q.* 7. *art.* 22. *Sect.* 2. cum aliis ibi citatis, Reiffenſtuel *Theolog. moral. tract.* 14. *diſt.* 9. *q.* 3. *n.* 36. ubi teſtatur de communi. Et ratio eſt quia notitia ad eos pervenit ex Confeſſione Sacramentaliter facta, adeoque hujuſmodi revelatio eſſet contra reverentiam Sacramenti, & redderet odioſam ipſam Sacramentalem Confeſſionem.

Item ad Sigillum (a) probabilius tenetur, qui per examen 8
Pœnitentem ad Confeſſionem diſponit. Item ille, cui Pœnitens ſe aperit hodie, ut illum dirigat pro Confeſſione craſtina. Item Doctor conſultus a Confeſſario ſuper aliquo delicto, ſi ex illo noverit delinquentem. Item ille, cui Pœnitens jam non potens ſcribere dictavit ſua peccata, poſtea ex ipſius ſcripto confeſſurus. Item ille, cui Pœnitens dicit ſe velle confiteri, & propterea illum conſulit, an, & quomodo hoc, vel illud peccatum teneatur confiteri, quamvis non illi ſed alteri confiteri velit. Gormaz. *part.* 2. *n.* 391. La Croix *libr.* 3. *p.* 2. *n.* 1052. cum pluribus aliis ibi citatis, Sporer *t.* 3. *Theolog. Sacramental. part.* 3. *cap.* 7. *q.* 3. *a n.* 848. *ad* 855. cum aliis ibi allegatis contra alios. Et ratio eſt, quia licet illa notitia non habeatur in Confeſſione, nec ex Confeſſione, habetur tamen per ordinem ad illam, adeoque hujuſmodi revelatio eſſet contra reverentiam Sacramenti, & redderet odioſam ipſam Sacramentalem Confeſſionem, unde, ne id eveniat, ſervandum eſt a ſupradictis Sigillum.

An autem inveniens chartam, in qua ſunt deſcripta perſo- 9
næ cognitæ peccata, teneatur ad Sigillum Sacramentale? Variant Doctores. Affirmativam enim ſententiam tuentur Rodriquez, Fagundez, Mahlerus, & alii plures apud Dian. *part.* 1. *tract.* 4. *reſol.* 112. Navarrus, Graff. Vega, Gormaz, Diana, Tamburrin. apud La Croix *loco cit. n.* 1953. & probabilius Sporer *loc. cit. n.* 857. & alii; Et ratio eſt, quia talis peccatorum ſcriptio fit propter Confeſſionem, & reipſa videtur eſſe inchoata Confeſſio, ſive Confeſſionem jam factam gerens; Negativam autem, ſcilicet inventorem talis chartæ non teneri ad ſigillum Sacramentale, ſed ſolum ad ſigillum naturale defendunt, & quidem probabilius Bonacina *de Pœnitentiæ Sacrament. diſput.* 5. *q.* 6. *ſect.* 4. *punct.* 3. *n.* 7. cum pluribus ibi allegatis, Caſtropal. Averſa, Illiung, Buſemb. aliique multi apud La Croix *loc. cit. n.* 1953. Roſignol. *loco cit. n.* 17. Reiffenſtuel *loco cit. n.* 37. Layman, Suarez, Navarr. aliiſque congeſtis, Lugo *diſp.* 23. *ſect.* 2. *n.* 47. & valde probabilem hanc Sententiam appellat etiam Sporer *loc. cit. n.* 858. & alii plures ipſam expreſſe tuentur; Et ratio eſt, quia illa charta, ſeu notitia illius non pervenit ad inventorem, nec in Confeſſione, nec ex Confeſſione, nec per ordinem ad Confeſſionem, cum Pœnitens illam chartam ſcripſerit ſolum, ut ſua peccata ſibi manifeſtet, & memoriam eorum retineant.

Conſentiunt tamen omnes utriuſque ſententiæ Doctores, 10
quod talis inventor teneatur ad ſigillum naturale ſub peccato mortali ſi illa charta contineat gravia, & diffamantia peccata; Quinimmo cognito, quod talia peccata contineat, debet ſub gravi ab illius lectione abſtinere.

Inſuper conſentiunt omnes, quod ſi aliquis mutus, vel alias 11
impeditus confiteatur Confeſſario præſenti per ſcripturam, & tunc durante actione Sacramentali aliquis legat illam ſcripturam, is omnino ad ſigillum Sacramentale teneatur; Tunc enim illa ſcriptura lecta a Confeſſario eſt locutio, vel Confeſſio Pœnitentis, cum non aliter confiteatur mutus ille niſi per ſcripturam.

Ad ſigillum Sacramentale tenetur Prælatus, vel Superior, 12
cui Pœnitens, vel Confeſſarius manifeſtavit pro licentia abſolutionis obtinenda, peccatum reſervatum quamvis pro abſolutione remittat ad alium Confeſſarium. Sic pluribus allegatis Card. de Lugo *diſp.* 22. *Sect.* 2. *n.* 34. & 35. Roſignol. *loc. cit. n.* 12. cum aliis ibi citatis, La Croix *loc. cit. n.* 1951 cum Suarez, Fagundez, Stoz, Averſa & aliis ibi citatis, Sporer *loc. cit. n.* 853. Dicaſtill. *diſp.* 11. *n.* 325. dicens id eſſe certum, quamvis alii contrarium doceant. Et ratio eſt, quia Prælatus aut Superior, cui caſus ſunt reſervati, in hac parte gerit vices Confeſſarii cum quodammodo exerceat Juriſdictionem in ordine ad Pœnitentium abſolutionem, adeoque &c.

---

(a) Nota. Non ſolum probabilius, ſed certe tenetur quis ſervare ſigillum in Caſibus hic expoſitis.

13 Præ-



13 Prælatus, ſeu Superior, vel Confeſſarius, qui poſtea ad Superioritatis gradum fuerit aſſumptus, nullo modo uti poteſt ad exteriorem gubernationem ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confeſſione habuit. Sic expreſſe ſtatuit Clemens VIII. *in Decreto de caſibus reſervatis die* 26. *Maii* 1594. ibi: „ Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii „ qui poſtea ad Superioritatis gradum fuerint promoti ca- „ veant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de aliorum pecca- „ tis in Confeſſione habuerint, ad exteriorem gubernationem „ utantur, *&c.* Atque ita per quoſcumque Regularium Su- „ periores obſervari mandamus „. Hæc Pontifex. Et deinde *die* 18. *Novembris* 1682. editum fuit in Congregatione Generali Univerſalis Inquiſitionis Decretum prohibens: „ Ne „ quis publice, aut privatim doceat, aut defendat licere uti „ ſcientia ex Confeſſione acquiſita cum gravamine Pœniten- „ tis, quamvis ſecluderetur quæcumque ejus revelatio, & „ quamvis multo majus gravamen ejuſdem Pœnitentis ex non „ uſu ſequeretur, mandans etiam univerſis Pœnitentiæ Mi- „ niſtris, ut a tali doctrina in praxim deducenda prorſus abſti- „ neant „. Sic apud Arſdekin *tom.* 2. *pag.* 238. & alios paſſim id referentes.

14 Hinc Confeſſarius, qui ex Confeſſione ſocii conſpirationis contra ſe novit ſibi parari inſidias in itinere a ſe ſubeundo, ſibi parari venenum in vino a ſe bibendo, & hujuſmodi; ſi non arripiendo tale iter, non bibendo tale vinum, & hujuſmodi ſequeretur aliqua ſuſpicio apud alios ſocios dictæ conſpirationis de peccato confeſſo, aut periculum damni dicti Pœnitentis, tunc teneretur dictus Confeſſarius enixe ſe Deo commendare, & tale ſtatutum iter arripere, tale vinum bibere, & hujuſmodi; quia ſigillum Sacramentale ob commune bonum Fidelium, & reverentiam Sacramenti fortius obligat, quam propria vita ſervanda, immo & quam ſalus totius mundi, juxta dicta *ſupra n.* 6. In tali enim caſu ex circumſtantiis indirecte ſaltem revelaretur Confeſſio, & frangeretur ſigillum, quia ſocii conſpirationis videntes Confeſſarium poſt auditam Confeſſionem non arripere certo ſtatutum iter, ſeu divertere ab ipſo jam arrepto, & non bibere tale vinum certo alias bibiturum, ſuſpicarentur de delicto conſpirationis confeſſo, & poſſent in Socium irruere, ſicque cum gravamine Pœnitentis redderetur odioſa Confeſſio, adeoque &c.

15 Si autem in ſimilibus tales concurrant circumſtantiæ quod ex non arrepto, ſeu non continuato itinere, & non bibito tali vino, & hujuſmodi, nulla directe aut indirecte oriatur ſuſpicio peccati conſpirationis confeſſi, quatenus nempe Socii conſpirationis complicem confitentem non viderunt, & hujuſmodi, tunc dictus Confeſſarius poſſet licite iter non arripere, ſeu jam arreptum divertere, vinum illud non bibere, & hujuſmodi, quia tunc Confeſſarius uteretur Jure ſuo ad evitandam mortem ſine ullo incommodo, ſeu gravamine Pœnitentis, cum ſic licite ſalvaret propriam vitam, & impediret Penitentis, aliorumque peccatum, ſeu occaſionem peccati, quod re ipſa non eſt gravamen, ſed beneficium, nec ullam committeret irreverentiam in Sacramentum; cum ut ſupponitur, ex dictis circumſtantiis nulla directe, aut indirecte poſſet oriri ſuſpicio peccati confeſſi. Sic recte cum diſtinctione, ut ſupra docent Diana *part.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 46. cum Richardo, Navar. Suario, & Soto, Felix Poteſtas *loc. cit. n.* 219. *&*
*ſeq.* Roſignol. *loc. cit. ſect.* 3. *n.* 12. *&* 13. La Croix *loc. cit. n.* 1976. *& ſeq.* cum pluribus ibi allegatis; & alii plurimi, & ſub data diſtinctione noſtra ſententia jam deberet eſſe
16 communis.

Unde poſt allata Decreta *ſub. n.* 13. jam non videtur practice probabilis ſententia illorum Auctorum quamvis plures quam quadraginta referantur a Sanchez *de Matrimonio lib.* 3. *d.* 16. *n.* 2. Mendo *d.* 10. *q.* 8. Stoz *n.* 244. qui docent, Confeſſarium ex ſola Confeſſione cognoſcentem Pœnitentem ſuum indignum eſſe Dignitate, ſeu Officio, ad quod concurrit, poſſe ideo in electione gratuita, & ſecreta denegare ſuum ſuffragium, quia utitur, ut dicunt ipſi, Jure, quod habet ad non promovendum indignum; Sic non poteſt Magiſter Novitiorum ſuo ſuffragio rejicere, aut directe, vel indirecte cooperari, quod ab aliis rejiciatur a profeſſione Novitius, quem propter vitia, vel alios defectus ex ſola Confeſſione novit eſſe ineptum, aut fore pernicioſum Religioſo Ordini. Item nequit Confeſſarius dimittere famulum, quem ex ſola Confeſſione cognovit non eſſe fidelem, & hujuſmodi. Item nequit Confeſſarius qui ex ſola Confeſſione novit aliquem de communitate vitio carnis deditum eſſe, & pronum ad ſeducendos alios, nequidem indirecte facere ut inde amoveatur. Item nequit Confeſſarius negare Euchariſtiam, Matrimonium, & hujuſmodi ei, quem ex ſola Confeſſione novit eſſe indignum, impeditum, & hujuſmodi. Item non poteſt Superior Religioſum quem ex ſola Confeſſione novit eſſe Concubinarium e tali Conventu, aut Officio removere; Et ſic de ſimilibus. Et ratio omnium eſt, quia quidquid affert incommodum Pœnitenti, quamvis abſit periculum revelandi peccatum, & ita clam fiat, ut nemo advertat, merito reddit Confeſſionem odioſam, ſi Pœnitentes cognoſcant ſibi talia incommoda fieri poſſe propter ſolam cognitionem in Confeſſione datam. Hinc Confeſſarius, vel Superior debet in ſimilibus ſe talem gerere, tamquam ſi nihil ſciret; Audita enim in ſola Confeſſione *minus ſcit, quam quæ neſcit*, inquit S. Auguſtinus, & *ex Confeſſione ſcitum, eſt quaſi neſcitum*, dicit S. Thomas *in ſuppl. q.* 11. *art.* 1. *ad* 1. Cum enim id ſciat ut Dei locum tenens, non poteſt uti pro humano commercio alias Divina confunderet cum humanis, adeoque de omnibus illis, & ſimilibus ſilere debet, & totaliter ſe habere, ac ſi ea minime ſciret; ſicque ſe, & omnia Deo committere, cum hoc plurimum conducat ad reverentiam Sacramenti, & ad urgendam apud omnes ſecuritatem ſigilli; Sic Scotus *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 2. *litt. N.* Suarez, Vaſquez, Præpoſ. Bonæſp. Dicaſt. Stephanus, Averſa, Stoz. & alii cum La Croix *loc. cit. n.* 1976. *& ſeq.*

Unde Scotus *loco cit.* de caſu dicti Superioris reſpectu ſui 17
ſubditi Concubinarii in Confeſſione cogniti loquens dat hoc commendabile Documentum: „ Si dicas non apponi remedium ad ſalutem Ovis ſuæ. Reſpondeo, conſulat ſibi in „ Foro Pœnitentiæ meliori modo, quo poterit, ut illum lo- „ cum ſibi periculoſum dimittat, ſi noluerit, non attentet eſſe „ Deum, ſed defectus occultos ſibi ſecundum juſtitiam incor- „ rigibiles, Dei correctioni dimittat „; Hinc neque licet Superiori, ſeu Prælato ex ſola tali notitia habita in Confeſſione magis advertere, & obſervare directe ipſum Pœnitentem ſubditum, ut inde occaſionem capiat ipſum ab Officio, ſeu loco removendi, quia ſic redderetur odioſa Confeſſio. Sporer *loco cit. num.* 869. *in fine*, & alii ſupracitati.

Confeſſarius ordinarie loquendo neque de petita & obtenta 18
licentia Pœnitentis poteſt uti ſcientia Confeſſionis, & revelare ipſam Sacramentalem Confeſſionem, quia ſi Pœnitens non ultro, ſed tantum ad petitionem Confeſſarii det ipſam licentiam loquendi, communiter cenſeri debet data ex metu reverentiali, adeoque invalide; Tamburin. *de Confeſſ. l.* 3. *cap.* 3. *num.* 5. Dicaſtill. *d.* 12. *num.* 66. La Croix *loco cit. numer.* 1958. Vel certe cum periculo invaliditatis; La Croix *loco citat.* Diana *part.* 5. *tract.* 11. *reſolut.* 10. Stoz *liber.* 2. *n.* 197. ubi addit, quod quamvis Pœnitentes dicant ſe libenter eam dare, ſæpe tamen in animo refugiunt, & ſic Sacramentum adhuc redditur odioſum, ſi Confeſſarius ea licentia utatur. Tum quia negant plerique ex antiquioribus ac præſertim Alenſis, Durandus, & alii, & ex parte Scotus *in* 4. *diſt.* 20. *q.* 1. §. 5. *& diſt.* 21. *q.* 2. *litt. L.* quia Jus ſigilli Sacramentalis non eſt tantum ipſius Confitentis, ſed etiam totius Communitatis Fidelium, quæ alias maxime perturbaretur, & ipſius Sacramenti, cui ipſe Pœnitens renunciare non poteſt, licet ipſe Pœnitens poſſit cedere Juri ſuo *cap. Si de terra* 6. *de privileg. & l. Si quis in conſcribend.* 19. *Cod. de pactis*; Non poteſt tamen cedere Juri Sacramenti, & totius Communitatis Fidelium; *cap. Si diligenti* 12. *de foro compet.*

Dicitur autem notanter *Ordinarie loquendo*, quia ex gravi- 19
cauſa, & ob aliquem bonum finem, verb. gr. ad malum aliquod avertendum, ad conſilium a Doctiori petendum, & hujuſmodi de expreſſa, libera, & plene voluntaria licentia Pœnitentis loquendi cum alio de ſuo peccato, aut alia re ſuæ Confeſſionis, & poteſt Confeſſarius ſine fractione ſigilli caute cum eo loqui. Sic teſte Sporer *loco cit. n.* 819. jam *Communiſſima Doctorum* cum S. Thoma, S. Bonaventura, & pluribus congeſtis Suarez *diſput.* 31. *ſect.* 5. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 18. Layman *cap.* 14. *n.* 14. Lugo, Tamburin, Diana, & alii paſſim. Tunc enim cum Pœnitens dat expreſſam, & liberam licentiam Confeſſario loquendi de peccatis in Confeſſione auditis, videtur ceſſare ratio Secreti naturalis, atque reverentiæ Sacramenti, & odioſitatis Confeſſionis, *argum. cap. Significaſti* 5. *de adulteriis*, ubi legitur, quod de licentia mulieris Sacerdos, cui hæc confeſſa fuit, dixerit eam ſibi confeſſam eſſe adulterium, nec tamen in hoc caſu vel minimum Sacerdos reprehenditur a Papa; Verum Barboſa *in citato cap. Significaſti n.* 2. Navarrus *in cap. Sacerdos* 2. *diſtinct.* 6. *de Pœnitent. n.* 126. & alii, cenſent illud capitulum loqui, non de Confeſſione Sacramentali, ſed extra Sacramentum

mentum tam per adulterum, quam per adulteram facta. Unde in ſimilibus eſt valde caute procedendum, cum non expediat, quod Pœnitens ex qualibet levi cauſa det Confeſſario talem facultatem loquendi cum aliis de auditis in ſua Confeſſione, nec quod Confeſſarius de facili ea utatur.

20 Sine expreſſa, & libera Pœnitentis licentia neque licet Confeſſario de auditis in Confeſſione loqui cum ipſo Pœnitente extra Confeſſionem Sacramentalem; Quamvis enim id proprie non ſit fractio ſigilli, ut cum pluribus docet Sanchez *lib. 3. de Matrimonio d. 16.* omnes tamen Doctores tenent, hujuſmodi locutionem cum eodem ſine ejus licentia eſſe illicitam, quia vere cedit in odium Confeſſionis, & Sacramenti, & plerumque non ſine rubore, & offenſa Pœnitentis; Poteſt autem Confeſſarius licite loqui extra Confeſſionem cum Pœnitente de auditis in ſua Confeſſione, ſi ipſe Pænitens prior de illis loqui incipiat, quia tunc cenſetur ipſe voluntariam & liberam ad id licentiam concedere.

21 Confeſſarius, qui in Confeſſione gravem errorem commiſit, conſulens v. gr. bona fide tamquam licitum aliquem contractum, quem poſtea cognoſcit certo eſſe illicitum, tenetur petere licentiam a Pœnitente loquendi de materia Confeſſionis præteritæ ad ſalutem animæ illius pertinente, & quamvis Pœnitens deneget talem licentiam, probabilius adhuc poteſt de ea re loqui, ac errorem corrigere, ſeu emendare. Sic Suarez *diſp. 31. ſect. 4. num. 3.* Arſdekin *tom. 2. pag. 235. n. 13.* Felix Poteſt. *loc. cit. n. 3233.* Sporer *loc. cit. n. 822.* Diana *loc. cit. reſol. 26.* cum aliis ibi allegatis, La Croix *loc. cit. n. 177.* cum pluribus ibi citatis, Filliuc. Fenech. & alii; Et ratio eſt, quia tunc Confeſſarius proprie non loquitur extra Confeſſionem, ſed ſupplet, & perficit eam, quæ antea inchoata, & imperfecta remanſerat; Tum quia in caſu mali conſilii nihil loquitur de Confeſſione præterita, ſed ſolum conſilium male datum revocat.

22 Sub ſigillo Sacramentali cadunt omnia peccata, tam mortalia, quam venialia, non ſolum ipſius Pœnitentis, ſed etiam complicis. Item circumſtantiæ peccatorum, & defectus naturales, ob quorum revelationem poteſt Pœnitenti evenire infamia, vel aliud incommodum, & ſic reddi odioſa Confeſſio Tales enim peccatorum circumſtantiæ, v. gr. quod quis ſit illegittimus, ſit infamis, ſit genere obſcurus, & hujuſmodi, a Confeſſario manifeſtari non poſſunt ſine fractione Sacramentalis ſigilli. *Communis*; Et ratio eſt, quia ſigillum Sacramentale obligat ad celandum omne id, quod Confeſſionem odioſam reddere poteſt; Per revelationem autem ſupradictorum, & ſimilium redditur odioſa Confeſſio, cum ſic inferatur gravamen, & præjudicium Pœnitentibus, adeoque &c.

23 Confeſſionis ſigillum violat, ſi in genere dicat ſe abſolviſſe Paulum a peccato mortali, a caſu reſervato. Item ſi dicat ſe Paulum non abſolviſſe, quia erat indiſpoſitus. Item ſi revelet aliquod peccatum veniale in ſpecie v. g. mendacium; Secus autem ſi dicat ſolum in genere fuiſſe confeſſum veniale, cum certum ſit debere Pœnitentem ad minus veniale peccatum confiteri, ut abſolutionem obtineat. Item ſigillum frangit, ſi revelet pœnitentiam pro mortali imponi ſolitam, v. g. Pſalmos Pœnitentiales, Roſarium B. M. V. jejunium, & hujuſmodi; Non frangit tamen ſigillum, ſi revelet pœnitentiam pro veniali imponi ſolitam, v. gr. unum Pater, & Ave, Salve Regina, Alma Redemptoris, & hujuſmodi. *Sic Doctores communiter*.

24 Confeſſarius ſe exponit periculo frangendi ſigillum, ſi dicat: prima mulier, quam audivi in Confeſſione, fuit adultera; Unde cavere debent Confeſſarii a ſimilibus locationibus, quia ex ipſis ſæpiſſime oriuntur graviſſima ſcandala, & caſum referunt Ludovicus Bail. *in examin. Confeſſorum 1. part. in fine*, Baptiſta Dorrad. *Reſponſ. 1. part. q. 332.* Biſſus *in Hierurg. tom. 2. litt. S. n. 146. §. 25.* Pitonius *Conſtitut. Pontif. & deciſ. ad Confeſſarios num. 345.* de quodam marito, qui interfecit Uxorem, quia quidam Confeſſarius in Italia dixerat coram quibuſdam primam mulierem, cujus Confeſſionem exceperat, fuiſſe adulteram.

25 Confeſſarii violantes ſigillum Confeſſionis Sacramentalis ſubjacent graviſſimis pœnis; Et quidem *in cap. Sacerdos 2. diſt. 6. de Pænitent.* impoſita erat eis depoſitio ab Officio Sacerdotali, & perpetua ignominioſa peregrinatio, ibi: *Qui hæc fecerit* ( ſigillum nempe violaverit ) *deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat.* Quæ pœna perpetuæ ignominoſæ peregrinationis, ob juſtiſſimos fines fuit poſtea converſa in perpetuam detruſionem in arctum Monaſterium, pœna depoſitionis ab Officio Sacerdotali adhuc permanente; *cap. Omnis utriuſque ſexus 12. de pænitentiis, & remiſſionibus*, ibi: „ Caveat autem omnino, ne „ verbo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccato„ rem, ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque „ ulla expreſſione perſonæ cautæ requirat, quoniam qui pec„ catum in Pœnitentiali Judicio ſibi detectum præſumpſerit „ revelare, non ſolum a Sacerdotali Officio deponendum „ decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœni„ tentiam in arctum Monaſterium detrudendum.

26 Impræſentiarum autem ex recepta conſuetudine detruſio in arctum Monaſterium mutata eſt in carceres perpetuos. Sic notant communiter Moderni in hac materia ſcribentes, & teſte Roſignol. *loc. cit. ſect. 5. n. 7.* Reiffenſtuel *lib. 3. Decret. tit. 37. n. 4.*

27 Pœnitentia pro fractione ſigilli quoad Regulares conſiſtit in jejunando ter in hebdomada, comedendo tantummodo panem, & bibendo aquam humi in publico Refectorio, in cujus poſtea porta pronus ab exeuntibus Fratribus conculcetur. *Sac. Congr. Epiſcop. & Regul. in una Auguſtinianorum 5. Septembr. 1659.* apud Nicol. *in Lucubrat. tom. 2. Canon. libr. 5. tit. 38. n. 17. de poenitent. & remiſſion.* & Pitonium *loc. cit. num. 963.*

28 Dictæ Poenæ impoſitæ contra violantes Sigillum Sacramentale, non ſunt latæ ſententiæ, ſed ferendæ. Reiffenſtuel *loc. cit. n. 4.* Roſignol. *loc. cit. n. 6.* Lugo *de Poenitent. diſp. 23. n. 247.* Fagundez *de præcept. Eccleſiaſtic. lib. 2. c. 17. n. 2.* Onuphrius *de Sigillo ſect. 5. q. 2.* Coninch. *diſp. 9. n. 70.* Homobonus *tract. 5. exam. ad Confeſſor. de Sigill. cap. 19. q. 108. verſ. ad ſecundam q.* & alii paſſim per verba text. *Quibus hujuſmodi poenæ imponuntur*, ut patet *in cit. c. Sacerdos* ibi: *Deponatur, & cit. cap. Omnis utriuſque*, ibi: *Deponendum decernimus, & in arctum Monaſterium ad agendam perpetuam poenitentiam detrudendum*, quæ verba, ut de ſe patet, important ſolum ſententiam ferendam.

29 Ut quis propter violationem ſigilli incurrat prædictas poenas, plura requiruntur. Primo quidem requiritur, quod violans ſit Sacerdos, quia *in cit. cap. Sacerdos, & in c. Omnis utriuſque*, ſolis Sacerdotibus Confeſſariis talis poena imponi jubetur. Menochius *de Arbitrar. Judic. l. 2. cont. 6. cauſ. 414.* Reginald. *l. 5. n. 27.* Coninch. *diſp. 9. dub. 4. ad fin.* Reiffenſtuel *loc. cit. n. 5.* Roſignol. *loc. cit. n. 4.* & alii paſſim; Cum enim talis diſpoſitio ſit poenalis, & odioſa, ad alios præter expreſſos non eſt extendenda, *cap. Odia 15. de Regul. Juris in 6.* cum ſimilibus.

30 Alii autem revelantes aſſignati *ſupra a n. 7. ad 12.* non ſubjacent præfatis poenis, ſed puniendi ſunt per Judicem poena extraordinaria juxta majorem, vel minorem gravitatem patrati circa id delicti. *Sic Doctores citati*, & alii.

31 Secundo requiritur, quod Confeſſarius revelet peccata in Confeſſione Sacramentali ſibi a Pænitente expoſita animo ſe accuſandi, & abſolutionem recipiendi. Secus autem ſi eſſent ſibi expoſita, non in Confeſſione Sacramentali cum dicto animo, ſed alio fine, etiamſi flexis genibus dixiſſet Pænitens: *Hoc tibi dico ſub Sigillo Confeſſionis*; Tunc enim confeſſarius non violaret ſigillum Sacramentale, ſed ſolum ſigillum naturale, adeoque &c. Felix Poteſtas *tom. 1. n. 3207. & tom. 2. n. 39.* & alii communiter.

32 Tertio requiritur, ut Confeſſarius revelet aliquod peccatum, vel mortale, quod ſufficit, ſi revelet in genere, dicendo v. gr. Paulus confeſſus eſt mihi peccatum mortale, vel veniale, quod neceſſe eſt, ut revelet in ſpecie, dicendo v. g. Paulus confeſſus eſt mihi mendacium, & hujuſmodi. Suarez *de pænitentia diſ. 33. ſect. 8.* Diana *part. 5. tract. 11. reſol. 51.* Reiffenſtuel *loco cit. n. 6.* & alii communiter; *arg. cit. cap. Sacerdos, & cit. cap. Omnis utriuſque*, ubi de ſolis peccatis fit mentio.

33 Quarto requiritur, ut Confeſſarius revelet peccatum *præſumptuoſe*, ideſt graviter malitioſe; *arg. cit. cap. Omnis utriuſque 12. §. Caveat, de pænit. & remiſſion.* ibi: *Præſumpſerit revelare*. Reiffenſtuel *loc. cit. n. 7.* & *alii*.

34 Quinto requiritur, ut Confeſſarius peccatum revelet alicui alteri, quam ipſi Pænitenti extra Confeſſionem, ſive ipſi ſine ipſius licentia objiciat. Objiciens autem extra Confeſſionem, peccatum ipſi ſoli Pænitenti, non ſubjacet pænæ ordinariæ, ſed ſolum extraordinariæ. Granad. *de Sacram. tract. 11. diſp. 8. n. 3.* Reiffenſtuel *loc. cit. n. 8.* & alii.

35 Judex in cauſa violati ſigilli Sacramentalis eſt ſolus Eccleſiaſticus, minime vero Laicus; Cum enim talis cauſa ex annexo Sacramento ſit ex natura ſua ſpiritualis, & Eccleſiaſtica,



ſtica, ſoli Judici Eccleſiaſtico competere debet; *cap. Decernimus 2. cap. Quando 3. de Judiciis, cap. Ut Inquiſitioni 3. Prohibemus, de Hæret.*

36 Cui autem talis cauſa competat ex Judicibus Eccleſiaſticis, an ſcilicet Epiſcopo, vel Inquiſitori? Variant Doctores: Aliqui enim dicunt expediri, ut deferatur ad Inquiſitores, cum propter injuriam Sacramenti reddatur delinquens in Fide ſuſpectus; Alii vero dicunt, quando eſt mera Confeſſionis revelatio, Inquiſitores non debere ſe ingerere, quam praxim teſtatur Diana in eo Tribunali per multos annos verſatus *tom. 2. de Offic. & poteſt. Inquiſitor. reſol. 95.* cum Molfeſio *in Summa tom. 1. tract. 7. cap. 23. n. 68.* Unde quamvis ubi mera ſit Confeſſionis revelatio, talis cauſa ſpectet ad Epiſcopum; Si tamen habeat mixtum errorem, ut ſi Confeſſarius revelans dixiſſet licitam eſſe revelationem ſigilli, vel aliter oſtendiſſet ſe male ſentire de Sacramentis Eccleſiaſticis, tunc talis cauſa ſpectaret ad Inquiſitorem. Card. de Lugo *de Pænit. diſp. 23. n. 148.*

37 Ut Judex Eccleſiaſticus inſtituere poſſit proceſſum contra Violatorem ſigilli Sacramentalis, non requiritur licentia Pænitentis, cujus peccatum fuit ſacrilege revelatum; *arg. cit. cap. Sacerdos, & cit. c. Omnis utriſque ſexus*, ubi nulla prorſus facta mentione de habenda licentia Pænitentis præcipitur, ut pænæ ibidem ſtatutæ inferantur contra tales violatores; Sic cum aliis Stoz *Tribun. Pænitent. lib. 2. q. 4. a n. 284.* Reiffenſtuel *loc. cit. cit. n. 11.* & alii contra Gobat *in Quinario tract. 5. cap. 42. ſect. 7.* Si enim requireretur ad id licentia Pænitentis, ſequeretur, quod, ipſo pænitente mortuo, vel reddito amente, nunquam poſſet puniri talis Confeſſarius, cum nunquam poſſet peti talis licentia, adeoque fruſtra eſſent ſtatuti Canones contra hujuſmodi delicta Reipublicæ Chriſtianæ pernicioſiſſima, quod non eſt dicendum.

38 Quod Confeſſarius violator ſigilli ſe reum fatetur, non eſt opus alia probatione ad hoc, ut poſſit puniri pæna ordinaria *Communis, arg. cap. final. de cohabitat. Clericorum & mulierum, l. Generaliter 13. Cod. de non numerata pecunia*, cum nulla alia detur major probatio, quam ea quæ ſit ex proprii oris confeſſione. Rota *part. 9. recent. tom. 1. dec. 98. n. 4.* per text. *in cap. Per tuos 10. de probationib. l. Cum te 5. Cod. de tranſ. & cit. l. Generaliter 13. Cod. de non numerata pecunia*.

39 Quando Confeſſarius dicit ſe peccatum, non ex aliqua Confeſſione Sacramentali, ſed tamquam aliunde ſibi notum manifeſtaſſe, incumbit ei probare, qua via, & modo illius notitiam acquiſierit, *arg. l. Et incumbit 2. ff. de probationibus, l. Actor. 23. Cod. eod. cap. Bonæ memoriæ 22 de election. cap. Accuſator 6. quæſt. 5.* cum qui dicit, probare debeat. Si autem in tali probatione deficiat, & adhuc in negatione violati ſigilli perſeveret, nec poſſit plene convinci, ex præſumptione violati ſigilli puniendus eſt pæna extraordinaria. Abbas *in cit. cap. Omnis utriuſque ſexus 12. n. 26. de Poeniten. & remiſſionib.* Silveſter *verb. Confeſſio 7. num. 5.* Lugo *loco cit. num. 151.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 13.* & alii.

40 Quando autem fatetur Confeſſarius ſe quidem peccatum ex Confeſſione ſciviſſe, ſed cum licentia Pænitentis revelaſſe, tenetur probare ſibi revera datam fuiſſe a Pænitente talem licentiam revelandi, ſi Pænitens ipſe ſit Accuſator, ſeu delator, & alias neget ſe talem licentiam ei dediſſe. Lugo *loc. cit. num. 151.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 14.* & alii; Et ratio eſt, quia cum talis licentia ſit quid facti, non præſumitur, ſed probari debet ab allegante; *cap. Cum in Jure 31. de Offic. deleg. leg. in Bello 12. ff. de cap. & poſtlim.*

41 Secus autem, ſi alius ſit Accuſator: In tali enim caſu contrarium probare incumbit ipſi alteri accuſatori ob præſumptionem ſtantem pro Confeſſario, qui bonus, & ſigillum ſervans præſumitur, donec probetur contrarium; *cap. unic. de Scrutinio, capit. final. de præſumpt. & leg. Merito 51. ff. Pro ſocio.*

42 Immo etiamſi Pænitens ſit Accuſator, creditur Confeſſario, ſi ſit ceteroquin optimæ famæ, & integritatis; Secus autem ſi Pænitens ſit melioris famæ, & integritatis, quam ipſe Confeſſarius. Sic cum aliis Diana *par. 1. tract. 11. reſolut. 52.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 16.* & alii.

43 Si autem, ceteris paribus, dubium exiſtat, creditur potius Confeſſario aſſerenti, quam Pænitenti neganti licentiam fuiſſe conceſſam. Sic cum aliis Maſcard. *de probation. concluſ. 951. num. 30.* Reiffenſtuel *loc. cit. n. 27.* & alii ex illa ratione quod in factis, quæ ad officium Judicis ſpectant, aliter fieri non poſſunt, pro Judice præſumantur; *arg. cap. Hoc. etiam 38. cauſ. 2. q. 6. cap. Abſit 14. cauſ. 11. q. 3.*

44 Ad probationem violati ſigilli Sacramentalis ſufficiunt etiam teſtes ſingulares. Sic cum aliis Tanner. *tom. 4. diſp. 6. quæſt. 9. n. 122.* Stoz *Tribunal. Poenitent. lib. 2. n. 4. a n. 281.* Reiffenſtuel *loc. cit. n. 18.* & alii. Et ratio eſt, quia id exigit enormitas tali delicti Reipublicæ Chriſtianæ ſumme præjudicialis; Tum quia tale delictum ordinarie difficilis eſt probationis, cum Sacrilegi violatores Sigilli non facile Sigillum violent plurimis ſimul præſentibus, adeoque &c.

45 Quoad debitam Sigilli Sacramentalis cuſtodiam attendendæ ſunt noviſſime conſtitutiones editæ a Benedicto XIV. adverſus Confeſſarios exquirentes a pœnitentibus complicum nomina; In quarum prima data ſub *die 2. Junii 1746.* incip. *Ubi primum* inſertis, & confirmatis ſuis Apoſtolicis Litteris datis ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum ſubjicit excommunicationi Summo Pontifici, præterquam in articulo mortis, reſervatæ omnes docentes oppoſitum, contradicentes, ac male interpretantes dictas Apoſtolicas Litteras: Et decernit, Confeſſarios præſumentes interrogare pœnitentes de nomine ſocii, ſeu complicis, loco habitationis, & aliis ſimilibus circumſtantiis, & eiſdem pœnitentibus, ſi manifeſtare noluerint, Sacramentalem abſolutionem denegantes, ultra peccati mortalis incurſum, ſuſpenſionis ab Officio audiendarum Confeſſionum, aliiſque gravioribus pœnis fore ſubjiciendos. Tam docentes licitam eſſe dictam reprobatam praxim, quam in ejuſdem praxis defenſionem ſcribentes, aut loquentes, & ejuſdem reprobationem impugnantes ac perverſe interpretantes; Et ipſos Confeſſarios contrafacientes cum ſuſpicione pravi dogmatis, judicari, ac puniri mandat in Officio S. Inquiſitionis; Cui Sancto Officio omnes ſcientes ſimiles delinquentes denunciare teneantur intra terminum d'erum ipſis Edictis præfigi ſolitum, ſub pœnis non denunciantibus per eadem Edicta infligi conſueti. Confeſſarios autem contrafacientes ſine dicta pravi dogmatis ſuſpicione judicandos & puniendos eſſe ab Ordinariis, nec eſſe S. Officio denunciandos decernit.

46 In ſecunda autem data *ſub 28. Septembris 1746.* incipiente *Ad eradicandum*, confirmat, & ampliat ſuas jam ad id editas Apoſtolicas Litteras, decernens, ipſas non ſolum pro Regnis Luſitaniæ, & Algarbiorum, ſed generalis definitionis & Legis vim, auctoritatemque habere, & declarans memoratam praxim in ſeipſa, & ubique locorum, ac temporum Apoſtolica auctoritate reprobatam, atque damnatam eſſe, & cenſeri debere: Nec ulli licitum eſſe contra doctrinam in præfato ſuo Brevi contentam docere, ſcribere, aut loqui eamque impugnare, aut perverſe interpretari, vel ipſi actu contraire, ſub pœnis adverſus tuentes, aſſerentes, aut tradentes opiniones ſcandaloſas, pernicioſas, & uti tales a Sede Apoſtolica rejectas, & condemnatas, & reſpective adverſus contrafacientes Mandatis Apoſtolicis, & Eccleſiaſticis ſanctionibus, ſtatutis, atque præſcriptis.

### *Novæ additiones ex aliena manu.*

1 Eſſe ſuſpectum de Fide, & ſubjici judicio Inquiſitorum eum, qui revelat Confeſſionem, & frangit ſigillum, reſolutum fuit a Congregatione S. Officii 4. *Decembris* 1603: tum 29. *Januarii* 1604. & demum *die* 17. *Junii* 1605.

2 Sequuta fortaſſis fuit Sacra Congregatio opinionem nonnullorum Doctorum tenentium, expedire hoc delictum Inquiſitoribus deferri ex ratione illa, quod Confeſſarius redditur ſuſpectus de fide ex injuria, quam irrogat Sacramento; *De Leon. de Offic. Confeſſar. tom. 1. recollect. 22. n. 12. Campanil. diverſor. jur. Canon. rubric. 11. cap. 32. n. 5. Traſmier de Polygam. l. 3. q. 2. n. 30. in fine, & latius n. 53.* aliique plurimi.

3 Sed, ut refert *Albic. de Inconſtan. in fid. cap. 35. num. 88.* 25. *Martii* 1619. ab eadem S. Congregatione fuit reſolutum, cauſam hanc non ſpectare ad S. Officium, & ita ſemper fuit poſtmodum ſervatum

4 Ceterum, ut ſubdit idem *Albic. ubi ſupra*, & convenit *Auctor. n. 36.* prima opinio locum ſibi vindicat quando frangens ſigillum Confeſſionis haberet aliquem errorem in intellectu, ut ſi diceret licitam eſſe revelationem ſigilli, vel aliter oſtenderet ſe male ſentire de Eccleſiaſticis Sacramentis.

5 Tum etiam procedit prima opinio, ſi ageretur de Confeſſario, qui pluries ſigillum Confeſſionis fregit, idque quia ex hiſce iteratis actibus inſurgeret ſaltem levis aliqua ſuſpicio Hæreſis; *Albic. citato loco*.

6 Et demum amplectenda & eſt prima opinio, ſi Confeſſarius

rius frangens ſigillum Confeſſionis eſſet homo malæ famæ, & alias de Hæreſi ſuſpectus; *Albic. eod. loco*.

7 An propter delictum Hæreſis licita ſit revelatio Confeſſionis, tum an aliis ex cauſis poſſit aliquando eſſe licita revelatio Confeſſionis, vide apud *Albic. loco pluries allegato*.

## S I M O N I A.

### A r t i c u l u s I.

Simonia quoad ea, quæ concernunt ejus originem, naturam, diviſionem, materiam, & pretium.

1 Simonia dicta eſt, & originem traxit a Simone Mago; Licet enim jam a pluribus ante ipſum Simonem Magum vitium iſtud commiſſum fuiſſet, ut a Balaam pretio conducto per Balac Regem, ut malediceret populo Iſrael, ſicuti habetur *Num. c.22.* a Giezi famulo Eliſei Prophetæ ut habetur *4. Reg. cap.5.* a Jaſone, qui pro Sacerdotio multa talenta Regi Antiocho obtulit, ut patet *2. Machabæor. cap.5.* & a Juda iniquo Mercatore, qui triginta argenteis vendidit Infinitum bonum Chriſtum Redemptorem noſtrum, *cap. Qui ſtudet 11. cauſ.1. quæſt.1.* Attamen non ab iſtis, ſed a Simone Mago vitium iſtud nomen deſumpſit. Cum enim hic vidiſſet, quod per manuum impoſitionem ab Apoſtolis daretur Spiritus Sanctus, talem mirabilem virtutem, remque maxime ſpiritualem vili pecuniarum pretio emere præſumebat, ut expreſſe habetur *Actor.8.* ibi; *Obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum*: Cujus execrabilem malitiam illo increpans S. Petrus dixit ad eum; *Pecunia tua tecum ſit in perditionem quoniam Donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Perfidus enim ille execrabili avaritia repletus intendebat pecunia virtutem illam conſequi, ut eamdem cum quæſtu, & majori temporali lucro exercere valeret, ut expreſſe habetur *in cap. Salvator 8. cauſ.1. quæſt.3.* ibi: „ Simon Magus, qui ad fidem ficte acceſſit, non Spiritum Sanctum propter Spiritum Sanctum, quo ipſe erat indignus, (quoniam, ut ſcriptum eſt, Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum) ſed id eo, quantum in ipſo erat, emere voluit, ut ex venditione ſignorum, quæ per eumdem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur „.

2 Simonia „ eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum pro re temporali ut pretio; Eſt in re Communis „. Quamvis tamen alii clarius Suarez *tom.1. de Religion. tract.3. lib.4. c.1.* eam definiant ſic: „ Simonia eſt ſacrilegium, quo per emptionem, & venditionem, vel ſimilem contractum res cum ſpiritualis, ut talis pro temporali commutatur „. Sic enim comprehenditur, omnis contractus etiam innominatus; *Do ut Des, Do ut facias &c.*

3 Simonia ex ſua natura eſt peccatum mortale Sacrilegii graviſſimum. *Communis*; Et quod ſit Sacrilegium, habetur expreſſe *ex c. Audivimus 1. cauſ.1. q.3.* Per eam enim indigne, ac irreverenter tractantur res Sacræ, ſeu Spirituales, quod ſemper eſt Sacrilegium: quod autem ſit peccatum mortale graviſſimum, clare habetur *ex Actor. 8.* ubi Sanctus Petrus in Simonem Magum cum æternæ perditionis comminatione graviter invehendo dicitur: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam Donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Unde Urbanus II. *in cap. Salvator 8. cauſ.1. quæſt.3.* ait: *Nec Apoſtolus emptionem Spiritus Sancti, quam bene fieri non poſſe noverat, ſed ambitionem quæſtus talis, & avaritiam, quæ eſt Idolorum ſervitus exhorruit & tum maledictionis jaculo percuſſit.* Item quod ſit graviſſimum peccatum, colligitur ex pluribus Sacris Canonibus, & ſignanter *ex cap. Quiſquis 5 cauſ.1 quæſt. 1*, ubi Simonia vocatur *piaculare flagitium, cap. Reperiuntur 7. cauſ. & quæſt eadem* ubi appellatur *execrabile flagitium, cap. Eos, qui 21. cauſ. & quæſt. ead.* ubi Simoniaci *Judæ comparantur proditori, qui Judæis Dei occiſoribus Chriſtum vendidit, cap. Patet 27. cauſ.1. q. 7.* ubi Paſchalis Papa graviſſimam hujus vitii malitiam & pravitatem paucis exprimere volens dixit expreſſe: *Omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæreſis quaſi pro nihilo reputantur.* & ſic ex plurimis ſimilibus.

4 Simonia dividitur in Simoniam Juris Divini, ſeu Naturalis, & Simoniam Juris humani, ſeu Eccleſiaſtici. Sic Gloſſa communiter, recepta *in cap Ex parte 12. verb. Dimittere, de Offic. Delegat.* & Canoniſtæ Communiter. 5 *Simonia Juris Divini, ſeu Naturalis* eſt quæ prohibetur, quia mala, & repugnans Juri naturali ac Divino, ut pro re temporali dare vel promittere rem vere ſpiritualem, aut annexam ver. gr. Hoſtiam conſecratum, Sacramenta, Reliquias, Calicem conſecratam, ut conſecratum, & hujuſmodi. Et dicitur *Simonia Juris Divini & Naturalis*, quia natura ipſa, ſeu lumen naturale dictat, nimis indecens malum, & rei Sacræ injurioſum eſſe res vere ſpirituales a ſola liberali Dei manu dependentes, & omnia temporalia ſine comparatione ſuperantes, non ut tales tractare, ſed rebus temporalibus æquiparare, & hominum arbitrio, & æſtimationis ſubjicere. 6 *Simonia juris Humani, ſeu Eccleſiaſtici* eſt, quæ mala eſt, quia prohibita ſolo Jure Humano; ſeu Eccleſiaſtico, & non ex natura rei, ſeu Jure Divino; & committitur, quando non quidem datur temporale pro ſpirituali, aut e contra, ſed ſpirituale pro ſpirtuali, vel temporale pro temporali contra Legem tamen Eccleſiaſticam ex motivo Religionis poſitam ſub pœnis Simoniæ *Juris Divini* ob periculum, & ſpeciem ejuſdem Simonię; Et dicitur Simonia *juris Humani, ſeu Eccleſiaſtici*, quia ortum habet a ſola Lege Humana, ſeu Eccleſiaſtica; Et talis *Simonia juris Humani ſeu Eccleſiaſt.* committitur in omni permutatione Beneficiorum facta ſine auctoritate Superioris, quia licet per talem permutationis contractum non detur temporale pro ſpirituali, ſed duntaxat ſpirituale pro ſpirituali; Nihilominus quia tamquam Simoniacum, & ſub pœnis Simoniæ prohibitum eſt, ne id propria auctoritate fiat, *cap. Quæſitum 5. cap. Cum olim 7. de rerum permutat.* labem Simoniæ Eccleſiaſticæ continet. Item Simonia Juris Humani, ſeu Eccleſiaſtici committitur, quando venduntur res, quæ revera tantum ſunt temporales, ut cum venditur materia rei ſpiritualis, quæ ſecundum ſe eſt pretio eſtimabilis, verb. grat. Sacrum oleum, vel Chriſma, quod prohibitum eſt ſolo Jure Eccleſiaſtico, *cap. Non ſatis 8, de ſimonia*; Vel cum venduntur quædam Officia temporalia ordinata ad temporalium rerum Eccleſiæ adminiſtrationem, ut Officium Theſaurarii, Œconomi, Sacriſtæ, & hujuſmodi; Quamvis enim hæc Officia ſint quid mere temporale, & conſequenter in eorum venditione detur ſolummodo temporale pro temporali, tamen, quia ex quo talia Officia ab Eccleſiaſtica poteſtate, & Juriſdictione Prælatorum a Chiſto data inſtituantur, Eccleſia id tamquam Simoniacum prohibuit. *cap. Si quis Epiſcopus 8. cauſ.1 q.1 cap. Salvator 8. cauſ.1. q.3. cap. Conſulere 38. de Simonia*, cum ſimilibus, venditio hujuſmodi labi & pœnis Simoniæ ſubjacet. Sic *in re Doctores communiter.*

7 Utraque dicta Simonia tam Juris Divini, ſeu Naturalis, quam Juris Humani, ſeu Eccleſiaſtici dividitur in Simoniam mentalem, conventionalem, & realem. *Communis*. 8 Simonia mentalis eſt voluntas, ſeu propoſitum internum, quo quis dum dat, ſeu confert alteri rem ſpiritualem, intendit illum obligare ad reddendum aliquid temporale, aut e contra dum confert aliquid temporale, intendit illum obligare ad reddendum aliquid ſpirituale, ut ſi Epiſcopus conferat Beneficium Clerico, ut ideo in compenſationem obligatus ſit ei ſervire, aut Clericus ſerviat Epiſcopo ea intentione, ut ei mercedem debitam conferat Beneficium & tandem Beneficium conferatur nulla tamen exterius reali, vel ſignis facta conventione, ſeu pacto; Unde, ut vides, hæc Simonia dicitur mentalis, non quia ſit nudum propoſitum committendi ſimoniam, etiamſi in nullum actum exteriorem exeat, uti datur etiam mentalis fornicatio, homicidium, & hujuſmodi, ſed quia licet externum actum habet, v. gr. collatio rei ſpiritualis pro intenta re temporali, aut e contra; malitia tamen illius Simoniacæ intentionis ſe non prodit exterius, ſed in ſola mente remanet. *Communis.* 9 Et hæc Simonia mentalis, quamvis ſine dubio ſit grave peccatum a Deo cordium Scrutatore diſtricte puniendum, nullam tamen in quacumque materia inducit poenam Canonicam ab Eccleſia infligendam, cum ipſa judicet ſolum de externis & manifeſtis, & talis Simonia mentalis in foro externo probari non poſſit. Sic *Doctores communiter* per text. *in cap. Tua nos 34. & cap. Mandato noſtro 46. de Simonia.*

10 Simonia conventionalis, quæ ſupra mentalem addit conventionem, ſeu pactum, eſt illa, quæ fit cum externo pacto, ſeu conventione expreſſa, vel tacita dandi, vel recipiendi quidpiam ſpirituale pro temporali, aut temporale pro ſpirituali, conventione tamen nondum impleta ſaltem ex utraque parte; adeoque jam gravius peccatum, quam Simonia mentalis; Unde committitur Simonia conventionalis, non tantum, quando v. gr. collato Beneficio non eſt ſolutum pretium, aut quan-

do



do ſoluto pretio, non eſt collatum Beneficium, ſed etiam quando neutrum datum eſt, ſi de dando pactum, ſeu conventio præceſſerit. Sic *Communis Doctorum*, per textum *in cap. Cum eſſent 13. de Simonia*; 11 Et hæc Simonia conventionalis nullam adhuc inducit poenam Canonicam, non ſolum quando conventio ex neutra parte impleta eſt, ut tradit *Cummuniſſima Doctorum*, ſed etiam quando eſt jam impleta ex una parte, & id non ſolum ſi quis rem temporalem v. gr. pretium dediſſet, ſpirituale tamen v. gr. Beneficium nondum recepiſſet, quia Jura imponentia pœnam Simoniacis requirunt traditionem rei ſpiritualis; Verum etiam, ſi ſpirituale jam datum eſſet, ſed temporale nondum receptum; Sic ex Communi docent Sanch. *conſil. Moral. lib.2. cap.3. dub.10. num.106.* Reiff. *loc. cit. num. 239.* Navarr. *in Manual. cap. 23. num. 104.* Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub.27.* & alii teſtantes ita ſervare ſtylum Curiæ, qui habetur pro Jure, & Lege juxta communem Doctorum, *arg. cap. Ex litteris 11. de Conſtitutionib. & cap. Quam gravi 6. de crimine falſi*; at de hoc fuſius *infra art.3.*

12 Simonia conventionalis alia vocatur *pure conventionalis*, & eſt illa, quæ ſiſtit in pura mutua conventione, & ex neutra parte traditione rei conventæ impleta eſt; Et alia vocatur *conventionalis mixta*; & eſt illa, quæ ultra mutuam conventionem jam ſaltem ex una parte traditione rei conventæ impleta & conſummata eſt; & dicitur *mixta*, quia participat aliquid de pure conventionali, nempe mutuam conventionem, & aliquid de Simonia reali, nempe traditionem rei conventæ ſaltem ex parte unius contrahentis *Communis*.

13 Simonia realis, quæ ſupra Mentalem, & Conventionalem importat executionem utrinque factam, eſt quando conventio de danda re ſpirituali pro temporali, aut e contra, ex utraque parte completa eſt ſaltem inchoative, ſpirituali ſcilicet dato, & temporali ſaltem ex parte recepto, ut ſi conventa collatio Beneficii facta jam ſit, & pretii ſaltem pars ſit ſoluta. Et hæc realis, & completa Simonia inducit graviſſimas pœnas Canonicas, de quibus fuſe *infra art.3. Communis*.

14 Ultra ſupradicta alia additur ſpecies Simoniæ, quæ dicitur *Confidentialis*, ſeu *Confidentia Beneficiorum*; & eſt, ſeu committitur, cum quis alicui dat, vel confert; aut reſignat Beneneficium Eccleſiaſticum, vel ad illud præſentat, eligit, ſeu electum, vel præſentatum, inſtituit, & confirmat cum certa confidentia, & obligatione, ideſt cum expreſſo, vel tacito pacto, vel conditione, ut tamquam ex debito illud ſibimet, vel alteri, ut Fratri, Nepoti, Amico certo tempore iterum cedat, ſeu reſignet, aut ex eo penſionem, vel certam partem fructuum tribuat. *Communis*, & clare patet ex Conſtitut. 85. S. Pii IV. incip. *Romanum Pontificem*, & ex Conſtit. 85. S. Pii V. incip. *Intolerabilis*, uti declaratur, quando, & a quibus committatur dicta *Simonia Confidentialis* quomodo ob ea incurrantur pœnæ, & quomodo in Foro externo probari poſſit: Unde ad uberiorem, & faciliorem notitiam hic ad litteram datur illa Sancti Pii V. incip. *Intolerabilis*.

15 Declaratio caſuum, ac præſumptionum in cauſis Confidentiæ Beneficialis contra quoſcumque etiam S. R. E. Cardinales cum appoſitione pœnarum.

## P I U S V.

Servus Servorum Dei.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Intolerabilis multorum perverſitas, qui Sacroſanctas Conſtitutiones novis quotidie fraudibus eludere nituntur, ſæpe illarum auctores in neceſſitatem adducit cautius providendi quo pertinacium animi ab improbis conatibus graviore ſanctione poſtpoſita reprimantur.

§. 1. Bene quidem, & providenter fel. rec. Pius Papa IV. prædeceſſor noſter ad tollendam fiduciariæ mancipationis Beneficiorum Eccleſiaſticorum corruptelam ſtatuit & decrevit.

§. 2. Verumtamen propter improbas multorum cupiditates prædictas, quæ ad purgandam hac pernicie Eccleſiam, & animarum ſalutem ab ipſo prædeceſſore edita ſunt, in multis deprehendimus viam aperuiſſe gravius delinquendi. Si quidem cum frequentibus plurium querelis pridem concitati, quod Judices in cauſis hujuſmodi confidentiarum expediendis, remiſſiores eſſent, omnes, & ſingulas cauſas ipſas ubicumque, inter quoſcumque motas ad Nos advocaviſſemus ad omnimodam hujuſmodi cauſarum, præſentium, & futurarum, rerumque omnium ex ipſis reſultantium cognitionem Nobis, & Succeſſoribus noſtris reſervaviſſemus, & ſuper quibuſdam coram Nobis proceſſum fuiſſet, variis inde, nec levibus conjecturis intelleximus vitium quidem confidentiæ occulte irrepſiſſe, ſed pleriſque cauſis præſumptiones, & conjecturas, quæ ad illud probandum deducuntur, minime ſufficere, ejuſque rei cauſa plurimos, qui ante Litterarum prædictarum editionem hujuſmodi confidentias exercebant, ubi cognoverunt obſtructam veritatem propter difficultates, probandi in Judiciis confidentias ipſas, contempta Conſtitutione prædicta, Eccleſias, Monaſteria, & Beneficia ſic recepta ut prius retinere, alios fructus, penſiones, & alias res accipere; alias eorum exemplo ad ſimilia, & graviora fidentius commoveri. Multi enim ipſa Beneficia jure retinere nequeuntes, alii ne cogantur ad Sacros Ordines, ad reſidentiam, ad incedendum in habitu Clericali, ut ad bellum proficiſcantur, ut inimicos occidant, alii ut alieno nomine lites agant, aut defendant, alii propter crimina incapaces, quidam ut purgato delicto, vel abſolutione conſecuta illa repetant, eadem in alios deponunt, & in pleriſque fructus ipſorum, aut eis miniſtrantur, aut quibus ipſi ſtatuunt, ſæpe Laicis, & inhabilibus. Plerique vel ſenes, vel infirmi, ut Beneficia in domibus ſuis perpetuent, illa renunciarunt, & renunciant in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus Eccleſiaſticis alant, vel illa etiamnum infantibus, aut naſcituris aſſervent, ſacro interdum circuitu retroceſſionis cum reſervatione fructuum, & aliarum rerum, aut acceſſu, præſertim ab illis, qui præſtandorum jurium Cam. Apoſt. ſunt immunes, alii aut incapaces, aut aliis Beneficiis Eccleſiaſticis onuſti, aut Eccleſiaſtico Ordine ſeſe mancipare refugientes, aut mere Laici Beneficia Eccleſiaſtica aliis conferenda procurant, ut de illis poſtmodum ad libitum ſuum diſponatur, fructus etiam percipientes illorum; Ad hæc plerique Ordinarii, & Collatores, ac etiam Patroni Laici curant deponenda Beneficia, ut fructus ſeu penſiones capiant eorumdem, aliiſve faciant miniſtrari: Alia item permulta hujuſcemodi admittuntur, quibus immaculata rerum divinarum puritas impie violatur, diſciplinæ Eccleſiaſticæ nervus diſrumpitur, & imminens patratur exitium animarum.

§. 3. Quare nos volentes periculoſam talium audaciam novi juris ſubſidio cohibere, præſentium auctoritate ſtatuimus.

Ut ſi quis quacumque auctoritate, Eccleſiam, vel Monaſterium, aut aliud Beneficium Eccleſiaſticum qualecumque, ex reſignatione, vel ceſſione cujuſcumque perſonæ ſimpliciter, aut cum circuitu retroceſſionis, cum regreſſu, vel acceſſu etiam ſola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regreſſus, vel acceſſus eidem dimittatur, vel alteri poſtea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel penſiones ſolvantur, ex eiſdem hæc confidentia cenſeatur.

Itidem ſi Ordinarius, vel alius Collator contulerit antehac, aut conferat in futurum Beneficium Eccleſiaſticum quovis modo vacans, ea conditione, tacita, vel expreſſa, ut poſtea in alterum pro arbitrio Collatoris, ſeu alterius cujuſcumque contra juris communis ordinationem diſponatur, ſive ut de eo proviſus, fructus illius, vel partem, ad utilitatem, vel libitum Conferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat, & remittat, ſeu penſionem illi, vel illis, quem, vel quos idem Collator, aut cedens, vel alius per ſe, vel alium ſcripto, aut verbo juſſerit, ſeu ſignificaverit, perſolvat, & pariter ſi a Patrono etiam Laico, vel alteri præſentatori, ſeu electori contingat id fieri.

Ad hæc ſi Clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alius a ſolutione jurium ipſius Cameræ vel etiam Concellariæ Apoſtolicæ exemptus, poſt reſignationem, vel ceſſionem alicujus extranei, de Eccleſia, Monaſterio, vel alio Beneficio Eccleſiaſtico in ſe, Apoſtolica, vel alia auctoritate factam, & admiſſam, illam, vel illud etiam confectis Litteris Apoſtolicis, & poſſeſſione apprehenſa in eumdem reſignatem, vel cedentem, modico ſpatio interjecto, veluti duorum, vel trium menſium retroceſſerit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retroceſſione fructus Eccleſiæ, ſeu Monaſterii, aut Beneficii, vel eorum, ſeu penſio, ſeu quid aliud ſuper his reſervatum, aut regreſſus, ſeu acceſſus, & ingreſſus ad illam, vel illud ipſi Clerico, vel Cardinali, aut alii exempto ſit, fueritve conceſſus.

Poſtremo ſi quis crimine aliquo abſolutus, aut cum quo ſuper Irregularitate diſpenſatum eſt, denuo receperit quacumque auctoritate Eccleſiam, Monaſterium, vel aliud Beneficium, quod ante, vel poſt commiſſum delictum, aut contractam irregularitatem dimiſerit, in quibus horum caſuum confi-

dentiæ pravitas ſit contracta, caſuſque hujuſmodi Litteris prædictis comprendantur, ac ſi illis ſpeciatim expreſſis fuiſſent, licet ipſum confidentiæ crimen alterius tantum partis conſcientia ſit admiſſum.

§. 4. Ad probandum vere plene Confidentiarum abuſum inter alias etiam hæ præſumptiones, & conjecturæ habeantur legitimæ. Videlicet.

Si quis poſt ceſſam ab ſe Eccleſiam, vel Monaſterium, aut Beneficium, & publicatam reſignationem, ſeu ceſſionem, captamque a Succeſſore poſſeſſionem, ſeſe in illa, vel illo, ſeu rebus illius per ſe, vel alium, ſeu alios de facto ingeſſerit, aut fructus perceperit, aut quicumque ſucceſſor illi, vel ejus propinquis ipſos, aut partem aliquam remiſerit eorumdem.

Si recipiens Beneficium conſtituerit dimittentem, vel ejus parentes, aut propinquos, procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus Beneficii dimiſſi, & alii, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit.

Si vel ſola Procuratoris depoſitione, vel libris rationalibus menſariorum ex parte dimittentis, expedito, quæ perſonam recipientis concernit, proſecuta ſit, ſimulque expenſæ pro ea neceſſariæ ab illo factæ fuerint.

§. 5. Denique ſi quis pro conceſſione alicui facta, quacumque auctoritate de Beneficio Eccleſiaſtico, per ſe, vel alium, ſeu alios interceſſerit, vel alias in negotio conceſſionis ſeſe immiſcuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis Beneficii de facto, etiam per manus poſſeſſoris, ac etiam ſimplicis donationis titulo perceperit, ſeu de illo poſtmodum ad voluntatem interceſſoris fuerit diſpoſitum quandocumque.

§. 6. Teſtes autem de quaque re ſingulares ſingulas probare valeant præſumptiones, & conjecturas, pluresque hujuſmodi præſumptiones, & conjecturæ plenam probationem faciant in prædictis.

§. 7. Ceterum criminoſi, & ceteri omnes, qui ad perhibendum in caſibus Simoniæ teſtimonium, recipi poſſunt, ad prædicta omnia admittantur.

§. 8. Sed ne quiſquam etiam vana fiducia fretus non intendendi contra ſe judicii, in crimine perſeveret, utque hoc malum gravioris Cenſuræ ſtimulo uſquequaque prohibeatur, omnes, & ſingulos, qui hucuſque Eccleſias, Monaſteria, Beneficia, fructus, Penſiones, aliaſve res intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, niſi ſtatim ad ſe reverſi & reſipiſcentes celeri dimiſſione ſibi proſpexerint, & qui quid tale admiſerint in futurum, etiam omnibus, & ſingulis aliis Eccleſiis, Monaſteriis, Dignitatibus, Adminiſtrationibus, Officiis, & Beneficiis obtentis, quæ pariter ſub dicta reſervatione comprehendi volumus, nec non fructibus, Penſionibus, & aliis rebus Eccleſiaſticis, ac etiam Romanæ Curiæ, & aliis Officiis temporalibus præſentium auctoritate privamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in juris ſubſidium Excommunicationis ſententia innodamus, a qua nullus niſi in mortis articulo conſtitutus ab alio, quam a Romano Pontifice abſolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim advocatione cauſarum hujuſmodi, & reſervatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, Nobis, & prædictis Succeſſoribus, ut prædictum eſt, facta, cauſis illis duntaxat exceptis, quæ jam coram Nobis pendere noſcuntur, ac etiam iis, quas ratione Eccleſiarum, & Monaſteriorum, quorum diſpoſitio in Conſiſtorio fieri conſuevit, aut debet, itemque contra Ordinarios, Collatores, Epiſcopos, & alios Superiores Prælatos, etiam Cardinales haberi contigerit, uti jam aliis noſtris Litteris ſtatutum eſt, audiendis, decidendis, & terminandis, harum ſerie prorſus relaxata, decernimus, ita deinceps quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac prædictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & ipſorum cuicumque quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, interpretari, & definiri debere, nec non irritum, & inane quidquid ſecus in prædictis per quoſcumque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Quo circa omnibus Locorum Ordinariis diſtrictius injungimus, ut in ſuis quiſque Eccleſiis, Civitatibus, Diœceſibus, & locis etiam exemptis ad prædicta ſtudioſe attendant, & quatenus illis relaxavimus in delinquentes ſevere animadvertant, ſi Divinæ Majeſtatis Judicium, dictæque Sedis Cenſuram voluerint evitare. In ceteris vero cauſis, & negotiis (Nobis, & prædictis Succeſſoribus exceptis) eoſdem Locorum Ordinarios præſentium auctoritate delegamus, ut gratia, & favore poſtpoſitis pro ſe quiſque cum venerit uſus, contra prædictos omnes ſub ipſa exceptione comprehenſos diligenter inquirant, ſuaſque inquiſitiones omnes Sigillo obſignatas ad prædictam ſedem quamprimum transferant; ut Nos, & prædicti Succeſſores, in cauſis hujuſmodi procedentes quod juſtum fuerit, decernamus: Non enim ſingulis Ordinariis ipſi prædictos omnes, & quoſcumque alios etiam exemptos, etiam per Edictum publicum, conſtito prius Summarie, & extrajudicialiter de non tuto ad illos acceſſu citandi, & monendi, eiſque, ac Judicibus ordinariis, & delegatis, aliiſque perſonis quibuſcumque, ne prædictorum executionem quoquo modo impediant, vel alias in illis ſeſe interponant, etiam per ſimile Edictum inhibendi, eoſdem, ac alios contradictores, & rebelles quoſcumque per Cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac omnia alia juris, & facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachii Sæcularis quandocumque opus erit, invocandi, ceteraque in prædictis omnibus, & ſingulis neceſſaria faciendi, & exequendi plenam, & liberam tenore præſentium concedimus facultatem.

§. 10. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, aliiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus, & ordinationibus, quodque Epiſcopis, Collatoribus, & Prælatis prædictis, etiam Cardinalibus, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a prædicta ſit Sede indultum, vel in poſterum indulgeri contingat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut contra indulta hujuſmodi ad judicium trahi non poſſint per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, & ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant per quæ præſentibus non expreſſa, aut in totum non inſerta, effectum præſentium, aut attributæ prædictis Ordinariis juriſdictionis explicatio, ſeu exercitium, vel executio impediri valeat quomodocumque, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris Litteris mentio ſpecialis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 11. Litteris prædeceſſoris hujuſmodi nihilominus in ſuo robore duraturis.

§. 12. Volumus autem, ut præſentium exempla etiam impreſſa edantur, eaque Notarii publici manu, & cujuſcumque Curiæ Eccleſiaſticæ, vel Prælati Sigillo obſignata eadem illam prorſus fidem, in Judicio, & extra ubique locorum faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino &c.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Domini 1569. Kal. Junii, Pontific. noſtri anno 4.

Materia Simoniæ eſt res ſpiritualis, ſeu ſpirituali annexa, 16
*Communis*.

Per *rem autem ſpiritualem*, pro qua tamquam materia, ſeu 17
merce datur temporale vi Simoniæ, non intelligitur res incorporea, ut Angeli, ſeu anima rationalis, ſed omne, & ſolum illud, quod aliquo modo Donum ſupernaturale eſt, ſeu ad bonorum ſupernaturalium ordinem pertinet, & ad ſpiritualem animæ ſalutem ex inſtitutione Divina, vel humana eſt ordinatum; *Communis*, *arg. cap. Gratiæ* 1. *cap. Qui ſtudet* 11. *cauſ.* 1. *q.* 1. cum ſimilibus.

Et hujuſmodi *res ſpirituales* ſunt omnes Gratię gratum facien- 18
tes, & gratis datę. Omnia Sacramenta, & Sacramentalia. Omnia Divina Officia, & Orationes publicæ, & privatæ. Omnis actus Juriſdictionis Eccleſiaſticæ ut abſolutio a peccatis, & Cenſuris, collatio Indulgentiarum, diſpenſatio in votis, & juramentis, electio, poſtulatio, præſentatio, nomitatio, inſtitutio, collatio, Inveſtitura cujuſcumque Beneficii, Officii, ac Dignitatis Eccleſiaſticæ, & hujuſmodi, quæ ne Simoniace præſtentur, ſeu efficiantur, paſſim prohibetur; Doctores communiter, per text. *Actor. Apoſtolor. cap.* 8. *num.* 20. ibi: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem quoniam Donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*; *Matth. cap.* 10. *num.* 8. ibi: *Gratis accepiſtis, gratis date*, *cap. Gratiæ* 1. *cap. Quiſquis* 5. *cap. Reperiuntur* 7. *cap. Qui per pecuniam* 9. *cap. Qui ſtudet.* 11. *cap. Eos qui* 21. *& cap. Nullus Epiſcopus* 124. *cauſ.* 1. *quæſt.* 1. *cap. Non ſatis* 8. *cap. Cum in Eccleſiæ* 9. *cap. De hoc.* 11. *cap. Nemo* 14. *cap. Veniens* 19. *cap. Ex tuæ* 20. *cap. Ad aures* 24. *cap. De Regularibus* 25. *cap. Nobis fuit* 27. *cap. Suam* 29. *& c. In tantum* 36. *de Simonia*, cum ſimilibus.

Per *rem ſpirituali annexam* intelligitur illa, quæ quidem in 19
ſe, & intrinſece ſpiritualis non eſt, ſibi tamen annexam, & conjunctam habet rem ſpiritualem, indeque *materiam*, ſeu *mercem* Simoniæ ingreditur; *Communis*, *arg. cap. Si quis da-*





*tor* 2. *cap. Si quis Epiſcopus* 3. *cap. Quæſitum* 4. *cap. Si quis objecerit* 7. *cauſ.* 1. *q.* 3.

20 Et hujuſmodi *res ſpirituali annexæ* ſunt Jus patronatus, redditus, Beneficiorum Penſiones, Primitiæ Decimæ, Oblationes, ſeu Jura has percipiendi, Labor actualis in adminiſtratione Sacramentorum, & celebratione Miſſarum, Templa Altaria, Calices, Vaſa, & Paramenta Sacra, Agnus Dei, & omnes aliæ res conſecratæ, ſeu benedictæ, quæ omnes ratione, & intuitu talis connexionis cum conſecratione, ſeu benedictione, vel cum Beneficio, ſeu Officio, aut Miniſterio ſpirituali ſunt *materia*, ſeu *merx* Simoniæ; Unde qua tales vendi, emi, & in commercium poni paſſim prohibentur in Jure, ut notant communiter Doctores, per text. *in cit. cap. Si quis dator* 2. *cap. Si quis Epiſcopus* 3. *cap. Quæſitum* 4. *c. Si quis objecerit* 7. *cap. Salvator* 8. *cap. Ex multis* 9. *cap. Res Eccleſiæ* 12. *cap. Pervenit* 13. *cap. Altare* 14. *& cap. Si quis Præbendas* 15. *cauſ.* 1. *quæſt.* 3. cum ſimilibus.

21 Pretium Simoniæ Juris Divini eſt omnis, & ſola res temporalis, quæ datur, vel offertur pro re ſpirituali, vel ſpirituali annexa; *Communis*, per text. *Act. Apoſtolor. cap.* 8. *num.* 20. *Matthæi cap.* 10. *n.* 8. *cap. Gratiæ* 1. *cap. Quiſquis* 5. *c. Reperiuntur* 7. *cap. Qui per pecuniam* 8. *cap. Qui ſtudet* 11. *cap. Eos qui* 21. *cap. Nullus Epiſcopus* 124. *cauſ.* 1. *q.* 1. *cap. Non ſatis* 8. *cap. Cum in Eccleſiæ* 9. *cap. De hoc.* 11. *cap. Nemo* 14 *cap. Ad noſtram* 21. *cap. Ad aures* 24. *cap. Nobis fuit* 27. *c. Suam* 29. *de Simonia*, &c.

22 Dicitur autem notanter *Pretium Simoniæ Juris Divini*, quia pretium Simoniæ *Juris Eccleſiaſtici* poteſt eſſe etiam aliquid ſpirituale, ut patet in materia Beneficiorum, quæ licet ſint quid ſpirituale, nihilominus ſi propria auctoritate fiat illorum commutatio, aut tranſactio in materia, committitur Simonia Juris Eccleſiaſtici, quamvis ſolum detur ſpirituale pro ſpirituali; *cap. Quæſitum* 5. *c. Cum olim* 7. *de rerum permutat. c. Cum pridem* 4. *de pactis*, *cap. Conſtitutus* 4. *de tranſlationibus*.

23 Extra tamen materiam beneficiorum numquam committitur Simonia, etiamſi propria auctoritate detur ſpirituale pro ſpirituali, v.g. Reliquia pro Reliquia, Calix pro Calice, ſeu ciborio, & hujuſmodi. *Communis*; Et ratio eſt, quia id nullo Jure, nec Divino, nec Humano reperitur prohibitum; immo id licere conſtat ex Sacra Scriptura. *Joann.* 1. ibi: *Gratiam pro Gratia*. Nulla enim irrogatur injuria rei Sacræ, cum datur non pro re temporali, ſed ſolum pro ſpirituali.

24 Pretium ſimoniacum in Jure vocari ſolet *Munus*, non quidem prout *Munus* ſignificat Donum gratuitum, ſed prout importat onus, ſeu debitum ex obligatione; *Munus* enim accipitur tribus modis, quorum unus eſt prout importat dictum onus, ut expreſſe habetur *in l. Munus tribus modis* 18. *ff. de verb. ſignif.*

25 Pretium, ſeu Munus Simoniacum dividitur in Munus a manu, Munus ab obſequio, & Munus a lingua. *Communis*, textu expreſſo *in c. Sunt nonnulli* 24. *cauſ.* 1. *q.* 1. ubi S. Gregorius Papa ſic habet: *aliud eſt munus a lingua*: *Munus quippe ab obſequio eſt ſubjectio indebite impenſa*, *Munus a manu pecunia eſt*, *Munus a lingua favor*.

26 Per *Munus igitur a manu* intelligitur pecunia, *cit. cap. Sunt nonnulli*, ibi: *Munus a manu pecunia eſt*; Pro pecunia autem venit omnis res temporalis pretio æſtimabilis, ſive mobilis, ſive immobilis, ut ſunt equi, currus, vaſa argentea, aurea, dolia vini, Jura, cenſus, penſiones, mutatio pecuniæ, debiti remiſſio, ſeu dilatio, aut anticipata ſolutio debiti nondum finito termino, & hujuſmodi. *Communis*, per text. *in cap. Totum* 6. *cauſ.* 1. *qu.* 3. ibi: „ Totum quidquid homines habent „ in Terra, omnia quorum Domini ſunt, pecunia vocatur, „ ſervus, vas, ager, arbor, pecus, quidquid horum eſt, „ pecunia dicitur; Ideo autem pecunia vocata eſt, quia an„ tiquitus quod habebant in pecoribus habebant.

27 *Per munus ab obſequio* intelligitur quodcunque miniſterium, ſervitium, ſeu obſequium temporale tacito, vel expreſſo pacto pro re ſpirituali præſtitum, vel præſtandum, & hoc præſertim pro Beneficio, ita nimirum ut Beneficium detur, & acceptetur in compenſationem ejuſmodi miniſterii, ſervitii, ſeu obſequii, velut mercedem, & ſolutionem ex juſtitia loco alterius mercedis temporalis ſolvendæ. *Communis*, *argum. cap. Cum eſſent* 12. *de Simonia*, *& cit. cap. Sunt nonnulli*, ibi: *Munus quippe ab obſequio eſt ſubjectio indebite impenſa*.

28 *Per Munus a lingua* intelligitur omnis laus, commendatio, patrocinium, advocatio, interceſſio, & hujuſmodi apud alium, v.g. apud Epiſcopum ex pacto conventa, tamquam res ex juſtitia debita in compenſationem pro re ſpirituali v.g. pro Beneficio. *Communis*, *arg. cit. cap. Sunt nonnulli*, ibi: *Munus a lingua favor*.

Ad Simoniam requiritur pactum aliquod expreſſum, vel 29
tacitum ſaltem ex una parte inchoatum, aut intentum dandi temporale pro ſpirituali, aut e contra. *Communis*. Non re- 30
quiritur tamen neceſſario pactum expreſſum, ſed ſufficit pactum tacitum, ſeu implicitum ſaltem ex una parte inchoatum, vel intentum, quo quis temporale dat animo, & intentione alterum obligandi, aut movendi ad reciproce dandum ſpirituale, aut e contra. *Communis* per textus *in cap. Et ſi quæſtiones* 18. *& cap. Tua nos* 34. *de ſimonia* cum ſimilibus. Unde Innocentius XI. *die* 2. *Martii* 1679. merito damnavit ſequentem propoſitionem 45. in ordine: *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed duntaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut e contra*; Et inſuper hanc aliam ſequentem 46. in ordine: *Et id quoque locum habet etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale. Immo etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis*; In quibus propoſitionibus ſupponitur, quod temporale pro ſpirituali detur cum aliquo pacto ſaltem implicito, aut interpretativo, ut exponunt Viva *ad ipſas propoſitiones numer.* 1. Sporer *loc. citat. numer.* 36. & alii.

Hinc colliges primo, quod pactum etiamſi ſolum obliget 31
ex benevolentia, gratitudine, ac fidelitate, & non ex juſtitia, adhuc continet Simoniam, ſuperaddit enim novum gravamen pretio æſtimabile, quia qui pactum hujuſmodi non ſervat, eſto alia via obligationi gratitudinis ſatisfaciat, notatur ſaltem ut infidelis; Tum quia gratitudo non obligat ad aliquod determinate præſtandum, ſicuti obligat pactum illud prævium, adeoque &c. Unde Simoniaca ſunt omnia hujuſmodi pacta expreſſe, vel tacite facta, verb. gr. *Si mihi contuleris Beneficiam*, *obligo me ex gratitudine ad tibi præſtandum famulatum ſine ulla mercede*. Item: *Si mihi conferes Beneficium*, *dabo tibi vas argenteum*, *non tamquam pretium*, *ſed veluti motivum compenſationis*. Item: *Si des mihi liberaliter veſtem*, *dabo tibi liberaliter Beneficium*. Et ſic de aliis ſimilibus, in quibus omnibus committitur Simonia, quia quamvis dicatur ſignate id fieri ex gratitudine, ex liberalitate, in compenſationem, & hujuſmodi, exercite tamen admittitur nova obligatio diſtincta a debito gratitudinis, liberalitatis, & compenſationis, ſicque revera non eſt gratitudo, liberalitas, ſeu compenſatio, ſed pretium ſaltem æquivalenter, & conſequenter adeſt in his vera Simonia. *Sic jam Communis* poſt damnationem duarum allatarum propoſitionum, unde non ſunt amplius attendendi Doctores, qui contrarium antea ſcripſerant.

Colliges ſecundo, quod, qui dat aliquid temporale, tam- 32
quam motivum alicujus ſpiritualis ſibi reciproce dandi, v. g. ut alter moveatur ad conferendum ſibi Beneficium, committit Simoniam, quam etiam committit recipiens tale temporale, ſi per hoc motus illi conferat Beneficium quamvis nullum aliud pactum, ne implicitum quidem interveniat. Sic tenent jam paſſim Doctores cum Carden. *diſſert.* 27. *cap.* 2. *ad dictas propoſitiones damnat.* Viva *ibid.*, Reiffenſt. *l.c. a numer.* 77. La Croix *lib.* 3. *p.* 1. *n.* 73. & clare patet ex citatis propoſitionibus damnatis, & inſuper *ex Cap. Tua nos* 34. *de Simonia*, ibi: „ ſi tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione „ ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, ſpiritualia „ valeat adipiſci, & Clerici, qui eum in Fratrem admit„ tunt, non eſſent eum, niſi commoda temporalia perciperent, admiſſuri, ſine dubio, tam ille, quam illi apud di„ ſtrictum Judicem, (qui eſt Scrutator cordium, & cognitor „ Secretorum) culpabiles judicantur „. Et concordat *capit.* „ *Et ſi quæſtiones* 18. *de Simonia*, ibi: Quod autem ſcriptum „ eſt) beatus qui excutit manus ſuas ab omni munere) de „ illis donis dictum eſt, quæ accipientis animum allicere, „ & pervertere ſolent „. Et ratio eſt clara, quia dans taliter temporale, proxime parat ſibi viam ad Beneficium; & ob id motus conferens illi Beneficium, dat ſpirituale pro temporali, quod vere eſt ſimoniacum.

Colliges tertio, quod non ſit Simonia dare, ſeu præſtare 33
temporale ſub ſpe conſequendi ſpirituale non principaliter, & primario, ſed ſolum ſecundario, & minus principaliter intendatur; Secus autem ſi ſpirituale intendatur principaliter,

et primario; Unde Clericus, ſi ſuum famulatum præſtet Epiſcopo intendens ob id principaliter, et primario conſecutionem Beneficii, eſt Simoniacus; Secus autem ſi principaliter, et primario intendat gratiam Prælati, ſeu cognitionem ſuæ habilitatis apud ipſum, et inde ſecundario ſperet conſequi Beneficium; Sic expreſſe Gloſſa communiter recepta *in c. Cum eſſent* 12. *de Simonia verb. Promiſerat*, ibi: „ Poteſt „ ergo licite quilibet ſervire Epiſcopo, vel alii ſpe futuræ „ remunerationis, nec committitur Simonia in tali ſpe, cum „ ſine omni pactione, vel conditione ſerviat. Dummodo „ principaliter hac intentione non ſerviat „. Et ſic tenent Abbas *in cit. Cap. Cum eſſent num.*4. Barboſa *ibidem num.* 4. Silveſter *verb. Simonia quæ.* 16. *dict.*4. Navarrus *in Manual. cap.*23. *num.*102. Suarez *de Relig. lib.*4. *cap.*45. *num.*4. ubi dicit, hanc eſſe ſententiam omnium; Pirhing. *lib.* 1. *decret. tit.*3. *num.*86. Reiffenſt. *ibid. num.*89. *& ſeq.* ubi dicit, eſſe in re communiſſima Theologorum, et Canoniſtarum, per textus *in cit. cap. Tua nos* 34. *de Simonia*; Ubi poſtquam Summus Pontifex Innocent. III. de Clerico, qui bona ſua offerens Eccleſiæ rogavit, & ſperavit recipi in Canonicum, ita „ reſpondit: „ Si pure, ac ſine pacto, vel conditione qua„ libet rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & „ bona ſua ſibi retinere liceat pro Præbenda, & Clerici ejuſ„ dem Eccleſiæ pure conſentiant, hujuſmodi receptio fieri „ poterit abſque ſcrupulo Simoniacæ pravitatis. *Statim ſubjungit*: Si tamen, qui talem donationem facit, ea intentio„ ne ducatur, ut per temporalia dona, quæ offert, ſpiritua„ lia valeat adipiſci, & Clerici, qui eum in Fratrem admit„ tunt, non eſſent eum, niſi commoda temporalia percipe„ rent, admiſſuri, ſine dubio tam ille, quam iſti apud diſtri„ ctum Judicem (qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor Se„ cretorum) culpabiles judicantur „. *Quid clarius*.

34 Colliges quarto; quod dare ex gratitudine temporale pro ſpirituali jam accepto, vel e contra, ſit Simonia, ſi fiat vi pacti, aut contractus taciti, vel expreſſi ante collationem rei ſpiritualis jam facti; Secus autem ſi ex mera gratitudine ſine ullo præcedenti pacto id fiat. *Sic fere communis Doctorum*. Et quidem quoad primam partem clare patet ex propoſitionibus damnatis ab Innocentio XI. & relatis *ſub n* 30. Et quoad ſecundam partem clare habetur *ex cap. Quidquid* 101. *cauſ.*1. *q.* 1. ibi: *Niſi voluntarie oblata*; *cap. Dilectus* 30. *de Simonia*, ibi: *Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit ſine taxatione oblatum*, *cap. Et ſi quæſtiones* 18. *eod.* cum ſimilibus; Et id patet ex communi recepta praxi, & univerſali conſuetudine, qua, ut obſervat Navarr. *Manual. c.* 23. *n.*106. fere omnes Eccleſiarum Prælati, Jurium peritiſſimi, & conſcientia timoratiſſimi Beneficia Ecleſiaſtica conferunt iis, qui de ſe, vel Eccleſia per Dona, & obſequia temporalia ſunt benemeriti, ut ſic obligationi *Antidorali*, ſeu *gratitudini*, qua illis ſunt obligati, rependendo ſpirituale pro temporali ſatisfaciant. Item ubique terrarum viget praxis, & conſuetudo quod piiſſimi doctiſſimique viri poſt acceptum jam ſpirituale, v.g. Beneficium Eccleſiaſticum ad ſatisfaciendum obligationi *Antidorali*, ſeu *gratitudini* ſine ullo ſcrupulo offerant temporalia dona ſuis Benefactoribus, iſtique ex gratitudine ſine ullo prævio pacto tacito, vel expreſſo, data recipiant. Quinimmo Sacra approbante, & commendante Scriptura omnes Fideles obligationi *Antidorali*, ſeu *gratitudinis*, qua aliis ob accepta beneficia temporalia adſtringuntur, ſatisfacere conantur per ſpiritualia, fundendo videlicet preces, offerendo Sacrificia, & hujuſmodi pro dictis ſuis Benefactoribus. Et ſic alii propter Beneficia Spiritualia a Religioſis v.g. accepta, ex gratitudine temporalia reddunt, & ſubminiſtrant, id expreſſe approbante Paulo Apoſtolo 1. *Ad Corinth. cap.*9. *num.*1. ibi: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?*

35 Dantur tamen multa ſpiritualia, ob quæ quamvis jam recepta, non licet etiam mere gratis oblata acceptare ob ſpecialem Juris prohibitionem, ut patet de Examinatoribus Synodalibus, qui nec ante, nec poſt concurſum poſſunt aliquid etiam ſponte, & gratuito oblatum a Concurrentibus pro Parochis acceptare, id expreſſe prohibente Concilio Tridentino *ſeſſ.*24. *de reformat. cap.*18. Item pro collatione Ordinum, nec etiam gratis oblata recipi poſſunt, id expreſſe vetante eod. Concil. Trid. *ſeſſ.*21. *de reform.* Item neque ante, nec poſt poſſunt etiam gratis oblata recipi pro recognitione, aut expeditione Indulgentiarum, Reliquiarum, & hujuſmodi, de quibus in ſuis propriis locis.

36 Colliges quinto, quod Simoniam committit, qui temporale promittit, dat, vel præſtat alteri, v. g. Miniſtro, vel Familiari, aut Amico Epiſcopi, ſeu præſentatoris, vel Patroni Beneficii hac ſola, ſeu principali intentione, ſeu hoc primario, vel ſolo motivo, ut apud Epiſcopum, ſeu præſentatorem, vel Patronum intercedat, roget, vel ipſum efficaciter commendet in ordine ad obtinendum ipſum Beneficium Eccleſiaſticum. Talis enim per temporale parat ſibi viam ad acquirendum ſpirituale, & revera illud temporale pro iſto ſpirituali promittit, dat, ſeu præſtat. Sic Barboſa *in cap. Nemo num.*4. *de Simonia*, Silveſter verb. *Simonia q.*6. Layman *de Simonia* §.6. *n.*65. Navarr. *Manual, cap.*33. *numer.*106. Bonacina *de Simonia q.*1. §.1. *n.*14. Reiffenſt. *l. c. num.*122. *& ſeq.* cum communi, & certa aliorum, *argum. cap. Præſentium* 3. *cauſ.*1. *q.*5. ubi tanquam Simoniaca reputatur promotio ad Sacerdotium obtenta per pecuniam, non Epiſcopo, ſed cuidam Principi ejus, ideſt alicui familiari, vel principali Miniſtro illius datam, & *cap. Statuimus* 107. *cauſ.*1. *q.*1. ubi Nicolaus Papa tres enumerat ſpecies Simoniæ, quarum unam eſſe aſſerit, quando *Simoniaci Simoniacæ a non Simoniacis ordinantur*; ideſt quando Ordinandi pecuniam, ſeu aliud temporale promittunt, dant, ſeu præſtant non Epiſcopo, ſed alicui ejus Familiari, & Amico hac primaria vel ſola intentione, ut ipſis ab Epiſcopo hujus ignoro promotionem ad Ordines impetrent, ſeu obtineant.

Colliges ſexto, quod Simoniam committat, qui certat, 37
& ſpondet cum Epiſcopo, ſeu Collatore Beneficii pro mille aureis, quod ipſe Beneficium non ſibi, ſed alteri ſit collaturus. *Communis*. Et ratio clara eſt, quia illa aſtutia intendit movere Epiſcopum, ſeu Collatorem ad ſibi conferendum Beneficium, cum æquivalenter faciat, ut ipſe pro illa pecunia acquirenda ſibi Beneficium conferat lucrando mille aureos ex illa ſponſione, quæ eſt revera palliata Simonia, cum ſic non ſit ſponſio, ſed emptio.

Colliges ſeptimo, quod conferens Beneficium pecunia 38
interveniente, ſi arbitrium vendat, ipſum Beneficium vendit Simoniace. In tali enim caſu Simoniace pretium accipit, & quamvis oretenus dicat ſe vendere ſuum arbitrium, revera tamen Beneficium vendit, & peccat tum contra Religionem, tum contra Juſtitiam; Colligitur aperte ex ſequenti propoſitione 22. in ordine inter merito damnatas ab Alexandro VII. *die* 7. *Septemb.*1665. ibi: *Non eſt contra Juſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica interveniente pecunia, non exigit illam pro Collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*. Viva *ad d. propoſitionem n.*5. Suarez *lib.*3. *de Simonia cap.*59. & alii.

Colliges octavo, quod non ſit Simonia conferre alicui Be- 39
neficium Eccleſiaſticum, ſeu aliud ſpirituale intuitu conſanguinitatis, affinitatis ſeu amicitiæ. Sic S.Thomas 2.2. *quæſt.* 100. *art.*6. *ad* 2. Navarrus *Manual. cap.*23. *n.*107. Azorius *part.*3. *lib.*12. *cap.*2. Pirhing *lib.*5. *Decret. tit.*3. *n.*139. Reiffenſt. *ibid. n.*132. & alii paſſim. Quamvis enim talis Collator aliunde peccet, ſi intuitu conſanguinitatis, affinitatis ſeu amicitiæ conferat Beneficia, ſeu alia ſpiritualia indignis, vel minus dignis, dignioribus neglectis, Simoniam tamen ob id non incurrit, cum nullum interveniat pactum, nec detur aliquid temporale pro ſpirituali: Tum quia, ſi id eſſet Simonia, eſſet etiam Simonia fundere preces, offerre Sacrificia pro aliquo intuitu conſanguinitatis, affinitatis, ſeu amicitiæ, quod non eſt dicendum.

Colliges nono, quod non ſit Simonia conferre Beneficium, 40
ſeu aliud ſpirituale propter preces armatas, ſeu gravem metum incuſſum; Dummodo tamen nullum interveniat pactum. Suarez *lib.*4. *de Simonia cap.*37. *n.*10. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *num.*119. Reiffenſt. *l. c. n.*66 La Croix *l. c. n.* 84. Pirhing. *l. c. n.*141. teſtans de communi; Et ratio eſt, quia, cum ibi nullum interveniat pactum, talis collatio Beneficii non fit tamquam pretium cum quo ceſſatio injuriæ ſeu metus incuſſi commutetur, ſed ſolum tamquam medium ſpirituale offertur gratis ad tollendam injuſtam vexationem temporalem; Secus autem eſſet dicendum, ſi collatio Beneficii fieret cum pacto, & conditione, quod alter in futurum nullum damnum inferret Collatori, ſed potius eum defenderet, quia tunc ratione talis pacti, & novæ obligationis alteri impoſitæ in commodum ipſius Collatoris eſſet Simonia, quia talis nova obligatio eſt pretio æſtimabilis, adeoque &c.

Colliges decimo, quod non ſit Simonia, ſi quis dat pecu- 41
niam Infideli, ut recipiat Baptiſmum, Hæretico, ſeu Peccatori, ut convertatur, Juveni, ut fiat Clericus, dotem puellæ, ut fiat Monialis, & hujuſmodi. *Communis*. Et ratio eſt, quia in dictis caſibus nullus intervenit contractus oneroſus, ſed ſolum gratuita promiſſio, ſeu donatio, quamvis ſub conditione, & juſtiſſimo fine, quæ conditio, ſeu finis cedit non in commodum dantis, ſed ſolum in ſpiritualem utilitatem recipientis, ut de ſe patet.



42 Alia ad rem. Vide verb. *Beneficia*, verb. *Juſpatronatus*, verb. *Reſignatio Beneficiorum*, & ſignanter verb. *Electio art.*3. *n.*26. ubi datur per extenſum Conſtitutio Innocentii XII. de illicitis Capitulationibus, & aliis multis ad rem.

43 * Commendæ, Prioratus, atque Præceptoriæ Ordinis Hieroſolymitani a Canoniſtis quidem tamquam beneficia habentur, in quibus ſi intercedant preces, pactiones et munera, ſimonia committitur: id tamen negant communi conſenſu Theologi, animadvertentes non eſſe illis adnexum ſpiritualis miniſterii exercitium, neque neceſſario conferri Clericis, quæ duo exigunt beneficia; quanquam negari non poteſt, gravem abuſum ea in re intercedere, quem tollere adniſus eſt Clemens XI. in ſuo Brevi ad Magnum Magiſtrum ejuſdem Ordinis, in quo etiam declarat, collationes haſce nullas & irritas eſſe, & fore. *De Synod. Diœc. lib.*12. *cap.*15. *nov. edit.*

*Novæ Additiones ex aliena manu.*

1 MErcari Eccleſiam, vel Officium Sacrum per ordinationem conferendum eſſe idem flagitium cenſuerunt Patres, quod Simon Magus commiſit *Act.VIII. relatum c.*5.
2 *6.7. c.*1. *q.*1. Hoc quum omnium confeſſione conſtaret, illud inter graviſſima ſcelera referendum, & primo quaſi loco collocandum eſſe rati ſunt, ita ut *Gratianus*, *& D. Raimundus de Pennafort* primum locum inter Eccleſiaſtica delicta ei dederint.

3 Conceptus vero Simoniæ tam prolixum pedetentim ambitum accepit, ut quæ definitio ei conveniat, & facinus idem, quod Simon commiſit, exprimat, non conſtet evidenter. Ex mente D. Thomæ definiri a pleriſque ſolet: *Determinata voluntas ad emenda, & vendenda ſpiritualia, iiſque annexa*.

4 Simonia in duas commode ſpecies dividi poteſt, primariam, & ſecundariam. Illa ambitum Eccleſiaſticum, hæc vero reliquas ſpecies, quæ potiſſimum circa ſacras actiones occupantur, complectitur.

5 Non conveniunt vero omnes circa ea, quæ referenda ſunt ad Simoniam ſecundariam.

6 Fata hujus criminis hiſtorice optime illuſtravit, & inſigni rerum copia exornavit *Thomaſſinus p.* 3. *vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. lib.*1. *cap.*49. *& ſeq.* Feliciori vero conatu fata hujus criminis, tum latiſſimum ejus ambitum explicuit tradiditque *Periſchius in tract. de Simonia*. Succinctior eſt *Hannius de crimin. Ambit. Eccleſ. ſeu Simonia*.

## ARTICULUS II.

Quoad ea, quæ concernunt Simonias, quæ committuntur in Electione, Præſentatione, Permutatione, & Reſignatione Beneficiorum. In ingreſſu, & receptione ad Religionem, & in adminiſtratione Sacramentorum, & Sacramentalium, et præſtatione functionum, et actuum ſpiritualium.

1 ELectio evadit Simoniaca, et conſequenter nulla, cum pro conſequenda aliqua Prælatura, ſeu Dignitate datur, ſeu præſtatur aliquod temporale Munus, vel a manu, vel a lingua, vel ab obſequio; *cap. Quam pio* 2. *cauſ.* 1. *quæſt.*2. *cap. Non ſatis* 8. *& c. Mandato* 46. *de Simonia*, *cap. Monachi* 2. *de ſtatu Monach.*

2 Et talis electio de Jure eſt nulla, etiam ante Judicis ſententiam. Vide verb. *Electio artic.*4. *numer.*60. ubi dantur ad id Jura.

3 Talis electio eſt nulla, etiamſi Simonia ſit occulta. *Vide ib. num.*61.

4 Immo eſt nulla electio, etiamſi electus penitus ignoret Simoniam commiſſam ab aliis in procurandis votis ad ſui electionem, niſi in hujus præjudicium fraudulenter fiat ab aliquo inimico. Vide *ib. n.*62.

5 Hinc Simoniace electus tenetur in conſcientia ſub peccato Mortali renunciare Epiſcopatum, Prioratum, Rectoratum, Guardianatum, Definitoriatum, Provincialatum, Generalatum nec abſolvi poteſt, priuſquam renunciet. Et hoc etiamſi Simonia ſit occulta ſive commiſſa ſit ab eodem, qui dignitatem obtinuit, ſive ab aliis ipſo quoque neſciente. Vid. *ibid. n.* 63.

Aſſignantur variæ electiones Simoniacæ, & nullæ propter 6
illicitas pactiones Electorum. Vide *ibid. n.*64.

Patroni a Præſentatis nihil poſſunt exigere temporale, niſi 7
quod in ipſa fundatione conſtat fuiſſe impoſitum, *cap. Sicut* 2. *de ſupplenda negligentia Prælat. cap. Præterea* 23. *de Jurepatron.* Vid. verb. *Juſpatronat. art.*4. *n.*20.

Præſentatio eſt Simoniaca, quando aliquid datur, vel pro- 8
mittitur pro habendis vocibus, ſeu Præſentationibus Patronorum, *arguitur cap. Veniens* 16. *de Simonia*. Vide *ibidem num.* 21.

Quamvis id fiat etiam ipſo Præſentato ignorante; *cap. Si* 9
*alicujus* 59. *de electione Cap. Nobis* 27. *de Simonia*. Vid. *ib. num.* 22.

Reſignatio Beneficii cum reſervatione regreſſus, ingreſſus, 10
vel acceſſus non poteſt fieri in manibus Ordinarii Papa inferioris, ſed ſolum in manibus Summi Pontificis. Concil. Trident. *ſeſſ.*25. *de reform. cap.*7. S.Pius V. Conſtit. incip. *Romani Pontificis providentia*. Vid. verb. *Reſignatio numer.*48. Quid autem ſit regreſſus, & ingreſſus, vel acceſſus? Vide *num.* 10.

Reſignatio Beneficii facta cum pacto, ut Reſignatarius 11
ſolvat expenſas factas olim a Reſignante in aſſecutione illius Beneficii, eſt Simoniaca. Unde non poteſt fieri in manibus Ordinarii Papa inferioris. Vid. *ibid. n.*50.

Reſignatio facta cum pacto, ut Reſignatarius ſolvat om- 12
nes expenſas factas in admiſſione Reſignationis, atque expeditionem Bullarum ab utraque parte ceteroquin faciendas eſt Simoniaca, nec poteſt admitti ab Ordinario Papa inferiore. Vid. *ibid. n.*51.

Poteſt tamen fieri talis conventio, & pactio cum facultate, 13
& approbatione Summi Pontificis. Vide *ib. n.*52.

Reſignatio Beneficii facta cum certa confidentia, ſeu pa- 14
cto inito, ut Reſignatarius poſtea illud ſuo tempore cedat certo ſuo Conſanguineo, vel affini, aut Amico, eſt omnino illicita, nulla, & Simoniaca Simonia Confidentiali. Vide *ibid. n.*53. *& per tot.* ubi multa *de Reſignatione*, *& Permutatione Beneficiorum*.

Pro voto habendo promittere Beneficium, aut Officium 15
Eccleſiaſticum, ſeu ſpirituale, eſt Simonia, & multo magis, ſi fiat reciproce talis promiſſio, aut pactum. verb. grat. *Dabo tibi tale Beneficium, ſi dederis mihi tuum votum. Vel dabo tibi meum votum, ſi conferes mihi tale Eccleſiaſticum Officium, ſeu Beneficium*. *Communis*, per text. *in cap. De hoc* 11. *de Simonia*.

Simonia eſt dare temporale, ne eligatur dignus. Gloſſa 16
communiter recepta *in Cap. Nemo* 14. *de Simonia verb. Celet*, & *ibi* Abbas *n.*1. Pirhing *l.c. n.*87. Reiffenſt. *l.c. num.*144. & alii paſſim, *argum. Cap. Nullus Epiſcopus* 124. §. *Si qui autem cauſ.*1. *n.*1. Et ratio eſt, quia Simonia committitur, non ſolum quando datur ſpirituale pro temporali, ſed etiam quando quis ſpirituale pro temporali, ſed etiam quando quis ſpirituale, quod impendere tenetur pro temporali intereſſe, vel commodo dare, vel præſtare omittit.

Non eſt autem Simonia dare temporale, ne eligatur indi- 17
gnus aut minus dignus. Sic Navarrus *in Manual. cap.*23. *numer.*102. §.8. Palao *de Simonia punct.*20. *n.* 8. Azorius *p.* 3. *lib.*12. *Cap.*7. Leſſius *lib.*2. *cap.*35. *dub.*19. Pirhing *l. c. n.*87. Reiffenſt. *l.c. n.*145. cum Cajetan. Soto, Suarez, & alii ibi allegat. *argum. Cap. Dilectus* 28. *de Simonia*, Et ratio eſt, quia in tali caſu non datur temporale pro ſpirituali; ſed ne ſpirituale indigne, & male conferatur.

Niſi tamen detur temporale, ut loco indigni aliquis certus 18
eligatur, quia tunc committitur vera Simonia, etiamſi detur illud temporale, ut neglecto indigno, ſeu minus digno, eligatur aliquis determinatus, quamvis omnium digniſſimus. In tali enim caſu vere datur temporale pro ſpirituali, nempe pro electione certæ, & determinatæ perſonæ, quod eſt Simoniacum, ut tenent ſupracitati Doctores, & alii communiter.

Dare temporale pro Confirmatione obtinenda ſeu ne impu- 19
gnetur electio ab aliquo, qui juſtam impugnandi, ſeu contradicendi cauſam habet, eſt Simonia. *Communis*, quoad utramque partem; Et quidem prima pars, ſcilicet *pro confirmatione obtinenda*, clare conſtat ex *cap. Sicut tuis* 33. *de Simonia*, ubi expreſſe declaratur, quod Simonia ſit offerre, vel dare tem-

temporale pro confirmatione obtinenda, cum Confirmatio ſit revera quid ſpirituale. Secunda autem pars, ſcilicet, *ne impugnetur electio*, habetur clare definita *in Cap. Matthæus 23. de Simonia*, & concordat *Cap. Cum pridem 4. de pactis*.

20 Dare, vel accipere temporale pro ingreſſu, aut receptione ad Religionem eſt Simonia, & quidem Juris Divini. *Communis ac certa*, textu expreſſo *in cap. Non ſatis 8. de Simonia*, ibi: *Tam ille, qui dederit, quam ille, qui receperit, vel conſenſerit, partem ſe cum Simone non dubitet habiturum*, juncto ejus Summario, ubi ſic expreſſe dicitur: *Simoniacum eſt pretium recipere pro ingreſſu Religionis*, concordat *cap. Veniens 19. de Simonia*, ubi reprobatur etiam conſuetudo contraria, & Regulares tranſgreſſores, tam Superiores, quam Subditi ab Officio ſuſpenduntur, & obligantur ad reſtituendam pecuniam taliter receptam, & *cap. Dilectus 30. de ſimonia* juncto ejus Summario, ubi ſic expreſſe habetur: „ Si per accuſationem conſtat Monachum Simoniace fuiſſe receptum, Receptus, & Recipiens deponuntur; Si vero per inquiſitionem. Receptus in arctius Monaſterium detruditur, Recipienti vero, & Majoribus pœna condigna imponitur. Et interim ab executione Ordinum Sacrorum ſuſpenduntur, & *cap. Quoniam 40. de Simonia*, juncto ejus Summario ſic expreſſe dicente: *Religioſi pretio recepti una cum recipientibus de Monaſterio expelluntur, & in arctioribus Monaſteriis ad agendam pœnitentiam detruduntur*, & expreſſe *Extravagant. Sane 1. de ſimonia*, ibi: „ Sane multorum fide dignorum relatione didicimus, quod in nonnullis Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, & aliis locis Religioſis, tam virorum, quam mulierum, Ordinum, Religionum, & partium diverſarum deteſtabilis, & a Canonibus reprobata ſervatur abuſio, quod cum perſonæ aliquæ recipiuntur ab eis ad obſervantiam Regularem, ipſæ temeritate præſumptuoſa, paſtus, ſeu prandia Capitulis, & Conventibus ipſarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, & locorum, aut pecunias, aut jocalia, ſeu res aliquas ipſis Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, & locis, ſeu præſidentibus eis ex ſtatuto, ſeu conſuetudine, quæ corruptela eſt potius dicenda, tribuere compelluntur „. Et infra, poſtquam damna hujus vitii allegavit Summus Pontifex, diſtrictius inhibet omnibus Regularibus utriuſque ſexus: „ Ne tam a maribus quam a mulieribus volentibus ingredi eorum Religionem Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, Domos, ſeu loca in earumdem perſonarum receptione aut ante, vel poſt illam, quoſcumque paſtus, prandia, ſeu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad uſum Eccleſiaſticum, ſeu quemvis pium uſum alium deputata, vel deputanda directe, vel indirecte petere, vel exigere quocumque modo præſumant..... Illa duntaxat, quæ perſonæ ipſæ ingredientes, & ſponte, & plena liberalitate, omnique pactione ceſſante, dare, vel offerre Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, Domibus, & locis hujuſmodi voluerint cum gratiarum actione licite recepturi „. Quid clarius? Et ratio eſt etiam clariſſima, quia Religio omnino eſt quid ſpirituale, adeoque temporale dare, & recipere pro ingreſſu, & receptione ad ipſam eſt vera Simonia.

21 Unde vide dicta, & concluſa ad rem ſub verb. *Novitius a numer. 56. ad n. 65.* & ſub verb. *Moniales art. 2. a numer. 52. ad 63.*

22 Si Monaſterium reperiretur inops, mediis, vel redditibus non ſufficienter fundatum, licite conſequenter abſque Simonia peti, & accipi poſſent temporalia ab ingredientibus illud; non quidem pro ipſo ingreſſu, ſeu pro ipſa admiſſione ad Religionem, vel Profeſſionem, ſeu pro honeſta ſuſtentatione. Sic expreſſe Sanctus Thomas *in 4. diſt. 25. quæſt. 3. art. 2. ad 7.* ibi: „ Cum poſſeſſiones alicujus loci Religioſi non ſufficiunt ad ſuſtentandum plures, tunc poteſt exigi ab eo, qui in illo loco vult Deo ſervire, non quaſi pretium Religionis, ſed ut habeat Monaſterium, unde ei poſſit providere, & ideo non committitur Simonia „: & idem habet 2. 2. *quæſt.* 100. *art. 3. ad 4.* ibi: „ Pro ingreſſu Monaſterii non licet aliquid exigere, vel accipere quaſi pretium; Licet tamen, ſi Monaſterium ſit tenue, quod non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas, gratis quidem ingreſſum Monaſterii exhibere, ſed accipere aliquid pro victu perſonæ, quæ in Monaſterio fuerit recipienda, ſi ad hoc non ſufficiunt Monaſterii opes „. Item Sanctus Bonaventura *Libello Apologelico in eos, qui Ordini Fratrum Minorum adverſantur*, *quæſt.* 18.: „ Ubi vero pecunia recipitur propter perſonam, quam alias libenter reciperent, ſi haberent, unde eam paſcerent, non videtur eſſe Simonia, dummodo forma cum intentione concordet. Item Sanctus Raymundus *in Summa lib. 1. titul. 1. §. 22.* ibi: „ Credo quod poſſunt dicere: Non ſufficiunt Nobis (*reditus*), libenter ſuſcipimus te ad ſpiritualia, ad temporalia non poſſumus, niſi habeamus plures poſſeſſiones, & tunc ille offerat ſe, & ſua „. Item Gloſſa *in cap. Quoniam 40. de Simonia verb. Paupertatis*, ibi: „ Poſſet dici, quod ſi ita pauperes ſunt, quod non poſſunt ibi alias aliquo modo aliquem recipere, quia non habent ibi victum, ſub hac forma poſſent recipi. Non habemus quid demus tibi pro victu, niſi tu portes tecum, unde vivas. Dummodo tamen hoc non dicatur in fraudem, & ſine aliquo pacto „. Et ſic Silveſter verb. *Simonia quæſt. 15. dict. 2.* Navarrus *de Redditib. Eccleſ. quæſt. 1. monit. 61.* Layman *de Simonia num. 38.* Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 12. aſſert. 3.* Tamburin. *de Jure Abbat. tom. 3. diſp. 6. quæſt. 9.* Marchant. *tom. 3. tract. 10. tit. 9. quæſt. 10. concl. 1.* Pirhing *l. cit. num. 59.* Reiffenſtuel *l. c. num. 163.* teſtans de communi, tam Theologorum, quam Canoniſtarum per text. *in cap. Quam pio 2. cauſ. 1. quæſt. 2.* Et ratio eſt, quia tunc non daretur, nec exigeretur temporale pro ſpirituali, ſcilicet pro ingreſſu ad Religionem, ſeu admiſſione ad Profeſſionem, ſed ut quid neceſſarium pro victu, veſtitu, ac honeſta ſuſtentatione Ingredientis, ſeu Profitentis, quod eſt etiam quid mere temporale.

23 Hodie autem cum Regulares tot ſolum ſtare debeant, & poſſint in Monaſteriis, quot ali comode poſſunt per redditus, ſeu conſuetas eleemoſynas eorum: *cap. Periculoſo unic. §. Sane, de ſtatu Regular. in 6.* Concil. Tridentin. *ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 3.* Clemens VIII. Conſtitut. 60. incipient. *Nullus*; Paulus V. Conſtitut. 9. incipient. *Sanctiſſimus*, Urbanus VIII. Conſtitut. 43. incipient. *Cum ſæpe*; Innocentius X. Conſtitut. incipient. *Inter cetera*, Innocent. XII. Conſtitut. incipient. *Nuper a Congregat.* Stat, quod neque Monaſterium prætenſum inops poſſit aliquid per pactum exigere ab ingredientibus pro illorum ſuſtentatione, quin ejus Religioſi labem Simoniæ *Juris* ſaltem *Eccleſiaſtici* contrahant. Unde quod non liceat aliquid peti, ſeu exigi, neque titulo eleemoſynæ pro admittendis ad Habitum, & Profeſſionem Regularem, patet etiam ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii, quæ *in una Leodien. pro P. P. Carmelitis Calceatis huic quæſito pro maribus facto 9. Februarii* 1697. reſpondit, *ſervetur diſpoſitio Juris*. Sic refert Monacell. *part. 1. titul. 11. formul. 7. num. 8.* De Jure autem eſt, quod Religioſi, & Religioſæ non debent, nec poſſunt pretio recipi ad Religionem, & Profeſſionem Regularem, *cap. Non ſatis 8. cap. Veniens 19. cap. Dilectus 30. cap. Quoniam 40. de ſimonia*; & *Extravagant. Sane, 1. de ſimonia*; cujus Extravagantis verba allata *ſupra numer. 20.* ſunt valde notanda, ſicuti & ſequentia verba *citat. cap. Quoniam 40. de ſimonia*, ibi: *Paupertatis prætextu volentes hujuſmodi vitium palliare*. Vide verb. *Moniales art. 2. num. 12. & a num. 52. ad 63.* verb. *Novitius a numer. 56. ad 65.* verb. *Regulares n. 86. & 87.*

24 Non eſſe autem Simoniam, ſi gratis dentur munera Superioribus, vel aliis, ut facilius impetretur ingreſſus in Religionem, cum id nullo Jure ſit prohibitum, tenent cum aliis Diana *part. 3. tract. 2. reſolut. 64.* La Croix *lib. 3. part. 1. num. 188.* At ego cum aliis dicerem, & quidem ratione, & Jure ſuffultus, quod ſi dicti Superiores, vel alii Religioſi tantæ ſint auctoritatis, & præpotentiæ in ſua Religione, ut unice, vel principaliter ab ipſis dependeat ingreſſus, ſeu admiſſio ad Religionem, & ſine temporalibus muneribus nunquam, ſeu vix acceptentur; & admittantur juvenes ad Religionem, tunc ab ipſis committitur vera Simonia, quia in tali caſu munera temporalia ſunt efficax cauſa, cur Juvenes acceptentur, & admittantur ad Religionem, cum ſine ipſis non ſoleant acceptari, & admitti, vel tandiu differantur, & procraſtinentur, ut alio divertere cogantur, ſicque Simoniaca praxi compellantur, non gratis, ſed tamquam quid ab ipſis neceſſario velut pretium exactum talia manera temporalia tribuere, & conſequenter committitur vera Simonia, cum revera in ſimili caſu detur temporale propter ſpirituale, per text. *in cap. Non ſatis 8. cap. Veniens 19. cap. Dilectus 30. cap. Quoniam 40. de ſimonia*. *Et Extravagant. Sane 1. de ſimonia*. Et faciunt dicta *ſupra n. 20.* & ſub verb. *Novitius a n. 56. ad 65.* & ſub verb. *Moniales art. 2. a n. 52. ad 63.* Vide *ibi*.

25 Pro adminiſtratione Sacramentorum, vel Sacramentalium, & pro functionibus Eccleſiaſticis verb. grat. Benedictionibus, Sepulturis, & hujuſmodi ex pacto tacito, vel expreſſo dari, ſeu accipi quid temporale per modum pretii eſt Simonia Juris Divini. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Cum Eccleſiæ 9.* *cap.*



*cap. ad Apoſtolicam 42. de ſimonia, cap. Placuit 1. cap. Quam pio 3. cap. Nullus 3. cauſ. 1. quæſt. 2. cap. ſi quis objecerit 7. cauſ. 1. quæſt. 3.* cum ſimilibus; Et ratio eſt clara, quia cum ſupradicta omnia ſint quid ſpirituale, dare, aut accipere pro illis temporale per modum pretii eſt vera Simonia. Vide *infra art. 2. num. 35. & 40.* ubi probatur eſſe de Jure Divino.

26 Non eſt autem Simonia pro adminiſtratione Sacramentorum, vel Sacramentalium, ſeu pro functionibus Eccleſiaſticis dare, & accipere temporale per modum ſtipendii ad honeſtam ſuſtentationem Miniſtrorum ordinati. *Communis*, per claros textus tum in variis Sacræ Scripturæ locis, tum in Sacris Canonibus. *Lucæ enim 10. num. 7.* expreſſe dicitur: *Dignus eſt enim Operarius de mercede ſua*. *Matthæi 10. n. 10. Dignus enim eſt Operarius cibo ſuo*. *Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 9. numer. 7. Quis militat ſuis ſtipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat*; Et infra *num. 21. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? Neſcitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt, & qui Altari deſerviunt, de Altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere*, & *cap. Ex his 22. cauſ. 12. quæſt. 1.* expreſſe dicitur: *Lex enim Dei præcipit, ut qui Altari deſerviunt, paſcantur de ipſo*, & *cap. Cum ſecundum 16. de Præbend.* præciſe habetur: „ Cum ſecundum Apoſtolum, qui Altari ſervit, vivere debeat de Altari, & qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede patet a ſimili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jeſu Chriſti, cujus obſequio deputantur, ut ipſa nobis ratio perſuadet.

27 Clerici Eccleſiæ Miniſtri habentes ad ſui honeſtam, & congruam ſuſtentationem ſufficientes Eccleſiaſticos redditus ipſis pro ſuis Miniſteriis aſſignatos Simoniam committunt, ſi pro functionibus Eccleſiaſticis, ad quas ex Officio tenentur, temporalia etiam per modum ſtipendii exigant, quando illa exigere, nec Jus, nec publica auctoritas, nec conſuetudo permittit; *In tali enim caſu deeſt omnis juſtus titulus exigendi illa* temporalia, adeoque ſi nihilominus exigantur pro dictis functionibus Eccleſiaſticis, ſeu ſpiritualibus, Simonia committitur. Ita S. Thomas *2. 2. qu. 100. art. 3. ad 3.* Reiffenſtuel *loco cit. n. 196.* & ipſo teſte alii communiter.

28 Pro actu, vel exercitio Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſeu ſpiritualis, temporale per modum pretii accipere, eſt Simonia. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Non ſatis 8. cap. Cum in Eccleſiæ 9. cap. Cum ſit Romana 10. cap. Nemo 14. cap. Ad noſtrum 21. de ſimonia*, cum ſimilibus; Et ratio eſt clara, quia Juriſdictio, & poteſtas Eccleſiaſtica eſt quid ſpirituale, adeoque vera Simonia eſt pro ejus exercitio, & adminiſtratione exigere temporale.

29 Hinc Simoniam committunt, qui pretium temporale exigunt pro diſpenſationibus ſuper Votis, Juramentis, Impedimentis Matrimonii, Ætate Canonica, Interſtitiis, Irregularitatibus. Item pro diſpenſationibus laborandi diebus Feſtivis, Nuptias celebrandi diebus vetitis, non jejunandi, & non abſtinendi a carnibus diebus præceptis, & hujuſmodi. Item pretium temporale exigentes pro abſolutionibus a cenſuris Eccleſiaſticis, ſive pro Foro interno, ſive pro externo. Item pro pretio temporali aliis concedentes etiam pro unica vice Jus eligendi, præſentandi, confirmandi, aut inſtituendi ad Beneficia Eccleſiaſtica. Item pro pretio temporali conferentes Officium, aut poteſtatem, ſeu Juriſdictionem ſpiritualem, verb. grat. conſtituendo pro dicto pretio Vicarios Generales, aut Officiales ſimiles, quod Simoniacum ſpecialiter etiam declaratur, *cap. Ad noſtrum 21. & cap. Conſulere 38. de Simonia*.

30 Nec valet objicere, quod in Curia Pontificia, approbante Pontifice paſſim in dies pro diſpenſationibus exigantur, & recipiantur Taxæ temporales, adeoque quod id non ſit Simonia. Non valet, inquam, quia præfatæ Taxæ non exiguntur tamquam pretium diſpenſationum, ſed vel dantur ut ſtipendia ad ſuſtentationem Summi Pontificis, & ſuorum Officialium, & ad onera Pontificii ſtatus ſuſtinenda, quod eſt conforme Juri Divino, & naturali per textus allegatos *ſupra numer. 26.* Vel Taxæ illæ pecuniariæ exiguntur per modum *Mulctæ*, ut per ejuſmodi *Mulctam* aliqualiter compenſetur receſſus a Jure Communi, cum æquum, & rationabile ſit, quod petentibus exemptionem a Lege communi imponatur in compenſationem aliud onus particulare, præſertim mulcta pecuniaria in pias cauſas applicanda; & eo major pecuniæ Mulcta, quo difficilior petitur diſpenſatio, ut ſic tales diſpenſationes, utpote odioſæ, & derogantes Juri communi, magis oneroſæ reddantur petentibus, ne ſi facile, & cum paucis, ſeu non multis ſumptibus obtineri poſſint, nimia licentia præbeatur eas importune petendi. Sic Suarez *lib. 4. de ſimonia cap. 20. num. 11.* Leſſius *lib. 2. cap. 35. num. 58.* Pirhing *lib. 5. Decretal. tit. 3. n. 49.* Reiffenſtuel *ibid. n. 216.* Zoeſius *ibidem n. 24.* & alii paſſim.

31 Nec valet inſtare, quod hoc admiſſo reſpectu Summi Pontificis, poſſent etiam Epiſcopi ex prædictis titulis, vel cauſis temporale exigere. Non valet, inquam, quia hoc eſt ſpecialiter Epiſcopis prohibitum a Sacris Canonibus citatis *ſupra num. 28.* & a Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. de reformat. cap. 5. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 5, ſeſſ. 25. de reformat. cap. 18.* In quibus Epiſcopi, & Prælati Papa inferiores diſpenſare nequeunt; *argum. cap. Inferior 4. diſt. 21. cap. Cum inferior 16. de Majorit. & obedient. & Clement. Ne Romani, de election.* Bene autem poteſt in ipſis diſpenſare Summus Pontifex, cum ipſe ſit ſupra omne Jus Canonicum, textu expreſſo *in cap. Propoſuit 4. de conceſſione Prebendar.* ibi: *Qui ſecundum plenitudinem poteſtatis de Jure poſſumus ſupra Jus diſpenſare*.

32 Unde Garçias *de Beneficiis part. 8. cap. 1. a num. 102.* cum aliis ibi citatis, Reiffenſtuel *loco cit. num. 217.* & alii plures defendunt, non poſſe, ne quidem Epiſcopos, pro labore quem habent in executione diſpenſationum Matrimonialium a Sede Apoſtolica ſibi commiſſarum exigere aliquid temporale, etiam ubi ita exigendi viget conſuetudo legitime præſcripta, & id probant ex Concilio Tridentino *locis citatis*, & ex variis declarationibus Sacræ Congregationis relatis ab ipſo Garçia *loco citat.* in quibus ſpecialiter derogatur conſuetudinibus quibuſcumque etiam immemorabilibus. Quamvis tamen Sanchez de Matrimonio *lib. 8. diſp. 35. n. 11.* & alii ſuſtineant expreſſe oppoſitum.

33 Non eſt Simonia etiam ex pacto exigere, ſeu accipere aliquod temporale, non per modum pretii, ſed ſolum per modum ſtipendii ad honeſtam ſuſtentationem pro Miſſis, Orationibus, aliiſque bonis operibus ſpiritualibus. *Communis*, ut patet ex praxi univerſali per textus allegatos *ſupra num. 26.* Unde merito in Concilio Conſtantienſi a Martino V. inter propoſitiones Wicleff. damnata eſt etiam ſequens 25. in ordine: *Omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis eis in temporalibus ſubvenientibus*, ideſt pro illis, qui ipſis dant temporalia.

34 Sunt tamen ſub Excommunicatione prohibitæ omnes ex pacto donationes, promiſſiones, & hujuſmodi, quamvis iſtæ non ſint acceptæ pro obtinenda pro ſe, vel pro alio Juſtitia, vel Gratia aliqua apud Sedem Apoſtolicam, etiam apud mediatos Interceſſores, qui vel promovere, vel impedire poſſent tales cauſas, & talis obtentio declaratur irrita. Sic expreſſe Alexander VII. in Conſtitut. incipient. *Inter graviſſimas* de datis, & promiſſis pro Juſtitia vel Gratia apud Sedem Apoſtolicam obtinenda, confirmans, & amplians Conſtitutiones ad id editas a Bonifacio VIII. & Gregorio XIII. unde cum ſit vere digna, ut ab omnibus ſciatur, & adamuſſim obſervetur, hic ad litteram datur.

35 Confirmatio, innovatio, declaratio, & extenſio Conſtitutionum Bonifacii VIII. & Gregorii XIII. de datis, & promiſſis pro Juſtitia, vel Gratia apud Sedem Apoſtolicam obtinenda.

## ALEXANDER PAPA VII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

INter graviſſimas, multipliceſque curas, quæ ex debito Paſtoralis Officii humilitati noſtræ Divinitus commiſſi nobis aſſidue incumbunt, illam peculiari ſtudio amplectimur, ut Juſtitiæ, & Gratiæ expeditiones, quæ apud Sedem Apoſtolicam in dies obtinentur, ea, qua par eſt, rectitudine peragantur, ne pernicioſo cujuſquam circa illas exceſſu Romanæ Curiæ exiſtimatio ullatenus lædatur; ſed ipſa Curia in omnibus preclara ſemper ſplendeat laude Integritatis, & abuſus quicumque ab illa procul arceantur. Quapropter operæ pretium facturos Nos exiſtimamus, ſi ea, quæ a nonnullis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris ſimili conſilio provide ſancita ſunt, ut in poſterum firmius obſerventur innovemus, illaque declaremus, & extendamus, pro ut in Domino arbitramur rationi eſſe conſentaneum.

§. 1. Dudum ſiquidem emanarunt a fel. record. Bonifacio VIII.

VIII. & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris Litteræ tenoris qui ſequitur. Videlicet: Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, et noſtra omnes Clericos, Religioſos, et Laicos utriuſque ſexus, ſive ſint Familiares Curiæ, ſive alii undecumque, qui aliquod pactum fecerint, ſeu aliquod parvum, vel magnum promiſerint, vel promiſſionem receperint, aut ex pacto, ſive promiſſione occulta, vel manifeſta facta ſub generalibus, & plenarie non expreſſis, ſive ſit ſub ſpecialibus, & expreſſis aperte verbis, quicquam dederint, aut receperint magnum, vel parvum, vel promiſſionem de quacumque re, aut utilitate propter hoc conſequenda fecerint, vel receperint pro aliqua Juſtitia, ſive Gratia pro ſe, aut pro alio in cauſis, vel judiciis, ſive alias per Litteras Apoſtolicas, & quibuſcumque modis apud Sedem Apoſtolicam obtinenda.

§. 2. Et hanc ſententiam ad promittentes, & acceptantes, dantes, & recipientes duximus extendendam.

Illos quoque, qui aliquem ſciverint culpabilem in prædictis, & Nobis intra dierum trium ſpatium non retulerint, vel alicui, per quem ad Nos verbum fideliter perferatur, ſimili decernimus ſententiæ ſubjacere.

Decernimus etiam, ut nullus hanc incurrens excommunicationis ſententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum (abſque ſpeciali mandato) noſtræ abſolutionis beneficium valeat obtinere, niſi forſan ad Nos habere acceſſum non poſſet in mortis articulo conſtitutus. Nec etiam ad abſolutionis gratiam admittatur, niſi prius quantum dedit, vel recepit, integraliter pauperibus largiatur.

Juſtitiam vero, ſive Gratiam ſic obtentam nullius prorſus eſſe momenti volumus, omnique ſtatuimus carere effectu, & robore firmitatis.

Sed & ſcienter utentes ipſis ſimili ſententia excommunicationis adſtringimus, & reſervamus Nobis abſolutionem eorum cum præmiſſis in omnibus ad pœnas ſimiles obligamus.

§. 3. Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ab ipſo Pontificatus noſtri principio, quam maxime poſſumus, enitimur, atque contendimus, ut Domus, & Curia noſtra a ſordibus expurgentur.

Cui ſalubri conſilio incumbens fel. rec. Bonifacius Papa VIII. excommunicavit, & anathematizavit omnes Clericos, Religioſos, Laicos utriuſque ſexus, ſive familiares Curiæ, ſive undecumque alios, qui aliquod pactum facerent, ſeu quid parvum, vel magnum promitterent, vel promiſſionem reciperent, aut ex pacto, vel promiſſione occulta, vel manifeſta, ſive ſub verbis generalibus, & plene non expreſſis, ſive ſpecialibus, & aperte expreſſis facta quicquam darent, aut reciperent pro Juſtitia, ſive Gratia, ſive pro ſe, ſive pro alio in cauſis, vel judiciis, ſeu alias per Litteras Apoſtolicas, & quibuſcumque aliis modis apud Sedem Apoſtolicam obtinendam & eam ſententiam ad promittentes, & acceptantes, danteſque, & recipientes duxit extendendam; Illos etiam, qui ſibi intra triduum non renunciarent eum, quem in culpa eſſe ſcirent, vel alicui, per quem ad ſe fideliter referretur, ſimili voluit ſententiæ ſubjacere, ac decrevit, ut nullus hanc incurrens excommunicationis ſententiam abſque ſpeciali mandato ſuo abſolutionis beneficium valeret obtinere, niſi in mortis articulo conſtitutus, ſed nec quiſquam admitteretur ad abſolutionis gratiam niſi prius erogatum eſſet pauperibus, quantum ille dediſſet, vel etiam recepiſſet, Juſtitiæ vero, ſeu Gratiæ expeditiones ſic obtentæ nullius prorſus eſſent roboris, vel momenti, & ſcienter illi utentes ſimili ſententia innodavit, ac reſervavit ſibi abſolutionem eorum cum prædictis & ad pœnas ſimiles in omnibus obligavit.

§. 4. Sed hoc ſcelus ita hodie in mores inductum eſt, vel plerique cupiditate improbi quæſtus potentiorum ſuffragationibus adnixi hujuſmodi negotiorum expeditiones hac illac conquirentes turpiſſime nundinentur. Alii alios, quos gratia præſtare arbitrantur, donis, & pollicitationibus ambiant. Quidam etiam ſe talium operam, atque induſtriam pretio, & muneribus quęſiiſſe affingant. Quæ cum peſſima ſint, & Curiæ prædictæ exiſtimationem graviſſime offendant, in eos, qui talia agunt animadvertendum fore arbitrati, Conſtitutionem prædictam cum ſuis Cenſuris, & pœnis omnibus innovamus, eaſdemque omnes extendimus ad audentes qualeſcumque horum facinorum, quæ adſcripſimus, danteſque illis, & aliis ſupradictis auxilium, conſilium, vel favorem.

§. 5. Quin etiam eos omnes omni Beneficio, & Officio Eccleſiaſtico, & ſæculari, ſive temporali, ſive perpetuo ipſo jure privamus, ac privatos eſſe declaramus, & præterea infamiæ ſubjectos perpetuo, ac inhabiles ad illa, & alia eſſe volumus. A quibus etiam prout quæque res erit, tales pœnæ exigantur, quæ ceteris ſint exemplo.

§. 6. Illis tamen, qui rem adhuc incognitam, compliceſque, fautores, & ſocios retexerint, impunitas concedatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto, Nonis Novembris, Pontificatus noſtri anno tertio.

§. 7. Cum autem ſubinde variæ vulgatæ fuerint prædictarum Bonifacii, & Gregorii prædeceſſorum Conſtitutionum interpretationes, quarum aliquæ ipſarum Conſtitutionum rigorem non ſine earum utilitatis diminutione, & boni publici detrimento contra eorumdem prædeceſſorum mentem nimium relaxant: Hinc eſt, quod Nos omnem, quæ circa præmiſſa in poſterum enaſci poſſet, dubitationem tollere, & quamcumque ſpeciem, ſuſpicionem, & occaſionem damnatæ per Conſtitutiones hujuſmodi labis a Curia prædicta, quantum Nobis ex alto conceditur, perpetuo excludere cupientes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eaſdem præinſertas Bonifacii, & Gregorii prædeceſſorum Conſtitutiones cum omnibus, & ſingulis Cenſuris, & pœnis, ac aliis quomodolibet contentis in illis (ſublata tamen revelandi obligatione) tenore præſentium perpetuo confirmamus, innovamus, & adverſus quemcumque non uſum, ſeu contrarium uſum, qui quoquo modo prætendi poſſet, reſtituimus, & plenarie reintegramus.

§. 8. Ac in iiſdem Conſtitutionibus caſus, in quibus aliquid promittitur, datur, accipitur, vel deponitur pro Juſtitia, vel Gratia, ſive in ſpiritualibus ſive in temporalibus, & mixtis, apud Sedem prædictam, & non ſolum ab ipſo Romano Pontifice, verum etiam a quibuſcumque ejus Miniſtris, Judicibus, & Officialibus, etiam Epiſcopis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & alia qualibet Eccleſiaſtica, vel mundana dignitate, & auctoritate præditis, & fungentibus, aut ab aliis gratia, vel favore pollentibus, etiam eidem Summo Pontifici conſanguinitatis, vel affinitatis gradu quocumque conjunctis, ſeu attingentibus, etiam Laicis obtinenda in alma Urbe, aut in alio quocumque loco in quo dictam Curiam eſſe contigerit, comprehendi decernimus, & declaramus.

Præterea Conſtitutiones hujuſmodi, non tantum in actionibus jure naturali, & Divino prohibitis, quia malæ ſunt, ſed etiam in aliis, quæ ideo malæ ſunt, quia jure humano & prædictis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac præſenti noſtra interdicuntur, locum habere.

Nec non mediatores, ſive immediatos, ſive mediatos, quotquot, & quicumque ſint, & quavis dignitate, præeminentia, auctoritate, favore, conſanguinitate, atque affinitate, ut præmiſſum eſt, polleant, & præfulgeant.

Ac etiam promiſſiones, ſeu verba promiſſoria, dationes, & receptiones factas ob bonum finem comprehendere, nec earum diſpoſitionem, ac pœnas evitari in caſibus, in quibus ceſſet ſuſpicio mali.

Deinde illos etiam comprehendere, qui pro aliorum Juſtitia, vel Gratia quomodolibet impedienda, vel differenda aliquid dant, & recipiunt, vel deponunt, promittunt, ſeu pollicentur, unde aliis damnum, vexatio, vel moleſtia quomodocumque inferri, & reſultare poſſet, & mediatores quoſcumque immediatos, ſive mediatos.

Inſuper quæcunque verba, ſeu ſigna etiam æquivoca quovis modo apta inducere quamcumque obligationem Juſtitiæ, aut fidelitatis in principali, ſeu mediatore, etiam ſub titulo remunerationis, vel gratitudinis, a Conſtitutionibus ſupradictis prohiberi.

Quinimmo non licere quicquam promittere, dare, vel accipere quibuſcumque Judicibus, Miniſtris, Officialibus & aliis auctoritatem, aut poteſtatem habentibus, nec quibuſcumque mediatoribus pro defenſione juris quæſiti, ſive aſſecutione quærendi etiam ad redimendam injuſtam vexationem, motu, ſcientia, deliberatione, poteſtatis plenitudine, & tenore prædictis decernimus pariter, & declaramus.

Ad hæc dationes, promiſſiones, & acceptiones pro guberniis, vel aliis quibuſcumque Officiis, & muneribus, etiam minoribus obtinendis, ſive pro unica vice, ſive in ſingulos annos, aut menſes, vel aliter quomodocumque a Conſtitutionibus prædictis interdici neque Judicibus, Miniſtris, ac Officialibus pro Gratia, vel Juſtitia obtinenda, etiam in his, quę dependent ab eorum arbitrio, & ad quæ obligatione juſtitiæ non



non tenentur quicquam dare, aut promittere, nec ipſis accipere licere.

Neque etiam permiſſum eſt Officialibus, vel Miniſtris dictæ Sedis in proviſionibus, ſive earum occaſione quorumcumque Officiorum, etiam juriſdictionem, vel ejus exercitium annexum non habentium imponere penſionem ullam, reſponſionem, præſtationem, vel onus, ſeu partem aliquam commodi, vel emolumenti ad ſui, vel alicujus alterius cujuſcumque favorem reſervare abſque expreſſa, & ſpeciali in caſibus noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis licentia in ſcriptis ſingulis caſibus ab utraque parte obtinenda.

Inſuper exigentes a partibus, vel aliis intereſſe habentibus, ſeu agentibus, ac mediatoribus quibuſcumque pollicitationes, promiſſiones, pacta, vel recipientes aliquid ſub aſſertione, quod judicum, Miniſtrorum, Officialium, aut Magnatum, ſeu aliorum quorumcumque operam, auctoritatem, vel officia pretio, vel muneribus, aut promiſſionibus hujuſmodi comparaverint, ſeu quæſiverint.

Nec non pollicitantes, promittentes, offerentes, ac tradere tentantes, licet pollicitatio, promiſſio, & oblatio non fuerint acceptatæ, neque traditio ſecuta, nullumque habuerint effectum.

Ac etiam illos, qui ex eo quod gratias, & favores ipſis ob familiaritatem, obſequia, ac ſervitia propriis Dominis, vel aliis præſtita debitos, ſeu ab ipſis ſperatos in aliorum cum propria ejuſmodi juris, vel ſpei jactura commodum, & beneficium transferunt, convertunt, & impendunt, vel pro gratia, ſeu juſtitia pro eis obtinenda aliquid recipiunt ſub memoratis Conſtitutionibus contineri, illarumque pœnis, & Cenſuris ſubjectos eſſe.

Pro actuali vero labore circa expeditionem impetratorum non licere Officialibus, Curialibus, & aliis quibuſcumque recipere, nec illis polliceri, promittere, vel cum eis paciſci niſi mercedem labori convenientem.

Judicibus autem, Officialibus, Miniſtris quibuſcumque, quibus incumbit expeditio Gratiæ, vel juſtitiæ, minime quidquam recipere, neque permitti illis polliceri, promittere, vel cum eis paciſci ultra taxas præſcriptas, etiam ratione celerioris aut facilioris expeditionis.

Quin etiam illicitum eſſe quidquam magnum, vel parvum Judicibus, ac Miniſtris quibuslibet offerre, promittere, paciſci, ſeu polliceri, dare, vel ab ipſis recipere mediate, vel immediate, etiam quod eorum animum movere non poſſit pro Gratia, vel juſtitia obtinenda.

§. 9. Demum ſupradictarum Conſtitutionum diſpoſitionem, Cenſuras, & pœnas non cenſeri abolitas, vel ſublatas ob ſcientiam, patientiam, ſeu tolerantiam Romani Pontificis, per quemcumque etiam longiſſimi temporis curſum, niſi ſpeciali licentia, vel indulto in unoquoque caſu a ſingulis partibus in ſcriptis particulariter obtinenda fuerint expreſſe remiſſæ, motu, ſcientia, deliberatione, poteſtatis plenitudine, & tenore paribus decernimus, ſtatuimus, & declaramus.

Præfataſque Conſtitutiones, ac Cenſuras, & pœnas in eis contentas ad omnes, & ſingulos caſus ſupra expreſſos, quatenus opus ſit, extendimus, & ampliamus.

§. 10. Præterea eaſdem Bonifacii, & Gregorii Prædeceſſorum Conſtitutiones per alteram piæ memor. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris pariter noſtri, quæ incipit: *Pro commiſſa*, anno Incarnationis Dominicæ 1592. decimo octavo Kal. Septembris editam ad ceteras Ditionis temporalis S.R.E. Civitates, & loca immediate ſubjecta (præterquam quo ad bona Communitatum) minime extenſas fuiſſe, neque per hanc noſtram extendi, ſed eos quidem omnino comprehendere, qui in aliis locis ejuſdem Status Eccleſiaſtici, & cujuſvis alterius partis mundi exiſtentes pollicentur, promittunt, paciſcuntur, mittunt, vel dari faciunt per litteras, vel mediatores, vel aliter quomodocumque, & qui ab eis recipiunt contra dictarum Conſtitutionum diſpoſitionem quidquam magnum, vel parvum pro juſtitia, vel Gratia apud Sedem prædictam obtinenda declaramus pariter, & ſtatuimus.

§. 11. Poſtremo tametſi credamus, & ſperemus in Domino nunquam eventurum, ut aliquis ex Venerabilibus Fratribus noſtris Epiſcopis, Archiepiſcopis, Metropolitanis, Primatibus, & Patriarchis, aut in quacumque alia etiam Superiori Eccleſiaſtica, quantumvis ſublimi, & ſpeciali nota digna conſtitutis Dignitate in præmiſſis quoquo modo delinquat; Quia tamen diligentiam noſtram in removendis ab eadem Curia abuſibus quibuslibet abundare potius, quam in aliquo deficere volumus, etiam Epiſcopos, Archiepiſcopos, Metropolitanos, Primates, ac Patriarchas, ceteroſque in quacumque alia etiam prædictis ſuperiori, ac quantumvis ſublimi, & ſpeciali nota digna conſtitutos Dignitate, etiamſi per noſtras, & Cancellariæ noſtræ Apoſtolicæ regulas cautum ſit, quod illi in Conſtitutionibus per Nos editis, & edendis, non comprehendantur, nec comprehenſi cenſeantur, niſi in eiſdem Conſtitutionibus facta fuerit ipſorum expreſſa mentio, in prædictis Conſtitutionibus, ut præmittitur, declaratis, & extenſis, ac in præſenti noſtra quo ad Cenſuras comprehendi, motu, ſcientia, deliberatione, poteſtatis plenitudine, & tenore ſimilibus ſtatuimus.



§. 12. Porro xenia ſolita, & eſculenta, et poculenta, quæ Judicibus, Miniſtris, et Officialibus Romanæ Curiæ exhiberi conſueverunt, præfatis prædeceſſorum noſtrorum litteris, ac præſentibus noſtris minime prohibita fuiſſe, nec prohiberi decernimus.

§. 13. Declarantes per præſentem noſtram Conſtitutionem non cenſeri abrogatam Conſtitutionem ſimilis record. Pii Papæ V. etiam prædeceſſoris noſtri contra ambientes dignitates, & Officia Juriſdictionis adminiſtrationem habentia, eaque pretio, ſeu promiſſione procurantes, quæ incipit: *Etſi Romani &c.* Nonis Decembris anno ſexto ejus Pontificatus emanatam, ſed illam, ac ceteras ipſius Pii prędeceſſoriis & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum quorumcumque Conſtitutiones, Ordinationes, Canones, & Decreta in hac materia, vel circa eam hactenus edita, ac noſtram, & Cancellariæ regulam 67. qua ſtatuimus, ut Officiales Apoſt. Romanæ Curiæ prædictæ nihil exigant ultra debitum, in ſuo robore remanere.

§. 14. ac decernentes præſentes Litteras, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod prædicti, & alii quilibet, etiam ſpeciali nota, & expreſſione digni in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, ſeu cauſæ, propter quas eædem præſentes emanarunt, adductæ, verificatæ, & juſtificatę ullatenus fuerint, vel ex alia quacumque; quantumvis juſta, legitima, juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, occaſione, & capite, etiam in corpore juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis noſtræ, ſeu intereſſe habentium, & aliorum quorumcumque conſenſus defectu notari, impugnari, invalidari, reſtringi, limitari, ad viam ſeu terminos juris reduci, in jus, vel controverſiam revocari, aut adverſus illas quandocumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, ſeu etiam motu ſimili conceſſo quempiam in Judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe neque ipſas præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium Conſtitutionum, ac declarationum, & extenſionum revocationibus, limitationibus, ſuſpenſionibus, ſeu aliis contrariis diſpoſitionibus unquam comprehendi, aut comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, & plenarie reintegratas eſſe, & cenſeri, firmaſque, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, & ſingulis prædictis, & alii, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, cujuſcumque qualitatis, dignitatis, Ordinis, Gradus, & conditionis fuerint, perpetuo, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari.

§. 15. Sicque, & non aliter &c.

§. 16. Non obſtantibus de jure quæſito non tollendo, & quod Cardinales non comprehendantur ſub regulis, & Conſtitutionibus editis, & edendis, niſi in eiſdem facta fuerit ipſorum expreſſa mentio ac ceteris noſtris, & Cancellariæ præfatæ regulis, aliiſque Conſtitutionibus, &c.

§. 17. Ut autem eædem præſentes Litteræ &c.

§. 18. Quodque illarum tranſumptis &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 2. Maii 1659. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Quæ Conſt. fuit confirmata, innovata, & extenſa ab Innocent. XII. Conſtitut. incip. *Sacerdotalem*, merito videnda in Bullario, & apud Urſayam *Inſtit. crimin. lib. 2. tom. 2. poſt n.* 117.

Additur attendenda ſequens reſolutio Sacræ Congregationis Concilii de anno 1686. relata a toties laudato Card. de 36
Lambertinis *Volumine* 5. *Notification*. 7. ut ſequitur.

Alexandrina Augmenti Dotis Canonicatus.

Vacante a pluribus menſibus Canonicatu in Eccleſia Collegiata

giata Sanctæ Mariæ de Nive Juriſpatronatus Fratrum de Mantellis, Sacerdos Thomas Maria Verrus propoſuit dictis Patronis, ſe dicti Canonicatus Dotem acturum fore mediante aſſignatione cujuſdam Vineæ, expreſſa tamen lege adjecta, ut ad eumdem Canonicatum debeat ab illis præſentari.

Timens nihilominus, id aliquam Simoniæ labem involvere, pro conſcientiæ ſuæ ſerenitate propoſuit infraſcriptum dubium, quo audito, & narratorum veritatem comprobante Epiſcopo, relatum fuit in proxima Congregatione per modum Summarii.

Cum autem Eminentiſſimi Patres mandaverint illud in folio deſcribi, decernendum nunc ſupereſt.

*An dicta Conventio ſit Simoniaca?*

Sacra Congregatio Concilii reſpondit: *Affirmative*.

Vide cap. *Tuæ nos 34. de Simonia*, *Et Fagnan. ibidem num.4.*

### *Novæ additiones ex aliena manu.*

1 TAmetſi ſtatutum ſit, ut refert *Auctor num. 23.*, ne plures ad Religionem admittantur, quam poſſet Religio commode ſuſtentare de ſuis proventibus, aut conſuetis eleemon-

2 ſynis; nihilo tamen minus praxis in pluribus Monaſteriis invaluit, ut ab Ingredientibus non ſolum pecuniam recipiant, & exigant, ſed etiam de eadem prævie ſtipulentur Monaſterii Superiores.

3 Soletque communiter ex hac ratione excuſari praxis hæc, quod id fieri liceat ratione ſuſtentationis, ac juris ad eamdem, pro quo aliquid ab Ingredientibus recipi poſſe prætendunt Auctores; idque in Monaſteriis non ſolum indigentibus, ſed & opulentis.

4 At vide qui materiam hanc funditus examinat, & pluribus diſtinctis caſibus reſolvit, & quidem rectiſſime *Cocq. de Jur. Juſtit. & annex. cap.4. ſect.9.*

## ARTICULUS III.

### Quod ea, quæ concernunt pœnas Simoniç, & reſtitutionem Simoniace acceptorum.

1 OB ſolam, & omnem *Simoniam realem* (confidentiali excepta) incurruntur ipſo facto Juris pœnæ. *Communis* per text. *in cap. Preſbyter 3. cap. Quiſquis 5. cap. Quos 6. cap. Reperiuntur 7. cauſ.1. quæſt. 1. cap. Salvator 3. cauſ. 1. quæſt.3. Extravagant. Sane 1. & cum deteſtabile 2. de Simonia* cum ſimilibus *in tot. tit. de Simonia*, & S. Pius V. Conſt. incip. *Cum primum*.

2 Et quidem per *Simoniam mentalem* nulla incurritur Juris pœna. *Communis*, per text. *in cap. Tua nos 32. & cap. Mandato 46. de Simonia*, ubi Simonia mentalis non judicatur ab Eccleſia, cui datum eſt de manifeſtis tantummodo judicare, ſed judicanda relinquitur a Diſtrictiſſimo Judice, qui ſcrutator eſt Cordium, & cognitor Secretorum.

3 Item nulla incurritur Juris pœna per *Simoniam Conventionalem*, ſive pure Conventionalem, ſive Conventionalem mixtam. *Communis*, teſte Reiffenſtuel *l. cit. num. 239.* Et ratio eſt, quia nullibi in Jure reperitur aliqua pœna clare expreſſa contra Simoniam Conventionalem, ſive puram, ſive mixtam. In dubio autem non eſt aſſerenda pœna, *argument. cap. Odia 15. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*, *cap. In pœnis 49. eod.* ibi: *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda*, *leg. Interpretatione 42. ff. de pœnis*, ibi: *Interpretatione Legum pœnæ molliendæ ſunt potius, quam aſperandæ*, *& cap. In obſcuris 30. de Regulis Juris in 6.* ibi: *In obſcuris minimum eſt ſequendum*; Tum quia, ut teſtantur Navarrus *in Manual. cap. 22. num. 104.* Leſſius *lib.2. cap.35. dub.27.* Sanchez *Conſil. moral. lib.2. cap. 3. dub. 10. num.106.* Reiffenſtuel *l. citat. num.239.* & alii, ita ſervare ſolet Stylus Curiæ, qui habetur pro Jure, & Lege, juxta Communem Doctorum, *argum. cap. Ex litteris 11. de Conſtitut. & cap. Quam gravi 6. de crimine falſi*.

4 Pœnæ contra ſimoniam realem in ingreſſu Religionis commiſſam ſunt ſequentes. Prima eſt, quod tam dantes, quam recipientes aliquid Simoniace pro ingreſſu Religionis, ſi ſint perſonæ ſingulares Excommunicationem; Si vero omnes Religio ſi capitulariter congregati conſentientes fuerint, Suſpenſionem ab officio Capitulari ad Juriſdictionem, vel adminiſtrationem pertinente ipſo facto incurrant, aliis etiam pœnis in ſuo robore duraturis. Sic expreſſe *Extrav. 1. de Simonia*.

Secunda eſt, quod Religioſi Simoniace recepti expellantur de ſuo Monaſterio, & in arctiori Monaſterio, ad agendum ibi pœnitentiam detrudantur, & Superior, & majores perſonæ Monaſterii ſuſpendantur, & etiam in arctiori Monaſterio detrudantur; *cap. Veniens 19. & cap. Quoniam 40. de Simonia*. 5

Tertia eſt, quod Rei Simoniæ pro ingreſſu Religionis incurrant Infamiam Juris, & conſequenter evadant Irregulares, ſaltem ſi crimen ſit notorium notorietate *Juris*, aut *Facti*. *Extravag. Sane 1. de Simonia §. Ceterum, ibi: Nota infamiæ inde contracta*. 6

Profeſſio tamen illorum adhuc eſt valida, cum nullibi in Jure ob id declaretur invalida. Sanchez *lib.2. conſil. c.3. dub. 104. num.5.* Leſſius *lib.2. cap.35. n.132.* Reiffenſt. *loc. citat.* 7

*num.354.* & alii paſſim. Et ante emiſſam dictam Profeſſionem pœnæ ipſo facto incurruntur; Unde ſi Regulares nihil Simoniace recipiant, vel receptum iterum ante Profeſſionem reſtituant, aut ingreſſus ad Sæculum non Profeſſus redeat, immunes ſunt a dictis pœnis; Caſtrop. *de Simonia punct.23. n. 3.* Pirhing. *l.c. n.71.* Reiffenſt. *l.c. n.255.* Suarez *lib.4. de Simonia Cap.56. n.7.* et alii. Et ratio eſt, quia licet committatur Simonia ſtatim poſt Simoniacum ingreſſum, præfatæ tamen Juris pœnæ non incurruntur, niſi ſecuta Profeſſione; cum pactio Simoniaca principaliter ſit ordinata ad Profeſſionem Religioſam; adeoque ſi ipſa Profeſſio non ſequatur, quia tunc pro admiſſione ad Profeſſionem nulla recipitur pecunia, ſed gratis fit, non cenſetur perfecte conſummata illa Simonia, et conſequenter nec ſufficiens pro inducendis pœnis a Jure ſtatutis, cum Leges pœnales intelligi debeant cum effectu, nec extendi ultra caſum expreſſum, *arg. Cap. Odia 15. Cap. In pœnis 49. de Reg. Jur. in 6. & leg. Interpretatione 42. ff. de pçnis*. 8

Quamvis Moniales Monaſteriorum habentium ſufficientes, et abundantes redditus pro honeſta ſuſtentatione ingredientium, ſi pro ingreſſu, et admiſſione ad Religionem, et Profeſſionem aliquid temporale exigant, æque ac alii Regulares veram Simoniam committant, tamen pœnas Juris non incurrunt, licet illud temporale ſe recipere dicant loco dotis ad honeſtam Ingreſſæ ſuſtentationem; Dictæ enim pœnæ, ſeu Cenſuræ reſpectu Monialium revocatæ fuerunt per Bullas plurium Pontificum, ut referunt Doctores apud Suarez *diſ.22. de Cenſur. ſect.5. n.14.* & Pirhing *l.c. n.71. §. Ceterum*. 9

Pœnæ contra Simoniam realem in collatione, & ſuſceptione Ordinum commiſſam ſunt ſequentes. Prima eſt, quod tam Conferens, quam Recipiens Ordines per Simoniam realem ſit ipſo facto excommunicatus. *Extravag. Cum deteſtabile 2. de Simonia*; *Cap. Reperiuntur 7. cauſ.1. q. 1.* Pirhing *l.c. n.156.* Reiffenſt. *l. c. n.257. & 258.* & alii paſſim. 10

Secunda eſt Suſpenſio Ordinantis a collatione Ordinum ſaltem per triennium, & Ordinati, donec ab ipſa Suſpenſione per Sedem Apoſtolicam fuerit abſolutus; *cap. Si quis ordinaverit 45. de Simonia*. Item ſi Simoniæ crimen ſit manifeſtum, tam Ordinans, quam Ordinatus deponendus eſt a ſuo gradu, & Officio Eccleſiaſtico, textu expreſſo *in cap. Qui per pecuniam 9. cauſ.1. q.1.* ibi: *Qui per pecuniam quemque conſecraverit, vel ab alio conſecratus eſt, alienus a Sacerdotio fiat*; Et ex Conſt.91. Sixti V. inc. *Sanctum, & ſalutare*; Ordinans Simoniace a Collatione quorumcumque Ordinum, & primæ Tonſuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium eo ipſo ſuſpenſus, & ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus exiſtit, reſervata harum Cenſurarum abſolutione Summo Pontifici, quamvis Simonia eſſet occulta; Quas pçnas in ſuo robore permanere voluit Clemens VIII. quamvis dictam Bullam Sixti V. quoad aliqua puncta revocaverit ad terminos Juris communis in ſua Conſt.40. inc. *Romanum Pontificem*; Et ſi Interdictum violat, præter Irregularitatem, quam incurrit vigore *Cap. Cum medicinalis 1. & Cap. Is cui 20. de Sententia Excomm. in 6.* etiam ſuſpenſus eſt a regimine, & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, & perceptione omnium fructuum a Beneficiis ſuis provenientium; Sic expreſſe cit. Conſt. V. inc. *Sanctum, & Salutare* non moderata nec revocata quoad dictas pçnas contra Simoniacos a Clemente VIII. in dict. Conſt. inc. *Romanum Pontificem*. 11

Tertia eſt, quod Ordinatus Simoniace ſcienter præter Excommunicationem, quam ipſo facto incurrit, *arg. Cap. Reperiuntur 7. cauſ.1. q.1. & Extrav. Cum deteſtabile 2. de Simonia*, ſit ſuſpenſus ab executione omnium ſuorum Ordinum, non ſolum Simoniace ſuſceptorum, ſed etiam aliorum, quamvis Simonia ſit occulta, *cit. Extrav. Cum deteſtabile 2. de Simonia*, quæ a Doctoribus communiter intelligitur de Suſpenſione omnium Ordinum, etiam non Simoniace receptorum, ut notant Pirhing *l.c. n.160.* Reiffenſt. *l. c. n.262.* Leſſius *l.c. n.135.* & alii paſſim. Et ſi poſtea in tali ſuſpenſione aliquem actum Ordinis exerceat, incurrit etiam Irregularitatem; *Cap. Apoſtolicæ 9. de Clerico excommun. Cap. Is cui 20. de Sentent. Excommun. in 6.* Et inſuper incurrit privationem Officiorum, & Beneficiorum omnium, atque inhabilitatem ad ea, ſi fuerit Sæcularis; Si vero Regularis, privationem vocis activæ, & paſſivæ atque inhabilitatem ad eam, reſervata dictarum pœnarum abſolutione ſoli Summo Pontifici, etiamſi ſimonia eſſet occulta; Sic expreſſe cit. Conſt. Sixti V. inc. *Sanctum, & ſalutare*, non moderata, nec revocata quo ad dictas pœnas contra ſimoniacos a Clemente VIII. Conſt. inc. *Romanum Pontificem*. 12

Pçnæ contra ſimoniam realem in Beneficiis Eccleſiaſticis

13 commiſſam ſunt ſequentes. Prima eſt, quod tam illi, qui aliquod Beneficium, ſive Officium Eccleſiaſticum, ſive Sæculare, ut Epiſcopatum, Archipresbyteratum, Canonicatum, & hujuſmodi, ſive Regulare, ut Generalatum, Provincialatum, Prioratum, Guardianatum, Rectoratum, Definitoriatum, & hujuſmodi ſimoniace conferunt, aut directe, vel indirecte procurant, eligendo, poſtulando, præſentando, commendando, & hujuſmodi, quam illi, qui aliquo ex præfatis modis Simoniace Beneficium, aut Officium hujuſmodi acquirunt, ipſo Jure, & facto incurrunt Excommunicationem Papæ reſervatam, *cit. Extrav. Cum deteſtabile 2. de Simonia*, et S. Pius V. Conſt. 5. incipien. *Cum primum*.

Secunda eſt, quod collatio, proviſio, et acquiſitio hujuſ-

14 modi Beneficii, aut Officii ſimoniace facta ſit ipſo jure irrita, et nulla, ita ut proviſus teneatur ſub animæ ſuæ damnatione illud ſponte dimittere, et ad reſtitutionem omnium fructuum, ſi quos inde perceperit, *Cap. Si quis neque cauſ. 1. q.1. c Matthæus 23. de Simonia, & cit. Extrav. Cum deteſtabile 2. de Simonia*, et S. Pius V. cit. Conſt. *Cum primum*.

15 Tertia eſt, quod qui Simoniace hujuſmodi Beneficium, aut Officium Eccleſiaſticum obtinuit, illud utpote nulliter obtentum ante omnem ſententiam, non ſolum dimittere teneatur, ſed ad illud obtinendum perpetuo inhabilis evadat, niſi Papa diſpenſet, *Cap. Si alicujus 59. de elect. cap. Nobis fuit 27. de Simonia*; et S. P. V. cit. Conſt. *Cum primum*.

16 Quarta eſt, quud qui Simoniace aliquod hujuſmodi Beneficium, ſeu Officium Eccleſiaſticum obtinuit, ſit etiam inhabilis ad quæcumque alia Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda. Sic expreſſe S.P.V. cit. Conſt. inc. *Cum primum*. Quam tamen pœnam, vel non eſſe uſu receptam, vel non obligare in conſcientiæ Foro ante condemnatoriam, vel Declaratoriam Judicis ſententiam, tenent Navarr. *conſ.92. de Simonia*, Caſtropalao *de Simonia punct.25.* Pirhing *l.c. n.270.* Reiffenſtuel *l.c. n.267.* et alii.

17 Quinta eſt, quod qui Simoniace obtinet aliquod hujuſmodi Beneficium, aut Officium Eccleſiaſticum, ſit privandus per ſententiam Judicis etiam aliis Beneficiis prius Canonice obtentis, text. expreſſo *in c. Cum ſuper 2. de confeſſis, cum ſimilibus*.

18 Sexta eſt, quod qui Simoniace obtinet aliquod hujuſmodi Beneficium, aut Officium Eccleſiaſticum, ſit per ſententiam Judicis etiam ab Altaris miniſterio perpetuo deponendus, textu expreſſo *in Cap. De hoc 11. de Simonia*, cum ſimilibus.

19 Supradictas Juris pœnas inducit etiam Simonia Juris Eccleſiaſtici in Reſignatione, et Permutatione Beneficiorum commiſſa; ſic contra paucos Communior Doctorum cum Abbate *in Cap. Cum univerſorum, de rerum permutat. n.6.* Pirhing *l.c. n.155.* Reiffenſt. *l.c. n.272.* Layman *de Simonia Cap. ult. num.66.* Suarez, et alii paſſim; Sacri enim Canones, et conſtitutiones Pontificiæ, dum pœnas contra Simoniam ſtatuunt, ordinarie in genere, & indiſcriminatim de quavis Simonia reali loquuntur, adeoque etiam de Simonia Juris Eccleſiaſtici, quia ubi Lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, *Cap. Quia circa 22. de privil. & l. De pretio 8. ff. de Publiciana in rem action.* Tum quia plures Sacri Canones loquuntur de Simonia Juris humani, ſeu Eccleſiaſtici, eamque pœnis Juris ſubjiciunt, ut videre eſt *in Cap. Quæſitum 5. & Cap. Cum olim 7. de rerum permut. Cap. De hoc 11. De Simonia. Extravag. Cum deteſtabile 2. de Simonia cum ſimilibus*.

20 Qui Beneficium per Simoniam realem ab alio commiſſam obtinuit, tenetur illud etiam ante Judicis ſententiam dimittere, quam primum reſcit Simoniam eſſe commiſſam, textu expreſſo *in Cap. Eos qui 2. cauſ.1. q.5. Cap. Nobis fuit 27. & Cap. Sicut tuis 33. de Simonia*, ibi: *Secundum Sacrorum Canonum inſtituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum Eccleſias per pecuniam ſunt adepti, eas dimittere tenentur*.





Non tenetur autem Beneficium dimittere ille, in cujus odium ipſo ignorante; Simonia ab alio commiſſa eſt; textu expreſſo *in cit. Cap. Nobis fuit 27. de Simonia*, ibi: *Niſi conſtaret illos, qui promiſſum tale* (nempe Simoniacum) *fecerint per fraudem in diſpendium illius, qui eligendus erat, id malitioſe feciſſe*. 21

Item non tenetur Beneficium dimittere qui contra Simoniam ab alio pro obtinendo Beneficio committendam expreſſe proteſtatur, quamvis ipſe alius, ignorante dicto expreſſe contradicente, *in Simonia* pergat, eaque mediante Beneficium revera obtineatur, *in cit. Cap. Sicut tuis 33. de Simonia*, ibi: *Quoniam ex eo quod contra prohibitionem, & voluntatem tuam* (a qua poſtmodum minime receſſiſti, *aliquis te penitus ignorante, promiſit pecuniam, & exſolvit, nihil tibi debet ad pçnam, vel ad culpam imputari*. 22

Teneretur tamen Beneficium dimittere, ſi ſciret, quod dictus alius non obſtante contradictione, & proteſtatione ſua, nihilominus in Simonia pergeret, eaque mediante Beneficium obtineret, quia ſic acceptando videretur in re approbare *Simoniam*, & conſentire in illam. Sic colligitur clare *ex cit. Cap. Sicut tuis 33. de Simonia*, ubi excuſatur a pçna nullitatis ſolum ille, qui poſt contradictionem ignorat beneficium ab alio *Simoniace* pro ſe obtineri, adeoque ille, qui ſcit, non excuſatur hoc ipſo, quod ſciat Beneficium pro ſe Simoniace fuiſſe obtentum. Eo vel maxime quod per verba textus allegati *ſupra nu.20. Secundum Sacrorum Canonum inſtituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum Eccleſias per pecuniam ſunt adepti, eas dimittere tenentur*. Leſſius *lib.2 cap.35. numer.143.* Reiffen. *l.c. n.261.* & alii paſſim. 23

Et a fortiori teneretur tale Beneficium dimittere, ſi per *Simoniam* alterius fuiſſet obtentum, ſciente, & non contradicente ipſomet pro quo fuiſſet obtentum. In tali enim caſu ipſemet plene conſentire videretur, quia ut recte advertit Gloſſa communiter recepta *in cit. Cap. Sicut tuis verb. Præbere*: *Sæpe qui tacet, conſentire videtur*, per text. *in l. Sicut proponis 5. Cod. de Nuptiis, l. Soluto Matrimonio 2. ff. Soluto Matrimonio, cap. Si Servus 19. diſt. 54.* & expreſſe *Cap. Qui tacet 43. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Qui tacet, conſentire videtur*. 24

Qui ſe ignorante, ſeu omnino neſciente per Simoniam alterius eſt ordinatus, de rigore Juris, donec diſpenſetur, tenetur ab executione Ordinis abſtinere, poſtquam Simoniacam Ordinationem reſciverit, *argum. Cap. Præſentium 3. cauſ.1. q.5. & Cap. De Regularibus 25. de Simonia*. Poterit tamen cum taliter Ordinato Epiſcopus diſpenſare, prout habetur *in cit. Cap. Præſentium 3. cauſ.1. q.5.* & tenet Gloſſa *ibidem*; quia talis, quamvis Simoniace fuiſſet ordinatus, tamen Simoniacus non eſſet, ut dicitur *in Cap. De Simoniace Ordinatis 22. de Simonia*. 25

Simoniæ Confidentialis pœnæ ſunt ſequentes. Prima ſcilicet, quod præter Excommunicationem ipſo facto ratione ipſius incurrendam, privat non ſolum Beneficio, circa quod Simonia Confidentialis commiſſa fuit, ſed etiam aliis Beneficiis, & Penſionibus; Canonice obtentis; Pius IV. Conſt.85. incip. *Romanum Pontificem*, & S. Pius V. Conſt. 85. incip. *Intolerabilis*. 26

Secunda eſt, quod inhabilem reddat taliter Simoniacum ad idem, & alia quæcumque Beneficia obtinenda. Pius IV. cit. Conſt. *Romanum Pontificem*, & S. Pius V. cit. Conſtit. inc. *Intolerabilis*. 27

Tertia eſt, quod Beneficium per Simoniam Confidentialem nulliter acquiſitum reſervatur ſummo Pontifici, ita ut nullus alius illud conferre valeat. Pius IV. & S. Pius V. in citatis Conſtitutionibus. 28

Quarta eſt, quod fructus ex tali Beneficio male percepti applicari debeant Cameræ Apoſtolicæ. Pius V. in *cit. Conſtitutionibus*. 29

Quinta eſt, quod præfatæ pœnæ contrahantur non ſolum per *Simoniam realem*, ſed etiam per *Simoniam Conventionalem mixtam*. S.P.V. cit. Conſtitut. inc. *Intolerabilis*: ubi S. Pontifex decernit pçnas contra Simoniam Confidentialem ſtatutas incurri, licet *ipſa Simonia Confidentialis alterius tantum* 30

*tum partis conſcientia ſit completa*. Vide ipſam Conſtitutionem relatam *ſupra art.* 1. *n.* 15.

31 Quæ autem ſint pœnæ ſtatutæ contra dantes, vel promittentes pecuniam, ſeu temporalia pro obtinenda Juſtitia, vel Gratia apud Sedem Apoſtolicam? Vide *ſupra art.* 2. *nu.* 35. ubi ad id affertur per extenſum Conſtitutio Alexandri VII. de datis & promiſſis pro Juſtitia, vel Gratia apud Sedem Apoſtolicam obtinenda.

32 Quo ad reſtitutionem Simoniace acceptorum, tenendum eſt pro certo, quod qui obtinuit Simoniace Beneficium, ſeu Officium aliquod Eccleſiaſticum, tenetur ſub mortali ſponte illud una cum omnibus fructibus perceptis ante omnem Judicis ſententiam reſtituere, ac dimittere, etiamſi Simonia ſit occultiſſima, *Cap. Si quis neque cauſ.* 1. *Cap. Matthæus* 23. *de Simonia*; *Extrav. Cum deteſtabile* 2. *de Simonia*, S.P.V. Conſt. 5. inc. *Cum primum*.

33 Qui temporale accepit ſub conditione, ſeu pacto dandi, vel præſtandi ſpirituale, & poſtea conditionem, ſeu pactum non implevit, tenetur Jure Divino, & naturali reſtituere totum acceptum. *Communis ac certa*. Et ratio eſt clara, quia ſicuti Diſpenſator eleemoſynam gratis diſpenſare juſſus pauperi, facit ei injuriam, & ad reſtitutionem tenetur, ſi pro dicta eleemoſyna ipſi pauperi tradenda, ab eo exigat, & accipiat pecuniam; Ita ad reſtitutionem tenetur, qui pro ſpiritualibus, quæ tamquam Diſpenſator gratis diſtribuere debet juxta præceptum Domini: *Matthæi* 10. *Gratis accepiſtis, gratis date*, temporalia exigit. Eo magis in noſtro caſu urget obligatio reſtitutionis ratione pacti expreſſi, quod non implevit.

34 Qui pro electione, collatione, præſentatione, nominatione alicujus ad Beneficium ſeu Officium Eccleſiaſticum aliquod temporale recepit, tenetur illud reſtituere ante omnem Judicis ſententiam. *Communis, & certa*, textu expreſſo *in Cap. De hoc* 11. *de Simonia*, ibi: *Reges, & Principes ejus debes inducere, ut ſi quæ receperint a præfato Epiſcopo, ut ejus electioni præſtarent aſſenſum, Eccleſiæ Oxonienſi ſine diminutione reſtituant, cum ea ſine gravi ſalutis periculo retinere non poſſint*.

35 Et quidem ad talem reſtitutionem tenetur de Jure Divino, *Communis*. Cum enim talis non ſit Dominus, ſed Diſpenſator ſolum hujuſmodi rei ſpiritualis, & a Domino Deo juſſus, ut *gratis* diſtribuat, *Matth.* 10. *Gratis accepiſtis, gratis date*, facit injuriam Domino Deo, & illi, a quo pro re ſpirituali temporale exigit; ſicque peccat contra Juſtitiam, & conſequenter tenetur ad reſtitutionem de Jure Divino.

36 Qui temporale accepit ratione Beneficii Eccleſiaſtici, tenetur illud reſtituere Eccleſiæ, in qua Beneficium exiſtit, & non ipſi Danti, præſertim poſt ſententiam judicis. *Communis*, & clare habetur ex cit. *Cap. De hoc* 21. *De Simonia*, ubi expreſſe præcipitur ut hujuſmodi *Simoniace* accepta reſtituantur Eccleſiæ Oxonienſi.

37 Advertunt tamen Doctores cum Sanct. Thoma 2.2. *q.* 100. *art.* 6. *ad tertium*, poſſe tale temporale acceptum reſtitui pauperibus Superioris arbitrio; Immo multi aſſeruntur jam legitime introductum eſſe, ut talia *Simoniace* accepta reſtituantur pauperibus. cum obligatio ea reſtituendi Eccleſiæ, & non alii ſit tantum Lex humana, ſeu Eccleſiaſtica, cui potuit, & poteſt, per legitimam conſuetudinem derogari, *Cap. Cum tanto* 11. *de conſuet.*

38 Ante ſententiam tamen Judicis poſſe, immo deberi talia *Simoniace* accepta reſtitui illis, a quibus ſunt accepta, defendunt abſolute Sotus *lib.* 9. *q.* 8. *art.* 1. *de Simonia*, & §. *Ad ſextum*, Moya *tract.* 6. *Miſcell. diſp.* 4. *qu.* 6. §. 2. *numer.* 13. Bannes 2.2. *q.* 32. *art.* 7. *dub.* 2. Reiffenſt. *l.c. n.* 296. & 297. Et probabiliter Palao *de Simonia punct.* 26. *num.* 5. Leſſius *l.* 2. *Cap.* 35. *dub.* 31. *n.* 171. & alii.

39 Simoniace accepta pro ingreſſu in Religionem poſſunt retineri a Monaſterio in communi uſu; at non ad ſpecialem uſum Superioris, ſeu Superioriſſæ, aut alterius ſingularis perſonæ, id enim, nempe quod talia Simoniace accepta communi Monaſterii uſui, tanquam piæ cauſæ remanere, & publicari poſſint, expreſſe conceſſum fuit *in Extravagan. Sane* 1. *de Simonia*, ibi: *Inſuper erga perſonas illas, quæ in præmiſſis recipiendo aliqua contra Canonicas Sanctiones peccaſſe noſcuntur, volentes nos reddere gratioſos omnia recepta hujuſmodi, ſi ad communem uſum Monaſteriorum, ſeu locorum eorum ſunt applicata, et ad dictum uſum concedimus retineri; Si vero ad ſpecialem uſum Abbatis, vel Abbatiſſæ, Prioris, aut Prioriſſæ, aut alterius ſingularis perſonæ retineantur, illa venire præcipimus in communi*. Unde nullam eſſe obligationem ante Judicis ſententiam reſtituendi Simoniace accepta in ingreſſu Religionis, ſed poſſe retineri, & applicari, ut ſupra expreſſe tenent Pirhing *l.c. n.* 183. Reiffenſt. *l.c. num.* 298. Palao *de Simonia punct.* 26. Leſſius *libr.* 2. *cap.* 35. *dub.* 30. & alii.

40 Simoniace accepta pro collatione Ordinis, & adminiſtratione aliorum Sacramentorum, & Sacramentalium reſtitui debent de Jure Divino, & conſequenter ante omnem Judics ſententiam. *Communis*. Et ratio eſt clara, quia cum talia, & ſimilia ſpiritualia ex mandato Domini Dei *Matthæi* 10. gratis conferri & adminiſtrari debeant, ſi quod temporale pro eorum collatione, ſeu adminiſtratione exigatur, fit gravis injuria Domino Deo, & illis, a quibus exigitur, ſicque peccatur contra Juſtitiam, & inſurgit obligatio id reſtituendi de Jure Divino.

41 Et talis obligatio reſtituendi Simoniace accepta oritur ex *Simonia mentali*; Licet enim ex ipſa nulla incurratur Juris pæna per dicta, & jura adducta *ſupra n.* 2. oritur tamen onus reſtituendi temporalia Simoniace accepta: quod onus non eſt pęna Juris, ſed obligatio ex Juſtitia, & Jure Divino procedens ob injuriam illatam tertio; quæ obligatio etiam occultiſſima delicta afficit, propter quæ tales mentales Simoniaci *apud diſtrictum Judicem* (*qui Scrutator eſt cordium, & cognitor Secretorum*) *culpabiles judicantur*, ut expreſſe cavetur in *Cap. Tua nos* 34. *de Simonia*.

42 Alia ad rem. Vide verb. *Electio, Juſpatronatus, Præſentatio, Reſignatio*.

*Novæ additiones ex aliena manu*.

1 Regulariter pęnæ contra ſimoniacos haud incurruntur propter ſolam ſimoniam conventionalem, ut recte notavit *Auctor. n.* 3. & communiter tradunt *Antonell. de Regim. Eccleſ. l.* 6 *cap.* 18 *n.* 13. *Loter. de Re Benef. l.* 3. *q.* 19. *n.* 150. & *ſeq. Novar. in Summ. Bullar. Comment.* 117. *n.* 19. *Panimoll. dec.* 91. *annot.* 1. *n.* 35. *Rot. in recent. dec.* 141. *nu.* 16. *p.* 16. & cum aliis *in Marian. Benef.* 28. *Januar.* 1746. §. 8. *cor. clar. mem. Millin.*

2 At in aliquibus caſibus ex ſola conventionali ſimonia incurritur pœna nullitatis. 3 Sic permutatio ſimoniaca, quamvis nihil adhuc datum vel factum ſit, irrita eſt, caretque ſuo effectu; *Rot. cor. Criſpo dec.* 102. *n.* 2. *cor. Falconer. dec.* 5. *numer.* 10. *de Benef.*

4 Idem dicendum de Reſignatione ſimoniaca labe infecta, ut reſpondit *Rot. in Paderbon. Beneficii* 10. *Mart.* 1747. §. 2. *cor. Reverend. Molino*, ibi: *Dubitari namque non poteſt, quin deteſtabile ſcelus Simoniacæ pravitatis inducat omnino nullitatem reſignationis, & beneficii privationem &c. Quod procedit nedum in reali, verum in ſimonia etiam conventionali, etſi effectu conventio caruerit*, & in confirmatoria 3. *Junii* 1747. §. 2. *cor. eod.*

5 Et quod hic ſilentio prætereundum haud eſt, mox allegatæ *Deciſiones in Paderbon. Beneficii* magiſtrales ſunt circa probationem ſimoniæ, & fere ſingulares, nam ut plurimum ſimonia excludi ſolet ex defectu idonearum probationum.

6 Num etiam in electionibus ex ſola ſimonia conventionali incurratur pęna nullitatis electionis? Vide apud *Mayr in Decret. lib.* 5. *tit.* 3. *num.* 138.

7 De peculiaribus poenis, quas incurrunt ſimoniaci pro varietate actuum, in quibus ſimonia committitur, vide eumdem *Mayr in Decret. dict. lib.* 5. *dict. tit.* 3. *a n.* 133. *ad plur. ſequent.*

## Articulus IV.

Quoad ea, quæ concernunt cauſas, & titulos excuſantes a ſimonia, vel poenis, ac reſtitutione Simoniace acceptorum. Et quo ad ea, quæ concernunt diſpenſationem in pænis ſimoniæ, & abſolutionem a Cenſuris ob eam incurſis, & Judicem, & teſtes quoad eam.

1 Cauſæ, & tituli excuſantes a Simonia ſunt potiſſimum ſequentes. I. Si temporale pro ſpirituali, aut e contra detur omnino gratis ſine ullo explicito, & implicito pacto; patet ex dictis *art.* 1. *a n.* 29. *ad* 30. II. Si poſt acceptum ſpirituale detur temporale, aut e contra ex mera gratitudine ad ſatisfaciendum obligationi *Antidorali*. Patet ex dictis citat. *art.* 1. *n.* 34. III. Si temporale detur, ne eligatur indignus, aut minus dignus; Patet ex dictis *art.* 2. *n.* 17. IV. Si Miniſtris Eccleſiæ dentur temporalia non per modum pretii, ſed ſolum per modum ſtipendii ad eorum honeſtam ſuſtentationem pro adminiſtratione Sacramentorum, & Sacramentalium pro Miſſis, & aliis functionibus ſpiritualibus, patet ex dictis *art.* 2. *n.* 26. & 33. V. Si ſpirituale conferatur propter preces armatas ſive gravem metum incuſſum ſine tamen ullo pacto; Patet ex dictis *art.* 1. *num.* 40. VI. Si temporale detur ad redimendam vexationem injuſtam; Patet ex dicendis *infra numer.* 2. & 3. VII. Si temporale detur propter laborem functioni, aut miniſterio ſpirituali extrinſecum, & ſolum per accidens conjunctum; Patet ex dicendis *infra n.* 6. VIII. Si interveniat ignorantia vera invincibilis; Patet ex dicendis *infra num.* 8.

2 Ab incurſu ſimoniæ excuſat dare temporale ad redimendam vexationem injuſtam, quam quis patitur in Jure ſpirituali jam plene quæſito, & quod habet in re. *Communis, arg. Cap. Quæſitum* 4. *cauſ.* 3. *q.* 3. & *cap. Dilectus* 28. *de Simonia.* Ubi ſimoniæ non arguuntur, qui ad redimendam injuſtam vexationem, quam patiebantur in Jure jam quæſito, temporalia dederunt. Hinc S. Gregorius Magnus (ut ex Baronio refert Fagnanus in *lib.* 6. *Cap. Nobis, de Simonia n.* 105.) pecuniam dedit Imperatori Mauritio pro confirmatione ſui Pontificatus ſine labe ſimoniæ, quia cum jam haberet Jus quæſitum, ſeu in re ad Pontificatum per legitimam electionem, dictam pecuniam non dedit pro Jure aliquo ſpirituali, ſeu pro Pontificatu emendo, utpote quem jam plene Jure quæſito habebat, ſed pro tollenda injuſta, & violenta vexatione, qua a juſto exercitio ſui legitimi Pontificatus tyrannice impediebatur, quod eſt quid temporale.

3 Item ab incurſu ſimoniæ excuſat dare temporale ad redimendam injuſtam vexationem etiam in Jure ſpirituali nondum quæſito, ſed adhuc acquirendo, ſi dicta injuſta vexatio veniat ab eo, cui ſolum nocere non autem prodeſſe poteſt ad tale ſpirituale verb. gr. Beneficium, ſeu Officium Eccleſiaſticum obtinendum. *Communis*. Et ratio eſt, quia in tali caſu non dat quis temporale pro acquirendo ſpirituali, cum concluſio ſupponat talem injuſte vexantem nihil penitus prodeſſe poſſe ad tale ſpirituale acquirendum, ſed dat ſolum, & præciſe ut injuſtus vexans impedimenta non ponat per ſuas iniquas machinationes infamando v. gr. & denigrando ipſum apud eligentem, præſentem, conferentem, confirmantem, ſeu alias injuſte agendo contra ipſum, ne eligatur, præſentetur, inſtituatur, confirmetur, vel alias a Beneficio acquirendo injuſte, & violente impediatur uti injuſte ipſum detinendo, aut quocumque modo impediendo, ne ſe conferat ad concurſum, ad Electorem, Præſentatorem, Collatorem, & hujuſmodi: quæ omnia ſunt quid mere temporale, & nihil poſitive influunt in Beneficii, ſeu Officii Eccleſiaſtici Collationem, et acquiſitionem.

4 Non excuſat tamen ab incurſu ſimoniæ dare temporale ad redimendam injuſtam vexationem, ſi ipſa veniat ab eo, qui de jure prodeſſe poteſt ad Spirituale v. gr. Beneficium, ſeu Officium Eccleſiaſticum obtinendum; *Communis*. Et ratio eſt, quia in tali caſu temporale datum, vel promiſſum alicui, ne in electione v. g. præſentatione, & hujuſmodi injuſte degenet votum ſuum, vel alias injuſte deneget debitam inſtitutionem, confirmationem, collationem, & hujuſmodi, poſitive influit in collatione, & acquiſitione ſpiritualis, cum non aliter tollatur, ſeu redimatur dicta injuſta negatio voti, inſtitutionis, confirmationis, collationis &c. niſi per actualem dationem temporalis; Unde tunc datum temporale habet rationem pretii. Sic autem dare temporale, ut detur ſpirituale, eſt veriſſima Simonia. Habetur expreſſe *in Cap. Matthæus* 23. *de Simonia*, juncto ejus Summario ſic preciſe dicente: *Si contradicens electo pro pecunia de voluntate electi tradita a contradictione ceſſat, electus poſtea confirmatus, eſt Simoniacus, & Beneficio renunciare tenetur*. Et concordat *Cap. Sicut tuis* 33. *eodem*, ubi tam Epiſcopus injuſte negans confirmationem Canonico electo, quam illi, qui ad tollendam injuſtam Epiſcopi vexationem pro obtinenda debita confirmatione pecuniam dederunt, *Simoniaci* habentur.

5 Item non excuſat ab incurſu Simoniæ dare alicui, ſive de Jure ad Beneficium prodeſſe volenti, ſive non, temporale, ne vexationem juſtam incipiat, aut ab ea incæpta deſiſtat in Beneficio, ſive acquirendo, ſive acquiſito. *Communis, arg. cap. Cum pridem* 4. *de Pactis*, *cap. Matthæus* 23. & *cap. Sicut tuis* 33. *de Simonia*; Et ratio eſt clara; quia quando quis in Beneficio acquirendo, ſeu acquiſito juſte impugnatur, ſeu juſte impugnari poteſt, vel nullum Jus habet, vel ſaltem non firmum ad dictum Beneficium, adeoque ſi mediante pecunia, vel temporali, juſtam impugnationem, ſeu vexationem tollit, ſibi parat viam ad ſpirituale per temporale, & medio temporali Jus ipſum ſpirituale, & medio temporali Jus ipſum ſpirituale, vel ſaltem ejus firmitatem ſibi comparat, quod vere eſt Simoniacum; Unde vera eſt Simonia dare pecuniam, aut aliud temporale alicui, ne electionem, præſentationem, collationem, ſeu poſſeſſionem Beneficii juſte, & de Jure, impugnet, aut a juſta impugnatione deſiſtat, & hujuſmodi.

6 Ab incurſu Simoniæ excuſat dare, & exigere temporale propter laborem functioni, aut miniſterio ſpirituali extrinſecum, & per accidens conjunctum. Secus autem propter laborem intrinſecum. *Communis*. Et ratio eſt clara, quia labor extrinſecus eſt diſtinctus ab ipſa actione Sacra, & functione ſpirituali, licet per accidens ſit ei conjunctus, adeoque retinet ſuum valorem, quem ex ſe tamquam quid temporale diſtinctum ab ipſa actione Sacra habet, ſicque propter ipſum abſque incurſu Simoniæ poteſt dari, & exigi temporale, cum non ſit Simonia dari, & exigi temporale pro temporali. Econtra tamen, quia labor intrinſecus non diſtinguitur ab ipſa actione ſacra, & functione ſpirituali, ſed cum ipſa unum opus efficit, totuſque eſt Sacer, dari, & exigi temporale pro ipſo erit Simonia, per textum *in cap. Si quis objecerit* 7. *cauſ.* 1. *quæſt.* 3., ibi: *Quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*.

7 Ille autem labor eſt, & dicitur extrinſecus functioni Sacræ, ſeu miniſterio ſpirituali, & ei per accidens conjunctus, ſine quo functio ſacra, ſeu miniſterium ſpirituale, adhuc in ſe bene fieri poteſt. Sic v. g. labor extrinſecus, & per accidens conjunctus celebrationi Miſſæ eſt itineratio per unam, vel alteram horam ad locum diſtantem: Unde cum talis itineratio ad celebrandam Miſſam in dicto loco diſtanti ſit quid temporale. Labor intrinſecus e contra eſt, & dicitur ille, ſine quo functio ſacra, ſeu miniſterium ſpirituale fieri nequit; Sic v. gr. pronunciatio verborum, motus membrorum, & hujuſmodi eſt labor Miſſæ intrinſecus, eo quod ſine iſto, & ſimili labore Miſſa celebrari nequeat. *Sic Doctores Communiter*; Unde cum talis pronunciatio verborum, & motus corporis, utpote labor intrinſecus, & neceſſarius pro celebratione Miſſæ, & conſequenter ab ipſa indiſtinctus, ſit unum totum Sacrum cum ipſa efficiens, ideo pro ipſo ſolo nequit aliquid temporale pro pretio dari, & exigi ſine labe Simoniæ, cum ſic eſſet vendere, & emere ſpirituale pro temporali.

8 Ab incurſu Simoniæ excuſat etiam ignorantia vere invincibilis. *Communis*; Et ratio eſt clariſſima, quia ad peccatum requiritur conſenſus, ignorantis autem nullus eſt conſenſus, *l. Si per errorem* 15. *ff. de Juriſdict. omnium Judicum*, *l. Non idcirco* 9. *Cod. de Jur.*, & *Fact. ignorantia*; Unde ſi ignorantia invincibilis per Communiſſimam Doctorum excuſat ab omni peccato, excuſabit infallibiliter etiam a culpa Simoniæ.

9 Cauſæ omnes, & Tituli excuſantes a Simoniæ culpa excuſant etiam ab ejus pœnis. *Communis*. Ubi enim nulla eſt culpa, ibi nulla debet eſſe pœna, *arg. leg. Si putatur* 31. *ff. Ad Legem Aquiliam*, *leg. Sancimus* 22. *Cod. de pœnis*, *cap. Cognoſcentes* 2. *de Conſtitutionibus*, ibi: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*, *cap. Sine culpa* 23. *de Regul. Juris in* 6., ibi: *Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus*.

10 Ignorantia tamen invincibilis pœnarum culpam Simoniæ ab Eccleſia ſtatutarum ab eis non excuſat, Cenſuris exceptis, ipſos Simoniacos. *Communis*; 11 Ignorantia enim ſolius pœnæ non tollit cauſam pœnæ, ideſt culpam, adeoque nec effectum, ſeu ipſam pœnam. Et de facto delinquentes contra alias Leges ſub certa pœna aliquid prohibentes eadem pœna juſtiſſime plectuntur, quamvis ignorent ipſam pœnam, ſub qua Lex talia delicta prohibet; Nec indiget hoc ulteriori probatione, cum quotidiana id demonſtret experientia, & praxis omnium Tribunalium Eccleſiaſticorum, & Laicalium, qua conſtat, delinquentes, & Legum tranſgreſſores variis affici pœnis Rotæ, combuſtionis, Patibuli, Decollationis, & hujuſmodi, quamvis invincibiliter ignoraverint, delicta

a ſe

a ſe committenda, & commiſſa pænis hujuſmodi ſubjacere.

12 Notanter autem dicitur *Cenſuris exceptis*, quia ignorantia Cenſurarum excuſat ab eis incurrendis, quamvis contra Legem agendo quis graviſſime peccet *Communis*, textu expreſſo *in cap. Ut animarum periculis 2. de Conſtitutionibus in 6.*, ibi: *Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dummodo eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina*. Et ratio manifeſta eſt, quia ad incurrendam Cenſuram requiritur contumacia, *cap. Qua fronte 15. de appellationibus*, ibi: *Sane ſi quis pro contumacia ..... Interdicto, vel excommunicatione tenetur adſtrictus*, cum ſimilibus, Contumacia autem non adeſt, ubi ignorantia Cenſuræ habetur, cum ignorantia excuſet a contemptu, & contumacia, *leg. Si ignorans 50. ff. Locati*.

13 Quamvis temporalia Simoniace accepta reſtituenda ſint, licet quis ea accipiendo ignoraverit ſe peccare, cum obligatio talis reſtitutionis oriatur, non tam a Jure humano, ſeu Eccleſiaſtico, quam a Jure Divino, ſeu naturali ex dictis *art.3. num.32. ad 35.*, & conſequenter, quia ea ſimoniace accepit, reſtituere teneatur ſtatim, ac reſcit illa tanquam aliena reſtitutioni eſſe obnoxia, etiamſi prius ipſa accipiendo id ignoraverit, ut tradunt communiter Doctores. Tamen

14 Præſcriptio legitima excuſat a dicta reſtitutione Simoniace acceptorum; Dummodo tamen ad ipſam Præſcriptionem vere concurrant omnes conditiones ad ipſam neceſſariæ, de quibus abunde ſub verb. *Præſcriptio per tot.* vide *ibi*, ubi plurima ad rem.

15 Ab excommunicatione incurſa ob commiſſam Simoniam in ingreſſu Religionis, vel Beneficio Eccleſiaſtico ſolus Papa abſolvere poteſt. *Communis*; Papa enim ſibi illam ſpecialiter reſervavit *in Extravagant. Sane 1.*, *& Cum deteſtabile 2. de Simonia*.

16 Ex privilegio tamen, quo Regulares Mendicantes abſolvere poſſunt a caſibus Papæ reſervatis poſſunt etiam abſolvere ab illa Excommunicatione, dummodo non ſit publica, & ad Forum contentioſum deducta. Ita Suarez *l.4. de Simonia cap.61. num.4.* Caſtropal. *de Simonia punct. ult. num.2.*, Reiffenſtuel *lib.5. Decretal. tit.3. num.334.*, & alii. Sicut, & poſſe Epiſcopos abſolvere a Simonia occulta declaravit Sac. Congregation. apud Caſtropal. *de ſimonia punct. ult. numer.3.* Reiffenſtuel. *l. c. n.340. in fine*.

17 Solus autem Summus Pontifex abſolvere poteſt ab Excommunicatione, Suſpenſione, & interdicto, aliiſque pœnis incurſis ob commiſſam Simoniam in ſurreptione, & collatione ordinum, etiamſi Simonia ſit occulta; Sic enim ſibi expreſſe reſervavit Sixtus V. Conſtit. 91. incip. *Sanctum, & ſalutare* cum expreſſa derogatione omnium privilegiorum, ac etiam Concilii Tridentini *ſeſſ.24. de reform. cap.6.* Vi cujus Epiſcopi alias poſſunt *in omnibus irregularitatibus, & Suſpenſionibus a delicto occulto provenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad Forum contentioſum diſpenſare, & in quibuſcumque caſibus occultis etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputatum in foro conſcientiæ gratis abſolvere*. Sunt verba præciſa Concilii. Nec quoad hoc dicta Conſtitutio Sixti V. eſt moderata, aut revocata a Clemente VIII. Conſtit.41. incip. *Romanum Pontificem*, ut patet ex dictis *ſupra art.3. numero 11.* Quamvis tamen circa id non eſſe dictam Sixti V. Bullam ubique uſu receptam putet Leſſius *lib. 2. cap.35. dub.24. num.134.* apud Reiffenſtuel *loc. citat. numer. 335.*

18 Si Beneficium ſimplex Simoniace fuit obtentum ab aliis, Beneficiario invincibiliter ignorante, conſequenter Beneficium bona fide acceptante, poteſt Epiſcopus cum illo diſpenſare, ut tale Beneficium de novo acquirere, & retinere poſſit, dummodo illud prius libere reſignet. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Si alicujus 59. de electione*, ibi: *Quamvis circa eum, qui ignoranter recipit Simplex Beneficium per ſimoniacam pravitatem poſt liberam reſignationem Epiſcopi diſpenſatio toleretur*.

19 Idem poteſt Epiſcopus, ſi eſt Prælatura, aut dignitas ſeu Beneficium Curatum, dummodo electio, ſeu collatio illius per ſententiam reprobata, ſeu caſſata non ſit; ſecus autem, ſi per ſententiam ſit reprobata, ſeu caſſata, *cit. Cap. Si alicujus*, ibi: *Si alicujus electionem propter ſimoniam eo ignorante, ac ratum non habente commiſſam contigerit reprobari, cum eo ſuper prælatione ad quam taliter fuerat electus illa vice non poteſt Epiſcopus diſpenſare*, juncto Summario *ibid.* ſic expreſſe ſonante; *Caſſata Electione propter Simoniam etiam ſine culpa Electi, non diſpenſat Epiſcopus ea vice cum caſſato; Secus, ſi Electus libere reſignavit*. Reiffenſtuel *loco citato numero 337.*, & alii. In caſu autem, quo talis Simoniaca Electio, ſeu Collatio reprobata, ſeu caſſata 20 fuerit per ſententiam, non poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut talis Beneficium *illa vice* retinere, vel de novo acquirere poſſit; ſed debet tale prius alteri, & poſtea ſi iterum vacare contigerit, poterit rurſus conferre tali *Simoniam* ab illo commiſſam invincibiliter ignoranti, quia tunc dicta Simonia purgabitur per intermediam perſonam, ut notat Gloſſa communiter recepta *in cit. cap. Si alicujus* verb. *Illa vice* per textum *in cap. Ex tranſmiſſa 7. de Filiis Presbyteror.*, ibi: *Quo defuncto media interceſſit perſona, cui prædictum Beneficium eſt collatum*. Et tenent Pirhing *loc. cit. num.173.* Reiffenſtuel *loc. citato num.337.* & alii communiter *argument. citat. cap. Si alicujus 59. de electione*.

Pœnam inhabilitatis ad Beneficium quodcumque Epiſco- 21 pus diſpenſando tollere non poteſt, quando Simonia commiſſa eſt ab ipſo Beneficiario, vel ab alio, ipſo ſciente, & conſentiente, etiamſi Simonia ſit occulta; Tunc enim talis Simoniacus redditur perpetuo inhabilis non ſolum ad Beneficium ſimoniace obtentum iterum obtinendum, ſed etiam ad quæcumque alia Beneficia per Jura, & Conſtitution. Pontifi. cit. *ſupra art.3. num.15.*, *& 16.* Super quibus Epiſcopus diſpenſare nequit *Cap. Inferior 4. diſt.21. cap. Nulli fas ſit 25. q.1. cap. Inſtitutionis 25. quæſt. 2. cap. Quod ſuper his 9.*, *& cap. Cum inferior 16. de Majorit.*, *& Obed. Clement. Ne Romani §.1. de electione*, ibi: *Lex Superioris per inferiorem tolli non poteſt*.

Et id procedit, nedum in Foro externo, ut tenent Do- 22 ctores communiter, ſed etiam in foro interno, ut expreſſe declaravit *Sacra Congreg. apud* Caſtropal. *de Simonia punct. ultim. numer.3.*, & Reiffenſtuel *loc. citat. num.340.* his verbis: *Epiſcopus, & ſi a Simonia occulta abſolvere poſſit; non poteſt tamen Simoniacum rehabilitare ad Beneficia in poſterum obtinenda, neque ad ea retinenda, quæ per Simoniam occultam retinet*. Et ſic tenent Pirhing *loc. cit. num. 173.* Suarez *lib.4. de Simonia cap.61. num.10. & 11.* & communiſſima aliorum, teſte Reiffenſtuel *loc. citat. num. 140.* dicente jam in praxi tutam minime eſſe contrariam ſententiam Henriquez, & paucorum aliorum putantium probabile eſſe, quod Epiſcopus pro foro interno diſpenſare poſſit, ſi Simonia ſit occulta.

Quando Simonia eſt publica, diſpenſatio pro Foro ex- 23 terno obtineri debet a Dataria. Pyr. Corrad. *in praxi diſpenſation. lib.5. cap.9. num.13.*, *& 14.* Reiffenſt. *loc. cit. n.343.* & alii paſſim. Quando autem eſt occulta, procuratur pro 24 foro interno in Sacra Pœnitentiaria, Reiffenſtuel *loc. cit. num.344.*

In cauſis Simoniæ ſolus Judex Eccleſiaſticus cognoſcere, 25 & definitive pronunciare poteſt, etiamſi Reus ſit Laicus. Jul. Clar. *lib.5. §. Simonia num.7.* Pirhing *loc. citat. numer. 142.* Reiffenſtuel *loc. cit. num.348.* Abbas *in cap. Cum ſit 8. de Foro competen.*, & *ibi* Gloſſa verb. *Malefactores*, & alii communiter: Simonia enim, cum verſetur circa objecta ſpiritualia, eſt cauſa Spiritualis; Cauſarum autem ſpiritualium cognitio, & ſententiæ pronunciatio pertinet ad ſolos Judices Eccleſiaſticos, privative quoad Laicos, textu expreſſo *in Cap. Decernimus 2. de Judiciis*, ibi: *Decernimus, ut Laici Eccleſiaſtica tractare negotia non præſumant*. Et concordat *cap. Lator 5. cap. Cauſam quæ 7. Qui filii legitimi, cap. Contingit 8. de Arbitris* cum ſimilibus.

Ad accuſandos Simoniacos quivis teſtis etiam criminoſus 26 admittitur, textu expreſſo *in cap. Tanta 7. de Simonia, ibi: Tanta eſt labes hujus criminis, quod etiam ſervi adverſus Dominos, & quilibet criminoſi admittuntur ad accuſationem*, & concordat *cap. Heli 31. & cap. Per tuas 32. eodem*.

In ſimonia reali ſcienter contracta pro Beneficio acquiren- 27 do, Pœnitentiaria non revalidat titulum ejuſdem Beneficii etiam in caſibus occultis, & in foro conſcientiæ, (in quo tamen diſpenſat ad exercitium Ordinum) niſi forte agatur de ſimonia, ignorantia facti, vel juris, commiſſa, & Orator quamprimum id reſcivit, diſpenſationem petierit, quod valet, & in penſionibus, in quibus ſimonia realis ſcienter contracta fuerit. Benedict. XIV. tom. I. Conſtitut. 95. incipient. *Paſtor bonus §.22.*

* Abſtinendum eſt illi etiam a condonatione pretii ſimo- 28 niaci, quando in Eccleſiam ipſam, vel pauperes debet erogari, niſi aliter ſuadeat paupertas delinquentium. *Ibidem §. 23.*



29 Qui ſimoniace interceſſit pro alio ad impetrandum beneficium, tenetur in ſubſidium reſtituere Eccleſiæ, vel pauperibus fructus a beneficiario male perceptos, ante omnem ſententiam. *Inſtit. Eccleſ. 12. §.11.*

30 Si quis poſcat a S. Congregatione abſolutionem a Simonia commiſſa in obtinendo Beneficio, impetrare ſolet reſcriptum ut *dimittat, moneat, & reſtituat*, nempe dimittat beneficium, moneat pro reſtitutione pretii accepti Eccleſiæ, vel pauperibus, reſtituat fructus perceptos, *ibidem §.12.*

31 Si vero Simonia commiſſa eſt ab aliquo tertio, inſcio beneficiario, tunc reſcribitur pro convalidatione tituli, dummodo *ante poſſeſſionem*, quod valet ac ſi diceretur, modo id non reſcierit ante acceptam Beneficii poſſeſſionem. *Ibidem §. 12.*

32 Simonia reali ſcienter contracta, Pœnitentiaria non revalidat titulos Beneficiorum, aut reſervationes Penſionum; Benedict. XIV. tom.2. Conſtitut.95. incip. *Paſtor bonus*, §.22.

32 Diſpenſat tamen in foro conſcientiæ ad exercitium Ordinum; Idem *ibidem §.19.*

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 SUmmus Pontifex tametſi ea, qua pollet ampliſſima poteſtate diſpenſare valeat ſuper pænis Simoniæ in Foro tum interno, tum externo; rariſſime tamen hac poteſtate uti ſolet, teſte *Corrado in Prax. Diſpenſat. lib. 1. cap. 9. num.13.*

2 Quinimo nunquam Simoniace Proviſo conceſſit retentionem Beneficii, ſuper quo Simonia commiſſa eſt, ſi eo ſciente commiſſa ſit; *Idem Auctor ubi ſupra*.

3 Cæterum ſi ignorante Proviſo Simonia ſit commiſſa; nec ei concedit retentionem illius Beneficii, ſed ipſum noviter ei confert.

4 Porro ubi Simonia ſit publica recurſus haberi debet ad Datariam Apoſtolicam, ibique proponenda eſt ſupplicatio pro utroque Foro, & exprimi debent fructus ex Beneficio Simoniace acquiſito percepti, quum debeantur ii Cameræ Apoſtolicæ, licet nonnunquam pro ipſis fieri ſoleat tranſa-

5 ctio. A proviſo autem cum ignorantia ſimoniæ ſufficit eos exprimi fructus, qui percepti ſunt poſt habitam notitiam Simoniæ, quum priores lucretur.

6 At ſi Simonia ſit occulta, recurſus habetur ad Sacram Pœnitentiariam cum ſupplicatione diſpenſationis pro Foro interno tantum.

## SOCIETAS, SEU SOCIETATIS CONTRACTUS.

1 SOcietas eſt contractus duorum, vel plurium aliquid pretio æſtimabile (utpote ſuam pecuniam, mercem, operam, induſtriam, & hujuſmodi conferentium pro negotiatione aliqua honeſta ad commune lucrum pro portione rerum contributarum inter Socios dividendum. Eſt *in re communis*, & deſumitur *ex l. Societatem 4. l. Societates 5. l. ſi Societatem 6. ff. Pro ſocio*, *& Inſtitut. tit. 26. de Societate*.

2 Ad Societatem quæſtuoſam, ut ſit licita, quatuor potiſſimum requiruntur conditiones. Prima conditio eſt, ut Societas fundetur in negotiatione licita, & honeſta. Unde iniqua, & invalida eſt Societas, quæ inſtituitur, & initur ad illicitum, & inhoneſtum commercium, ut ad meretricium, lenocinium, uſuram, furtum, fraudem, & quemcumque malum dolum, *l. Ea vero 3. §.* & *l. Nec prætermittendum 17. ff. Pro ſocio*. Secunda, ut quilibet Socius aliquid pretio æſtimabile conferat in communem Societatem, ſive deinde conferat pecuniam, aut mercem, ſive operam, vel induſtriam ſuam. Plerumque enim pauperiores ſupplent ſua opera, & induſtria, quod alii præſtant ſuis mercibus, *l. ſocietates*, & *l. Si ſocietatem 6. ff. Pro ſocio*. Tertia, ut ſervetur æqualitas inter ſocios, tam quoad damna, quam quoad lucra, ita ut alius præ alio non lædatur, & lucrum, jactura, impendia, & detrimenta communicentur inter omnes Socios, pro rata cujuſque ſortis, niſi aliter conventum ſit, *l. Si ſocietatem 6.*, *& leg. Si non fuerint 29. ff. Pro ſocio*, *& §.1. & 2. Inſtitut. de ſocietate*. Quarta, ut Capitale collatum in communem Societatem ſubjaceat periculo conferentis, ita 3 ut ſi pereat abſque culpa Socii, pereat illi, qui illud in Societatem communem contulit, cum talis conferens ſit ſolus Dominus dicti Capitalis, & quælibet res Domino ſuo pereat; Niſi tamen aliter conventum ſit per pactum aſſecurationis per infra dicenda de contractu vulgariter dicto trium Contractuum, *arg. cap. Contractus 85. de Regul. Juris in 6.*, ibi: *Contractus ex Conventione Legem accipere dignoſcuntur*, & *§.2. Inſtit. de ſocietate*, *& l. Si non fuerint 29. ff. Pro ſocio*, *& l. Depoſitum 1. §.6. ff. Depoſiti*.

Contractus vulgo dictus trium contractuum, ſcilicet Societatis, Aſſecurationis Capitalis, & Venditionis lucri incerti pro certo ſecundum multos eſt illicitus, & Uſurarius, ſi celebretur cum eadem perſona, ſive ſimul, ſive ſucceſſive. Sic Sotus *lib.6. de Juſtit. quæſt.6. art. 2.* Filliucius *de ſocietat. cap.19. num.27.* Arragonius *2. 2. quæſt. 78. art. 2.* Bannes *2. 2. quæſt.78. art.4. de ſocietat. dub.1.* Rebellus *lib. 15. quæſt.4.* Azorius *Inſtitut. moral. part.3. lib.9. cap.4. quæſit. 5. Verſ. Ex his ſolvitur altera difficultas*, qui pro ſe citat Sanctum Thomam *2. 2. quæſt. 78. art. 2. ad quintum*, Sanctum Bernardinum Senenſ. *part.2. ſerm.39. art.1. cap.1. verſ. Primus caſus*, Sanctum Antoninum *part.2. tit.1. cap.7. §.7.* Gloſſam *in cap. Plerique 14. quæſt. 3.* Abbatem *in cap. Per veſtras, de donationibus inter Virum, & Uxorem*. Rodulphin 4 *in cap. Conſuluit, de Uſuris part.2. quæſt.19.* Accurſium *in leg. Si non fuerint 39. ff. Pro ſocio*, Baldum *in leg.1. C. Pro ſocio*, innumeroſque, tum Canonici, tum Civilis Juris Interpretes; Et ſic tenetur etiam Henno *tom.2. tract.2. diſp.9. q.5. concluſ. unica*. Et noviſſime cum pluribus aliis Pontas verb. *Societas caſ.30. per tot.* ubi mordicus hanc propugnat ſententiam adducens ad id Conſtitutionem 45. Sixti V. incip. *Deteſtabilis avaritiæ*, & multa alia ad rem, ſolvendo etiam contraria. V. infra *num.44.*

Communior tamen, & probabilior ſententia docet tamen Contractum trium Contractuum eſſe licitum (a), & minime uſurarium, quamvis cum eadem perſona, ſive ſimul, ſive ſucceſſive celebratum. Sic tenent Gabriel *in 4. diſt.15. quæſt. 11. dub.10.* Major *in 4. diſt.15. quæſt. 27.* Valentia *diſp.5. tom.3. quæſt.24. punct.2.* Molina *de Juſtit., & Jur. lib.2. cap.24. dub.3.* Covarruv. *l.2. variar. reſolut. cap.2. n.3.* Tolet. *lib.5. cap.41.* Bartholomæus Medina *in Inſtruction. §.27.* Garcias *de Contractib. part.2. cap.17.* Ludovicus Lopez *de Contractibus lib.1 cap.65* Navarr. *c.19. nu. 225.* Angelus verb. *Societas 1 §.17.* Silveſter verb. *Societas 1 quæſt.2* Fumus verb. *Societas n.6* Layman *lib.3 ſect.5 tract.4 cap. 20 num.2* Bonacina *tom.3 diſp 3 de Contractib. q.5 punct.1 num.3 verſ. Dixi niſi*; Reginald. *lib.25 cap.20 num.396* Lugo *de Juſtit.*, *& Jur. ſect.2 n.40* Reiffenſtuel *Theol. Moral. tract. 8 diſt.4 q.10 num.134* Petrus Marchant. *Tribunal. tom.2 tract.8 tit. 5. ſect.8 dub.2* Diana *part.1 tract.30 de Contract. reſolut. 8.* 5 Sporer *tom.2 tract.6 de Contractu ſocietatis nu.58* La Croix *lib.3 part.2. num.876* cum Buſemb. & pluribus aliis ibi citatis, Felix Poteſtas *tom.1 part.2 num.2420* & alii innumeri. Et ex Juriſperitis Hoſtienſis *in ſumma tit. de Uſuris §. In aliis aut m, verſ. Porro fieri poteſt*, Joan. Andreas *in Cap. Per veſtras de donation. inter Virum & Uxor.*, & alii, & videtur colligi ex *l. Si non fuerint 29. §.1 ff. Pro ſocio*, *l. Depoſitum 1. §.6 ff. Depoſiti*, *cap. Per veſtras 7. de donationibus inter Vir, & Uxor. cap. Contractus 85. de Regul. Juris in 6.*

Ut

(a) Contractum trium contractuum nullatenus eſſe privata auctoritate cenſura notandum, lubens admitterem monitum in hoc ſequens ſapientiſſimi, ac circumſpectiſſimi Pontificis Benedicti XIV. *tom.10. de Syn. cap.7.* Periculoſum nihilominus, atque in praxi vix ab uſura immunem illum pronuntiabo, ac proinde Fideles deterrendos eſſe, ab eo ineundo, ut plures præſtitere Epiſcopi, & Synodi, ut optime animadvertit idem Pontifex, *ibidem*, nec diffitetur ipſemet Lucius, num.44. hujus tituli. His poſitis, divinari non valeo, cur ſententiam, quæ talem contractum licitum reddit, poſſit hic probabiliorem, & communiorem appellare. Verum hujuſmodi ſimileſque voces non ſemper rectam ſuam præſeferunt ſignificationem cum a Caſuiſtis uſurpantur.

Ut juſtitia dicti Contractus trium contractuum melius intelligatur, figuratur hic caſus. Supponamus quod Titius det Cajo mercatori mille Florenos ad negotiandum, & d. mille Floreni Titii ſint æqualis valoris cum induſtria Caji, & inſuper quod ſpes lucri Judicio prudentum, & peritorum ſit de 300. Florenis: In tali caſu ex vi contractus Societatis debentur Titio una cum ſorte 150. Floreni, qui ſunt dimidium lucri prudenter ſpectati; At quia ad Titium ſpectare deberet ſortis, ſeu Capitalis periculum, ideo convenit cum Cajo, ut periculum illud, & onus, & onus omne in ſe ſuſcipiat aſſecurando ſortem, ſeu Capitale, pro cujus aſſecurationis, & oneris ſuſcepti compenſatione relinquit ei majorem partem dicti lucri prudenter ſperati, ita ut ſola tertia pars, nempe 100. Floreni pertineat ad ipſum Titium, & aliæ duæ partes nempe 200. Floreni ſpectent ad Cajum; & quia adhuc in Titio manet incertitudo lucri ſperati, ideo tertiam illam partem lucri ſperati ſcilicet 100. Florenos in ſpe incerta vendit Cajo pro dimidio circiter verb. gr. pro 50. vel 60. Florenis certis: Spem enim lucri capiendi, non minus quam jactum retis juſto pretio vendi poſſe nemo dubitat, ut recte advertit Sporer *loc. cit. num.* 59. Dicti autem tres concontractus ſcilicet Societatis, Aſſecurationis, & Venditionis, ſicuti ſecundum ſe ſunt juſti, & licite celebrati cum tribus diverſis perſonis, ut omnes fatentur, ita etiam juſti, & liciti ſunt, ſi celebrentur ſimul cum eadem perſona, quia nec unio, nec identitas perſonæ, deſtruit ſubſtantiam Contractus.

6 Pro determinanda tamen quantitate annui lucri ex hoc Contractu Societatis licite exigendi attendenda eſt regula, quam ex Cardinali de Lugo tradit Sporer *l. c. n.* 60. nempe quod lucrum certum, quod Socius conferens Capitale exigere poteſt, debet eſſe ita moderatum, ut attento Capitali, quod confert, & ſpe lucri, quod poteſt eſſe ex tali negotiatione, juſte compenſetur periculum, quod alter ſocius ſubit per aſſecurationem Capitalis, & certi annui lucri, quod dare promittit. Unde fit, quod aliquando vix quatuor, tria, aut duo certa exigi poſſint pro 100. collatis, quando ſcilicet ſecundum rectum judicium prudentum, & peritorum mercatorum negotiatio ſuſcepta non valde lucroſa eſt; E contra autem 6. 7. immo & 8. certa juſte exigi poſſunt pro 100. collatis, quando ſecundum dictum rectum judicium prudentum, & peritorum mercatorum negotiatio ſuſcepta eſt adeo notabiliter lucroſa, ut alter ſocius ex remanente ſibi lucro ſufficienter ſatisfactus cenſeatur pro onere, & periculo, quod ſubit ratione prædictarum aſſecurationum, nempe Capituli, & certi annui lucri: & ita Bonacina *diſp.* 3. *de Contractibus qu.* 3. *propoſit.* 13. cum ſuppoſuiſſet licite poſſe exigi 5. pro 100. *ib. n.* 6. recte addit, in Societate trium contractuum plus poſſe exigi, quando negotiatio majus lucrum affert.

7 Unde iſtis notatis adducitur fundamentum hujus ſententiæ deſumptum ex *l. Si non fuerint* 29. §. 1. *ff. Pro ſocio*; ubi præciſe dicitur: *Ita coiri ſocietatem poſſe, ut nullius partem damni alter ſentiat, lucrum vero commune ſit*. Hoc autem non poteſt fieri, niſi aſſecurando Capitale, & lucrum certum, ut explicat Gloſſa *ibid.*, *verſ. Damnum eſt*, ita ut nullum remaneat periculum damni ſubeundi. Et favet etiam *Cap. Ad veſtras* 7. *de donationibus inter virum & uxorem*, ubi Innocentius III. præcepit, ut dos uxoris, cujus maritus prodigus vergebat ad inopiam, daretur mercatori ad lucrum, quod dictus Pontifex non præcepiſſet, niſi ſuppoſuiſſet fuiſſe licitum ſortem dotis præcipuam ſalvam præſtare apud Mercatorem ſuſcepturum hujus Summæ periculum, & intermedio tempore ſoluturum fœnus æquum, & honeſtum compenſando ſe quæſtu, quem Societas pareret, ibi: „ Mandamus „ quatenus dotem aſſignari faciatis eidem ſub ea, quam poteſt, cautione præſtare, vel ſaltem alicui Mercatori committi, ut de parte honeſti lucri dictus vir onera poſſit Matrimonii ſuſtentare.

8 Accedit ratio, quia in illo contractu ſervatur Juſtitia commutativa, cum, ut ſupponitur, aſſecuratio Capitalis, & venditio lucri incerti fiant juſto pretio, ergo eſt juſtus, & licitus; Sicuti enim fit juſto pretio cum diverſis perſonis, ita etiam cum eadem; quandoquidem perſonarum diverſitas non mutet pretia rerum, nec variet rationem contractus, adeoque ſi talis triplex contractus celebratus cum diverſis perſonis licitus eſt, & non uſurarius, ita etiam ſi celebretur cum eadem perſona.

9 Nec valet dicere, quod ſi tale Capitale pereat, debeat perire ipſi conferenti, qui illius adhuc eſt verus Dominus cum quelibet res Domino ſuo pereat. Non valet, inquam, quia hoc verum eſt regulariter loquendo, ac ſecluſo ſpeciali pacto, quo quis periculum rei alienæ ſponte in ſe ſuſcipit: Alias ſecus. Quamvis enim in ſimili Commodatarius, vel Depoſitarius regulariter non teneatur de caſu fortuito, quo res commodata vel depoſita abſque ſua culpa periit; Secus tamen ſi præceſſerit pactum de præſtando caſu fortuito, textu expreſſo *in Cap. Cum gratia* 1. *De Commodato*, & *c. Bona fides* 2. *de Depoſito*. Contractus enim ex Conventione Legem accipere dignoſcuntur; *Cap. Contractus* 85. *de Regul. Jur. in* 6. *l. Contractus* 23. *ff. de Regul. Juris*, & *l. Depoſitum* 1. §. 6. *ff. Depoſiti*.

10 Nec valet inſtare, quod Sixtus V. in allegata Conſt. 45. inc. *Deteſtabilis avaritiæ*, damnaverit omnes pactiones, quibus cavetur, ut Capitale ſalvum maneat, ſive contrahatur ad certum, ſive ad incertum lucrum. Non valet, inquam, quia, ut referunt Comitolus *lib.* 3. *Reſponſ. moral. q.* 12. *n.* 3. & ex ipſo Card. de Lugo *c. diſp.* 30. *n.* 37. & alii apud ipſum Card. de Lugo, idem Sixtus V. de ſenſu Bullæ interrogatus, reſpondit, ſe in ea voluiſſe ſolum prohibere in Contractibus Societatis illas injuſtas pactiones, quas Claſſici Doctores condemnarent; Et ſic etiam aſſeveraverunt Patri Tuccio eximio præclariſſimæ Societatis Jeſu Theologo, Cardinalis Sanctæ Severinæ, & Cardinalis Toletus, qui juſſu Sixti V. dictam Bullam condiderunt. Accedit Rota *in Romana Societatis die* 3. *Junii* 1602. *coram Coccino Decano*, ubi cenſuit dictam Bullam comprehendere ſolum caſus Uſurarios de jure communi, additis tamen majoribus pœnis: quam deciſionem refert Flavius Cherubinus *in Compendio Bullarii ſchol.* 1. *ad dictam Bullam* 45. *Sixti V.* Tum quia Leſſius *l. c. num.* 33. apud la Croix *l. c. n.* 876. *verſ. Hæ rationes*, & alii apud Card. de Lugo *l. c. n.* 37. dicunt, Sixtum V. ſolum prohibuiſſe hujuſmodi pactiones, quando apponuntur ex vi ſolius Societatis, non tamen quando Societati adjungitur alius contractus, quo ſocius propter pretium juſtum ſuſcipit in ſe periculum Capitalis aſſecurando illud, vel emit ſpem lucri, incerti, offerendo pro illo partem minorem certam; Nec S. Thomas, Sanctus Antoninus, & Sanctus Bernardinus Senenſis citati pro contraria ſententia, ſi bene perpendantur, habent aliquid in re contra iſtam ſententiam, ut ponderando eorum verba recte advertit Doctiſſimus Roſignolus præſtantiſſimæ Religionis S. Pauli Decollati, *de contractibus contract.* 3. *diſquiſit.* 6. §. 17. *n.* 8.

11 Hactenus dicta procedunt etiam de ſocietate animalium adjecto pacto aſſecurationis, ita ut poſſit tradi Ruſtico, ſeu Paſtori certus numerus pecorum, Ovium, Vaccarum, & hujuſmodi cum communi participatione fructuum, ſed cum hoc, quod periculum non ad dantem, ſed ad accipientem ſpectet, ut ſcilicet teneatur pro pereuntibus totidem ſubſtituere, & adhuc annuam penſionem ſolvere, ſed majorem, quam alias deberet, ut ſic fiat juſta, & æqualis compenſatio pro illo onere impoſito, & ſuſcepto, diminuendo ſcilicet tantum de lucro reſpectu conferentis, quantum importat onus periculi, quod ſuſcipit ille, cui conferuntur. Sic Leſſius *lib.* 2. *cap.* 25. *dub.* 5. Molina *l. c. diſp.* 503. Layman *l. c. n.* 4. Sporer *l. c. n.* 60. & ipſo teſte Communis aliorum contra paucos: Et ratio eſt, quia in tali contractu Societatis nulla proprie intervenit uſura, cum unica ſedes uſuræ ſit mutuum. In tali autem contractu cum tali pacto nullum proprie intervenit mutuum, nec formale, nec virtuale, cum non transferatur Dominium rei collatæ in recipientem, uti reperitur de ratione mutui, quandoquidem per mutuum proprie transfertur dominium rei mutuatæ in mutuatarium, adeoque &c. Tum quia mutuum conſiſtit in rebus non frugiferis, ſed uſu abſumendis, ut pecunia, frumentum, vinum, & hujuſmodi. In dicto autem contractu dantur res frugiferæ, adeoque pars fructuum pro eis juſte exigi poteſt, non obſtante tali pacto; Dummodo tantum diminuatur de lucro, ſeu de ipſa parte fructuum reſpectu conferentis, quantum importat onus periculi, quod ſuſcipit ille, cui conferuntur.

12 In contractu Societatis, ſi quid pereat ſine ulla culpa Sociorum, damnum cenſetur commune. *Communis*, per text. *in l. Cum duobus* 52. §. 4. *ff. Pro ſocio*.

13 Si autem quid pereat culpa lata, vel levi unius Socii, tenetur ſolus talis ſocius ad ipſum damnum; Socius enim tenetur verſus Socios de dolo, culpa lata, & levi, non tamen leviſſima. *Communis*. Et quidem quod teneatur de dolo, evincitur aperte ex §. *Socius* 9. *Inſtit. de ſocietate*, *l. Cum duobus* 52. §. 2. & 3. *ff. Pro ſocio*, cum ſimilibus. Quod te-

nea-



neatur Socius de culpa lata, habetur clare ex *cit.* §. *Socius* 9. *Inſtit. de ſocietate*, *l. Non ob eam* 25. & *l. Socius* 72. *ff. Pro ſocio*, cum ſimilibus. Quod teneatur ſocius etiam de culpa levi, demonſtrat manifeſta ratio, quia Contractus ſocietatis eſt ex illis, qui conferunt ad utriuſque contrahentis utilitatem; In iſtis autem contractibus contrahens tenetur, nedum de dolo, & culpa lata, ſed etiam de levi, textu expreſſo *in l. Si ut certo* 5. §. 2. *ff. Commodati*, *l. Contractus* 23. *ff. de Regul. Jur.*, cum ſimilibus, adeoque &c. Quod autem non teneatur ſocius de culpa leviſſima, habetur clare ex cit. §. *Socius* 9. *inſtit. de ſocietate*: ubi ſic expreſſe dicitur: *Culpa autem non ad exactiſſimam diligentiam redigenda eſt*, quod expreſſe habetur etiam *in c. l. Socius* 72. *ff. Pro ſocio*, ibi: *Culpa autem non ad exactiſſimam diligentiam redigenda eſt*.

14 Ex dictis infertur primo, quod, ſi res tradita in ſocietatem, fuerit furto ſublata defectu debitæ cuſtodiæ, teneatur ille, cui data fuerat, illam compenſare, nec damnum ſit commune utrique. *Communis*, per text. in *l. Cum duobus* 52. §. 1. 2. & 3. *ff. Pro ſocio*.

15 Infertur ſecundo, quod non ſolum teneatur ſocius ex dolo, culpa lata, & levi in ordine ad damnum ex ea ſecutum, ſed etiam in ordine ad lucrum ceſſans, & damnum emergens. *Communis*, claris textibus *in l. Cum duobus* 52. §. 11. *ff. Pro ſocio*, & *l. Socium* 60. *ff. eod.*

16 Infertur tertio, quod ex culpa etiam levi alicujus ex Sociis teneantur etiam heredes ejuſdem delinquentis ad compenſationem alteri ex ſociis faciendam. *Communis*, claris textibus *in l. Hæres* 40. *ff. Pro ſocio*, & *l. Verum* 63. §. 8. *ff. eod.* ubi expreſſe dicitur: *In heredem quoque ſocii pro ſocio actio competit, quamvis heres ſocius non ſit, licet enim ſocius non ſit, attamen emolumenti ſucceſſor eſt*.

17 Expenſæ, quæ fiunt cauſa ſocietatis, debent eſſe communes, & ſolvendæ ſunt ex communi pecunia ſocietatis. *Communis*, textu expreſſo *in l. Cum duobus* 52. §. 15. *ff. Pro Socio*, *cum ſimilibus*.

18 Hinc ſi ex neceſſitate ſocietatis quis ex Sociis proficiſcatur in alias Regiones, & ſumptus longe majores faciat, quos non faceret domi ſe continens, debet ex bonis ſocietatis quo ad illos compenſari. *Communis*, textu expreſſo *in c. l. Cum duobus* 52. §. 15. *ff. Pro Socio*, cum ſimilibus.

19 An autem deducendæ ſint expenſæ illæ, quas dictus ſocius domi feciſſet, ſi alio propter ſocietatem non fuiſſet profectus? Variant Doctores. Detrahendas enim eſſe defendunt Major *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 47. Angelus verb. *Societas num.* 12. Silveſter verb. *Societas* 1. *q.* 12. Filliucius *tract.* 8. *c.* 3. *n.* 73. Gama *deciſ.* 213. Roſignol. *de ſocietate contract.* 7. *prænot.* 13. *num.* 5. *verſ. Limita quarto*, & alii hac ducti non ſpernenda ratione Jure ſuffulta, quod expenſas, quas Socii in rebus ſuis privatis faciunt, vel facere deberent ex ſuo ſolvere debent; *leg. Cum duobus* 52. §. 15. & 16. *ff. Pro Socio*. Non eſſe autem detrahendas ſuſtinent Leſſius *lib.* 2. *cap.* 25. *dub. ultim. n.* 35. Azorius *lib.* 9. *cap.* 5. *q.* 8. Reginald. *l.* 25. *c.* 27. *n.* 395. Layman *l. c. n.* 5. Bonacina *l. c. punct.* 4. *n.* 3. Reiffenſt. *l. c. n.* 145. Navar. *Manual. cap.* 17. *n.* 285. & alii, hac ducti ratione, quod Jura præſcribentia expenſas hujuſmodi faciendas eſſe de bonis Societatis abſolute loquuntur ſine ulla reſtrictione, ut patet ex *cit. l. Cum duobus* 52. §. 15. & 16. *ff. Pro Socio*, & ſimilibus. Quod autem lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, *c. Quia circa* 22. *de Privil.* & *l. De pretio* 8. *ff. De Publiciana in rem actione*; Accedit praxis, & conſuetudo, quæ eſt optima Legum interpres; *leg. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus*, *cap. Cum Dilectus* 8. *de Conſuetudine*, quæ ubi vere adſit, eſt ſervanda, *argum. cap. Cum tanto* 11. *de conſuetudine*.

20 Conveniunt tamen omnes, quod non eſſent ſolvendæ ex bonis Societatis expenſæ illæ, quæ inutiliter, & irrationabiliter fierent in conviviis, aliiſque rebus non neceſſariis; illæ enim cum non cederent in bonum Societatis, nec de bonis ſocietatis, ſed de bonis propriis eas inutiliter, & irrationabiliter facientis eſſent ſolvendæ. Cum juſtum non ſit, ut quod pro ſe inutiliter conſumitur, in aliorum perniciem transfundatur; Peccata enim ſuos debent tenere Auctores; *l. Sancimus* 22. *Cod. de Pœnis*, *cap. Quæſivit* 2. *De his, quæ fiunt a majori parte Capituli*. Nec debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, *l. Non debet* 7. *ff. de Regul. Jur. cap. Non debet* 22. *de Regul. Jur. in* 6.

21 Si Socius aliquis abſque ſua culpa, etiam levi, ex cauſa, ſeu ratione Societatis damnum incurrit, quia v. g. ad merces comparandas profectus in latrones incidit, qui cum veſtibus, & pecunia etiam propria ſpoliaverunt, vel ſe, aut ſervum ejus vulneraverunt, & proinde ad ſe, vel ſervum curandum multas fecit expenſas, tales expenſæ ſolvendæ ſunt ex pecunia Societatis. *Communis* in textu expreſſo *in cit. l. Cum duobus* 52. §. 9. *ff. Pro ſocio*, cum ſimilibus.

22 Dicitur autem notanter: *abſque ſua culpa etiam levi*, quia ſecus eſſet dicendum, ſi dictus ſocius ex ſua culpa in tale damnum incidiſſet, v. g. pergendo contra expreſſam conſociorum prohibitionem per viam periculoſam, latronibus obſeſſam, provocando alium rixis, in quibus fuit vulneratus, & hujuſmodi. *Communis*, *arg. cit. l. Cum duobus* 52. §. 4. *in fine*, ibi: *Nam ſicuti lucrum, ita damnum quoque commune eſſe oportet, quod non culpa ſocii contingit*, ubi notat ly *quod non culpa ſocii contingit*, ex quibus verbis ſtat clarum, quod non debeat eſſe commune damnum, quod culpa Socii contingit, ut *ibidem* §. 18. ibi: *Si ob maleficium ſuum ipſum tantum damnum ſentire debere*. Socius enim tenetur, ne dum de dolo, & culpa lata, ſed etiam de culpa levi *per Jura adducta ſupra num.* 13. Tum quia juſtum non eſt, ut Societas damnum patiatur ex culpa alicujus Socii. Peccata enim ſuos debent tenere Auctores; *l. Sancimus* 22. *Cod. de poenis cap. Quæ ſicut* 2. *De his, quæ fiunt a majori parte Capituli*; Et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, ut expreſſe ſtatuitur *in cap. Cognoſcentes* 2. *de Conſtitutionibus*. Nec debet aliquis alterius odio prægravari, textu expreſſo *in cap. Non debet* 22. *de Regul. Jur in* 6. *l. Non debet* 74. *ff. de Regul. Juris*.

23 Dicitur etiam notanter *Ex cauſa ſeu ratione Societatis*, quia damna propria, quæ Socius aliunde incurrit, v. g. quia iter ad proprium commodum arripuit & inde a Latronibus pecunia, & rebus fuit ſpoliatus, ſeu vulneratus fuit, vel ob privatas inimicitias, ſeu rixas fuit vulneratus, & hujuſmodi, non debent Societati imputari, ſed ipſi ſoli. *Communis*, textu expreſſo *in l. Socium qui* 60. §. 1. *ff. Pro ſocio*, & concordat *cit. l. Cum duobus* 62. §. 18. ibi: *Si ob maleficium ſuum, ipſum tantum damnum ſentire debere*.

24 Societas finitur, ſeu diſſolvitur quatuor præcipuis modis, ſcilicet ex Perſonis, ex Rebus, ex Voluntate, & ex Actione textu expreſſo in *l. Verum eſt* 63. §. 10. *ff. Pro ſocio*, ibi: *Societas ſolvitur ex perſonis, ex rebus, ex voluntate, ex actione: Ideoque ſive homines ſive res, ſive voluntas, ſive actio interierit, diſtrahi videtur Societas*. Et concordat *l. Societatem* 4. & *l. Actione* 65. *ff. eodem* & *Inſtit de Societate* §. 4. 5. 6. 7. & 8.

25 *Ex perſonis* diſſolvitur Societas per mortem naturalem unius ſocii, quamvis ſocietas cum pluribus contracta fuerit, & plures ſuperſint, *cit. l. Societatem* 4. *l. Verum* 63. §. 10. & *l. Actione* 65. §. 9. *ff. Pro ſocio* & §. *Solvitur* 5. *Inſtitut. de ſocietate*. Niſi enim in coeunda ſocietate aliter convenerint ſocii, heres ſocii defuncti non ſuccedit, cum cenſeatur electa induſtria perſonæ, textu expreſſo *in cit. l. Actione* 65. §. 9. *ff. Pro Socio*, & *cit.* §. *Solvitur* 5. *Inſtit. de Societate*; Unde heres ſocii defuncti non ſuccedit in locum ejus, niſi novo conſenſu ineatur ſocietas; *l. Nemo poteſt.* 35. & *leg. Plane* 37. *ff. Pro ſocio*.

26 Et illud extenditur etiam ad mortem Civilem alicujus ex ſociis, qualis cenſetur incurri per exilium, & Profeſſionem Religioſam; *arg. cit. Juribus*, & §. *Minor* 2. *Inſtitut: de capitis deminutione*; Cum enim cenſeatur electa in ſocietate induſtria perſonæ, & ignoretur qualis futura ſit induſtria heredis Exulis, ſeu Profeſſi, non poteſt ipſe heres in ejus locum ſuccedere, niſi novo conſenſu ineatur ſocietas, *cit. l. Nemo poteſt* 35. & *l. Plane* 36. *ff. Pro ſocio*.

27 Item diſſolvitur Societas per maximam, & mediam capitis diminutionem; non per minimam, textu expreſſo *in citata leg. Verum* 63. §. 10. *ff. Pro ſocio*, ibi: *Intereunt autem homines quidem maxima, aut media capitis diminutione, aut morte*.

28 Quid autem, & quotuplex ſit capitis diminutio habetur *in Inſtitut. de capitis deminutione in princip.*, ibi: *Eſt autem capitis deminutio prioris ſtatus mutatio*; *Eaque tribus modis accidit*: *Nam aut maxima eſt capitis deminutio, aut minor* (*quam quidam mediam vocant*), *aut minima*; Et § 1. expreſſe dicitur: *Maxima capitis deminutio eſt, cum aliquis ſimul & Civitatem, & libertatem amittit, quod accidit in his, qui ſervi poene efficiuntur atrocitate ſententiæ*; *Vel libertis ut ingratis erga Patronos condemnatis*; *Vel his qui ſe ad pretium participandum venundari paſſi ſunt*; Et §. 2. ſic: *Minor, ſeu media capitis deminutio eſt, cum Civitas quidem amittitur, libertas vero detinetur, quod accidit ei, cui aqua & igni interdictum fuerit*; *Vel ei, qui in Inſulam deportatus eſt*; Et §. 3. ſic; *Minima capitis deminutio eſt, cum Civitas retinetur, &*



liber-

*libertas, ſed ſtatus hominis commutatur; quod accidit in his, qui cum ſui Juris fuerint, coeperunt alieno juri ſubjecti eſſe, vel contra; Veluti ſi filiusfamilias a patre emancipatus fuerit, eſt capite deminutus*; Et §.4 ſic: *Servus autem manumiſſus capite non minuitur, quia nullum caput habuit*; Et §.5. ſic: *Quibus autem Dignitas magis quam ſtatus permutatur, capite non minuuntur, & ideo a Senatu motos capite non minui conſtat.*

29 *Ex rebus* diſſolvitur Societas, quando ſors capitalis periit in totum, vel conditionem ita mutavit, ut non amplius ſit in commercio hominum, quia v. g. facta eſt Religioſa, & Deo conſecrata; *cit. l. Verum* §.10. ibi: *Res vero, cum aut nullæ relinquantur, aut conditionem mutaverint; Neque enim ejus rei, quæ jam nulla ſit, quiſquam Socius eſt, neque ejus, quæ conſecrata . . . . ſit.*

30 Item ſocietas diſſolvitur publicatione bonorum *cit. l. Verum* §.10. ibi: *Publicatave ſit*; & *cit. l. Actione 65.* §.12. *ff. eod.* ibi: *Publicatione quoque diſtrahi Societatem diximus: quod videtur ſpectare ad univerſorum bonorum publicationem, ſi ſocii bona publicentur, nam cum in ejus locum alius ſuccedat pro mortuo habetur, &* §. *Publicatione 7. Inſtit. de Societate,* ubi habentur fere eadem verba.

31 Item ſocietas diſſolvitur per ceſſionem bonorum, cum quis ære alieno, & egeſtate oppreſſus bonis ſuis cedit, §. *Item ſi quis 8. Inſtitut. de Societate* ibi: *Si quis ex Sociis mole debiti prægravatus bonis ſuis ceſſerit, & ideo propter publica, aut privata debita ſubſtantia ejus veneat, ſolvitur Societas, & cit. l. Societatem 4. ff. Pro ſocio,* juncta Gloſſa *ibid. verb. Egeſtate*: ubi expreſſe dicit: *Ut ſi quis ex Sociis bonis ceſſerit.*

32 *Ex voluntate* diſſolvitur ſocietas per renunciationem, textu expreſſo *in cit. l. Verum* §.10. ibi; *Voluntate diſtrahitur Societas renunciatione*; Intellige tamen per renunciationem ſeu conſenſum mutuum omnium ſociorum; alias vero ſi unus ſolummodo renunciat; ipſe quidem a ſe liberabit ſocios ſuos, ſe vero non liberabit ab ipſis, quando ſocietati interfuit non dirimi tunc ſocietatem, textu expreſſo *in cit. l. Actione 65.* §. 3. *cum ſeq. ff. Pro ſocio*, & concordat §. *Manet 4. Inſtitut. de Societate.*

33 Item finitur ſocietas finita negotiatione, textu expreſſo *in cit. l. Actione* §.10. ibi. *Item ſi alicujus rei ſocietas ſit, & finis negotio impoſitus finitur ſocietas; &* §. *Item 6. Inſtitut. de Societate*, ibi. *Item ſi alicujus rei contracta ſocietas ſit, & finis negatio impoſitus eſt, finitur ſocietas.*

34 *Ex actione* diſſolvitur ſocietas Judicis Judicio, & auctoritate, ideſt quando excitata inter ſocios controverſia per Judicem dirimitur per diſſolutionem contractus; *l. Actione 65. in principio ff. Pro ſocio*, ibi. *Hoc ipſo, quod Judicium ideo dictatum eſt, ut ſocietas diſtrahatur: renunciatam ſocietatem, ſive totorum onerum ſive unius rei ſocietas coita ſit.*

35 Item actione diſſolvitur ſocietas per ſtipulationem, ideſt per novationem, ſeu delegationem, quando unus ſocius, non renuente, ſed potius altero acceptante, obligationem ſuam, quam contraxit verſus ipſum in celebratione contractus, in tertiam perſonam transfundit, quam delegat, vel unam in alteram obligationem commutat, *cit. leg. Actione in principio*, ibi. *Actione diſtrahitur, cum aut ſtipulatione, aut Judicio mutata ſit cauſa ſocietatis.*

36 Item actione diſſolvitur ſocietas, quando ſocii non inſcii ſeparatim agere incipiunt, & unuſquiſque eorum ſibi negotiatur, textu expreſſo *in l. Itaque 64. ff. Pro ſocio* ibi: *Itaque cum ſeparatim ſocii agere cœperint, & unuſquiſque eorum ſibi negotiatur, ſine dubio Jus ſocietatis diſſolvitur.*

37 Item actione diſſolvitur ſocietas, quando ipſa actio perit, text. expreſſo in *cit. l. verum 65.* §. 10. *ff. Pro ſocio*, ibi: *Ideoque ſive homines, ſive res, ſive voluntas, ſive actio interierit, diſtrahi videtur ſocietas.*

38 Perit autem actio temporis conventi lapſu, ideſt actione finitur ſocietas, finito tempore ad ſocietatem conſtituto, textu expreſſo *in cit. l. Actione* §. 6. ibi: *Quod ſi tempus finitum*
39 *eſt, liberum eſt recedere, quia ſine dolo id fit*. Item perit actio per ſententiam Judicis. *arg. cit. Jur. ſupra num.* 34. Item per novationem, ſeu delegationem; *argum cit. Jur ſupra num.* 35.

40 Finita, ſeu diſſoluta ſocietate, diviſio bonorum, ſeu lucri provenientis debet fieri inter ſocios ad æqualitatem juxta proportionem illius, quod quiſque contulit in ſocietatem, ita ut, ſi æqualem pecuniam, vel induſtriam contulerint, æquale lucrum recipiant, & ſi inequalem contulerint pecuniam vel induſtriam, inæquale etiam ad proportionem lucrum reportet. *Comm.* per textum *in l. Si ſocietatem 6. ff. Pro ſocio,* ibi. *Si ſocietatem (mecum) coieris ea conditione, ut partes ſocietatis conſtitueres, ad boni viri arbitrium ea res redigenda eſt, & conveniens eſt viri boni arbitrio, ut non utique ex æquis partibus ſocii ſimus. Veluti ſi alter plus operæ, induſtriæ, pecuniæ in ſocietatem collaturus ſit & in l. Si non fuerint 29. ff. eod* ibi: *Si vero placuerit, ut quis duas partes, vel tres habeat, alius unam an valeat? Placet valere, ſi modo aliquid plus contulit ſocietati, vel pecuniæ, vel operæ, vel cujuſcumque alterius rei . . . . . Quod ita demum valebit (ut & Sabinus ſcribit) ſi tanti ſit opera, quanti damnum eſt. Plerumque enim tanta eſt induſtria ſocii, ut plus ſocietati conferat, quam pecunia. Item ſi ſolus naviget, ſi ſolus peregrinetur, pericula ſubeat ſolus.* Et concordat §. *De illa 2. Inſtit. de ſocietate.*

Finita, ſeu diſſoluta ſocietate attenta natura contractus, ſi 41 alter ex ſociis contulit rem, ſeu pecuniam, & alter ſuam meram induſtriam, & operam non majoris valoris dictæ pecuniæ ſeu rei, capitale eſt reſtituendum ei, a quo datum eſt, & ſolum lucrum dividendum. Abbas *conſil. 77. col. 2.* Bolognetus *in Apoſtil. ad conſ. 99. Joan. de Anan.* Lapus *allegat. 94. n. 3.* S. Thomas 2. 2. *q. 78. art. 2. ad 5.* Siveſter verb. *ſocietas 1. q. 20.* Angelus verb. *ſocietas* §. 17. Sotus *lib. 6. de Juſtit. q. 6. art. 1. in fine*, Navarrus *in Enchirid. cap. 17. num. 353.* Leſſius *lib. 25. dub. 20. a n. 15. ad 20.* Mantica *lib. 6. tract. 14. numer. 17.* Roſignol. *de ſocietat. Contract. 7. num. 3.* & alii, *arg. citatis Juribus num. antecedenti*, aliis *in toto Titul. Pro Socio, & Titul. Familiæ Erciſcundæ, & Titul. de communi dividundo*, ubi dicitur ſociis Capitale integre reddendum, & nullibi fit mentio de Capitali dividendo. Et Ratio eſt, quia, ſi Capitale eſſet inter dictos contrahentes dividendum, non eſſet æqualis utriuſque contrahentis conditio. Conferens enim Capitale non poſſet habere niſi Jus ad lucrum proportionatum cum amiſſione partis Capitalis; Conferens autem operam, & induſtriam haberet Jus ad lucrum etiam proportionatum, & inſuper ad determinatam partem Capitalis, quod non eſt dicendum, adeoque &c. Tum quia ſi Capitale perit, perit ipſi Conferenti, ergo ſi remanet, eidem remanere debet. Unde Caballutius *Juris Canonic. Theor. & prax c. 6. c. 13. num. 7* ſic concludit. *His adde, Sixtum V. in extravagante; Deteſtabilis avaritiæ, ita ſentire, ſortem finita ſocietate tradendam eſſe illi, qui eam contulit, ſi extat.*

Si finita, & diſſoluta ſocietate, nullum ſit lucrum; adhuc 42 totum Capitale eſt reſtituendum ei, qui illud contulit; Et ſi capitale perierit, totum ipſi Conferenti periit. Sic contra paucos fere Communis Doctorum, & ſignanter Caballutius *loco cit. n. 3.* ubi inter alia requiſita ad juſtam Societatem, hoc quartum enumerat ſic expreſſe dicens: *Quarto, ut ſinguli ſubeant damna, & expenſas pro rata quoque eorum, quæ ex parte ſua contulerunt, atque ſeorſim totam incurrant jacturam eorum, quæ in ſortem contulerunt, ut qui pecuniam contulit, totum pecuniæ ſuæ periculum ſubeat, ſi abſque ſocii culpa levi, aut lata pereat; Si vero ſalva pecunia nihil obveniat lucri ſocius alter, qui ſuum laborem, vel induſtriam contulit, ſubeat ſolus jacturam induſtriæ, ſeu laboris: pecunia vero tota ad eos redeat, qui eam contulerunt.* Et infra *n. 7.* concludit: *Si pecunia pereat, perire illi debet, qui eam contulit, ergo ſi ſuperſit, eidem tradenda eſt, ut qui ſentit onus ſentiat quoque commodum; cap. Qui ſentit onus 55. de Reg. Juris, & ſecundum naturam eſt commodum cujuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda, l. Secundum naturam 10. ff. de Regul. Juris.*

Finita, & diſſoluta ſocietate, ſi pro ipſa nihil expreſſe de- 43 terminet Jus, & nulla inter contrahentes præceſſerit juſta pactio, diviſio eſt facienda juxta probatam conſuetudinem cujuſque Loci, ſeu Regionis, quia quando nihil conventum eſt in Contractibus, & Jura nihil determinate præſcribunt, id actum præſumitur, quod conſuetum eſt; *leg. Quod ſi nolit 31.* §. 20. *ff. de Ædilitio Edicto, l. Si prius 17.* §. 1. *ff. de aqua, & aquæ pluviæ arcendæ.* Et hoc cum omnimodo fundamento, cum conſuetudo ſit Jus non ſcriptum, ſeu Jus quoddam moribus utentium comprobatum, quod pro Lege ſuſcipitur, cum deficit Lex, textu expreſſo *in cap. Conſuetudo 6. diſt. 1.* ibi: *Conſuetudo eſt Jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro Lege ſuſcipitur, cum deficit Lex.*

Advertendum eſt circa dicta de contractu vulgo trium 44 contractuum, quod Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſana lib. 4. cap. 50.* aſſerit, diſputari adhuc, an revera fuerit a Sixto V. peculiari Conſtitutione ſuper illo edita, prohibitus talis contractus & erudite allatis, & ſcite ſuo more ponderatis utriuſque ſententiæ rationibus, recte concludit, quod Epiſcopi in Synodo a definitionibus ſuper eo abſtinere debent ſed ſubditos



ditos ſuos ab illo, utpote periculoſo, dehortari. Vide ipſum *ibi*, ubi plurima egregie tradit ad rem ſcitu digniſſima; & Roſignolum *loco* a nobis *cit.* ſupra, ſub *n.* 10. ubi ſub. *num.* 5. utramque ſententiam recte conciliat.

*Novæ Additiones ex aliena manu.*

1 TRia hic addere libet. Primum eſt, quod ſocietas jus
quodammodo Fraternitatis complecti dicitur; *L. 63.*
2 *prin. ff. Pro ſocio*. Hinc autem varia deduxere Romani Juriſ
3 conſulti. Nam infamiam minantur ſocio illi qui perfide agit;
*L. 6. ff. de his, qui notantur infamia*: Beneficium competentiæ, inter ſocios locum habere ſtatuunt qualiſcumque fuerit
4 ſocietas; *L. 22.* §. 1. *L. 63. ff. Pro ſocio*. Nec obſtat *Lex. 16.*
*ff. de Re Judicat.* quam corruptam eſſe docet *Noodt in Com-*
5 *mentar. ad digeſt. tit. cit. Pro ſocio*: In rationibus reddendis
multum fidei, & jurijurando ejus, qui adminiſtravit, relinquunt
ubi de majori quantitate non eſt ſermo; Confer *Leyſer ſpec.*
184. *num. 9.*
6 Alterum eſt, quod non aliter ſocius ex contractu alterius
acquirit, & obligatur, quam ſi nomine ſocietatis tanquam in-
ſtitor, & ſecundum normam præſcriptam ſeu voluntatem ſo-
ciorum contraxit; *L. 4.* §. 1. *ff. de exercit. act.* ſi in commu-
7 nem arcam pecuniæ verſæ ſint *l. 82. ff. Pro ſocio*. Alias ſi ſo-
8 cius proprio nomine contraxit, reliquis jus agendi contra Ter-
tium non naſcitur, nec reliqui obligantur; *l. 13. C. Si cert. pe-*
*tat.* Adi *Lauterbech. de oblig. ſocior. quæ oritur ex conventio-*
*ne cum extraneo inita.*
9 Tertium demum eſt, quod *contractus trinus* fuit approbatus
a Rota *in Lucana Pecuniaria 21. Januarii 1744.* §. 3. *cor. Em.*
*Buſſio*, ibi; *Quum enim hujuſmodi perſolutio, & immiſſio pe-*
*cuniarum in negotium, ſit contractus in dicta Civitate uſitatus,*
*& nuncupetur depoſitum mercantile continens trinum contra-*
*ctum, nempe ſocietatis, aſſecurationis Capitalis, & conventio-*
*nis fructuum, ex quo honeſtum, & limitatum lucrum retrahi*
*valet &c. utique fructus exacti a Canonico in dicta quantitate*
*ſcutorum 557. 12. reputandi amplius non erunt illicitæ uſuræ*
*provenientes ex credito mere pecuniario, ſed legitimæ obven-*
*tiones conventæ in dicto novo contractu, innovativo præceden*
*tis crediti fructiferi, quæ juſto titulo exigi poterant abſque ullo*
*onere, & obligatione reſtitutionis.*

## SOCIETAS INTER FRATRES.

1 FRatres, defunctis parentibus, poſſunt inire inter ſe ſtrictum, & rigoroſum contractum ſocietatis, ita ut omnia lucra, & damna fiant communia, *Communis. Contractus enim ex conventione Legem accipere dignoſcuntur* textu expreſſo *in cap. contractus 85. de Regulis Juris in 6. & in l. Contractus 23. ff. de Regul. Juris*, ibi: *Nam hoc ſervabitur, quod initio convenit, Legem enim contractus dedit.*

2 Per hoc tamen quod fratres habeant hereditatem, ſeu patrimonium indiviſum, & de communi menſa vivant, non cenſentur talem ſtrictam, & rigoroſam ſocietatem iniiſſe; *l. Cum duobus 52.* §. 6. *ff. Pro ſocio: l. Ex parte 39.* §. 3. *ff. Familiæ Erciſcundæ* cum ſimilibus, Bartolus *in l. ſi patronus 4. Cod. Communia utriuſque judicii*, Azorius *part. 3. lib. 9. c. 59.* Filliucius *tract. 38. cap. 7. quæſt. 6. n. 145.* Silveſter verb. *Peculium 2. quæſt. 4.* Bonacin. *de Contractibus diſp. 3. quæſt. 5. punct. 7. num. 2.* Roſignol. *de ſocietate contrac. 7. prænotat. 37. num. 1.* & alii paſſim; Et ratio eſt, quia ad contrahendam ſtrictam, & rigoroſam ſocietatem, qua omnia lucra, & damna communia fiant, requiruntur verba, aut ſigna aperte indicantia talem contractum ſocietatis: cum de natura talis ſtrictæ, & rigoroſæ ſocietatis requiratur, quod ſit conventio duorum, vel plurium aliquid pretio æſtimabile conferentium pro negotiatione aliqua honeſta ad commune lucrum pro portione rerum contributarum inter ſocios dividendum; *l. Societatem 4. l. Societate 5. l. ſi ſocietatem 6. ff. Pro ſocio, & inſtitut. titul.*
3 *26. de ſocietate*, adeoque &c.

Hinc frater habens hereditatem, ſeu patrimonium indiviſum cum aliis fratibus non tenetur per hoc communicare aliis fratribus lucrum a ſe acquiſitum ex publici alicujus officii adminiſtratione, quia, niſi aliter ſit expreſſe conventum, indiviſio hereditatis, ſeu patrimonii, & conſequenter ſocietas ex ipſa indiviſiione proveniens inter fratres ſe extendit ſolum ad bona hereditaria, & ad lucra ex illis provenientia. Non vero ad alia bona, & lucra aliunde fratribus obvenientia, uti ſunt bona acquiſita donatione, hereditate, dignitate, officio, ſeu induſtria non debita tali fraternæ ſocietati, ſeu diviſioni; *l. cum duobus 52.* §. 6. *ff. Pro ſocio, l. Cui muneris 12. ff. de muneribus, & honoribus*, cum ſimilibus; Azorius *cit. cap. 19 quæſt. 4.* Filliuc. *loc. cit. num. 136.* Silveſter. *loc. cit. quæſt. 20* Bonacin. *loc. citat. numer. 2.* Roſignol. *loc. citat. numer. 4.* & alii.

Item frater habens hereditatem indiviſam cum aliis fratri- 4 bus non tenetur per hoc communicare aliis fratribus lucrum acquiſitum per negotiationem nomine proprio factam, quamvis cum hereditaria communi pecunia; Dummodo ratione talis negotiationis non deficiat operibus debitis communioni, & indiviſioni fraternæ, quia tunc eſſet communicandum aliis fratribus pro parte correſpondente operibus debitis tali communioni, & indiviſioni fraternæ: *l. Qui aliena 8. Cod. ſi quis alteri, vel ſibi, l. ſi patruus 4. Cod. communia utriuſque judicii, l. Titium, & Mævium 47.* §. 6. *ff. de adminiſtrat. Tutor.* cum ſimilibus Bald. *in l. ſi pecunia 1. Cod. ſi quis alteri, vel ſibi.* Silveſter *loc. cit. q. 17. & 18.* Roſignol. *loc. cit. n. 17. & 19.* & alii.

Intellige tamen dummodo dictus frater non fuerit Tutor, 5 aut Curator aliorum fratrum, quia tunc lucrum acquiſitum per negotiationem cum communi hereditaria pecunia factam, licet nomine proprio, & non communi, eſt communicandum aliis fratribus: *l. Si tutor vel Curator 2. ff. Quando ex facto Tutoris, vel Curatoris,* Silveſter *loc. cit. qu.* 18. Baldus *in l. ſi quis alteri vel ſibi. & in l. Si ut proponis 8. Cod. de rei vindic.* & alii.

Lucrum acquiſitum ab uno ex fratribus per negotiationem 6 factam cum communi hereditaria pecunia nomine communi, debet etiam communicari aliis fratribus. *Communis*. Et ratio clara eſt, quia quod fit de communi & nomine communi eſt commune.

Commanentibus ſimul pluribus fratribus poſt obitum patris, 7 ſi unus de ſuis bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus, aut aliunde ſuis aliquid in communem victum impenderit, non poteſt illud repetere, ſi inter ipſos fuerit prius inita ſocietas ad communem victum. Baldus *in l. Cum duobus 52. ff. Pro ſocio:* Silveſter *loc. cit. quæſt.* 22. Azorius *cit. cap. 19. verſ. Sexto quid dicendum,* Roſignol. *loc. cit. num. 4.* & alii; Et ratio eſt quia ſtante tali ſocietate, non habetur conſideratio ad illud plus ab ipſo fratre in communi victu impenſum, cum ſocietatis jure intelligatur conſumptum, *cap. Si duo fratres tit. 12. lib. 2. Feudorum*. Tum quia cum illud plus impenderit in illis uſibus, ad quos inita eſt ſocietas, præſumitur illud donaſſe niſi aliter ſe expreſſerit, adeoque non poteſt illud repetere.

Poſſet autem dictus frater illud plus repetere, ſi non fuerit 8 prius inita ſocietas cum aliis fratribus; Sic citati Doctores, & alii. Et ratio eſt, quia nullo jure, nec titulo naturalis pietatis obligatur unus frater ad alendos alios fratres de ſuo, quando iſti, ut in hoc caſu ſupponitur, habent ex bonis communibus quantum ſufficit ad ſuam honeſtam ſuſtentationem, adeoque poteſt illud plus impenſum repetere; *l. Neſennius 34. ff. de negotiis geſtis.*

Excipe tamen, niſi alii fratres fuerint pupilli, amentes, aut 9 furioſi, quia in tali caſu quamvis non fuerit inter ipſos initu ſocietas, non poſſet dictus frater illud plus impenſum repetere, niſi ante impenſionem proteſtatus fuerit ſe nolle illud plus gratis impendere, ſeu donare. Sic Doctores citati *ſupra n. 7* & alii. Et ratio eſt, quia ſecluſa tali proteſtatione illud plus impenſum per dictum fratrem in communem victum fratrum pupillorum, amentium, aut furioſorum præſumitur gratis datum, ſeu condonatum, adeoque illud repetere nequit, *cit. l. Neſennius 34. ff. de negotiis geſtis.*

Frater, qui inita ſocietate cum aliis fratribus, dotavit de 10 propriis bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus ſororem, quam etiam alii fratres dotare tenebantur, poteſt pro rata ab aliis compenſationem repetere. Bartolus *in l. Si patruus 4 Cod. Communia utriuſque judicii,* Azorius *loc. cit. cap. 19. q. 5* Filliucius *tract. 38. cap. 7. n. 146.* Bonacina *loc. cit. n. 8.* & alii. Et ratio eſt, quia talis frater utiliter geſſit negotium aliorum fratrum, adeoque poteſt ab ipſis pro rata compenſationem repetere.

Frater habens cum aliis fratribus hereditatem indiviſam, & 11 ſic ſolum ſocietatem, ſimpliciter, & non expreſſe contractam ſocietatem omnium bonorum, ſi ex bonis communibus filiam ſuam dotet debet in diviſione bonorum eam dotem in ſuam partem computare; Speculator in *tit. de Judic.* §. *Sequitur verſ.*

*Quid ſi unus*, Bart. in *l. Si patruus 4. Cod. Comm. utriuſq. judicii*, Silveſter *loc. cit. qu.*20. *cir. fin.* Azorius *loc. cit. cap.* 19. *verſ. Quin.* Roſign. *loc. cit. diſquiſ.*4. §. 9. *num.*4. cum aliis ibi citatis. Et ratio eſt, quia, cum non eſt inita inter fratres expreſſa ſocietas omnium bonorum, omnes expenſæ factæ de hereditate communi & indiviſa in utilitatem unius duntaxat, debent ipſi ſoli imputari, Unde cum taliis dos fuerit erogata in utilitatem duntaxat illius fratris, qui tamquam pater tenebatur dotare ſuam filiam de bonis propriis, ſi eam dotavit de communibus, tenetur eam in ſuam partem computare a *arg. l. In hoc judicium* 14. *ff. Communi dividundo*, cum ſimilibus.

12 Si autem dictus frater nedum habuerit cum aliis fratribus hereditatem indiviſam, & ſolum ſocietatem ſimpliciter, ſed etiam expreſſe contraxerit cum ipſis rigoroſam ſocietatem omnium bonorum, & debitorum, tunc talis dos eſt extrahenda ex bonis communibus abſque eo quod teneatur poſtea ipſam in ſuam partem computare, Silveſter *loc. cit. quæſt.*28. cum Baldo ibi allegato, Azorius *loc. cit. cap.*19. *verſ. Nono quæritur*, Roſignol. *loc. cit. prænot.*27. *num.*6. & alii per text. in *l. Si ſocius pro filia* 81. *ff. Pro ſocio*. Et ratio eſt, quia ratione hujuſmodi ſocietatis omnia bona, lucra, commoda, debita, damna, & pericula fiunt communia fratribus ſic ſociatis; *l. Ea vero* 3. *& l. Cum duobus* 62. §.8. *ff. Pro ſocio*, adeoque unus frater debet alteri contribuere, ut filiam dotet, ſive pro contrahendo Matrimonio, ſive pro ingredienda Religione. & ſic de ſimilibus aliis expenſis faciendis. Tum quia in hujuſmodi ſocietate talis cenſetur intervenire conventio; Contractus autem ex conventione Legem accipere dignoſcuntur, textu expreſſo *in cap. Contractus* 85. *de Regulis juris in* 6. *& l. Contractus* 23. *de Regulis juris*.

13 Hinc frater habens præ aliis filios aptos ad laborem & re ipſa laborantes in commodum, & utilitatem communionis, & indiviſionis fraternæ, ſi non injerit cum aliis fratribus expreſſam ſocietatem omnium bonorum, poteſt in diviſione (niſi aliter ſit conventum, aut aliud poſtulet legitima conſuetudo) exigere ſtipendium proportionatum labori præſtito a ſuis filiis, cum labor ſit pretio æſtimabilis, & dignus ſit operarius mercede ſua *Luc. c.*10. *num.*7. *Matth. cap.*10. *n.*10. Et ſic etiam frater non habens filios poteſt in diviſione (niſi aliter ſit conventum, aut aliud ferat legitima conſuetudo). exigere a fratre habente filios illud plus, quod in ipſis alendis fuit conſumptum. Navarrus *cap.*17. *num.*161. Bartolus, Baldus, & alii apud Felicium *cap.*13. *num.*91. *& cap.*27. *numer.* 64. *&* 71. Bonacina *loc. cit. punct.* 7. *num.* 7. cum aliis ibi allegatis. Et ratio clara eſt, quia ſicuti habens filios laborantes in utilitatem communionis, & indiviſionis fraternæ poteſt in diviſione exigere ſtipendium proportionatum eorum labori, ita alter non habens filios poteſt in diviſione exigere ab habente filios illud plus, quod in ipſis alendis fuit conſumptum juxta dicta *ſub n.*11.

14 Si vero dicti fratres inierint inter ſe expreſſam rigoroſam ſocietatem omnium bonorum, & debitorum, nec habens filios laborantes, poſſet in diviſione exigere ſtipendium pro tali labore, nec alter carens filiis poſſet exigere ſumptus factos in alendis filiis alterius fratris per dicta, & jura adducta *ſupra n.*12.

15 Frater habens uxorem lucra acquirentem exercitio alicujus artis, ſeu mercaturæ, vel quia eſſet obſtetrix, aut Chirurgica, &c. ſi ipſa uxor lucrum ſeparatum tenebat, aut ex aliis conjectari poſſet, quod ſocietatem contrahere nolebat, non tenetur in diviſione illud lucrum aliis fratribus communicare, ſed ipſa uxor teneretur ſolum erogare viro, & aliis ejuſdem fratribus tantum lucri, quantum ſecundum judicium boni viri correſponderet operibus communibus, & obſequialibus a mulieribus ſuæ conditionis in domo fieri ſolitis, quibus ipſa propter exercendam talem artem, aut profeſſionem defeciſſet; quia cum ipſa teneatur talia officia, & obſequia præſtare ex vi ſui ſtatus, & conditionis, ſi non præſtet ob acquirendum aliud lucrum, debet ex illo lucro illa compenſare. Silveſter *loc. cit. q.*32. cum aliis ibi allegatis, Roſignol. *loc. cit. diſquiſ.*4. §.10. *n.*2. *&* 3. & alii.

Sic a fortiori non tenetur frater in diviſione communicare 16
aliis fratribus lucra acquiſita ex bonis paraphernalibus, ſeu extradotalibus ſuæ uxoris ſi ipſa uxor ſit ſibi expreſſe reſervata talia lucra, aut ex aliis conjecturis appareat voluiſſe ipſa ſibi reſervare, & nullatenus aliis communicare. Nec obſtat, quod dictus frater habens ex commiſſione ſuæ uxoris adminiſtrationem talium bonorum paraphernalium lucra inde provenientia inſumpſerit in communem utilitatem, quia per hoc non cenſetur, quod voluerit aliis fratribus communicare, ſed donare, cum non ſit veriſimile, quod voluerit talia lucra auferre ſibi, & ſuis filiis, & dare alienis; Unde ſi ipſe inſumpſit in utilitatem communionis fraternæ poteſt in diviſione ea ab aliis fratribus exigere, quia quidquid ſolus expendit de ſuo in re communi (niſi aliud ſit conventum, aut ex conjecturis conſtet) poteſt in ejus rei diviſione repetere; *l. In hoc Judicium* 14. *ff. Communi dividundo*.

Secus autem eſſet dicendum, ſi ipſa uxor, & ſuus vir cum 17
ejuſdem fratribus iniiſſent expreſſam rigoroſam ſocietatem omnium bonorum, & dicta lucra acquiſita ex ſuis artificiis, vel ex ſuis bonis paraphernalibus fuiſſent inſumpta in com- 18
munem utilitatem dictæ ſocietatis; Quia ratione hujuſmodi rigoroſæ ſocietatis communicari debent quæcumque ex qualibet cauſa acquiſita, videlicet ex labore, opera, induſtria, negotiatione, donatione, legato, hereditate; *l. Ea vero* 3. *ff. Pro ſocio* Item quæcumque obveniunt ex bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus; *l. Cum duobus* 52. §. 8. *ff. Pro ſocio*. Et generatim omnia acquiſita ex quolibet jure, titulo, vel cauſa, ac omnia debita contracta, damna, & impenſæ; *leg. Cum duobus* 52. §. 19. *ff. Pro ſocio*, ibi: *Socium univerſa in ſocietatem conferre debere, Neratius ait, ſi omnium bonorum ſocius ſit*, & concordat *lex Ea vero* 3. §.1. *ff. eod.* ibi: *Cum ſpecialiter omnium bonorum ſocietas coita eſt, & tunc hæreditas, & legatum, & quod donatum eſt aut quaque ratione adquiſitum communioni adquiretur*, juncta *l. Si ſocietatem univerſarum* 19
*fortunarum* 73. *ff. eod.* Nec obſtat, quod in tali ſocietate bona unius fratris ſint multo plura bonis alterius, quia ut patet ex adductis juribus, eſt proprium, & peculiare hujus rigoroſæ ſocietatis, quod omnia cunctorum ſociorum bona com- 20
municentur. Aſt debet adverti, quod non intelligitur contracta hæc rigoroſa omnium bonorum ſocietas, niſi fratres, ſeu ſocii ſpecialiter, & expreſſe inter ſe voluntarie convenerint, quod ſit omnium quorumcumque bonorum ſocietas; *l. Ea vero* 3. *ff. Pro ſocio*.

Nec dici poteſt ſocietas omnium bonorum illa, quæ voca- 21
tur ſocietas ſimpliciter, quia ſocietas ſimpliciter, niſi inter fratres, ſeu ſocios fuerit expreſſe conventum, quod ſit omnium bonorum, intelligitur ſolum contracta, ut ſit univerſorum, 22
quæ veniunt ex quæſtu, hoc eſt ſi quid lucri ex emptione, venditione, locatione, conductione deſcendit, textu expreſſo in *leg. Coiri ſocietatem* 7. *ff. Pro ſocio*. Pro quæſtu autem intelligitur id, quod ex opera, artificio, induſtria, vel cura, & diligentia cujuſque provenit; *l. Quæſtus* 8. *ff. Pro ſocio*. Unde ratione ſocietatis ſimpliciter contractæ non communi- 23
catur hæreditas, legatum, vel ſi quid donatum eſt, quia hæc veniunt ex caritate, liberalitate, vel alia cauſa, & non ex quæſtu, *l. Nec adjecit* 9. *ff. Pro ſocio*.

Tenetur autem frater ratione ſocietatis ſimpliciter contra- 24
ctæ communicare cum aliis fratribus theſaurum inventum, ſive in ſuo communi fundo, ſive in alieno, quia aliqua ſua opera induſtria, diligentia, vel labore illum quæſivit, ſicque talis theſaurus ex quæſtu venire videtur *argument. citat. l. Quæſtus* 8. *digeſti Pro ſocio*. (a) Socius vero non frater, ſeu extraneus, 25
tene-

(a) Nota. Ut ſcias Dominium, quod inventores in theſaurum acquirunt, hanc ex P. Gabriele Antoine *de Juſt. & Jure cap.* 2. exhibere placuit doctrinam; Jure naturali & gentium theſaurus totus eſt inventoris; nam quæ nullius ſunt, fiunt jure naturali & gentium primi occupantis. Theſaurus autem nullum habet Dominium; nam definitur in jure; *Vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat*; *L.* 31. *ff. De acquir. rer. Dom.* Ubi per pecuniam intelliguntur quævis opes mobiles, ut vaſa gemmæ, annuli, catenæ aureæ &c. Dicitur autem vetus depoſitio: nam ſi non ſit vetus, non cenſetur theſaurus, ſed res inventa, quæ Domino, & in ejus defectum ejus heredibus reſtitui debet: qui ſi cognoſci nequeant, impendi debent in uſus pios, quia ſunt bona incerta: *Si quis autem vel lucri cauſa, vel metus, vel cuſtodiæ, condiderit ſub terra, non eſt theſaurus, cujus etiam furtum ſit*; *L. Nunquam ff. De acquir. rer. Dom.*

Jure



tenetur ratione talis ſocietatis ſimpliciter contractæ communicare cum alteris ſociis ſolummodo theſaurum repertum in fundo alieno propter adductam rationem; Non tamen theſaurum repertum in ſuo fundo, argo vel domo quia tunc perinde eſſet, ac ſi rem ſuam amiſſam inveniſſet, aut neſciens ubi eſſet, poſtea reperiſſet. Sic expreſſe Azorius *loc. cit. cap.* 17. *verſ.*
26 *Octavo*, & alii. Semper autem eſſet communicandus cum aliis ſociis ſive fratribus, ſive extraneis talis ubicumque repertus theſaurus, ſi inter ipſos fuiſſet inita rigoroſa ſocietas omnium bonorum, per dicta, & jura adducta *ſupra n.* 18. juncta *l. Si ſocietatem univerſarum fortunarum* 73. *ff. Pro ſocio*.

27 Debitum contractum ab uno fratrum poſt obitum patris, eſt de communi ſolvendum, ſi converſum fuerit in communem fratrum utilitatem. *Communis* per text. in *l. Omne æs* 27. *ff.*
28 *Pro ſocio*, *l. Si hi* 1. *l. Quod ſi* 3. *ff. De in rem verſo, cum ſimilibus*. Si autem tale contractum debitum converſum fuerit in ſolum privatum commodum contrahentis, non eſſet de communi ſolvendum, *Communis*, textu expreſſo in *l. Jure ſocietatis* 82. *ff. Pro ſocio* cum ſimilibus, & facit *l. Non debet* 74. *ff. de Regul. Juris & cap. Non debet* 22. *de Regul. juris in* 6. In contentione inter fratres in quem uſum fuerit debitum
29 converſum, onus probandi ſpectat ad illum, qui tale debitum contraxit: qui ſi non probet fuiſſe converſum in communem utilitatem, debet ex ſuo ſolvere, quia in tali contentione alii fratres ſunt veluti Rei in judicio, & qui debitum contraxit eſt Actor: Actori autem incumbit probare; quod ſi non probet, Reus abſolvitur, *l. Qui accuſare* 4. *Cod. de edendo*. *leg.*
30 *Actor.* 23. *Cod. de probation. l. Et* 2. *ff. de probat*. Et mortuo fratre, qui contraxit debitum in contentione inter Creditorem, & reliquos fratres debitores, onus probandi tale debitum fuiſſe converſum in communem ipſorum utilitatem ſpectat ad Creditorem uti Actorem propter dicta, & jura adducta numero antecedenti, Sic in univerſum Roſignol. *loc. cit. diſquiſit.*4. §. 7. cum aliis ibi allegatis

31 Delictum, ſeu maleficium unius fratris ſocii omnium bonorum, non nocet aliis fratribus; *l. Cum duobus* 52. §. 2. *&* 18. *ff. Pro ſocio*. Unde ſi talis frater delinquens condemnetur propter delictum, ſeu maleficium ad pœnam, ſolvere debet de ſuis, & non de bonis ſocietatis, textu expreſſo *in cit.* §. 18. ibi: *Si ob maleficium ſuum, ipſum tantum damnum ſentire debere*. Et ratio eſt, quia ſicuti ſocietas non eſt inita de lucris provenientibus ex culpa, ut ex furto, homicidio, adulterio, perjurio, *cit. l. Cum duobus* 52. §. 17. *& l. Quod autem ex furto* 53. *ff. Pro ſocio*, ita neque cenſetur inita de damnis, quæ frater delinquens ſentire debet in pœnam, *cit. l. Cum duobus* 52. §. 3. *&* §. 18. *ff. Pro ſocio*.

32 Præſcindendo a ſocietate inter fratres jure novo *in l. Ut liberis* 17. *Cod. de Collationib. Authent. Ex teſtamento Cod. eod. titul. Auth. de Triente, & ſemiſſe* §. *Illud quoque collat.* 3. ſtatutum eſt, quod ipſi in diviſione hereditatis paternæ, & maternæ adducant ad partitionem communem quæ ab ipſis viventibus acceperunt, dummodo ipſis expreſſe vel tacite per conjecturas non præſumantur donata, ſeu condonata. Et hic in ſpecie aſſignantur ea, quæ in partitione hereditatis adduci debent, vel non.

33 Primo igitur in diviſione cum reliquis fratribus debet alter frater adducere & computare in ſuam partem pecuniam, quam pater conſumpſit pro ſtudiis ipſius, ſi pater apud ſe habebat ipſius filii bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia. Colligitur ex *l. Filius a patre* 18. *ff. de petitione hereditatis*, & ex *l. ſi pater* 7. *Cod. de dotis promiſſione*. In tali enim caſu præſumendum eſt, quod pater adminiſtratorio nomine egerit de dictis bonis ipſius filii, & noluerit inſumptam pecuniam condonare in præjudicium aliorum filiorum, cum ille haberet de propriis bonis ſufficientia ad dicta ſtudia; Secus autem ſi pater non haberet apud ſe ulla filii bona, quia in tali caſu præſumendum eſt, quod pater eam pecuniam contulerit ut abſolutus dominus, & liberaliter donaverit; *l. Quæ pater* 32. *ff. Famil. Erciſc.* Molina *tom.*2. *dec.*239. Lopez. 2. *p.*2. *concl.*3. Silveſter *loc. cit. q.*8. cum Baldo ibi allegato, Roſign. *loc. cit. prænot.* 27. *num.* 7. *&* 13. Bonac. *loc. cit. punct.* 7. §. *unic. n.*7. Navarr. Vaſq. Sa, Zechio ibi citatis, & aliis paſſim.

Secundo, debet frater adducere in partitionem cum reliquis 34
fratribus, juxta dicta *num. antec.* libros, quos Pater vivens ipſi tradidit pro ſtudio, ſi ſint conſiderabilis quantitatis, & valoris; Molina, Lopez, Zechius, Tuſcus, & alii citati, & ſecuti a Bonacina *loc. cit. n.* 9. quia in tali caſu non eſt præſumendum, quod pater voluerit illos ipſi donare, cum ex hac donatione magna conſurgeret inæqualitas inter fratres; Secus autem ſi tales libri eſſent parvæ quantitatis, & pauci valoris, quia in tali caſu adeſſet præſumptio de liberali paterna donatione. Et ſic dicendum eſt de pecunia ei tradita a 35
patre pro emendis libris, quam ſi in magna quantitate inſumpſit in ludos, aut meretrices, tenetur computare in ſuam partem; Secus autem ſi in exigua quantitate, quia circa hanc exiguam quantitatem quamvis pater præſumatur invitus quoad modum, non tamen quoad ſubſtantiam, ſicque potius 36
præſumitur, quod pater voluerit illam ei condonare, quam ut ipſam in ſuam partem computaret. Navarrus, Molina, Zechius, Vaſquez, Lopez, & alii allegati, & ſecuti a Bonacina *loc. cit. n.*10. In omni tamen caſu, quo libri adducendi, & computandi ſint, computari debent ſecundum valorem, quam habent tempore diviſionis, & non ſecundum valorem, quem habuerunt. Gloſſa *in l. Illud* 29. *Cod. de Collat. in V. Ponderat.* Roſignol. *loc. cit. n.* 15. & omnes alii allegati *ſupra num.* 34.

Tertio, debet frater adducere in partitionem, quæ de bo- 37
nis communibus poſt mortem patris inſumpſit in proſecutione ſtudii incæpti ante mortem patris, quia factum per patrem viventem inceptum in favorem alicujus ex filiis, non obligat heredem, niſi quatenus erat obligatus, *l. Et ſi filius* 15. *ff. de munerib. & honoribus*, *l. Si filia* 20. §.6. *ff. Familiæ Erciſcundæ*, *l. Honores* 7. §.2. *ff. de decurionibus*: Pater autem non erat obligatus ad expenſas in proſecutione ſtudii dicti filii. Silveſter *loc. cit. q.* 11. cum Bartolo ibi allegato, Roſignol. *loc. cit. n.* 8. & alii.

Quarto, computare debet frater expenſas factas in aſſequen- 38
da poſt mortem patris laurea Doctoratus, quia Doctoratus eſt novus actus diſtinctus ab ipſo ſtudio, *l. Si ſervus legatus* 108. §. 5. *ff. de Legatis* 1. Nec alii fratres ad ipſas expenſas tenentur. Silveſter *loc. cit. q.*11. *in fine*, cum Baldo ibi citato, Roſignol. *loc. cit. n.*9. Azorius *loc. cit. c.* 19. *verſ. Octavo*, & alii. Non ſunt autem conferendæ expenſæ factæ ab 39
ipſomet patre pro obtinendo Doctoratu, Dignitate, vel Beneficio filio, niſi aliter conſtet tacite, vel expreſſe de voluntate dicti patris, *l. Hic titulus* 1. §. 16. *ff. de Collat. bonorum*, Bartolus *ibid.* Silveſter *loc. cit. q.* 26. Bonacina *loc. cit. numer.* 15. & alii. Sunt tamen conferendæ expenſæ factæ a 40
patre pro obtinendis filio aliis officiis, quæ vendi, & tranſmitti poſſunt ad poſteros, & heredes, *l. Illud* 20. *Cod. de Collationib.* Covarruv. 3. *par. variar. cap.*19. *n.*4. Molina *loc. cit. diſp.* 241. cum Bartolo, & Gomezio *ibi cit.* Bonacina *loco cit. n.*17. cum aliis ibi allegatis, & alii apud Vaſquez *in Opuſc. de teſtamentis cap.* 7. *dub.*9. Et ratio eſt, quia hæc Officia cenſentur bona profectitia, adeoque in diviſione ſunt conferenda quoad pretium, ſeu æſtimationem illorum.

Quinto conferre debet frater ſecundum valorem præſen- 41
tem veſtes, torques, & alia ornamenta a patre tradita ipſius uxori,

Jure tamen civili communi obligante in conſcientia, hæc ſtatuta ſunt de theſauro. 1. Theſaurus totus eſt illius, qui eum in proprio fundo reperit; *Inſtit. de rer. Dom.* Si tamen arte magica ibi inventus ſit, totus pertinet ad fiſcum, ſaltem poſt ſententiam judicis. 2. Qui fortuito theſaurum in fundo alieno reperit, eſt Dominus dimidii, alterum vero dimidium tenetur ante ſententiam judicis tradere Domino ſpeciali fundi ſive ſit princeps, ſive privatus, *ex inſtit. de rer. diviſ.* quæ diſpoſitio non eſt pœnalis, ſed definitiva proprietatis rerum. 3. Theſaurus de induſtria quæſitus in fundo alieno ſine conſenſu Domini, totus eſt Domini; *l. unica Cod. de Theſ.* Varii tamen putant, inventorem non teneri ante ſententiam judicis tradere niſi dimidium, ob hæc verba legis ex ea parte pœnalis; *Totum locorum Domino reddere compellatur*. 4. Si Theſaurus inveniatur in platea, foro, vel via publica, juxta multos dividi debet cum fiſco; juxta alios totus eſt inventoris. In his vero ſicut in aliis ſpectandæ ſunt ſpeciales locorum leges, vel conſuetudines, & ſervandæ. Sic in Gallia theſaurus in alieno fundo repertus, in tres partes æquales dividi debet, quarum una ſit inventoris, altera Domini fundi, tertia dynaſtæ, ſeu alterius juſtitiarii, vel Regis, ſi ſolus in loco ſit altus juſtitiarius. Theſauri vero a Domino fundi inventi media pars eſt inventoris, alia dynaſtæ, vel Regis. Imo circa hoc variæ ſunt in variis provinciis conſuetudines.

uxori, ſi adhuc extent, & ſint pretioſa, & non ſint neceſſaria
ad quotidianum uſum, *arg. l. Illud*, ſeu *Id veſtimentum 25.
ff. de peculio*. Et ratio eſt, quia illa non præſumuntur ei a
patre donata, ſed ad ſolum uſum conceſſa, *l. Mortis ſuæ cau-
ſa 53. ff. de donationibus inter virum, & uxorem*. Non
42 debet autem frater ea conferre, ſi non amplius extent, nec ſint
pretioſa, & ſint neceſſaria ad quotidianum uſum. Et ratio eſt
quia recipiens non tenetur compenſare conceſſa ad uſum, ſi
poſt uſum non remaneant; nec minus ſi remaneant, ſi non
ſint pretioſa, & ſint neceſſaria ad quotidianum uſum, tenetur
ea conferre, quia in ordine ad illa currit juſta præſumptio,
quod pater ea donaverit uxori filii, & a principio tenuit
donatio inter ſocrum, & nurum, *l. Ex annuo 15. ff. de dona-
tionib. inter virum & uxorem*, *l. ſi dos 85. ff. Ad leg. Fal-
cid.* Item nec tenetur frater ea conferre, quamvis ſint pretio-
43 ſa, quoties conſtat patrem ea nurui, ſeu reſpective ejus uxo-
ri donaſſe, nam illa eſſent de libero dominio ipſius uxoris,
cum a principio tenuerit donatio inter ſocrum, & nurum per
jura mox adducta, juncta *l. Filius 5. ff. de dotis collatione*.
Silveſter *loc. citat. q.* 12. Sanchez *lib. 6. de Matrim. diſ.* 25.
Roſignol. *loco cit. n.* 12. Navarrus *cap.* 17. *num.* 116. Bonaci-
na *loc. cit. n.* 12. & alii paſſim.

44 Sexto, conferre debet frater munera, arrhas, & alias ſpon-
ſalitias donationes a patre factas propter ſuas nuptias, quia
cenſentur donationes factæ ob cauſam Matrimonii, ſicuti
cenſetur facta dos, *l. Ut liberis 17. Cod. de Collationibus*. Filius
45 enim volens ſuccedere patri, licet non teneatur conferre,
quæ ab ipſo valide accepit donatione ſimplici ei facta ex me-
ra liberalitate, ut patet ex *leg. Illud 20. circa finem Cod. de
Collationibus*, tenetur tamen conferre quæ ab ipſo accepit
Donatione non ex mera liberalitate, ſed ob cauſam, verbi
gratia ob nuptias, ob dotem, ob ſuſceptionem Ordinum,
ob ingreſſum Religionis, & hujuſmodi per *cit. l. Illud.* cum
ſimilibus, cum donata ob cauſam de ſua natura conferri de-
beant, ex quo præſumantur tradita in compenſationem Legi-
timæ. Vaſquez *loc. cit. dub.* 6. Emanuel Sa, verb. *Hereditas
n.* 43. Bonacina *loc. cit. n.* 13. Sanchez *cit. diſ.* 25. cum plu-
46 ribus aliis ibi allegatis. Non ſunt tamen computandæ in di-
viſione expenſæ factæ a patre in convivio ob nuptias filii,
ſeu occaſione primi Sacri celebrati, aut ingreſſus, & profeſ-
ſionis Religioſæ, vel promotionis ad Doctoratum, aut ad
aliquam dignitatem, ſi filius non habeat bona propria, quia
tales expenſæ pertinent ad rationabilem adminiſtrationem bo-
norum patris, & ad alimenta filiis debita, nec magis cenſen-
tur factæ ob filium, quam in honorem ipſius patris. Molina,
*tract. 2. diſ. 238. verſ. de expenſis*, cum Bartolo, Gomezio
& aliis ibi allegatis, Tuſchus *concl.* 417. Vaſquez *loc. cit.
dub* 6. *num.* 46. Sa, *loc. cit. n.* 43. Bonacina *loc. cit. n.* 11.
47 cum aliis ibi citatis. Nec tenetur frater in diviſione compu-
tare quæ pater illi dedit præ aliis ad cibum, veſtitum, & e-
quitatum, quia ſtat rationabilis præſumptio, quod pater il-
la liberaliter ei donaverit, ſeu condonaverit. Navarr. *c.* 17.
*n.* 160. Vaſquez *loc. cit. dub.* 8. *num.* 155. Bonacina *loc. citat.*
48 *num.* 8. & alii. Nec tenetur fratrer conferre quæ a patre vi-
vente accepit ob merita extraordinariorum obſequiorum;
dummodo accepta non excedant merita; *l. Si pater 34. ff.
de donationibus*, Molina *diſp.* 224. Navarr. *cap.* 17. *n.* 144.
*&* 145. Silveſter verb. *Donatio 2. q. 7.* Vaſquez. *loc. cit. du-
bio* 10. *n.* 163. Bona. *loc. cit. n.* 18. cum aliis ibi allegatis.

49 Septimo, conferre debet frater quæ pater inſumpſit in
ipſius liberatione a captivitate, a carcere, aut a pœna ipſi
pro delicto debita, ſi pater declaraverit eſſe computanda in
diviſione: Pater enim licet teneatur alere filium, non tamen
tenetur cum gravamine aliorum filiorum innocentium ipſius
delinquentis delicta ſolvere; ſi autem declaraverit non eſſe
computanda, aut non expreſſerit an vellet computari, non
ſunt computanda in diviſione, quia tunc præſumi debent ex
paterna pietate condonata, cum non ſit addenda afflictio af-
flicto, *cap. Cum percuſſio 7. q. 1. cap. Ex parte 5. de Clerico
ægrotante*; Dummodo tamen pater non habeat bona propria
ipſius Filii. Tuſcus *concluſ.* 417. Vaſquez *loc. cit. dub.* 8. *nu-
mer.* 155. Navarrus *cap.* 17. *num.* 165. Bonacina *loc. cit. nu-
mer.* 19. cum pluribus aliis ibi allegatis.

50 Octavo, conferre debet frater bona profectitia, quia ho-
rum bonorum dominium pertinent ad patrem §. 1. *Inſtitut.*
51 *Per quas perſonas cui acquiritur*. Non debet tamen conferre
bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia quia horum dominium ab-
ſolute pertinent ad filium; *leg. Caſtrenſe 11. ff. de caſtrenſi pe-
culio*, *leg. Hic titulus 1. Nec caſtrenſe ff. de collatione bono-
rum*. Nec bona adventitia, *leg. Ut nemini 21. Cod. de colla-* 52
*tionibus*: Adventitiorum enim bonorum dominium directum
ſeu proprietatem habet filius, *l. Cum oportet 6. Cod. de bonis
quæ liberis*.

Nono, conferre debet frater quæ accepit a patre titulo pa- 53
trimonii ad Sacros Ordines, vel ad nuptias contrahendas, quia
traditio horum bonorum non eſt donatio omnino libera, ſed
ob cauſam: Donata autem ob cauſam, & non ex mera libe-
ralitate conferri debent in partitionem; *l. Illud. 20. circa fi-
nem*, *Cod. de Collationibus*. Aſt tamen jus fructus percipien-
di dum vivit, ſpectat ad ipſum ſolum, nec debet eos fructus
afferre in partitionem. Molina *diſp.* 233. §. *Hujuſmodi au-
tem*, Hugo *tom.* 1. *diſp.* 5. *ſect.* 2. *num.* 37. Sporer *tom.* 2.
*tract. 6. in complement. ſeptim. præcept. cap. 1. ſect. 2. n.* 51.
Bonacina *loc. cit. num.* 5. *verſ. Reſpondeo ſecundo*, cum aliis
ibi allegatis. Non tenetur tamen conferre, ſi nolit ſuccede- 54
re patri in hereditate, ſed contentus ſit re ſibi tradita, quia
is ſolum conferre tenetur, qui vult in hereditate cum aliis ſuc-
cedere *l. Fuit quæſtionis 7. ff. de dotis collatione*, Molina *diſ-
putat.* 237. *verſ. Redditum*; Emanuel Sa, *loc. cit. numer.* 42.
Bonacina *loc. cit. num.* 4. cum Gomezio, & Zechio ibi cita-
tis, & alii.

Decimo, conferre debet frater in diviſione expenſas fa- 55
ctas a patre ad ejus bona adventitia augenda ad perpetuam
conſiderabilem utilitatem, ſi conſtet, quod pater eas fecerit
animo repetendi; Et ſi dubitetur de tali animo, attendenda
eſt quantitas dictarum expenſarum; & ſi parva ſit, præſu-
mi debet, quod non habuerit animum repetendi, ſi vero ma-
gna ſit, ita ut quantitas expenſarum factarum excedat quan-
titatem fructuum perceptorum, eſt præſumendum, quod ani-
mum habuerit repetendi dictas expenſas, cum non ſit cre-
dibile, quod voluerit pater unum filium ditare cum magno
detrimento aliorum; Navar. *cap.* 17. *num.* 163. Bonacina
*loc. cit. n.* 15. & ipſo teſte alii communiter. Sic e contra, 56
ſi pater dilapidaverit bona adventitia unius filii, alii fratres
in diviſione tenebuntur compenſare, cum obligatio ex juſti-
tia tranſmittatur ad heredes, & hereditas, ſeu res tranſeat
cum ſuo onere; *l. Alienatio, ff. de contrahend. emptione.
l. Pomponius §. Cum quis, ff. de acquir. poſſ. l. Via conſtituti,
§. Quicumque, ff. de ſervitut. l. Fiſcus 6. ff. de jure Fiſci,
Clementin. 1. de cenſibus*, cum ſimilibus; Emanuel Sa, verb.
*Hereditas n.* 45. Bonacina *loc. cit. n. 13. in fine* & alii.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

INter Fratres poteſt eſſe communio tantum menſæ, fru- 1
ctuumque bonorum patrimonialium, tum poteſt eſſe
Societas univerſalis. Ex hoc autem ſolum, quod Fratres 2
concorditer vixerint, promiſcueque, ac pro indiviſo bona
poſſederint, vix habetur communio menſæ, & fructuum bo-
norum patrimonialium. Quinimmo id procedit, etiamſi adſit 3
pactum, ut omnia lucra & damna ſint communia, quippe
quia poteſt pactum hoc verificari in bonis, tantummodo pa-
trimonialibus, quorum reſpectu inter ipſos erat communio.
Confer *Rotam in Romana, ſeu Spoletana Fideicommiſſi* 1. *Fe-
bruarii* 1754. §. 7. *& plur. ſequent. cor. bon. mem. Vicecom.
&* 4. *Julii* 1755. §. 9. *& duob. ſequent. cor. Illuſtriſſ. Figueroa.*
Societas vero univerſalis, per quam omnia tum induſtriæ, 4
tum fortunæ lucra communicantur, vel requirit expreſſam con
ventionem, vel deducenda eſt ex neceſſariis actibus & argu-
mentis, de quibus vide *Rotam in Romana Hereditatis ſuper
Fidejuſſione* 5. *Maii* 1751. §. 5. *cor. Eminentiſſimo Buſſio*. Ad-
de etiam idem Supremum Tribunal *in dict. Romana, ſeu Spo-
letana Fideicommiſſi* 1. *Februarii* 1754. §. 6. *&* 7. *cor. bon.
Vicecomit. &* 4. *Julii* 1755. §. 9. *cor. Illuſtriſſ. Figueroa*.
Num acquiſitio proprio nomine facta ab uno ex Fratribus 5
excludat inter ipſos Societatem univerſalem? Quæſtionis eſt.
Obtinuit diſtinctio, quod ſi certo conſtet, & quidem vel ex-
preſſe, vel tacite, de ſocietate univerſali, eam minime ex-
cludat mox dicta acquiſitio, quia tunc proprio nomine ac-
quirens communi ſociorum nomine acquiſiviſſe videtur. At
ſi de ſocietate univerſali, nec ex conventione expreſſa, nec
ex argumentis indubiis conſtet, præfata acquiſitio urget in
ejus excluſionem; *Michalor. de Fratrib. part. 2. cap. 17. n. 16.
& ſequent. Conſtantin. ad Statut. Urb. annot. 21. num. 41. Rot.
in Spoletana diviſionis Bonorum* 5. *Februarii* 1745. §. 12. *& in
Recinaten. Communionis univerſalis* 25. *Junii* 1747. §. 6. *utra-
que cor. bon. mem. Vicecomit.*

6. Ex



8 Ex indole ſocietatis univerſalis res communi periculo ita
pereunt, ut unus alteri ex ſociis nonniſi de inexcuſabili cul-
pa, probatoque dolo teneatur; Rota *in Romana Hæredita-
tis ſuper Fidejuſſione* 5. *Maji* 1751. §. 4. *cor. Eminentiſſimo
Buſſio*.

## SODOMIA,

Vide verb. *Luxuria a num.* 50. *ad* 63.

## SOLEMNITATES PRO ALIENANDIS REBUS ECCLES.

Vidde verb. *Alienatio art. 2. per tot.* & *art.* 3. *ac* 4.

## SOLEMNITATES CONTRACTUUM.

Vide verb. *Contractus per tot.*

## SOLIDUS.

Vide verb. *Cathedraticum n.* 4. & verb. *Donatio art.* 5. *n.* 30.

## SOLLICITATIO AD TURPIA.

1 AD coercendam ſacrilegam, & execrabilem ſollicitatio
nem ad turpia in Sacramentali Confeſſione, vel occa-
ſione, ſeu prætextu ejuſdem, variæ ſunt editæ Pontificiæ
Conſtitutiones, & ſignanter a Pio IV. Conſtitut. incip. *Cum
ſicut nuper*, a Paulo V. Conſtitut. incip. *Dilecte fili*, a Gre-
gorio XV. Conſtitut. incip. *Univerſi Dominici Gregis*. Quæ
Gregorii Conſtitutio, cum ſit norma, & regula in hac ma-
teria habenda, hic ad litteram datur.

### GREGORIUS PAPA XV.

Servus Servorum Dei.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

2 UNiverſi Dominici Gregis curam quamquam immeriti
cœleſti diſpoſitione gerentes ſedulo invigilare tenemur,
ut ab omnibus præviis contagiis conſervetur immunis, multo-
que majori ſtudio providere, ut omnis peſtis ab iis avertatur,
quibus alios ſanandi Officium eſt commiſſum, ne quod Evan-
gelica ſcripta Nos admonent, ſale infatuato, non ſit in quo
ſaliatur, & ad nihilum proſit ultra, niſi ut mittatur foras,
& conculcetur ad hominibus.

§. 1. Quoniam autem a Romanis Pontificibus Prædeceſſo-
ribus Noſtris quibuſdam in locis proviſum fuit, ut impium,
ac nefandum ſcelus, quod non ſolum inter Chriſti fideles non
eſſe, ſed nec etiam nominari debet procul ab iis arceatur,
videlicet ut aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas Confeſſiones
deputatus Sacroſancto Pœnitentiæ Sacramento, ſollicitando
Pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum,
pro pane aſpidem porrigat, & ex cœleſti medico infernalis
veneficus, ex patre ſpirituali proditor execrabilis Animarum
reddatur; idcirco Nos ea, quæ his pernicioſiſſimis Diaboli
inſidiis arcendis certis locis ſalubriter conſtituta ſunt, ut nul-
libi deſiderentur, quantum ex alto conceditur, providenda
duximus.

§. 2. Alias ſiquidem a fel. rec. Pio Papa IV. Prædeceſſore
noſtro emanarunt Litteræ tenoris ſubſequentis, videlicet:
Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Hiſpalen. in
Regnis Hiſpaniarum hæreticæ pravitatis Inquiſitori Generali.
Cum ſicut nuper &c.

§. 3. Igitur ut litteræ prædictæ perpetuis futuris tempori-
ribus, & ubique Locorum inviolabiliter obſerventur, Motu
proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra,
ac de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Car-
dinal. contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſito-
rum præinſertas Litteras hujuſmodi, ac omnia, & ſingula
in eis contenta Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ap-
probamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis
inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, illaſque
non ſolum in prædictis Hiſpaniarum Regnis, ſed in quibuſvis
Chriſtiani orbis partibus firmiter & inviolabiliter obſervari
præcipimus, & mandamus.

§. 4. Ac præterea ne in futurum de pœna his delinquen-
tibus imponenda, & de modo contra eoſdem procedendi ab
aliquo dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimus, & declara-
mus, quod omnes & ſinguli Sacerdotes, tam Sæculares, quam
quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi A-
poſtolicæ immediate ſubjectorum Ordinum, Inſtitutorum
Societatum, & Congregationum Regulares cujuſcumque
Dignitatis, & Præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti
exiſtant, qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta,
ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu
Sacramentalis Confeſſionis, ſive antea, vel poſt immediate,
ſeu occaſione, vel prætextu Confeſſionis hujuſmodi, etiam
ipſa Confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem Confeſ-
ſionis in Confeſſionario, aut in loco quocumque, ubi Con-
feſſiones Sacramentales audiantur, ſeu ad Confeſſionem au-
diendam electo, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire, ſol-
licitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos &
inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in Officio
S. Inquiſitionis ſeveriſſime, ut infra, puniantur. Et præterea
omnes hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & Locorum Ordina-
rios, omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Do-
minorum, & Locorum Univerſis Orbis Chriſtiani in ſuis
quemque Diœceſibus, & Territoriis per has noſtras Litte-
ras, etiam privative quoad omnes alios, ſpecialiter ac perpe-
tuo Judices delegamus, ut ſuper his, contra prædictos ſimul,
vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis Fidei juxta Sacro-
rum Canonum formam, nec non Officii Inquiſitionis hujuſ-
modi Conſtitutiones, privilegia, Conſuetudines, & Decreta
diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex hu-
juſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro
criminum qualitate, & circumſtantiis ſuſpenſionis ab execu-
tionis Ordinis, privationis Beneficiorum, dignitatum, & Of-
ficiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa,
nec non vocis activæ, & paſſivæ, ſi Regulares fuerint, exi-
lii, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum
abſque ulla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernant, eos quo-
que, ſi pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint,
debita præcedente degradatione Curiæ Sæculari puniendos
tradant.

§. 5. Dantes etiam facultatem Veneralibus Fratribus no-
ſtris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquiſitoribus, ne
delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam pernicioſum
ob probationum defectum, impunitum, cum difficilis ſit
probationis, teſtibus etiam ſingularibus concurrentibus, præ-
ſumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum pro-
batum eſſe arbitrio ſuo judicandi, & Curiæ Seculari, ut præ-
fertur, reum tradendum eſſe, pronunciandi.

§. 6. Non obſtantibus omnibus, quæ dictus prædeceſſor
in ſuis Litteris prædictis voluit non obſtare, ceteriſque con-
trariis quibuſcumque.

§. 7. Mandantes omnibus Confeſſariis, ut ſuos Pœnitentes,
quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſollicitatos, moneant
de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeu, ut præfertur,
tractantes, Inquiſitoribus ſeu Locorum Ordinariis prædictis;
quod ſi hoc Officium prætermiſerint, vel Pœnitentes docue-
rint non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes ſeu
tractantes ut ſupra, iidem Locorum Ordinarii, & Inquiſitores
illos pro modo culpæ puniri non negligant.

§. 8. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam
impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo
alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis,
eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique habeatur,
quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 9. Quodque eædem præſentes Litteræ, ſeu illarum exem-
pla ad valvas Baſilicarum Sancti Joann. Lateranen. ac Princi-
pis Apoſtolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixæ,
omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter inti-
matæ fuiſſent.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo
Piſcat. die 30. Aug. 1622. Pontif. noſtri anno 2.

Hanc vero Gregorii XV. Conſtitutionem Benedictus XIV.
An. 1741. confirmavit, ampliavit, & extendit, altera ſua
Conſtitutione incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, in qua & re-
ſervat Papæ pro tempore exiſtenti abſolutionem eorum, qui
falſo Sacerdotes de ſollicitatione accuſant, aut procurant ut ab
aliis falſo accuſentur.

Unde ſollicitatio quantum ad propoſitum non eſt niſi pro- 3
voca-

vocatio, ſeu incitatio facta verbis, ſcriptis, ſignis, nutibus, oſculis aut tactibus ad turpia, et inhoneſta, ideſt ad res carnales, ſeu venereas. *Sic in re Communis Doctorum.*

4 Per perſonas ſollicitantes intelligunt hic omnes, et ſinguli Sacerdotes, tam Sæculares, quam Regulares cujuſcumque dignitatis, aut Præeminentiæ exiſtant. *Communis* per expreſſa verba dictæ *Gregorianæ Conſtitutionis* §. 1.

5 Hinc ſollicitans dicitur, et eſt denunciandus etiam Sacerdos non Confeſſarius, qui ſe fingens Confeſſarium feminas, ſeu adoleſcentulos ad turpia, ſeu carnalia provocat, et incitat: De ipſo enim Sacerdote verificatur, quod ſollicitet prætextu Confeſſionis, quod ſufficit de mente dictæ Conſtitutionis, etiam Sacramentali Confeſſione non ſecuta ibi: *Vel prætextu Confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa Sacramentali Confeſſione non ſequuta.* Et ſic tenent Diana *part.* 1. *tractat.* 4. *reſolut.* 17. & *part.* 4. *tractat.* 5. *reſolut.* 8. Sanctius *in Selectis diſput.* 11. *numer.* 39. Acugna *tractat. de Confeſſ. ſollicit.* 14. *num.* 4. Joannes Angelus Boſſius *in Appendic. ad tractat. de tripl. Jubil. privileg. dub.* 9. Felix Poteſtas *tom.* 2. *part.* 3. *cap.* 2. *num.* 485. Roſignol. *de Pœnitent. part.* 1. *quæſt.* 7. *art.* 21. *num.* 4. & *ſeq.* Caſtropal. & alii plures contra Bordon. Leandr. & alios volentes non eſſe denunciandum.

6 Laicus autem fingens ſe Sacerdotem, & Confeſſarium, ſi ſollicitet in Confeſſione, non eſt ex vi dictæ Conſtitutionis denunciandus, ut ſollicitans, quia dicta Conſtitutio expreſſe loquitur ſolum de Sacerdote, qualis non eſt Sacerdos fictus; Si autem voluiſſet etiam Sacerdotem fictum comprehendere, expreſſiſſet; Quod enim voluit expreſſit, *argument. cap. Inter corporalia* 2. *de translat. Epiſcop.* §. *Sed neque iſtud*, *cap. Quia circa* 22. *de privileg.* & *cap. Ad audientiam* 12. *de Decimis:* Tum quia odio a reſtringenda, *cap. Odia* 15. *de Regulis Juris in* 6. Et in pœnalibus benignior interpretatio facienda eſt, *leg. Factum* 155. *ff. de Regulis Juris* §. 2. ibi: *In poenalibus cauſis benignius interpretandum eſt*, *cap. In poenis* 49. *de Regulis Juris in* 6. ibi: *In poenis benignior eſt interpretatio facienda.* Et concordat *leg. Cum quidem* 19. *ff. de liberis*, & *cap. Statutum* 22. *de election. in* 6. Et ſic defendunt Rodericus de Acugna *tractat. de Confeſſar. ſollicitat. quæſt.* 13. *num.* 1. & *ſ. q.* Diana *part.* 1. *tractat.* 4. *reſolut.* 15. *part.* 4. *tractat.* 5. *reſolut.* 9. *part.* 10. *tractat.* 14. *reſolut.* 42. Caſtropal. *tom.* 1. *tractat.* 4. *diſput.* 9. *punct.* 9. *num.* 5. Leander *de Sacram. Poenitent. tract.* 5. *diſput.* 13. *a quæſt.* 36. Joann. Angelus Boſſius *in Appendic. ad tractat. de tripl. Jubil. privileg. dub.* 10. Felix Poteſtas *loc. cit. num.* 489. Roſignol. *loc. cit. num.* 7. Viva *ad prop.* 6. *Alexandri VII. n.* 9. & alii contra Eſcobar, Trimarchium, & Freitam tenentes contrarium.

7 Talis autem Laicus eſſet denunciandus tamquam ſuſpectus de hæreſi ex aliis Pontificiis Conſtitutionibus, & ſignanter ex Conſtitut. Gregorii XIII. incipient. *Officii noſtri partes*, præſertim ſi ſimul audiſſet Confeſſionem, & abſolutionem dediſſet, & utramque qualitatem requiri tenent paſſim Doctores ex verbis dictæ Conſtitutionis Gregorii XIII. ibi; *Confeſſiones audire, & abſolutionem impartiri niſi fuerint*; Quamvis tamen ex Conſtitutione Clementis VIII. incipient. *Alias* edita *die* 1. *Decembr.* 1601. non videatur requiri dicta qualitas, ſcilicet, quod abſolutionem impertitus fuerit cum in ipſa Conſtitutione Pontifex ſubdat correctioni Inquiſitorum eos, qui abſque Presbyteratu audent Confeſſiones audire, nec ibi requirat qualitatem, quod abſolutionem impertiti fuerint, ut inter alios recte notat Roſignol. *loc. cit. n.* 9.

8 Feminæ ſollicitantes in Confeſſione Confeſſarios ad inhoneſta, non ſunt denunciandæ. *Communis*. Et ratio eſt, quia Lex mandat denunciari Confeſſarios, & non Pœnitentes ſollicitantes, adeoque non eſt extendenda contra Pœnitentes ſollicitantes Confeſſarios ad turpia, cum pœnalia non ſint extendenda ultra expreſſa, *argument. cap. Statutum* 22. *de election. in* 6. ibi: *Cum ſit poenale, reſtringi potius convenit, quam laxari*, & aliis citatis Juribus *ſupra n.* 6.

9 Per perſonas ſollicitatas intelliguntur hic feminæ, & mares, puellæ, & pueri. *Eſt jam Communis* poſt dictam Conſtitutionem Gregorii XV. per verba inibi expreſſa: *Qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda.* Ly enim: *Quæcumque illæ ſint*, additum perſonis, importat utrumque ſexum.

10 Hinc tam mares, quam feminæ quæcumque, etiam Moniales, & Mulieres nobiles ſollicitatæ a Confeſſariis ad turpia tenentur ipſos denunciare. Et ſi valde vereantur id per ſe perſonaliter facere, monere debent Epiſcopum, ſeu Inquiſitorem, ut mittat ad eas Internuntium pro denunciatione, recipienda, & ſatis expediens eſt, ut delegetur, ſeu mittatur Confeſſarius, ut recipiat in Scriptis, & cum juramento denunciationem juxta decretum Inquiſition. Roman. juſſu Urbani VIII. 27. *Septembris* 1624. apud Bordon. *cap.* 23. *de Sollicitat. num.* 89. his verbis: *E quando il Penitente tuttavia perſiſte nella medeſima renitenza, N. S. ſi contenta, che dal Veſcovo, ò Inquiſitore ſi dia autorità al Confeſſore di ricercare per ſcrittura, e con giuramento, la dinunzia per portarla ſubito a chi gli avrà data l'autorità di pigliarla.*

11 Sollicitatio autem fieri poteſt pluribus modis, nempe ſcriptis, verbis, ſignis, nutibus, tactibus, oſculis, & hujuſmodi. *Communis.*

12 Unde Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit Pœnitenti, ſive feminæ, ſive mari chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem provocat, allicit, ſeu incitat, tamquam vere ſollicitans eſt denunciandus. *Communis*, & patet aperte ex propoſitione 6. inter merito damnatas ab Alexandro VII. *die* 7. *Septembr.* 1665. ibi: *Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit Poenitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.*

13 Item vere ſollicitat, & eſt denunciandus Confeſſarius ille, qui per inhoneſtos ſermones Pœnitentem ad Venerem allicit, ſeu incitat. *Communis*, per verba dictæ Gregorianæ Conſtitutionis, ibi: *Aut cum eis illicitos, aut inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerit.*

14 Et ſic vere ſollicitat, & denunciandus eſt Confeſſarius ille, qui in actu Confeſſionis, vel immediate ante, ſeu poſt dicit Pœnitenti: *Si ego eſſem ſæcularis, vellem te ſolam ducere in uxorem.* Vel ei dicit: *Memento mei, quia ego te ex toto corde diligo.* Vel: *permitte me, ut in domum tuam veniam, & amorem meum tibi oſtendam.* Vel pulchritudinem ipſius laſcivis verbis commendat, & laudat, & hujuſmodi. Diana *par.* 9. *tractat.* 9. *reſolut.* 32. Roſignol. *loco cit. num.* 25. Felix Poteſtas *loc. cit. num.* 558. & 565. & alii plures contra paucos alios; Et ratio eſt, quia ſimilia verba ſine aliqua occaſione in Confeſſione, ſeu immediate ante, vel poſt, dicta, ſunt impertinentia ad Confeſſionem, & vehementer provocativa & incitativa ad Venerem.

15 Item vere ſollicitat, & eſt denunciandus Confeſſarius ille, qui ſignis, nutibus, oſculis vel tactibus laſcivis Pœnitentem incitat, ſeu provocat, vel allicit ad actus venereos, ut ſi eam oſculetur, vel fixis aſpectibus laſcivis, aut ſignis vere libidinoſis ei ſuum impurum, & inhoneſtum amorem ſtudeat aperire. Vel ei ſuas verecundas partes ad id oſtendat, ſeu ille ipſius tangat pedes, ſeu manus libidinoſe premat, & hujuſmodi. *Sic in re Communis* per verba dictæ Gregorianæ Conſtitutionis, ibi: *Ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda:* Similia enim ſunt omnia provocativa, incitativa, ſeu allicitiva ad Venerem.

16 Item ſollicitatio fieri poteſt in pluribus, & diverſis temporibus, nempe vel tempore actualis Confeſſionis, ſeu immediate ante, vel immediate poſt, ſeu occaſione, vel prætextu Confeſſionis. *Communis* per verba expreſſa dictæ Conſtitutionis, ibi: *In actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive ante, vel poſt immediate, ſeu occaſione, vel prætextu Confeſſionis.*

17 Unde Confeſſarius, qui tempore actualis Sacramentalis Confeſſionis aliquo ex ſupradictis obſcenis modis Pœnitentem ad venerea, & inhoneſta allicit, ſeu incitat, vere ſollicitat, & eſt denunciandus. *Communis* per ipſa clara verba

18 dictæ Conſtitutionis: *In actu Sacramentalis Confeſſionis.* Et talis Confeſſarius eſt denunciandus, etiamſi non pro ſe, ſed pro alio, ſeu nomine alterius ſollicitet. *Communis*, & clare habetur ex dicta Gregorii Conſtitutione, ibi: *Qui perſonas, quæcumque illæ ſunt, ad inhoneſta ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda.* Et infra: *Aut cum illis illicitos, & inhoneſtos ſermones, aut tractatus habuerint.* Qui enim incitat, ſeu allicit, vel provocat ad inhoneſta, & venerea cum aliis patranda, utique illos, & inhoneſtos ſermones cum incitato, ſeu provocato habet.

19 Confeſſarius, qui in Confeſſione per inhoneſta verba cœpit ſollicitare feminam ad turpia, quæ eidem conſenſit, ſed poſt illa verba ſtatim deſiſtit, nec tunc Confeſſarius impendit abſolutionem, ſed differt tum complementum ſollicitationis, tum abſolutionis, hoc non obſtante eſt denunciandus. *Communis.* Verificatur enim de ipſo, quod *in Confeſſione habuerit cum Pœnitente illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſeu tractatus*, quod ſufficit ſecundum Bullam ad incurrendas pœnas contra ſollicitantes inflictas.

Con-



20 Confeſſarius, qui feminam pœnitentem ante inceptam Confeſſionem, & dilata in aliud tempus Confeſſione oſculis, ſeu verbis, aut tactibus obſcenis ſollicitat, eſt tamquam verus ſollicitans denunciandus. *Communis.* Ipſe enim ſollicitavit Pœnitentem *immediate ante Confeſſionem*, ut loquitur Conſtitutio, & licet non ſit ſequuta Sacramentalis Confeſſio, adhuc Pontifex præcipit eſſe denunciandum, ibi: *Etiam ipſa Sacramentali Confeſſione non ſequuta.*

21 Item denunciandus eſt Confeſſarius, qui immediate poſt Confeſſionem, & datam abſolutionem tradidit Pœnitenti chartam poſtea legendam, quæ continet verba incitantia, & provocantia ad Venerem. Sanctius *in Selectis diſput.* 11. *num.* 31. Roſignolus *l. cit. ſect.* 3. *num.* 17. Viva *ad propoſit.* 6. *Alexandri VII. num.* 5. & 7. *verſ. Ad ultimam*, favet dicta damnata propoſitio allata *ſupra num.* 11. Et ſic tenent plures alii contra Caſtropal. & alios ſentientes contrarium. Et ratio eſt, quia quantum eſt ex parte Confeſſarii tunc *immediate poſt Confeſſionem*, ut loquitur Bulla, incipit Sollicitatio; Non enim requiritur, quod actio illa externa appareat mala immediate, quando Pœnitens accipit chartam, ſed ſufficit, quod deinde innoteſcat malitia illius actionis externæ Confeſſarii, ut ſit denunciandus; ſicut ſi immedate poſt Confeſſionem ſollicitaretur Pœnitens verbis ambiguis, & deinde adverteret, quod certo ea verba in ſenſu ſollicitatorio prolata fuerint, ſine ullo dubio talem Confeſſarium, uti vere ſollicitantem teneretur denunciare.

22 Item denunciandus eſt Confeſſarius, qui poſt auditam Confeſſionem adoleſcentis, quem novit fuiſſe pluries ſodomitice cognitum, immediate ipſum ducit ad proprium cubiculum, & ipſum ad turpia ſollicitat; Vel ipſi ſtatim poſt Confeſſionem dicit: Veni hodie ad meam domum, & tradam tibi Chirographum tuæ Confeſſionis & ipſum illuc perrectum, ad inhoneſta, & venerea ſollicitat. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſolut.* 11. & *tractat.* 5. *reſolut.* 77. Leander *de Sacrament. Pœnitent. tractat.* 5. *diſput.* 23. *quæſt.* 35. Souſa *lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 39. Roſignol. *l. cit. ſect.* 3. *num.* 16. Felix Poteſtas *loc. cit. num.* 507. & alii. Et ratio eſt, quia de tali Confeſſario verificatur, ut prætendit Bulla, quod ſollicitaverit *immediate poſt Confeſſionem*, cum hujuſmodi ſollicitationes ſint actiones continuatæ cum Confeſſione per ſignum externum per ſe ordinatum ad inhoneſta datum immediate poſt Confeſſionem.

23 Item denunciandus eſt Confeſſarius, qui feminam in Confeſſione cognitam adulteram, & poſt ipſam Confeſſionem pro aliquo notabili tempore in Eccleſia commoratam in receſſu ad ſuam domum ſollicitat; Vel ad ejus domum eadem die hac occaſione pergit, ibique eam ſollicitat. Sic defendunt Lezana *in Summa qq. Regular. cap.* 19. *num.* 34. Bordon. *in Manual. conſult. ſect.* 25. *num.* 38. Peyrinus, & Hurtadus apud Felicem Poteſtatem *loc. citat. num.* 503. qui licet cum Leandro, Diana, Caſtropal. & aliis ſequatur ſententiam contrariam, nempe non eſſe talem Confeſſarium denunciandum, tamen *ibidem num.* 504. *concludit*, quod noſtra ſententia affirmativa valde ſibi arrideat, ſi ſollicitatio contingat eodem die, & ex peccato carnis in Confeſſione audito, quia videtur facta occaſione Confeſſionis, qua cognovit Pœnitentem proclivem ad Venerem, & præſertim ſi ſit facta eodem die cum Hurtadus abſolute velit, quod peccatum carnis a Confeſſario cum Pœnitente commiſſum intra 24. horas poſt Confeſſionem ſit caſus denunciationis; Talis enim ſollicitatio facta eodem die cenſetur facta incontinenti, *argument. leg. Quod ait* 23. §. 4. *ff. Ad Legem Juliam, de adulteriis*, ubi dicitur, quod ſi Pater occidat filiam deprehenſam adulteram eodem die, interpoſitis horis, cenſeatur incontinenti occidiſſe, ibi: *Sed dum adulterum occidit, profugit filia, & interpoſitis horis, adprehenſa eſt a Patre, qui perſequebatur, incontinenti videbitur occidiſſe.* Et ſic tenet etiam Graff. *tom.* 1. *conſil. lib.* 4. *de cognat. ſpirit. conſil.* 1. *a num.* 37. & *de caſibus reſervatis lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 30. & alii. Quamvis tamen Roſignol. *l. citat. ſect.* 3. *num.* 16. & 18. Scortia *in Bull. Pontificum epiſt.* 77. *Theor.* 197. Leander, Diana, Caſtropal. & alii ſuſtineant oppoſitum.

24 Item denunciandus eſt Confeſſarius, qui vocatus hodie a muliere ad audiendam ejus Confeſſionem domi ſequenti die, illuc perrectus, eam poſtpoſita Confeſſione ſollicitavit. Bordon *in Manual. conſult. ſect.* 25. *num.* 38. Felix Poteſtas *l. cit. num.* 510. & alii: Et ratio eſt, quia ipſe vere ſollicitavit *occaſione Confeſſionis*, ut vult Bulla, cum occaſionem ſollicitandi acceperit a Confeſſione petita a perſona vere confiteri volente.

25 Item denunciandus eſt Confeſſarius, qui hodie mulierem



pro ſequenti die ad Confeſſionem invitat, & ipſam, antequam accedat ad Confeſſionarium, prævenit, & ſollicitat. Bordon. *l. citat. num.* 39. Felix Poteſtas *loc. cit. num.* 512. & alii. Et ratio eſt, quia in tali Confeſſario verificatur, quod dicit Bulla, nempe quod ſollicitet *prætextu Confeſſionis*; Dictio enim *ſub prætextu* idem ſignificat, quod ſub velamine, vel colore aliçujus rei, quæ non eſt, ſeu falſa eſt, vel jam deſinit eſſe, *leg. Sub prætextu* 19. *Cod. de tranſaction.* adeoque &c.

Item ſollicitatio fieri poteſt in pluribus & diverſis locis, 26
nempe vel in Confeſſionario, aut loco quocumque, ubi Confeſſiones Sacramentales audiuntur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo. *Communis* per expreſſa verba in toties citata Gregoriana Conſtitutione, ibi: *Sive extra occaſionem Confeſſionis, in Confeſſionario, aut loco quocumque, ubi Confeſſiones Sacramentales audiuntur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo.*

Unde Confeſſarius in Confeſſionario ſedens, ſi mulierem 27
ad ſe accedentem non ut confiteatur, ſed alicujus negotii cauſa ſollicitet, eſt denunciandus. Sic Diana *part.* 1. *tract.* 4. *reſolut.* 18. *part.* 4. *tract.* 5. *reſolut.* 38. Bordon. *in ſacro Tribun. cap* 23. *num.* 6. Roſignol. *l. cit. ſect.* 3. *num.* 12. & 13. Felix Poteſtas *l. cit. num.* 522. & 523. Eſcobar, Trullench apud Leandrum *de Sacram. Pœnit. tract.* 5. *diſput.* 23. *quæſt.* 30. et habetur expreſſe deciſum in decreto Pauli V. ut ſequitur.

*Feria V. die* 10. *Julii* 1614.

*In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico coram S. S. D. N. D. Paulo Divina providentia Papa V. &c. facta relatione, quod multi Confeſſarii tractant cum mulieribus in Confeſſionali extra occaſionem Confeſſionis de rebus inhoneſtis: S. S. decernit, ut contra hujuſmodi Confeſſarios procedatur in Sancto Officio.*

Nec valet objicere cum Leandro *l. citat. quæſt.* 30. & apud 28
ipſum Freita, Fagundez, Souſa, Caſtropalao, Lezana, Sanctio, Hurtado, Boſſio, Donato *tom.* 3. *tractat.* 13. *quæſt.* 53. & aliis, quod dictum Decretum Pauli V. fuit moderatum, ac reſtrictum a Gregorio XV. in citat. Conſtitut. *Univerſi Dominici Gregis* ad terminos ſimulationis Confeſſionis in Confeſſionario per illa verba: *Simulantes ibidem Confeſſiones audire, non referuntur ad ſollicitationem factam in Confeſſionario*; Non valet: inquam, quia illa verba: *Simulantes ibidem Confeſſiones audire*, non referuntur ad ſollicitationem factam in Confeſſionario, ſed in aliis locis, in quibus ex electione Confeſſarii quandoque audiuntur Confeſſiones; quæ loca ſecundum ſe ſunt indifferentia pro quocumque munere: In his enim requiritur ſimulatio Confeſſionis, ut fiat determinatio, quæ limitatio non videtur requiri quoad Confeſſionarium, cum hoc ex ſe ſit determinatum ad hoc munus.

Hinc denunciandus eſt Confeſſarius, qui in loco, ubi Con- 29
feſſiones audiuntur ſeu ad Confeſſionem audiendam electum, ſimulans ibidem Confeſſiones audire, mulierem ad inhoneſta, & venerea ſollicitat. *Communis* per verba expreſſa in toties repetita Gregoriana Conſtitutione, ibi: *Aut in loco quocumque, ubi Confeſſiones Sacramentales audiuntur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo ſimulantes ibidem Confeſſiones audire, ſollicitare, vel provocare tentaverint.* Confeſſarii ſollicitan- 30
tes Pœnitentes in Confeſſione, vel occaſione, ſeu prætextu Confeſſionis, tam in Confeſſionario, quam in loco quocumque, ubi Confeſſiones Sacramentales audiuntur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo non ad venerea, ſeu turpia in hoc genere, ſed ad alia peccata, non ſubjacent pœnis ſollicitantium, nec ut tales ſollicitantes ſunt denunciandi. Sic Roſignolus *loc. cit. ſect.* 2. *num.* 11. Peyrinus *tom.* 2. *privileg. Minimorum in Conſtitution. IV. Gregorii XV. num.* 7. Lezana *in Summa qq. Regularium tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 34. Sanctarell. *in tractat. de Hæreſi* 44. *num.* 19. Bonacina *de onere, & obligat. denunciat.* 6. *punct.* 3. *num.* 13. Venerus *de examin. Epiſcopor. lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 18. Sanctius *in Selectis diſput.* 11. *num.* 23. & alii. Et ratio eſt, quia dicta Gregoriana Conſtitutio, ſicuti, & aliæ præciſe loquuntur de ſollicitantibus, ſeu provocantibus, & incitantibus ad venerea, & inhoneſta; unde extra illa non eſt facienda extenſio per citata Jura *ſupra n.* 5. & 7.

Item denunciandi non ſunt ex vi dictarum Conſtitutionum 31
Pontificiarum Confeſſarii, qui Pœnitentes ſollicitant, non in Confeſſione Sacramentali, ſed in aliis Sacramentis, nempe in miniſtratione Baptiſmi, Euchariſtiæ &c. Sic Roſignolus *l. citat. ſect.* 2. *numer.* 9. Diana *part.* 4. *tractat.* 15. *reſolut.* 16. Rodericus Acugna *tractat. de Confeſſar. ſollicit. quæſt.* 16. *num.* 4.

*num.*4. Sanctarell. *loco citat. cap.*46. *num.*5. Bonacina *loco citat. num.* 14. Sanctius *loc. citat. num.* 42. Lezana *in Summa qq. Regular. tom.*1. *cap.*19. *num.*34. & alii. Et ratio eſt eadem, quæ adducta eſt *num. antecedenti*, quia dictæ Pontificiæ Conſtitutiones loquuntur præciſe de ſollicitantibus in Confeſſione, non autem in adminiſtratione aliorum Sacramentorum, adeoque non eſt facienda extenſio per citata Jura *ſupra n.*5. *&* 7.

32 Item propter eamdem rationem Roſignol. *loc. citat. ſect.*1. *num.*14. Lezana *loco citat. num.* 34. Peyrin. *loc. citat. num.* 9. *&* 10. Bonacina *loc. citat. num.* 17. Sanctarell. *loc. cit. cap.* 45. *num.*2. Sanctius *loc. citat. num.* 25. Homobonus *de examin. Eccleſ. tom.* 2. *tractat.* 11. *cap.* 12. *quæſt.* 26. Donatus *tom.*3. *tract.* 13. *quæſt.*53. Thomas Hurtadus, Portell. Caſtropal. Freita, Boſſius, Delbene, & alii citati licet non ſecuti a Felice Poteſtat. *loco citat. num.* 579. defendunt, quod Confeſſarius feminæ ſollicitanti conſentiens non ſit denunciandus, quia Bulla loquitur ſolum de Confeſſariis ſollicitantibus, qualis non eſt iſte. Nec conſenſus per ipſum præſtitus feminæ ſollicitanti conſtituit illum reum ſollicitationis activæ, ſed reum paſſivæ culpabilis; pœnæ autem inflictæ contra ſollicitantem activum, non extenduntur ad paſſivum, *argument. in citatis Juribus ſupra nu.*5. *&* 7. (a) Diana autem *part.* 4. *tractat.* 5. *reſolut.* 4. *&* 42. Leander *tract.* 5 *de Poenitentia diſput.* 13. *quæſt.* 43. Felix Poteſtas *loco citat. num.* 579. Fagundez, & alii tenent, talem Confeſſarium eſſe denunciandum, quia licet de ipſo non verificetur, quod ſit ſollicitans, ſed ſollicitatus, verificatur tamen de ipſo, quod cum Pœnitente habeat illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſeu tractatus prætextu, ſeu occaſione Confeſſionis, quod ſufficit pro debito ipſum denunciandi ex præciſis verbis dictæ Gregorianæ Conſtitutionis, ibi: *Aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones ſive tractatus habuerint*. At vero primæ negativæ ſententiæ Pa-
33 troni inter alias reſponſiones dicunt, talia verba, ſeu tales tractatus intelligenda, ſeu intelligendos eſſe, quando ortum habuerunt ab ipſo Confeſſario, quod colligitur ex contextu verborum, nam Bulla dicit denunciandos eſſe illos Confeſſarios, qui *Poenitentes ſollicitare, aut provocare tentaverint, aut cum eis*, hoc eſt Pœnitentibus, *illicitos, aut inhoneſtos ſermones, ſeu tractatus habuerint*. Ly autem *Cum eis*, cum ſit ſermo continuatus, habet connexionem cum præcedentibus, quæ indicant tentamentum factum a Confeſſario, & propterea important ſermonem, ſeu tractatum inductum in origine ab eodem Confeſſario, quod non verificatur in hoc caſu, cum talis illicitus, aut inhoneſtus ſermo, ſeu tractatus inductus ſit in origine a Pœnitente ſollicitante, & non a Confeſſario ſollicitato.

Pœnitentes tenentur ſub mortali denunciare Confeſſarium
34 ſui ſollicitatorem Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis; Et de tali obligatione tenentur etiam ſub mortali eos monere Confeſſarii, qui eos fuiſſe ab aliis ſollicitatos cognoverint; Agitur enim de re graviſſima, & de execrabili & nefando abuſu Sacramenti, & id ſub poſitivo, & gravi præcepto expreſſe mandatur a Pontifice in dicta Conſtitutione §. 7. ibi; *Mandantes omnibus Confeſſariis, ut ſuos Poenitentes, quos noverint fuiſſe ab illis, ut ſupra, ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeu ut præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeu Locorum Ordinariis*.

Denunciare Confeſſarium ſollicitantem tenentur non ſolum
35 Pœnitentes ſollicitati, ſed etiam omnes illi, qui certo ſciunt ſollicitationem, quatenus nempe quis propriis oculis vidit, aut propriis auribus eam audivit, ſeu ex proprio ore Confeſſarii ſollicitantis, aut Pœnitentis ſollicitati, qui ſit fide dignus, & bonæ famæ, immediate audivit, & bene intellexit. Diana *part.* 1. *tractat.* 4. *reſolut.* 24. *& part.* 9. *tractat.* 8. *reſolut.* 46. Freitas *in addit. ad tractat. de Confeſſ. ſollicit. qu.* 21. *num.* 26. Fagundez *part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 21. Roſignol *loc. cit. ſect.* 2. *num.* 13. Tancred. *tom.* 4. *tractat.* 1. *de Poenitent. quæſt.* 23. Felix Poteſtas *loc. cit. num.* 590. & alii paſſim.

36 Si autem tales non bene recordentur verborum, vel non recordentur a quibus audierint, vel audierint a perſonis levibus, & non fide dignis, non teneri ad denunciandum docent Bordonus *loc. cit. num.* 94. Tancred. *tom.* 4. *tractat.* 1. *de Poenitent. quæſt.* 23. Leander *loc. cit. quæſt.* 57. cum Trullench, Rodriq. Portell. Cordub. Navarro, & Hurtado ibi citatis, & alii plures, quia dicunt in dubio ſollicitationis non eſt onus denunciandi, cum in dubiis ex una parte quiſque ſuam poſſideat libertatem, meliorque ſit conditio poſſidentis, *cap. Ad aures* 6. *de præſcriptionibus*, *cap. Quod autem*, 5. *de Jurepatronat. cap. In pari* 65. *ff. de Regulis Juris leg. Nemo* 126. §. 2. *ff. de Regulis Juris*, *& leg. In pari* 128. *ff. eodem*. Et ex alia parte favendum ſit Reo, *argument. cap. Sunt, de Regulis Juris in* 6. & promptiora ſint Jura ad abſolvendum, quam ad condemnandum, *cap. Ex litteris* 3. *de probationibus*, cum ſimilibus: Tunc quia dubia in meliorem, & benigniorem partem ſunt interpretanda, *leg. Ea quæ* 192. *ff. de Regul. Juris*, ibi: *In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus juſtius eſt, quam tutius*. Et concordat *lex Semper* 56. *ff. eod.* ibi: *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt*, & *leg. Si fuerit* 10. *ff. de rebus*, ibi: *In ambiguis rebus humaniorem ſententiam ſequi oportet*, *& cap. In obſcuris* 30. *de Regulis Juris in* 6. ibi: *In obſcuris minimum eſt ſequendum*, cum ſimilibus. Diana tamen *part.* 4. *tract.* 5. *reſol.* 28. Felix Poteſtas *loc. cit. n.* 592. Spatharius, & alii tenent contrarium.

Moniales, & Mulieres nobiles ſollicitatæ a Confeſſariis te- 37
nentur eos denunciare, quamvis id facere valde vereantur, & aſſignatur aptior modus id faciendi ex decreto relato *ſupra num.* 10.

Confeſſarius ſollicitans non tenetur denunciare ſe ipſum, 38
nec monere Pœnitentem, ut ipſum denunciet. Diana *part.* 1. *tractat.* 4. *reſolut.* 8. Reiffenſtuel *Theolog. moral. tractat.* 14. *diſtinct.* 8. *quæſt.* 5. *num.* 65. cum aliis ibi citatis, Leander *loco citat. quæſt.* 42. Felix Poteſtas *loc. citat. num.* 493. & alii paſſim. De Jure enim naturæ nemo tenetur prodere ſe ipſum; *cap. Quis aliquando* 87. *de Pœnitent. diſt.* 1. Et clare patet ex verbis dictæ Conſtitutionis Gregorianæ; ibi: *Ut ſuos Poenitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis ſollicitatos &c.* ubi nota, quod Bulla dicit *ab aliis*, non autem a ſe ipſo ſollicitatos.

Nec Pater, Mater, Filius, Frater, Soror tenentur ipſum 39
denunciare; *leg. Quarta* §. 4. *ff. de teſtibus relat. in cap. Si teſtes* 3. *cauſ.* 4. *quæſt.* 2. *&* 3. Diana *part.* 1. *tractat.* 4. *reſolut.* 6. Tancred. *tom.* 4. *tractat.* 1. *quæſt.* 23. Felix Poteſt. *l. c. n.* 599. *vers. Pariter*, & alii.

Nec denunciare tenetur Pœnitens, ſi exinde prudenter, & 40
probabiliter timeat grave, & ingens malum ſibi, aut ſuis conjunctiſſimis, nempe Patri, Matri, Marito, Filiis, aut Fratribus; Præcepta enim humana non obligant cum tam gravi ſui, ſuorumque conjunctiſſimorum nocumento; Leander *loc. cit. q.* 44. Lezana *tom.* 1. *qq. Regul. cap.* 19. *num.* 34. Roderic. Acugna *tractat. de Confeſſorum ſollic. quæſt.* 19. Felix Poteſtas *loc. cit. num.* 495. *&* 599. Peyrin. & alii plures. Roſignol. tamen *loc. citat. ſect.* 2. *num.* 6. Bonacina *de onere, & obligat. denunc. diſput.* 6. *punct.* 2. *num.* 11. *in reſponſ. ad* 2. *ad object.* 2. & alii defendunt oppoſitum.

Denunciatio Confeſſarii ſollicitantis facienda eſt Epiſcopis, 41
vel Inquiſitoribus. *Communis*, per verba expreſſa toties repetitæ Conſtitutionis, ibi: *Moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeu, ut præfertur, tractantes, Inquiſitionibus, ſeu Locorum Ordinariis*.

Epiſcopi ſollicitantes non ſunt denunciandi inquiſitoribus, 42
ſed Sedi Apoſtolicæ; Epiſcopi enim etiam in cauſa Hæreſis non ſubduntur Inquiſitoribus, *cap. Inquiſitores* 16. *de Hæreticis in* 6. & Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 24. *de Reformat. cap.* 5. Et ſic tenent Leander *tractat.* 5. *de Poenitent. diſput.* 13. *qu.* 50. Thom. Hurtad. Caſtropal. Fagund., & alii apud ipſum, Felix Poteſtas *loc. citat. num.* 621. pluresque alii. Roſignol. autem *loc. citat. artic.* 21. *num.* 10. *& ſequent.* cum aliis ibi citatis dicit, quod Epiſcopi ſollicitantes denunciandi ſint Inquiſitoribus, qui tamen nequeunt contra illos procedere, nec teſtes aſſumere, ſed tenentur rem ad Summum Pontificem deferre.

Inquiſitores ſollicitantes, ubi ſunt veri Delegati Sedis Apo- 43
ſtolicæ, & ejus Officiales, ſunt denunciandi ipſi Sedi Apoſtolicæ; Ubi vero ſunt ſolum ſubdelegati, & Commiſſarii Inquiſitoris Generalis, ſunt denunciandi ipſi Inquiſitori Generali; *Sic in re Communis*.

Generales Ordinum Regularium ſollicitantes denunciandi 44
ſunt Inquiſitoribus, vel Epiſcopis; *Communis*, per verba expreſſa citat. Bullæ Gregorii, ibi; *Regulares cujuſcumque Dignitatis, & Præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti exiſtant*.

Denunciatione autem accepta non poſſe ulterius Inquiſito- 45
res

(a) Nota. Sententia eximens ab onere denunciationis nullo modo tenenda eſt, ut Conſtitutiones Pontificias conſideranti manifeſtum ſit.



res contra dictos Generales procedere, ſed debere rem totam deferre ad Sedem Apoſtolicam docent Bordon. *in Sacro Tribunal. cap.* 27. *num.* 27. & uterque Rodriq. Pegna, & Navarr. relati a Diana *part.* 4. *tract.* 8. *reſolut.* 23. & etiam alii plures per text. *in citat. cap. Inquiſitores* 16. *de Hæreticis in* 6. ibi: *Si tamen Inquiſitores ipſi Epiſcopos, vel alios Superiores Prelatos ſciverint, vel invenerint circa crimen Hæreſeos commiſiſſe, aut eos de hoc diffamatos exiſtere vel ſuſpectos, id tenebuntur Sedi Apoſtolicæ denunciare*. Diana tamen *loc. citat.* Felix Poteſtas *loco citato num.* 626. Freitas, & alii volunt etiam puniendos eſſe Generales in Officio Sanctiſſimæ Inquiſitionis per clara, & generalia verba; Omnes Regulares cujuſcumque Dignitatis, & Præeminentiæ, aut quovis privilegio munitos comprehendentia, & ſtatuentia in Officio Sanctiſſimæ Inquiſitionis ſeveriſſime eſſe puniendos, ibi; *In Officio SS. Inquiſitionis ſeveriſſime, ut infra, puniantur*.

46 Obligati ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes, ſi abſque legitima cauſa, & vero impedimento negligant ipſos intra præfixum tempus denunciare, ultra peccatum mortale incurrunt etiam Excommunicationem latæ ſententiæ ex Decreto Supremæ Univerſalis Romanæ Inquiſitionis *die* 3. *Januarii* 1623. relato a Diana *part.* 4. *tractat.* 5. *reſolut.* 41. in quo præcipitur ſub Excommunicatione majori latæ ſententiæ denunciandos eſſe Hæreticos, aut de Hæreſi ſuſpectos, intra duodecim dies a notitia delicti, Inquiſitoribus, vel Locorum Ordinariis, quod Decretum eſſe perpetuum aſſerit Diana *loco citat.* contra Bordon. *in Tribunal. Fidei c.* 30. *n.* 2.

47 Nec obſtat, quod Confeſſarius credatur jam emendatus, vel elapſum ſit jam multum tempus a facta ſolicitatione, quia adhuc urget præceptum, & obligatio denunciationis. Catena *de Sancto Officio p.* 2. *de Confeſſor. ſollic. tit.* 6. §. 20. *n.* 128. *& ſeq.* Caſtrop. *in ſuo opere moral.* §. 19. *n.* 1. Bonacina *diſp.* 6. *punct.* 3. *n.* 9. *verſ. Hæc limitatio*; Diana *part.* 4. *tract.* 5. *reſol.* 23. cum Bonacina, Suarez, & aliis ibi citatis, Delbene *p.* 1. *d.* 18. *& p.* 2. *d.* 237. *ſect.* 13. *p.* 1. cum pluribus alii ibi allegatis, Felix Poteſtas *l. c. n.* 606. Roſignol. *l. c. ſect.* 3. *n.* 23. & alii plures. Et ratio eſt, quia hoc onus denunciationis non ſolum inductum eſt ad finem emendationis, ſed etiam ad finem exemplaris punitionis, ut alii deterreantur ab hoc execrabili, & nefando crimine perpetrando; qui finis adhuc viget etiam ſuppoſita emendatione Confeſſarii ſollicitantis, adeoque &c.

48 Leander autem *tract.* 5. *de Pœnitent. diſp.* 13. *q.* 7. & apud ipſum & Sotus, Molfeſius, Naldus, Acugna, Freitas, Portell. Peyrin. Souſa, Lezana, Caſtrop. S. Antoninus, & alii defendunt oppoſitum, (a) quia dicunt finis denunciationis eſt emendatio proximi; Unde hac habita, ceſſat obligatio denunciationis, quia ceſſat ejus finis, cum ceſſante ratione, & cauſa Legis, vel obligationis, ceſſet ipſa Lex, ſeu obligatio; *l. Adigere* 6. §. 2. *ff. de Jurepatr. Cap. Cum ceſſante* 60. *de appellat.* Ratio enim Legis, *l. Cum ratio* 7. *ff. de bonis damnator.* At iſti hodie non ſunt amplius audiendi ex Conſt. *Sacramentum Pœnitentiæ* Benedicti XIV. ubi ſub §. 2. obligat ad denunciationem, et ſi longum tempus poſt ipſam ſollicitationem jam effluxerit.

49 Terminus pro denunciatione facienda pendet ab Edictis Inquiſitorum; Licet enim onus denunciationis directe oriatur ex lege Pontificia, executive tamen pendet ex Edictis Inquiſitorum, qui ſub pœna Excommunicationis compellunt intra determinatum tempus ad executionem, & obſervantiam talis oneris. Carena *p.* 2. *de Confeſſ. ſollic. tit.* 6. §. 21. *n.* 120. Sanctarellus *de Hæreſi Cap.* 46. *n.* 10. Bonacina *de onere, & obligatione denunciat. diſp.* 1. *punct.* 3. *n.* 10. Bellochius *de caſibus reſerv. p. q.* 9. *n.* 205. Roſignol. *l. c. ſect.* 4. *n.* 3. Felix Poteſtas *l. c. n.* 631. Leander *l. c. q.* 53. ubi teſtatur, quod
50 in Edicto Inquiſit. Hiſpan. ſolent aſſignari ſex, aut ſeptem dies pro termino ad denunciandos Confeſſarios ſollicitantes; qui terminus ſolet aſſignari etiam in Edicto Inquiſit. Siciliæ, ut refert Felix Poteſt. *l. c. n.* 634. Unde quatenus Decretum Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis Romanæ *die* 3. *Januarii* 1623. relat. *ſupra n.* 45. aſſignans pro termino 12. dies non ſit perpetuum, ut contendit Bordonus, & alii, ſtandum eſt termino præfixo a reſpectivis Inquiſitoribus cum hac advertentia, quod dies termini non computantur in termino; *leg. Vicinia millia* 1. *ff. Si quis cautionibus*, *Cap. Frequens* 1. cum concordant, de quibus ibi per Gloſſam in verb. *Proponitur*, *de reſtit. ſpol. in* 6. Diana *p.* 4. *tract.* 5. *reſol.* 41. Felix Poteſtas *l. c. n.* 632. & alii.

Pœnitens ſollicitatus, qui ob non factam denunciationem 51
intra debitum terminum incurrit Excommunicationem, quamvis accedat ad Confeſſarium, & promittat ſe ſtatim denunciaturum, non poteſt ab ipſo abſolvi virtute Bullæ Cruciatæ, nec vigore privilegiorum Regularium, ſi ipſe Confeſſarius ſit Regularis; Nam non poteſt quis abſolvi a peccatis, niſi prius abſolvatur a Cenſuris. A Cenſuris autem non poteſt quis abſolvi per Bullam Cruciatæ, & Privilegiatus, niſi ſatisfacta parte; adeoque talis Pœnitens, non obſtante dicta promiſſione, non poteſt abſolvi, niſi prius denunciet. Diana *p.* 4. *tract.* 5. *reſol.* 35. Felix Poteſt. *l. c. n.* 640. & alii contra alios.

Pœnitens ſollicitatus, qui ob omiſſam denunciationem in- 52
cidit in Excommunicationem, facta poſtea denunciatione, poteſt quidem abſolvi virtute Bullæ Cruciatæ, aut a Regularibus virtute ſuorum privilegiorum; At non a ſimplici Confeſſario. Bordon. *in Tribunal. Fidei cap.* 30. *n.* 19. Felix Poteſtas *l. c. n.* 641. Diana *l. c. reſol.* 29. & alii; Et ratio primæ partis eſt, quia Confeſſarii virtute Bullæ Cruciatæ, & Regulares virtute ſuorum privilegiorum poſſunt ſatisfacta parte, abſolvere ab omnibus reſervatis Summo Pontifici, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, & aliis Clementinis, ut patet ſub verb. *Abſolutio*, verb. *Confeſſarius*, & verb. *Reſervatio Caſuum*. Ratio autem ſecundæ partis eſt, quia talis Excommunicatio eſt reſervata Pontifici, & Inquiſitoribus, ut patet ex eorum Edictis, & ex Decreto die 3. *Januar.* 1623. relat. *ſupra n.* 45. adeoque non poteſt abſolvi a ſimplici Confeſſario non habente ad id privilegium.

Sic Pœnitens ſollicitatus, qui infra debitum terminum non 53
denunciavit, quamvis poſtea extinguatur onus denunciationis, ex quo mortuus ſit confeſſarius denunciandus, aut ex alio capite, non poteſt abſolvi a quolibet ſimplici Confeſſario, ſed ſolum a ſupradictis Privilegiatis propter rationem adductam. Leander *tract.* 5. *de Pœnitentia diſp.* 13. *q.* 59. Felix Poteſtas *l. c. n.* 642. Diana *l. c. reſol.* 29. recte advertens inſuper, quod tam in hoc, quam in ceteris caſibus Inquiſitionis illi, qui denunciare neglexerunt, quando poſtea denunciant, & ſic parti ſatisfaciunt, poſſint a Confeſſariis Regularibus, & ab aliis virtute Bullæ Cruciatæ abſolvi abſque ullo onere ſe præſentandi Inquiſitoribus.

Confeſſarius ſollicitans poteſt a quolibet ſimplici Confeſ- 54
ſario abſolvi, quia ſollicitatio nullo Jure eſt reſervata; Niſi tamen reſervata ſit in aliqua Diœceſi, ut in Neapolitana, & aliis. Felix Poteſt. *l. c. n.* 601. & alii paſſim.

Regulariter loquendo Confeſſarii non debent abſolvere Pœ- 55
nitentes ſollicitatos, niſi prius ſollicitantes denuncient Inquiſitoribus, vel Epiſcopis. Avila *de Cenſuris p.* 2. *cap.* 7. *dub.* 7. *in fine*. Roſignol. *l. c. ſect.* 4. *n.* 4. Diana *p.* 1. *tract.* 4. *reſol.* 27. Felix Poteſtas *l. c. n.* 638. & alii; Tales enim Pœnitentes una ſemel quod ſunt abſoluti, non curant amplius denunciare.

Dicitur autem notanter: *Regulariter loquendo*, quia in ali- 56
quibus caſibus expedit, quod Confeſſarii ipſos abſolvant ante factam denunciationem, & ſignanter ſi urgeat neceſſitas Communionis, aut aliqua adſit juſta cauſa, ob quam prudentes Confeſſarii judicent denunciationem eſſe differendam, & Pœnitentes ſint timoratæ Conſcientiæ, & ſerio promittant quamprimum denunciare. Sic Zanardus *in Direct. Theol. p.* 2. *præcept.* 2. *cap.* 11. *in fine*. Roſignol. *l. c. n.* 5. Felix Poteſtas *l. c. n.* 639. Diana *p.* 1. *tract.* 4. *reſol.* 27. cum aliis ibi citatis. Et idem docent in ſimilibus caſibus Emanuel Rodriquez, *in Summa tom.* 2. *cap.* 34. *num.* 6. Sanctarell. *de Hæreſi cap.* 9. *dub. unic. n.* 11. *in fin.* Peyrinus *in privileg. Minim. tom.* 1. *Conſt.* 5. *Gregor. XV.* §. 9. *n.* 23. & alii.

Immo cautiſſime procedere debent Confeſſarii circa impo- 57
nendam Pœnitentibus obligationem denunciandi, antequam eos abſolvant, ut recte monent Lezana *in Summa qq. Regul. cap.* 19. *num.* 34. Peyrin. *l. c. a n.* 26. & alii paſſim, ipſos Confeſſarios ſerio monente, ut antequam Pœnitentes obligent ad denunciandos Confeſſarios, diligentiſſime attendant qualitates, & conditiones, cum Pœnitentium, tum Confeſſariorum, & mature examinent naturam & ſenſum verborum, & ſignifica-



(a) Nota. Prima ſententia eſt, poſterior vero falſa. Vide *Antoine*,

ficatum ſignorum, nutuum, tractuum, & hujuſmodi prætenſæ ſollicitationis, & ubi ex ipſis non appareat certa ſollicitatio, ſeu de ſe cognoſcere nequeant, an vera in his interceſſerit ſollicitatio denuncianda; remittant ad alios Confeſſarios in his materiis inſtructiores, & expertiores; Cum non ſemel a non ſatis inſtructis Confeſſariis immerito fuerint obligati Pœnitentes ad denunciandos innocentes Confeſſarios cum maximo detrimento ſuæ famæ, et graviſſima ſua injuſta afflictione, & pœna. Eo vel maxime quod, ut docent Bordonus *l.c. n.*582. & alii, in dubio ſollicitationis non ſit onus denunciandi. Vide *ſupra n.*135.

58 In caſu vero, quo reperiatur, atque certo percipiatur interveniſſe veram ſollicitationem, nec poſſit Pœnitens induci ad perſonaliter denunciandum, ut ſæpe accidit in verecundis nobilibus mulieribus, & ordinarie in Monialibus ratione etiam clauſuræ, ſervanda eſt expediens praxis juxta Decretum Sacræ Congregationis ſupremæ, & univerſalis Inquiſitionis allat. *ſupra n.*10. Quod ſi neque ad id poſſit talis verecunda Pœnitens flecti, voluit Pontifex Urbanus VIII. de cujus mandato editum fuit dictum Decretum, quod ad S. Sedem recurratur pro opportuno remedio; & interim non abſolvatur talis Pœnitens, utpote indiſpoſita. Sic ex Carena §.10. refert Viva *ad propoſ.*7. *Alexandri VII. num.*7. ubi ſubjungit, quod in caſu non abſimili adivit ipſe per Epiſtolam Innocentium XI. qui benigne dignatus fuit facultatem ei tribuere abſolvendi pro ea vice Pœnitentem citra onus denunciandi, quod fatebatur ſubire non poſſe panici cujuſdam timoris prætextu.

59 Non eſt autem ſufficiens modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis, ſi Pœnitens ſollicitatus confiteatur cum Confeſſario ſollicitante ſub prætextu, quod hic poſſit ipſum abſolvere abſque onere denunciandi. *Communis ac certa*, per expreſſe damnatam propoſitionem 7. in ordine ab Alexandro VII. die 7. Septembris 1665. ibi: *Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi.*

60 Quamvis enim Confeſſarius deſinat Pœnitentem monere de obligatione ipſum denunciandi, ad quod non teneri conſtat ex dictis *ſupra num.*37. adhuc tamen non ceſſat in Pœnitente obligatio ipſum, ſeu alium Confeſſarium ſollicitantem denunciandi, ſi aliunde ſciat ſe ad id lege Pontificia obligari; Sicuti non ceſſat onus reſtitutionis in Pœnitente, ex quo Confeſſarius deſinat ipſum monere de tali obligatione, ſi aliunde eam ſciat, nec invincibiliter ipſam ignoret, ut recte docet Viva *ad dictam propoſitionem* 7. *Alexandri VII. n.* 3. & alii paſſim.

61 Confeſſarii autem, qui culpabiliter, & malitioſe non monent Pœnitentes ab aliis ſollicitatos de obligatione eos denunciandi, ſeu docent ad id non teneri, denunciandi ſunt Epiſcopis, vel Inquiſitoribus, qui poſſunt, & debent illos punire pro modo culpæ, Diana *p.*7. *tract.*7. *reſol.*7. Roſignol. *l.c. ſect.*4. *n.* 7. & alii paſſim per clara verba cit. Conſt. Gregorianæ, ibi: *Quod ſi hoc Officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, ut ſupra, iidem Locorum Ordinarii, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant.*

62 Confeſſarii autem ipſi vere ſollicitantes graviſſimis pœnis pro qualitate delicti puniri mandantur, ut expreſſe patet in dicta Gregoriana Conſtitutione §.4. ibi: *Et quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis, ſuſpenſionis ab exercitio Ordinis, privationis Beneficiorum, & Officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, & paſſivæ, ſi Regulares fuerint, exilii, damnationis ad Triremes, & carceris etiam in perpetuum abſque ulla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernent eos quoque, ſi pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ Sæculari puniendos tradant.*

63 Contra Confeſſarios ſollicitantes æque procedere poſſunt Epiſcopi, & Inquiſitores, ſive unitim, ſive ſeparatim; Sic expreſſe Gregorius XV. in dicta Conſtitutione incipiente *Univerſi Dominici gregis* §.4. ibi: *Omnes hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & Locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum univerſi Orbis Chriſtiani in ſuis quemque Diœceſibus, & territoriis per has noſtras Litteras, etiam privative quo ad alios omnes ſpecialiter, ac perpetuo Judices delegamus, ut ſupra his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus prout in cauſis Fidei &c.*

64 Ad probandum enorme delictum ſollicitationis admittuntur etiam teſtes ſingulares, concurrentibus tamen præſumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis ſimul comprobantibus. Sic expreſſe Gregorius XV. in cit. Conſt. §. 5. ibi: *Dantes etiam facultatem Venerab. Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus Generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam pernicioſum ob probationum defectum impunitum remaneat, cum difficilis ſit probationis, teſtibus etiam ſingularibus, concurrentibus, præſumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis delictum probatum eſſe arbitrio ſuo judicandi, & Curiæ Sæculari, uti præfertur, Reum tradendum eſſe pronunciandi.*

65 Una tamen femina, quantumvis honeſta, non facit ſufficientem probationem ad capturam, & torturam, etiamſi concurrant alia indicia, nam tunc eſt conſulenda Sacra Congregatio. Sic expreſſe reſcripſit eadem Sacra Supremæ, & univerſalis Inquiſitionis Congregatio Vicario Generali Salernitano *die* 17. *Jul.* 1627. ut refert Pignatel. *tom.*1. *conſult.*104. *poſt num.*14. *circa medium*, his verbis: *Al Molto Rev. Signore il Signor Vicario Generale di Salerno. Acciocchè più fondatamente ſi proceda contro i ſollecitanti in Confeſſione. Queſta ſuprema Congregazione ordina, che per il detto d'una ſola Donna non venga a coſtituire il preteſo Reo ſenza prima di darne qui avviſo con relazione della qualità della Donna, del Denonciante e del Denonciato, e allora ſi ſcriverà a V. S. ſe debba, o nò procedere a coſtituirlo, e carcerarlo. Sarà anche V.S. contenta di ſignificare queſto medeſimo ordine a' Veſcovi ſuoi Comprovinciali, acciocchè ancora da eſſi ſia eſeguito, e il Signor Iddio le conceda ogni bene. Di Roma ai* 17. *di Luglio del* 1627. *Il Cardinal Millino.* Sic apud Pignatell. *l.c.* ubi inſuper tradit inſtructionem pro Muliere verecunda perſonaliter denunciare recuſante, & multa refert, & docet ad rem per totam dictam conſultationem 104. merito legendam.

66 Circa ſollicitationem attendenda eſt nunc noviſſima diſpoſitio Benedicti XIV. felicis record. incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, in qua confirmat, ampliat, & extendit ſupra allatam Conſtitutionem Gregorii XV. & reſervat Papæ pro tempore abſolutionem eorum, qui falſo ſacerdotes de ſollicitatione accuſant, aut procurant, ut ab aliis falſo accuſentur.

### *Additio ex Auctore.*

67 Sollicitantes ad turpia occaſione Confeſſionis Sacramentalis, ultra alias pœnas perpetuas etiam inhabilitatem ad celebrationem Miſſæ incurrunt; ex decreto S. univerſalis Inquiſitionis de mandato Benedicti XIV. edito *die* 5. *Auguſti* 1745. ut in ejus Bullario *tom.*1. *in append. n.*8, *pag.*46. Alia vide *verb. Confeſſarius art.*4. *a n.*12. ubi plura ad rem.

68 * Sollicitatus nulla lege prohibetur, quominus ante denunciationem ſollicitantis, illum occulte admoneat, ut ſibi provideat, ſponte ſe offerendo Tribunali. Tenetur tamen etſi admonitus compareat, & ſit ex correptione emendatus, illum denunciare, ut ex propoſitionibus ab Alexandro VII. damnatis eruitur. *De Synod. Diœc. lib.*6. *cap.*11. §.9. & 10. *nov. edit.*

69 Præceptum denunciandi Confeſſarios ſollicitantes ad turpia, & pœnæ aliæ huic ſollicitationi indictæ non extenduntur ad alia crimina a re venerea diverſa, *ibid.* §.14.

## SOLUTIO.

1 Solutio proprie ſumpta eſt idonea, ac ſufficiens debiti præſtatio, ſeu ſatisfactio tempore, & loco convenienti legitime facta. *Sic in re Communis.*

2 Ad ſolutionem tenetur quicumque eſt debitor, ſeu obligatus; Debitum enim ſeu obligatio non tollitur, niſi ſolutione, & ſatisfactione. *Inſtit. Quibus modis tollitur obligatio, in principio* ibi: *Tollitur autem omnis obligatio ſolutione ejus, quod debetur.*

3 Debitor, qui ſolvendo amplius non eſt, ſi ſit Laicus, debet credere bonis, ac permittere, ut bona ejus ſubhaſtentur, ut ex eis Creditores, ſervato Juris ordine, percipiant quantum cuique eorum debetur, quandiu aliquid adeſt; *l. Qui bonis ceſſerint* 1. *Cod. Qui bonis cedere poſſunt*, cum ſimilibus.

4 Quis autem Juris ordo ſervandus ſit pro ſolvendis ipſis Creditoribus, cum non ſufficiunt debitoris bona ad cuncta ſolvenda debita? Vide verb. *Reſtitutio art.* 4. *a numer.* 29. *ad* 73.

Quo-



5 Quomodo vero per ceſſionem bonorum liberetur debitor ab onere ſolutionis faciendæ, & quæ de ipſo in facti contingentia concludenda occurrant? Vide verb. *Reſtitutio art.*5. *a n.*49. *ad* 59.

6 Si Debitor, qui ſolvendo non eſt, ſit Clericus non tenetur cedere bonis, nec excommunicari, incarcerari, aut aliter moleſtari poteſt, ſi vere inops ſit, & ad inopiam ſine ſua culpa devenerit, & juratam cautionem præſtet de ſolvendo, cum ad pinguiorem fortunam venerit. *Communis*, per textum *In cap. Odoardus* 3. *de ſolutionibus*, juncto ejus Summario, ſic expreſſe habente: „ Si Clericus non habeat, unde „ ſatisfaciat ſuis creditoribus, non debet excommunicari, „ nec aliter moleſtari, præſtabit tamen cautionem ſaltem ju„ ratoriam de ſolvendo, cum venerit ad pinguiorem fortu„ nam „. Aſſignantur tamen quo ad hoc a Doctoribus variæ limitationes videndæ apud Barboſam *in d. c. Odoardus a n.*6. & alios Canoniſtas *ibid.*

7 Qui rerum ſuarum liberam adminiſtrationem non habent, uti ſunt Pupilli habentes Tutorem, Minores, Furioſi, & Prodigi habentes Curatorem, ſine auctoritate Tutorum, & reſpective Curatorum valide ſolvere non poſſunt. *Communis*, textu expreſſo *in l. Quod ſi* 14. §.8. *ff. de ſolutionibus*, & §. *Nunc admonendi* 2. *in fine* 5. *Inſtit. Quibus alienare licet, vel non.*

8 Procurator, tam ſpecialis, quam univerſalis poteſt valide ſolvere pro Debitore, cujus eſt Procurator. *Communis*, textu expreſſo *in l. Procurator* 58. & *l. Sed & id* 59. *ff. de Procuratoribus, l. Quodlibet* 87. *ff. de ſolutionibus.*

9 Immo etiam quivis alius pro debitore etiam invito, ac ignorante ſolvere, ac ſatisfacere, eumque a debito liberare poteſt. *Communis*, text. expreſſe *in l. Solutionem* 23. & *leg. Solvere* 53. *ff. de ſolutionibus*, ibi: „ Solvere pro ignorante, „ & invito cuique licet, *addita* ibidem *ratione*: Cum ſit Ju„ re Civili conſtitutum licere etiam ignorantis, invitique me„ liorem conditionem facere „. Et concordat *l. Solvendo* 39. *ff. de negotiis geſtis*, ubi redditur eadem ratio.

10 Eſt tamen hic advertendum, quod ſolvens pro alio ſciente, & volente, habet contra illum actionem mandati, *arg. l. Si remunerandi* 6. §.2. *ff. Mandati.* Solvens autem pro alio ignorante habet contra illum actionem negotiorum geſtorum ad repetendum ab ipſo quod pro eo ſolvit, niſi debitoris interfuerit eam pecuniam non ſolvi, text. expr. *in l. Cum pecuniam* 43. *ff. de negotiis geſtis*. Solvens tamen pro alio expreſſe nolente, & contradicente, nullam habet actionem, vel Jus ad repetendum ab eo, quod pro ipſo ſolvit, *arg. l. ſi rem* 40. *ff. de negotiis geſtis*, & c. *leg. ſi remunerandi* 6. §.2. *ff. Mandati.*

11 Succeſſor in Beneficio Eccleſiaſtico, ut in Epiſcopatu, Prælatura, & quocumque Beneficio etiam ſimplici, tenetur ſolvere debita facta ab Anteceſſore pro vera utilitate, vel neceſſitate Eccleſiæ, ſeu Beneficii. *Communis*, text. expr. *in cap. Ad hoc* 1. *de ſolutionibus*, ibi: „ Sicuti filius debita „ patris ſolvere tenetur, ita Prælatus ſui Prædeceſſoris pro „ Eccleſiæ utilitate, contracta, *juncto ejus Summario ſic ex„ preſſe habente*: Succeſſor in Beneficio tenetur ſolvere de„ bita Prædeceſſoris pro neceſſitate Eccleſiæ contracta.

12 Item Succeſſor in beneficio tenetur ſolvere debita contracta a ſuo Anteceſſore pro ſua neceſſaria, honeſta, ac decenti ſuſtentatione. Sic Abbas *in d. c. Ad hoc num.*2. Barboſa *ib. n.*3. Fagn. *ib. n.*10. citans ad id Rotæ deciſionem, Flaminius Pariſ. *de Reſignat. l.*1. *q.*16. *n.*15. Engel *l.*3. *decr. t.*23. *n.*18. Reiffenſt. *ib. n.*16. & alii; Et ratio eſt, quia etiam hæc debita propter unionem, quam habet Rector cum Eccleſia, cenſetur contracta pro neceſſitate Eccleſiæ, eo quod Eccleſia teneatur ſuum Rectorem alimentare, *Cap. Cum ſecundum* 16. „ *de Præbendis*, ibi: „ Cum ſecundum Apoſtolum qui Al„ tari ſervit, vivere debeat de Altari, & qui ad onus eligi„ tur, repelli non debeat a mercede, patet a ſimili ut Cle„ rici vivere debeant de patrimonio Jeſu Chriſti, cujus ob„ ſequio deputantur, ut ipſa pro nobis ratio perſuadet.

13 Ut Succeſſor autem in beneficio teneatur ſolvere debita Anteceſſoris, debet prius Creditor probare, quod pro vera utilitate, ſeu neceſſitate Eccleſiæ, aut ſaltem pro neceſſaria Prælati ſuſtentatione fuerint contracta, *Communis*, per text. *in Cap. Ea etiam* §.1. *cauſ.*10. *q.*2. ibi: „ Is Creditor hic in„ telligatur, qui quod credidit, probat in utilitatem Divi„ næ Domus proceſſiſſe. *Et concordat* c. Quod quibuſdam „ 4. de Fidejuſſoribus, ibi; Niſi forte in utilitatem domus „ ipſius manifeſte conſtiterit redundaſſe.

14 Sufficit tamen, quod Creditor probet tunc temporis ad fuiſſe verum caſum utilitatis, vel neceſſitatis Eccleſiæ, quamvis non probet in eam pecunias, vel aliam rem creditam fuiſſe converſam; Sic Gloſſa communiter recepta *in cit. cap. Ea etiam* 2. §.1. *ad fin. cauſ.*10. *q.* 2. *verb. Probat.*, Fagnan. *in cit. cap. Ad hoc* 1. *de ſolution. num.* 7. Abbas *in cit. cap. Quod quibuſdam* 4. *de Fidejuſſorib. num.*7. Reiffenſt. *loc. cit. num.*19., & ipſo teſte communis aliorum, *arg. l. Utilitatem* 1. §.8. & *l. Lucius* 7. *ff. de exercitatoria actione.*

15 Nullatenus vero tenetur Succeſſor in Beneficio ſolvere debita ab Anteceſſore contracta, non pro utilitate, aut neceſſitate Eccleſiæ, nec pro neceſſaria ſui ſuſtentatione, ſed alio titulo. *Communiſſima* per claros textus *in cap. Si quorumdam* 1. *de Fidejuſſorib. cap. Gravis* 1. *de Depoſito*, *cap. Ea etiam* 2. *cauſ.*10. *q.*2. Et ratio eſt, quia Clerici debita contrahentis incuria, culpa, vel prodigalitas, non debet nocere Eccleſiæ, textu expreſſo *in cap. Delictum* 76. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare*: Peccata enim ſuos debent tenere Auctores *l. Sancimus* 22. *Cod. de pœnis, cap. Quæſivit* 2. *de his, quæ ſiunt a majori parte capituli.*

16 Solutio primum fieri debet, ac poteſt ipſi Creditori, etiam invito, ſi ipſe Creditor liberam rerum ſuarum habeat adminiſtrationem, & ipſa ſolutio fiat debito loco, & tempore; Et ſi creditor ſolutionem accipere nolit, poterit debitor pecuniam debitam Magiſtratui conſignare, ſicque ſe & a debito principali, & ab uſuris liberare. *Communis*, text. expreſſo *in leg. Obligatione* 9. *Cod. de ſolutionibus*, ibi: *Obſignatione totius debitæ pecuniæ ſolemniter facta liberationem contingere, manifeſtum eſt. Sed ita demum oblatio debiti liberationem parit, ſi eo loco, quo debetur, ſolutio fuerit celebrata*, cum ſimilibus.

17 Nequit vero fieri ſolutio Creditori, qui liberam rerum ſuarum adminiſtrationem non habet; Unde ſi quis debitum ſolvat Pupillo ſine auctoritate Tutoris, vel Minori, Prodigo, Amenti ſine auctoritate Curatoris, & pecunia ſoluta perdatur, ſeu male conſumetur, denuo pro ſolutione debiti conveniri poteſt, *Communis*, per text. in §. *Nunc admonendi* 2. *Inſtitut. Quibus alienare licet, vel non l. Pupillo* 15. *ff. de ſolutionibus.*

18 Poteſt tamen fieri ſolutio Tutori, aut Curatori ejuſmodi Creditoris non habentis liberam rerum ſuarum adminiſtrationem. *Communis* textu exp. *in l. Quod ſi* 14. §.7. *l. Solutam* 49. *ff. de ſolutionibus*, & citat §. *Nunc admonendi* 2. *Inſtit. Quibus alienare licet, vel non*, cum ſimilibus.

19 Item recte fit ſolutio Creditoris Procuratori tam generaliter, quam ſpecialiter ad ſolutionem accipiendam deputato. *Communis*, textu expreſſo *in l. Vero* 12. *in principio ff. de ſolution.* & *l. Qui hominem* 34. §.3. *ff. eodem.*

20 Si Debitore penitus ignorante, ſeu neſciente, Procurator a Creditore tali Officio privetur, vel ei, ne ſolutionem accipiat, ſpecialiter mandetur, adhuc ipſe debitor recte ei ſolvit, & liberatur a ſua obligatione; Secus autem, ſi id ſciat. *Communis*, textu expreſſo *in cit. l. Vero* 12. §.2. *ff. de ſolutionib.* & *cit. l. Qui hominem* 34. §. 3. & *l. Diſpenſatori* 5. *ff. eodem.*

21 Item recte fit ſolutio ſervis, ac filiis familias, ſi ad accipiendam ſolutionem ſpecialiter ſint deputati, vel liberam, & univerſalem habeant adminiſtrationem. *Communis*, per claros textus *in l. Vero* 12 *l. ſi quis* 18. *l. Qui hominem* 34. *l. Solutam pecuniam* 49. *ff. de ſolutionibus*, cum ſimilibus.

22 Item recte fit ſolutio Creditori Creditoris, niſi ab ipſo Creditore expreſſa ad id habeatur contradictio, *argument. leg. Si liber* 36. *ff. de negotiis geſtis*, *leg. ſolutum* 11. §. 5. *ff. de pignoratitia actione*; Unde caſu, quo Creditor a tali Debitore adhuc ſolutionem prætenderet, poſſet dictus debitor ſe liberare exceptione doli mali; dicendo ſine tua contradictione jam ſolvi tuo Creditori, *leg. ſi opera* 6. *ff. de doli mali*, & *metus exceptione*, & *ibi* Baldus, Perez *de ſolutionibus num.*6. Silveſter verb. *ſolutio quæſt.*4. Reiffenſtel *loc. citat. num.* 26. & alii.

23 In qua ſpecie, & quo valore monetæ facienda ſit ſolutio? Vid. verb. *Moneta a n.*13. *ad* 25.

24 Debitore exiſtente in culpabili mora ſolvendi, ſi interim contingat monetarum mutatio, ipſe ſolus damnum ſentire debet. *Communis*; Mora enim cuique ſua, non alteri nocere debet, *c. Mora ſua* 25. *de Reg. Jur. in* 6. ibi; *Mora ſua cuilibet eſt nociva.*

25 Quando in conventione ſpeciali certum tempus ad ſolvendum præfixum eſt, debet exacte a debitore obſervari. *Communis*, per textum *in leg. ſolidum* 85. *ff. de ſolutionibus*, ibi;

*Soli-*

*Solidum ſolvitur, non minus quantitate, quam die*; Et hoc
etiamſi Creditor non urgeat ſolutionem, quia dies ſtatuta in-
terpellat pro eo, textu expreſſo *in cap. Potuit 4. de locato,
& conducto*, ibi; *Non obſtante, quod ei, ut Canonem ſolveret,
non extitit nunciatum, cum in hoc caſu dies ſtatuta pro Domino
interpellet*; Et concordat *leg. Magnam* 12. *Cod. De contrahen-
da ſtipulatione*, & *leg. In Emphiteuticariis* 2. *Cod. de Jure*
26 *Emphiteutico*. Unde ſi ex culpabili mora ſolvendi præfixo, &
determinato tempore Creditor aliquod damnum patiatur, eſt
ei reſarciendum a Debitore culpabiliter moroſo, quia tunc
eſt cauſa, quod patiatur illud grave intereſſe lucri ceſſantis,
& damni emergentis; cum qui cauſam damni dat, damnum
dediſſe videatur, *c. Si culpa 9. de injuriis, & damno dato*,
*l. Qui occidit* 30. §. 3. *ff. Ad Legem Aquiliam*; adeoque &c.
Si certum tempus determinatum ſit in favorem Debitoris,
27 prout ordinarie fieri ſolet, *leg. Cum tempus* 17. *ff. De Regul.
Juris*, poteſt Debitor ante finitum tempus conventum ſolvere,
& Creditor tenetur ſolutionem acceptare, textu expreſſo *in
leg. Quod certa* 70. *ff. de ſolutionib.* ibi: *Quod certa die pro-
miſſum eſt, vel ſtatim dari poteſt, totum enim medium tempus
ad ſolvendum promiſſori liberum relinquitur*; Et concordat *l.
Qui res* 98. §. 4. *ff. eodem* cum ſimilibus; Et ratio clara eſt,
quia omnes libere poſſunt his, quæ pro ſe introducta ſunt, re-
nunciare, textu expreſſo *in leg. Si quis in conſcribendo* 29. *Cod.
De pactis*, ibi: *Cum alia ſit Regula Juris antiqui, omnes licen-
tiam habere, his quæ pro ſe introducta ſunt, renunciare*, &
*cap. Si de terra* 6. *de privilegiis* ibi: *Cum liberum ſit unicuique
Juri ſuo renunciare*.
28 Si autem tempus determinatum ſit in gratiam Creditoris,
pro ut fit, quando pro Summa Capitali mutuo accepta dari
debet uſura; debitor ante elapſum illud tempus ſolvere non
poteſt, nec Creditor ſolutionem accipere tenetur; Et ſic in
aliis ſimilibus caſibus. *Communis*, per textum *in l. Javolenus*
15. ff. *de annuis legatis*.
29 Si vero nullum tempus pro ſolutione ſit determinatum, po-
teſt debitor eam differre donec Creditor eam petat. *Commu-
nis, argument. leg. Debitores præſentes* 10. *Cod. de Pignor.
leg. In Fideicommiſſi* 3. ff. *De uſuris*; Quando enim Creditor
non petit ſolutionem, tunc Debitor prudenter præſumere po-
teſt Creditorem quo ad talem dilationem ſolutionis non eſſe
invitum.
30 Limitatur tamen prima Concluſio in caſu, quo ſolutio ſit
debita ex delicto, verb. grat. furto, tunc enim ſolutio, ſeu
reſtitutio, facienda eſt ſtatim moraliter quam primum abſque
notabili incommodo fieri poteſt, etiamſi non petatur a Credi-
tore, quia tunc talis debitor ex delicto etiam ſine petitione
Creditoris eſt in culpabili mora ſolvendi ſeu reſtituendi. *Com-
munis*, textu expreſſo *in leg. in re furtiva* 8. §. 1. ff. *De con-
31 dictione furtiva*, ibi: *Semper enim moram fur facere videtur.*
Et ſi Creditor ex tali culpabili mora aliquod damnum patia-
tur, reſarciri debet a culpabiliter moroſo debitore. *Commu-
nis*, per dicta, & Jura adducta *ſupra num.* 26. Vide verb. *Re-
ſtitutio art. 3. n.* 87.
32 Limitatur ſecundo concluſio in caſu, quo Creditor ex ti-
more etiam reverentiali debitum petere non audet, aut illud
ignorat, tunc enim debitor cenſetur eſſe in culpabili mora
ex eo tempore, quo arbitrio prudentis viri ſolvere poteſt, ac
debet; Et ita ad præſens intelligi debet id, quod expreſſe di-
citur *in leg. In omnibus* 14. ff. *de Regul. Juris*, ibi: *In omni-
bus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die ha-
betur*. Sic Reiffenſtuel *l. c. n.* 48. Silveſter verb. *Mora qu.* 1.
& alii paſſim.
33 Alia ad rem de tempore ſolutionis, ſeu reſtitutionis facien-
dæ. Vide verb. *Reſtitutio art. 3. a n. 83. ad* 103.
34 Solutio, ſeu reſtitutio in quo loco, & cujus expenſis, &
periculis fieri debeat? Vide verb. *Reſtitutio art. 4. a num.* 1.
*ad* 27.
35 Quilibet Debitor regulariter loquendo tenetur ſimul, &
ſemel totum ſolvere debitum, nec tenetur Creditor ſolutio-
nes per partes accipere. *Communis*, per text. *in leg. Tutor* 41.
§. *Lucius*, ff. *De uſuris*, *leg. Plane* 3. ff. *Familiæ Erciſcundæ*,
ubi etiam redditur ratio ibi: *Quia ſæpe & ſolutio, & exactio
partium non minima incommoda habet*.
36 Limitatur tamen concluſio primo in caſu, quo ſpecialiter
conventum ſit inter debitorem, & Creditorem, quod ſolu-
tio fiat per partes. *Communis*, per textum in *leg. Arbitraria* 2.
§. 4. ff. *De eo, quod certo loco dari oportet*; Et ratio eſt, quia
ut expreſſe dicitur *in cap. Contractus* 85. *ex Regul. Jur. in* 6.
*Contractus ex conventione Legem accipere dignoſcuntur*, & ju-
ſta pacta ſervanda ſunt, *leg. Antigonus* 1. *de pactis*, ibi: *Ini-
ta pacta ſuam obtineant firmitatem*, *cap. Qualiter* 3. *eod.* ibi:
*Studioſe agendum eſt, ut ea, quæ promittuntur, opere, com-
pleantur*; *leg. Si quis in conſcribendo* 29. *Cod. de pactis*, ibi:
*Pacta conventa, quæ neque contra Leges, neque dolo malo inita
ſunt, omnimodo obſervanda ſunt*.
Limitatur ſecundo in caſu, quo debitum per partes contra- 37
ctum ſit, quia obligatio eo modo tolli poteſt, quo contracta
eſt. *Communis*, per textum *in leg. Nihil tam naturale* 35. ff.
*de Regul. Juris*, ibi: *Nihil tam naturale eſt, quam eo genere
quidque diſſolvere, quo colligatum eſt*.
Limitatur tertio in caſu quo debitor ex diverſis cauſis ſeu 38
contractibus debita contraxerit, nempe unum debitum ex
cauſa, ſeu contractu locationis, aliud ex contractu, ſeu cau-
ſa emptionis, aliudve ex cauſa, ſeu contractu mutui, & ſic
de aliis; Tunc enim debitor poteſt, quod vult ex illis debitis
ſolum ſolvere, & non tenetur omnia dicta debita ſimul ſol-
vere. *Communis*, textu expreſſo *in l. In poteſtate* 1. *Cod. de
ſolutionibus*, ibi: *In poteſtate ejus eſt, qui ex pluribus contra-
ctibus pecuniam debet tempore ſolutionis exprimere in quam
cauſam reddat*; & concordat *leg. Quoties* 1. ff. *de ſolutioni-
bus* ibi: *Quoties quis debitor ex pluribus cauſis unum debitum
ſolvit, eſt in arbitrio ſolventis dicere, quod potius debitum
voluerit ſolutum, & quod dixerit, id erit ſolutum*.
Unde cum quis ex pluribus cauſis eſt Debitor, & aliquam
ſolutionem facit, in ejus poteſtate eſt exprimere, quod po- 39
tius debitum velit ſolutum; Si vero nihil exprimat, eſt in
poteſtate Creditoris, pro quo voluerit debito talem ſolutio-
nem accipere, textu expreſſo *in cap. leg. Quoties* 1. ff. & *ci-
tat. l. In poteſtate* 1. *Cod. de ſolutionibus*. Cum hoc tamen,
quod ſi nihil exprimat, cenſetur ſemper ſolutum debitum
magis oneroſum. Sic aperte additur *in cit. leg. Quoties* 1. ff.
*de ſolutionibus*; *Dummodo* (creditor) *in id conſtituat ſolutum,
in quod ipſe, ſi deberet, eſſet ſoluturus; quoque debito ſe exo-
neraturus eſſet ſi deberet .... Æquiſſimum enim viſum eſt,
Creditorem ita agere rem debitoris, ut ſuam ageret*, & con-
cordat *l. In his* 5. & *l. Cum ex pluribus* 97. ff. *eod.*
Quando Debitor una cum capitali ſimul uſuras debet per 40
partialem ſolutionem factam, cenſentur ſolutæ uſuræ, quam-
vis Debitor Capitale ſe ſolvere exprimat, textu expreſſo
*in leg. In his vero* 5. §. 3. ff. *de ſolutionibus*, ibi; *Apud Mar-
cellum lib.* 20. *Digeſtorum, quæritur, ſi quis ita caverit De-
bitori in ſortem, & uſuras ſe accipere, utrum pro rata, &
ſorte, & uſuris decedat; An vero prius in uſuras, & ſi quid
ſupereſt in ſorte? Sed ego non dubito, quin hæc cautio in ſor-
te, & in uſuras, prius uſuras admittat, tunc deinde, ſi quid
ſuperfuerit, in ſortem cedat*.
Debitum tollitur etiam ſine ſolutione per acceptilationem. 41
*Communis*; textu expreſſo *in §. Item* 1. *Inſtitut. Quibus modis
tollitur obligatio* ibi: *Item per acceptilationem tollitur obliga-
tio*, & *l. Pluribus* 6. ff. *de acceptilatione*, ibi: *Id ſolum per
acceptilationem ſublatum eſt*.
Acceptilatio autem eſt imaginaria ſolutio, ſeu habitio rei 42
pro recepta per interrogationem Debitoris, & reſponſionem
Creditoris facta. *Quod enim Titio debetur, ſi id Titius velit
remittere, poterit ſic fieri ut patiatur hæc verba Debitorem
dicere; Quod ego tibi promiſi, habeſne acceptum? Et Titius
reſpondeat; habeo*. Sic expreſſe habetur *in citat. §. Item leg.* 43
*Inſtitut. Quibus modis tollitur obligatio*, & concordat *citat. l.
Pluribus* 6. ff. *de acceptilatione*, ibi; *Pluribus ſtipulationibus
factis ſi promiſſor ita accepto rogaſſet; Quod ego tibi promiſi
habeſne acceptum? Siquidem apparet, quid actum eſt, id ſo-
lum per acceptilationem ſublatum eſt, ſi non apparet, omnes
ſtipulationes ſolutæ ſunt*. Vide verb. *Juramentum artic.* 1. *nu-
mer.* 20.
Unde ut acceptilatio valeat, debet ſic fieri, ut appareat
cujus debiti ex pluribus remiſſio petatur. Unde *in cit. l. Plu-
ribus* ſubjungitur: *Si ego aliud accepto tuli, aliud tu rogaſti,
nihil valere acceptilationem*. Si autem pluribus debitis ex plu-
ribus ſtipulationibus factis, gravatus non pro uno, vel altero
determinato debito, ſed pro omni indefinite roget, tunc per 44
acceptilationem omnia debita, quamvis ex pluribus ſtipulatio-
nibus provenientia, cenſentur ſublata, ſeu remiſſa, *cit. l. Plu-* 45
*ribus*, ibi; *Si quidem apparet, quid actum eſt, id ſolum per
acceptilationem ſublatum eſt ſi non apparet, omnes ſtipulatio-
nes ſolutæ ſunt*.
Debitum tollitur, & ſolutio fieri cenſetur etiam per juſtam 46
compenſationem. *Communis* per textum *in l. Dediſſe* 76. ff. *de
verbor. ſignificat.* ibi; *Dediſſe intelligendus eſt etiam is, qui
com-*



*compenſavit*, & *l. Si Debitor* 4. *Qui potiores in pignore*, ubi
dicitur; *Nihil intereſſe, ſolverit ne aliquis, an compenſa-
verit?*
Quandonam autem licita, & juſta compenſatio fieri poſ-
47 ſit, & quænam conditiones ad ipſam requirantur? Vide
verb. *Compenſatio per tot.*
48 Qui per errorem ſolvit, quod nec Jure naturali, nec Civi-
li debebat ſolutum condicere ſeu repetere poteſt. *Communis*
per text. *in leg. Nunc videndum* 1. & *leg. Si quis* 2. ff. *de con-
dictione indebiti*, *leg. Pecuniae indebitae* 1. *l. Cum & ſoluta* 3.
*Cod. eod.* cum ſimilibus; Et ratio clara eſt, quia Jure naturæ
æquum eſt neminem cum alterius detrimento fieri locupletio-
rem, textu expreſſo *in leg. Nam hoc* 14. ff. *de Condictione
indebiti*, ibi; *Nam hoc natura aequum eſt, neminem cum al-
terius detrimento, & injuria fieri locupletiorem*, *leg. Jure na-
turae* 206. ff. *de Regul. Juris*, ibi; *Jure naturae aequum eſt
neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletio-
rem*; *cap. Locupletari* 17. *de Regul. Juris in* 6. ibi; *Locupleta-
ri non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*.
Qui per errorem ſolvit indebitum Jure naturæ, debitum
49 vero Jure Civili, ſolutum pariter condicere, ſeu repetere
poteſt ſive per errorem facti, ſive Juris ſolverit; Gloſſa *in
cap. Is qui* 4. *de ſolutionibus verb. Indebitum*, Abbas *ibidem
num.* 14. Pirhing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 23. *numer.* 3. Reiffenſtuel
*ibidem num.* 70. & *alii argument. Si non ſortem* 26. §. 3. ff. *de
condictione indebiti*. Et ratio eſt, quia, quando agitur de dam-
no vitando, & non lucro captando, ut in hoc caſu, non
ſolum non nocet error, ſeu ignorantia facti, ſed nec error,
aut ignorantia Juris, textu expreſſo *in l. Error* 8. ff. *de Juris,
& facti ignorantia*, ibi; *Ceterum omnibus Juris error in damnis
amittendae rei ſuae non nocet*.
Qui indebitum jure Civili, & debitum Jure naturali ſolvit
50 per errorem, ſeu ignorantiam facti, modo ignorantia non ſit
craſſa, vel ſupina, poteſt ſolutum repetere, ſeu condicere.
Gloſſ. 2. *in citat. cap. Is qui* 4. *de ſolutionibus verb. Indebitum*,
Abbas *ibidem numer.* 12. Pirhing *l. citat. numer.* 33. Reiffen-
ſtuel *loc. cit. num.* 71. & alii; *argument. leg. Nec ſupina* 6.
& *leg. Error* 8. ff. *de Juris*, & *facti ignorantia*. Si autem id
51 ſolvat per errorem, ſeu ignorantiam Juris, repetere, ſeu con-
dicere non poteſt, quia talis ignorantia non excuſat, Gloſſa
*l. citat.* Abbas *l. cit. num.* 12. Pirhing *l. cit. num.* 33. & alii per
text. *in l. Ignorantia* 1. *l. In omni parte* 2. *leg. Plurimum* 3. *l.
Juris ignorantiam* 4. *leg. Error* 8. *leg. Regula* 9. ff. *de Juris*,
& *facti ignorantia*, & *leg. Cum quis* 10. *Cod. eod.* ubi expreſ-
ſe, ac repetitis vicibus habetur, quod Juris ignorantia non
proſit. Immo *in citat. leg. Regula* 9. ff. *de Jur.* & *facti igno-
rantia* pro Regula traditur expreſſe ut ſequitur; *Regula eſt
Juris quidem ignorantiam cuique nocere, facti vero ignorantia
non nocere*, & *in cit. l. Cum quis* 10. *Cod. eod.* ſic præciſe ſta-
tuitur; „ Cum quis Jus ignorans indebitam pecuniam ſolverit,
„ ceſſat repetitio. Per ignorantiam enim facti tantum repe-
„ titionem indebiti ſoluti competere tibi notum eſt „.
Qui ſciens ſe non debere, & nihilominus ſolvit, non po-
52 teſt ſolutum condicere, ſeu repetere. *Communis*, textu ex-
preſſo *in leg. Nunc videndum* 1. §. 1. ff. *de Condictione indebiti*,
ibi; *Si ſciens ſe non debere, ſolvit, ceſſat repetitio*, cum ſimi-
libus; Et ratio eſt, quia talis præſumitur donare, nam ut ex-
preſſe dicitur *in leg. Cujus* 53. ff. *de Regul. Jur. Cujus per erro-
53 rem dati repetitio eſt, ejus conſulto dati donatio eſt*. Et proce-
dit concluſio, etiamſi talis dederit hac mente, quod velit ite-
rum repetere, textu expreſſo *in l. Quod quis* 50. ff. *de condi-
ctione indebiti*, ibi: *Quod quis ſciens indebitum dedit hac men-
54 te, ut poſtea repeteret, repetere non poteſt*. Secus autem eſſet,
ſi animo dubio, incerto, aut titubante ſolviſſet, textu expreſſo
*in l. Pro dubietate* 11. *Cod. de condictione indebiti*, ibi; „ Quod
„ nos decidentes ſancimus, omnibus, qui incerto animo in-
„ debitam dederint pecuniam, vel aliam quandam ſpeciem
„ perſolverint, repetitionem non denegari „. Et ratio eſt,
quia, ut expreſſe ſtatuitur *in l. Non debet* 41. §. 1. ff. *de Re-
gul. Juris*; *In re obſcura melius eſt favere repetitioni, quam
adventitio lucro*.
55 Aſſerens ſe indebitum ſolviſse, & condictionem intentans,
probare debet, quod fuerit indebitum. *Communis*, textu ex-
preſso *in cap. Is qui* 4. *de ſolutionibus*, ibi; „ Is, qui con-
„ queritur indebitam pecuniam ſe ſolviſse, probare tenetur,
„ quod indebite ſit ſoluta; leg. Cum indebito 25. ff. de pro-
„ bationib. „ Præſumptio enim ſtat contra ipſum, quia, ut
expreſse dicitur *in citat. l. Cum indebito*: *Qui enim ſolvit,
numquam ita reſupinus eſt, ut facile ſuas pecunias jactet, &
indebitas effundat*.
Secus autem eſset, ſi adverſarius negaret ſe a condicente 56
ſolutionem accepiſſe; Tunc enim ſi de ſolutione accepta
convincatur, ipſe probare debet, id, quod ſolutum accepit,
ſibi revera debitum fuiſſe, *Communis*, textu expreſſo *in cit.
cap. Is qui* 4. *de ſolutionibus*; ibi: „ Niſi ejus adverſarius ſo-
„ lutionem inficians exinde convincatur, tunc enim diffitenti
„ onus incumbit probandi, quod debitum recepiſſet, & *cit. l.
Cum de indebito* 25. *de probationibus*.
Ad facilius capienda hactenus dicta obſervandum eſt, quod 57
condictio indebiti eſt actio perſonalis, quam quis habet con-
tra eum, cui indebitum, hoc eſt, aliquod, quod ei non de-
bebat, per errorem ſolvit. *Sic in re communis, argument.
leg. Nunc videndum* 1. *l. Quod indebitum* 7. *l. Indebiti ſolutio*
15. ff. *de condictione indebiti*; *leg. Pecuniæ indebitæ* 1. *l. Cum
& ſoluta* 3. *l. Si per ignorantiam* 6. *l. Fideicommiſſum* 7. *Cod.
eod.* cum ſimilibus.
Indebitum autem eſt quaſi contractus re initus, quo is, qui 58
rem indebitam per errorem ſolutam accepit, ad eamdem
reddendam obligatur. Sic expreſſe Pirhing *loc. cit. num.* 30.
& alii per textum *in leg. Si quis* 5. §. 3. ff. *de obligationibus,
& actionibus*, & §. *Item* 15. *Inſt. de obligationibus, quae qua-
ſi ex contractu naſcuntur*.

*Novæ additiones ex aliena manu*.

De præſumpta ſolutione, de qua frequenter in Foro diſ- 1
ſeritur, paucis hic agendum.
Solutionem præſumptionibus probari poſſe non ambigitur. 2
At quænam præſumptiones efficaces ſint videndum. De exi-
ſtentia Chirographi penes debitorem dubitatur, an ea præ-
ſumptionem inducat ſolutionis. In primis autem conſtare de-
bet, an Chirographum a debitore in medium productum, ſit
illud ipſum, quod antea in manibus Creditoris fuit, idque
quia accidere poteſt, ut Debitor ſciens Creditorem amiſiſſe
Chirographum, aliud confecerit. Conſtito de identitate Chi- 3
rographi, alia deinde inſpectio occurrit, num voluntate Cre-
ditoris Debitor Chirographum conſequutus ſit, an eo inſcio,
& invito? Hic autem ita diſtinguunt Doctores. Si debitor 4
ſuſpectus ſit, vel Creditoris domeſticus, aut alias familiariter
cum eo converſetur, Creditorem admittunt, ut juramento
aſſerat Chirographum ſe inſcio ad debitorem perveniſſe. E 5
contrario autem ſi Debitor vir ſit probatæ vitæ, & integritatis,
ut ſuſpicio ſubreptionis locum ſibi vindicare nequeat, ejus ju-
ramento creditur, ſi teſtetur Creditorem ſibi Chirographum
reddidiſse; *Anton. Fab. in Codic. lib.* 8. *tit.* 3. *defin.* 24. *Car-
pzov. Juriſprud. Forenſ. part.* 2. *Conſtit.* 29. *defin.* 12. Adde
*Freyer de Solut. cap.* 11. *membr.* 1. *n.* 20. & *ſequent.*
Quid juris de Chirographo cancellato? Si Chirographum 6
cancellatum reperiatur apud Debitorem, nec domeſticum
Creditoris, nec alia de cauſa ſuſpectum, ipſe debitor, vel ad
juramentum admittitur Creditorem cancellaſse, vel Creditor
onus probandi contrarium in ſe ſuſcipere tenetur; *Carpzov. &
Freyer locis mox allegatis*. Quod ſi Chirographum apud Cre- 7
ditorem cancellatum reperiatur, ſolutio præſumitur, niſi ipſe
Creditor manifeſtis probationibus contrarium oſtendat; *Bru-
nemann. ad L.* 24. *fer. per tot. de Solut.* Dubitatio major eſt, 8
ſi Chirographum cancellatum penes Tertium reperiatur. Sunt
qui exiſtiment, Debitorem eo ipſo non eſse liberatum, quum
Chirographum illi Tertio, ſaltem cuſtodiæ cauſa traditum
fuerit, & ſic præſumptio cancellationis a Creditore factæ
ceſset; Vide *Freyer ubi ſupra num.* 23. & *ab eo allegatos*. 9
Quod tamen ita intelligendum reor, niſi aliæ probationes con-
currant. Denique ſi Notarius Chirographum confecit, illud- 10
que in protocollo Notarii cancellatum reperiatur, ſolutionis
præſumptio exinde non aliter oritur, quam ſi cancellationem
conſenſu Creditoris factam eſse probetur; Confer *Menoch. de
Praeſumpt. lib.* 3. *Praeſumpt.* 141. *n.* 19.
Succedit privata debitoris adnotatio. Pro regula autem te- 11
nendum eſt, quod etſi debitor in libro quodam, in quo con-
ſignare ſoleat res quotidie geſtas, aut rationes rerum ſuarum,
ſcripſerit, ſe alteri ſolviſse, hoc ipſi neutiquam proficiat,
quum alias hac ratione quilibet debitor ſe a vinculo obligatio-
nis facile liberare poſset. Interim tamen Regula hæc exce- 12
ptionem patitur, ut ex adnotatione debitoris præſumptio fa-
ctæ ſolutionis reſultet, ſi ſimul aliæ circumſtantiæ eidem ad- 13
miniculentur. De his autem circumſtantiis, vide *Mevium
part. 4. deciſ.* 121. *per tot.*
Sunt & aliæ præſumptiones factæ ſolutionis. Huc pertinet 14
quæ-

quando Creditor diſtulit multos per annos petere creditum, verb. grat. ſi non petiit vivo debitore, ſed defuncto eo hæredes convenit, & tamen Creditor eſt perſona cauta, & diligens
15 alias in exigendo, aut eſt pauper, aut non admodum dives.
16 Idem dicendum, ſi Creditor a Debitore mutuum petiit; tum ſi Creditor adminiſtravit bona debitoris, atque ita ſibi ſolve-
17 re potuit, rationes tamen non reddidit; tum ſi quis per tres apochas probet ſe tribus annis proximis uſuras ſolviſſe; tunc enim niſi Creditor recipiens uſuras ultimas proteſtando ſibi conſuluerit, eaſdem uſuras ratione præteriti temporis etiam ſolviſſe cenſetur; *Fachin. lib.* 13. *Controv.* 89. *Finckelth. obſerv.* 115. *Mev. part.* 4. *deciſ.* 345. & 355. utrobique *fer. per tot.* Sed conſule præ cæteris *Freyer de Solut. cap.* 12. *membr.* 6. *per tot.* qui de his omnibus fuſius agit.

## S O M N I U M.

1 SOmnium eſt phantaſma in ſomno factum, ideſt apparitio phantaſtica in ſomno facta, ex Ariſtotele *lib. de ſomno & Vigilia*, ſive viſum, quod in ſomno apparet. Et ut ex Richelet habet Pontas *verb. ſomnium in princip.* Somnium eſt motus vis imaginandi, quæ dormientis in ſenſibus exprimit formam rei effictæ conformem.

2 Somnia ex Macrobio *lib.* 1. *de ſomn. Scipion.* quem ſequitur Saliſber. *lib.* 2. dividuntur in quinque genera, ſcilicet in inſomnium, ſpectrum, ſomnium, viſum, & oraculum; ſed Artemidorus *lib.* 1. *cap.* 2. ea quinque ad duo revocavit, inſomnium nempe, & ſomnium, (ſub inſomnio ſpectrum, ſub ſomnio comprehendit viſum, & oraculum, quoniam hæc illud conſequuntur. Sic refert Delrius *diſquiſ. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *q.* 6. *verſ. Macrobius*.

3 Auctor libri *de ſpiritu, & anima* (ſive is ſit Hugo Victorinus, ſive alius) *cap.* 25. *operis* quinque ſomniorum genera enarrat, videlicet oraculum, viſionem, ſomnium, inſomnium, phantaſma. *Oraculum*, inquit, eſt cum in ſomnis aliqua ſancta, graviſque perſona, vel etiam Deus eventurum aliquid aperte, vel non eventurum, faciendum, vel evitandum nunciat. *Viſum* eſt, cum id, quod viderat quis eodem modo, quo apparuerat, evenit. *Somnium* eſt quid figuris tectum, quodque ſine interpretatione intelligi non poteſt. *Inſomnium* eſt, cum id quod fatigaverat vigilantem ingerit ſe dormienti, ut cibi cura, vel ſtudium. *Phantaſma* eſt, quando quis dormire cæpit, & adhuc ſe vigilare exiſtimat, aſpicereque videtur irruentes in ſe, vel paſſim vagantes formas, aut lætas, aut turbulentas. Sic habet Beyerlinch *Theatr. vitae humanae, verb. Somnium*, *fol.* 384. *litt. H.*

4 Sanctus Gregorius *lib.* 8. *moralium cap.* 13. & *l.* 4. *Dial. cap.* 48. ſex genera ſomniorum ex totidem cauſis orta commemorat; aut enim, inquit, ex plenitudine, vel inanitate corporis ſomnia exiſtunt, aut ex antecedentibus diurnis curis, aut ex illuſione Dœmonis, aut ex cogitatione hominis ſimul, & illuſione Dœmonis, aut ex revelatione Dei, aut denique ex cogitatione hominis ſimul, & revelatione Dei, ſicque rectiſſime, ut Delrius obſervat *loc. cit. concl.* 2. ſomnia tri-
5 bus Auctoribus adſcribit; Deo, Naturæ, & Dœmoni. Unde poſteriores Theologi ea diviſerunt in Divina, Dœmoniaca, & Naturalia, quam diviſionem variis aliis relictis & nos amplectimur.

6 Somnia igitur Divina, ſeu Cœleſtia ſunt illa, quæ a Deo inſpirantur, ſive id faciat immediate per ſe, ſive per miniſterium Angelorum, ut plerumque accidit; Unde Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 6. *in corpore* ſic ait: *Spiritualis autem cauſa eſt quandoque quidem a Deo, qui miniſterio Angelorum aliqua hominibus revelat in ſomniis*.

7 Divinorum, ſeu cœleſtium ſomniorum varii fines repeririuntur in Sacra Scriptura. I. Ut quis a malo abſterreatur, ſicut factum Abimelech *Geneſ.* 20., & Regi Geraræ, & Labano *Geneſ.* 31. Et id inſinuat Job *cap.* 4. *num.* 13., & 14. ibi: *In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines, pavor tenuit me, & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt*, & *cap.* 7. *num.* 14., ibi: *Terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties*. II. Ut adhortetur ad aliquod bonum, ut Gedeonem *Judic.* 7., & Judam, ejuſque exercitum 2. *Machabæorum* 15. III. Ut moneat, vel doceat quid agendum, aut fugiendum, ut B. Joſeph *Matthæi* 1., & 2. & tres Magos *Matthæi* 2. Et hunc finem indicat Job *cap.* 33. *num.* 15., & *ſeq.*, ibi: *Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperuit aures virorum, & erudiens eos inſtituit diſciplina &c.* IV. Ut ſpiritum Prophetiæ, aut aliud ſpirituale donum ſimul largiatur, ut *Joelis c.* 2. *n.* 28., ibi: *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ; Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt*. Et patet de dono ſapientiæ, & prudentiæ in ſomniis dato Salomoni 3. *Reg.* 3. Et de promiſſione obventuræ Dignitatis Joſeph *Geneſis* 37., & Mardochæo *Eſther* 11. V. ut revelet aliquod Myſterium, ut *Geneſ.* 28. aut alicujus Reipublicæ, vel Regni, ſeu Imperii viciſſitudinem, ut Iſraelis *Geneſ.* 41. Ægypti, & Nabuchdonoſor *Daniel.* 2. & 4.

Ad hæc capita reduci poſſunt multa ſomnia Divina, quo- 8
rum in hiſtoriis Sanctorum fit mentio, ut illa Africana apud Victorem Uticen. de perſecut. Vandalic. oblata Euſebio Epiſcopo Carthaginenſi. Item ſomnium oblatum Monacho Cluniacenſi B. Virginis, tempore S. Odonis apud Joann. Monachum *lib.* 3. *vitæ Odonis cap.* 9. Item aliud Bertæ matri S. Suitberti apud B. Marcellinum *cap.* 1. *Vitæ S. Suitberti*. Item aliud S. Abramio Confeſſori, *Metaphraſt. in ejus vita*. Item aliud Henrico Imperatori, Rupert. *in vita S. Hereberti cap.* 7. *numer.* 26. Item aliud S. Hugoni Gratianopolitano apud Guidonem *in ejus vita*. Item aliud Theodoſio Imperatori, aliud Mauricio Imper. aliud Arnobio Rethori, aliud Bardæ, aliud Eulogio apud Delrium *diſquiſ. Magicar. tom.* 3. *cap.* 3. *q.* 6. *concl.* 4., & multa alia apud Fulgoſium *lib.* 1. *exempl. cap.* 5. & apud Beyerlinck *l. c. fol.* 285. §. *Somnia Divina*, & alia innumera apud alios.

Dæmoniaca ſomnia ſunt illa, quæ mali ſpiritus ſtudioſe 9
dormientibus immittunt, vel ad perturbationes animi ciendas ut libidinem, iram, odium, deſperationem, vel ad occultorum, aut futurorum ſignificationem. Sic expreſſe Delrius *loc. cit. poſt. concluſionem* 4. *verſ. Diabolica ſomnia*, & colligitur ex S. Gregorio *lib.* 8. *moral. in cap.* 7. Job *cap.* 13. S. Auguſtin. *Epiſt.* 9. *alias* 115. S. Thom. 2. 2. *queſt.* 95. *art.* 6. *in corpore*, Bleſenſis *Epiſt.* 65. & alii paſſim.

His Dœmoniacis ſomniis totum intentum malignorum, & 10
fraudulentorum illorum ſpirituum eſt homines ad peccata deducere, eoſque præſertim incautos, ac ignaros vanis ſuperſtitionibus imbuere, ſi eos aliquorum ſomniorum eventu ad habendam ipſis fidem reduxerint, ſicque eos deceptos ad enormia, nefanda, ac ſacrilega crimina pertrahere, ut communis Doctorum, ac quotidiana experientia etiam nimium docet.

Naturalia ſomnia ſunt illa, quæ communiter ortum ducunt 11
ab affectione, & diſpoſitione animæ & corporis ſomniantis, Beyerlinck, & Pontas, *loc. cit.*, & alii paſſim. Et hæc 12
ſomnia naturalia proficiſcuntur, vel a cauſa intrinſeca ſomnianti, vel a cauſa illi extrinſeca. Intrinſeca naſcuntur quædam potiſſimum ab anima, & tunc dicitur cauſa animalis; & quædam potiſſimum a corpore, & vocatur cauſa corporalis.

Intrinſeca cauſa animalis eſt quando ſomnia obveniunt de 13
rebus, quibus cogitatio vigilantis valde fuit intenta, & per diem ipſe ſomnians circa illas multum occupatus fuit, juxta illud *Eccleſiaſtes cap.* 5. *n.* 2., ibi: *Multas curas ſequuntur ſomnia*. Unde Lucretius *Poemat.* apud Beyerlinck *loc. cit. fol.* 286. §. *Animalia* ſic habet.

*In ſomnis eadem pleroſque videmus obire,*
*Cauſidicos cauſas agere, & componere Leges;*
*Induperatores pugnare, & prælia obire:*
*Nautas contractum cum ventis degere bellum;*
*Et quo quiſque fere ſtudio defunctus adhæret,*
*Aut quibus in rebus multum ſimus ante morati.*

Et ad hæc pertinent ſomnia de rebus, & perſonis, in 14
quas odio, amore, timore, aut ſpe vehementer afficimur; Hinc liberales, & benefici ſomniant ſe aliis largiri, mendici petere, cantores canere, Philoſophi diſputare, avari pecuniam congerere, Vindicativi de inimicis ulciſci, & alii alia
ſimilia. Unde Ariſtoteles 1. *Ethicor cap.* 13. dicit Bonorum 14
hominum ſomnia meliora eſſe, quam aliorum, propterea quod conſilia, quæ ad virtutum officia exercenda ſollicite agitant, eadem eis in ſomno occurrunt.

Intrinſeca cauſa corporalis naſcitur a præſenti diſpoſitione 15
ac temperamento corporis, quod vel inedia exhauſtum, vel crapula repletum, vel humore aliquo nimis prædominante ægreſcit, vel alio interiore vitio laborat; Unde ex variis his cauſis variæ naſcuntur ſomnia: Cholerici enim ſomniant colo-





res flavos, rixas, jurgia, inimicitias, incendia, & hujuſmodi. Sanguine redundantes rubentia, ignes, uſtiones, hortos, convivia, & læta omnia: Melancholici funera, caliginem, tenebras, ſolitaria loca, nocturnas oberrationes, tetra ſpectra, triſtiaque cuncta; Phlegmatici mare, aquas, balnea, navigationes, ſubmerſiones, tardam, & impeditam a noxiis fugam. Qui viſcido humore affectas, obſtructaſque habent partes cerebris poſteriores, illi comprimi, ac ſuffocari videntur in ſomniis, & Latini vocant hunc *incubum* morbum. Qui ſinceris, puriſque ſuccis conſtant, ſomniant ſe volutari inter odoratos, ſuaveſque flores, & e contra qui fætidis putridiſque ſunt repleti humoribus, ſomniant ſe verſari in cloacis, ſepulcris, ſordidis, ac cænoſis locis.

16 Extrinſeca naturalis cauſa ſomniorum eſt, quando dormientis imaginatio ab agente extrinſeco movetur. Hujuſmodi autem agens eſt duplex; Alterum eſt aer ambiens. Alterum impreſſio, ſive influxus corporum cæleſtium; ſicut enim corpora cæleſtia ſuo in materiam corpoream in fluxu varias formas lapidum, metallorum plantarumque gignunt, ſic influendo in phantaſiam quæ organis corporeis eſt immerſa, poſſunt a cœleſtibus corporibus produci ſpecies imaginabiles effectui a corporibus illis cœleſtibus præmananti conformes, ut erudite ſuo more ratiocinatur doctiſſimus Delrius *loc. cit. poſt concluſionem ſecundam verſ. Naturalis extrinſeca*. Unde ut habetur in *Lexico Medico Caſtello-Brunoniano verb. Somnium*; Somnia ſunt operationes, quæ fiunt inter dormiendum ab Aſtris in homine.

17 Species imaginabiles in ſomniis cauſatæ ſunt quandoque in ſomniante adeo impreſſæ, ut diſtincta afferat verba, recte ad interrogata reſpondeat, aut e lecto ſurgat aliquid exterius facturus, tute etiam in locis periculoſis perambulet, & denuo adhuc dormiens lectum repetat, ut patet de noctambulantibus, ſeu melius ſomnambulantibus, cum nedum noctu, ſed etiam interdiu id accidat, ut obſervat *Lexicon Medicum Caſtello-Brunonianum verb. Somnambulo* referens quemdam celebrem olim ſomno meridiano indulgentem inter dormiendum ſurrexiſſe, deambulaſſe, cum conjuge locutum fuiſſe, a qua etiam rurſus ad Sellam, in qua dormiverat, reductus, paulum adhuc dormivit, evigilans deinde omnium plane fuit ignarus. Hæc ibi: Nec deſunt alia conſimilia exempla.

18 Pro diſcernendis ſomniis, an ſint Divina, an Dœmoniaca, an naturalia? habendus eſt recurſus ad Patrem ſpiritualem, aliaſque pias, & inſtructas Perſonas, ut ſuis conſiliis ea dilucident, & in ſubſidium ſuis orationibns lumen pro eorum vera diſcretione, & intelligentia a Deo exquirant. Sic communiter Doctores cum S. Thoma 2. 2. *q.* 95. *art.* 7. *in corpore*. Hac tamen retenta pro certa regula, quod quando Deus ſomnium immittit, ſolet ſimul hominem lumine interiori certum reddere hoc ſomnium a ſe profectum, & cælitus immiſſum fuiſſe, ut recte docet Delrius *loc. cit. poſt concluſionem quintam verſ. Diſcernere:* & relinquit ipſum hominem totum hilarem, humilem, Devotum, ac pium. Quando autem Dœmon ſomnia immittit, talia ſomnia aut viſiones habentes evadunt triſtes, ſpiritu audaces, elati, & ſuperbi, impuri, ac omni malitiæ proclives, ut advertit Clericatus *nelle ſue ſpiche verb. Sogni num.* 898. Tunc vero ſomnia ſunt naturalia, quando mere procedunt a phantaſmatibus in memoria motis ab operationibus diebus antecedentibus factis, aut intenta voluntate, & deſiderio diebus ſequentibus faciendis, aut ab humoribus a ſtomacho elevatis ad cerebrum, ubi generantur ſomnia rerum extravagantium, ridicularum, ac penitus infructuoſarum, ut notat Clericat. *loc. cit. num.* 899.

19 In ſumma concludit doctiſſimus Delrius *loc. cit. verſ. Diſcernere* hoc eſt obſervandum, ſi conſtet neque ex animali, neque ex animali, neque ex corporali cauſa ſomnium fuiſſe natum, ſicque non eſſe naturale, dubitetur autem adhuc utrum ſit a Deo vel a Dæmone? tutiſſimum eſt, ſi ut a Dæmone immiſſum caveatur, & contemnatur juxta illud *Eccleſiaſtici cap.* 34. *num.* 6., & 7. ubi traditur eſſe contemnenda extrinſeca ſomnia, quæ non conſtat a Deo fuiſſe immiſſa, ibi: *Niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis in illis cor tuum, multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis*.

20 Divinorum ſomniorum obſervatio licita eſt, at interpretatio ſolis convenit illis, quibus a Deo facta eſt interpretationis revelatio. Delrius *loc citat. concl.* 5., & alii communiter. Prima pars de ſe patet, quia ſomnia Divina nobis immittuntur a Deo, ut ea obſervemus, ac ab ipſis inſtruamur, moneamur, & corrigamur. Secunda pars habetur ex *Daniele c.* 2. *n.* 27., ibi: *Myſterium, quod Rex interrogat ſapientes, magi, arioli, & aruſpices nequeunt indicare Regi, ſed eſt Deus in Cælo revelans Myſteria, qui indicavit tibi, & ibid. numer.* 30. ſubjungit: *Mihi quoque non in ſapientia, quæ eſt in me pluſquam in cunctis viventibus, Sacramentum hoc revelatum eſt, ſed ut interpretatio Regi manifeſta fieret, & 1. ad Corinth. c.* 2. *n.* 11., ibi: *Quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei*.

Dœmoniacorum ſomniorum obſervatio, ut fraudes Demo- 21
nis caveantur, eſt licita, ſed ad occultorum, vel eventuum futurorum ſcientiam, ſeu cognitionem habendam, eſt illicita. Sic expreſſe Delrius *loc. cit. concluſ.* 4., & alii paſſim. Prima pars de ſe patet, quia hoc eſt animæ valde ſalutare, & aliquando neceſſarium, ut ſic Dæmonis fraudulentæ aſtutiæ eludantur, & peccata, ad quæ per ipſas nos intendit inducere evitentur. Secunda pars probatur, quia hoc eſt Dei Lege prohibitum *Levit. c.* 19. *num.* 26., ibi: *Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia, Deuteronom. cap.* 18. *numer.* 10., ibi: *Nec inveniatur in te qui . . . . . obſervet ſomnia, & Eccleſiaſtic. cap.* 34. *num.* 6. & 7. per verba adducta *ſupra num.* 19. Tum quia non poteſt horum interpretatio citra miraculum haberi, niſi ex pacto implicito, vel explicito cum Dœmone, quod eſt omnino illicitum, dicente expreſſe Apoſtolo 1. *ad Corinth. cap.* 10. *num.* 20. *Nolo autem vos ſocios fieri Demoniorum*.

Obſervatio, & interpretatio ſomniorum naturalium ha- 22
bentium in ſuis effectibus connexionem, ſeu adæquationem cum ſuis cauſis, eſt licita, ſive cauſa ſit intrinſeca animalis, ſive intrinſeca corporalis. Sic Delrius *loc. cit. concl.* 3., & communis aliorum cum S. Thoma 2. 2. *q.* 95. *art.* 6. *in corpore*. Prima pars, quando videlicet cauſa eſt intrinſeca animalis, clare patet; Si enim quis ſit laſcivis ſomniis, fædiſque illuſionibus inquinatus, poteſt, immo debet cauſam talium ſomniorum inquirere, & cognoſcens ipſa provenire ex quo obſcenis lectionibus, libidinoſis cogitationibus, aut turpibus colloquiis operam dederit debet ſimiles lectiones, cogitationes & colloquia cavere, ac vitare, & ſic de ſimilibus. Secunda pars, quando ſcilicet cauſa eſt intrinſeca, corporalis, eſt etiam de ſe clara, nam ut docent Ariſtoteles *lib. de Divinatione per ſomnia cap.* 1., & Hippocrates *lib. de inſomniis, & 6. Epid.*, & S. Thomas *cit. queſt.* 95. *art.* 6. *in corpore*, & alii paſſim admonent Medici notanda, & expendenda eſſe ægrotantium inſomnia, ſeu ſomnia, ad eorum morbos dijudicandos, & curandos. Ex ea namque obſervatione ſatis probabilem de qualitate morbi conjecturam eliciunt, & qui humores intus lateant, qui eorum defectus, vel exſuperantiæ ſint, dignoſcant; Si quis enim ſomniet de occupationibus igneis, ſignum eſt Choleræ prædominantis, ſi de aereis, ſanguinis abundantis; ſi de aqueis, multi phlegmatis, ſi de terreis, melancholiæ, & ſic de ſimilibus, & ideo poteſt licite ſibi per congruentes medicinas præcavere. Qua de re Galenus *lib. de præſagio ex ſomniis ſumendo* refert, quod cum quidam ſomniaſſet alterum crus ſibi factum lapideum, mox ea corporis parte paralyticus evaſit.

Si cauſa naturalis ſomniorum ſit extrinſeca juxta dicta *ſu-* 23
*pra num.* 16., & talis cauſa non ſit tam a ſomniante remota, quin poſſit ab illa naturaliter affici, & pati, tunc dicta ſomnia includunt aliquid probabilitatis, adeoque obſervari, & interpretari licite poſſunt, ut patet de podagricis, & hernioſis, qui poſſunt affici, & pati a cauſis futuræ cras pluviæ, ſicque de illa aliquod ſuum ſomnium interpretari. Secus autem dicendum eſt, ſi cauſa extrinſeca ſit adeo a ſomniante remota, ut non poſſit ab illa naturaliter affici, & pati: Sic enim, cum non poteſt quis hic hodie affici, & pati a cauſis futuræ pluviæ poſt triennium propter temporis diſtantiam, nec a cauſis futuræ ſtatim pluviæ in Moſcovia propter loci intercapedinem, non poteſt de tali pluvia aliquod ſuum ſomnium interpretari, cum cauſæ hujuſmodi nihil pertineant ad ipſius corporis temperamentum, & diſpoſitionem, nihilque poſſint in ipſo agere, ſeu operari, adeoque ſomniorum a ſimilibus extrinſecis cauſis provenientium obſervatio eſt penitus incerta, & fallax. Et ſi aliquando reſpondeant eventui, id a caſu fit, vel ab intelligentia quapiam revelatur, ut recte obſervat Delrius *l. c. poſt concl.* 3. *verſ. Quando naturalis cauſa eſt extrinſeca*.

Peccat graviter, qui ex ſomniis, tam procedentibus ex 24
cauſis intrinſecis, quam extrinſecis divinant futura contingen-

tia, ſucceſſus, fortuitoſque caſus, aut quæcumque dependent, ſeu manant ab humani arbitrii voluntate, ſive ſomniantis, ſive alterius. *Communis*. Et ratio eſt, quia hæc non dependent a cauſis naturalibus, aut temperamento corporis, nec ab Aſtris, cum nullam habeant naturalem connexionem cum illis; & omnis ſimilis divinatio eſt expreſſe prohibita, tum ex Sacra Scriptura *Levitic.* 19. *Deuteronom.* 18. *Iſaiæ* 47. *Eccleſiaſtici* 34., *& ex cap. Illud*, *cap. Illos*, *cap. Sed*, *& illud cauſ.* 26. *quæſt.* 2. *cap. Igitur eadem cauſ.* 26. *quæſt.* 5. & præcipue in Conſt. Sixti V. incip. *Cæli*, *& terræ Creator*, & Conſtitut. Urbani VIII. incip. *Inſcrutabili judiciorum*.

25 Unde eſt graviter peccaminoſa omnis illa divinatio per ſomnia, qua ex ſomniis prædicitur, aut creditur aliquid eventurum, quod nullam prorſus habet connexionem cum illis. Eodem enim modo eſt loquendum de divinatione per ſomnia, ac de divinatione per Aſtra, quæ eſt prohibita, etiamſi tales Divinatores id non certo affirmare aſſerant, & proteſtentur, ut expreſſe dicit Sixtus V. in cit. Conſtit. incip. *Cæli*, *& terræ Creator*.

26 Hinc caveant illi, qui nedum ſomniis ſibi fortuito obvenientibus firmiter credunt, ſed & ipſa cum abuſu rerum Sacrarum, eas nocte capiti in lecto ſupponentes, vel alibi reponentes ex animo procurant, atque expectant, ut ex iis inde divinent nomina in ludis vulgo Seminariorum dictis ſortitura. Proh dolor? quot in illis crimina, quot ſacrilegia, quot diabolica ſortilegia?

27 Non eſſet tamen culpandus peccati ſaltem mortalis, qui ſine ulla ſuperſtitione, & ſortilegio, ſed ex mera curioſitate pergeret ad locum theſauri abſconditi ſibi in ſomniis manifeſtati, ibique terram effoderet, quia videtur id tantum eſſe actus levitatis, & vanitatis; Sic Henno *tom.* 1. *tract. in Decalogum diſp.* 1. *q.* 4. *art* 5. *concl.* 4. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 10. Tamburinus *lib.* 2. *cap.* 6. §. 1. *numer.* 22. ubi ut etiam ex ipſo refert La Croix *loc. cit.* dicit, hominem in ſomno ſæpius admonitum, ut certo loco terram effoderet, ſicque reperiret ollam auro plenam, non peccaſſe graviter, quamvis deceptus ſit, & invenerit ollam plenam nigris carbonibus.

28 Item non eſſet condemnandus peccati mortalis, qui dubitans, an theſaurus fuerit ſibi manifeſtatus per defunctum apparentem, an per ſomnium, terram effodit, ut rei veritatem detegat, nulla tamen fide ſomniis adhibita. Sic expreſſe
29 Henno *loc. cit.*, & alii. Nec ſic eſſet culpandus, qui nulla adhibita fide, & habita ſuperſtitione terram foderet ad inveniendum theſaurum ibi ſibi a Dæmone indicatum, quia non videtur peccaminoſum uti ſcientia a Dæmone accepta, ubi ſaltem non fuit ab eo explicite, aut implicite petita, nec ullus interceſſit ad eum recurſus. Sic expreſſe Henno *loc. cit.* Leſſius *in Auct. verb. Magia cap.* 6. La Croix *loco cit. dub.* 3. *num.* 25. & alii.

30 Similiter non eſt mortale obſervare ſomnia, quando quis non omnino credit rem in ſomnio ſibi oſtenſam eſſe veram, ſeu futuram, ſed tantum propter tale ſomnium aliquod de ſe non malum operatur, ut evitet mala ſibi in ſomnio minata. Sic Suarez *de Relig. tom.* 1. *tract.* 3. *lib.* 2. *cap.* 13. *nu.* 25. La Croix *loco cit. dub.* 2. *num.* 10. Tamburinus *loc. citat.*, & alii. Et ratio eſt, quia licet ibi ſit aliqua levitas, vel ſimplicitas, aut nimia timiditas, tamen non apparet gravis malitia, quia, ut expreſſe dicit La Croix *loc. cit.* non tam credit illud eſſe a Deo, aut ideo eſſe verum, quam poſſe aliunde eſſe verum.

31 Cavendum tamen ſemper eſt, ne firma præſtetur ſimilibus ſomniis fides: Immo generaliter loquendo nulla eſt ipſis fides, & obſervatia præſtanda ex *Levit. cap.* 19. *Deutoronom. c.* 18. *Iſaiæ cap.* 47. *Eccleſiaſt. cap.* 34. & ex dictis *ſupra num.* 19. 21. 23. & 24. Unde monet Eccleſiaſtes *cap.* 5. *numer.* 6., quod *ubi ſunt ſunt ſomnia*, *plurimæ ſunt vanitates*, *& ſermones innumeri*, *tu vero Deum time*, & Eccleſiaſticus *cap.* 34. *numer.* 1., *& ſeqq.* quod *Somnia extollunt imprudentes*, *quaſi qui apprehendit umbram*, *& perſequitur ventum*, *ſic & qui attendit ad viſa mendacia*, & *ibidem num.* 7. ſubjungit, quod *multos errare fecerunt ſomnia*, *& exciderunt ſperantes in illis*. Quod & revera docet experientia, nam eos, qui curioſe ad ſomnia attenderunt, ſomniorum interpretatio ſubſecuta, in graviſſimas calamitates, & in interitum præcipites egit, ut Agamemnonem Homericum, Cyrum Perſarum Regem, & Pompejum, teſte Delrio *l. cit. poſt concluſionem quintam verſ. Diſcernere in fine*. Nec deſunt, & utinam deeſſent, recentiora exempla eorum, qui bona temporalia, corpus, & animam ex nimia ſuperſtitioſa, ac ſacrilega ſomniorum obſervantia miſere perdiderunt.

Vide verb. *Pontius Pilatus*, ubi de ſomnio ab ejus uxore 32
habito Nocte Paſſionis D. N. J. C.

## SOMNUS.

Somnus, ſecundum Ariſtotelem *lib. de ſomno*, *& vigilia*, eſt ligamentum omnium ſenſuum ad animalis quie- 1
tem, & ſalutem inſtitutum. Obſtruentibus enim vaporibus 2
e ventriculo aſcendentibus ad caput ſenſus communis aditum, iiſdemque cerebri membranam opplentibus, ſicque quaſi ligatis internis, ac externis ſenſibus, anima & corpus ſine ulla operatione quieſcunt, donec conſumptis dictis vaporibus ipſi interiores, & exteriores ſenſus ſoluti, priſtinam ſuam operativam virtutem recuperent, ſeu reaſſumant. Unde cibi illi,
qui plurimum vaporem ſurſum efferunt ſomniferi appellantur, 3
& Phlegmatici, aliique abundantioribus repleti vaporibus, ſeu humoribus uti & infantes ad ſomnum procliviores redduntur. Sic ex Ariſtotele Beyerlinck *Theatr. vitæ humanæ verb. Somnus* §. *Somni cauſa efficiens*.

Somnus quoad tempus ipſum ſumendi alius eſt diurnus, & 4
alius nocturnus. Diurnus rurſus duplex eſt, alius antemeri- 5
dianus, qui fit jejuno ventriculo, qui tolerabilis eſt, nec omnino noxius, cum tunc vacuo ventre, & materia exhalationum non ſuppetente, mala, ſeu morbi non obrepant.
Alter meridianus, ſeu pomeridianus, qui ſi ſine debitis cau- 6
tionibus capiatur, valetudini non parum nocet. Unde apud Plautum in Moſtell. *Non bonus Somnus eſt de prandio*, & Schola Salernit. *Si vis vivere ſanum*, *fuge ſomnum meridianum*.

Somnus enim pomeridianus cibos in ventriculo non conco- 7
quit, ſed corrumpit, ructus, flatuſque parit, cerebrum multa craſſa, mordacique humiditate, atque fuligine replet, unde gravedines, oſcitationes, pendiculationes, vertigines, catharri, capitis dolores, anginæ, apoplexia, incubus, epilepſia paralyſis, & alii morbi frigidi, atque mortiferi promanant.
Nonnulli tamen certis cautionibus adhibitis mitiora, ac mini- 8
me periculoſa illa ſibi efficiunt, primum conſuetudine, & longo uſu, deinde non protinus a cibo, neque capite demiſſo dormiendo. Præterea vel ſomno plenius indulgendo, vel parum longo utendo, poſtremo non ſubito, nec raptim, ſed paulatim vigiliam revocando. Sic ad litteram Beyerlinck *loc. cit.* §. *Tempus*. Ubi ſubjungit, quod aptiſſimum ſomno tem- 9
pus eſt nocturnum, propterea quod ipſum noctis ſilentium quietem advocat, & circumfuſi aeris frigiditate innatus calor facilius ſeſe colligit, & ad interiora revocat, cum ſomnus, ut Ariſtot. *cap.* 3. *lib. de ſomno*, *& vig.* aſſerit, antiperiſtaſis
quædam ſit naturæ conveniens. Unde Seneca *lib.* 22. *Epiſt.* 10
123. eos reprehendit, qui, ut quidam in eadem Urbe Antipodes, noctes vigilant, dies dormiunt, quos appellat Lychnobios, ideſt lucernarios, atque ejuſmodi homines contra naturam vivere. Quod factitaſſe Heliogabalum Imperatorem teſtatur Lampridius *in ejus vita*. Hæc ille.

Unde ſomnus appellatur Filius noctis, & nox Somni da- 11
trix a Poetis, teſte Serra in ſuis Synonymis, & Beyerlinck *loco cit.* §. *Tempus verſ. Nec inſcite*. Et ſuavior evadit no-
cturnus ſomnus, ſi cœna hominis fuerit ſobria, & parcus ho- 12
mo in eſu, & potu, juxta illud Scholæ Salernitanæ: *Ut ſis nocte levis*, *ſit tibi cœna brevis*, & habetur expreſſe ex Eccleſiaſtico *cap.* 31. *num.* 24., ibi: *Somnus ſanitatis in homine parco*, *dormiet uſque mane*, *& anima illius cum ipſa delectabitur*.

Quamvis autem ſanior ſit ſomnus nocturnus, homines ta- 13
men noctu dediti ſtudiis, & orationibus, etiam diurnum, ſeu pomeridiaaum ſomnum capere conſueſcunt, uti ſolent Regulares utriuſque ſexus hora pomeridiana ſilentium indicere, & aliquantulum ſomni, ac quietis capeſcere, ad id habito exemplo a noſtro Salvatore Jeſu Chriſtro, qui uti ſolitus nocte orare, quadam die naviculam ſuorum diſcipulorum ingreſſus ibi ſuaviſſimum ſomnum capiebat, a quo ſuſcitatus ipſos a maritima procella ſalvavit, *Matth. cap.* 8. *num.* 24., & 25., ibi: Et ecce motus magnus factus eſt in
„ mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe vero dor-
„ miebat, & acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & ſuſcita-
„ verunt eum dicentes: ſalva nos, perimus.

Quotis autem horis ſit ſomnus capiendus? Varii variant 14
juxta variorum varias corporis diſpoſitiones, & animi applicationes. Medici ad horas 6. 7. aut 8. conſtituunt, tale enim temporis intervallum ſufficit concoctioni, & viribus naturæ reparandis. Clericat. *in ſuis ſpicis verb. ſomno numer.* 908. refert a ſuo ſatis docto, & erudito Grammaticæ Magiſtro ſic didiciſſe: *Un buon Scolare non deve dormire più di cinque ore*, *Un buon Predicatore non più di* 6. *Un buon Padre di Famiglia ore* 7. *Un gran poltrone ore* 8. Urſaya *in* 2. *Miſcellan. Sacro*, *& profano litt. S. num.* 51. ſic habet: Quattro o
„ cinque al Viandante, Altrettante al Mercatante, Cinque
„ o ſei allo ſtudente, Ed otto ad altra gente. Tutte ſono
„ al Vecchio buone, Nove o dieci al Dormiglione, E chi
„ più è un gran poltrone.

15 Somnus ex Tertulliano *cap.* 43. *de Anim.* eſt recreatio corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicus laborum, cui legitime fruendo dies cedit, nox legem fecit, auferens rerum etiam colorem. Ex
16 quo forſan motus fel. rec. Paulus IV. dicere ſolebat, poſſe ut libet ſomnum capere non in hominis ſitum facultate, ſed eſſe Dei donum. Indeque cum nocte aliqua obdormire non poterat, ſurgebat quidem e lecto, ſed neminem excitabat, neque omnino alicui moleſtiam afferebat, ne ſomno, quem Dei donum appellabat, quempiam privaret, ut per hec præciſa verba id advertit Ciacc. *in ejus vita* §. *Vitæ puritas*, & Urſaya *Inſtit. Crim. lib.* 2. *tit.* 5. *n.* 195.

17 Et idem Urſaya *in* 1. *Miſcell. Sacro*, *& profano litt. S. numer.* 195., *& ſeq. de ſomno*, ſic habet.

*Si ſomnus nihil eſt niſi mors, nil mors niſi ſomnus; Quo plus*
*in vita dormio, vivo minus.*
*Stulte, quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?*
*Longa quieſcendi tempora fata dabunt.*

18 Unde Solimanus Turcarum Tyrannus, qui jureſurando promiſerat nunquam velle occidere Ibraimum ejus primarium Miniſtrum, viventem, Die 15. Martii 1535. fecit illum occidere quando dormiebat, aſſerens hoc modo juramentum non fregiſſe. Sic ex aliis refert ipſe Urſaya *in* 2. *Miſcellaneo Sacro*, *& profano litt. S. num.* 50.

## SORS.

Sors interdum ſumitur promiſcue pro fortuna, vel fato.
1 juxta illud Virgilii *lib.* 3. *Æneid.* . . . . . . . *Hic, exitus illum ſorte tulit*, Aliquando ſumitur pro ſtatu, juxta illud Pſalm. 30. *In manibus tuis ſortes meæ*. Sæpe ſumitur pro prima, & capitali pecunia in ſocietatem, ſeu contractum collata, juxta illud Terentii in Adelph. *Heu mihi etiam de ſorte nunc venio in dubium?* quo ſenſu ſors etiam accipitur *leg. Acceptam* 19. *Codic. de uſuris*, *cap. Conqueſtus* 8. *de*
2 *Uſuris*. Specialiori autem, & uſitatiori modo ſumitur pro eo, quod præciſo hoc fine agitur; ut ejus eventu ſpectato aliquid occultum, vel dubium innoteſcat v. g. quid cuique debeat competere; ſeu ſors eſt inquiſitio fortunæ, aut Divinæ Providentiæ de aliquo contingenti, humanoque eventu, vel ſignum datum, per quod diſtinguantur res confuſæ ad invicem.

3 Porro hæc ſors eſt triplicis generis, nempe divinatoria, conſultoria, & diviſoria, ut tradunt communiter Doctores
4 cum S. Thoma 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. Sors divinatoria eſt ſuperſtitioſa inquiſitio rerum occultarum, vel futurarum, quæ
5 naturaliter ſciri non poſſunt. Sors conſultoria eſt inquiſitio
6 Divini conſilii circa res agendas, vel cavendas. Sors diviſoria eſt inveſtigatio ex conſenſu partium, cui in dubio res aliqua tribuenda ſit.

7 Sortes divinatoriæ ſunt illicitæ, & damnatæ a jure Divino, Canonico, & Civili. Jure Divino vetitæ, & damnatæ ſunt, *Exodi cap.* 22. *Levitici cap.* 19., & 20. *Numer. cap.* 23. *Deuteronom. cap.* 18., & 1. *Regum cap.* 23. Jure Canonico prohibitæ ſunt *in cap. Illud* 6. *cap. Qui* 7. *cap. Illos* 8. *cap. Sed & illud* 9. *cap. Si de arca* 10. *cap. Licet* 11. *cauſ.* 26. *q.* 2. *cap. In tabulis* 1. *cap. Ex tuarum* 2. *de Sortilegiis*, *& cauſ.* 26. *quæſt.* 5. *per totum*. Jure Civili interdictæ ſunt *in l. Artem* 2. *l. Nullus* 3. *leg. Eorum* 4. *leg. Nemo* 5. *leg. Multi* 6. *leg.* Et *ſi* 7. *l. Culpa* 8. *& leg. Quicumque* 9. *Cod. de*
8 *Maleficis*, *& Mathematic.* Et quidem juremerito ſunt ſortes divinatoriæ damnatæ, utpote involventes tacitam, vel expreſſam Dœmonis invocationem, quandoquidem nec ex natura rei, nec ex Dei, aut Eccleſiæ ordinatione inſerviant rei manifeſtandæ. Et huc reducitur verſio cribri, qua impii quidam homines tentant divinare fures, homicidas, ſagas, &c. & ſic de ſimilibus.





Sortes conſultoriæ poſſunt ex circumſtantiis eſſe licitæ, vel 9
illicitæ. Illicitæ ſunt ſi fiant, ſine gravi neceſſitate, ſine debita reverentia ad Deum, & ſine modo proportionato: Ubi enim ſufficit conſilium humanum, illicitum eſt exercitium ſortis conſultoriæ pro habendo conſilio Divino, cum hæc, & ſimilia præſtentur ſolum divinitus, quando non poteſt humanitus provideri. Unde in tali caſu omnis ſors conſultoria eſt irreverentia, & Dei tentatio, adeoque illicita: Licitæ autem ſunt ſortes conſultoriæ, ſi fiant urgente neceſſitate cum debita reverentia, & precibus devote ad Deum fuſis, & non fiant pro officiis, ſeu Beneficiis Eccleſiaſticis; Tales enim ſortes conſultoriæ per ſe primo non ordinantur ad cognoſcenda futura contigentia, ſed ſolum ad tollendas dubietates circa res agendas, vel cavendas, quæ dubietates ſolo humano conſilio decerni non poſſunt, unde licite in tali caſu implorare quis poteſt Divinum conſilium per ſortes conſultorias, ut per eas dignetur Deus indicare quid ſibi agendum ſit, aut cavendum, juxta illud *Proverbior.* 16. *Sortes mittuntur in ſinum*, *ſed a Domino temperantur*.

Et de facto religioſiſſime, & ſanctiſſime ſecundum Deum 10
his ſortibus conſultoris uſi ſunt S. Auguſtinus, ut fatetur ipſemet *l.* 8. *Confeſſ. cap.* 13. & Seraphicus meus Parens Sanctus Franciſcus, ut ſcribit Sanctus Bonaventura *in ejus vita c.* 13.
„ ibi: „ Immiſſum eſt ejus menti per Divinum oraculum,
„ quod in aperitione libri Evangelici aperiretur ei a Chriſto
„ quid Deo in ipſo, & de ipſo maxime foret acceptum;
„ Oratione itaque cum multa devotione præmiſſa, ſacrum
„ Evangeliorum librum de ipſo Altari ſumptum in Sanctæ
„ Trinitatis nomine aperiri fecit per ſocium virum utique
„ Deo devotum, & ſanctum; ſane cum in trina libri aperi-
„ tione ſemper paſſio Domini occurreret, intellexit Vir Deo
„ plenus, quod ſicut Chriſtum fuerat imitatus in actionibus
„ vitæ, ſic conformis ei eſſe deberet in afflictionibus, & do-
„ loribus paſſionis, antequam ex mundo tranſiret „. Et ſic etiam plures alii Sancti apud citatos Auctores a Beyerlinck
*Theatr. vitæ humanæ verb. Sors* §. *Apud Chriſtianos*. Hinc 11
apud meam, variaſque alias Religiones invaluit pius uſus ſortiendi ſingulis annis, & ſingulis menſibus Sanctum Tutelarem, ut & conſueſcunt multæ aliæ ſæculares piæ Perſonæ.

Sunt tamen illicitæ ſortes conſultoriæ a Gentilibus vocatæ 12
Homericæ, ſeu Virgilianæ, eo quia aperto Homeri, ſeu Virgilii Codice, verſus, qui primo viſui occurriſſent, aſſumebantur in oraculi omen.; Livius *lib.* 22.

Item illicitæ ſunt ſortes conſultoriæ a quibuſdam Chriſtia- 13
nis vocatæ ſortes Sanctorum, eo quia ad libri Sacri aperitionem, vel ad Sacræ lectionis auditionem, putant aliqui ratiocinium captare ex ſententia inibi occurrente. Tales enim conſultoriæ ſortes ſaltim vitio vanitatis laborant, cum nullo Spiritus Sancti inſtinctu, nulla gravi neceſſitate cogente, nulla ratione ſufficienti ad ipſas honeſtandas fiant, adeoque juremerito prohibentur *Cap. Aliquanti* 6. *Cap. Si quis* 9. *cauſ.* 26. *q.* 5. & Sanctus Clemens *l.* 7. *Conſt. Apoſtol. c.* 7. dictæ prohibitionis rationem reddit, dicens hoc ſtudium ducere ad Idololatriam.

Sortes diviſoriæ, per quas ex conſenſu partium in dubio 14
diſcernitur, cui res aliqua tribuenda ſit, extra caſum electionis Eccleſiaſticæ, ſunt licitæ; Dummodo nihil ſuperſtitionis, aut injuſtitię contineant: Has enim ſortes diviſorias approbavit ipſemet Deus *Num. cap.* 16. & 33. *Deuteronom. cap.* 1. *Paralip. Cap.* 25. & 26. Sic terra per ſortem diviſa eſt; *Num. cap.* 26. *verſ.* 5. & *cap.* 33. *verſ.* 54. & *c.* 36. *verſ.* 2. *Deuteronom. c.* 1. *verſ.* 28. & 31. *verſ.* 7. *Joſue cap.* 14. Sic captus fuit Jonathas; 1. *Regum cap.* 14. Sic deprehenſus Jonas a Nautis cum a facie Domini fugeret; *Jon. cap.* 1. Sic detectus fuit Achan, *Joſue Cap.* 7. Sic ſorte exiit Zacharias, ut incenſum poneret in Altari; *Lucæ cap.* 1.

Unde videmus in quotidianam praxim deduci has diviſorias 15
ſortes tum a Politicis, & Juriſtis, tum a Canoniſtis, & Theologis ad terminandas ſeu declinandas lites, ad dividendas hereditates, & ſpolia, ad decernenda munera, & officia ſæcularia, & ad multa alia hujuſmodi; quæ ſortes ſunt revera licitæ, ſi nihil ſuperſtitionis, aut injuſtitiæ contineant. *Proverbiorum enim* 18. expreſſe dicitur. *Contradictiones comprimit Sors*, *inter potentes quoque dijudicat*.

Per nullam autem ſortem fieri poſſunt electiones Eccleſia- 16
ſticæ, cum ſic fieri ſit expreſſe prohibitum *in cap. Eccleſiæ veſtræ* 3. *de ſortilegiis*, ibi: „ Sortis uſum in electionibus



„ per-

„ perpetua prohibitione damnantes, & in l. Sacris 47. Cod. „ de Epiſcop. & Clericis, ibi: Neque ex ſortibus, neque „ ex fortuitis circumſtantiis „ & concordat *cap. Quia propter* 42. *de electiοn.* ubi Innocentius III. præſcribens modos in electionibus neceſſario ſervandos, methodum de mittendis ſortibus omnino ſiluit, & omnes alias eligendi formas præter res ibi aſſignatas, nempe Scrutinii, Compromiſſi, & Inſpirationis decrevit penitus irritas ac nullas, ibi: *Aliter electio facta non valeat*: volens inſuper quod attentantes eligere, contra tres dictas formas ea vice priventur poteſtate eligendi, ibi; *Qui vero contra præſcriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice poteſtate priventur*. Pirhing *l.5. decr. tit.21. n.8. & ſeq.* Zoeſius *ib. n.5.* Reiffenſt. *ib. n.* 8. & alii paſſim.

17 Nec valet objicere exemplum de Sancto Matthia Apoſtolo per ſortem ad Apoſtolatum evecto, *Act. Apoſtolorum c.1. n.26.* ibi; „ Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper „ Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.„ Non valet, inquam, quia *in cap. Non exemplo* 4. *cauſ.* 26. *q.*2. expreſſe ſic habetur; „ Non exemplo Matthiæ, vel „ quod Jonas Propheta ſorte deprehenſus ſit, indifferenter „ ſortibus eſt credendum, cum privilegia ſingulorum (ut „ Hieronymus ait,) communem Legem omnino facere non „ poſſint„; Tum quia etiam dato, quod electio Sancti Matthiæ non fuerit facta ex ſpeciali privilegio & manifeſtatione, ſeu revelatione Divinæ voluntatis, uti factam fuiſſe docuerunt Sanctus Dionyſius *de Eccleſiaſtica Hierarchia*, S. Hieronymus *in cap.* 1. *Jonæ*, & Beda relat. *in c. Cap. Non exemplo Matthiæ*; Nec ex conſueta ſortione, & ſimul aliquo ſigno cæleſti viſibili, ut voluerunt Origenes *Homil.* 1. *in Joſue*, & S. Auguſtinus *conc.*2. *in Pſalm.*30. Nec facta fuerit partim conſilio proprio, & judicio, & partim auxilio ſortium, ut aſſerunt nonnulli; Nec mediate ab Apoſtolis, & immediate a Deo, ut ſuſtinent alii volentes, quod duplex fuerit electio, mediata ſcilicet per ſuffragia, & immediata per ſortem, ſeu voluntatem Dei; Sed facta fuerit talis electio per communem ſortem ex uſu, & more veteris Teſtamenti acceptam ab Apoſtolis, ut defendunt Sanctus Laurentius Juſtinianus *in ſermon. de Sancto Matthia*, & Abulenſis *in c.7. Joſue qu.*41. adhuc tamen non valet hodie tale exemplum ad convalidandas electiones Eccleſiaſticas factas per ſortes, cum ad evitandas fallacias, fraudes, & aſtutias in electionibus per ſortes oriri ſolitas, fuerint ex poſt reprobatæ, & damnatæ ſimiles electiones per ſortes *in c. Cap. Eccleſia veſtra* 3. *de ſortilegiis*, *& in Cap. l. Sacris* 47. *Cod. de Epiſ. & Clericis*, juncto *Cap. Quia propter* 42. *de elect.* ubi declaratur irrita, & nulla electio, quæ non ſit facta una ex tribus formis ibi aſſignatis, nempe Scrutinii, Compromiſſi, & Inſpirationis.

18 Et quidem juremerito fuerunt damnatæ, & reprobatæ tales Eccleſiaſticæ electiones per ſortem, cum ſors ſit meri caſus, ſeu cæcæ fortunæ, & non liberi arbitrii electionis, & virtutis, & dum ignorationi, & fortuito caſui adhæret, ſæpe iis dimiſſis, qui ſunt virtute præditi, eos in medium producit, qui indigni ſunt, ut de illis ulla ratio habeatur, ut recte advertit Sanctus Joannes Chryſoſtomus *Homil.*2. *c.*1. *ad Epheſ.* & alii paſſim.

19 Immo neque per ſortem lis dirimi poteſt, etiamſi duo omnibus meritis, qualitatibus; virtutibus, ac dotibus æquales æqualibus votis electi ad Beneficium Eccleſiaſticum, ambo conſentiant in ſortem. Sic Gloſſa final. & Abbas *in cap. Eccleſia veſtra* 3. *de ſortilegiis*, Pirhing. *l.5. decr. t.21. nu.* 10. Zoeſius *ib. n.*4. Reiffenſt. *ib. n.*10. *& l.*1. *Decr. t.6. §.3. numer.*63. Miranda *t.2. Manual. Prælatorum c.23. n.*18. Redn. *Jus Canon. polit. tom.*1. *t.6. n.*44. & alii. Et ratio eſt, quia ſtante æqualitate votorum (quidquid ſit de æqualibus Candidatorum conditionibus) nondum adeſt ulla electio, cum electio debeat fieri per majorem partem votorum, & non per mediam, ſeu æqualem partem, uti eſſet in caſu, adeoque talis electio diceretur abſolute celebrata per ſortem, quod eſt expreſſe prohibitum per cit. Jura *in c. Eccleſia veſtra* 3. *de ſor-*
20 *tileg.*, *l. In Sacris* 47. *Cod. de Epiſ., & Cler.*, juncto *Cap. Quia propter* 42. *de elect.* Unde in tali diſcordia res per compromiſſarios determinanda eſt, vel adeundus eſt Superior, qui Electores ad novam electionem, vel concordiam compellat intra certum præfixum tempus, quo ſine nova electione, ſeu concordia elapſo, poterit ipſe Superior via devolutiva eligere, ut docet Gloſſa communiter recepta *in Cap. Duobus* 14. *verb. Teneantur*, *de Reſcriptis in* 6. Suarez *t.4. de Relig. l.2. de Superſt. cap.*12. *num.*7. Sanchez *l.2. moral. cap.*38. *n.*74. Pirhing *l.c. n.*10. Redn. *l.c. n.*44. & alii contra Gloſſam *in Rubr. verb. Sortes cauſ.*26. *q.*2. ubi tenet poſſe in tali caſu litem per ſortem dirimi, ibi; „ Sed quæ fiunt neceſſitatis cau- „ ſa, non ſunt illicitæ, ut ſi contentio eſſet de electione ali- „ quorum, & eſſet paritas utriuſque in omnibus, exemplo „ Matthiæ poſſunt fieri ſortes &c.„ & Garciam *p.5. de Benef. c.1. n.*205. *& ſeq.* aſſerentem in certo caſu, ac paritate votorum tandem eſſe deveniendum ad ſortes.

Aliæ autem lites, & controverſiæ in cauſis Beneficialibus extra caſum electionis, licet non poſſint per ſortes dirimi 21
propria, ac privata auctoritate partium, poſſunt tamen per ſortes dirimi interveniente Judicis auctoritate. Pirhing *l. c. n.*14. Suarez *l.c. n.*13. *&* 14. Sanchez *l.c. n.* 79. & alii.

Et ratio primæ partis eſt, quia ſi tales lites Beneficiales 22
per ſortes componerentur propria, ac privata auctoritate partium, poſſet fieri, ut per talem ſortem beneficium obtineret, qui nullum Canonicum, & legitimum titulum haberet contra *Cap. Benef.* 1. *de Reg. jur. in 6.* ubi expreſſe dicitur, quod *Beneficium Eccleſiaſticum poteſt licite ſine inſtitutione Canonica obtineri*, *&* contra *Cap. Cum qui unic. de eo, qui mittit in poſſeſſionem*, ubi prohibetur, ut ne litibus Beneficialibus aliquid fiat, per quod ad beneficia ingreſſus vitioſus patere poſſit, ibi; *Ne propter hoc ad ea ingreſſus patere valeat vitioſus*; Nam cum neuter ex litigantibus poſſit privata ſua auctoritate, aut pacto alteri dare legitimum titulum beneficii, nec conſtet uter litigantium habeat juſtum titulum, ideo ſtat grave periculum, ne is, ſuper quem cadit ſors, obtineat, & poſſideat beneficium ſine juſto titulo. Tum quia talis litis, ſeu controverſiæ beneficialis compoſitio per ſortes nequit fieri ſine pacto, & conventione partium; Omne autem pactum propria, & privata auctoritate initum circa beneficia litigioſa, eſt Simoniacum, *c. ult. de pactis*, *c. Quam pio* 2. *cauſ.* 1. *qu.*2. & concordat *Cap. Super eo* 7. *de tranſact.*, *Cap. Quæſitum* 5. *de rer. permut. Cap. Super hoc* 6. *de renunc. Cap. Matthæus* 23. *de Simonia*, cum ſimilibus.

Ratio autem ſecundæ partis, quod nempe lites, & con- 23
troverſiæ beneficiales per ſortes dirimi poſſint, interveniente Judicis auctoritate, eſt, quia ſi partes litigantes ſuper beneficio pactum aliquod, conſentiente, & approbante Judice, ineant, & juxta illud Judex ſententiam proferat, vigore talis ſententiæ is, cui a Judice Beneficium litigioſum adjudicatum eſt, illud vere conſequitur ex titulo ſufficienti, nempe titulo, & auctoritate ſententiæ Judicialis, ac proinde ceſſat Simonia, & periculum vitioſi ingreſſus, quia auctoritate Judicis interveniente purgatur utrumque vitium, & Simoniæ, & vitioſi ingreſſus, quod utrumque intervenit, non interveniente in tali pacto Judicis auctoritate: Sicque eadem ratione ceſſabit utrumque periculum, & Simoniæ, & vitioſi ingreſſus, ſi pactum de lite beneficiali per ſortes componenda, interveniente Judicis auctoritate, & approbatione ſit initum, adeoque, licet dictæ lites, & controverſiæ Beneficiales non poſſint per ſortes dirimi propria, ac privata auctoritate partium, poſſunt tamen per ſortes dirimi interveniente Judicis auctoritate & approbatione.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

De uſu ſortis in electione Canonica aliqua tetigimus *in* 1
*addit. ad verb. Electio artic.*1. *n.* 9. *& dub. ſequent.*
Hic vero illud accuratius expendendum, an re vera Hono- 2
rius III. *in cap.*3. *de Sortileg.* in electione Canonica omnino improbaverit uſum ſortis.

Verba hujus Capituli ſunt: *Eccleſia veſtra nuper Epiſcopo* 3
*deſtituta circa modum electionis diverſos incipientes tractatus unum tandem elegiſtis ex vobis per ſortem. Is iterum tres elegit, qui Epiſcopum Eccleſiæ nominarent. Nos tali examinato proceſſu multa reprehenſione digna putamus, ſortem in talibus perpetua prohibitione damnantes.*

Negari ſane haud poteſt, Honorium III. in recitato Capi- 4
tulo uti verbis valde momentoſis adverſus ſortem. At enim 5
vero plurima occurrunt, quæ interpretationem ſuadent, quod Capitulum hoc intelligi non debeat niſi de ſorte divinatoria, conjuncta ſcilicet cum opinione, Deum ſorte recturum eſſe electionem.

Primo enim, id vult inſcriptio totius tituli *de Sortilegis*, 6
quo verbo plerumque denotantur *Divinatores*.

Deinde quum alia decreta *in cap.4. ſequenti* conquirenda 7
ſint, quæ ſortis uſum approbant, in dubio certe verba Honorii aſſumenda ſunt de ſortis abuſu.

Tum



8 Tum ipſa decreti hiſtoria id fere dicit. Quia Collegæ Eccleſiæ Lucanæ, quum in electione Epiſcopi inquirere debuiſſent in merita Candidatorum, omiſſa cura hac, fiduciam
9 in judicio ſortis poſuerunt. Quod merito illis exprobrat Honorius. Si enim ſors illorum fuerit luſoria, tum levitas &
10 incuria erant accuſandæ Electorum. Sin autem divinatoria, tum coargui poterat ſuperſtitio, & Religionis nimietas, qua in globulis fiduciam poſuerant divinæ voluntatis, quum illam quærere debuiſſent in uſu rationis meritorum virtutumque utriuſque Candidati.

11 Neque eſt, quod dicat aliquis, Lucanos tamen non elegiſſe ipſum Epiſcopum judicio ſortis, ſed tantum Electores, ut adeo pertinere videatur ad genus electionis per compromiſſum.

12 In promptu enim eſt reſponſio; *Qui ſorte decernit Electores, ille viam ſortis facit Electo*; Neque inter hunc, & caſus alios quidquam intereſt, quam quod ſortis uſus concurrere poſſit in electione vel *immediate*, vel *mediate*, vel *directe*, vel *indirecte*. Utrumque recte omnino prohibetur.
13 Alia vero eſt ratio compromiſſi facti cum judicio, & uſu rationis, alia cæcæ, & ſuperſtitioſæ ſortis. Primum admittunt Canones, alterum merito refellunt.

14 Ex his non improbabiliter ſuſtineri poteſt, Capitulum 3. loqui non *de ſorte rationabili*, cui præceſſit *examen Candidatorum*, non de luſoria, neque etiam de neceſſaria, ſed *de genere ſortis ſuperſtitioſæ*, *Divinatoriæ*, *temerariæ*.

15 Eo vel maxime, quod in caſu hoc *ſortis rationabilis* metui nequit, ut homo indignus eligatur, quæ eſt ratio, cur communiter uſus ſortis improbatur. In eo enim Candidati jam fuerunt miſſi ſub examen induſtriæ, virtutis, Litterarum. Breviter aliud eligere per ſortem, aliud factam electionem judicio ſortis definire; Vide *Natalem Alexandr.* virum antiquitatum Eccleſiæ callentiſſimum, qui *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſæculo* 1. *diſſert.*6. hanc quæſtionem ex inſtituto reſolvit, idque his tandem verbis; „ Probatur uſus ſortis, ſi modo Epiſ- „ copatus Candidati ſint digni, & ita pares, ut vix inter eos „ ſit meritorum diſcrimen. Quia ubi humanæ prudentiæ ju- „ dicium deficit, divina voluntas conſulenda, & ejus omnia „ committenda providentiæ. Sic inter Antiſtites, qui tem- „ pore peſtis manere debeat, merito ſortis uſu indagatur, ſua- „ ſore Auguſtino.

## SORTILEGIUM.

1 Sacerdotes abutentes Sacrificio Miſſæ ad ſortilegia, præter alias pœnas, incurrunt inſuper perpetuam inhabilitatem ad celebrationem Miſſæ ex Decreto Sanctæ univerſalis Inquiſitionis edito de mandato Benedicti XIV. *Die* 5. *Auguſti* 1745.

2 Alia ad rem vide infra verb. *Superſtitio* a num. 33. ad 44.

## SPADONES.

Vide verb. *Impedimenta Matrimonii art.2. nu.* 38. 39. *& verb. Patria poteſtas n.*27.

## SPATULOMANTIA.

Vide verb. *Superſtitio n.* 24.

## SPECTACULA.

* Spectacula inverecunda, uti ſunt puerorum, & adoleſcentum nudorum curſus, & luctæ, etiamſi longa conſuetudine introductæ, ne permittantur ab Epiſcopis, legibuſque latis prohibeantur, mandat Benedictus XIV. in encyclica ad Epiſcopos Campaniæ incip. *Nihil profecto*; *Bull.* tom.1. *num.*60. *

## SPES.

Vide verb. *Virtus a numer.* 21. *ad* 35.

## SPICÆ.

*Additio Auctoris e II. Editione.*

Spicarum collectio poſt abſolutam meſſem pauperibus per- 1
mittenda indicitur a *Benedicto XIV.* tom. 1. Conſt. 56. incip. *Acerbi plane Doloris*, directa Archiepiſcopis, & Epiſcopis Ditionis Eccleſiaſticæ in qua adducit ſcripturas, quibus clarius, & luculentius conſtat agrorum Dominos ad exercendam hanc in pauperes liberalitatem Dei ipſius oraculo edoceri. Videlicet *Levitici cap.*19. ibi: Cum meſſueris ſegetes 2
„ terræ tuæ, non tondebis uſque ad ſolum ſuperficiem terræ, „ nec remanentes ſpicas colliges: Neque in vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis, ſed pauperibus, & „ peregrinis carpenda dimittes, Ego Dominus Deus veſter, „ *Et rurſus* Deuteronomii cap.24. Quando meſſueris ſegetem „ in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reverteris, ut tollas illum: ſed advenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus „ tuus in omni opere manuum tuarum. Si fruges collegeris „ olivarum, quidquid remanſerit in arboribus, non reverteris, ut colligas, ſed relinques advenæ, pupillo, & viduæ. „ Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, ſed cedent in uſus advenæ, pupilli, & viduæ.

Adducit inſuper illud *Ruth. c.*2. ubi habetur, eam Socrui ſuæ Noemi dixiſſe; „ Vadam in agrum, & colligam ſpicas, „ quæ fugerint manus metentium, ubicumque clementis in „ me Patris familias reperero gratiam „. Et paulo poſt in agrum *Booz* ingreſſam, ſpicas collegiſſe, ibi: *Abiit itaque, & colligebat ſpicas poſt terga metentium*; Cum vero percontanti *Booz* quænam eſſet illa mulier, Moabitidem eſſe reſponderetur, nec deeſſent, qui teſtarentur illam a primo mane ad eam uſque horam ſpicas collegiſſe. *Audi*, (inquit) „ filia ne „ vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc „ loco; ſed jungere puellis meis, & ubi meſſuerint, ſequere; mandavi enim pueris meis, ut nemo moleſtus ſit tibi; Præterea tantum pii viri animus a contumeliis abfuit, ut eam non colligere tantum relictas, ſed integras ſpicas metere paſſus ſit, jubens ea de cauſa Meſſoribus: *Etiamſi vobiſcum metere voluerit, ne prohibeatis eam*. Quare cum ſeſe domum Ruth recepiſſet, & tantam frumenti copiam ſocrui ſuæ oſtendiſſet acceptam; illa memori, ac grato animo collectas fruges Datori cenſuit referendas, inquiens: *Sit benedictus, qui*
*miſertus eſt tui*. Hæc ille *loc. cit.*, qui *ib.* §.6. majori, quo 3
poteſt paternæ caritatis ſenſu hortatur, & obteſtatur, ut Epiſcopi cauſam pauperum, quæ cauſa Dei eſt, omni ope, & conatu tueantur in ſuam veluti clientelam ſuſcipientes pauperes dignum pietate ſua zelum exhibeant, ſuis primum vocibus, & exhortationibus, ac mandatis etiam in ſingulis Diœceſum ſuarum Parochiis inter Miſſarum ſolemnia evulgandis commendetur egenorum cauſa, agnoſcatque populus quam turpe, ac Chriſtiano nomini indecorum ſit, meſſe jam abſoluta, pauperes ab agri finibus amoveri. Potiſſimum vero intelligant agrorum domini colligendarum ſpicarum morem immaturo conſilio ſublatum fuiſſe in iis locis, in quibus diuturno uſu jam invaluerat, ibique reſtitui omnino oportere. Ubi vero hæc conſuetudo recepta adhuc non ſit, pro viribus inducatur in ſolatium egenorum, qui gravi ſaltem, ſi non extrema, laborant inopia, quique in difficilium temporum anguſtiis magis, magiſque conficiuntur. Sic idem in laudata Conſtitutione *Acerbi plane doloris*.

Spicarum egenis collectoribus permittitur ſine alio libera 4
extractio quocumque tempore in Ditione Eccleſiaſtica etiam extra ſtatum Eccleſiaſticum. Idem tom.2. Conſtit.53. incip. *Quo die*, *n.* 11.

## SPIRITUS SANCTUS.

*Additio Auctoris, e II. Editione.*

Spiritus Sancti proceſſio a Patre, & Filio eſt vere creden- 1
da. Benedict. XIV. tom.1. Conſt.57. incip. *Etſi Paſtoralis* §.1. Etſi autem Græci teneantur credere etiam a Filio 2
Spiritum Sanctum procedere, non tamen tenentur in Symbolo pronunciare. Unde particula *Filioque* in Symbolo omitti poteſt a Græcis. Idem *ibidem*. Non tamen ab Albanenſibus, 3
qui eam recitare conſueverunt. Idem *ib.* Nec ab Italo-Græcis, 4
ſi a locorum Ordinariis, vel ob ſuſpicionem hæreſis, vel ob ſcandalum, vel ob aliam cauſam, requiſiti fuerint; Tunc

enim

enim particulam illam *Filioque* in Symbolo pronunciare tenentur. Idem *ibid.*
5 Spiritus Sancti Imagines ſub humana juvenis forma damnantur, & prohibentur. Idem Conſt.145. incip. *Solicitudini*
6 §.10. 23. 33. *ad* 37. Spiritus Sancti tamen Imagines in forma columbæ approbantur, & permittuntur. Idem *ibid.* §. 16. *ad*
7 20. *&* 36. Item in figura linguarum ignis ubi repræſentatur myſterium Pentecoſtes. Idem *ib.* §. 21. *&* 36. Vid. *verb. Imagines.*

## SPOLIATOR, SPOLIATUS.

1 SPoliator hic dicitur quicunque, ſive privatus, ſive Judex alium vi, vel clam extrajudicialiter, & non ſervato Juris ordine, de poſſeſſione alicujus rei, ſeu Juris ejicit, aut alias injuſte privat, ſeu ſpoliat. *Ita in re Communis: arg. c. Conquerente 7. de reſtitutione ſpoliatorum*, cum aliis ſimilibus, *& tot. tit. ff. de vi, & de vi armata, & C. Unde vi.*

2 Spoliatus e contra dicitur, qui vi, vel clam a quocunque privato, ſive Judice extrajudicialiter, & non ſervato Juris ordine de poſſeſſione alicujus rei, ſeu Juris eſt ejectus, aut alias injuſte privatus, ſeu ſpoliatus. *Sic in re Communis, arg. cit. cap. Conquerente 7. de reſtit. ſpoliat.* cum aliis ſimilibus, *tot. tit. ff. de vi, & de vi armata, & Cod. Unde vi.*

3 Remedia Juris præcipua, quæ habet ſpoliatus ad recuperandam poſſeſſionem ſunt ſequentia. Primum remedium eſt Interdictum *Unde vi*, ſic dictum a primis verbis Prætoris illud proponentis *in l. Prætor ait 1. ff. De vi, & de vi armata*, ibi; *Unde tu illum vi dejeciſti?* per quod Interdictum duo ſtatuuntur in favorem ſpoliati; Primo ſcilicet ut ſpoliatus ante omnia inſtituatur in priſtinam poſſeſſionem, ita ut ſpoliator volens agere, aut probare proprietatem rei ablatæ, non ſit audiendus, niſi prius rem ablatam reſtituerit, etiam Prædoni; *cap. In litteris 5. de reſtitutione ſpoliat. & c. Super Spoliatione 4. de ord. Cognit.* Et ſecundo ut ſpoliatus reſtituatur ad totam cauſam, ideſt non ſolum in priſtinam poſſeſſionem liberam, ut antea *arg. c. Piſanis 19. §. Porro, de reſtitutione ſpoliat.* ſed etiam ad omne id, quod ibi amiſit, licet ad ſpoliationem nihil pervenerit; *l. Prætor ait 1. §.1. ff. De vi, & de vi armata; l. Si de poſſeſſione 4. Cod. Unde vi, c. Redintegranda 3. cauſ. 3. q. 1. c. Gravis 11. de reſtit. ſpoliat.* Et hoc jure merito in odium ſpoliationis; *Clement. unic. de cauſa poſſeſſ. & proprietat.*

4 Dictum Beneficium, ſeu interdictum *Unde vi* competit ei ſoli, & omni, qui vere dejectus eſt, ſive ſit Dominus directus, ſive utilis, ſive non ſit Dominus, ut Prædo; item hæredibus, eorumque ſucceſſoribus adverſus omnes, qui per ſe, vel per alium ſpoliarunt, aut ſpoliationem demandarunt, aut ſpoliationem ſuo nomine factam ratificarunt; *c. Cum ad Sedem 15. de reſtitutione ſpoliatorum*, & Gloſſa communiter recepta *ibid. verb. Interdictum Unde vi*, cum pluribus ibi citatis.

5 Secundum remedium recuperandæ poſſeſſionis eſt Condictio *ex cap. Sæpe 18. de reſtitutione ſpoliatorum*, ratione cujus ſpoliatus poteſt agere contra quemcumque tertium poſſeſſorem, qui rem invaſam ſcienter recipit, ita ut ille cogatur rem ablatam reſtituere, quamvis ſpoliatus non probaverit ejus proprietatem, ſed duntaxat ſpoliationem, textu expreſſo *in cit. cap. Sæpe §. Unde, de reſtitutione ſpoliatorum.*

6 Tertium remedium recuperandæ poſſeſſionis eſt Condictio; *ex cap. Redintegranda 3. cauſ. 3. q. 1.* vi cujus ſpoliatis, & ejectis Epiſcopis, per quos veniunt omnes Eccleſiaſtici, & ſecundum probabiliorem, & communiorem ſententiam etiam Laici, omnia bona, ſive mobilia, ſive immobilia in eodem loco, ubi ſibi erepta fuerunt, redintegrari, ſeu reſtitui jubentur, & quidem ante accuſationem, ita ut ſpoliatus ante factam reſtitutionem omnium ſibi ablatorum accuſari non poſſit, & accuſatus reſpondere non teneatur, antequam omnia ſibi fuerint reſtituta, textu expreſſo *in citat. c. Redintegranda 3. cauſ. 3. q. 1.*

7 Quartum remedium recuperandæ poſſeſſionis eſt Condictio, *ex l. Invaſor 5. Cod. Unde vi*; quod datur, & contra eum, qui per vim loca aliqua invaſiſſe probetur, & contra eum, qui per errorem, & bonam fidem occupavit poſſeſſionem rei alienæ, qui tenetur, non obſtante errore, ac bona fide, reſtituere poſſeſſionem occupatam, textu expreſſo *in cit. l. Invaſor 5. Cod. Unde vi.*

8 Quintum remedium recuperandæ poſſeſſionis eſt Condictio, *ex l. Si quis in tantam 7. Cod. Unde vi*, per quod, quia propria auctoritate violenter ingreditur poſſeſſionem penes alium conſtitutam, cogitur inprimis hanc poſſeſſionem alteri reſtituere; Et deinde ſi Invaſor fuit Dominus dictæ rei, ultra poſſeſſionem amittit etiam ejus Dominium, & ſi non fuit Dominus, compellitur inſuper ad dandam, ſeu reſtituendam æſtimationem rei, textu expreſſo *in cit. l. Si quis in tantam 7. Cod. Unde vi.* Quæ tamen pœna amiſſionis dominii, aut reddendæ æſtimationis rei intelligitur ſolum habere locum, poſt ſententiam Judicis, ut notat Gloſſa communiter recepta, *ib. verb. Amittant.*

9 Sextum remedium recuperandæ poſſeſſionis eſt Condictio, *ex l. Cum quærebatur 11. Cod. Unde vi*, quod datur adverſus eum, qui doloſe occupavit poſſeſſionem rei alienæ vacantem, & ſic tamquam prædo rem occupatam, ejuſque poſſeſſionem reſtituere cogitur, textu expreſſo *in cit. l. Cum quærebatur 11. Cod. Unde vi.*

10 Septimum remedium recuperandæ poſſeſſionis eſt Condictio, *ex l. Extat, ff. de iis, quæ vi, metuſve cauſa*, per quod Creditor, qui per vim, aut propria auctoritate rem, vel pecuniam ſibi debitam accepit, aut vi illata ſolvi fecit, cogitur rem acceptam reſtituere, & inſuper perdit Jus Crediti, & actionem adverſus Debitorem, textu expreſſo in cit. *leg. Extat ff. de iis, quæ vi, metuſve cauſa, & l. Creditores 7. ff. ad Legem Juliam, de vi privata.*

11 Octavum remedium recuperandæ poſſeſſionis habetur *ex Officio Judicis*, & competit illi, qui non poſſidet, ſed ſolum detinet rem, & poſtmodum ipſa ſpoliatur, ut *Commodatarius, Depoſitarius, Conductor ad breve tempus*, & ſimiles; Iſti enim, cum non poſſideant, ſed ſolum detineant, *l. Officium 9. ff. de rei vindicatione*, ſi ſpolientur detentione talium rerum, non habent ullum ex hucuſque enumeratis ordinariis remediis poſſeſſoriis ex defectu poſſeſſionis, & ideo ſic ſuadente æquitate eſt eis indultum remedium extraordinarium, ac ſubſidiarium, ut poſſint nempe implorare Officium Judicis ad recuperandam rerum præhabitarum detentionem, a qua ceciderunt, *arg. l. Aquilius 27. ff. de donationibus, l. & non tantum 19. ff. de petition. hereditat. c. Quia 11. de Judiciis, c. Bonæ memoriæ 15. de appellat.* cum ſimilibus.

12 Ut Spoliatus ante omnia ſit reſtituendus, ut ante omnia eſſe reſtituendum jam diximus *ſupra n. 3. per Jura ibi adducta*, ſi agat ex remedio *Interdicti Unde vi*, duo probare debet, ſcilicet ſe poſſediſſe, & ſe fuiſſe ſpoliatum talia ſua poſſeſſione; *c. Conſultationibus 10. de Officio Delegati*, juncta Gloſſa *ib. verb. Poſſeſſionem, & dejectionem, l. Prætor ait 1. §. Interdictum autem, ff. De vi, & vi armata*, ibi: *Interdictum autem hoc nulli competit, niſi ei, qui tunc non dejiceretur, poſſidebat.* Si autem agat ex remedio, *c. Redintegranda 3. cauſ. 3. q. 1.* ſufficit, quod ipſe ſpoliatus probet ſuam priorem poſſeſſionem, & novam alterius, ſeu ſpoliatoris conventi prætenſam poſſeſſionem; Probata enim juſta priore poſſeſſione, nova præſumitur clandeſtina, & vitioſa, cum duo inſimul eamdem rem, & eodem modo poſſidere non poſſint; *l. Licet cauſam 9. §. Ex præmiſſis, de probationibus*, cum ſimilibus.

13 Dicta Regula: *Spoliatus ante omnia eſt reſtituendus*, procedit non ſolum quando quis vi, vel clam fuit ſpoliatus a privato, ut eſt indubitatum apud omnes, ſed etiam quando quis eſt ſpoliatus a ſuo Prælato, ſeu Judice extrajudicialiter, ſeu non ſervato Juris ordine, textu expreſſo *in c. Conquerente 7. de reſtit. ſpoliatorum.*

14 Regula illa: *Spoliatus ante omnia eſt reſtituendus*, fallit in aliquibus caſibus. Primo ſcilicet quando ſpoliatus conſentit, ut ſpoliator ante reſtitutionem ſuper proprietate rei ſibi competente audiatur, textu expreſſo *in cap. Licet 1. de reſtitutione ſpoliator.* Et ratio clara eſt, quia Beneficium reſtitutionis eſt privilegium Juris, cui libere renunciare poteſt ſpoliatus; *cap. Si de terra 6. de privil. & l. Si quis in conſcribendo 29. Cod. de pactis.*

15 Secundo quando notorium eſt, quod proprietas rei ſpolio ablatæ non pertineat ad ipſum ſpoliatum, ſed ad ſpoliatorem; Tunc enim ſpoliatus ob notorium defectum proprietatis veluti doloſus Jure repellitur, textu expreſſo *in c. dolo facit 59. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eumdem*, & concordat *l. Dolo facit 8. ff. de doli mali, & metus exceptione.*

16 Tertio quando ſpoliatus ante factam ſuam ſpoliationem, libere renunciavit Dominio rei ſpoliatæ, textu claro *in cap. Accepta 3. de reſtitutione ſpoliator.* Nec obſtat *c. Sollicite 2. eod. tit.* quia loquitur de renunciatione, nec ante ſpoliationem



nem facta, quæ non cenſetur libera, ut argumentatur ibi Pontifex: *Quia non eſt veriſimile, quod ſponte Juri ſuo renunciaverit, qui renunciavit ſpoliatus.*

17 Quarto quando ſpoliatus poſt ſpoliationem cum ſpoliatore pactum inivit, vel juravit ſponte, quod nolit agere poſſeſſorio recuperandæ: Pacta enim inita ſunt cuſtodienda, & promiſſa ſunt opere complenda, *c. Antigonus 1. & c. Qualiter 3. de pactis, l. Juris gentium 7. §.7. ff. De pactis.*

18 Dicitur autem notanter *Poſt ſpoliationem*, quia ſimile pactum initum cum ſpoliatore ante ſpoliationem non valet, textu expreſſo *in l. Si unus 27. §.3. & 4. ff. De pactis*; Et ratio eſt, quia tale pactum initum ante ſpoliationem præberet anſam delinquendi, & animaret homines ad ſpoliandum, ac proinde veluti continens turpem cauſam merito reprobatur a Jure, & non valet; *c. l. Si unus §.3. & §.4.* ubi expreſſe dicitur: „Pacta, quæ turpem cauſam continent, non ſunt „obſervanda, veluti ſi paciſcar, ne furti agam, vel injuriarum, ſi feceris, expedit enim timere furti, vel injuriarum pœnam, ſed poſt admiſſa hæc, paciſci poſſumus.

19 Mulier propria auctoritate ſub prætextu impedimenti, v.g. conſanguinitatis, a marito ſe ſeparans, ſicque eum poſſeſſione ſpolians, ſi non habet probationes incontinenti paratas ad probandum impedimentum dirimens Matrimonii, eſt plenarie reſtituenda marito, & quo ad cohabitationem, & quoad torum, donec ipſa probationes offerat præparatas. Sic expreſſe deciſum habetur *in c. Litteras 13. §. Quod ſi non habeat, de reſtitutione ſpoliator.* Et ratio eſt, quia ut ibidem ſubjungitur, præſumitur mala fides contra ipſam, eo quod propria temeritate, & abſque Judicio Eccleſiæ a viro ſuo receſſerit; Unde ſtante tali caſu, viget regula generalis, quod *ſpoliatus ante omnia ſit reſtituendus.*

20 Si vero tanta eſſet viri ſævitia, ut mulieri trepidanti non poſſet ſufficiens ſecuritas provideri, tunc non ſolum non eſſet ei reſtituenda, ſed ab eo potius removenda. Et e contra, ſi poſſit dictæ mulieri ſufficiens ſecuritas provideri, eſt ipſa ante cauſæ cognitionem reſtituenda marito, textu expreſſo *in c. cap. Litteras in fine*, ibi: „Si vero tanta ſit viri ſævitia, „ut mulieri trepidanti non poſſit ſufficiens ſecuritas provideri, non ſolum non debet ei reſtitui, ſed ab eo potius „amoveri, alioquin ſufficienti (ſi fieri poteſt) ſecuritate „proviſa profecto videtur conjux ante cauſæ cognitionem „reſtituenda marito„. Et concordat *c. Ex tranſmiſſa 8. c. Ex conquæſtione 10. c. Ex p. 14. de reſtitut. ſpoliat. & c. Intelleximus 1. De ordine Cognitionum.*

21 Spoliator violentus reſtituere debet ſpoliato, non ſolum rem ablatam, ſed etiam cum ipſa omnes fructus, tum extantes, tum conſumptos, immo etiam illos, quos non percipit, & prior poſſeſſor ſpoliatus percipere potuiſſet, ſi ſuam poſſeſſionem continuaſſet. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Gravis 11. de reſtitutione ſpoliat.* & *l. Si de poſſeſſione 4. Cod. Unde vi.*

22 Unde, antequam dictus ſpoliator audiatur ſuper prætenſa rei ablatæ proprietate, eſt reſtituendus ſpoliatus, non ſolum in priſtinam poſſeſſionem liberam ut antea, *arg. c. Piſanis 19. §. Porro, de reſtitutione ſpoliat.* ſed etiam ad omne id, quod ibi, ſive ratione fructuum non perceptorum, ſive ratione factarum expenſarum amiſit, & damnum paſſus eſt, licet ad ſpoliatorem nihil pervenerit; *l. Prætor ait, 1. §.1. ff. De vi, & vi armata, l. Recte poſſidenti 1. l. Ut pulſos 2. l. Auctoritatem 3. & l. Si de poſſeſſione 4. Cod. Unde vi; c. Redintegranda 3. cauſ. 3. q. 1. c. Gravis 11. de reſtit. ſpoliatorum.* Et hoc jure merito in odium ſpoliationis. *Clem. unic. de cauſa poſſeſſion. & propriet.* Et ſic Rota *in Lavellen. ſeu Melphien. pecuniaria 16. Novemb. 1610. coram Ubaldo, & in Romana Silvæ 15. Maji 1628. coram Veroſpio*, allegat a Barboſa *in c. cap. Gravis n. 4.* & ſic Doctores communiter.

23 Nec talis ſpoliator excipere poteſt contra ſpoliatum per objectionem criminis; Prius enim ut ſupra reſtituendus eſt Actor ſpoliatus, antequam de crimine objecto per exceptionem audiatur Reus ſpoliator, textu expreſſo *in c. Item cum quis 6. de reſtit. ſpoliator*, ibi: „Non occurrit nobis, quod „illius objectio admitti debeat, vel principalis cauſæ propter hoc executio retardari, quoniam criminaliter adverſus eum ante reſtitutionem agere non poteſt, cum præſumatur ejus exiſtere inimicus.

24 Niſi tamen opponatur talis criminis exceptio, quæ perſonam ſpoliati reddat inhabilem ad agendum, ut eſt Excommunicatio, cum Excommunicatus in Judicio non ſit ut Actor audiendus, nec ibi ſtare poſſit, niſi tanquam Reus; *c. Intelleximus 7. de Judiciis, c. Conſpiratores 5. cap. Nullus anathematizatorum 6. cauſ. 3. q. 4.* cum ſimilibus.

In Civilibus non admittitur ſpoliationis exceptio facta ab 25
alio, quam ab actore, textu expreſſo *in cap. Frequens 1. de reſtitutione ſpol. in 6.*

In Criminalibus autem admittitur ſpoliationis exceptio 26
etiam a quocumque tertio facta, dummodo fiat intra quindecim dies, & ſit de tota ſubſtantia, vel majori parte, textu expreſſo *in c. cap. Frequens.*

Spoliatus excipiens ſpoliationem factam a tertio intra cer- 27
tum tempus a Judice ſtatuendum, debet petere reſtitutionem, alias non juvat exceptio, & accuſabitur, exceptione non obſtante, textu expreſſo *in c. cap. Frequens §. Solet.*

Agenti ſuper rebus Eccleſiaſticis non obſtat exceptio ſpo- 28
liationis privatorum rerum. Vel e converſo, textu expreſſo *in c. cap. Frequens §. Ad hoc*, ibi: „Ad hoc ſancimus, ut re„rum privatorum ſpoliatio agenti ſuper Eccleſiaſticis, vel „e contrario, nullatenus opponatur.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

ADverſus violentos Spoliatores alia præter Interdictum 1
*Unde vi* ſunt prodita remedia, puta accuſatio ex Lege Julia de vi publica, & de vi privata; nec non Conſtitutiones variæ recentiores, quibus vis coercetur, comprehenſæ *in L. 7. & ſeq. C. Unde vi.*

Pinguiora vero præ cæteris ſunt remedia juris Canonici 2
moribus hodiernis paſſim comprobata *ex cap. Sæpe contingit,*
*de Reſtitut. Spoliator. & Can. Redintegrandæ 3. & 4. cauſ. 3.* 3
*quæſt. 1.* Interdictum enim *Unde vi* tantum locum habet in rebus immobilibus, & incorporalibus, quæ immobilium jure cenſentur, & tantum competit contra dejicientem, non item contra tertios rei poſſeſſores, & quidem intra annum.

At remedium ex *Canon. Reintegrandæ* ad omnes omnino 4
res extenſum fuit, & adverſus omnes rei poſſeſſores datum, ſive bona, ſive mala fide, ſive cum, ſive ſine titulo poſſideant, & ſive titulus ex quo poſſident oneroſus, ſive lucrativus ſit, idque ſine temporis diſtinctione.

Sed an hæc, quæ uſu recepta ſunt de remedio *ex Canon.* 5
*Redintegrandæ*, conſona revera ſint menti Auctoris ipſius, vide *Bohemer. ad titul. de Reſtitut. Spoliat.*

## SPOLIUM.

SPolia Eccleſiaſticorum Beneficiatorum, qui decedunt ſi- 1
ne teſtamento, vel ſine facultate teſtandi diſponunt, & illa, quæ ultra facultatem remanent, pertinent ad Cameram Apoſtolicam; Paulus II. Conſtitution. 29. incip. *Romani.*

Spolia Eccleſiaſticorum Beneficiatorum morientium ſine 2
facultate teſtandi pertinent ad Cameram Apoſtolicam, eorumque diſpoſitiones nullæ ſunt, etiamſi ſint ad pias cauſas; Pius IV. Conſt. 8. incip. *Grave nimis.*

Spolia Beneficiatorum morientium extra reſidentiam, 3
etiamſi habuerint facultatem teſtandi, pertinent ad Cameram Apoſtolicam. Pius IV. Conſt. 91. incip. *In ſuprema.*

Spolia bonorum Clericorum ex illicita negotiatione acquiſi- 4
torum pertinent ad Cameram Apoſtolicam. Pius IV. Conſtit. 19. incip. *Decens.*

Spolia Regularium vagantium, & morientium extra Clau- 5
ſtra pertinent ad Cameram Apoſtolicam, niſi habeant facultatem teſtandi, Gregorius XIII. Conſtitut. 43. incip. *Officii*
*noſtri.* Advertit tamen Paſſerinus *de ſtatib. hominum tom. 3.* 6
*part. 189. art. 8. numer. 529.* talem Conſtitutionem non habere locum de omnibus bonis Religioſorum, ſed de illis ſolum, quæ acquiſiverunt extra Clauſtra degentes; De his bonis loquitur Conſtitutio Pauli IV. 14. incip. *Poſtquam*; & patet etiam ex citat. Conſtitut. XIII. ubi dicitur tempore, quo extra Clauſtra hujuſmodi fuiſſent acquiſita, & tandem §.3. ſtatuit, ut bona omnia per Regulares degentes extra Clauſtra acquiſita ſpectent ad Cameram Apoſtolicam, ideo quæ Religioſus acquiſivit, antequam egrederetur de Clauſtro, concludit dictus Paſſerinus, Religioni manere, nam fuerunt jam illi acquiſita. Vide infra *n. 39.*

Hinc a fortiori manent Religioni, & illi debentur bona il- 7
lorum Religioſorum, qui cum legitima facultate ſuorum Superiorum itinera arripientes, vel apud Parentes, Amicos, & Benefactores, Religioſas vacationes obeuntes per accidens ibi

ibi decedunt. Et ita cenſuit *Sacra Congregat. Epiſcop. & Regul. in Vercellenſ.* 11. *Aprilis* 1650. & 30. *Junii* 1604. apud Pignatell. *tom.* 8. *conſ.* 85. allegans ad rem alia Decreta Sacr. Congr. S. Officii.

8 Spolium Regularium ſolet erogari per Prælatos Regulares in uſum Conventus abſque Beneplacito Apoſtolico, etiamſi ſit pecunia depoſita abſque vinculo in banco publico, quia vere non eſt pecunia deſtinata ad emptionem. *Sacra Congregat. Concilii die* 28. *Februarii* 1654. *tom.* 19. *Decret. pag.* 319. propoſito dubio: „ N. Superior Regularis quærit pro quiete „ ſuæ conſcientiæ: An ſi ipſe pecunias provenientes ex ſpo„ lio Religioſi defuncti juxta conſuetudinem Monaſterii pu„ re abſque aliquo vinculo depoſuerit in banco publico Ci„ vitatis, illas poſtea juxta eamdem conſuetudinem erogan„ do in dictum uſum; & neceſſitates urgentes ipſius Mona„ ſterii ob penuriam, & infirmitates ſupervenientes, ut ex „ partitis libri ejuſdem Monaſterii liquere aſſeritur, inciderit „ in pœnas expreſſas in Decreto de rebus Regul. non alie„ nand. inhærente etiam Conſtitutione Pauli II. eo quod „ prius non obtinuerat licentiam. Sacr. Congregat. ſecundum „ ea, quæ proponuntur, reſpondit non incidiſſe „. Sic refert Cardinal. Petra *tom.* 5. *Comment. ad Conſtit. V. Pauli II. ſect. II. n.* 33.

9 Spolia Cardinalium ubicumque decedentium non pertinent ad Cameram Apoſtolicam. Pius IV. Conſtitut. 19. incipient. *Decens*.

10 Spolia Curialium, & Prælatorum habentium facultatem teſtandi, non pertinent ad Cameram Apoſtolicam. Pius IV. Conſtit. 19. incip. *Decens*.

11 Conclaviſtæ non ſubjacent ſpolio. Gregor. XV. Conſtit. 1. incip. *Romanus* §. 10.

12 Moriente Clerico, ſive Romano ſive Curiali, ſive incola, ab inteſtato, ſi Romæ, vel intra ſpatium decem milliariorum moritur, ſuccedunt heredes. Paulus V. Conſtitut. 18. incip. *In eminenti* §. 4. *Alexander VII.* Conſtit. incipient. *Nos volentes*.

13 Spolia fieri non poſſunt a Collectoribus &c. de iis Beneficiatis, quorum Beneficia non excedunt fructus Ducatorum auri triginta de Camera, & ſi faciunt, tenentur reſtituere, & per Cenſuras ad hoc cogi poſſunt. S. Pius V. Conſtitut. 42. incip.

14 Spoliorum cauſæ agitandæ ſunt cum citatione Commiſſarii Cameræ. S. Pius V. Conſtit. 51. incip. *Attendentes*.

15 Spoliorum nomine, quæ ad Cameram Apoſtolicam pertinent, non intelliguntur paramenta Eccleſiæ, Vaſa, Libri Eccleſiæ, Gradualia, Miſſalia, & aliæ res ſacræ, etiam auri, & argenti, ac quæcumque alia bona, quæ per quoſcumque Epiſcopos ad uſum & cultum Divinum, etiam in eorum privatis ædibus, & capellis, vel Oratoriis deſtinata tempore eorum obitus reperiuntur; quæ etiam ſub quibuſvis facultatibus teſtandi, & alias diſponendi minime comprehenduntur, ſed ea omnia ad eorum Eccleſias, idque proportionaliter habita ratione fructuum, & temporis, quo Beneficia, ſi plura fuerint, poſſederunt, nec ad heredes ex teſtamento, vel ab inteſtato deveniunt. S. Pius V. Conſtitut. 42. incip. *Romani Pontifices*.

16 Vaſa, ornamenta, veſtimenta, & hujuſmodi Clerici decedentis inteſtati, ſi jam fuerunt dicata Deo, Eccleſiæ, vel Oratorio expreſſe, non ſpectant ad heredes ab inteſtato. *Communis*; Quod enim ſemel Deo dedicatum eſt, ad humanos uſus amplius redire non debet; *cap. Nulli licet* 3. *cauſ.* 12. *quæſt.* 2. *cap. Quod ſemel* 4. *cauſ.* 19. *quæſt.* 3. *cap. Ligna* 36. & *cap. Veſtimenta* 40. *diſt.* 1. *de conſecrat. cap. Ad hæc* 2. *de Religioſis domibus*, *cap. Mancipia* 3. *de rerum permut. Cap. Semel* 51. *de Regul. Juris in* 6. *l. Si quis ſepulcrum* 12. §. 1. *ff. de Religioſis, & ſumptibus funerum*.

17 Item ad heredes non ſpectant prædicta, ſi Deo, Eccleſiæ, vel Oratorio fuerint dicata, etiam ſolum tacite, ut ſi haberent ſignum, vel Inſignia Eccleſiæ, vel eſſent ita apta tali Eccleſiæ, ut viderentur fuiſſe a primæva ſua emptione, vel confeſſione ipſi dicata; vel aliæ conſimiles adeſſent conjecturæ, quibus poſſet rationabiliter præſumi ipſa fuiſſe tacite dictæ Eccleſiæ dicata, ſeu donata. Rota diverſ. *part.* 3. *lib.* 3. *deciſ.* 582. *num.* 7. & 9. Ventriglia *tom.* 2. *annot.* 16. §. 1. *numer.* 11. & alii, *argument. citatis Juribus*. Unde ex Menochio *lib.* 2. *de arbitr. Judic. cauſ.* 88. *num.* 8. Judicis arbitrio eſt relinquendum, quænam conjectura ad præſumendam donationem ſufficiat, quia conjecturæ in facto conſiſtunt, *argument. l. ſi Sed quis* 14. §. 7. *ff. de Religioſis, & ſumptibus funerum*.

18 In dubio autem, non concurrentibus ſupradictis, talia vaſa, ornamenta, veſtimenta, & hujuſmodi ſpectant ad heredes ab inteſtato; ſic expreſſe pluribus adductis defendit Ventriglia *loco citat. a num.* 12. *ad* 18. ubi teſtatur ſic reſpondiſſe in facti contingentia, & ſecundum ſuum votum ſic fuiſſe judicatum in quadam Curia Epiſcopali quo ad ſequentem caſum. „ Reverendus quondam N. N. dum viveret, emit ad ſuum pro„ prium privatum uſum, & commoditatem nonnulla vaſa, „ ornamenta, ſeu veſtimenta Eccleſiaſtica, & Sacerdotalia, „ & deinde creatus Canonicus Eccleſiæ N. adhuc bona præ„ dicta pro ſuo uſu retinuit in eadem Eccleſia, ſucceſſive „ ab hac vita deceſſit, nulla facta particulari diſpoſitione „ prædictorum bonorum.

19 Et ratio eſt, quia in tali caſu bona prædicta non debent cenſeri donata Eccleſiæ, quia donatio in dubio non præſumitur, ſed probari debet, per text. *in l. Cum de indebito* 25. *ff. de probationibus, & praeſumptionibus*. Immo potius error, ſeu actus invalidus, quam donatio præſumitur. Maſcardus *de probationibus concl.* 554. *num.* 4. Menochius *lib.* 2. *de arbitr. Judic. caſu* 88. *num.* 3. Barboſa *de Axiomat. uſu frequent. verb. Donare*, Flaminius Pariſius *de Reſignat. Benefic. lib.* 9. *quaeſt.* 19. *num.* 5. Aretin. *in leg. A Titio num.* 3. *de verbor. obligat.* Ventriglia *loco citat. num.* 15. & alii; Unde cum Donans dicatur perdere per Gloſſam *in cap.* 1. *de donationibus*, & nemo præſumatur ſuum jactare, & perdere per *citat. leg. Cum de indebito* 25. *ff. de probationibus & praeſumptionibus*, & *leg. Campanus* 47. *ff. de bonis libertorum*, merito damnatur præſumptio donationis, prout fuiſſe damnatam in ſimili caſu aſſerit Riccius *in Deciſ. Cur. Archiepiſc. Neapol. deciſ.* 296. ubi quidam privatus fecerat argentea candelabra cum ſtigmatibus cujuſdam Monaſterii, illaque penes Monaſterium repoſuit, & adhuc contra Monaſterium fuit judicatum non fuiſſe donata, ut ad litteram refert Ventriglia *loc. citat. numer.* 15.

20 Qui inſuper num. 16. ſubdit, quod non obſtat *cit. ſupra num.* 15. Conſtitutio 42. Sancti Pii V. incipiens *Romani Pontificis*, ubi diſponitur vaſa, ornamenta, veſtimenta, & hujuſmodi in hereditate Beneficiati inventa, non ad ſpolium, ſed ad Eccleſiam Beneficii ſpectare, quia prædicta Conſtitutio loquitur concurrente Eccleſia cum ſpolio, quod cum ficta perſona ſit, & odioſa, præſumendum eſt defunctum Eccleſiam ſpolio præferre voluiſſe; Non autem loquitur Conſtitutio concurrente Eccleſia cum herede, ut in caſu noſtro. Unde cum ſimus in diverſo caſu, non eſt facienda extenſio, de uno ad alium caſum, *cap. Quae a Jure* 28. *de Regul. Juris*, & ibi Gloſſa communiter recepta *verb. Quae a Jure*, ubi ad id plura Jura adducit, *leg. Quod contra* 141. *ff. de Regul. Juris*, cum ſimilibus, maxime cum non militat eadem ratio; A diverſis enim non fit illatio; *leg. Papinianus* 20. *ff. De Minoribus*, *cap. Ad audientiam* 12. *de Decimis*, ad late tradita per Everardum *in ſua Topica loco a ratione legis &c. fol.* 57.

21 Tum quia dicta Piana Conſtitutio diſponit ſolum de acquiſitis ex fructibus Beneficiorum, ſeu redditibus Eccleſiaſticis, non autem ex patrimonialibus, aut Officiis lucroſis perſonalibus, ut quia Clericus habebat Officium lucroſum in Curia, erat Doctor, publicus Lector & hujuſmodi, ut tradunt Navarr. *de Spoliis Cleric.* §. 1. *num.* 4. Burſat. *conſ.* 376. *num.* 28. *verſ. Attamen ceſſat*, Barboſa *de Jure Eccleſiaſtic. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 62. Azor. *Inſtitut. Moral. tom.* 2. *lib.* 8 *cap.* 3. *quæſt.* 11. Panimol. *deciſ.* 20. *adnot.* 2. *num.* 11. Bellet. *diſquiſit. Cleric.* 1. *part. tit. de bonis Cleric.* §. 9. *num.* 5. Ventriglia *loco citat. numer.* 17. Rota *in Forolivien. de Monſignoribus* 26. *Februarii* 1603. *coram Penia*. In noſtro autem caſu talia bona non fuerunt empta ex fructibus Beneficii, cum ſupponantur empta ante Beneficii conſecutionem, adeoque non cadunt ſub ſpolio, ſed ſpectant ad heredes, ut cavetur *in cap.* 1. *de Teſtament. in cap. Manifeſta, & in cap. Sicut manifeſta* 12. *quaeſt.* 1. & tradunt Panimol. *deciſ.* 20. *adnot.* 2. *num.* 6. Navarr. *loc. citat.* §. 5. Ventriglia *loc. citat. num.* 17. & alii per textum *in leg. Edicto* 3. *Cod. De Edicto Divi Adriani tollendo*, ubi heredi tradendam eſſe poſſeſſionem omnium bonorum defuncti diſponitur.

22 Hinc Heredes Beneficiati habentis pingue patrimonium ante Beneficii conſecutionem non debent amoveri a poſſeſſione bonorum, donec diſcutiatur, an bona fuerint acquiſita ante, vel poſt Beneficii conſecutionem, & an ex fructibus Beneficii, vel ex fructibus Patrimonii, ſeu Officii lucroſi perſonalis? per textum clarum *in cap. Nulli dubium* 1. *cauſ.* 12. *quaeſt.* 5. *in fine*, ibi: *Nec ei ſine cognitione de his, quae*

poſſi-



*poſſidet, quidquam auferre*. Et tradunt Panormit. *in cap. Cum eſſes num.* 24. *verſ. Sed poſſeſſor, de teſtament.* Burſat. *conſ.* 376. *num.* 13. Zabar. *conſil.* 79. *num.* 2. *verſ. Unde in caſu noſtro*, Roman. *conſ.* 159. *num.* 5. *verſ. Tertio caſu principali*, Redoan. *de ſpoliator. Clericor. quaeſt.* 9. *num.* 33. *in fine*, Aloyſius Leo *in Theſaur. For. Eccleſ. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 25. Filliuc. *oper. moral. tract.* 43. *cap.* 5. *in fine*, Panimol. *loc. cit. n.* 12. & alii paſſim.

23 Ad cognoſcendum autem ex quibus redditibus ſint acquiſita bona Beneficiati habentis Patrimonium, ſeu Officium perſonale lucroſum? attendenda eſt Summa fructuum Beneficii, ex qua Summa, & non ex Patrimoniali, ſeu perſonali lucro detrahenda ſunt alimenta Beneficiati, & ſuæ Familiæ, ac omnes expenſæ neceſſariæ, aliæque factæ pro eleemoſynis, & piis operibus; Unde, ſi talis ſumma ex redditibus Beneficii non ſit tam ingens, & exuberans, ut ex ipſa detractis ſupradictis omnibus, adhuc remaneant ſuperflui redditus, ex quibus veriſimiliter detegatur fuiſſe dicta bona acquiſita, tunc cenſenda ſunt acquiſita ex fructibus patrimonii, & Officii perſonalis lucroſi, quæ in tali caſu non cadunt ſub ſpolio, ſed ſpectant ad heredes; Sic Innocentius *in cap. Cum in Officiis* 27. *de teſtamentis*, ibique communiter ceteri Canoniſtæ, teſte Panimol. *l. cit. num.* 13. apud quem etiam *Communis aliorum*.

24 Si vero clare conſtet Clericum non habuiſſe alia bona, quam illa Eccleſiæ, nec etiam aliquod Officium perſonale lucroſum exercuiſſe, tunc ſine dubio cenſenda ſunt talia bona acquiſita ex fructibus Eccleſiaſticis, adeoque cadere ſub ſpolio, & deberi Eccleſiæ. *Communis*, per text. *in cap. Cum unuſquiſque, de peculio Clericor.* & *c.* 1. *cauſ.* 2. *q.* 3. cum ſimilibus.

25 Si autem dubium ſit, an Clericus ultra bona Eccleſiæ habuerit etiam bona propria, vel aliquod Officium perſonale lucroſum; tunc præſumitur Clericum acquiſiviſſe ex fructibus Eccleſiaſticis; Sed ſi talia bona ab heredibus Clerici poſſideantur, onus probandi, quod fuerint acquiſita ex fructibus Eccleſiaſticis, ſpectat ad Cameram, & reſpective ad Eccleſiam, ubi ipſa ad talia bona ſuccedat. Menoch. *de arbitr. Judic. caſ.* 195. *num.* 9. & 10. & *de praeſumpt. lib.* 3. *praeſumpt.* 13. *num.* 7. cum pluribus aliis ibi allegatis, Gratian. *diſceptat. forenſ. cap.* 381. *n.* 1. *tom.* 2. Panimol. *loc. cit. n.* 14. & 19. & alii paſſim.

26 Quando tamen conſtat Clericum ſimul habuiſſe bona Eccleſiæ, & etiam patrimonialia, ſeu Officia perſonalia lucroſa, nec conſtare poteſt, ex quibus fructibus fuerint talia bona acquiſita, tunc præſumitur fuiſſe acquiſita ex utriſque, & dividi debent perſonaliter inter ipſius Clerici heredem, & Eccleſiam, ſeu Cameram arbitrio Judicis, bene attenta, & animadverſa qualitate, quantitate tum Patrimonii, ſeu Officii perſonalis lucroſi, tum fructuum Eccleſiæ; & ſic an fructus Eccleſiæ excedant, an vix ſufficere poſſint ad commodam Clerici ſuſtentationem? quę integra prius ſumi debet ex ipſis fructibus Eccleſiaſticis, juxta dicta *ſupra num.* 23. *argument. cap. Cum ſecundum Apoſtolum* 16. *de praebend.* & ſimilibus, Sic ex Abbat. Cardinal. Zabarell. Bald. Alexandr. Socin. Roman. Menoch. *de arbitr. Judic. caſu* 195. *num.* 7. & 8. *lib.* 3. *praeſumpt.* 53. *num.* 5. Panimol. *loc. citat. num.* 18. & alii paſſim.

27 Omnia Spolia Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Inſula Sardiniæ, & extra, non tamen in Italia decedentium abdicantur ab eorum Succeſſoribus, & applicantur reſpectivis Eccleſiis pro fabrica, & manutentione; Et hoc vigore Brevis Sancti Pii V. ad inſtantiam Regis Catholici emanati. Rota *part.* 4. *rec. tom.* 3. *deciſ.* 560. *n.* 7. & 8. & dictum Breve confirmatum fuit etiam a Clemente VIII. Rota *ibidem cap.* 9. & *ſequent.*

28 Spolium Clericorum non eſt in uſu in ſtatu Mediolanenſi, ſed ex antiqua conſuetudine tranſit ad eorum heredes. Rota *part.* 4. *recent. tom.* 3. *deciſ.* 529. *num.* 5. & *ſeq.* Card. de Luca *de Benefic. diſc.* 10. *n.* 5. & 9.

29 Spolia Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Regno Neapolis ſpectant ad Eccleſias Cathedrales, & Metropolitanas. Innocent. XII. Conſtitut. incipient. *Inſcrutabili*, & Benedict. XIII. Conſtitut. incipient. *Sacroſancti Apoſtolatus* ubi id ampliat, etiamſi Epiſcopi moriantur extra reſidentiam. Vide infra *n.* 44.

30 Jus ſpolii non eſt receptum in Gallia, neque in Germania, neque in Belgio, neque in Luſitania. At in Regno Caſtellæ ſola Epiſcoporum, non autem aliorum Beneficiatorum ſpolia Cameræ Apoſtolicæ acquiruntur. In Italia autem, tam Beneficiatorum inferiorum, quam Epiſcoporum ſpolia Fiſco cedunt Apoſtolico, ut teſtantur Martinus Navarra *tract. de ſpoliis* §. 14. Azorius *part.* 2. *lib.* 8. *c.* 4. & alii.

31 Spolia defunctorum Canonicorum Sancti Salvatoris Bononiæ ſpectant ad eorum Religionem, Rota *part.* 14. *deciſ.* 363. *n.* 14.

32 Spolia defunctorum Equitum Hieroſolymitanorum non ſpectant ad Cameram Apoſtolicam, ſed ad eorum Religionem, Rota *par.* 8. *rec. dec.* 51. *n.* 11.

33 Nec eorum bona ſpectant ad heredes ſanguinis, ſed Religioni acquiruntur. Rota *par.* 4. *deciſ.* 76. *num.* 1. & 2. & *Annotat. ad deciſ.* 16. *num.* 9. *part.* 3. quod procedit, non ſolum de bonis, quæ ad eos perveniunt intuitu ſuæ Religionis, ſed etiam de patrimonialibus, aut aliunde quæſitis, & non ſolum ex diſpoſitione ſtatutorum Religionis, ſed etiam juxta juris communis diſpoſitionem. Rota *part.* 2. *deciſ.* 76. *num.* 1. & Annotat. *ad deciſ.* 16. *num.* 8. *part.* 3. Religio enim ſuccedit ad excluſionem omnium in hereditatibus Militum defunctorum, & in omnibus, & ſingulis eorum bonis. Rota *part.* 9. *tom.* 1. *decis.* 30. *num.* 43. & Annotat. *ad deciſ.* 10. *numer.* 8. *part.* 3. Et eorum bona deferuntur in Theſauro Religionis ex Conſtitutione Clementis XIII. & S. Pii V. Rota *part.* 4. *deciſ.* 76. *n.* 7.

34 Advertendum tamen eſt, Religionem Hieroſolymitanam ex urbanitate dimittere ſuis Militibus, & eorum heredibus omnia ſua bona immobilia, nec fieri ſpolia, niſi de mobilibus, & ſe moventibus, Rota *par.* 9. *tom.* 1. *dec.* 302. *n.* 17.

35 Spolium omnium eorum, quæ ab Epiſcopo quæſita fuerunt ex priori Eccleſia, a qua fuit translatus, debetur eidem Eccleſiæ. Sic pluries ſtatuit *Sacr. Congregat. Concil.* & Signanter *in Cathacen. ſeu Sueſſana Spolii*, in qua ad dubium; „ An „ bona mobilia, libri, pecuniæ, ceteraque (præter Sacra „ paramenta) inventa tempore obitus bon. mem. Franciſci „ Gorii Epiſcopi Sueſſani, prius Epiſcopi Cathacen. apud „ ipſum, ſpectent ad Eccleſiam Cathacen. vel potius ad Ec„ cleſiam Sueſſanam „? Ead. *Sacr. Congregat. Concil. die* 28. *Septembr.* 1709. Reſpondit, quod *Bona quaeſita ex fructibus Eccleſiae Cathacen. ſpectabant ad eamdem*. Et repropoſito eodem dubio *die* 35. *Januar.* 1710. Sacra Congregatio *ſtetit in deciſis*, uti habetur *lib.* 59. *Decret. pag.* 331. & *lib.* 60. *pag.* 27.

Et in *Trivicana, ſeu Tricaricen.* in qua propoſitis Quatuor hiſce dubiis.

I. An mobilia, libri, pecunię, argenta, aliaque bona, (præter Sacra paramenta) bon. memor. Simonis Viglini prius Epiſcopi Trivicani, & poſtea Tricaricen. reperta tempore ejus obitus ſpectent ad Eccleſiam Trivicanam, vel potius ad Eccleſiam Tricaricen. in caſu &c.

II. An paramenta, & vaſa Sacra, aliaque argenta, & ſupellectilia ad uſum Capellæ & cultum Divinum deſtinata; reperta, ut ſupra, debeantur Eccleſiæ Trivicanæ, vel potius dictæ Eccleſiæ Tricaricen. in caſu &c.

III. An argenta, & mobilia, aliaque bona ab Eccleſia Trivicana commodata dict. bon. memor. Epiſcopo Viglino, tunc Epiſcopo Trivicano, debeant eidem Eccleſiæ Trivicanæ reſtitui in caſu &c. & quatenus affirmative.

IV. An, & a quo, & quibus bonis, illis non extantibus, debeat ſolvi illorum pretium in caſu &c.

*Sacra Congregat. Concil. die* 6. *Jul.* 1726. Reſpondit: *Ad I. & II. pertinere ad Eccleſiam Trivicanam. Ad III. Affirmative. Ad IV. Solvenda eſſe ex hereditate Epiſcopi*. Sic apud *Theſaurum Reſolution. Sacrae Congregat. Concil. tom.* 3.

*Ac in Accerrarum, ſeu Matheranen. & Acheruntina Spolii*, in qua ad dubium; *An Capitula Eccleſiarum Matheranenſis, & Acheruntinae teneantur reſtituere Capitulo Eccleſiae Acerrarum bona deſcripta, & contenta in inventario facto per bon. mem. Epiſcopum Paſitanum* 30. *Sept.* 1723. Reſpondit *Affirmative*. Sic apud d. *Theſaurum tom.* 6. & 7.

36 Spolium ornamentorum, paramentorum, aliarumque rerum ad uſum, & cultum Divinum ſpectantium, debetur Eccleſiis, quibus Epiſcopi præfuerunt; Et de his rebus Epiſcopi nequeunt diſponere per ultimam voluntatem, & per contractum lucrativum: ſecus vero per contractum oneroſum, ad ſatisfaciendum creditoribus, ſi alia bona non ſufficiant. Propoſito enim dubio in *Sacra Congregat. Concil.* „ An creditoribus de„ functi Epiſcopi in ſubſidium, ſi alia bona non ſufficiant, ſa„ tisfaciendum ſit ex bonis etiam benedictis, ſeu Pontificali„ bus, non obſtante Conſtitutione 42. *B. Pii V. Sacra Congre-*

*gat. Concil. die* 29. *Maii* 1683. Reſpondit *Affirmative*. Prædicta enim Bulla 42. incipient. *Romani Pontificis*, ſuſtulit ſolum contrarias diſpoſitiones de dictis bonis factas per ultimam voluntatem, & per contractum lucrativum donationis, ſecus autem per contractum oneroſum, ut firmant Guttier. Rodric. Garcia & Salgad. citati in expoſitione cauſæ in *dict. Trivicana*; *ſeu Tricaricen.* apud *Theſaurum Reſolution. Sacr. Cong. Conc. tom.* 3.

Item ſpolia Beneficiatorum, qui pluribus Eccleſiis præfue-
37 runt, eſſe dividenda proportionaliter inter dictas Eccleſias, ſtatuit Sanctus Pius V. in dict. Conſtitut. 42. incipient. *Romam Pontificis*, & tenet Gavant. in *Manual. Epiſc. verb. Spolium num.* 4.

Spoliorum tamen nomine non veniunt diſtributiones Cano-
38 nici defuncti. *Sacra Congr. Epiſcop. & Reg.* 29. *Nov.* 1600. apud Gavant. *l. c. n.* 1.

*Numero* 5. addendum eſt, quod ſic in terminis reſolvit *Sa-*
39 *cra Congregatio Spoliorum in Piſtorien. die* 11. *Decembr.* 1731. quod nempe dicta Conſtitutio Gregorii XIII. loquatur, & intelligenda ſit ſolum de bonis de novo acquiſitis a Regularibus tempore, quo degebant extra clauſtra, & non de illis, quæ jam acquiſierant antequam e clauſtris egrederentur, ſicuti nec de illis bonis patrimonialibus, quę Regulares ante ingreſſum in Religionem renunciaſſent cum pacto reverſivo in caſu reditus ad Sæculum ex indulto Apoſtolico. Cum enim D. Sigiſmundus de Seleſis Canonicus Regularis Lateranenſis ex Indulto Apoſtolico proviſus de Canonicatu in Cathedrali Piſtorienſi ſimilem feciſſet renunciationem ante ingreſſum in Religionem, articulo acriter diſcuſſo prodiit reſolutio dictæ Sacræ Congregationis contra Reverendam Cameram ſub hac formula, *Nihil conſtare pro Camera*. Et ſic etiam cenſuit *Rota*
40 *deciſ.* 151. *num.* 18. *& ſequ. part.* 6. *recent.* & eadem *Sacr. Congregat. Spoliorum in Bononien.* 15. *Septemb.* 1701. apud Scarfanton. *part.* 3. *addit.* 20. *num.* 17. 27. 28. ac per tot. ubi plura tradit ad rem ſcitu digniſſima & pluribus adductis recte declarat, quod Camera Apoſtolica ſuccedit Regulari extra clauſtra degenti, etiam de licentia ſuorum Superiorum in bonis quæſitis per eum extra eadem clauſtra; in bonis autem intra clauſtra quæſitis ſuccedit Religio, quæ pariformiter ſuccedit in bonis acquiſitis a Religioſo vacante extra clauſtra, & poſtea ad Monaſteria reverſo, in eoque mortuo, quia Conſtitutio Gregorii loquitur ſolum de Religioſis extra clauſtra vacantibus, & extra ea decedentibus, ut recte obſervant Novar. in Summa Bullar. *par.* 2. *canon.* 9. *Ricc. par.* 4. *dec.* 179. *& deciſ.* 177. *Capon. diſcept.* 256. *num.* 8. cum aliis ab ipſo allegatis *l. c. n.* 29. 30. *&* 31.

Spolio ſubjiciuntur bona a Clericis, etiam Curialibus, ac-
41 quiſita per negotiationem. Benedict. XIV. tom. 1. Conſtitut. 53. incipient. *Apoſtolicae Servitutis* §. 1. *&* 3. Spoliorum
42 Commiſſarii tenentur quotannis rationem reddere in Computiſteria Cameræ Apoſtolicæ. Idem tom. 2. Conſtitut. 6. incipient. *Apoſtolicæ Sedis n.* 26.

Spoliorum ſubcollectores eludi poſſunt a Clericis; ſi iſti bo-
43 na Eccleſiæ, quæ ſuperſunt, pauperibus erogent, neque in commodum congregent cognatorum, ut recte advertit Cardinal. Baronius *ad ann.* 397. *num.* 64. ubi de his Collectoribus loquens inquit, „ de quorum importuna exactione cum „ multi querantur, hos facile vitabunt, & prudenter arte „ deludent, qui bona Eccleſiæ quę ſuperſunt, non congrega„ rint, ſed in pauperes erogarint „. Quem ſequitur Thomaſſin. *de Beneficiis part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 17. *ſub n.* 9. prout adducit Benedict. XIV. *De Synodo Diœceſana lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 6.

Spolia Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & reliquorum
44 Prælatorum Regni Neapolitani ab Innocentio XII. Conſtitut. incipient. *Inſcrutabili*; addicta fuerunt Eccleſiis, quibus Antiſtites hujuſmodi, dum viverent, præfuerunt. Benedict. XIV. Conſtitution. incipient. *Paſtoralis ſolicitudo* §. 2. Innocentianam Conſtitutionem iteratis additis declarationibus Benedict. XIII. in Conſtitut. incipient. *Sacroſancti Apoſtolatus officium*, & in Conſtitut. incipient. *Romanum decet Pontificem*; defendit adverſus cavilloſas quorumdam interpretationes. Idem *ibidem* §. 3. *&* 4. Qui ſubinde §. 7. *& ſequent.* novam formam aſſecurandis, cuſtodiendis, diſtribuendiſque ſpoliis hujuſmodi Prælatorum præſcribit, prohibendo nempe, quod viventibus Præſulibus, Canonici, Capitula, quibus ſpoliorum applicandorum cura ſpectat, quidquam attentent; Item Eccleſiarum indemnitatem Vicario Generali Præſulis ægrotantis demandando. Demortui inde Præſulis ſpolia eſſe diligenter cuſtodienda, & ad id claves obſignatorum cubiculorum a præfato Vicario Generali eſſe tradendas Vicario Capitulari, & Canonicis deputatis, per actum ſolemnem coram iiſdem teſtibus explendum, & a Notario ſimiliter litteris conſignandum; Ac præcipiendo, quod his omnibus abſolutis nequaquam liceat rem ullam in defuncti ſpolio repertam, vendere, aut alia ratione alienare, niſi poſtquam Eccleſiæ de novo Paſtore, ſeu Rectore proviſum fuerit, atque hic ejuſdem Eccleſiæ poſſeſſionem adeptus fuerit; qua poſſeſſione adepta præſcribit regulas ſervandas ab ipſo circa res in defuncti ſpolio repertas. Quicumque interim Sede vacante, quocumque modo ſpolia illa adminiſtrarunt, vel adminiſtrationi præfuerunt, novo Præſuli rationem reddere tenentur. Idem *ibidem* §. 12.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

BEneficiariis nulla ſecundum Canones eſt poteſtas diſpo- 1
nendi cauſa mortis de fructibus Beneficiorum tam collectis, quam colligendis, rebuſque ſibi obventis ab Eccleſia, vel pecunia Beneficii comparatis, ſed ipſi poſt ſuum deceſſum omnia Eccleſiæ ſuæ reſtituere debent; *cap. final. de Pecul. Cleric.*

Nec de rebus patrimonialibus teſtari olim poterant Cleri- 2
ci viventes vitam communem; *Can. Nolo* 12. *q.* 1. Poſt ſo-
lutam vero Clericorum Communitatem de rebus patrimo- 3
nialibus ad libitum teſtari, eis conceſſum, ſed nequaquam de Eccleſiaſticis proventibus; *cap.* 1. *de Teſtam.*

Poſt conſtitutam rerum Eccleſiæ partitionem in Epiſco- 4
pum, Clerum, Fabricam, & Pauperes, dubitatum fuit, an Epiſcopus nomine Eccleſiæ intelligeretur ad effectum ſuccedendi. At Alexander III. in Decretali ad Capitulum Caſſanenſe in *cap.* 12. *de Teſtament.* definivit, quod nomine Eccleſiæ non Epiſcopus, vel Succeſſor Clerici morientis, ubi eſt Collegium Clericorum, ſed communis congregatio intelligatur, quæ rerum in hæreditate Clerici remanſarum debet canonicam diſtributionem, & curam habere: ubi autem non eſt Collegium, ſed in loco Defuncti unus eſt ordinandus, ipſemet Succeſſor eadem, ſicut & alia ipſius Eccleſiæ in
Dei timore diſpenſet. Et bonifacius VIII. *in cap. Quia ſæpe* 5
40. *de elect. in* 6. cohærenter ſanxit, ut bona a Prælatis Cathedralium, & Regularium, & Collegiatarum dimiſſa, vel vacationis tempore obvenientia, in utilitatem dictarum Eccleſiarum expendantur, vel futuris ſucceſſoribus debeant fideliter reſervari, comminando in particulares occupatores pœnam ſuſpenſionis ab Officiis, & Beneficiis.

Nihilo tamen minus conſueverant Epiſcopi bona Clerico- 6
rum decedentium ab inteſtato uſurpare, ſibique vindicare, vel ex Privilegio Sedis Apoſtolicæ, vel ex conſuetudine.
Privilegii monumentum habetur in *cap. Quum ſibi* 18. *de* 7
*verb. ſignif.* Conſuetudinem vero probavit Bonifacius VIII. 8
*in cap. Præſenti* 9. *de Offic. ordin. in* 6. Et hanc Bonifacii Con- 9
ſtitutionem probavit *Concilium Conſtantienſe ſeſſ.* 39. *ſub. titul. de Spol.*

Intereaque ortum ſuum ſeculo XIII. habuiſſe videtur reſer- 10
vatio ſpolii decedentium Clericorum in favorem Cameræ Apoſtolicæ. Innocentius enim IV. primus omnium conſtituit anno 1246. ut ſi Clericus ex tunc decederet inteſtatus, ejuſdem bona in uſus Domini Papæ converterentur, ut *Matthæus Pariſienſis refert ad dictum annum* 1246. Aliæ poſtmodum ab aliis Summis Pontificibus, puta a Clemente VI. anno 1346. & ab Innocentio VI. anno 1352. conformes editæ fuerunt
Conſtitutiones. 11

Quoniam vero aliqui in dubium revocabant, an bona & ſpolia Prælatorum tempore obitus remanentia, ad Cameram Apoſtolicam generatim pertinerent ex aliqua generali Conſtitutione Apoſtolica, propterea quod Collectores in variis; ſed non in univerſis Provinciis Romani Pontifices deſtinaſſent; Paulus III. tandem anno 1541. Bullam edidit, quæ incipit *Romani Pontificis Providentiam*, declarantem bona hujuſmodi Prælatorum ſine facultate teſtandi decedentium ubicumque ad Cameram Apoſtolicam ſpectare, & per colle-
ctores Apoſtolicos exigi debere. 12

Hanc Conſtitutionem confirmavit, & declaravit Julius III. immediatus ſucceſſor anno 1550. in Bulla, cui initium: *Dudum ex certis*, quibus præſcripſit fructus Beneficiorum exactos, & cum reliquis Clericorum bonis profanis commixtos ac incorporatos, ad liberam Beneficiatorum diſpoſitionem,

ubi,



ubi a Sede Apoſtolica obtinuerint indultum diſponendi, ſpectare, fructus vero tam inexactos, quam non commixtos ad Cameram Apoſtolicam reſervari debere in locis, ubi Collectores adſint Apoſtolici. Ad Clericorum autem hæredes profanos ſive ab inteſtato, ſive ex teſtamento vigore quarumcumque facultatum condito, aut Legatarios nequaquam pertinere fructus maturatos in ipſorum Clericorum vita, ſed non exactos.

Idem ſummus Pontifex anno 1550. in Bulla, quæ initium
13 habet: *Cupientes*, quibuſvis Prælatis, & Eccleſiaſticis Urbem Romam incolentibus, vel Curiam ſequentibus, liberam facultatem indulſit, ſi in dicta Curia, & diſtricto deceſſerint, diſponendi, & teſtandi de quibuslibet rebus intuitu etiam Eccleſiæ quæſitis in favorem quarumlibet Perſonarum, nec non tranſmittendi res eaſdem Eccleſiaſticas ab inteſtato ad ſuos legitimos ſucceſſores. Deinde anno 1553. ad ſe avoca-
14 vit cauſas ſpoliorum coram aliis quam Theſaurario Pontificio, ejuſve Miniſtris pendentes, eaſque eidem Theſaurario commiſit generali ſpoliorum in tota Italia collectori.

Fuerunt & aliæ Conſtitutiones circa eamdem materiam la-
15 tæ ab aliis ſummis Pontificibus, ſcilicet S. Pio V. anno 1560. 1564. & 1567. Gregorio XIII. anno 1577. Innucentio XII. anno 1693. & Benedicto XIII. anno 17 6.

Hic vero prætereundum haud eſt, ſub Sixto V. ortum ha-
16 buiſſe tranſactiones ſpoliorum inter Nuntium Pontificium nomine Curiæ Apoſtolicæ, & ſingula fere Capitula Civitatum, & Diœceſum Regni Neapolitani, & pleraque Italiæ, hoc pacto initæ, ut ſolum quotannis conventa pecuniæ quantitate in favorem Cameræ Poſſeſſores Beneficiorum eorumque profani hæredes exempti ſint a ſpolio præter quam in caſu illicitæ negotiationis. Vigore igitur harum tranſactionum Be-
17 neficiarii fere omnes, qui annuam ſummam pro tranſacto ſpolio perſolvunt ſubcollectori Cameræ Apoſtolicæ, bona intuitu Eccleſiæ quæſita, & fructus beneficiorum jam collectos, & exactos ad hæredes profanos ab inteſtato tranſmittunt, & di iis pro libito diſponunt ac teſtatur.

18 In locis igitur, in quibus tranſactio ſpolii confecta non ſit, dater locus ipſi ſpolio.

## SPONSALIA.

1 SPonſalia a ſpondendo ſunt dicta, textu expreſſo *in l. Sponſalia* 2. *ff. de Sponſalibus*, ibi: *Sponſalia autem dicta ſunt a ſpondendo*; Mos enim olim erat, & adhuc nunc eſt, ut cupiens uxorem ducere, eam peteret, ac petat prius ab illis, ſub cujus cura, & poteſtate puella exiſtebat, ac exiſtit, & illi deinde ipſi petenti puellam in Matrimonium dare ſpondebant, ſeu promittebant, ac ſpondent, ſeu promittunt, *cit. l. Sponſalia* 2. *ff. de ſponſalibus*, ibi: *Nam moris fuit veteribus ſtipulari, & ſpondere ſibi uxores futuras*; Unde ille, cui petita puella in uxorem ſpondebatur, ſeu promittebatur, ac ſpondetur, ſeu promittitur, dictus eſt, & dicitur *Sponſus*, & illa, quæ ſpondebatur, ſeu promittebatur, ac ſpondetur, ſeu promittitur, dicta eſt, & dicitur *Sponſa*, ideſt promiſſa, textu expreſſo *in l. Unde* 3. *ff. de ſponſalibus*, ibi: *Unde et Sponſi, Sponſæque appellatio nata eſt.* Et illi, qui petitam puellam ſic promittebant, ac promittunt, dicti ſunt, & dicuntur *Sponſores*, & dies, in quo ſic ſpondebatur, ac ſpondetur, dictus eſt, ac dicitur *Sponſalis*, Reiffenſtuel *lib.* 4. *decretal. tit.* 1. §. 1. *n.* 2. & alii, *arg. l. Sponſalia* 1. *& cit. l. Sponſalia* 2. *& l. Unde* 2. *ff. de Sponſalibus*.

2 Sponſalia tripliciter potiſſimum ſumuntur. Primo omnino improprie pro Arrha ſcilicet, & muneribus, quæ a Sponſo Sponſæ dabantur, ac dantur, *Arg. l. Quidam* 1. *C. ſi nuptiæ ex reſcripto*: *Qui parentum ſponſionem de nuptiis filiarum implere deſiderant, vel Sponſalia, hoc eſt, arrharum data nomine reddi ſibi præcepto Legum cum ſtatuta pœna depoſcunt.* Secundo minus proprie, pro ipſo ſcilicet Matrimonio rato, & non conſummato; *arg. c. Sicut* 22. *& c. Si inter* 31. *de Sponſalibus*, ubi ſicut & paſſim in jure Matrimonium ratum *Sponſalia de præſenti* dicitur ad diſtinctionem *Sponſaliorum* proprie talium, quæ non ſunt ipſum matrimonium jam rite contractum, ſed ſola ſponſio, ſeu promiſſio de eodem in futurum contrahendo, & propterea *Sponſalia de futuro* appellantur, ad diſtinctionem *Sponſaliorum de præſenti*. Tertio proprie, pro ipſa ſcilicet promiſſione futuri Matrimonii.

Unde ſponſalia ſic proprie accepta ita definiuntur; *Sponſalia ſunt mentio, & repromiſſio nuptiarum futurarum*. Sic expreſſe *in leg. Sponſalia* 1. *ff. de Sponſalibus*: & concordat *cap. Noſtrates* 3. *cauſ.* 30. *quæſt.* 5. ibi: *Sponſalia futurarum ſunt nuptiarum promiſſio.* Et conveniunt in re Doctores communiter ſponſalia ſic deficientes; *Sponſalia ſunt futuri Matrimonii mutua deliberata promiſſio ſigno ſenſibili expreſſa inter perſonas de Jure habiles.*

Hinc ad valorem Sponſalium de futuro plura requirun-
tur. Primo enim requiritur, quod promiſſio futuri Matri- 4
monii ſit vera, ac ſeria, & non ficta, ſeu ſimulata. *Communis, arg. l. Obligationum* 3. *ff. de action. & oblig. & cap. Ex Sponſalibus unic. de Sponſalibus in* 6., ubi ſponſalia dicuntur *nulla ex defectu conſenſus, & c. Ubi non eſt* 1. *cauſ.* 30. *q.* 2. ibi: *Ubi non eſt conſenſus utriuſque non eſt conjugium, ergo qui pueris dant puellas in Cunabilis, & e converſo nihil faciunt*; Conſenſus autem internus vere contrahendi, ac ſeſe obligandi deeſt in ficte, & ſimulate promittente, adeoque &c.

Nec valet dicere, quod ficte, & ſimulate promittens ex-
hibuerit conſenſum externum, adeoque etiam ficta, & ſi- 5
mulata externa promiſſio ſufficiat ad valorem ſponſalium. Non valet, inquam, quia talis fictus, & ſimulatus externus conſenſus ſine formali conſenſu interno non ſufficit ad valorem ſponſalium, nec obligationem contrahendi de futuro inducit. *Communis*, text. expr. *in capit. Tua nos* 26. *de Sponſalibus* hac addita ratione: „ Cum in eo nec ſubſtan„ tia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conju„ gium valeat inveniri, quoniam ex altera, parte dolus „ ſolummodo affuit, & deficit omnino conſenſus, ſine „ quo cetera nequeunt fœdus perficere conjugale, *& l. ſimulate* 30. *ff. de ritu nuptiarum*, ibi: Simulatæ nuptiæ „ nullius momenti ſunt „. Et ratio clara deſumitur ex *cap. Humanæ aures* 13 *cauſ.* 22 *q.* 5. *quia*, ut ibi expreſſe dicitur, *quia non debet aliquis verba conſiderare, ſed animum, & intentionem*, & ut cantat commune axioma, *Actus agentium* non operantur ultra voluntatem eorum, *l. In agris* 16. §. *de acquirer. Domin. l. Non omnis* 19. *ff. de rebus creditis; Si certum petatur. cap. Cum olim* 38. *de præbend.*

Ficte, ſeu ſimulate, aut jocoſe, vel doloſe tantum promit- 6
tens alteri Matrimonium, quamvis in Foro interno, ſeu coram Deo, & in foro conſcientiæ non teneatur ſervare tale promiſſum per dicta, & jura adducta *num. antecedenti*; Peccat tamen ſic promittendo, & tenetur reſarcire totum damnum alteri inde ſecutum. *Communis* per text. *in c. Si culpa* 9. *de injuriis, & damno dato*, ibi: „ Si culpa tua datum eſt dam„ num, vel injuria irrogata . . . . . . . Jure ſuper his ſatis„ facere te oportet. Nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire de„ buiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, „ vel jacturam „. Et concordant *cap. Si rixati* 1., *cap. Si quis* 2. *cap. Si bos* 3. *cap. Si læſerit* 4. *cap. Si egreſſus* 5. *cap. Si quis domum* 6. *cap. Olim* 7, *cap. In noſtra* 8. *eodem tit.* cum ſimilibus.

In foro autem externo quivis præſumitur vere, & ſerio 7
promiſiſſe. Unde ad ſervandum promiſſum debet condemnari, niſi legitime fictionem, ſeu ſimulationem, aut jocum, ſeu dolum probet, quia, ut dicitur in *l. Labeo art.* 7. §. 2. *ff. de ſupellectili legata*, in foro externo; *Nemo exiſtimandus eſt dixiſſe quod non mente agitaverit*; Et ut habetur *in l. Generaliter* 13. *Cod. de non numerata pecunia*: *Nimis enim indignum eſſe judicamus quod ſua quiſque voce dilucide proteſtatus eſt, id in eundem caſum infirmare, teſtimonioque proprio reſiſtere.* Et ratio eſt, quia alias ſi ad id non condemnaretur, poſſet quivis faciliime in foro externo ſponſalia eludere, & ex iis ſibi incumbens onus nubendi pro libitu ſubterfugere, dicendo ſe tantum ficte, & ſimulate, aut jocoſe, vel doloſe, ſeu fraudulenter promiſiſſe contra expreſſam diſpoſitionem juris ſtatuentis, quod fraus, & dolus nemini patrocinari debent, *cap. Sedes* 15. *& cap. Ex tenore* 16. *de reſcriptis, cap. Ex litteris* 2. *de dolo, & contumacia. cap. Tua* 12. *de Clericis non reſis dentib. l. In fundo, ff. de rei vindicat. l. Cum hi, ff. de tranſactionib. l. Si Legatarius Cod. de Legatis*, cum ſimilibus. *Vide infra n.* 46.

Secundo ad valorem ſponſalium requiritur, quod promiſ- 8
ſio ſit deliberata, & libera ab omni gravi metu, & errore circa perſonam. *Communis, arg. cap. Dilectus* 24. *cap. Tua nos* 26. *de ſponſalibus*, *l. Furor* 8. *ff. de ſponſalib.* cum ſimilibus. Et ratio eſt, quia alias non poteſt intervenire legitimus requiſitus voluntarius conſenſus.

Tertio requiritur, quod talis promiſſio ſit verbis, aut aliis 9
ſignis externis ſufficienter manifeſtata, quia promiſſio mera



inter-

interna, ſeu mente retenta, nec ſufficit, nec obligat, cum intentio mente retenta nihil operetur in humanis contractibus: *Communis, arg. l. Cum in plures 60. §. Locato, ff. Locati*.

10 Quarto requiritur, quod promiſſio ſit mutua, & reciproca ab utraque parte facta. *Communis, arg. l. Sponſalia 1. ff. de Sponſalibus*, ubi, ut patet textu allato *ſupra n.3.* Sponſalia definiuntur *mentio, & repromiſſio*, ideſt mutua, & reciproca partium promiſſio.

11 Quinto requiritur, quod ſponſalia contrahantur inter perſonas de Jure habiles, ideſt nullo impedimento perpetuo ſive dirimente, ſive ſolum impediente affectas, habentes legitimam ætatem, ut docent Doctores communiter.

12 Ætas autem legitima requiſita, & ſufficiens, tam in femina, quam in maſculo pro contrahendis ſponſalibus eſt ſeptennium completum. *Communis*, per textum *in cap. Litteras 4. cap. Acceſſit 5. cap. Ad diſſolvendum 13. de deſponſatione impuberum in 6. c. Ubi unic. cauſ.30. q.2. l. Sponſalibus 14. ff. de Sponſalibus*.

13 Unde ſponſalia ante completum ſeptennium unius, aut utriuſque ordinarie ſunt invalida, & nulla, quamvis illa loco liberorum contraxerint parentes, niſi liberi facti ſeptennio majores ea ratificent. *Communis*, textu expreſſo *in c. Si infantes unic. de deſponſatione impuberum in 6.* ibi: „ Si infantes ad „ invicem, vel unus major ſeptennio, & alter minor Spon„ ſalia contraxerint ipſi, vel parentes pro eis, niſi per coha„ bitationem eorum mutuam, ſeu alias verbo, vel facto ipſo„ rum liquido appareat, eoſdem in eadem voluntate factos „ majores ſeptennio perdurare; Sponſalia hujuſmodi, quæ ab „ initio nulla erant, per lapſum dicti temporis minime conva„ leſcunt, & ideo cum ſint nulla, ratione defectus conſenſus, „ publicæ honeſtatis Juſtitiam, non inducunt „, & concordat *cap. Ubi unic. cauſ.30. q. 2.*

14 Nec valet objicere, quod ex *c. Tua nos, de deſponſat. impuber.* filius poſtquam pervenerit ad perfectam ætatem, debeat adimplere, non ſolum ſponſalia, ſed & matrimonium a patre loco illius, uſum rationis nondum habentis, contractum. Non valet, inquam, quia, ut *ib. num. 7.* advertit Fagnan. & Communis Canoniſtarum, dictus Textus eſt intelligendus, quod filius debeat ea adimplere ex debito honeſtatis, non autem neceſſitatis.

15 Dicitur autem notanter, quod ſponſalia contracta ante completum ſeptennium ſunt invalida *ordinarie*, quia extraordinarie poſſunt etiam talia ſponſalia eſſe valida, ſi nempe in aliquibus malitia, ſeu potius prudentia ſuppleat, ſeu præveniat talem ætatem. Sicut enim valet Matrimonium contractum ante legitimam ætatem, ſi malitia, ſeu prudentia ſuppleat, ſeu præveniat ipſam requiſitam ætatem per dicta, & certa jura adducta ſub verbo *Matrimonium art.2. n. 22.* ita a fortiori ſic valere debent ſponſalia. Ita Joann. Andreas *in cap. Juvenis 3. de Sponſalibus num.9.* Covarruv. *p.1. de Sponſalibus cap.2. num.1.* Fagnan. *lib. 4. decretal. in cap. Ubi non eſt 2. de deſponſat. impub. num.5.* ubi ex Navarr. teſtatur de communi, Sanchez *lib. 1. diſp. 16. num. 9.* Silveſter verb. *Sponſalia q.2.* Pontas verb. *Sponſalia caſ.1.* Reiffenſtuel. *lib.4. decretal. tit.2. num.4.* & communior aliorum contra paucos *arg. cap. Juvenis 3. de Sponſalibus*, ubi habetur, ex ſponſalibus ab impubere minore ſeptennio contractis ortum eſſe impedimentum *publicæ honeſtatis*, adeoque fuiſſe valida, cum tale impedimentum non oriatur, niſi ex validis ſponſalibus, tam de jure antiquo, *arg. cit. cap. Si infantes unic. de deſponſatione impuberum in 6.* quam novo Concil. Trident. *ſeſſ.24. de reformatione Matrimonii cap.3.* Unde ſi valida fuerunt talia ſponſalia, hoc ſolum fuit, quia in ipſo malitia, ſeu prudentia ſuppleverat, ſeu prævenerat ætatem, uti recte notat Gloſſa *in cit. cap. Juvenis verb. dubia ad finem*; Tum quia Jura generaliter requirunt ad valorem ſponſalium ſeptennium completum, quia ordinarie ante illud tempus, non cenſetur adeſſe uſus rationis, defectu cujus non poteſt præberi neceſſario requiſitus conſenſus, *arg. cit. cap. Si infantes unic. de deſponſ. impuber. in 6.* ibi: *Cum ſint nulla ratione defectus conſenſus*, ergo quando malitia, ſeu prudentia extraordinarie ſupplet, ſeu prævenit ætatem, habetur ſufficiens uſus rationis, & conſequenter ſufficiens conſenſus requiſitus ad valorem ſponſalium; Cum ratio Legis ſit anima Legis; *l. Cum ratio 7. ff. de bonis damnatorum*; Et ubi eadem eſt ratio, eadem etiam debeat eſſe juris diſpoſitio, *l. Illud ff. Ad Legem Aquiliam, & c. Inter corporalia 2. de translat. Epiſcop.*

16 Si duo impuberes ſeptennio majores ſponſalia contrahant, neuter ab illis ante pubertatem reſilire poteſt, bene vero poſt illam. *Communis*, textu expreſſo *in cap. de illis 7. & c. A nobis 8. de deſponſatione impuberum*. Nec in tali caſu, qui pri- 17
mo fit pubes, tenetur alterum expectare, donec etiam ille pubeſcat, ſed poteſt ſtatim ac pubeſcit, pro libitu reſilire, *cit. c. De illis 7. §. Si vero*, Gloſſa *ibid. verb. Minoris*, licet contrarium dicat *ibid. verb. Cum Sponſalia*, Sanchez *lib. 1. de Sponſalibus diſp.51. num.9.* Pirhing *lib.4. decret. tit.2. num.6.* Reiffenſt. *ib. num.14.* teſtans de communi. Et ratio eſt quia fruſtra expectatur eventus, cujus nullus eſt effectus, *cap. Cum contingat 36. de Officio Judicis delegati*, adeoque ſi prius pubes factus poteſt altero pubertatem adepto reſilire, poterit etiam ſtatim. Si autem pubes cum impubere contrahat ſponſalia, tunc pubes non amplius reſilire poteſt; bene vero impubes, cum ad pubertatem pervenerit, textu expreſſo *in cit. cap. De*
*illis 7. §. Mulier*; Et ratio differentiæ eſt, quia cum contra- 18
ctus poſſit ex parte impuberis claudicare, ideo in favorem ipſius tantum poteſt retractari, ſicut ſi Minor ſine Tutoris auctoritate contractum cum Majore ineat, propter dictam rationem illi ſoli reſilire permiſſum eſt, *l. Non eo minus 14. de Procuratoribus*.

Impubes, quamvis ex dictis poſſit, cum ad pubertatem per- 19
venerit, a ſponſalibus reſilire, tamen debet ſtatim pubertatem adeptus id facere, alioquin poſtea non poterit, quia ex quo non ſtatim contradixit, cenſetur tacite ſponſalia ratificare, præſertim ſi ſponſi nomen adhuc patiatur, aut familiaritatem continuet, vel munera det, aut recipiat, Covarruv. *in lib.4. Decretal. part.1. cap.5. §.1. numer. 2.* Engel *lib.4. Decretal. tit.2. n.6.* Reiffenſtuel *ibid. num.15.* Pirhing. *ibid. n.7. notabil.2.* Sanchez *cit. diſp.51. num.14.* & alii paſſim; Statim autem dicitur reſilire, ſi circiter intra triduum reſiliat, ſeu contradicat, quia in jure dicitur in continenti aliquid fieri, quod intra triduum, ſeu triduo proximo fit; *l. Sententiis 3. Cod. de errore Advocatorum*, ibi: *Et continenti, ideſt triduo proximo contraxiſſe, leg. Cum ſpecialis 18. de Judiciis*; ibi: *Illico autem ideſt intra triduum proximum ſine ulla dilatione*.

Facultas reſiliendi a ſponſalibus impuberibus a jure conceſ- 20
ſa poſt adeptam pubertatem habet locum, tam in foro interno, quam in foro externo, ita ut ex ſolo impuberis diſſenſu poſt adeptam pubertatem abſque alia cauſa in utroque foro licite diſſolvi poſſint ſponſalia; Jus enim conſulere voluit immaturo, & mutabili puerorum judicio, ne tanto vinculo indiſſolubiliter, ſeu irrevocabiliter obligari poſſint, ſicque tenendum eſt omnem obligationem ſublatam eſſe etiam in foro conſcientiæ. *arg. cit. cap. De illis 7. cap. A nobis 8. de deſponſat. impuberum* cum ſimilibus. Sic Doctores ſupracitati.

Talis autem facultas reſiliendi a ſponſalibus probabilius 21
non eſt cenſenda conceſſa impuberibus, ſi ipſa ſponſalia juramento confirmaverint. Gloſſa *in cit. cap. De illis, verb. Judicio Eccleſiæ*, Ancharan. *in cap. Ex litteris 10. de Sponſalibus*, Covarruv. *in lib.4. Decretal. part.1. cap.5. §.1. num. 3.* Sanchez *lib.1. de Sponſalibus diſp.51. num.22.* Becanus *tract. de Sacram. cap.43. q.36. n.7.* Pirhing. *loc. cit. n.8.* & communior aliorum, teſte Reiffenſtuel *loc. cit. n 16.* quamvis ipſe *ibi* cum aliis ſentiat oppoſitum: Et noſtra concluſio clare deſumitur *ex cap. Ex litteris 10 de Sponſalibus*, ubi expreſſe ſtatuitur, quod ſi impuberes ſponſalia juramento confirmaverint, ea diſſolvere non amplius poſſint, juncto ejus ſummario, in quo ſic expreſſe habetur; *Qui juravit cum aliqua contrahere ſi non ſub eſt impedimentum per cenſuram Eccleſiaſticam contrahere compellitur?* Quamvis tamen non ſit improbabilis oppoſita ſententia propugnata a Reiffenſtuel *loc. cit.* & ab aliis ab ipſo allegatis.

Sponſalia de præſenti, ſeu Matrimonium ab impuberibus 22
nulliter contractum valet in vim ſponſaliorum; ſeu tranſit, & reſolvitur in ſponſalia de futuro. Vide verb. *Matrimonium art. 2. num. 26.*

Matrimonium autem nullum ex aliquo eſſentiali defectu, 23
ut celebratum ſine proprio Parocho, non reſolvitur in ſponſalia de futuro, etiamſi ſecuta ſit copula in figura Matrimonii. Vide dict. verb. *Matrimonium art. 2. num. 2. & 3.*

Ad valorem ſponſalium non requiritur præſentia Parochi, 24
& teſtium. *Communis ac certa*, ſic enim pluries declaravit *Sagra Congregat. Concilii*, ut teſtantur Sanchez *de Matrimonio lib. 1. diſput. 12. n.2.* Reinffenſtuel *loc. cit. n.22.* & alii. Vide infra *num. 139.*

Item ad valorem ſponſalium non requiritur conſenſus, aut 25
conſilium parentum, aut eorum, ſub quorum cura exiſtunt ſponſalia contrahentes. *Communis, arg. cap. Sufficiat 2. cauſa 27. q. 2.* ibi: *Sufficiat eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur*, & concordat *cap. Veniens 12. de ſponſalibus* & Conc. Trid. *ſeſſ. 24. de reform. Matrimonii cap. 1.* Ut licite tamen contrahant filii ſponſalia, requiritur ſaltem, ut prius

26 deſuper conſulant Parentes, quamvis eorum conſilium non ſemper ſequi teneantur. *Communis, arg. c. Aliter 1. cauſ.30. q. 5. cap. Honorantur parentes 13. cauſ. 32. q. 2. cap. Tua nos 1. de deſponſation. impuber. l. In ſponſalibus 7. §. 1. ff. de ſponſalibus*, cum ſimilibus. Vide infra *n. 140.*

27 Parentes contrahere poſſunt ſponſalia pro ſuis filiis puberibus, ſive impuberibus; & ſi ipſi filii expreſſe, vel tacite conſenſerint ut ſi præſentes fuerint, nec contradixerint, obligantur ad illa, & ex eis oritur Juſtitia *publicæ honeſtatis*. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Si infantes unic. §. Porro, de deſponſation. impuber. in 6.* ibi: „ Porro ex ſponſalibus, quæ „ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus, plerumque „ contrahunt, ipſi filii, ſi expreſſe conſenſerit, vel tacite, „ ut ſi præſentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, „ & ex eis oritur Juſtitia publicæ honeſtatis.

28 Parentes, nedum contrahere poſſunt ſponſalia pro ſuis filiis præſentibus, ſed etiam pro ipſis abſentibus, & ſponſalia ignorantibus, & ſi ipſi filii poſt ſcientiam dicta ſponſalia ratificaverint expreſſe, vel tacite, obligantur ad illa. *Communis*, textu expreſſo *in cit. cap. Si infantes §. Porro*, ibi: *Et eſt idem ſi filii tempore ſponſaliorum abſentes, & etiam ignorantes eadem ſponſalia poſt ſcientiam ratificaverint tacite, vel expreſſe*.

29 Sponſalia contracta a parentibus pro filiis, ſive præſentibus, ſive abſentibus, aut ignorantibus, & nec expreſſe, nec tacite conſentientibus, & a fortiori contradicentibus, ſunt invalida, & nulla, & nullatenus obligant ipſos filios, nec inde oritur Juſtitia publicæ honeſtatis. *Communis*, textu expreſſo *in cit. cap. Si Infantes §. Porro*, ibi: *Alias ex ſponſalibus contractis a parentibus pro filiis, nec ipſi filii obligantur, nec publicæ honeſtatis Juſtitia inde ſurgit*.

30 Item invalida, & nulla ſunt etiam ſponſalia contracta a filiis per gravem metum eis a parentibus, ſeu aliis injuſte incuſſum. Sic Abbas *in cap. Ex litteris 11. de deſponſatione impuberum n. 2.* Reiffenſtuel *lib. 1. Decret. tit. 40. n. 45. & lib. 4. Decretal. tit. 1. num. 13.* Roſignol. *de ſponſalib. 1. contract. 14. prænot. 5. ſect.4. num. 21. & 22.* cum pluribus ibi citatis, Sporer *tom. 3. part. 4. cap. 1. ſect. 2. de ſponſalibus num. 170.* cum aliis ibi citatis, Layman *lib. 3. Theolog. moral. tract. 4. cap. 6. n. 3.* Barboſa *lib. 2. Decretal. collectan. ad cap. 2. n. 6. de eo, qui ducit in Matrimonium*, Joannes Angelus Boſſius *de Matrimon. contract. cap. 12. n. 239. & ſeq.* Baſilius Pontius, *lib. 12. cap. 8. §. ultim. numer. 75.* Pontas verb. *Sponſalia cauſ. 8.* & ſic communior, & probabilior ſententia Doctorum, quos citat, & ſequitur Sanchez *libr. 4. de Matrimon. diſp. 19. n. 2. & 3.* Diana *part.3. tract.4. reſolut. 378.* contra alios. Sic etiam videtur ſtatui *in cap. Ex litteris 11. de deſponſation. impuber.* & arguitur a pari de Matrimonio, quod ex gravi metu injuſte incuſſo contractum ipſo jure nullum eſt, atque invalidum, textu expreſſo *in cap. Cum locum 14. cap. Veniens 15. cap. Conſultationis 28. de ſponſalibus, & Matrimonio*, & patet ex dictis ſub verb. *Impedimenta a num.103. ad 107.* & ſub verb. *Matrimonium articul. 2. 2. num. 4. 5. 6. 7. & 49.* Id enim, quod Jure ſtatutum eſt de metu irritante ipſum Matrimonium, eſt quoque intelligendum de metu reſpectu ſponſalium, cum hæc ſint via ad illud, & connexorum idem ſit judicium; *arg. cap. Translato, de Conſtitutionibus*, cum ſimilibus; Unde etiam *l. Orator. 16. ff. de ſponſalibus* in ſimili habetur, quod prohibitis in perſona Senatorum nuptiis, etiam ſponſalia ipſo jure prohibita cenſeantur; Tum quia fieri non poteſt, ut aliquis promiſſione ſui obligetur ad actum, ſeu contractum invalidum, adeoque, cum Matrimonium invalide contrahatur a perſona gravi metu compulſa, per jura ſupra adducta, & Communem Doctorum, etiam ſponſalia, ſeu promiſſio Matrimonii talem perſonam non obligant, & ſunt ipſo jure nulla, & invalida. Tum etiam quia omnia quæ fiunt metu & vi, declarantur eſſe ipſo jure nulla, textu expreſſo *in cit. Abbas 2. De his, quæ vi, metuſve cauſa fiunt*, ibi: *Quæ metu & vi fiunt de jure debeant in irritum revocari*.

31 Talia ſponſalia ex gravi metu inita neque firmantur juramento. Sic deſumitur *ex cap. Ex litteris 11. de deſponſat. impuber.* & docent Sanchez *loc. cit. diſp. 21. num.3.* cum pluribus aliis ibi allegatis, Diana *loc. cit.* Sporer *loc. cit.* teſtans ex aliis de communi, Roſignol. *loc. cit. n. 21.* Natta *conſil. 451. num.3.* Seraphinus *de privileg. Jur. privileg. 100. num. 11.* Barboſa *lib. 2. decret. collectan. ad c. 2. n. 6. de eo qui duxit in Matrim.* Coninch. *de Matrimon. diſp. 28. n. 47.* Baſilius Pontius *lib. 12. cap 8. §. Ultim. num. 75.* Joan. Angelus Boſſius *de Matrimon. cap. 12. num.239.* La Croix *lib.6. part.3. n. 108.* Dominicus Sotus *in 4. diſt. 29. q. 1. art. 3. §. Aliud deinde*, & alii plures contra alios. Et ratio eſt, quia Juramentum ex genere ſuo non ſupplet defectum conſenſus ſubſtantialiter requiſiti ad validitatem contractus, ut notant communiter Doctores *in c. fin. de procuratorib. in 6.* Sponſalia autem per metum gravem inita, ſunt irrita ex defectu conſenſus ſubſtantialiter requiſiti, ut patet ex dictis ſupra, adeoque per juramentum non poſſunt abſolute revalidari; Et confirmatur per text. *in cap. Significavit 2. de eo, qui duxit in Matrimonium*, ubi expreſſe ſtatuitur, quod ille, qui poſt Matrimonium metu contractum, & juratum aliam duxit, debeat permanere cum ſecunda, & prius Matrimonium ſit invalidum: Tum quia juramentum ſequitur naturam, & conditiones actus, & contractus, & obligationis, cui apponitur, *l. Fin. Cod. de non numerata pecun.* niſi aliud ſpecialiter expreſſum habeatur in Jure, ergo quia ſponſalia gravi metu inita habent hanc naturam quod ſint invalida, & nulla ex dictis *ſupra n. 30.* eorum naturam non immutabit, ſed ſequetur juramentum adjectum; Tum etiam quia votum ſolemne Religionis metu gravi emiſſum eſt nullum, textu expreſſo *in cap. Perlatum 1. de his, quæ vi, metuſve cauſa fiunt*, & concordat *cap. Cum dilectus 6. eod.* cum ſimilibus, & patet ex dictis, & Juribus adductis ſub verb. *Metus num. 14. & 17.* Votum autem ſolemne Religionis æque præſtans eſt, ac juramentum, adeoque etiam juramentum pari metu præſtitum eſt nullum.

Nec tale juramentum obligat, nec ulla indiget relaxatio- 32
ne, aut abſolutione, Roſignol. *l.c. n.22.* & ipſo teſte Butrius, Panormitan. & Doctores communiter *in cit. cap. Ex litteris 11. de deſponſat. impuber.* Joann. Angelus Boſſius *de Matrimon. cap. 12. num.143.* Rodriquez *tom. 1. Summæ capit. 231. concluſ. 4. & cap.244. concluſ. 4.* Azorius *Inſtit. moral. part.1. lib.1. cap. 29. qu. 6.* Baſilius Pontius *lib. 4. c. 6. n. 12.* La Croix *loc. cit. num. 108.* Layman *lib.3. Theol. moral. tr. 4. cap. 6. n.3.* Sporer *loc. cit. num. 170.* & alii contra alios; Et ratio eſt, quia, ut patet ex dictis *num. antecedenti*, juramentum adjectum contractui per metum gravem inito non ligat, & nullum eſt, Vinculum autem, quod non eſt, neque indiget ſolutione, ſeu relatione; hocque clare patet *ex cit. cap. Ex litteris 11. de deſponſat. impuber.* ubi eſt ſermo de ſponſalibus juratis; Tum quia juramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, *cap. Quanto 18. de jurejurando, cap. Inter cetera 22. cauſ. 22. q. 4.* cum ſimilibus, adeoque non poteſt obligare ad ſervanda ſponſalia de jure nulla, utpote per iniquum, & injuſtum gravem metum extorta, ſicque nulla indiget relaxatione, aut abſolutione, cum jus illud ab initio irritet, ut recte dicit La Croix *l. cit. n. 108.*

An ſponſalia contracta per metum reverentialem ſint inva- 33
lida, & nulla; Vid. verb. *Metus a n. 20. ad n.24.* & diſcurre proportionaliter, ſicut *ibid.*

Sponſalia contracta per metum levem, etiamſi injuſte 34
incuſſum, ſunt valida. Vide verb. *Impedimenta Matrimonii art. 1. n.105.* & diſcurre proportionaliter ſicut *ibi*, quia ſolus & omnis metus ſufficiens ad invalidandum Matrimonium regula generali tradita a Sporer *loco cit. n. 170.* eſt ſufficiens ad invalidanda ſponſalia.

In foro externo generaliter loquendo, niſi aliunde de in- 35
tentione conſtet, cenſenda ſunt contracta vera ſponſalia per illa verba, quæ juxta communem intelligentiam, & communem loci uſum, aut conſuetudinem loquendi veram promiſſionem futuri Matrimonii ſignificant. *Communis*, per clarum text. *in cap. Ex litteris 6. De Sponſalibus, l. Labeo 7. ff. De ſupellectili legata, l. Semper in ſtipulationibus 34. ff. de Regulis Juris*.

In ſpecie verba certo ſignificantia, & importantia ſpon- 36
ſalia ſunt ſequentia, & ſimilia v. g. *Promitto, me obligo, do tibi fidem meam, quod te ducam*. Vel *habeas me infidum, niſi te ducam*; vel *accipiam te*. Vel *ſub mea fide te ducam*. Vel *Promitto me ducturum te in meam, vel in ſponſam meam*. Vel *Accipio te in uxorem*, ſi altera reſpondeat. *Ego te accipiam in virum*. Vel *Non alium, ſed te ducam*. Vel *promitto tibi tecum contrahere Matrimonium*. Vel *In craſtinum te ducam*, & hujuſmodi. Sic expreſſe tradunt Tamburrinus *l.8. tract. 3. cap. 2. §.5. n. 7.* Sporer *loc. cit. n. 179.* Gobatt. I. tract.

*tract.* 10. *n.* 48. teſtans cum Sanchez, & aliis de communi, Reiffenſtuel *lib.* 4. *Decret. tit.* 1. *n.* 30. ubi ſequentia verba tamquam certo ſignificantia ſponſalia enumerat. *Promitto tibi matrimonium, & Ego tibi.* Vel *Obligo me, quod velim tibi nubere.* Vel *te ducere.* Vel *Tecum contraehre.* Vel *fidem meam.* Vel *Quam vere vivo.* Vel *Quam vere homo ſum,* Vel *quam vere ita vocor.* Vel *quam vere honeſtus ſum ducam te, vel accipiam te, nubam tibi &c.* Vel *ſim nequam.* Vel *ſim infidelis* Vel *Diabolus me rapiat. niſi ducam te &c.* Vel *tu ſis futura mea uxor.* Vel *volo te habere pro futura mea uxore.* Quamvis enim non in omnibus ſupradictis habeatur expreſſe terminus *Promitto, Juro, me obligo &c.* ſed ſimpliciter dicatur *accipiam te, ducam te, volo te accipere, ducere &c.* tamen num per ſimilia verba juxta communem intelligentiam, communemque uſum, & conſuetudinem loquendi vera futuri Matrimonii promiſſio intendatur, & ſignificetur, ita ſic loquentes, & promittentes, vera ſponſalia intendiſſe, præſumi & judicari debet; *arg. cit. cap.* Ex *litteris* 6. *de ſponſalibus, l. Labeo, ff. de ſupellectili legat. l. Semper in ſtipulationibus, ff. de Regulis Juris;* Dummodo tamen ſemper accedat ſimilis reciproca, & mutua utriuſque partis promiſſio per dicta *ſupra num.* 10.

37 Verba certo non ſponſalia, ſed Matrimonium ſignificantia ſunt ſequentia, & ſimilia v. g. *Accipio te in meam.* Vel *Habeo te in uxorem.* Vel *Jam ex nunc reputo te in uxorem.* Vel *Jam ex nunc, ſeu poſthac, ab hoc tempore providebo tibi ut meæ uxori.* Vel *ſemper, ſeu poſt hac omnibus diebus vitæ meæ habebo, tenebo te pro mea uxore.* Vel *Ex nunc, poſt hac eris mea uxor.* Vel *Ex nunc accipio te in maritum,* & hujuſmodi verba mutuo, & reciproce prolata: Quamvis enim ea verba futuri temporis, *mea eris, habebo, tenebo, tractabo, providebo* ex ſe ſignificent, & conſtituant tantum ſponſalia quatenus tamen additur ejuſmodi particula: *Jam, ex nunc, ſemper, omnibus diebus vitæ meæ &c.* jam important etiam verum conſenſum de præſenti, adeoque verum Matrimonium, etiam ubi receptum eſt Concilium Tridentin. ſi interveniat legitima Parochi, & teſtium præſentia. Sic Tamb. *loco cit. n.* 28. Sporer *loc. cit. n.* 180. Gobat *loc. cit. n.* 51. *& ſeq.* & alii paſſim. *arg. c. Si inter virum* 31. *de ſponſalibus.*

38 Verba ſub dubio conſtituentia ſponſalia niſi major expreſſio addatur, ſunt ſequentia, & ſimilia; v. g. Te *deſponſabo.* Vel *tecum ſponſalia contraham.* Vel *Volo contrahere tecum.* Vel *Placet te ducere.* Vel *Propino tibi ad Matrimonium.* Vel *Promitto tibi amorem, & fidelitatem,* & alia hujuſmodi; Similia enim verba, niſi alia addantur, vel adſint aliæ circumſtantiæ, non continent certo, ſed tantum dubie promiſſionem Matrimonii, cum ſi loquamur de ultimis, amor, & fidelitas poſſint etiam in aliis rebus præſtari; Vel ſi loquamur de primis, poteſt per illa intelligi tantum promiſſio ſponſalium, non Matrimonii; Et ſi loquamur de ceteris aliis, per illa ſignificatur tantum animus, ſeu propoſitum faciendi ſponſalia, ſeu affectus ad Matrimonium; at per illa necdum admittitur obligatio, niſi major expreſſio addatur, aut tales interveniant circumſtantiæ, unde cognoſcatur per ſimilia verba ſic loquentes vere promittere futurum Matrimonium, ſicque vera, & certa contrahere ſponſalia cum obligatione promiſſuni Matrimonium realiter effectuandi. Sic Gobat *loc. cit. a n.* 53. Sporer *loc. cit. a n.* 104. La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *a n.* 126. Reiffenſtuel *loc. cit. a n.* 33. cum pluribus aliis apud ipſos.

39 Hæc verba: *Non ducam aliam,* ſeu *Nullam aliam ducam quam te,* Vel, *Præter te,* aut *Niſi te,* probabilius non faciunt ſponſalia, ſeu per ipſa non contrahuntur ſponſalia, niſi aliunde ex circumſtantiis alia intentio conſtet, ſeu colligatur. Sanchez *lib.* 1. *de Matrimon. diſ.* 19. *n.* 5. cum pluribus ibi allegatis, Guttierez *Canonicar. qq. lib.* 1. *q.* 21. *n.* 13. Layman. *Theol. moral. tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *n.* 2. Sporer *loc. n.* 185. Alciat. *in l. Action., Cod. de tranſaction.* Averſa *q.* 8. *ſect.* 3. La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 427. cum aliis ibi citatis, Gobat *tom.* 1. *tract.* 16. *n.* 60. Reiff. *loc. cit. n.* 33. Tamburin. *loco cit. n.* 60. Rota *part.* 4. *deciſ.* 656. *tom.* 3. *recent. n.* 4. Pontas verb. *Sponſalia caſ.* 24. & alii plures contra alios; Et ratio eſt, quia ſimilia verba faciunt ſolummodo ſenſum exceptivum, ſeu excluſivum, & conditionatam promiſſionem, nempe, *Si aliquam ſum ducturus, ducam te,* Unde quamvis vi talis promiſſionis eam ducere deberet, ſi nubere vellet; *arg. l. Si ſterilis* 21. §. 5. *de Act. empt.* tamen omnino etiam abſtinere poteſt a Matrimonio.

Et ſic cenſuit *Sac. Cong. Concil. in Vintimilien. Sponſalium die* 1. *Junii* 1709. ubi de ſponſalibus contractis ſequentibus verbis: *Io infraſcripto Antonio Levame dico, e prometto di non ſpoſare altra Figlia, che la Signora Benedetta Gena, come anche promette lei di non ſpoſare altro Giovine che me,* diſcuſſis dubiis 1. *An conſtet de validitate ſponſalium inter Antonium Levame, & Benedictam Genam, & quatenus affirmative,* 2. *An dictus Antonius Levame ſit cogendus, vel potius poſſit ab eis recedere contrahendo cum altera in caſu &c.* fuit reſcriptum *Ad* 1. *Ex hactenus deductis non conſtare de ſponſalibus abſolutis. Ad* 2. *Negative quoad primam partem & quoad ſecundam, dilata.* Et repropoſita cauſa ſub conſueto dubio, *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c. Die* 28. *Septembr. ejuſdem anni* 1709. dictum Reſcriptum fuit confirmatum, & additum fuit, *Antonium poſſe cum altera muliere Matrimonium contrahere.* Et ſic etiam reſpondit *ead. Sac. Cong. in Mediol. Sponſalium die* 13. *Julii* 1725.

40 Non ſolum verbis, ſeu Epiſtolis ſimilia verba continentibus, ſed etiam ſignis, ſeu factis conſenſum internum exprimentibus ſponſalia contrahantur. *Comm. arg. c. Cum apud* 23. *de ſponſal.* ubi habetur etiam mutum contrahere poſſe ſponſalia addita hac ratione: *Cum quod verbis non poteſt ſignis valcat declarare,* & concordat *cap. Tuæ* 25. *eod. & cap. Si infantes unic. de deſponſat. impub. in* 6.

41 In foro externo, generaliter loquendo, ſponſalia contracta eſſe cenſetur, ac præſumuntur per illa ſigna, ſeu facta, per quæ concurrentibus circumſtantiis juxta communem intelligentiam, ac uſum, & conſuetudinem loci, voluntas, ſeu ſenſus internus contrahendi exprimi, & manifeſtari ſolet. *Communis, arg. cap. Ex litteris* 7. *de ſponſalibus, l. Labeo* 7. *ff. de ſupellectili legat. & l. Semper* 34. *ff. de Regul. Juris,* ibi: „ Semper in ſtipulationibus, & in ceteris contractibus id ſequimur, quod actum eſt. Aut ſi non appareat, quid actum eſt, erit conſequens, ut id ſequamur, quod in Regione, in qua actum eſt, frequentatur.

42 Sic concurrente circumſtantia præcedentis tractatus Matrimonii, ſeu verbi unius cenſentur, & præſumuntur contracta ſponſalia per immiſſionem, ſeu donationem, & receptionem annuli, *arg. cap. Si quis* 15. *cauſ.* 27. *q.* 2. *cap. final. de deſponſat. impuber.* Gloſſa communiter recepta *in cap. Si inter* 31. *verb. dicente, de ſponſalibus,* Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 57. Sporer *loco cit. n.* 189. Maſcard. *de probationibus concl.* 1024. *n.* 2. *& ſeq.* Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. diſp.* 22. *n.* 3. & alii paſſim. Et ratio eſt, quia præcedente contractu, aut verbo unius de futuro Matrimonio, traditio annuli facta a juvene, & acceptatio ejuſdem facta a puella ſecundum communem uſum, & æſtimationem hominium habentur pro certo ſigno conſenſus ad futurum Matrimonium, adeoque in foro externo per id cenſentur, & præſumuntur contracta vera ſponſalia, *arg. cit. cap.* Ex *litteris, cit. l. Labeo,* & *l. Semper.*

43 Item concurrente circumſtantia præcedentis tractatus Matrimonii per miſſionem, ſeu donationem, & acceptationem aliorum munerum juxta morem Sponſorum cenſentur, & præſuntur contracta ſponſalia. Sanchez *loc. cit. numer.* 5. cum aliis ibi allegatis, Sporer *loc. cit. n.* 190. Gobat *loc. cit. n.* 69. Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 59. & alii: Currit enim eadem ratio in ſimili circumſtantia de donatione, & acceptatione aliorum munerum, ac de donatione, & acceptatione annuli; Ubi autem eadem eſt ratio, eadem eſt Legis diſpoſitio, *l. Illud* 32. *ff. Ad Legem Aquiliam, & cap. Inter corporalia* 2. *de translat. Epiſcop.* Cum ratio Legis ſit anima Legis, *l. Cum. ratio* 7. *ff. de bonis damnatorum,* adeoque &c.

44 Item in ſimili circumſtantia præcedentis tractatus Matrimonii per porrectionem manus ab uno factam, & ab altera ſine renitentia, & contradictione acceptatam cenſetur, & præſumuntur contracta ſponſalia, Sanchez *loc. cit.* Sporer *loc. cit. num.* 188. Gobat *loc. cit. n.* 65. Reinſſenſtuel *loc. cit. num.* 60. & ipſo teſte alii comuniter per dicta, & Jura adducta *n.* 42. *&* 43.

45 Per omnia autem ſupradicta, ſi non concurrat circumſtantia præcedentis tractatus Matrimonii, nec ad hoc ſpeciale quid habeat conſuetudo loci, non cenſentur, nec præſumuntur contracta ſponſalia in foro externo. Abbas *in cap. Final. de deſponſat. impuber num.* 7. Maſcardus *loc. cit. n.* 2. *& ſeq.* Sanchez *loc c. diſp.* 22. *num.* 1. Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 66, & alii communiter. Et ratio eſt, quia donatio, & acceptatio annuli, aliorumque munerum, ſicuti porrectio, & acceptatio manus ſunt ſigna, & facta æquivoca, cum etiam ob alias cauſas fieri poſſint, & ſoleant, *arg. cap. Illud* 11. *de præſumptionibus;* Fieri enim poſſunt, & interdum ſolent ob turpem, vel etiam caſtum amorem, ob amicitiam, ob ſignum memoriæ, ob mutuum affectum, aut ob ſpem futuri Matrimonii, adeoque &c.



46 Quando verba, ſigna, aut facta, omnibus conſideratis, adhuc remanent dubia, an inducant vera ſponſalia, vel non? & qui ea protulit, aut edidit, negat ea protuliſſe, aut ediđiſſe intentione promittendi Matrimonium; Tunc Judex debet negantem abſolvere, præſertim ſi ei delato juramento purgatorio juret abſolute non habuiſſe talem intentionem; In dubio enim magis præſumitur pro libertate, quam pro obligatione, *l. Adrianus* 47. *ff. de obligationibus, & actionibus,* ibi: „ Ubi de obligando quæritur, propenſiores eſſe debemus „ nos, ſi habeamus occaſionem ad negandum; Ubi de libe„ rando ex adverſo quæritur, ut faciliores ſimus ad liberan„ dum, & concordat *cap. Ex litteris* 3. *de probationibus* „ ubi expreſſe dicitur, quod *promptiora ſint jura ad abſolvendum quam ad condemnandum, & cap. In obſcuris* 30. *de Regulis Juris in* 6. ibi: *In obſcuris minimum eſt ſequendum* idelt quod minus obligat, & onerat: Tum quia in dubiis ambiguis, & obſcuris recurrendum eſt ad mentem proferentis, eique ſaltem jurato credendum, *arg. cap. Cum in tua* 6. §. *final. qui Matrimonium accuſare poſſunt, & cap. Paſtoralis* 4. *in fine de exceptionibus, cap. Præſentium* 31. *de teſtibus, cap. Si vero* 4. *de ſententia excommunication. cap. Si verum eſſet* 1. *cauſ.* 31 *quæſt.* 2. cum ſimilibus; Et ſic in ſpecie tenent Gailus *lib.* 2. *Obſervat.* 48. *num.* 24. *& ſeq.* Felinus *in cap. Quando, de præſumptionibus num.* 6. Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 45. & alii paſſim, Et univerſaliter quando de mente, & conſcientia alicujus agitur, ſtatur juramento illius, uti recte docet Gloſſa communiter recepta *in cap. Significaſti* 18. *de homicid. voluntar. verb. Si ita eſt.*

47 Quando vero verba, ſigna, aut facta ſecundum communem uſum, & conſuetudinem loci ſunt clara, & ſponſalia vere ſignificant, tunc negans condemnari debet, nec debet admitti ad juramentum, quamvis dicat ſe ad obtinendum uſum corporis, vel ob alium ſimilem finem jocoſe, ficte, doloſe, aut, fraudulenter protuliſſe, aut ediđiſſe, niſi jocum, fictionem, dolum, aut fraudem legitime probaverit: Turpitudinem enim ſuam allegans jam ſuſpectum ſe facit, & indignum fide, ſicque minus habilem, ut ei juramentum deferatur; Nam *allegans ſuam turpitudinem non eſt audiendus, nec fides eſt ei præſtanda,* maxime ubi id poteſt eſſe in præjudicium tertii; *arg. c. Inter dilectos* 8. *de donationibus,* & Gloſſa *ibid. verb. Turpitudinem,* adducens varia jura, & alia; Gloſſa *in cap. Officii, de Pænitent. & remiſſionib.* Hocque ſatis evincit textus *in l. Mercedem, Cod. de condict. ob turpem cauſam leg. Tranſactione Cod. de tranſactionib.* Sic expreſſe pluribus adductis defendit Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 7. 8. *&* 48. Vide *ſupra n.* 7. & verb. *Juramentum art.* 2. *an.* 25.

48 Quando verba, ſigna, aut facta clare ſignificant ſponſalia, & Reus abſolute negat ſe ea protuliſſe, aut ediđiſſe, nec Actor id plene probare poteſt; quid in tali caſu facere debeat Judex, & cui juramentum ſit deferendum? Vide verb. *Juramentum art.* 2. *numer.* 25. diſcurre proportionaliter ſicut *ibi.*

49 Sponſalia vera quamvis occulta obligant ſub mortali. *Communiſſima, argum. cap. Præterea* 2. *de ſponſalibus,* ubi expreſſe ſtatuitur, quod „ Hi, qui Matrimonio contrahendo „ pure, & ſine omni conditione fidem dederunt, commo„ nendi ſunt, & modis omnibus inducendi, ut præſtitam „ fidem obſervent „ *& cap. Ex litteris* 10. *eodem titulo,* ubi ſub excommunicationis pœna mandatur, ut qui ſponſalia contraxit præſtitam fidem de nubendo obſervet, ibi: „ Man„ damus quatenus . . . . eum moneas, & ſi non acquieverit „ monits, Eccleſiaſticis Cenſuris compellas, ut ipſam (niſi „ rationabilis cauſa obſtiterit) in uxorem recipiat, & maritali „ affectione pertractet; Pœna autem excommunicationis non debet infligi, niſi pro peccato mortali, *cap. Nemo* 41. *cauſ.* 11. *quæſt.* 3. ibi: *Non niſi pro mortali debet imponi crimine;* In Eccleſia enim non datur major pœna ipſa Excommunicatione *cap. Corripiantur* 17. *cauſ.* 24. *quæſt.* 3. ibi: *Quia pœna in Eccleſia nulla major eſt,* adeoque &c.

50 Sponſalia obligant tempore ad nubendum præfixo, niſi juſta cauſa excuſet. *Communis arg. l. Solutum* 85. *ff. de ſolutionibus,* ibi: *Solutum ſolvitur non minus quantitate, quam die;* Contractus enim ex conventione legem accipere dignoſcuntur, ut expreſſe dicitur *in cap. Contractus* 85. *de Reg. Juris in* 6. & pacta juſta ſervanda ſunt, *l. Si quis in conſcribendo* 39. *Cod. de pactis, cap. Antigonus* 1. *& c. Qualiter* 3. *de pactis,* cum ſimilibus.

15 Et procedit concluſio, quamvis in hoc caſu pars altera non urgeat, quia dies ſtatuta interpellat pro homine, *arg. cap. Potuit* 4. *de Locato, & conducto,* ibi: „ Non obſtante quod „ ei, ut Canonem ſolveret, non extitit nunciatum. cum „ in hoc caſu dies ſtatuta pro Domino interpellet „. Et concordat *l. Magnam* 12. *Cod. de contrahenda ſtipulatione, & leg. In Emphyteuticariis* 2. *de Jure Emphyteutico,* ubi clare ad rem.

52 Unde ſi ratione culpabilis moræ unius altera pars aliquod damnum patiatur, debet illud damnum ei penitus reſarcire, *arg. c. Mora ſua* 25. *de Regul. Jur. in* 6. ibi: *Mora ſua cuilibet eſt nociva:* Qui enim occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur, *cap. Si culpa* 9. *de injuriis, & damno, l. Qui occidit* 30. §. 3. *ff. Ad Legem Aquiliam.*

53 Si autem intervenerit aliqua rationabilis cauſa, poſſunt licite ſponſalia differri quoad effectuationem Matrimonii, *arg. c. Ex literis* 10. *de ſponſalibus,* ubi dicitur, quod ob rationabilem cauſam poſſint ſponſalia omnino diſſolvi, ibi: *Niſi rationabilis cauſa obſtiterit,* unde a fortiori ob eam licite differri poterunt, & ideo *ſupra n.* 49. fuit notanter dictum: *Niſi juſta cauſa excuſet;* quia ut ſtatuitur *cap. Imputari* 41. *de Regul. Jur. in* 6. *Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum, & ex cap. Cognoſcentes* 2. *de Conſtitutionibus: Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit.*

54 Si nullum certum tempus ſit præfixum ad Matrimonium contrahendum, tenetur quiſque contrahere altero exigente, quam primum commode poteſt, Sanchez *l.* 1. *de ſponſalibus diſp.* 28. *n.* 2. Tannerus *tom.* 4. *diſ.* 8. *quæſt.* 1. *dub.* 3. *n.* 35. Pirhing. *lib.* 4. *decretal. tit.* 1. *n.* 16. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſolut.* 245. & alii plures. Et ratio eſt, quia id generale eſt in omni debito, cui dies certus præfixus non eſt. Non enim prius tenetur debitor ſolvere, quam Creditor poſtulaverit, *l. Debitoris* 10. *de pignoribus,* Reiffenſtuel autem *loco cit. n.* 143. Pontius, Caſtropal. Coninch. Ledeſma, & alii ab ipſo ibi allegati tenent, quod ſponſalia in tali caſu obligent ad contrahendum Matrimonium ſtatim quam primum commode & humanitus fieri poteſt, etiamſi ab aliqua ex ſpondentibus parte monitio, aut requiſitio non fiat. At recte Sporer *tom.* 3. *part.* 4. *cap.* 2. *num.* 420. dicit facile has ſententias conciliari, ſi dicatur obligari quidam ſtatim, quia natura promiſſionis eſt, ut ſervetur quam primum moraliter, & humano modo ſervari poteſt, at excuſari hujuſmodi ſponſos, quoties alter non requirit, cum poſſet, quia tunc cenſetur remittere, & non curare de dilatione. quod & admittit Reiffenſtuel ipſe *loc cit. num.* 149. concedendo, quod altera pars cenſeatur remittere, ſi tales adſint circumſtantiæ, aut ſigna, ex quibus prudenter colligi poſſit dictam partem alteram dilationi conſentire. Ceterum quo ad hoc ſervandum ſalubre monitum Sacræ Congregationis Concilii apud Sporer *loc. cit. num.* 420. & Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 151. referentes ex Gallemart. dictam Sacram Congregationem ad Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. ſic provide ſtatuiſſe: „ Monendi ſunt Sponſi, ut factis Sponſa„ libus quam primum contrahant Matrimonium per verba de „ præſenti coram Parocho, & teſtibus, ne Sponſæ ſtupri pe„ riculum ſubeant.

55 Recuſans poſt legitima ſponſalia contrahere Matrimonium poteſt, & debet ad id compelli per competentia juris remedia, niſi rationabilis cauſa obſtiterit. *Communis, ac certa* per textum *in cap. Præterea* 2. *de Sponſalibus,* ubi expreſſe ſtatuitur, quod „ hi, qui de Matrimonio contrahendo pure, „ & ſine omni conditione fidem dederunt, commonendi ſunt, „ & modis omnibus inducendi, ut præſtitam fidem obſer„ vent, *& cap. Ex litteris* 10. *eod. titul.* ubi ſic expreſſe mandatur: „ Fraternitati tuæ mandamus, quatenus, ſi hoc „ tibi conſtiterit, eum moneas, & ſi non acquieverit mo„ nitis, Eccleſiaſticis Cenſuris compellas, ut ipſam (niſi „ rationabilis cauſa obſtiterit) in uxorem recipiat, & mari„ tali affectione pertractet.

56 Et concluſio procedit, ſive ſponſalia fuerint jurata, ſive non, ut tradunt communiter Doctores, & Rota *part.* 3. *recent. deciſ.* 742. *n.* 1. *part.* 4. *tom.* 1. *deciſ.* 451. *n.* 2. *deciſ.* 666. *ſub. n.* 2. *Annot. ad deciſ.* 431. *n.* 62. *part.* 4. *tom.* 2. *& deciſ.* 163. *n.* 4. *& ſeq. part.* 6. *tom.* 1. Et ratio eſt, quia Judex Eccleſiaſticus poteſt, & non debet jurantem tantum, ſed etiam ſimpliciter promittentem, aut contrahentem debitis juris remediis ad obſervanda promiſſa, & pacta compellere, præſertim ad inſtan-

ſtantiam partis, *cap. Antigonus* 1. *de pactis*, ibi; „ Aut inita pacta ſuam obtineant firmitatem, aut conventus ( ſi ſe „ non cohibuerit ) Eccleſiaſticam ſentiat diſciplinam „, *&* *cap. Qualiter* 3. *eod.* ibi; „ Studioſe agendum eſt, ut ea, quæ „ promittuntur, opere compleantur „, juncto ejus Summario, ubi exereſſe dicitur *Judex debet ſtudioſe agere, ut promiſſa adimpleantur*.

57 Pro compellendo tali renuente contrahere Matrimonium debet judex Eccleſiaſticus ante omnia ipſum renuentem debito modo monere, adjunctis etiam minis, ut ſuæ obligationi ſatisfaciat, promiſſum Matrimonium contrahendo. *Communis* textu expreſſo *in cit. cap.* Ex *litteris* 10. *de ſponſalib.* ibi; „ Moneas, & ſi non acquierit monitis..... compellas, & concordat *cap. Not invenitur* 41. *cauſ.* 23. *q.* 4. ubi pro ratione, & modo præſcribitur, ut monitio ſeveritatem præcedat.

58 Deinde ſi monitione, & minis Judex Eccleſiaſticus nihil proficiat cum tali renuente Matrimonium contrahere, poteſt etiam adhibere, nedum poenam pecuniariam, ſed & carceres, aut alias poenas corporis afflictivas, ſi eas adhibendi occaſionem habeat. Fagnan. *in c. Prævenit* 2. *de Adulteriis a n.* 10. Barboſa ad Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de reformat. num.* 28. Caſtropal. *de ſponſalib. diſp.* 1. *punct.* 8. *num.* 2. Marc. Ant. Genuenſ. *in Practic. Eccleſ. q.* 780. *num.* 4. Antonell. *in prax lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 3. *& ſeq.* Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 157 qui teſtatur ſupradictos Doctores cum communi, & hodie certa aſſerere Judicem Eccleſiaſticum in cauſis tam Civilibus, quam criminalibus ad ſe pertinentibus omnino poſſe carceribus, & aliis poenis corporis afflictivis Laicos compellere, quin & debere hoc facere, antequam ad cenſuras Excommunicationis, aut Interdicti contra eos in præfatis cauſis procedat.

59 Et ſi nec etiam carceratione, aut aliis poenis corporis afflictivis aliquid efficiat, tunc poteſt, & debet renuentem etiam cenſura Excommunicationis, ad nubendum compellere. *Communis*, textu expreſſo *in cit. cap. Ex litteris* 10. *de ſponſalibus, ibi*; „ Et ſi non acquieverit monitis Eccleſiaſticis Cenſuri compellas, ut ipſam (niſi rationabilis cauſa obſtiterit) „ in uxorem recipiat, & maritali affectione petractet „; & concordat Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 3. §. *Quod ſi executio*.

60 Si autem Epiſcopus, non adhibita carceratione, aliiſque poenis corporis afflictivis, ſtatim Cenſuras adhibeat pro compellendo ad contrahendum Matrimonium talem renuentem, illicite quidem, ſed tamen valide aget, & Cenſuræ ſic ſtatim inflictæ valebunt. Sic Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 96. *num.* 39. & ad Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *reform. cap.* 3. *num.* 21. cum Guttierez, Campan. Eſcobar. Maſcard. Ant. Genuenſ. & aliis ab ipſo citatis *dict. allegat.* 96. *n.* 39. Reiffenſtuel. *loc. cit. n.* 162. & alii. Et ratio eſt, quia Concil. Trid. *loc. cit.* non annullat Cenſuram latam contra modum ibi præſcriptum, ſed tantum declarat *illicitam*, cum non imponat formam neceſſario obſervandam, ſed tantum tradat inſtructionem, ut docent ſupracitati Doctores, *arg. leg. A D. Pio* §. *In vindicatione, ff. de re judicata*; ubi ſtatuitur modus obſervandus in quavis executione facienda, hanc pariter admittere interpetrationem, ut executio aliter facta non ſubjaceat nullitati. Sic expreſſe Barboſa ad Concil. Trid. *loc. cit. & cit. allegat.* 96. *n.* 39. cum plurimis ibi cit.

61 Si tandem, adhibitis omnibus ſupradictis mediis, etiam Cenſuris, adhuc renuat cum tali nubere, non poteſt finaliter cogi ad nubendum, ſed debet dimitti, & abſolvi, præſertim ſi advertatur magna animorum averſio, ita ut ex tali futuro Matrimonio forent timendæ perpetuæ inimicitiæ, jurgia, ſcandala, verbera, mutilationes, & alia ſimilia gravia incommoda. Sic Rota *part.* 4. *recentior. tom.* 3. *deciſ.* 651. *num.* 10. *&* 11. *part.* 15. *deciſ.* 145. *n.* 6. ubi *n.* 7. ſubjungit, nec poſſe damnari ad poenam pecuniariam, ſeu conventionalem; Ne quis poenarum metu cogatur ad Matrimonium, in quo omnimoda libertas conſenſus eſſe debet, ut proſequitur *ibidem n.* 8. Et ſic Gloſſa *final. in cap. Pervenit* 2. *de adulteriis*, Joannes Andreas *in cap. Ex litteris* 10. *de Sponſalibus numer.* 12. & *ibi* Ancharanus *numer.* 5. Covarruvias *de Sponſalibus part.* 1. *cap.* 4. *n.* 3. *& ſeq.* Guttierez *de jurament. part.* 1. *cap.* 51. *n.* 4. Sanchez *lib.* 1. *de Sponſalibus diſp.* 29. *num.* 7. *&* 8. Gobat. *tom.* 1. *tract.* 10. *num.* 127. *& ſeq.* cum aliis ibi citatis Sporer *loc. cit. n.* 421. cum aliis ibi allegatis, Reiffenſtuel *loc. cit. numer.* 163. & ipſo teſte *Communis aliorum, arg. cap. Requiſivit* 17. *de Sponſalibus*, ubi Lucius III. Papa ſic expreſſe reſpondet, „ Requiſivit a Nobis tua Fraternitas, qua Cenſura „ mulier compelli debeat, quæ jurejurandi Religione neglecta nubere renuit eicui ſe nupturam interpoſito juramento confirmavit? Ad quod breviter reſpondemus, quod cum „ libera debeant eſſe Matrimonia, monenda eſt potius, „ quam cogenda, cum coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere „, quod intelligi debet de finali, & nimia coactione juxta dicta ſupra, *& cit. cap. Ex litteris* 10 *de Sponſalibus* ubi Cenſuris compelli jubetur renuens nubere, *Niſi rationabilis cauſa obſtiterit*. Revera autem videtur obſtare rationabilis cauſa non compellendi ipſum Cenſuris ad ſic nubendum, cum Judex ex circumſtantiis prudenter colligere poſſit præfatam animi averſionem, ex qua indubitanter oritura forent tot ingentia dicta mala, & gravia incommoda, *arg. cap. Principatus* 23. *cauſ.* 1. *q.* 1. ubi ex verbis S. Leonis Papæ expreſſe dicitur; *Difficile eſt, ut bono peragantur exitu quæ malo ſunt inchoata principio*, adeoque &c.

62 Nec quid novi induxit circa id Concilium Trid. ſe in ſuo robore reliquit diſpoſitionem Juris Canonici *in cit. cap. Requiſivit* 17. *de Sponſal.* de non cogendo finaliter ad nubendum talem renuentem nubere, ut habetur ex ſequenti declaratione Sac. Congr. Concilii relata ab Urſaya *tom.* 3. *part.* 1. *dec.* 19. *num.* 216. his verbis.

„ Hieracen. Præſuppoſito, quod Matrimonium ſit factum „ abſque Parochi præſentia, & duorum, vel trium teſtium, „ quo caſu irritum declaratur „, *a Tridentino Concilio ſeſſ.* 24. *de reformatione Matrimonii cap.* 2. *verſ. Qui aliter*; Quæritur.

„ An dictum Matrimonium tranſeat in Sponſalia de futuro, „ ita ut cogi poſſit Vir per Cenſuras, aliaque Juris remedia „ ad ſervandam fidem Sponſæ, quando maxime ſequuta ſit „ copula?

„ Et an ſi fuerint ſequutæ promiſſiones, & datæ fides de „ contrahendo Matrimonium per verba de futuro, poſſit cogi nolens contrahere ad contrahendum per verba de præſenti cum ſolemnitatibus Sacri Concilii, cum jure Canonico videatur contrarium deciſum ex cap. Requiſivit, de „ Sponſalibus.

„ Die.... Novembris 1589. Quoad primum S. C. cenſuit non tranſire. Quoad ſecundum de cogendis contrahentibus ad obſervanda ſponſalia nihil novi induxiſſe Concilium Trident. A Card. Caraffa *lib.* 6. *decretal. fol.* 62. „

Et abſtinendum eſſe a coactione reluctantis Sponſi, vel Sponſæ, & permittendas nuptias cum alia, ſeu alio, cenſuit *S. Cong. Conc. in Senogallien. Sponſalium* 1. *Semptemb.* 1714. *in Majoricen. Sponsalium* 24. *April.* 1723. *in Mediolanen. & Salernitanen. Sponsalium* 13. *Junii* 1725. *in Neapolitana* 17. *April.* 1728. *& in Gallipolitana Sponsalium* 28. *Februarii* 1733. apud Theſaurum Reſolution. Sacræ Congregationis Concilii *in dict. Gallipolitana tom.* 6. Nec etiam cogenda ſunt effectuari ſponſalia inter conſanguineos, ſeu affines inita ſub conditione Apoſtolicæ Diſpenſationis obtinendæ; ipſa enim declarata fuerunt irrita, & invalida a Sacra Congregatione Concilii *in Brugnaten. Sponsalium* 26. *Januar.* 1709. *& in Januen. Sponsalium* 12. *Decemb.* 1733. apud dict. *Theſaurum tom.* 6.

63 Unde recuſantem Matrimonium contrahere poſt ſponſalia poſſe quidem moneri, & juxta Sacrorum Canonum præſcripta compelli comminationem Cenſurarum, non autem poſſe præciſe cogi, propugnat Rota *part.* 4. *recentior. tom.* 3. *deciſ* 656. *n.* 10. *&* 11. *part.* 15. *dec.* 142. *n.* 6. & potiſſimum ubi adſit aliqua juſta cauſa reſiliendi a ſponſalibus, quo caſu Judex poteſt quidem monere, ut ad effectuationem Matrimonii deveniat, non autem poteſt cogere, neque per Cenſuras, & præſertim ſi timeatur, quod Cenſuræ ſperni poſſint; Vel quod per Matrimonium coacte initum gravius malum oriri poſſit; Rota *p.* 10. *recent. dec.* 19. *n.* 2. *&* 44. *part.* 14. *dec.* 185. *n.* 5.

64 In tali enim caſu poteſt Judex omnino abſtinere a Cenſuris, ſi prudenter prævidet, quod illæ nihil efficient, uti prævidere poteſt, ſi animi averſio nimia dignoſcitur; Sic Covarruv. *de sponsalibus p.* 1. *cap.* 4. §. 5. Sanchez *loc. cit. n.* 4. *&* 7. cum pluribus aliis ibi allegatis, Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 164. Gobat *loc. n.* 128. & plures alii.

65 Et in caſu, quo talis renuens Matrimonium effectuare, fuerit ob id excommunicatus, tunc Judex Eccleſiaſticus non ſolum ſponſum petentem abſolutionem abſolvere poteſt, poſtquam diu ſtetit excommunicatione innodatus, ſed eumdem etiam non petentem abſolvere tenetur; In ſimili enim caſu æque pia, ac laudabilis praxis Eccleſiæ eſt talem excommunicatum etiam non petentem, imo invitum abſolvere, *Sponſoque primævam libertatem reſtituere*, juxta præciſa verba Rotæ, & ad terminos Auctoritatum allegatarum *in Comen. Sponsalium* 10. *Junii* 1705. §. *Concurrente, coram Molin.* Sic refert, & tenet expreſſe Urſaja *tom.* 7. *part.* 2. *diſcept.* 19. *n.* 27. *& tom.* 3. *part.* 1. *diſcept.* 19. *n.* 252. & ſic tenet cum pluribus aliis Gobat *loc. cit. num.* 128. *&* 129.

66 Tempus autem, quod decurrere debet, antequam talis renuens excommunicatus abſolvatur, regulariter ſolet eſſe illud unius anni, ne poſtea efficiatur de Hæreſi ſuſpectus, juxta diſpoſita in Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 23. *cap.* 3. cum concordant. apud Menoch. *de Arbitrar. caſ.* 416. *num.* 55. Verum tamen eſt, quod ex particularibus facti circumſtantiis Rota *in deciſ.* 242. *num.* 13. *coram Duran.* cenſuit eſſe 16. menſium, & *in Majoricen. Cenſurarum* 15. *Januarii* 1515. §. *Longum*, *coram Cardinal. Scotto* cenſuit eſſe ſpatium 17. menſium. Sic Urſaya *tom.* 3. *part.* 1. *cit. diſcept.* 19. *n.* 254.

67 Nec in tali caſu poterit licite ſponſa adhuc urgere negationem talis abſolutionis a Cenſura, ut recte docet Gobat *loc. cit. num.* 129. ubi inſuper dicit cum Perez *diſput.* 11. *ſect.* 1. *nu.* 4. quod quando eſt clarum periculum ſupradictorum gravium malorum emergens ex horrore, quem ſponſus habet adverſus ſponſam, tunc ſponſalium etiam juratorum obligatio hoc ipſo ceſſet; *argument. cit. cap. Ex litteris* 40. *de ſponſalibus*, ibi: *Niſi rationabilis cauſa obſtiterit*, *& cit. cap. Requiſivit* 17. *eod.* ibi: *Cum libera debeant eſſe Matrimonia, monenda eſt potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere*.

68 Quamvis autem dicta ſponſa non poſſit in tali caſu licite adhuc negationem talis abſolutionis urgere, poteſt tamen licite Jure exigere compenſationem omnium damnorum emergentium ex hac diſſolutione, ut tradunt communiter Doctores, & expreſſe Rota *in Majoricen. Cenſurarum* 15. *Januarii* 1715. §. *final. coram Cardinal. Scotto*, ubi eo tempore, quo demandavit abſolutionem ſponſi renuentis effectuare ſponſalia adjecit modum, qui fuit refectionis omnium expenſarum, tam judicialium, quam extrajudicialium in cauſa facti cum reſervatione jurium reſpectu mulieris in congruo Judicio petendi dotem, quatenus illa de jure deberetur eidem mulieri.

69 An autem pars innocens, etiamſi nullum damnum patiatur, poſſit ab altera parte ſine legitima cauſa a ſponſalibus recedente, exigere pœnam conventam; ſeu an ſit licitum & validum in ſponſalibus apponere pœnam ſolvendam ab illo qui ab eis injuſte reſilit? Variant Doctores. Negant enim id fieri poſſe Sanctus Thomas *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 2. *art.* 3. *ad* 4. ſic expreſſe dicens: „ Quandoque autem apponitur conditio „ pecuniæ per modum pœnæ, & tunc, quia Matrimonia „ debent eſſe libera, talis conditio non ſtat, nec poteſt exigi „ pœna illa ab eo, qui non vult Matrimonium complere „. Rota *part.* 15. *recent. deciſ.* 142. *num.* 7. *&* 8. Sanctus Antoninus 3. *part. ſumm. Theol. tit.* 1. *cap.* 18. Tamburin. *lib.* 8. *de Matrimon. tract.* 3. §. 3. Tannerus *tom.* 4. *diſput.* 8. *qu.* 1. *num.* 44. Dicaſt. *diſput.* 1. *dub.* 26. *num.* 36. Beja *part.* 1. *caſ.* 1. Onnate *de contractibus diſput.* 34. *num.* 15. Tancredus *lib.* 1. *diſt.* 30. *num.* 1. Kugler *part.* 1. *num.* 42. Averſa *quæſt.* 8. *ſect.* 9. Sanchez *lib.* 1. *diſput.* 30. *num.* 2. aſſerens ſic omnes ſentire ſecum, Pontas verb. *Sponſalia num.* 56. aſſerens ſimiles pœnales conventiones, aut pactiones numquam tenere, nec in foro interiori, nec in exteriori, quamvis eſſent juramento firmatæ, cum non liceat Jusjurandum ſervare præſtitum ob rem Legibus Eccleſiaſticis vetitam, nec efficiendam ſine peccato ſaltem veniali, quod & tenet Sanchez, & Averſa *loc. cit.* cum multis aliis. Et quidem ſtando in rigore juris tum civilis, tum Canonici videtur hęc ſententia tenenda. Etenim in Jure Civili *leg. Titia* 134. *ff. de verborum obligationibus*, ſic expreſſe habetur, *Reſpondit ex ſtipulatione, quæ proponeretur, cum non ſecundum bonos mores interpoſita ſit agenti exceptionem doli mali obſtaturam, quia inhoneſtum viſum eſt vinculo poenæ Matrimonia obſtringi, ſive futura, ſive jam contracta*, & *in leg. Mulier* 5. *Cod. de ſponſalibus in fine*, ita expreſſe ſtatuitur: *Extra definitionem autem hujus Legis, ſi cautio pœnam ſtipulationis continens fuerit interpoſita, ex utraque parte nullas vires habebit, cum in contrahendis nuptiis libera poteſtas eſſe debeat*, & *in leg. Libera* 2. *Cod. de inutilibus ſtipulationibus* ſic reperitur præciſe ſancitum: *Libera Matrimonia eſſe antiquitus placuit, ideoque pacta, ne liceret divertere, non valere, & ſtipulationes, quibus pœnæ irrogantur ei, qui, quæve divortium feciſſet, ratas non haberi conſtat*; Et in Jure Canonico *cap. Gemmas* 29. *de Sponſalibus*, *& Matrimonio* ſic clare diſponitur: *Cum itaque libera Matrimonia eſſe debeant, & ideo talis ſtipulatio propter poenæ interpoſitionem ſit merito improbanda, mandamus quatenus ſi ita eſt, eundem B. ut ab extorſione prædictae poenae deſiſtat, Eccleſiaſtica Cenſura compellas*.





70 Nihilominus probabilius id fieri poſſe, nempe licite, & valide apponi poſſe in ſponſalibus pœnam ſolvendam ab eo, qui ab illis injuſte receſſerit, & talem conventam pœnam obligare, affirmant Godofr. *in cit. leg. Titia* 134. *ff. de verb. obligat. verſ. Quin inhoneſtum*, Barboſ. *in cit. cap. Gemmas* 29. *de ſponſal. num.* 89. Engel *lib.* 4. *Decret. tit.* 1. §. 2. *num.* 7. Reiffenſtuel *ibidem a num.* 187. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 8. Henno *tom.* 2. *tract. de Matrimon. diſput.* 1. *quaeſt.* 9. *concluſ.* 2. Boſco *in Theol. Sacramental. diſput.* 11. *de Matrimon. ſect.* 1. *concluſ.* 11. Baſilius Pontius *de Matrimon. lib.* 12. *cap.* 19. *n.* 8. Coninch *diſput.* 22. *dub.* 5. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſolut.* 211. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *de jurament. cap.* 23. *n.* 5. Vaſquez *Opuſcul. de teſtament. cap.* 3. *num.* 28. Caſtropal. *de Sponſalib. diſput.* 1. *punct.* 9. *n.* 3. Gobat *tractat.* 10. *caſ.* 4. *a num.* 172. Perez *de Matrimon. diſput.* 7. *ſect.* 1. *n.* 6. Delbene *cap.* 8. *diſput.* 19. *ſect.* 4. Haunold. *de juſtitia tom.* 1. *tract.* 4. *a n.* 362. Molina, Leſſius, La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 148. cum pluribus aliis ibi citatis, & valde probabile cenſet Pirhing *lib.* 4. *tit. ſect.* 1. *n.* 23. *verſ. Extendunt*, & plures alii.

71 Et ratio eſt, quia tales pœnales conventiones, nec ſunt contra Jus naturale, nec contra Jus poſitivum, adeoque validæ ſunt & licitæ. Quod non ſint contra jus naturale concedunt omnes, etiam ipſimet adverſarii, cum ipſemet Deus injuſte reſilienti apponat pœnam damnationis æternæ, ut patet *ſupra num.* 48. & Eccleſia pœnam pecuniariam, carceris, et Excommunicationis, ut patet *ſupra num.* 56. *&* 57. quod non facerent, ſi appoſitio pœnæ ſolvendæ ab injuſte reſiliente eſſet contra Jus naturale.

72 Quod autem tales conventiones pœnales non ſint contra Jus poſitivum, tum Civile, tum Canonicum, clare patet, quia in tantum in allatis juribus reprobantur tales pœnales conventiones, in quantum per ipſas læderetur libertas ad Matrimonium requiſita, prout fatentur etiam ipſimet adverſarii, eo quod hanc rationem allegent omnia *ſupra citata Jura*. Atqui tales conventiones pœnales non lædunt libertatem ad Matrimonium requiſitam, ergo &c. Probatur minor: libertas ad Matrimonium requiſita non tollitur per graviores pœnas, nempe per pœnas corporis afflictivas, per carceres, per excommunicationem, per pœnam damnationis æternæ, ſub quibus a Deo, & Eccleſia compelluntur ſponſi ad non reſiliendum injuſte, & ſine legitima cauſa a promiſſo Matrimonio; ergo neque libertas requiſita ad Matrimonium tollitur per dictam pœnam conventionalem omnibus ſupradictis longe minorem, *argument. leg.* 22. *ff. de adult.* Quod autem pœna ęterna gravior, & major ſit pœna temporali de ſe patet, & quod corporalis gravior, & major ſit pecuniaria, clare conſtat, *argument. leg. In ſervorum* §. *fin. de poenis*; & quod Excommunicatio ſit gravior, & major pœna, quæ in Eccleſia dari poſſit, habetur expreſſe *in cap. Corripiantur* 17. *cauſ.* 24. *q.* 3. ibi; *Qua poena in Eccleſia nulla major eſt*.

73 Tum quia poſſet negari ſuppoſitum, quod per dictam conventionem poenalem tollatur libertas, cum contractis rite ſponſalibus, nulla pars libertatem amplius habeat reſiliendi injuſte, & ſine legitima cauſa a dictis ſponſalibus, *argument. cap. Ex litteris* 10. *de ſponſalibus*, ibi: *Si non acquieverit monitis, Eccleſiaſticis Cenſuris compellas, ut ipſam ( niſi rationabilis cauſa obſtiterit ) in uxorem recipiat*. Quia, ut omnes etiam ipſimet adverſarii concedunt, ſponſalia rite contracta obligant ſub mortali, adeoque ſub poena æterna ad promiſſum Matrimonium effectuandum, ſicque libertatem adimunt ſponſis injuſte, & ſine legitima cauſa reſiliendi, eiſque neceſſitatem moralem effectuandi dictum promiſſum Matrimonium imponunt, & conſequenter libertas moralis non datur ad reſiliendum ſine cauſa. Quod enim eſt inhoneſtum, hoc ſecundum Leges eſt impoſſibile, quia de jure illud tantum poſſibile, & fieri poſſe cenſetur, quod licite fieri poteſt; *cap. Fraternitatis* 15. *cauſ.* 22. *quæſt.* 2. Juncta Gloſſa *ibidem verb. Quod poteſt*: Hinc allegata Jura ab adverſariis prohibent quidem poenales conventiones tollentes libertatem ad reſiliendum juſte, & cum legitima cauſa, quod & nos ultro concedimus. At non prohibent poenales conventiones ad non reſiliendum injuſte, & ſine legitima cauſa, cum ad injuſte reſiliendum, contractis rite ſponſalibus, moralem libertatem nulla

pars amplius habet: Sicque talia jura permittunt fieri conventiones poenales ad non reſiliendum injuſte, et ſine legitima cauſa, quæ eſt noſtra concluſio.

74 Tum etiam quia valide, et licite apponi poſſe poenam, ne quis injuſte a ſponſalibus reſiliat, dictamque poenam ab injuſte reſiliente poſſe licite exigi a parte innocente, et debere ſolvi a parte rea injuſte reſiliente, conceditur expreſſe, et ſtatuitur *in Conſtitut. ſeu Novella* 18. *Leonis Imperatoris: ut in ſponſalibus conſtituta poena exigatur*, vere digna, ut integra legatur; unde cum ibi habeatur tam clare, et explicite dicta diſpoſitio, ceſſat penitus ratio dubitandi de jure Civili. Immo etiam de jure Canonico, quia, ubi caſus, vel materia in Jure Canonico obſcure diſponitur (uti in præſenti, cum *in cit. cap. Gemmas* 29. *de ſponſalibus* ſermo ſit de ſponſalibus inter pueros ante ſeptennium contractis per parentes, uti patet ex textu, et fatentur omnes cum Sanchez *loc. cit. num.* 3. a quibus utpote invalidis non licet argumentari ad ſponſalia ab adultis valide contracta). In Jure autem Civili habetur de tali caſu, vel materia clara diſpoſitio (uti in præſenti, cum citata Conſtitutio, ſeu Novella 18. Leonis Imperatoris contineat ad rem clariſſimam, et expreſſiſſimam diſpoſitionem) etiam in Foro Canonico cauſa decidi debet juxta Jus Civile, *argument. cap. Intelleximus* 1. *de novi operis nunciatione*: Ubi Summus Pontifex Lucius III. ſic expreſſe pronunciat: *Sicut Leges non dedignant Sacros Canones imitari, ita & Sacrorum ſtatuta Canonum, Principum Conſtitutionibus adjuvantur*. Ubi Gloſſa verb. *Adjuvantur* notabiliter infert: *Et ita in cauſa Eccleſiaſtica Leges poſſumus allegare, ut etiamſi Canones deficiant, poſſit judicari ſecundum Leges*, et Abbas *ibidem numero* 3. merito concludit, quod *cauſa Eccleſiæ debet decidi per Jus civile in defectum Canonum, omnes enim Leges Principum non contradicentes Canonibus ſunt approbatæ per Eccleſiam, ut patet hic*.

75 An, et quando reſilientes a ſponſalibus amittant arrhas? Vide verb. *Arrha*.

76 Sponſalia rite contracta variis juſtis de cauſis diſſolvi poſſunt. Primo ſponſalia puberum etiam jurata valide, et licite diſſolvi poſſunt mutuo conſenſu. *Communis*, per text. *in cap. Præterea* 2. *de ſponſalib.* juncto ejus Summario, in quo expreſſe ſic habetur: *Sponſalia de futuro diſſolvuntur, ſi Sponſi ſe diſſolvunt, etiamſi fuerint jurata*. Et ratio eſt, quia ut dicitur *cap. Omnis res* 1. *de Regul. Juris in* 6. *Omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*, et concordat *lex Nihil* 35. *ff. de Regul. Jur.* ibi: *Nihil tam naturale eſt, quam eo genere quidquam diſſolvi, quo colligatum eſt*, cum ſimilibus.

77 Secundo diſſolvi poſſunt Sponſalia per receſſum unius a ſponſalibus; Recedente enim una parte a ſponſalibus, ſive juſte, ſive injuſte, etiam altera pars recedere poteſt. *Communis*; Et quidem ſi una pars juſte recedat, jam hoc ipſo ſolvit ſponſalia, et altera pars libera manet; ſi autem injuſte recedat, procedit illud vulgatum: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem, argument. leg. Qui fidem* 16. *de tranſactionib. & cap. Fruſtra* 75. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui Fidem a ſe præſtitam ſervare recuſat*.

78 Quando tamen una pars injuſte recedit, non tenetur altera pars recedere, ſed poteſt injuſte recedentem tenere ſibi obligatum, ita ut hic teneatur eidem volenti adhuc nubere. *Communis*. Et ratio eſt, quia peccata ſuos debent tenere Auctores, *l. Sancimus* 22. *Cod. de poenis cap. Quæſivit* 2. *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli*; Et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit: *cap. Cognoſcentes* 2. *de Conſtit.* Nec debet aliquis alterius odio prægravari, *cap. Non debet* 22. *de Regul. Jur. in* 6. *l. Non debet* 74. *ff. de Regul. Jur.* Et nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt, *l. Non fraudantur* 134. §. 1. *ff. de Reg. Jur. Ne videatur de ſua malitia commodum reportare*, *cap. Intelleximus* 7. *de Judiciis*.

79 Tertio diſſolvuntur ſponſalia, ſi unus ſponſorum ſine licentia alterius longius diſcedit animo non redeundi, ſeu ſine ſpe brevi redeundi; tunc enim altera pars ad alia vota tranſire libere poteſt. *Communis*, textu expreſſo *in cap. De illis* 5. *de ſponſalibus*, ibi: *De illis autem, qui præſtito juramento, promittunt ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea eis incognitis, dimittunt terram, ſe ad partes alias transferentes, hoc ſibi volumus innoteſcere, quod liberum erit mulieribus ipſis, ſi non amplius in facto eſt proceſſum, ad alia ſe vota transferre*; juncto ejus Summario ſic dicente: *Si ſponſus de futuro ante copulam ad remota ſe transfert, ſponſa libere cum alio contrahit*.

80 Nec obſtant Leges Civiles, *ut leg. Si is qui* 2. *Cod. de ſponſalibus*, ubi ſtatuitur, ſponſum abſentem intra eamdem provinciam biennio eſſe expectandum, *l. Liberum eſt* 2. *Cod. de repudiis*, ubi ſancitur eſſe triennio expectandum, ſi extra Provinciam abſit, *l. Sæpe juſte* 17. *ff. de Sponſalibus*, ubi decernitur triennio, quadriennio, & ulterius eſſe expectandum, ſi unus ex ſponſis ob aliquam cauſam neceſſariam abſit. Non obſtant, inquam, quia, præfatæ Leges correctæ fuerunt a Jure Canonico *cit. cap. De illis* 5. *de ſponſalibus*; Cui juri Canonico abſolute ſtandum eſſe in utroque Foro, quando ſponſus alio ſe confert ex voluntaria, juſta quidem, ſed non neceſſaria cauſa, docent Henriquez, Rodriquez, aliiſque citatis Sanchez *lib.* 1. *de Matrimon. diſput.* 54. *num.* 5. Tamburin. *loc. cit.* §. 1. *cap.* 1. *num.* 9. apud Sporer *loc. cit. numer.* 244. & minime attendendas eſſe prædictas leges in noſtro caſu, quando ſcilicet unus ſponſorum ſine licentia alterius longius diſcedit animo non redeundi, ſeu ſine ſpe brevi redeundi, docet cum aliis Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 215.

81 Quamvis tamen plures Doctores, ut Silveſter, Caniſius, Layman *loc. cit. n.* 14. Gloſſa, & alii apud ipſos dicant, prædictas Leges non eſſe a Jure Canonico correctas in caſu, quo ſponſus ex cauſa neceſſaria, ſeu voluntaria, juſta tamen, & utili, verb. grat. ob bellum juſtum, ob ſtudia, ob negotiationem, & hujuſmodi, diutius abeſt, deinceps reverſurus, & in ſimilibus caſibus ſponſam debere expectare ſaltem tantum temporis, quantum conſtituet Judex Eccleſiaſticus illud moderando ad breviorem terminum, & ſignificando ſponſo, intra quem teneatur redire, alioquin ſponſam liberam fore; Quæ opinio eſt probabiliſſima, & mea videri in praxi ſequenda, cum ſic concilietur Jus Civile cum Canonico, nec ſit contra noſtram concluſionem *ſub num.* 75. nam ipſa loquitur de caſu, quo unus ſponſorum ſine licentia alterius longius diſcedit animo non redeundi, ſeu ſine ſpe brevi redeundi; Hinc in caſu, quo deinceps reverſurus abſit ob aliquam ſupradictam neceſſariam, ſeu voluntariam, juſtam tamen, & utilem cauſam; tunc ſponſa revera expectare debet aliquanto tempore judicis arbitrio, conſideratis occurrentibus circumſtantiis, ſignificando interim ſponſo intra quod tempus redire teneatur, alioquin ipſam ſponſam liberam fore, ut jam dictum eſt; Et ſic in praxi obſervari aſſerit Sporer *loc. cit. num.* 244. Et ſic ſi Sponſus ſit in loco propinquo, quod requiri, et admoneri debeat, ut intra certum tempus nubat, docent Sanchez *l. c. num.* 11. Reiffenſtuel *l. c. n.* 215. et alii paſſim.

82 Quarto ſponſalia diſſolvuntur per dilationem nimiam Matrimonii ultra tempus, vel terminum præfixum ad finiendam obligationem; Qui enim differt inire Matrimonium ultra tempus, vel terminum in ſponſalibus ſic præfixum, cenſetur a ſponſalibus reſilire, ſic, ut altera pars etiam juſte reſilire, et ad alia vota ſe transferre poſſit. *Communis*, per text. *in cap. Sicut* 22. *de ſponſalibus, & leg. Fidejuſſor* 29. §. *final.*, *ff. Mandati*; Et ratio clara eſt, quia, ut habetur *in cap. Contractus* 85. *de Regulis Juris in* 6. *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur*, et concordat *l. Contractus* 23. *ff. de Regul. Juris*.

83 Si autem dilatio fiat ultra tempus, vel terminum præfixum, non ad finiendam, ſed tantum ad differendam ſeu ad exequendam obligationem contrahendi Matrimonium, ita ut uſque ad illud tempus verb. grat. uſque ad Paſcha, nulla pars obligetur, ſed ſolum incipiat obligatio poſt illud tempus tunc nequeunt diſſolvi ſponſalia ex eo quod intra illum terminum Matrimonium non ſit effectuatum, ſed manet adhuc obligatio illud effectuandi. *Communis*, *argument. leg. Continuus* 137. §. 2. *ff. de verbor. obligat.* & *leg. Celſus* 23., *ff. de Recept. qui arbitrium receperunt*; Et ratio eſt, quia cum tempus eſt præfixum, non ad finiendam, ſed tantum ad differendam, ſeu exequendam obligationem contrahendi Matrimonium, duplex conſurgit obligatio; Prima Matrimonium contrahendi; Secunda tali tempore contrahendi; Unde licet hæc ſecunda obligatio violetur, & ob eam violationem altera pars juſte reſiliat, manet tamen prior obligatio abſoluta, & principalis, ſcilicet Matrimonium contrahendi, ſi altera pars adhuc velit.

84 Si vero nullum certum tempus præfixum ſit ad Matrimonium contrahendum, diſcurrendum eſt ſicuti *ſupra n.* 53.

85 Quinto ſponſalia diſſolvuntur per ingreſſum in Religionem Profeſſione ſequuta. *Communiſſima*; Per Profeſſionem enim Religioſam ſolvitur etiam ipſum Matrimonium ratum, *cap. Ex publico* 7. *de converſ. conjug.* adeoque multo magis ſponſalia de futuro.

86 Per ſolum etiam ingreſſum in Religionem, licet Profeſſione nondum ſequuta, diſſolvuntur ſponſalia ex parte illius, qui in ſæculo remanet, ita ut is a promiſſione ſit liber, & ſi velit, ad alia vota ſe transferre poſſit; Sic Innocentius *in cap. Veniens, Qui Clerici, vel voventes*, & ibi Ancharan. *numer.* 1. Joan. Andr. *numer.* 2. Sanchez *lib.* 1. *diſput.* 42. *num.* 2. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 3. Sporer *loc. cit. n.* 247. cum Soto, Navarr. Henriquez, Rodriquez, Coninch. Tamburin. & aliis ibi citatis, Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 226. teſtans de communi aliorum contra Durandum, & alios apud Sanchez *loc. citat.* Et ratio eſt, quia illa pars, quæ Religionem ingreditur, ipſo facto ſignificat ſe mutaſſe voluntatem, & ſponſalibus, ac juri ſuo renunciaſſe, adeoque relinquit alteram partem liberam; Tum quia per ingreſſum in Religionem fit notabilis mutatio ex parte ingredientis; Per notabilem autem mutationem ex parte unius ſolvuntur ſponſalia, et tollitur obligatio ex parte alterius; *arg. cap. Quemadmodum* 25. *de Jurejurando, & cap. Per veſtras* 7. *de donation. inter virum, & uxorem*.

87 Per ſolum autem ingreſſum in Religionem, Profeſſione non ſequuta non diſſolvuntur ſponſalia ex parte ingredientis, ſed manet adhuc obligatio ex parte ipſius, ita ut ſi remanens in ſæculo velit expectare, et adhuc eum habere velit, teneatur eam ducere, ſi non ſecuta Profeſſione a Religione egrediatur. Engel *lib.* 4. *decretal. tit.* 1. §. 3. *num.* 7. Pirhing *ibid. num.* 50. Reiffenſtuel *ibidem numer.* 227. Sporer *loc. citat. numer.* 248. Layman *loc. citat.* et alii communiter contra Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 42. *num.* 4. dicentem etiam ex parte ingredientis diſſolvi ſponſalia, ſaltem ſi bona fide ingrediatur; Et ratio noſtra eſt, quia ſolus ingreſſus in Religionem, non ſequuta Profeſſione, nec ex natura ſua, nec ex jure aliquo poſitivo ſolvit ſponſalia, adeoque etc. Quod enim ex natura ſua non ſolvat ſponſalia, clare patet, quia Novitius egredi poteſt e Religione, et ſponſalia adimplere; Quod autem ea non ſolvat ex Jure aliquo poſitivo, conſtat ex eo quod nullum tale Jus allegari poſſit; nam *cap. Verum* 2. *& cap. Ex publico* 7. *de converſione conjugatorum* cum ſimilibus non loquuntur de ingreſſu, ſed de ſola Profeſſione, adeoque talis Juris poſitivi diſpoſitio facta de ſola Profeſſione, non debet extendi ad ſimplicem ingreſſum ſine Profeſſione, quia cum ſit odioſa, utpote in præjudicium alterius vertens, reſtringi potius quam extendi debet, *argum. cap. Odia* 15. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*.

88 Sexto ſponſalia diſſolvuntur ex parte utriuſque per ſuſceptionem Sacrorum Ordinum. *Communis*. Et ratio eſt clara, quia per ſuſceptionem Sacrorum Ordinum redditur impoſſibilis adimpletio ſponſalium, cum Ordines Sacri ob ſolemne votum Caſtitatis ipſis annexum reddant ſuſcipientes incapaces Matrimonii contrahendi, *cap. Presbyteris* 8. *diſt.* 27. *cap. Ante* 1. *cap. Sacerdotibus* 2. *diſt.* 31. *cap. Omnium* 1. *cap. Multorum* 2. *cap. De illo* 4. *cap. Si quis* 7. *cap. Subdiaconis* 9. *diſt.* 30. *& cap. Quod votum unic. de voto, & voti redempt. in* 6. *Extravagant. Joann. XXII. Antiquæ concertationi unic. de voto, & voti redempt.* Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 24. *Can.* 9. adeoque etc.

89 Non diſſolvuntur tamen ſponſalia per ſuſceptionem Ordinum Minorum ſaltem ex parte eos ſuſcipientis. *Communis*. Et ratio eſt evidens, quia per ſuſceptionem Ordinum Minorum non redditur impoſſibilis adimpletio ſponſalium, cum Ordines Minores non repugnent cum Matrimonio, ſed promoti ad ipſos poſſint adhuc valide, & licite nubere, adeoque ſponſalia contracta tenentur, quantum eſt ex parte ſua, adimplere: dicitur autem notanter ſaltem *ex parte eos ſuſcipientis*, quia ſi Sponſus inſcia, vel invita Sponſa ſuſcipiat Ordines Minores, probabilius ſolvuntur ſponſalia ex parte ipſius Sponſæ, ita ut hæc alteri pro libitu nubere poſſit, ut contra Sanchez *l.* 1. *diſp.* 57. *n.* 1. docent Gobat. *tract.* 10. *caſ.* 8. *n.* 321. Tannerus *de ſponſalibus diſp.* 8. *tract.* 4. *qu.* 1. *n.* 53. Sporer *l. c. n.* 256. Reiffenſt. *l. c. n.* 230. & alii. Et ratio eſt, quia tunc Sponſus revera videtur remittere Sponſæ jus ſuum in illam, cum ſuſcipiendo Ordines Minores cenſeatur velle etiam aſcendere ad Ordines Majores, & ſic ſtatum aſſumere incompoſſibilem cum Matrimonio per Jura adducta *num. anteced.* Tum quia videtur tunc fieri ex parte Sponſi notabilis mutatio, ob quam communiter nollent puellæ contrahere cum illo, quem ſcirent in Clericum ordinandum, adeoque ob ſimilem Sponſi notabilem mutationem ſolvuntur ſponſalia ex parte Sponſæ; *arg. c. Quemadmodum* 25. *de Jurejurando, & c. Per veſtras* 7. *de donation. inter virum, & uxorem*.

*Ferrar. Biblioth. Tom. VII.*



90 An autem etiam per votum ingrediendi Religionem, aut ſuſcipiendi Ordines Sacros, vel etiam per ſimplex votum Caſtitatis diſſolvantur ſponſalia? Variant Doctores, & quidem quoad votum ingrediendi Religionem Layman *l. c. n.* 4. Gobat *l. c. n.* 314. & alii volunt, ipſum diſſolvere ſponſalia ex parte utriuſque, ideſt tam ex parte voventis, quam non voventis, quia, dicunt ipſi, promiſſio Matrimonii tacite involvit conditionem, ſeu exceptionem, *Niſi elegero ſtatum perfectiorem*; Caſtrop. autem *de Sponſalibus diſp.* 1. *punct.* 20. *num.* 4. Tambur. *l.* 2. *n.* 7. Sporer *l. c. n.* 252. Reiffenſt. *loc. c. n.* 234. La Croix *l.* 6. *p.* 3. *n.* 190. & plures alii probabilius docent, quod per tale votum Religionis non illico diſſolvantur ſponſalia, ſed ſolum ſuſpendantur ex parte ipſius voventis; Et ratio eſt, quia tale votum ante Profeſſionem ſequutam non conſtituit ſtatum, ſed relinquit poteſtatem adhuc implendi ſponſalia, cum fieri poſſit, ut talis vovens Religionem nullibi ſuſcipiatur, vel ſuſceptus tempore Novitiatus iterum egrediatur, in quo caſu, cum ceſſet obligatio voti, ſubintrat obligatio ſervandi ſponſalia, ſi altera pars in ſæculo remanens adhuc ſic velit, ut in ſimili jam dictum eſt *ſupra n.* 83. de ingrediente Religionem ſine præcedente voto. Nec illa tacita conditio, ſeu exceptio aſſerta ab adverſariis intellecta in promiſſione Matrimonii quidquam probat contra noſtram concluſionem, quia talis conditio, ſeu exceptio intelligitur ſolum in ordine ad ipſum ſtatum perfectiorem Religionis in effectu, & ſequuta Profeſſione, non autem in ordine ad ſolum ejus votum, vel actualem ingreſſum ſine effectuatione Profeſſionis: Tum quia tacita illa conditio, ſeu exceptio ineſt ſolum votis, ſeu promiſſionibus Deo factis, non autem factis homini, alias enim poſſet quis cuncta promiſſa etiam jurata homini facta ex illa tacita conditione, ſeu exceptione negligere, quod falſiſſimum eſt, ut late oſtendit Caſtropalao *tr. de juram.* Et hoc clare oſtenditur exemplo; ſi quis enim vellet dare, vel vovere Deo Domum, ſeu vineam, aliamve rem, quam alteri jam ſerio promiſit, & ad quam alter jus jam habet, id certo non liceret, nec valeret, utpote tertio injurioſum, quamvis alias Deo, aut piæ cauſæ dare talem rem ſit perfectius, quam dare homini. Aliud autem eſt in votis, ſeu promiſſionibus Deo factis, utpote in quibus Deus ipſe ſolus promiſſarius eſt, qui utique remittit, vel remittere cenſetur votum minus perfectum, ſi loco ipſius perfectius præſtetur, *cap. Pervenit* 3. *de Jurejurando*; Ratio autem potiſſima cur liceat Religionem ingredi, & profiteri cum præjudicio Sponſæ, non eſt, quia Religio eſt ſtatus perfectior, ſed quia a jure ſic conceſſum eſt, *arg. Extravag. Joan. XXII. Antiquæ concertationi unic. de voto, & voti redemptione*; ubi quamvis Ordines Sacri conſtituant ſtatum perfectiorem, tamen cautum habetur, quod per Ordines Sacros Matrimonium ratum non dirimatur, uti per Profeſſionem Religioſam, addita hac ratione: *Cum nec Jure Divino, nec per Sacros Canones reperiamus hoc ſtatutum*.

91 Conveniunt tamen Doctores omnes, quod per ſimile votum diſſolvantur illico ſponſalia ex parte non voventis, ſeu remanentis in ſæculo, quia hoc ipſo, quod quis licite vovet aſſumere ſtatum repugnantem Matrimonio, cenſetur renunciare ſponſalibus, & juri ſibi ex ipſis acquiſito, adeoque partem alteram relinquere liberam, ut cui vult, nubat; Licet etiam poſſit, ſi velit, expectare effectuationem Profeſſionis, & ea non effectuata, compartem ſuam ad Matrimonium urgere per dicta *ſupra n.* 82. *&* 83.

92 Quoad votum ſuſcipiendi Sacros Ordines ipſum ſolvere ſponſalia ex parte utriuſque tenent Sotus *de juſtitia l.* 5. *q.* 1. *art.* 3. Henriquez *l.* 11. *c.* 14. *n.* 4. Bonacina *q.* 1. *de Matrimon. p.* 5. *n.* 20. Dicaſtill. *diſp.* 478. Gobat *l. c. n.* 319. & alii quicumque tenentes, quod poſt contracta ſponſalia poſſint ſuſcipi Sacri Ordines. Et ratio iſtorum eſt, quia Sponſalibus videtur ineſſe hæc tacita conditio ſeu exceptio: *Niſi voluero ad ſtatum perfectiorem tranſire*, qualis revera eſt ſtatus Clericalis reſpectu ſtatus conjugalis, adeoque &c. Sanchez autem *l.* 1. *diſp.* 47. *n.* 4. Coninch. *diſp.* 23. *dub.* 3. *n.* 25. Caſtrop. *de ſponſalibus diſp.* 1. *punct.* 19. Rebell. *l.* 4. *de Matrim. q.* 6. *ſect.* 5. Engel *l.* 4. *decr. tit.* 1. *n.* 8. Pirhing *ib. n.* 57. Reiffenſt. *ib. n.* 235. Perez *d.* 9. *ſect.* 6. La Croix *l.* 6. *p.* 4. *nu.* 196. *&* 200. cum Palud. Krim. & aliis ibi citatis, & plurimi alii, & quotquot docent non poſſe licite ſuſcipi Sacros Ordines poſt contracta valida ſponſalia, probabilius docent per votum ſuſcipiendi Sacros Ordines non dirimi ſponſalia ex parte ſponſi voventis; Et ratio patet per dicta *ſupra n.* 86. ubi enervatur etiam illa prætenſa ab adverſariis tacita conditio,

S 2 ſeu

ſeu exceptio imbibita ſponſalibus; Tum quia hoc ipſo, quod ſponſus in caſu non poſſit licite ſuſcipere Sacros Ordines, nec licite, nec valide poteſt emittere votum illos ſuſcipiendi, cum votum de re illicita, nec licitum, nec validum ſit, *arg. c.Quanto* 18. *de Jurejuran.*

93 Per tale autem votum ſolvi ſponſalia ex parte Sponſæ tenent Sanchez *l.c. n.*4. Reiffenſt.*l.c. n.*235. & alii paſſim Doctores utriuſque adductæ ſententiæ. Et ratio patet ex dictis *ſupra n.*83. & 87. Quamvis enim tale votum ſit nullum, ipſe tamen ſponſus, quantum eſt in ſe, revera intendit, & vult aſſumere ſtatum cum Matrimonio incompoſſibilem, adeoque cenſetur renunciare ſponſalibus, & juri ſibi ex ipſis acquiſito, ita ut ſponſa, cognito tali voto, poſſit pro libitu, cui voluerit, nubere, *c.Veniens* 5.*Qui Clerici, vel voventes*; Vel ita nulliter voventem ad ſibi nubendum per viam Juris cogere.

94 Quo ad votum ſimplex perpetuæ continentiæ idem dicendum eſt, ac de voto ſuſcipiendi Sacros Ordines; Quod videlicet non diſſolvat ſponſalia ex parte voventis, bene vero ex parte alterius. Sic Barboſa *in c.Veniens* 5. *Qui Clerici, vel voventes n.*2. Abbas *ib. n.*2. Jo. Andreas *n.*3. & Canoniſtæ communiter, ac omnes ſupracitati Doctores, & alii *arg. c. cap.Veniens* 5.*Qui Clerici, vel vovens*; Et ratio eſt eadem, quæ *n.*88. & 89. eſt adducta de voto ſuſcipiendi Sacros Ordines.

95 Septimo diſſolvuntur ſponſalia per Matrimonium valide poſtea, licet illicite contractum cum alia perſona. *Communis*, per textum *in c.Sicut* 23. *c. Si inter* 31. *de ſponſalibus*, & *c.Duobus modis* 1. *de Sponſa duorum*; Quamvis enim, qui jam valide contraxit ſponſalia cum una perſona, illicite poſtea contrahat Matrimonium cum alia, nihilominus tale Matrimonium valet, & ſponſalia ſolvit, etiamſi priora ſponſalia fuerint juramento firmata, textu expreſſo *in c. cap. Si inter*, ibi: *Sive ſit juramentum interpoſitum, ſive non*, cum ſimilibus.

96 An autem per tale Matrimonium cum alia initum diſſolvantur in perpetuum priora ſponſalia, ita ut, quamvis hæc uxor moriatur, aut profiteatur in Religione, ſponſus non amplius teneatur ducere primam ſponſam, & e contra? Variant Doctores; Paludanus enim, Gabriel, Henriquez, Bonacina, Becanus, Filiuccius, Villalob. Leſſius, Layman, Sanchez *l.*1. *diſp.*48. apud La Croix *l.*6. *p.*3. *n.*201. Tannerus *tom.*4. *diſp.*8. *q.*1. *dub.*4. *n.*56. & 57. Dicaſtill. *diſp.*1. *dub.* 37. Pirhing *l.*4. *Decr. tit.*1. *n.*59. Reiffenſt. *ib. n.*243. & alii affirmativam ſententiam tuentur, & dicunt id ſatis colligi ex *citat. cap. Sicut* 22. *cap. Si inter* 31. *de ſponſalibus, cap. Duobus modis* 1. *de ſponſalibus, cap.Duobus modis* 1. *de ſponſa duorum*, & *cap. ultim. cauſ.*27. *q.*2. ex quibus conſtat, quod ſponſalia per Matrimonium cum alia contractum ſolvuntur, adeoque omnino extinguuntur, & non tantum ſuſpenduntur; Obligatio autem ſemel extincta non amplius reviviſcit; *c. Quæris* 129. *diſt.*4. *de conſ. l.Qui res* 98. §.8. *ff. de ſolution.* ibi: *In perpetuum enim ſublata obligatio reſtitui non poteſt*; Tum quia ſuperveniens fortior, & major obligatio Matrimonii videtur extinxiſſe totaliter debiliorem, & minorem obligationem priorum ſponſalium, ſicuti votum ſtrictioris Religionis extinguitur per Profeſſionem ſecutam in Religione laxiore, textu expreſſo *in cap.Qui poſt votum* 5. *de Regul. in* 6.

97 Negativam autem, nempe non penitus per dict. Matrimonium extinctam eſſe obligationem priorum ſponſalium quoad ſponſum, qui primam fidem violavit, ſed ſolum ſuſpenſam fuiſſe, ita ut remanente libero, teneatur priora ſponſalia adimplere ducendo primam ſponſam, ſi ipſa velit, defendunt probabilius Adrian. Ledeſm. Hurtad. Vega, Pontius, Averſa, Maſtrius, Caſtrop. Krimer, Kugler, & alii citati, & ſecuti a La Croix *l.c. n.*201. Coninch *diſp.*23. *dub.*4. cum pluribus ibi allegatis, Herincx *diſp.*4. *n.*42. Tamburinus *cap.*5. §.5. *n.*3. Sylvius *in ſupplem. S. Thomæ qu.* 43. *art.*3. Pontas verb. *Sponſalia caſ.*18. Sporer. *l.c. de ſponſalibus nu.* 263. & alii plures, *arg. cap.Quidem* 3. *de converſione Conjugatorum*, ubi ſtatuitur, quod qui invita uxore Profeſſionem in Religione emiſit, & ob id poſtea de Jure uxori reſtituitur, ſi talis uxor præmoriatur, non poſſit aliam uxorem ducere, ſed teneatur votum continentiæ obſervare, cum vivente uxore, fuerit quidem tale votum ex parte ſuſpenſum, ſed non totaliter extinctum; Et ratio eſt, quia licet verum ſit ſecundum allegata Jura ab adverſariis, quod obligatio ſemel extincta non amplius reviviſcat; tamen ex nullo jure conſtat obligationem illam priorum ſponſalium omnino extinctam eſſe, cum *cit. cap.Sicut* 22. *cap. Si inter* 31. *de ſponſalibus, cap. Duobus modis* 1. *de ſponſa duorum*, & *cap. ult. cauſ.*27. *q.*2. ut legenti patet, non definiant, an talis obligatio omnino extinguatur, vel ſolum interea ſuſpendatur?

Nec valet paritas adducta de voto ſtrictioris Religionis ex- 98
tincto penitus per Profeſſionem ſecutam in Religione laxiore, quia in tantum id evenit, quia Profeſſio eſt vinculum, & impedimentum ex ſe perpetuum, quod ſola morte tollitur; Vinculum autem, ſeu impedimentum Matrimonii non eſt perpetuum, ſed tantum durans ad vitam conjugis, nec aliter potens diſſolvere priora ſponſalia, quam quatenus cum illis erat incompatibile, qua proinde incompatibilitate ſublata per mortem conjugis, omnino reviviſcet prius vinculum, & obligatio, ſicuti ſi quis poſt votum ſimplex Caſtitatis emiſſum, Matrimonium contraxit, poſt mortem conjugis ſtatim votum integre reviviſcit, cum tale votum pro tempore, quo duravit illud Matrimonium, fuerit quidem ſuſpenſum, at non omnino extinctum; Tum quia non poteſt dici, quod ſponſus per tale Matrimonium illicite cum alia contractum poſt priora valida ſponſalia ſit conſtitutus in meliori conditione, quam antea, quia, ut expreſſe dicitur *in l.Non fraudantur* 134. §. 1. *ff. de Regul. Jur. Nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt. Ne*, ut habetur expreſſe *in cap.Intelleximus* 7. *de Judiciis*: *Ne videatur de ſua malitia commodum reportare*; adeoque ſicuti ante tale illicitum Matrimonium ſtricte obligatus erat dictis prioribus ſponſalibus, ita etiam poſt ſolutum tale Matrimonium per mortem conjugis, iiſdem ligatur, teneturque ducere primam ſponſam, ſi ipſa velit, cum illa per tale Matrimonium remanſerit penitus libera a dictis ſponſalibus, ut omnes concedunt. Nam rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, textu expreſſo *in cap. Cognoſcentes* 2. *de Conſtitutionibus*; & *peccata ſuos debent tenere Auctores*, *l.Sancimus* 22. *Cod. de pœnis*, *cap.Quæſivit* 2. *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli*; Nec debet aliquis alterius odio prægravari, textu expreſſo *in l.Non debet* 74. *ff. de Reg. Jur. c.Non debet* 22. *de Reg. Jur. in* 6.

Sponſalia priora legitime contracta non diſſolvuntur per 99
alia ſponſalia poſteriora cum alia perſona celebrata, etiamſi hæc poſteriora ſint juramento firmata. Unde ſtandum eſt priori ſponſæ, ſeu ſponſo, ſi ipſa, ſeu ipſe velit. *Communis*, *arg. c.Sicut* 21. *de ſonſalibus*, & *c.unic. de ſponſalibus in* 6. Et ratio eſt, quia, quod uni jam promiſſum eſt, ac vi promiſſi Jure debetur, non poteſt amplius alteri promitti; & ſi talis promiſſio alteri fiat, nihil valet, quamvis Juramento firmetur, quia cum tale juramentum utpote in præjudicium tertii ſit illicitum, nullimode obligat, textu expreſſo *in cap. Non eſt obligatorium* 18. *de Reg. Jur. in* 6. ibi: *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum*. Cum juramentum non ſit inſtitutum, ut eſſet vinculum iniquitatis, ibi: *Cum juramentum, non ut eſſet iniquitatis vinculum, fuerit inſtitutum*. Et concordat *cap.In malis* 5. *cauſ.*22. *q.*4. ibi: *In malis promiſſis reſcinde fidem ..... impia eſt enim promiſſio, quæ ſcelere implebitur*.

Priora ſponſalia legitime contracta non diſſolvuntur per alia 100
ſponſalia poſteriora, etiamſi poſterioribus ſponſalibus acceſſerit copula, ſi ſecunda ſponſa conſcia fuerit priorum ſponſalium. *Communis*: Et ratio eſt, quia cum ipſa ſecunda ſponſa conſcia fuerit priorum ſponſalium, fit eo ipſo particeps delicti iniquæ promiſſionis, adeoque contra Jus prioris ſponſæ nihil prætendere poteſt, quia nemo ex delicto ſuo meliorem ſuam conditionem facere poteſt, ut expreſſe dicitur *in l.Non fraudantur* 134. §.1. *ff. de Reg. Jur. Ne*, ut dicitur *in c. Intelleximus* 7. *de Judiciis*, *Ne videatur de ſua malitia commodum reportare*.

Immo priora ſponſalia legitime contracta non diſſolvuntur 101
per alia ſponſalia poſteriora etiam ſi poſterioribus ſponſalibus acceſſerit copula, & pars illa, cum qua poſteriora ſponſalia fuerunt contracta, ignara fuerit priorum ſponſalium, & conſequenter fuerit decepta, unde adhuc ſubſiſtunt ſponſalia priora, & nulla ſunt poſteriora, *arg. l.Non dubium* 5. *verſ. Sed & ſi, Cod. de Legibus*, & *c. Illud* 8. *de Jurepatron.* Sic Sanch. *l.*1. *de ſponſal. diſp. diſp.*49. *n.*5. Guttier. *de Matrim. c.*27. *n.*7. *in fine*, Henriq. *lib.*11. *de Matrim. c.* 13. *n.*3. Reiffenſt. *l.c. n.*7. & alii contra alios; Et ratio noſtra eſt, quia per injuriam poſteriori illatam non debet, nec poteſt auferri Jus ſuum priori, cum rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non debeat; *cap. Cognoſcentes* 2. *de Conſtitutionibus*. Nec debeat aliquis alterius odio prægravari, *l.Non debet* 74. *ff. de Regulis Juris*, *c.Non debet* 22. *de Regulis Juris in* 6. Tum quia



quia maxima ſic aperitur via dolis, & fraudibus, cum quivis ad ſe liberandum a propria ſponſa, & cum alia conjungendum poſſet quoties vellet alteri ſpondere, & cum ipſa copulam habere, cum non ſine ingenti animarum periculo, & gravi Reipublicæ detrimento contra omnia Jura clamantia, quod non debeat aperiri via malitiis, & fraus, & dolus nemini debeant patrocinium impertiri; *l.Cum hi, ff. de tranſact. l.Legatarius, Cod. de Legatis, cap. ex Litteris* 2. *de dolo*, & *contumac. c.Sedes* 15. *c.Ex tenore* 16. *de Reſcriptis*. & *c.Tuæ* 12. *de Clericis non reſid.* cum ſimilibus.

102 Octavo, ſponſalia diſſolvuntur ex parte innocentis, non vero nocentis, per fornicationem, ſive a ſponſo, ſive a ſponſa poſt ſponſalia commiſſam. *Communis*. Et quidem quod ſolvantur ex parte innocentis expreſſe deciditur *in c.Quemadmodum* 25. *de Jurejurando*; Et quod non ſolvantur ex parte nocentis caret omni dubio, quia ut expreſſe dicitur *in l.Non fraudantur* 134. §.1. *ff. de Regulis Juris*, nemo ex delicto ſuo meliorem ſuam conditionem facere poteſt. *Ne* ut habetur *in c. Intelleximus* 7. *de Judiciis*: *Ne videatur de malitia ſua commodum reportare*. Peccata enim ſuos debent tenere Auctores; *l.Sancimus* 22. *Cod. de pœnis*; *c.Quæſivit*, 2. *de his quæ fiunt a majori parte Capituli*. Unde pars nocens compelli poteſt ad nuptias, ſi pars innocens velit, quia ut expreſſe dicitur *in cap.Quod ob gratiam* 61. *de Regul. Jur. in* 6. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum*, & concordat *l.Quod favore* 6. *Cod. de Legibus*: Cum rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conveniat, *c.Cognoſcentes* 2. *de Conſtitutionibus*. Nec debeat aliquis alterius odio prægravari; *l. Non debet* 74. *ff. de Regul. Juris*, & *cap. Non debet* 22. *de Regul. Jur. in* 6. & ut dictum eſt, peccata ſuos debent tenere Auctores; *cit. leg. Sancimus* 22. *Cod. de pœnis, cap. Quæſivit* 2. *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli*.

103 Sponſalia diſſolvuntur ex parte Innocentis, non vero nocentis per fornicationem etiam ante ſponſalia commiſſam ab innocente tamen ignoratam. In jure enim paria ſunt aliquid ſupervenire, & præcedere ignoranter: Res enim dicitur fieri, quando innoteſcit: *cap.Paſtoralis* 4. *de exceptionibus*. Item paria ſunt in Jure non eſſe, & non apparere; *l.Duo ſunt* 30. *ff. de Teſtamentaria Tutela*; *l. In Lege* 77. *ff. de contrahend. emptione*; adeoque a ſenſu contrario paria ſunt eſſe, & apparere; Tum quia præcedens nocentis fornicatio ante ſponſalia commiſſa ignorata, & poſt illa primum cognita ab innocente, cauſat notabilem mutationem ex parte ipſius nocentis, adeoque ſufficit ad diſſolvenda ſponſalia, *arg. c.Quemadmodum* 23. *de Jurejurand.* Sanchez *l.*1. *diſp.*63. *n.*3. Pirhing *l.c. n.*62. Reiffenſt. *l.c. n.*246. & alii plures ibi allegati: Qui tamen ſolum de fornicatione ſponſæ, & non ſponſi.

104 Nec obſtat, quod *in c. cap.Quemadmodum* 25. *de Jurejurando* expreſſe dicitur: „Si quis juraverit ſe ducturum aliquam in uxorem, non poteſt ei fornicationem opponere præcedentem, ſed ſubſequentem ut illam non ducat in conjugem.„ Non obſtat, inquam, quia talis textus eſt intelligendus de fornicatione præcedente a ſponſo prius jam cognita, quia ex quo probavit ſcienter, & voluntarie mores illius, cenſetur ceſſiſſe juri ſuo, & conſequenter non poteſt amplius illos reprobare, niſi nova ſuperveniente cauſa, *arg. cap.Horrendus* 17. *cauſ.*32. *q.*5. Sic Gloſſa in *c. cap. Quemadmodum, verb. Præcedentem*, & Doctores citati.

105 Ob fornicationem ſponſæ, ſive præcedentem, ſive ſubſequentem ſponſalia, poteſt ſponſus ipſa ſponſalia diſſolvere, etiamſi ſponſa fuerit vi oppreſſa. Sic Pirhing *l.c. n.*61. Reiffenſt. *l.c. n.*252. Sanchez *l.*1. *diſp.*55. *num.* 7. Silveſter verb. *Sponſalia q.*10. *cauſ.*7. Navarrus *c.*22. *num.*27. Layman *l. c. n.*11. Sporer *l.c. n.*272. La Croix *l.*6. *p.*2. *n.*161. & alii paſſim; *arg. cap.Raptor* 33. *cauſ.*27. *q.*2. & ibi Gloſſa verb. *Noluerit*; Et ratio eſt, quia etiam per talem fornicationem ſponſæ fit notabilis mutatio ex parte ipſius, cum reddatur notabiliter vilior, & cenſeatur viro infame talem ducere, præſertim quia exponeretur periculo habendi alienam prolem pro ſua.

106 Item ſponſus ſponſalia diſſolvere poteſt etiam ob oſcula, amplexus, aut tactus impudicos a ſponſa libere, & voluntarie admiſſos, vel exercitos, Pirhing. *l.c. n.*61. Reiffenſt. *l.c. n.*253. Sporer *l.c. n.*273. Layman *l.c. n.*11. Sanchez *l. c. diſp.* 55. *n.*5. & alii: Et ratio eſt, quia talis ſponſa cenſetur impudice vivere, unde merito ſponſus eam horrere poteſt, cum non poſſit eam ſine gravi nota ducere.

107 An autem ſi uterque ſponſus fornicationem commiſerit, ſeu ſimilia oſcula, ſimileſque amplexus, aut tactus impudicos voluntarie admiſerit, vel exercuerit, & in omnibus caſibus ſupradictis, in quibus licet ſponſalia diſſolvere, liceat etiam ſponſæ? Variant Doctores. Affirmativam enim ſententiam docet Caſtropal. Averſa, Krimer, Kulger citati, & ſecuti a La Croix *l.*3. *n.*162. dicendo quod uterque poſſit a ſponſalibus reſilire, quia uterque violat fidem, et ſic uterque dat alteri jus reſiliendi, cum quo ad hæc pares debeant eſſe ſponſus, et ſponſa, quamobrem in corporum conjunctione vir, et mulier ad paria judicantur, ut notat Abbas *in c. cap. Quemadmodum* §.*Illud n.*4. Et quod in pari caſu fornicationis, et ſimilis violatæ fidei neuter reſilire a ſponſalibus poſſit, tenent etiam Bonacina *q.* 1. *punct.*8. Paludanus *in* 4. *diſt.*27. *qu.* 1. *art.*3. *n.*17. Pontas verb. *Sponſalia caſ.*45. et alii, quia delictum unius compenſatur per delictum alterius, *cap.Intelleximus* 6. *de adulteriis*, & *ſtupro*: ibi: *Cum ... paria delicta mutua compenſatione tollantur*, et concordat *cap.Fruſtra* 75. *de Regul. Juris in* 6. ibi: „Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem a ſe præſtitam ſervare recuſat„. Nec refert, quod delictum ſponſæ cenſeatur gravius delicto ſponſi, quia adulterium uxoris etiam cenſetur gravius, et tamen ſi tam vir, quam uxor adulteraverint, delicta mutua compenſatione tolluntur, et non fit divortium, cum maritus æque adulter, ac uxor nullum potius Jus ad id habeat, *c. cap.Intelleximus* 6. *de adulteriis*, & *ſtupro*, addita ratione *Cum Matrimonii Jus in utroque læſum conſiſtat*, & *paria delicta mutua compenſatione tollantur*, juncto ejus Summario ſic expreſſe dicente: „Conjux Conjugem de adulterio impetere non poteſt, ſi et ipſe adulterium commiſiſſe convincatur, *adeoque &c.*

Negativam vero ſententiam tenent Sanchez *l.c. diſp.*55. *a* 108
*n.*5. *ad* 9. Layman *l.c. n.*5. & 12. Sporer *l.c. a n.*271. *ad* 273. Boſco *Theol. Sacr. p.*5. *diſp.*11. *ſect.*2. *n.*122. & *ſeq.* Conin. *diſp.*23. *dub.*7. *a n.*56. Reiffenſt. *l.c. a n.*246. *ad* 254. Pirhing *l.c. n.*61. & 62. et Communior aliorum, adeo ut Layman *l.c. n.*12. Pirhing *l.c. n.*62. Sporer *l.c. n.*271. & alii teſtentur de communi. Et ratio eſt quia delicta non ſunt paria, ſed turpior eſt fornicatio, & quælibet impudicitia admiſſa, ſeu exercita a femina, quam a viro, multoque ignominioſius eſt ſponſo talem ducere, quam ſponſæ tali nubere, *arg. l.Et ſi crimine* 12. *Cod. ad Legem Juliam, de adulteriis*, & *ſtupro*, juncta Gloſſa *ib. litt. C.* & *leg. Palam* 43. *ff. de ritu nuptiar.* Tum quia ratione fornicationis ſponſæ, & non ſponſi ſit incertum cujus ſit futura proles. Nec refert, quod ex *c. cap. intelleximus* 6. *de adulteriis*, & *ſtupro*, vir non poſſit repudiare adulteram, ſi adulter ſit, quia longe difficilius permittitur divortium, ſeu ſeparatio Matrimonii quoad torum, quam diſſolutio ſponſalium, quæ ob quamvis notabilem rerum mutationem fieri poteſt, ut notant citati Doctores, & alii.

Limitant tamen recte citati Doctores dictam ſententiam in 109
pluribus caſibus, nempe in caſu, quo ſponſus cum pluribus fornicationem commiſiſſet, ita ut valde vitioſus in hoc cognoſceretur; Tunc enim etiam ſponſa poſſet ſponſalia diſſolvere, quia merito timere poſſet, ne minus ſe eſſet amaturus, aut ei fidem non ſervaturus.

Item in caſu, quo ex unica fornicatione prolem haberet 110
quia tunc cenſeretur adeſſe in ſponſo notabilem mutationem ſufficientem ad diſſolutionem ſponſalium, *arg. c.Quemadmodum* 75. *de Jurejurando*; & præſertim quia inde etiam redditur Matrimonium difficilius ob debitam alimentationem prolis, & plurimas diſcordias oriri ſolitas; unde in tali caſu ſponſa poſſet ſponſalia diſſolvere.

Item ſi oſcula, & tactus, & amplexus impudici exerciti a ſponſo ſint valde frequentes, ita ut ex frequentia talium actuum poſt ſponſalia a ſponſo cum alia exercitorum juſtum
concipiat ſponſa horrorem; tunc enim poteſt ſponſa ſponſa- 111
lia diſſolvere, *arg. cap. quemadmodum* 25. *de Jurejurando*, ubi habetur quod in ſponſalibus ſemper contineatur hæc tacita conditio: *Niſi contra Regulam deſponſationis venerit*, contra quam regulam deſponſationis clare veniret ſponſus frequenter cum alia, ſeu aliis oſcula, tactus, & amplexus impudicos exercens.

Nono, diſſolvuntur ſponſalia per notabilem mutationem 112
ex parte unius ſupervenientem poſt contracta ſponſalia, quam ſi pars altera ſciviſſet, aut prævidiſſet, ſponſalia non contraxiſſet, ſicque jam contracta diſſolvere poteſt. *Communis* per textum *in c. cap.Quemadmodum* 25. *de Jurejurando*, ubi ob hujuſmodi mutationem ex parte unius ſupervenientem concedi-

ceditur expreſſe alteri parti facultas diſſolvendi ſponsalia.

113 In ſpecie in bonis animi mutationes notabiles, & ſufficientes ad diſſolutionem Sponsalium ſunt ſequentes. I. Si alicui ex Sponſis ſuperveniat gravis infamia ob proditorium homicidium, ob adulterium, ob furtum, aut aliud grave crimen; tunc enim pars innocens, poteſt a Sponsalibus reſilire. *Communis, arg. c. cap. Quemadmodum 25. de Jurejurando*. II. Si Sponsus cognoscatur eſſe valde deditus ebrietatibus, ludis, ſcortationibus, aut ſimilibus gravibus vitiis. *Communis, arg. c. Cap. Quemadmodum*. Si in Sponso cognoscatur notabilis morum asperitas, & ſævitia. *Communis*; Sævitia enim mariti eſt ſufficiens causa inſtituendi divortium Matrimonii, textu expreſſo *in Cap. Litteras 13. in fine, de reſtitutione ſponſaliorum*, ergo multo magis erit ſufficiens causa diſſolvendi ſponsalia. IV. Si capitales graves inimicitiæ, odia, & extraordinariæ animorum averſiones oriantur inter ipsos ſponſos, *Communis, arg. Cap. Præterea 2. & Cap. Requiſivit 17. de ſponſalibus*. V. Si graves, & capitales inimicitiæ, vel ſcandala ob id oriantur, ſeu rationabiliter timeantur inter parentes, aut consanguineos Sponsorum. *Communis, arg. Cap. Cum*
114*in tua 27. de ſponſalibus*, ibi: *de fama, vel ſcandalo*. Et a Sponsalibus recedi poſſe propter indignationem parentum expreſſe censuit Rota *p. 4. recent. tom. 1. dec. 669. n. 3. p. 10. dec. 15. n. 56. Et S. C. Conc. in Majoricen. Sponſalium 24. Auguſti* 1723. expreſſe declaravit, quod in ſponsalibus non eſt locus coactioni, accedente indignatione parentum, quæ reputatur juſta cauſa diſſolutionis. Sic refert Ursaya *in Miſcellaneo 1. Sacro, & profano littera 5. n. 217.* & apud eumdem *ibid. n. 205. Eadem S. C. Conc. in Mediol. ſponsalium 13. Jul.* 1725. expreſſe declaravit, quod diſſolvuntur ſponsalia per denegationem consensus Patris ex juſta cauſa ſe declarantis nolle Filium Matrimonium cum certa muliere contrahere.

115 In bonis corporis mutationes notabiles, & ſufficientes ad diſſolvenda ſponsalia ſunt ſequentes. I. Si alteruter ex ſponſis incidat in gravem morbum, Paralyſim, lepram, morbum gallicum, aut alium contagiosum, & incurabilem morbum. *Communis*, per text. *in c. cap. Quemadmodum 23. de Jurejurando*. II. Si oculum, aut nasum, manum, pedem amittat. *Communis*, per text. *in c. cap. Quemadmodum*, & ſponsalia diſſolvi per claudicationem ſuperventam ſponsæ declaravit *S. C. Conc. in Spoletana ſponſalium 22. Februar.* 1698. III. Si unius os graviter male oleat, & medice curari non poſſit. Rota *p. 4. rec. tom. 2. dec. 493. n. 74.* & *Communis Doctorum*, *arg. c. Cap. Quemadmodum*: Gravem enim, & incurabilem oris fætorem tolerare in tam arcta corporum conjunctione nimis onerosum eſſet. IV. Si ſuperveniat præſertim ſponſæ notabilis deformitas; Si ſponsa enim tempore ſponsalium pulcherrima, evadat inde notabiliter deformis, poteſt ſponſus a ſponsalibus reſilire, cum in materia Matrimonii admodum æſtimetur apud homines pulchritudo mulieris. *Communis arg. cit. cap. Quemadmodum*. In ſponso tamen valde magna debet eſſe ſuperveniens deformitas, ut propter illam poſſit a ſponſalibus reſilire, quia in viris non ita requiritur, nec tanti æſtimatur pulchritudo, ſicut in mulieribus, ut recte notant Pirhing *l. c. n. 64.* Coninch. *de Sacram. diſp. 23. dub. 7. n. 66.* & alii paſſim. V. Si ſuperveniat ſponsæ ſterilitas, aut ſponso impotentia, ſeu inhabilitas congrediendi. *Communis, arg. c. Cap. Quemadmodum*. Ipsa enim eſt maxima notabilis ſuperventa mutatio, cum Matrimonium ſit principaliter inſtitutum ob generationem prolis, quæ ſperari non poteſt in casu ſuperventæ ſponsæ ſterilitatis, aut ſponso impotentiæ, ſeu inhabilitatis congrediendi.

116 In bonis fortunæ mutationes notabiles, & ſufficientes pro diſſolvendis ſponsalibus ſunt ſequentes. I. Si ſponsa, aut parentes ejus, vel qui promiſerunt, vel non poſſint, aut nolint dare dotem promiſſam. *Communis*, textu expreſſo *in Cap. De illis 3. de conditionibus appoſitis*. II. Si uni ex ſponſis ſuperveniat gravis bonorum jactura, & ex honeſto ſtatu ad gravem inopiam decidat, etiam ſine ſua culpa, v. g. ob bella, incendia, furta, & hujusmodi. *Communis, arg. citat. Cap. Quemadmodum*; In tali enim casu intervenit gravis, & notabilis mutatio. III. etiamſi ambo ſponſi poſt ſponsalia ad gravem inopiam decidant ob dictas ſimiles causas, nempe ob bella, incendia, furta, & hujusmodi; In tali enim casu poteſt quælibet pars a ſponsalibus reſilire, quia dum ambo ex ſtatu honeſtiori ad gravem inopiam incidunt, in ambobus contingit notabilis, & talis mutatio, ut ex ipsa minus apti ſint ad onera Matrimonii ſuſtinenda. Caſtrop. *de ſponſal. diſp. 1. punct. 28. n. 4.* Sporer *l. c. n. 282.* Reiffenſt. *l. c. n. 253.* Tamb. Bonacina, & alii magis communiter, *arg. c. Cap. Quemadmodum 25. de Jurejur., & Cap. Per veſtras 7. de donationibus inter virum, & uxorem*. IV. Si uni ex ſponſis comminetur exheredatio, vel ea rationabiliter timeatur, Rota *p. 4. rec. tom. 1. dec. 669. n. 57.* & *Communior Doctorum*: Non enim ſolum malum præsens, ſed etiam rationabilis timor mali futuri, ac imminentis causat notabilem rerum mutationem, *arg. Cap. Requiſivit 17. de ſponſalibus*, & consequenter ſufficit ad diſſolvenda ſponſalia per text. *in c. Cap. Quemadmodum*.

An autem una parte remanente in ſuo ſtatu, ſi pars altera 117
ex inopinato fiat notabiliter ditior, aut honeſtior, poſſit propterea hæc ab illa reſilire? Variant Doctores. Affirmativam enim ſententiam tenent Hurtad. *diſp. 2. de Matrim. diſt. 25.* Amicus, Illsung, & alii apud Gobat *l. c. n. 340.* dicentes abſolute poſſe tamen reſilire, quia mutatio illa in ipso facta causat inæqualitatem, qualis ſi fuiſſet ab initio, ipse utique non contraxiſſet; Negativam autem defendunt absolute Anchez *l. 1. diſp. 59. n. 6.* Guttier. *de Sponſalibus, & Matrimon. cap. 33. n. 4.* Caſtrop. *de Sponſal., diſp. 1. punct. 28. n. 5.* Coninch. *diſp. 23. dub. 8. n. 29.* Reiffenſt. *l. c. n. 262.* Pirhing *l. c. n. 64.* Buſembaum, Reginald. Diana, Krimer, Kugler, & alii volentes non poſſe talem ob id a ſponsalibus reſilire, quia altera pars per hoc non eſt facta deterior, ſed manſit qualis erat, adeoque privari non poteſt Jure ſuo; Perez vero *diſp. 9. ſect. 22.* cum diſtinctione procedit, dicitque, quod reſilire poſſit, ſi iniens ſponsalia habuit reflexionem ad æqualitatem divitiarum, vel bonorum; Econtra reſilire non poſſe, ſi ſine reflexione ad dicta contraxit propter aliam causam, quæ adhuc perseveret, v. g. ob ſpecialem formoſitatem, ſeu pulchritudinem, & hujuſmodi; quæ opinio ſatis placet, quia promiſſio non obligat ultra intentionem promittentis, ſiquidem *Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum*, *arg. l. Nam omnis 19. ff. de rebus creditis, ſi certum petatur, & de condictione, Cap. Cum olim 37. de præbendis*, in his videlicet, quæ dependent ab intentione agentium, uti ſponsalia; Et præſertim quia hæc ex parte convenit cum ſecunda negativa ſententia.

Decimo, diſſolvuntur ſponsalia per ſuperveniens impedi- 118
mentum dirimens, v. g. per affinitatem contractam ex copula carnali habita poſt ſponsalia cum consanguinea in primo, vel ſecundo gradu alteri ſponsorum juncta. *Communis*; ſtante enim impedimento dirimente, nec licite, nec valide contrahi poteſt Matrimonium; Conc. Trid. *ſeſſ. 24. de reform. Matrimon. cap. 4.* adeoque in tali casu ſponsalia non obligant.

Tenetur tamen qui tale impedimentum ſua culpa poſuit, 119
impetrare a Papa diſpenſationem ſuis ſumptibus, ſi pars innocens velit; *Communis, argum. l. Non fraudantur 134. §. 1. ff. de Regulis Juris*, ubi expreſſe dicitur, quod nemo ex delicto ſuo meliorem ſuam conditionem facere poteſt: *Ne*, ut habetur *in Cap. Intelleximus 7. de Judiciis*: *Ne videatur de malitia ſua commodum reportare*. Nec pars innocens ad aliquam tenetur expenſam, quia, ut expreſſe dicitur *in Cap. Cognoſcentes 2. de Conſtitutionibus*: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*; Nec debet aliquis alterius odio prægravari; *l. Non debet 74. ff. de Regul. Juris, & cap. Non debet de Regul. Jur. in 6.* cum peccata ſuos debeant tenere Auctores; *l. Sancimus 22. Cod. de poenis, cap. Quæſivit 2. de his, quæ fiunt a majori parte Capituli*.

Quando cauſa diſſolvendi ſponſalia eſt certa, per ſe lo- 120
quendo, nulla de Jure communi requiritur Auctoritas Judicis ad diſſolvenda dicta ſponſalia, ſive publica, ſive occulta; *Communis*. Nullibi enim in Jure reperitur requiſita ad id Judicis Auctoritas.

Poteſt tamen Judicis Auctoritas ad id requiri interdum per 121
accidens, ut ſi ſponſalia ſint publica, & cauſa ea diſſolvendi ſit occulta, ratione ſcandali evitandi requiritur tunc Judicis interventus, ut notant communiter Doctores.

Et quando ſponſalia ſunt certa, cauſa autem ea diſſolven- 122
di dubia, *de Jure*, vel *de facto*, tunc neceſſario requiritur Judicis Auctoritas pro utroque Foro; *Communis*; Et ratio eſt, quia cum unus ſit in poſſeſſione ſponſalium, non poteſt per alium ob cauſam dubiam privari: *In pari enim cauſa potior eſt conditio poſſidentis*, ut expreſſe habetur *in cap. In pari 65. de Regulis Juris in 6.*, & concordat *cap. Quod autem 5. de Jurepatronatus, cap. Ad aures 6. de præſcriptionib. leg. Nemo 126. §. 3. ff. de Regul. Jur., & l. In pari cauſa 128. ff. eodem* ubi expreſſe ſtatuitur: Quod *in pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet*. Unde cum nemo Judex ſit in propria cauſa, textu expreſſo *in l. Generali unic. Cod. Ne quis in ſua cauſa judicet, vel Jus ſibi dicat*, neceſſario in dicto caſu requiritur Auctoritas Judicis.



123 Judex in cauſis ſponſalium, & Matrimoniorum eſt ſolus Eccleſiaſticus; *Communis & certa*, utpote definita a Concilio „ Tridentino *ſeſſ. 24. Canon. 12.* ibi: „ Si quis dixerit, cauſas „ Matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos, anathema ſit.

124 Et quidem Jure ordinario in cauſis Matrimonialibus Judex competens eſt ſolus Epiſcopus; *cap. Accedentibus 12. de exceſſibus Prælator.*, & Concil. Trid. *ſeſſ. 24. de reform. Matrimon. cap. 20. verb. Ad hæc*, ibi: *Cauſæ Matrimoniales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum Judicio, ſed Epiſcopi tantum examini, & Juriſdictioni relinquantur*.

125 Nomine autem Epiſcopi hic intelligitur etiam Vicarius Generalis, etiam abſque ſpeciali ad id mandato; *Communis, arg. cap. final. de Cognat. Spiritual., & cap. 1. de frigid., & maleſic.*

126 Item Vicarius Capitularis, ſede vacante; *Communis*; Ad ipſum enim tranſit ordinaria Epiſcopi juriſdictio; *cap. Hi qui 11., & cap. Cum olim 14. de majorit. & obedient.* cum ſimilibus.

127 Judex autem Laicus, ſeu Sæcularis nullimode poteſt ſe ingerere in cauſis Matrimonialibus; *Communis*: Iſtæ enim ſunt cauſæ Eccleſiaſticæ, & ſpirituales, in quibus Judex Laicus, ſeu Sæcularis nullimode, nec principaliter, nec incidenter cognoſcere poteſt; *cap. Decernimus 2. cap. Qualiter, & quando 17. de Judiciis, Cap. Nullus Judicum 2. de foro competent. cap. Lator 5. cap. Cauſam, quæ inter 17. Qui filii ſint legitimi*, cum ſimilibus.

128 Alia ad rem, Vide verb. *Impedimenta Matrimonii*, verb. *Matrimonium*, verb. *Stuprator*.

129 Sponſalia Judæorum majorem tribunnt poteſtatem in ſponſam, quam inter Chriſtianos, itaut corruptor alterius ſponſæ pro adultero habeatur, & adulterii pœna puniatur; Benedict. XIV. tom. 2. Conſtitut. 28. incip. *Apoſtolici Miniſterii §. 19.* Hinc eſt, ut Sponſus a Judaiſmo ad Fidem Chriſtianam converſus, hujuſmodi poteſtatis jure ad Baptiſmum offerre poſſit ſponſam, quæ ſic oblata retinenda eſt, & probanda; Idem *ibid.*

130 Sponſalia apud Hebræos inter ſponſum ex una, & ſponſæ parentes, aut proximiores agnatos ex altera parte contrahun-
131tur, vocantur autem eorum lingua *Tenaim*; Idem *ibidem §. 63.* Sponſalia Hebræorum tunc valida, & rata cenſentur,
132quum in ſcriptis legaliter redacta ſunt, addita teſtium ſubſcriptione, vel juramento coram teſtibus præſtito inter partes conventas; Idem *ibid. §. 65. & 66.*

133 Sponſalia ita contracta non obligant mulierem deſponſatam ad contrahendum Matrimonium, ſed ſi ipſa recuſet, inobedientiæ erga parentes tantummodo arguitur; Idem *ibid. §. 64.* i tamen copula, poſt ſponſalia ſequatur, utraque
134pars adigitur ad contrahendum Matrimonium, non tam vigore contractus, quam in pænam commiſſi reatus; Idem *ibid.*
135§. 67. Sponſalia etiam valida, ut præfertur, contracta facile inter Hebræos diſſolvuntur auctoritate Rabbini, qui contrahentes a juramento abſolvit; Idem *ibid. §. 66.*

136 Sponſus a Judaiſmo ad Fidem converſus, ſi ſponſam offerat ad Baptiſmum, contractorum ſponſalium probationes exhibere tenetur; Idem *ibid. §. 69.* Si probetur ſponſalia ju-
137xta nationis ſuæ mores, contraxiſſe, ſponſa ad catechumenorum domum deferri debet, ibique quamdiu oportebit, non tamen ultra quadraginta dies, retineri, & probari; Idem *ibid. §. 70.* Si autem probationes tales exhibeat, quæ juxta
138Chriſtianorum duntaxat leges valida ſponſalia evinceret; tum mulier extra vicum, ſeu *Ghettum*, evocari, & in Eccleſia, aliove idoneo loco de amplectenda Fide interrogari debet; non tamen retineri, niſi converſionis ſpem oſtendat; Idem *ibid. §. 69.*

139 Sponſalia coram Parocho, ac duobus teſtibus non celebrata, valida ſunt, nec poteſt Epiſcopus irritare; Idem *de Synodo Dioeceſana lib. 7. cap. 68. num. 1., & tom. 3. notificat. 5.* ubi affert ad id plura Decreta Sacræ Congregationis Concilii; Vide *ſuperius num. 24.* ubi jam dixi, ad valorem ſponſalium non requiri præſentiam Parochi, & teſtium.

140 * Sponſalia inita invitis parentibus, quanquam judicari poſſint valida (juxta dicta *ſupra num. 25.*) illicita ſunt tamen & detecto diſſenſu parentum ſolvi poſſunt, etiamſi jurata ſint, quod invicte probat Archiepiſcopus Roſſanenſis D. Muſcettola in Diſſertatione legenda in Tom. 1. Operum Zauli ad ſtatuta Faventiæ. *Cit. Inſt. Eccl. 45. §. 15.*

Si alteruter ex ſponſis ſe ad alias partes transferat inſcio al- 141
tero, admonendus eſt Superior Eccleſiaſticus, qui tempus aptum aſſignet abſenti, ut redeat, quo elapſo ſi non pareat, vinculum diſſolvitur. *Ibidem §. 5.*

Sponſalia abſque interna voluntate exequendi promiſſa, 142
dubium eſt, an obligent; eſt tamen grave peccatum ſic promittere. *Ibidem §. 16.*

Promiſſio de præſenti abſque præſentia Parochi, & te- 143
ſtium, neque valet ratione matrimonii, neque ſponſalium, ut ex pluribus Decretis S. Cong. *Ibid. §. 24.*

### *Novæ additiones ex aliena manu.*

Quod ait *Auctor num. 55., & plur. ſequentibus*, con- 1
tractis ſcilicet Sponſalibus renuentem inire Matrimonium compelli poſſe ad illud ineundum etiam per cen-
ſuras, id non eſt abſolute verum. Diſtinguere oportet Vi- 2
rum inter, & Mulierem. Si Vir renuat, poteſt utique 3
etiam per cenſuras compelli ad Matrimonium ineundum. Et 4
de eo loquuntur *Textus in cap. Præterea, & in cap. Ex literis il ſecondo de Matrimon*. At ſi renuat Mulier, moneri 5
ea debet, non item cogi etiam per cenſuras ad ineundum Matrimonium, & de ipſa loquitur *Textus in cap. Requiſivit d. titul. de Sponſalib.*

Et ita conciliando mox allegatos textus proceſſit Rota, 6
& ſignanter *in Majoricen. Sponſalium 24. Aprilis* 1746. §. 10. *& in confirmatoria* 16. *Januarii* 1747. §. 56., *& ſequent. cor. Eminentiſſ. Buſſio, & in Conſtantien. Sponſalium* 26. *Junii* 1748. §. 7. *coram Eminentiſs. Elephantutio, & 17. Januarii* 1749. §. 4. *cor. bon. mem. de Vais*.

Non *deeſt* autem (ut recte inquit *Rot. in dict. Majoricen.* 7
*Sponſalium 16. Januarii 1747. §. 6. coram Eminentiſs. Buſſio*) *cauſa, propter quam mitius in Foeminam, & acrius in Maſculum animadvertatur. Naturalis oppido imbecillitas levitaſque muliebris non longe eſt, ut deſpectum cenſurarum facile pariat, magiſque ſuſpicari poteſt ne Foemina a Fide quam coacte ſpopondit facilius deſciſcat. Ceteroquin ſummum eſt inter Virum Mulierem in hac materia diſcrimen, ut mulier ſi a Sponſalibus declinet, nullum irroget præjudicium Viro, cui altera ad nubendum nunquam deficiet Foemina. Sin vero a Sponſo Mulier relinquatur, graviſſimam ipſa nominis ſubit diminutionem*.

Num poſt cenſuras poſſit Vir præciſe cogi ad Matrimo- 8
nium ineundum? Negat abſolute *Auctor nu. 60., & duob.*
*ſequent*. At poſſunt eſſe caſus, in quibus cogi præciſe 9
queat Vir ad ineundum Matrimonium. Talis meo judicio
eſt, ſi quis Puellam imprægnavit, & condemnatus eſt, ut 10
eam, aut ducat, aut certa ſumma definita dotet. Quid ſi 11
nihil in bonis habeat, ut determinatam quantitatem pecuniæ ſolvere nequeat? Id ſane videtur ſupereſſe, ut preciſe coga-
tur ad ineundum Matrimonium. Fluit hoc ex natura *obliga-* 12
*tionis alternativæ*, in qua alterum abſolute, & præciſe debetur, ſi alterum ex alternativis præſtari haud poſſit. Sine omni effectu foret ſententia, ſi ſtuprator neutrum præſtare vellet, nec ſatisfacere Juſtitiæ, Partique læſæ. Hoc igitur
caſu admitti poteſt, ut vel invitus ad Matrimonium ineundum 13
cogi Vir poſſit, nec attendi debeat ejus reclamatio quippe,
quæ nullum producere effectum poteſt. Et ita uſu ſervatum 14
eſt a pluribus Tribunalibus.

## SPONSI.

SPonſus, & ſponſa unde dicantur? Vide verb. *Sponſalia* 1
*num. 1.*

Converſationes, & commercia ſponſorum ante contra- 2
ctum Matrimonium per verba de præſenti Epiſcopus impediat omnino: Mulctas vero ob earum cauſam incurſas applicet uſibus piis, & interim deponat apud depoſitarium mulctarum; *Sac. Congreg. Epiſcop. in Hyeracen. 20. April.* 1587. apud Nicol. *in Floſcul. verb. Matrimonium n. 8.*

Sponſi divites invicem converſantes puniri non poſſunt niſi 3
mulcta infra duos Ducatos. Pauperes vero ſolis pœnitentiis ſalutaribus; *Eadem Sacr. Congregat. Epiſcop. in Tarent. 27. Novemb.* 1593., *& in Lycienſi 8. Julii* 1596. apud eundem *ibid.*

Quamvis autem cohabitatio ſponſorum ante contractum 4
Matri-

Matrimonium per verba de præſenti punibilis ſit; Viſitationes tamen, & converſationes, præſertim in præſentia conſanguineorum non ſunt punibiles; *Eadem Sac. Congreg. Epiſcop. in Tranen.* 25. *Octobris* 1588. *in Caven.* 28. *Auguſti* 1589. *in Coſentina* 15. *Februarii* 1636. apud eumdem verb. *Sponſalia num.*2.

5 Sponſus an, & quomodo viſitare poſſit ſponſam in Calufura Monialium exiſtentem? Vide verb. *Moniales art.* 1. *a num.*30. *ad* 63. ubi plura ad rem *de ſponſalib. & Matrimonio Educandarum*.

6 Sponſi, vel ſponſæ fornicatio cum alia, vel cum alio commiſſa conſtantibus validis ſponſalibus an addat malitiam injuſtitiæ diſtinctam, & in Confeſſione neceſſario aperiendam? Vide verb. *Luxuria num.*9.

7 Omnes tactus, oſcula, amplexus, turpiloquia, aſpectus laſcivi, & hujuſmodi, quæ fiunt inter ſponſos cum delectatione ſenſibili venerea, moroſa, & directe voluntaria, ſunt peccata mortalia; alias (a) non ſunt, niſi venialia. Et ſi pudice fiant ex recto fine ſecundum conſuetudinem patriæ, ſunt licita; *Communis*.

8 Quando autem ſponſi graviter peccent, vel non, circa delectationem moroſam de copula futura, & de dictis tactibus, oſculis, amplexibus &c. Vide verb. *Delectatio moroſa a num.*27. *ad* 29. *& num.*32.

9 Alia ad rem, Vide verb. *Impedimenta Matrimonii*, verb. *Matrimonium*, verb. *Sponſalia*, verb. *Stuprator*.

## S P O R T U L Æ.

Vide verb. *Judex a num.*12. *ad* 46.

## S T E L L I O N A T U S.

Vide verb. *Poena artic.* 2. *num.*204. *&* 205.

## S T I P E S.

Vide verb. *Impedimenta Matrimonii artic.*1. *num.*28.

## S T O L A.

1 STolæ delationem eſſe ſignum proprie denotans juriſdictionem, & Officium Sacerdotale, tradit Gloſſa *in l. unica verb. Fibulis, Cod. Nulli licere*; & facit textus in *c. Cum ſis* 6. *de auctorit., & uſu Pallii*, ubi quod Archiepiſcopus ſolum in Eccleſiis ſuæ Provinciæ Pallio uti poteſt, ſecus extra; *cap. Ex tuarum* 5. *eodem* Quod enim operatur Pallium inter Epiſcopos, operatur Stola inter Sacerdotes; Theodoſius Rubeus *Singularium p.*3. *in tit. de præcedentiis n.*64. Gratian. *diſcept.*298. *n.*74. Panimoll. *p.* 3. *dec.*169. *n.*31. *& ſeq.* Samuel *de ſepult. tract.*1. *diſp.*3 *controv.* 7. *n.*9. *& diſp.*4. *controv.*12. Monacell. *t.*2. *tit.*13. *form.*1. *n.*77. ubi expreſſe dicit: *Nam Stolæ delatio juriſdictionem importat*.

2 Nullam autem importare juriſdictionem, ſi ſimpliciter deferatur ſine ullo illius actuali exercitio, docet Pignatell. *t.*3. *conſult.*48. *n.*40. expreſſe dicens, quod Stola ſino ſuo exercitio non eſt ſignum præcipuum juriſdictionis, ſed veſtis Sacerdotalis; *c. Eccleſiaſtica* 9. *diſt.*23. &, ut tradit S.Thomas 3. *p. quæſt. Supplem. art.*7. *in corpor.* eſt habitus proprius Sacerdotis, & veluti forma totius ornatus Sacerdotalis; & deducitur *ex Conc. Bracaren. III. c.*3. *& Toletan.IV. c.*39. Theodoſ. Rub. in ejus Reſponſ. impreſſ. apud Gratian. *cap.* 298. *num.*61. Panimoll. *part.*3. *deciſ.*170. *num.*11. Rota *in Savonen. Aggregationis* 15: *Junii* 1699. §. *Non obſtat, coram Pio*, ibi: *Non obſtat, quod Stola ſit ſignum juriſdictionis, ideoque non concedenda ſimplici Sacerdoti &c. Quapropter aliud Stola ſignificat in Epiſcopo, aliud in ſimplici Sacerdote &c. Et propterea eſſe ſignum æquivocum, nec importare juriſdictionem, niſi illam deferens expleat Parentalia. Et in Biſinianen. Præeminentiarum* 27. *Januar.* 1727. §. *final. coram Calcagnino*; ubi quod delatio Stolæ in actibus non funeralibus non eſt ſignum juriſdictionale, ſed dumtaxat diſtinctivum Parochorum a cæteris Presbyteris; & ſic etiam alibi ſæpe ſæpius, ut refert probando Scarfantonus ad Ceccoper. *part.* 3. *addit.* 39. *ſub nu.*80. Et expreſſe declaravit Benedictus XIII. Conſt. incipient. *Pretioſus* §. *Et ad tollendum*, ibi: *Declarantes, & quatenus opus ſit decernentes, ac matura deliberatione mandantes, Crucis erectiones, Stolæ delationem, & ingreſſus in Eccleſias in omnibus, & ſingulis enumeratis, ac cæteris quibuſcumque ſimilibus caſibus, nullam penitus juriſdictionem importare, aut minimum in aliquo præjudicium cuicumque irrogare, aut quomodocumque, & quandocumque irrogari, & inferri poſſe*.

De qua tamen vide dicta ſub verb. *Parochus art.*3. *num.*57. 3
ubi inſuper adducuntur hinc inde plures Sacrarum Congregationum Reſolutiones, & Pontificum Conſtitutiones quoad ingreſſum Parochorum cum Stola, & Cruce elevata in Eccleſias Regularium; prout etiam plures hinc inde quoad hoc referuntur a Pignatell. *tom.*3. *conſult.*48., & ab Urlaya *tom.* 1. *part.*2. *diſcept.*14., *& tom.*4. *part.*1. *diſcept.*11. ubi in fine circa hanc diverſitatem Reſolutionum adducit quod habet doctiſſimus Faber *in Epiſtol. ad Lector. ſui Codic.*, ibi: *Idem plane Senatus, ſed non iidem Senatores*; quem ſequuta eſt Rota *deciſ.* 183. *in princ. coram Emerix jun.*, & plures etiam alias hinc inde Reſolutiones adducit ipſe *cit. tom.* 4. *part.*3. *diſcept.*6.

Capellani Confraternitatum nequeunt deferre Stolam in 4
Proceſſionibus, quæ fiunt extra ſuarum Confraternitatum Eccleſias, ut probant decreta congeſta a Pignatell. *tom.* 9. *conſult.*73. *num.* 21., & per viam Legis generalis decrevit *Sacr. Congreg. Rit. die* 10. *Decembr.* 1703. *in reſponſione ad* 23. *dub. & Sacr. Congreg. in Cremonen. die* 23. *Januar.* 1706. *ad X. dub.* ubi orta controverſia inter Capellanos Confraternitatis Caſalis Majoris aggregatæ Archiconfraternit. Mortis, & Orationis Urbis, & Parochum dicti loci ſuper delatione ſtolæ deferendæ per dictos Capellanos in functionibus, & Proceſſionibus, partibus informantibus, declaravit, eos extra Oratorium Confraternitatis ſtolam deferre non debere, nec poſſe, non obſtantibus deciſionibus Rotæ *in Savonen. Aggregationis* 27. *Junii* 1698. *coram Pio, &* 15. *Junii* 1699. *coram eodem, &* 15. *Januar.* 1700. *coram dell'Olmo, &* 13. *Junii* 1701. *coram Molines Decano*, quæ afferebantur in Summario Confraternitatis; Sic refert Monacell. *tom.*2. *tit.* 13. *formul.* 1. *num.*78. Et ſic etiam *eadem Sac. Congregat. Concil. in Novarien. Aggregationis* 24. *Septemb.*1718. *ad* 6. *dub. apud Theſaurum Reſolutionum* Sac. *Cong. Conc. tom.*1.

Stolam deferre in Proceſſionibus, & funeribus non com- 5
petere Archipresbytero Collegiatæ privative quoad alios Parochos, reſpondit *Sacr. Congregat. Concil. in Derthonen. oppidi Novarium, Jurium Parochialium* 3. *Decembr.* 1718. *ad* XI. *dub.*

Stolam, & ſuperpelliceum deferre ſine licentia Parochi li- 6
cere Archipresbytero Collegiatæ in actu benedictionis in articulo mortis dandæ infirmis, ad quos acceſſit, reſpondit *Sac. Cong. Concil. in d. Derthonen. ad* 14. *dub.*

Parochi civitatis poſſunt in publicis Proceſſionibus, in 7
quibus intervenit Capitulum Cathedralis Sacris paramentis indutum, incedere cum Stola; *Sacra Rit. Cong. in Ariminen.* 24. *Januar.* 1728. apud Scarfantonum ad Ceccoper. *part.* 3. *addition.*23. *ſub num.*5.

Regulares non poſſunt benedicere agros, & maledicere 8
locuſtas cum Stola, ſine Parochi licentia; Supplicante enim in *Sacr. Congregat. Concil.* Procuratore Generali Cappucinorum declarari: *Primo, An Regulares dicti Ordinis requiſiti ab agrorum Dominis, poſſint, abſque licentia Parochi, benedicere agros, & maledicere locuſtas, & brugos, & cæteros hujuſmodi vermes? Et quatenus affirmative, Secundo: An in hujuſmodi functionibus peragendis uti poſſint Stola abſque licentia Parochi? Sacr. Congregat. die* 28. *Auguſti* 1688. *reſpondit ad utrumque Negative*; Sic apud Monacell. *loc. cit. num.* 79.

Sacerdotes ad Communionem generalem in Feria V. in 9
Cœna Domini accedere debent cum Stolis albis ſuper Cottam a collo pendentibus; Cœremonial. Epiſcopor. *lib.*2. *cap.* 29. §. 3.

(a) Nota. Id nimis periculoſum eſt, ac vix caſus eſſe poterit, in quo ſola venialis culpa inſit; Tum quia raro, aut fere numquam in iis abeſt delectatio venerea; Tum etiam quia certum eſt periculo ſe ſe exponere hujus delectationis, quod periculum a gravi excuſari non poteſt.



§.3. Merati *tom.*1. *part.*4. *tit.*8. *de Feria V. in Coena Domini num.*7. Et Diaconi ad ipſam accedere debent cum ſtolis diaconalibus albis; Merati *loc. cit. num.*3., & alii.

10 Stola Sacerdotalis cum Alba, eſt aptanda, & geſtanda in modum Crucis, ſoluta vero, & pendens a collo hinc inde, ſi cum ſuperpelliceo, vel pluviali, aut ſine eo adhibeatur. Cum ſuperpelliceo enim ligari in modum Crucis non poteſt; Gavant., & Merati *tom.*1. *part.*1. *tit.*19. *Rubrica* 4. *verſ. Stola*, & alii.

Stola autem Diaconalis aptanda, & geſtanda eſt a Diaco-
11 nis ab humero ſiniſtro ſub axillam dexteram connexa, ad diſtinctionem Sacerdotum, qui utroque humero eam portant, ut ſupra; Fertur autem a ſiniſtro humero ad latus dextrum ex *Concil. Bracaren. I. cap.*27. ut ab activa vita laborioſa, ad contemplativam ſuavem Diaconus tranſeat; Honorius in *Gemma lib.*1. *cap.*230. Vel ut portet hic jugum Domini in ſiniſtra, ideſt in præſenti vita, cum ſpe quietis futuræ in dextra; Durand. *lib.*2. *cap.*9. quæ ratio valet etiam pro Sacerdote. Cæterum dexteram Diaconi partem vult eſſe liberam ob miniſterium Altaris *Concil. Toletan. IV. cap.* 39. Sic Gavant., & Merati *loc. cit. Rubrica* 7. *verſ. Diaconus cum Stola*.

Epiſcopus non ducit Stolam ante pectus in modum Crucis,
12 ſed ſinit hinc inde utraſque extremitates pendere; & antequam accipiat Stolam, accipit parvam Crucem pectoralem; Sic Rubrica Miſſal. *part.*2. *tit.*1. *num.*4. Et ideo non ducit Stolam in modum crucis, quia ante pectus geſtat ejus loco Crucem pectoralem, quam ante ſtolam accipit, ut notat Innocentius III. *cap.* 53. apud Gavant., & Merati *tom.* 1. *part.*2. *tit.* 1. *Rubrica* 4. ubi Merati notat, quod in recentibus Miſſalis Romani Rubricis, poſt illa verba, *Si Celebrans ſit Epiſcopus*, adduntur hæc alia, vel *Abbas, ut ſupra*, ex quibus deducitur, quod non ducere ſtolam in modum Crucis ante pectus, convenit etiam Abbatibus Pontificalium uſum habentibus, præſertim quando Pontificaliter celebrant.

Stola ſuper Cottam non utuntur Romæ Concionatores ob
13 reverentiam Papæ, qui extra Sacramenta Stola utitur; Gavant. & Merati *tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 6. *Rubrica* 9. *verſ. Orator. Romæ*.

14 Alia ad rem, Vide verb. *Parocus art.* 3. *num.* 36. ubi quod occaſione funerationis cadaverum alterius Diœceſis, aut Parochiæ in Eccleſiis Regularium, poteſt proprius Parochus defuncti ad effectum deferendi proceſſionaliter cadaver ad dictas Eccleſias libere tranſire per quaſcumque Dioeceſes, & Parochias Stola, & Cruce elevata, etiam irrequiſitis eorumdem Parochis; Sic expreſſe eſſe *Sacr Cong. Epiſcopor. & Regular. in Placentina* 24. *Novembr.* 1713. *ad* 1. *dub.*

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 DElatio Stolæ non ſemper eſt ſignum juriſdictionis. Si
2 actus, in quo Stola defertur, ſit indifferens, etiam
actus indifferens eſt actus delationis ipſius Stolæ. Contra ſi ju-
3 riſdictionalis ſit actus in quo defertur Sola, ſignum juriſdi-
ctionis eſt actus, ipſius delationis. Vide Rota *in Taranen. Preminæntiarum ſuper reſervatis* 23. *Junii* 1723. *cor. bon. mem. Gamachos* ubi & de uſu hujus diſtinctionis in praxi.

## STUPRATOR, STUPRUM.

1 STuprum ſtricte, & proprie ſumptum eſt violenta defloratio puellæ virginis, ſeu eſt concubitus cum puella virgine, ipſa invita, ſeu per vim coacta. *Sic in re Commu-*
2 *nis Doctorum*. Ponitur autem ly *violenta*, ſeu *ipſa invita*, ſeu *per vim coacta*, ut excludatur copula, in quam conſentit virgo, quia talis copula, in quam conſentit virgo, pertinet potius ad ſimplicem Fornicationem, quam ad Stuprum ſtricte, & proprie ſumptum; *Communis*.
3 Cenſetur vero virgo violenter, ſeu per vim coacta deflorari ſic, ut ejus defloratio dicatur Struprum ſtricte, & proprie ſumptum, quando vi, timore, dolo, fraude, aut ficta promiſſione Matrimonii, & hujuſmodi decipitur, & induci-
4 tur ad copulam. *Communis*. Dicitur autem notanter in definitione *puellæ virginis*, ſeu cum *puella virgine*, ut excludatur concubitus etiam violentus corruptæ, ſeu illius, quæ antea habuerat copulam, quia ille violentus concubitus non eſt ſtuprum, cum non ſit violatio integritatis virginalis. *Communis*.
5 Stuprum igitur eſt graviſſimum, & ſpeciale luxuriæ peccatum ob graviſſimam injuriam, quam Stuprator infert puellæ virgini, & ejus parentibus. *Communis.* Unde Stuprator tenetur in foro conſcientiæ, aut illam ducere in uxorem, aut illam honeſte dotare ſecundum ſui poſſibilitatem, & viri prudentis arbitrio: *Communis, arg. Cap. Pervenit* 2. *de adulter., & ſtupr.*

Alia ad rem, Vide verb. *Dos art.*2. *a num.*14. *ad* 38. ubi late de omnibus.

## SUBCOLLECTOR APOSTOLICUS.

SUbcollectores Cameræ Apoſtolicæ, Advocati, Procu- 1
ratores, Fiſcales, & Notarii in cauſis ſpoliorum, & Jurium præfatæ Cameræ, eorum Officio durante, ſunt exempti a Juriſdictione Ordinariorum. Ex Litteris Pauli III. Pii IV. Gregorii XIII. & Sixti V. quarum meminit Joan. Anton. Novar. *in Summ. Bullar. tit. de Subcollectoribus*, & Barboſa *in Summ. Apoſtolic. Deciſ. verb. Subcollector num.*1.

Subcollectores Apoſtolici tamquam prorſus exempti non 2
comprehenduntur ſub Decret. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 6. *de reformation. cap.*4. *& ſeſſ.*7. *cap.*1. *& ſeſſ.* 25. *cap.* 6. *de reformat. Sacra Congregat. Concil.* penes Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancellar. gloſſa* 51. *num.*81. *&* 82. & Barboſa *loc. cit.*

Subcollectores Apoſtolici non poſſunt viſitari, nec corrigi 3
ab Epiſcopo. *Sacra Congregation. Concil. in Senogallien.* 11. *Julii* 1590. apud Barboſam *loc. cit. n.*5.

Subcollectores, vel Commiſſarii ſpoliorum non compre- 4
henduntur ſub diſpoſitione Ordinariorum, ſed Nuncii Apoſtolici, juxta eorum privilegia. *Sacra Congregat. Concil.* apud Barboſa *loc. cit. num.*6.

Subcollectorum privilegia non ſuffragantur illis, qui non 5
reſident in Dioeceſi, cujus ſunt Deputati Subcollectores. *Sacr. Congregat. Epiſcop. in Piſtorien.* 9. *Februar.* 1624. apud Nicol. *in Floſculis*, verb. *Subcollector n.*1.

Imo Sacra Congregatio non probat, quod quis deputetur 6
Subcollector in aliena Dioceſi. *Eadem Sacra Congregat. in*
*Piſtorien.* 9. *Septembr.* 1625., apud eumdem *loc. cit. num.* 1. 7
Et ſic Deputati non ſunt exempti ab Ordinario loci, ubi Beneficium habent. *Eadem Sacr. Congregat. in Venafran.* 8. *Decemb.* 1645. apud eumdem *ib. ſub n.*1.

Subcollectorum Spoliorum cauſæ ad Nuncium pertinent. 8
*Sacra Congregat. Epiſcop.* 14. *Decemb.* 1619. apud Gavant. *in Manual. Epiſcop. verb. Spolia Clericorum num.*14.

Subcollectores Cameræ Apoſtolicæ, ſi non ſerviunt am- 9
plius, ſub Ordinario ſunt. *Sacra Congregat. Epiſcop.*1. *Octobris* 1602. apud Gavant. *loco cit. verb. Exempti num.* 9., & *Sacra Congregat. Concilii* 14. *Aprilis* 1646. quæ apud Nicol. *loco citato n.*4. expreſſe cenſuit, quod Subcollectores amoti, vel amplius non ſervientes, non gaudeant exemptione ab Ordinarii juriſdictione.

Curam animarum, vel aliud ſervitium Eccleſiaſticum per- 10
ſonalem reſidentiam requirens, obtinentes, non debent deputari Subcollectores, & ſi deputantur, non ſunt exempti quoad onera Beneficii. *Sac. Congregat. Epiſcop. in Aſculana* 19. *Aprilis* 1606., *& in Acerran.*23. *Maji* 1614. apud Nicol. *loco cit. num.*2. Et quod Subcollector non excuſetur a reſidentia Parochiali, decrevit etiam *Sacra Congregat. Concilii* apud Barboſam *loco cit. num.*3.

Unde Epiſcopus cogere poteſt eos ad reſidentiam, & ad 11
ſolvendum punctaturas. *Sac. Congregat. Epiſcop. in Marſican.*
20. *Junii* 1614. *& in Avellina* 12. *Maii* 1617. Et quod dict. 12
eſt de Curatis, intelligitur etiam ſi ſint Archidiaconi, vel Archipresbyteri, vel in alia Dignitate conſtituti. *Eadem Sac. Congregat. Epiſcop. in Neapolitana unius Motulæ* 23. *Auguſti* 1652. apud Nicol. *loc. cit. num.*3.

Poteſt Epiſcopus exequi ſuam ſententiam latam contra 13
ſuum Clericum, antequam eſſet Subcollector, vel etiam poſt ſi antea fuerat incæptum Judicium. *Sacr. Congregat. Epiſcop. in Polycaſtrenſ.*12. *Maji* 1617. *in Squillacen.* 30. *Maji* 1626. *& in Hyeracen.* 24. *Martii* 1628. apud Nicol. *loco citat. numer.* 7.

Si Subcollectores adminiſtraverint redditus Capitulares, 14
compelli poſſunt ab Ordinario ad reddendas rationes, ſed ſi fuerint in fraude deprehenſi, puniuntur a ſuo Judice. *Eadem Sacra Congregat. Epiſcop.* 8. *Junii* 1646. apud eumdem *loco cit. num.*6.

Poteſt Epiſcopus cogere etiam Clericos Subcollectores, ut 15
Synodis interſint, & ad publicas Proceſſiones accedant. *Sac. Cong. Concilii in Cajacenſi* 21. *Martii* 1654. apud Pignatell *tom.*1. *conſult.* 379.

16 Subcollector abſque Ordinarii licentia alloquens Moniales poteſt excommunicari. *Sacra Congr. Concilii in Hipporegien.* 13. *Maji* 1628. apud Barboſam *loco cit. num.*7., & Tambur. *de Jure Abbatiſſar. diſp.*25. *quæſit.* 4. *num.*6.

17 Subcollectoris delictorum ſaltem notoriorum informationem poteſt capere Ordinarius, vel capi facere ad effectum tranſmittendi ſuis Superioribus; *Eadem Sacra Congergat. Concilii in d. Hipporegien.* 3. *Maji* 1628.

18 Subcollectores ſubjecti ſunt Epiſcopo quoad celebrationem Miſſarum, & alias functiones Eccleſiaſticas, & quoad onera ipſius ratione Beneficii incumbentis; *Sac. Congregat. Concil.*24. *Maji* 1664. apud Monacell. *tom.*4. *ſupplem. ad III. tom. numer.* 87.

19 Non poteſt tamen Epiſcopus illos a Divinis ſuſpendere ob delicta occulta, ſicut cæteros ſubditos; *Sac. Congregat. Concil. in Vercellen.*24. *Novembris* 1631. apud Monacell. *loc. cit. numer.* 88.

20 Subcollector ſpoliorum nequit percipere diſtributiones quotidianas, dum ratione Officii Subcollectoris Choro non aſſiſtit; *Sac. Congregat. Concil. in Caſſanen.*9. *Febr.*1647. *ad cap.* 12. *ſeſſ.*24. *de reformat.* & pluries alibi, teſte Pignatell. *tom.* 1. *conſul.*327.

21 Epiſcopus, ſi in ſua Diœceſi omnes Canonici, vel eorum major pars prætextu Officii ſubcollectoris prætendant exemptionem a ſua Juriſdictione, debet facere verbum cum Sanctiſſimo; *Sacr. Congregat. Concil. in Anagnina* 16. *Novemb.* 1652. *ad cap.*10. *ſeſſ.* 24. *de reform.* apud Pignatell. *conſult.* 389.

22 Subcollectores, & Commiſſarii pro locis exemptis, ſed habitantes in Civitate Epiſcopo ſubdita, non gaudent exemptione a Juriſdictione Ordinarii; *Sacra Congregat. Concilii in Caputaquen.* 14. *Martii* 1722. Sic refert Urſaya *in Miſcellaneo* 1. *Sacro, & profano litt.*5. *num.*246.

23 Subcollectores Apoſtolici ſunt quidem exempti a juriſdictione Ordinarii, ut liquet ex Conſtitutione 40. Gregorii XIII. *tom.*4. *part.*3. *Bullar. nov. pag.*293., & Conſtitut. 7. Urban. VIII. *tom.*4., & ex jam allatis ſuperius; ſed cum multis limitationibus, nempe quod non obſtantibus ſuis privilegiis adhuc ſubdantur juriſdictioni Ordinarii in rebus reſpicientibus, aut Curam animarum, ſi quam exerceant, aut ſervitium Eccleſiæ, ſi Canonicatum, aliudve Beneficium poſſideant, & in pluribus aliis, ut patet in ſequenti Decreto Sacræ Congregationis Concilii approbante ſan. mem. Innocentio XI. edito; quod ad uberiorem notitiam hic ad litteram datur una cum ſuis declarationibus, ſeu additionibus emanatis a Congregatione particulari deputata a Benedicto XIII. 23. Maji 1725.

## DECRETUM

*Sacræ Congregationis Concilii circa Subcollectores latum die 27. Februarii 1677.*

24 DIE 27. Februarii 1677. Sacra Congregatio EE. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ad occurrendum controverſiis, ac querimoniis circa Subcollectores Spoliorum, alioſque Commiſſarios Cameræ Apoſtolicæ, præſertim Regni Neapolitani, ad eandem Sacram Congregationem delatis ſalubriter intenta, auctoritate etiam a S. mem. Clemente IX. & Sanctiſſimo D. N. Innocentio XI. tributa, prævia matura conſultatione, ſtatuit, ac decrevit, ut in poſterum in ſingulis infraſcriptis Diœceſibus, videlicet; Aquinen. Acerrarum, Aliphana, Avellin. Aſculana in Piceno, Aſculana in Apulia, Atrien. Biſacciarum, Bitecten. Bituntina, Brunduſina, Bellicaſtren., Boven. Carinolen. Calven. Cajacen. Caſertan. Campanien. Capritan. Converſan. Cotronen. Caſtren. Caſtellaneten. Civitatis Ducalis, Camplen. Cariaten. Fundana, Frigentin. Guardien. Gravinen. Gallipolitan. Iſclan. Inſulan. Juvenacen. Literen. Lavellen. Laquedonien. Motulen. Maſſulubren. Maturanen. Minerbinen. Monopolitan. Melphiten. Minoren. *Marſicen. Montis Marani, Montis Peluſii*, Melphien. Murana, Nuſcana, Nicoteren. Nucerina, Oſtunen. Oritan. Ortonen. Pennen. Puteolan. Polignanen. Ravellen. Ruben. Roſſanen. Rapollen. Reatina, *Surrentina, Sueſſana*, S. Agathæ, Satrianen. Stabien. ſeu Caſtri Maris Sarnen. S. Severi, S. Angeli Lombardorum, Trojan. Theanen. Theleſina, *Trivicana*, Tranen. *Ugentin. Umbriaticen. Vican. Vulturarien.* Veſtan. Venuſina, Valven. Vigilien. Venafrana.

25 Et in ſingulis pariter infraſcriptis Locis exemptis, ſeu nullius Diœceſis, videlicet; Canuſii, Cerignolæ, Caſalis novi, Cetrani, Centolæ, Caſtri S. Laurentii, Caſtellan. Carbanarien. Broſii, Faſan. Montis Virginis, Montis Caſini, Marubii, Putignani, Rutiliani, S. Stephani de Nemore, Sanctiſſimæ Trinitatis Caven. S. Angeli ad Faſanellen. S. Vincentii de Vulturno, Terlitii, & *aliis, in quibus* fortaſſe hactenus Subcollectores deputari ſolitum fuit, unicus Subcollector.

26 In ſequentibus vero, ſcilicet: Aprutina, Averſana, Arianen. *Amalphitan. Alexanen. Aquilana*, Baren. Bojanen. Bovinen. Biſinen. Canaven. Capuana, Complan. Cathacen. Hieracen. Hydruntina, Iſernien. Larinen. Lycien. Marſorum *Nolan. Neritonen. Neocaſtren.* Oppiden. Polycaſtren. Potentin. Rheginen. Sorana, *Sypontina*, Sulmonen. Squillacen. S. Severinæ, *S. Marci*, Theatina, Termularum, Triventin Tarentin. Tricaricen. & Tropien. duo tantum.

27 In ſequentibus, nimirum: Acheruntin. & Materanen. unicus, in Anglonen. Beneventan. Conſentin. Caputaquen. Caſſanen. *Mileten. & Salernitan. non plus*, quam tres, & in Neapolitana, decem Subcollectores, & non ultra, reſpective deputentur, & exerceant.

28 Ad evitandam autem confuſionem remiſit arbitrio Nuncii dividere, & aſſignare cuilibet ſubcollectori partem Diœceſis, ſeu Loca, intra quorum limites debeant in exercitio ſe continere.

29 Et ne ſemel in Subcollectores deputati neceſſitatem inducant multiplicandi alios Subcollectores renunciando Officium licet poſſint in eo continuare, & idonei ſint, declaravit, nullum Subcollectorem poſt renunciatum Officium gaudere exemptione ab Ordinario, niſi laudabiliter exercuerit, ſaltem per duodecim annos.

30 Eos vero, qui in Officio, aut alias ita deliquiſſe comperti fuerint, ut a Nuntio amoveatur, & alii eorum loco deputentur, nullatenus exemptione hujuſmodi gaudere; Et econtra illos, qui probe, ac fideliter ſe geſſerint, velintque in Officio continuare, confirmandos eſſe a Nuntio, nec alios eorum loco deputari poſſe.

31 Præterea, attenta Subcollectorum hujuſmodi multitudine, & cauſa a ſan. mem. Urbano VIII. in ſua Conſtitutione 35. conſiderata, concedendi *illis* exemptionem, cenſuit expedire, ut Sanctiſſimus declaret, ita eſſe intelligendam dictam Conſtitutionem, ut Subcollectores, terminato Officio non gaudeant amplius exemptione, defuncto, vel alias deficiente Ordinario, cujus tempore execuerunt. Sicuti etiam declaravit, illos, qui, licet in Subcollectores deputati fuerint, nunquam exercuerunt, minime gaudere; Nec pariter illos, qui non reſident in Diœceſi, pro qua ſunt deputati, & Ordinarium certiorare debere Sac. Congregationem de dicta non reſidentia, ejuſque proviſionem expectare.

32 Generaliter vero Subcollectoribus exemptionem ab Ordinario in Civilibus non ſuffragari, niſi adeſſet in Diœceſi Judex a Nuntio deputatus, qui habeat tantummodo facultatem in cauſis paſſivis, & nullo privilegio, aut exemptione gaudeat.

33 Quod vero attinet ad Subſtitutos, & Officiales Subcollectorum, declaravit, dd. Subſtitutos non gaudere exemptione, illam tantum concedendam eſſe uni tantum Notario pro quolibet Subcollectore in actu exercitii, & quoad Commiſſarios ſuper illicitis negotiationibus, aut ad alias Cauſas particulares Deputatos non gaudere exemptione, niſi in actu exercitii, & tam Commiſſarios hujuſmodi, quam Subcollectores, quando procedunt contra Denunciatos, vel alios Inquiſitos de illicitis negotiationibus, ſi ex Proceſſu informativo conſtet de eorum innocentia, non poſſe illos cogere ad expenſas ejuſdem Proceſſus, & Decreti abſolutorii.

34 Et quod majoris momenti eſt, ne prætextu hujuſmodi Officii cura animarum, ſervitium Eccleſiæ, ac Divini cultus, morumque honeſtas detrimentum patiatur, declaravit, Parochos in Subcollectores, aut Commiſſarios ad quaſcumque Cauſas particulares non eſſe deputandos, ſicuti nec Pœnitentiarium, nec Theologum. Quod ſi poſt deputationem de aliqua Parochiali, aut Pœnitentiali, vel Theologali præbendis fuerint fortaſſe proviſi, tunc minime gaudere exemptione in concernentibus curam animarum, & reſpective adimplementum onerum ipſarum præbendarum, & eadem ratione non gaudere Canonicos, & alios beneficiatos Subcollectores in concernentibus ſervitium Eccleſiæ, & adimplementum onerum ipſorum Canonicatuum, & beneficiorum; nec lucrari diſtributiones quotidianas, ſi non inſerviant; Inſuper teneri ratione beneficiorum, quæ obtinent, ad publicas proceſſiones





accedere, ſolvere Cathedraticum, & ſubſidium caritativum, & intereſſe Synodo, ac viſitationi, non tamen pluries, quam ſemel in anno. Poſſe vero ſolummodo cogi ab Ordinario ad exequendam viſitationem in iis, quæ reſpiciunt cultum Divinum; ipſumque Ordinarium poſſe procedere contra Subcollectores accedentes ſine ejus licentia ad Monaſteria Monialium, aut non ſervantes præceptum Communionis Paſchalis, & contra percutientes Presbyterum, vel Clericum poſſe procedere ad declaratoriam excommunicationis *ex c. ſi quis ſuadente*: & ſi quando repererit aliquem Subcollectorem in publico concubinatu vivere, certiorare debere eamdem Sacram Congregationem, ac ipſum Nuntium, cujus partes erunt ſevere eos punire, ac privare Officio. Poſſe tamen eumdem Ordinarium carceribus mancipare ad Superiorum diſpoſitionem retinendos, ſubcollectores deprehenſos in fragranti crimine, quod meretur pœnam corporalem, non tamen minorem carceratione, dummodo ſtatim de carceratione Nuntium certioret.

35 Item adminiſtratores Locorum piorum in ſubcollectores, deputatos ſubeſſe Ordinario, quoad reditionem rationum adminiſtrationis; Nec poſſe ſubcollectores a caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvi abſque illius licentia, & nullum Inquiſitum poſſe a Nuntio in ſubcollectorem deputari, niſi de ejus abſolutione conſtiterit.

36 Ut autem ſciant Ordinarii quo ſin ſubcollectores, aut Commiſſarios debeant recognoſcere, declaravit, ſubcollectores teneri oſtendere Ordinario ſuas commiſſiones, antequam illas exequantur: Commiſſarios vero particulares teneri, vel per litteras patentes, vel privatas ſui Superioris, aut alio modo certiorare Ordinarium de demandata juriſdictione.

37 Demum quatenus ſupradictæ declarationes, vel aliquæ illarum futuris temporibus non obſerventur, Sacra Congregatio voluit, incumbere locorum Ordinariis, ut pro eorum zelo, ac paſtorali ſolicitudine quæcumque ſecus audiverint, huic S. Sedi fideliter referant pro opportuna proviſione obtinenda.

38 Et die 16. ejuſdem facta de præmiſſis omnibus relatione eidem Sanctiſſimo D. N. Innocentio XI. Sanctitas ſua declaravit, præcitatam Conſtitutionem fel. recordat. Urbani VIII. eſſe intelligendam juxta prædictam Sacræ Congregationis ſententiam, & præſens Decretum, omniaque, & ſingula in eo contenta approbavit, & confirmavit, & inconcuſſe, ac inviolabiliter obſervari, & exequi mandavit, ſalva tamen ſemper ejuſdem Sac. Congregationis auctoritate, omniaque, & ſingula præfata declarandi, moderandi, & ampliandi, & in totum, vel in parte annullandi, & interpretandi.

39 Voluit tamen Sanctitas ſua, quod præſenti Decreto, reſtricto ad Collectores, & Subcollectores Spoliorum Regni Neapolitani, per Nuntium Apoſtolicum deputatos, ſive deputandos, derogatum, ſive præjudicatum minime cenſeatur reſervationibus, & affectionibus beneficiorum eorumdem Collectorum, & Subcollectorum reſultantibus ex Regulis Cancellariæ Apoſtolicæ.

Ita reperitur in regiſtro S. C. C. & in fidem &c.

*Proſper. Archiep. Theodoſiæ Secr.*

40 Sequuntur aliquæ ſupra relati Decreti declarationes, ſeu additiones, emanatæ a Congregatione particulari, deputata in Concilio Romano a SS. D. Noſtro ſub die 13. Maii 1725.

Primo: quod in hac parte, ſcilicet in §. *Et quod majoris momenti*, in quo Decretum ejuſdem Congregationis Concilii loquitur de ſubcollectoribus, qui obtinuerunt poſtmodum Parochias, vel præbendam Theologalem, ſeu Pœnitentialem, amplietur Decretum ipſum, & eidem addatur, prout nova hac declaratione additur, quod tunc ſubcollectorum Officia illico ceſſent, & Theſaurarius, vel Nuntius Apoſtolicus alium deputare teneatur.

41 Secundo: Non poſſe *Theſaurarium Generalem*, & Nuntios in quacumque Diœceſi, etiam extra ſtatum Eccleſiaſticum, Litteras Patentales ſubcollectoribus in futurum concedere, niſi eis atteſtatio exhibeatur Curiæ Epiſcopalis, in qua de ipſorum bona vita, & moribus, ac eoſdem nec inquiſitos, nec proceſſatos eſſe, teſtimonium feratur, quam atteſtationem & Theſaurarius, & Nuntius in actis conſervare teneantur, alias Patentales Litteræ, quocumque alio modo conceſſæ, & expeditæ, nullæ ſint, & invalidæ, itaut contra iſtos procedere poſſit Epiſcopus Ordinarius.

*F. A. Archiep. Epiſc. Abellinen. & Frequentin. Concil. Secr.*

*Ferrar. Biblioth. Tom. VII.*

42 Subcollector nonniſi unus pro qualibet Diœceſi deputari poteſt, & ſi plures deputentur, quamvis unus dicatur deputatus pro Diœceſi, alter pro loco exemptio intra Diœceſim exiſtente, *hic poſtremus nulla* gaudet exemptione. Cum enim in Diœceſi Bituntina tres olim reperirentur ſubcollectores, unus videlicet pro ipſa Civitate, & Diœceſi Bituntina, alter pro Abbatia *Nullius* Faſani, & tertius pro loco *Nullius* Rutiliani, & Epiſcopus Bituntinus *die* 4. *Maii* 1697. a Sacra Congreg. Concil. quæſiviſſet, *An Subcollectores deputati pro juriſdictione Faſani, & Rutiliani, & commorantes Bitunti aliqua in dicto loco gauderent exemptione?* Reſponſum fuit, *Non gaudere, & Epiſcopum procedere poſſe in futurum*, uti habetur *leg.* 47. *Decret. fol.* 185. Atque Epiſcopo Caputaquenſi ſimilem quæſtionem proponenti in Congregatione habita *die* 14. *Martii* 1722. reſcriptum fuit, ut ſervaretur prædictum Decretum editum in Bituntina. *Sic* Benedictus XIV. qui tunc temporis erat Secretarius ejuſdem Congregationis, *de Synodo Diœceſana lib.* 3. *cap.*8. *n.*7. & reperitur *in tom.*2. *Theſaur.* Reſolution. dicti anni.

43 Subcollectores tenentur intereſſe Synodo Diœceſanæ Proceſſionibus, & Viſitationi, ſolvere Cathedraticum, & ſubſidium caritativum. *Sacr. Congr. Concil.* 21. *Mart.* 1614. & 27. *Februar.* 1677. in ſupra allato Decreto approbato ab Innocentio XI. Non adnumerantur Sedis Apoſtolicæ Officialibus, de quibus loquitur Textus *in cap. Matthæus, de hæreticis, & in cap. Divina in eminenti, de privilegiis inter Extravagant. Commun.* Sic expreſſe declaravit *Sacr. Congr. Concil. die* 26. *Maii* 1628. quæ ad dubium: *An Subcollectores ſpoliorum pro R. Camera Apoſtolica recenſeri debeant inter Officiales, de quibus loquuntur ipſæ Extravantes ad effectum præmiſſum?* Reſpondit *Negative*, & *die* 20. *Junii ejuſdem anni*, perſtitit *in deciſis*, ſicuti etiam reſpondit de Protonotariis non participantibus. Veri enim Officiales Sedis Apoſtolicæ, de quibus loquuntur citati Textus, altioris ſunt gradus atque ad graviora procuranda negotia deſtinati, ut ſcite d. Benedictus XIV. aliis allegatis *loc. cit. n.*8.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 DEputantur Subcollectores Spoliorum, vel a Nunciis Apoſtolicis, ut ex Conſtitutione *Gregorii XIII. in ordine la* 25. *tom.* 2. *& Urbani VIII. la* 147. *tom.*4. vel a Cardinali Camerario, & a Theſaurario Generali juxta *Conſtitut. ejuſdem Urbani la* 160. §. 9. *tom.* 5. *& Alexandri VIII. la* 190. §. 11. *tom.* 6.

2 In ſubcollectores autem non poſſunt deputari, niſi ii, qui de legitimo matrimonio nati ſunt, ut reſcripſit *Sac. Congregatio Concilii interpres in Bituntina* 4. *Maii* 1697.

## SUBDIACONATUS,

Vide verb. *Ordo art.* 1. *a n.* 40. *ad* 42.

## SUBORNATIO.

Vide verb. *Poena art.* 2. *n.* 208. *&* 209.

## SUBREPTIO.

Vide verb. *Reſcriptum a n.* 27. *ad* 33.

## SUBSIDIUM CARITATIVUM.

1 SUbſidium charitativum, ideſt Charitatis auxilium ſic appellatur, quia a principio ex charitate peti debet, non violenter extorqueri, *arg. cap. Conquerente* 16. *de Offic. Ordinarii, & cap. Cum Apoſtolus* 6. *& cap. Ex parte* 16. *de cenſib.* Et dicitur ſubſidium, quia in ſubſidium peti debet, nempe quando facultates Epiſcopi non ſufficiunt ad ſatisfacienda onera, ad exemplum ſubſidiariæ actionis, ideo ſic dictæ, quia datur, quando deficit propria, & ſpecialis actio, ut in §. *final. Inſtitut. Ad Legem Aquil.* & *in* §. *final.* ubi Gloſſa *Inſtitut. de Interdict.* Bellencinus *tract. De Caritativo Subſidio q.* 14. Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. part.* 3. *alleg.* 87. *num.*2. Ventriglia *Prax. rer. notabil. part.*2. *adnotat.*25. §. 1. *num.*2. & alii paſſim.

Diœceſi, & habeat prædia, & redditus in alia, Beneficiatus tenetur ſolvere ſubſidium Epiſcopo Diœceſis ſuæ Eccleſiæ, quæ attendi debet tamquam caput; *argument. leg. Cum in diverſis, ff. de Relig. & ſumpt. funer.* non autem attendenda ſunt prædia, quæ ſunt acceſſoria Eccleſiæ, ut *in cap. Unic. de Conſecrat. Eccleſ. vel Altar. in 6.* Ventriglia *loc. cit. num.* 28. Barboſa *loc. citat. num.* 51. Bellencin. *loc. citat. quæſt.* 35. & alii paſſim.

44 Si Eccleſia Beneficialis ſita ſit in confinio duarum Diœceſum, & dubium ſit, cui Epiſcopo competant jura Epiſcopalia, & collatio in dicta Eccleſia, tunc ambo Epiſcopi ſe concordare debent, ut alternis vicibus ſubſidium exigant; *argum. Clementin. Plures, de Jurepatronat.* Et ſi inter ſe convenire renuant, tunc Jure Metropolitanus poterit eis præcipere, ut conveniant, eo quod talis eorum diſcordia ſit Eccleſiæ damnoſa. Bellencin. *loc. citat. quæſt.* 52. Azorius *l. cit. quæſt. 6. verſ. Quid dicendum*; Barboſa *loc. citat. num.* 53. Ventriglia *l. c. n.* 29. & alii.

45 Penſionarius, & Rector Beneficii tenentur ad ſolvendum Subſidium pro rata portione; Niſi tamen Penſio ſit ei conceſſa libera ab omni onere, etiam ſubſidii Caritativi, quia tunc Penſionarius nihil deberet ſolvere. Et in caſu, quo Penſio non ſit ei conceſſa libera a tali onere, debet ſubſidium ſolvere Epiſcopo illius Diœceſis, in qua eſt Beneficium, ſeu Eccleſia, ſuper cujus fructus eſt impoſita Penſio, licet ipſe Penſionarius ſit alterius Diœceſis. Gigas *de Penſionibus quæſt.* 28. *num.* 18. Bellencin. *l. c. q.* 37. Bellet. *l. c. n.* 32. Barboſa *l. cit. n.* 52. Ventriglia *l. c. n.* 31. et alii.

46 Eccleſiæ pleno jure exemptæ non tenentur præſtare Epiſcopo Subſidium Caritativum. Bellencin. *l. c. quæſt.* 32. Azorius *loc. citat. queſt. 6. verſ. Item non poteſt*, Cochier. *de Juriſdict. Ordin. in exemptos part. 4. quæſt. 9. per tot.* Barboſa *l. citat. num.* 47. Ventriglia *l. cit. num.* 34. et alii recte limitantes Concluſionem in duobus caſibus. Primo quando Eccleſia exempta habet populum non exemptum, quia tunc eo reſpectu exigi poſſet tale Subſidium. Secundo quando in conceſſione privilegii exemptionis appoſita eſt clauſula, quod Eccleſia exempta remaneat adhuc cum caritate priori cum ſuo Epiſcopo, quia tunc teneretur adhuc ipſi præſtare dictum Subſidium Caritativum.

47 Addenda ſunt ſequentia Decreta relata cum eruditiſſima doctrina ſuo more ab Eminentiſſimo Cardinali Cavalchino in cauſa *Algaron. Subſidii Caritativi*, apud Theſaurum Reſolutionum S.C.C. anni 1738. ibi *in Gerund. Subſidii Caritativi*, ubi diſceptatis hiſce dubiis. I. An Epiſcopi pingues redditus habentes, qui videlicet nedum congruam ipſis juxta formam Sacri Concilii Tridentini aſſignatam, verum etiam duplicatam, ac longe majorem habent, poſſint exigere caritativum ſubſidium a ſuis Diœceſanis? An Epiſcopi, quibus pro exigendo caritativo ſubſidio non obſtat ſufficientia, ſive exuberantia reddituum, poſſint illud exigere, nulla urgente cauſa, et inconſultis eorum Capitulis? III. An poſſint illud exigere a Clericis Beneficiatis, qui licet aliquos redditus habeant non conſiſtentes in diſtributionibus quotidianis, nihil tamen eis ſupereſt ultra honeſtum victum; immo tales redditus vix ſunt ſufficientes ad prædictum eorum victum? IV. An, ſuppoſito, quod conſultis eorum Capitulis, dictum caritativum ſubſidium exigere valeant, poſſint illud exigere a ſuis Clericis Beneficiatis non habentibus alios redditus, quam diſtributiones quotidianas: die 17. Februarii 1663. Reſcriptum fuit *Ad I. II. III. Negative. Ad IV. Explicandam naturam harum diſtributionum*, ut in lib. Decr. pag. 435.

48 In qua Algaren. ſubſidii caritativi propoſitis ſequentibus dubiis. I. An Epiſcopus Algarenſis potuerit a Canonicis Præbendatis Cathedralis Eccleſiæ exigere ſubſidium caritativum, & in qua ſumma, & quatenus negative; II. An teneatur illud reſtituere? III. An Epiſcopus potuerit dictum ſubſidium caritativum exigere non ſolum a Parochis, ſed etiam a Vicariis perpetuis, & in qua ſumma? IV. An licuerit prælaudato Epiſcopo exigere dictum ſubſidium, tam ab Eccleſiis, & Confraternitatibus habentibus Beneficium unitum, aut alios redditus, quam a Confraternitatibus nullum Beneficium unitum poſſidentibus, aut nullos, aut ad ſummum tenues redditus piis oneribus gravatos habentibus? V. An potuerit ab Epiſcopo conſici taxa controverſi ſubſidii caritativi poſt requiſitum, ſed non obtentum Capituli conſenſum, illudque exigi in ſumma taxata in caſu &c. *Sacra Congregat. Concil.* 2. *Auguſti* 1738. Reſpondit: *Omnia ad Eminentiſſimum Rezzonicum, qui dignetur rem perpendere, auditis Partibus, etiam cum facultate agendi pro concordia, & Sacræ Congregationi referre.*

49 In Marianen. ſubſidii caritativi propoſito dubio. *An Epiſcopo Marianen. debeatur ſubſidium caritativum ex Rectoriis di Belgodere, e di Ruſtino, ut prætenditur ſpectans ad Monachos Olivetanos, vel potius obſtet prætenſa exemptio DD. PP. in caſu &c. Sacra Congregat. Concil. die* 8. *Februar.* 1713. diſtulit propoſitionem: *die vero* 11. *Martii* 1713. Reſpondit *Negative quoad primam, & Affirmative quoad ſecundam partem, & amplius.* Sic apud Theſaurum *tom. 9. circa finem in dict. Marianen. ſubſidii Caritativi.*

Alia vide infra, *ad Verb. Viſitatio.* 50

*Novæ Additiones ex aliena manu.*

QUod ait *Auctor num.* 14. poſſe Clericos compelli ad 1 charitativum ſubſidium, id controverſia haud caret. Sunt enim, qui poſt *Innocentium in cap. Quum Apoſtolus, de Cenſib.* tenent nunquam Clericos ad ſubſidium charitativum 2 cogi valere. Non ignoramus vero prævaluiſſe opinionem affirmativam, ſed eam amplectendam vellem ea cum moderatione, quam affert *Ziegler. de Epiſcop. lib. 3. cap. 27. §. 15.* quod ſcilicet & juſtæ ſint cauſæ ipſum exigendi, & Epiſcopus redditibus haud abundet.

Qui autem plenius de Charitativo ſubſidio inſtrui cupit, is 3 adeat *Gonny in tractatu de Charitat. Subſid.* qui quæſtiones omnes ad materiam hanc pertinentes examinat.

## SUCCESSIO AB INTESTATO.

ILle dicitur decedere inteſtatus, ſeu *Inteſtatus decedit, qui* 1 *aut omnino teſtamentum non fecit, aut non Jure fecit, aut id quod fecerat, ruptum, irritumque factum eſt, aut ſi ex eo nemo heres extiterit.* Sic expreſſe habetur in princip. *Inſtitut. de hereditatibus, quæ ab inteſtato deferuntur*, & concordat *leg. Inteſtati 1. ff. de ſuis, & legitimis heredibus*, ibi: *Inteſtati proprie appellantur, qui cum poſſent Teſtamentum facere, teſtati non ſunt; Sed & is, qui Teſtamentum fecit, ſi ejus hereditas adita non eſt, vel ruptum, vel irritum eſt Teſtamentum, inteſtatus non improprie dicitur deceſſiſſe.* Unde qui tali ſuccedit dicitur 2 inteſtato, ſeu ab inteſtato ſuccedere, & heres ab inteſtato vocatur. *Communis.* Immo quamvis qui teſtari non potuit, 3 proprie non ſit dicendus inteſtatus, tamen hic quoque in Jure pro inteſtato accipitur, textu expreſſo *in cit. leg. Inteſtati 1. ff. de ſuis, & legitimis heredibus*, ibi: *Plane qui teſtari non potuit, proprie non eſt inteſtatus, puta impubes, furioſus, vel cui bonis interdictum eſt, ſed hos quoque pro inteſtatis accipere debemus.* Et ſic etiam qui tali ſuccedit, dicitur inteſtato, 4 ſeu ab inteſtato ſuccedere, & heres ab inteſtato appellatur. *Communis.*

Succeſſio ab inteſtato eſt acquiſitio hereditatis legibus debita 5 abſque Teſtamento, vel diſpoſitione hominis; *Eſt in re Communis, argument. tot. Titul. ff. Si quis omiſſa cauſa Teſtamenti ab inteſtato, vel alio modo poſſideat hereditatem.*

Succeſſio ab inteſtato eſt duplex, ſeu dupliciter fit, ſcilicet 6 in Capita, & in ſtirpes. *Communis.* Succeſſio *in Capita* fit, & 7 eſt, quando hereditas ſecundum numerum perſonarum ſuccedentium, quibus defertur, in portiones, ſeu partes viriles, ſive æquales dividitur, ita ut tot fiant partes, ſeu portiones hereditatis æquales, quot ſunt Capita ſeu perſonæ ejuſdem gradus, & ob id appellatur *ſucceſſio in Capita*, textu expreſſo *in Novella 118. cap. 3. in fine*, ibi: *Quod in Capita noſtræ Leges appellant. Succeſſio in Stirpes*, fit, & eſt quando plures ſuccedunt 8 in locum alicujus, non ſecundum numerum perſonarum, ſed ſecundum portionem, quam de Jure accepiſſet ille, in cujus locum ſuccedunt, ita ut omnes ſimul ſive multi, ſive pauci ſint, tantam ſolum portionem hereditatis accipiant, quantam ſuus Principalis, cujus loco ſuccedunt, reciperet, ſi adhuc viveret. Sic ſi Pater inteſtatus decedens, unum filium, & decem nepotes ex alio filio prædefuncto relinquat, iſti decem nepotes ſuccedunt *in Stirpem*, ideſt in locum ſui Patris, a quo tamquam ſtirpe proveniunt, & omnes decem ſimul tantam ſolam portionem hereditatis recipiunt, quantam reciperet ſuus Pater, ſi adhuc viveret, ideſt ſolummodo tantam inter omnes, quantam accipit de ſe ſolo ipſe adhuc vivens Frater eorum prædefuncti Patris, *§. Cum filius 6. & §. Sed nos 16. Inſtitut. de hereditatibus, quæ ab inteſtato deferuntur*, ibi: *Quemadmodum inter filios, & nepotes ex filio antiquitas ſtatuit, non*



*non in Capita, ſed in ſtirpes dividi hereditatem.* Et concordant *Authentic. In ſucceſſionem, Cod. de ſuis, & legitimis*, & *Authent. De heredibus ab inteſtato venientibus cap. 1. Collat. 9.* ibi: *Tantam de hereditate morientis accipientes partem quanticumque ſint, quantam eorum parens, ſi viveret, habuiſſet, quam ſucceſſionem in Stirpes vocavit antiquitas.*

9 Succedentium ab inteſtato quinque ordines aſſignantur. Primus eſt *deſcendentium*, liberorum nempe, nepotum, ac pronepotum &c. Secundus eſt *Aſcendentium*, Parentum nempe, Avorum; ac Proavorum &c. Tertius *Collateralium*, Fratrum nempe, & aliorum Conſanguineorum. Quartus *Conjugum* inter ſe, mariti nempe, & uxoris inter ſe. Quintus denique *Fiſci*, *Authent. de heredibus ab inteſtato venientibus, ſeu Novella 118. cap. 1. 2. & 3. Collat. 9. ac tot. Tit. ff. & Cod. Unde vir, & tot. Tit. Cod. de bonis vacantibus.*

10 Liberi naturales, & legitimi ſimul, ideſt filii ex legitimo Matrimonio nati, ſi adhuc omnes ſint ſuperſtites, ſine ulla ſtatus differentia, ſive feminæ, ſive mares, ſive ſui ſint, hoc eſt in patris poteſtate, ſive emancipati, ſive ſæculares, ſive Clerici, aut Eccleſiaſticæ perſonæ, ſuccedunt in capita, & æqualiter ab inteſtato ſuis parentibus, tam patri, quam matri, excluſis omnibus aliis, non ſolum Collateralibus, ſed etiam aſcendentibus, & deſcendentibus; Si autem aliquis ex dictis liberis fuerit præmortuus, ſuccedunt pro ipſo ejus filii, aut nepotes non in capita, ſed in ſtirpes. *Communis*, textu expreſſo *in cit. Authent. de heredibus ab inteſtato venientibus*, ſeu *Novella 118. cap. 1. Collat. 9. & cit. Authent. In Succeſſionem, Cod. de ſuis, & legitimis.*

11 Etiam filii legitimati per ſubſequens Matrimonium ſuccedunt ab inteſtato parentibus, ſi ſoli ſint, vel una cum naturalibus & legitimis liberis jam natis, ſeu naſcituris æqualiter, cum habeantur per omnia, ac ſi ab initio legitime nati fuiſſent. *Communis*, textu expreſſo in *§. Sui autem 2. Inſtitut. de hereditatibus, quæ ab inteſtato, & cap. Tanta 6. Qui filii ſint legitimi.*

12 Item filii legitimi tantum, ideſt adoptivi, etiam eodem modo, quo legitime nati æqualiter in capita ſuccedunt adoptanti, vel arroganti. *Communis* claris Juribus *in §. 14. Inſtitut. de hereditatibus, quæ ab inteſtato, leg. Cum in adoptivis 10. §. 1. Cod. de adoptionibus, leg. Si te parens 5. Cod. de ſuis, & legitimis liberis*, ibi: *Si te parens, in cujus fuiſti poteſtate, ſolemniter in adoptionem dedit cum filiis naturalibus adoptive patris ante, vel poſt quæſitis defuncto inteſtato ſuccedere potes.*

13 Filii naturales legitimati per Reſcriptum Supremi Principis æquali Jure, ac ſi fuiſſent legitime nati, ſuccedunt ab inteſtato ſuis parentibus, ſi tres concurrant conditiones, ſcilicet; Primo ſi nulli extent filii legitimi: Secundo ſi pater naturalis peracta generatione ex aliqua juſta cauſa matrem ducere non potuit, ſicque per ſubſequens Matrimonium prolem legitimare nequivit; Tertio ſi proles in legitimationem conſenſerit; Sic expreſſe *Novella 74. cap. 1. & Novella 89. cap. 9.* Si autem Supremus princeps in Reſcripto legitimationis inſereret clauſulam: *Non obſtante, quod adſint legitimi*, ſeu: *Etiam in præjudicium legitimorum*, procederet Concluſio, etiam non concurrente prima conditione, quia Supremus Princeps poteſt antiquas Leges abrogare, & novas condere, *argument. leg. Diſputare 3. Cod. de crimine Sacrilegii*, cum ſimilibus, & in tali caſu ſtandum eſſet diſpoſitioni poſterioris legis, quia poſteriora derogant prioribus, *cap. Licet Romanus Pontifex 1. de Conſtitutionibus in 6. leg. Sed & poſteriores, ff. de Legibus*, cum ſimilibus. Et ſic tenet *Communis Doctorum*, teſte Gailo *lib. 2. Obſerv. 142. n. 7.*

14 Legitimatio filii naturalis facta per Reſcriptum Supremi Principis tempore, quo nulli exiſtebant filii naturales ſimul, & legitimi, probabilius non expirat quo ad ſucceſſionem ab inteſtato, etiamſi poſtea naſcantur Patri filii legitimi. Sic Gailus *loc. cit. num.* 5. Reiffenſtuel *lib. 3. Decret. tit. 27. n. 14.* Bartolus *in leg. Ex facto num. 3. ff. de vulgari, & pupillari ſubſtitutione*, Baldus *ibidem num.* 1. ac etiam Jaſon. *num.* 15. citans Communem; Et ratio eſt, quia ſemel perfecta, et conſummata non irritantur, quamvis ad eum caſum perveniant, a quo incipere non potuiſſent, *leg. In ambiguis 85. §. 1. ff. De Regul. Juris*, ibi: *Non eſt novum, ut quæ ſemel utiliter conſtituta ſunt, durent, licet ille caſus extiterit, a quo initium capere non potuerunt, cap. Factum 73. de Regul. Jur. in 6.* ibi: *Factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, a quo non potuit inchoari*: Contrarium tamen ſentiunt multi citati a Tiraquell. *in leg. Si unquam num. 275. Cod. de revocat. donat. arg. l. Exiſtimo 98. princ. ff. de verb. obl.*

Filii naturales, non extantibus aliis ex legitimo Matrimonio 15 natis, neque uxore legitima, ſuccedunt ab inteſtato patri una cum ſua matre in ſextante, ſeu duabus unciis (ideſt duabus partibus, ſi hereditas in duodecim dividatur) æqualiter inter eos dividendis; ita ut una prolibus naturalibus, altera vero matri remaneat; *Novella 18. cap. 5. & Novella 89. cap. 12.* 16 Si autem extent filii, aut nepotes legitimi, vel legitima uxor, tunc non ſuccedunt filii naturales Patri ab inteſtato, nec Avo paterno, ſed ſolum debentur illis alimenta ex bonis paternis 17 arbitrio boni viri, *cit. Nov. 18. cap. 5. & Nov. 89. cap. 12.* Succedunt tamen matri dicti filii naturales etiam illuſtri, & omnibus aſcendentibus per lineam maternam una cum legitime natis, *l. Si qua illuſtris 5. Cod. Ad S. C. Orficianum*, & *§. Noviſſime 3. Inſtit. eod.* cum ſimilibus.

Filii Spurii, , *vulgo quæſiti* nullatenus ſuccedunt patri ab 18 inteſtato, *argument. §. 4. Inſtitut. de ſucceſſione Cognat.* Iſtorum enim certus pater neſcitur, adeoque &c. Succedunt tamen 19 matri non illuſtri æque ac filii naturales; *cit. §. Noviſſim. Inſtitut. ad Sacr. Conſult. Orficianum, & leg. 2. ff. Unde Cognati.* Matri autem illuſtri, & habenti filios legitimos non ſuccedunt 20 ab inteſtato; Secus vero ſi legitimis filiis careat, *l. Si qua illuſtris 55. Cod. Ad S. C. Orfician.*

Filii ex damnato coitu, nec patri, nec matri ab inteſtato ſuc- 21 cedunt, quamvis nulli legitimi extent. *Novella 89. cap. final. & Authent. Ex complexu, Cod. de inceſtuoſis nuptiis.*

Filiis ex damnato coitu æquiparantur, ita ut nec patri, nec 22 matri, nec aliis aſcendentibus ſuccedant ab inteſtato filii, quorum parentes ob crimen læſæ Majeſtatis ſunt condemnati, *l. Quique 5. §. 1. Cod. Ad Leg. Jul. Majeſt.* Item filii eorum, qui propter Hæreſim condemnati ſunt, *cap. Excommunicamus 3. §. Damnati, de Hereticis.*

Qui autem ſint, & dicantur filii legitimi, illegitimi, naturales, 23 ſpurii, quæſiti, filii ex damnato coitu? Vide verb. *Filii*, ubi late de omnibus.

Nepotes, & pronepotes ſuccedunt ab inteſtato Avo, vel 24 Aviæ in ſtirpes, ſive adhuc extent filii dicti Avi, & dictæ Aviæ, ſive non, *§. Cum filius 6. & §. Sed nos 16. Inſtitut. de heredit. quæ ab inteſtato, Novella 118. & Authent. In ſucceſſionem, Cod. de ſuis, & legitimis, & l. Nepotes 2. Cod. eod.* cum ſimilibus.

Deficientibus deſcendentibus & Fratribus, ſeu ſororibus 25 germanis ſuccedunt ab inteſtato ſoli aſcendentes, ſervata tamen graduum prærogativa, ita ut proximiores gradu excludant remotiores; Unde Pater, & Mater ſuccedunt filiis decedentibus ſine liberis, & fratribus, vel ſororibus germanis, ideſt utrinque conjunctis, excluſis a tali ſucceſſione Avo, & Avia. *Novell. 118. cap. 2. & Authent. defuncto, Cod. Ad S. Conſult. Tertullianum.*

Sic etiam ſi Paulus verb. grat. defunctus ſine liberis re- 26 linquat ſuperſtitem Patrem, & Avum maternum, Matre mortua, ſolus Pater ſuccedit Paulo, excluſo penitus avo materno etiam quo ad bona materna, & viceverſa, Patre mortuo, Mater ſuperſtes excludit penitus Avum paternum a ſucceſſione filii etiam quo ad bona paterna, *argument. leg. Si plures 10. §. Filio, ff. De vulgari, & pupillari ſubſtitutione, & cit. Nov. 118. cap. 2.* juncta Gloſſa *ibidem verb. Proximi*, & Gloſſ. *in citat. Authent. defuncto, verb. Gradus*; Pirhing *leg. 3. Decret. tit. 27. n. 13.* Reiffenſt. *ibid. n. 30.* teſtans de communi contra Paucos.

Si defunctis Patre, & Matre extent plures aſcendentes ſi- 27 ne fratribus, vel ſororibus defuncti, verb. grat. extent Avus, & Avia in linea paterna, & ſimul Avus, & Avia in linea materna, aut ex parte Patris extet ſolus Avus, & ex parte Matris Avus, & Avia, vel viceverſa, tunc ſuccedunt defuncto Nepoti, aut Pronepoti omnes æqualiter, non in capita, ſed in ſtirpes, ita ut hereditas ex æquo inter illos aſcendentes, qui eundem gradum obtinent, dividatur, & unam medietatem accipiant aſcendentes a Patre, alteram aſcendentes a Matre, ſive plures fuerint, ſive unus ſolus ex una parte. *Communis*, text. claro *in cit. Novella 118. c. 2.*

Quando cum aſcendentibus æqualis gradus extant etiam 28 germani fratres, & ſorores defuncti, tunc ſuccedunt omnes æqualiter, & in capita, ita ut aſcendentes & fratres, & ſorores defuncti accipiant æquales partes hereditatis, tot faciendo æquales portiones, quot ſunt capita, ſeu perſonæ. *Communis*, text. aperto *in cit. Novella 118. c. 2. §. Si vero, & cit. Authent. Defuncto, Cod. Ad S. C. Tertullianum.*

Sorores autem, & fratres ſolum uterini, ideſt ex ſola Matre, 29 vel

vel ſolum conſanguinei, ideſt ex ſolo Patre excluduntur per aſcendentes, nec poſſunt cum illis ſuccedere hereditati fratris uterini defuncti. *Communis* per text. *in cit. Novella* 118. *c.* 2. ibi: *Si vero cum aſcendentibus inveniantur fratres, aut ſorores ex utriſque parentibus conjuncti defuncto*, ubi, ut vides, textus ad id admittit ſolos fratres, aut ſorores germanos, & non ſolum uterinos, aut ſolum conſanguineos.

30 Germanorum filii ſuccedunt cum aſcendentibus, ſeu ſororibus germanis hereditati alterius prædefuncti germani fratris, aut ſororis, non niſi tamen in ſtirpem, text. expreſſo *in Novella* 127. *c.* 1.

31 Nepotes autem, ſeu pronepotes præmortui fratris non gaudent hoc privilegio, ſed excluduntur a dicta hereditate per aſcendentes, & germanos fratres, aut ſorores ipſius præmortui fratris, ut conſtat clare ex Rubrica *cit. Novella* 127. ibi: *Ut fratrum filii ſuccedant pariter ad imitationem fratrum etiam aſcendentibus extantibus*, ubi, ut vides, Rubrica ad dictam ſucceſſionem admittit ſolum fratrum filios, non autem nepotes, & pronepotes. Tum quia Jus repræſentationis ultra fratrum filios locum non habet in linea collaterali. *Authentic. Poſt fratres, fratrumque filios. Cod. de legitimis heredibus.*

32 In iis caſibus, in quibus filii naturales, & illegitimi ſuccedunt parentibus, parentes etiam ſuccedunt illis, textu expreſſo *in Nov.* 89. *c.* 13.

33 Deficientibus deſcendentibus, & aſcendentibus ſuccedunt ab inteſtato defuncto ejus ſanguine juncti collaterales, & quidem æqualiter, & in capita cum hoc tamen, quod collateralis gradu proximior ſemper totaliter excludat remotiorem, ſicque omnium primo ſuccedunt germani fratres, & ſorores, penitus excluſis fratribus, & ſororibus ſolum uterinis, vel ſolum conſanguineis, text. expr. *in Novella* 118. *c.* 3. *& Authent. Itaque, Cod. Communis, de ſucceſſionibus.*

34 Quando cum defunctis fratribus, & ſororibus germanis extant etiam filii alterius fratris, aut ſororis germanæ prædefunctæ, tunc etiam iſti cum illis ab inteſtato ſuccedunt, ita tamen ut fratres, & ſorores ſuccedant in capita, & dicti filii ſolum in ſtirpem omnes ſimul pro unica tantum portione loco ſui patris prædefuncti, text. expr. *in Nov.* 118. *c.* 3. *§. Si autem, & in Authent. Ceſſante, Cod. de legitimis heredibus.*

35 Sicuti fratres germani, ita etiam filii fratrum germanorum excludunt fratres ſolum uterinos, vel ſolum conſanguineos, ſublata omni differentia ſexus, & emancipationis, textu claro *in cit. Novella* 118. *c.* 3. *§. Si autem defuncto, & cit. Authent. Ceſſante, Cod. de legitimis heredibus.*

36 Si ſoli filii diverſorum fratrum, vel ſororum extent, & nullus frater defuncti, neque germanus, neque ſolum conſanguineus, aut ſolum uterinus, tunc filii, & filiæ fratrum germanorum, non in ſtirpes, ſed in capita ſuccedunt defuncto patruo. Affertur exemplum. Demus, quod Petrus habens duos fratres Paulum & Joannem, iis præmortuis, inteſtatus decedat, et ex fratre Paulo extent quatuor filii, ſeu filiæ, et ex altero fratre Joanne ſex. Hi decem filii, ſeu filiæ duorum fratrum ſuccedunt Petro patruo ſuo, non in ſtirpes, ſed in capita, ſicque hereditas Petri non eſt dividenda in duas partes pro numero duorum fratrum præmortuorum, ſed in decem partes ſecundum numerum decem filiorum, ſeu filiarum dictorum duorum fratrum. Sic clare deducitur ex *leg. Poſt conſanguineos* §. 2. *ff. de ſuis, & legitimis heredibus*, ibi: *Si plures ſint ejuſdem gradus, omnibus* (omnibus defertur hereditas) *in capita ſcilicet, ut puta duos fratres habui, vel duos patruos, unus ex his unum filium, alius duos reliquit, hereditas mea in tres partes dividetur, & leg. Lege duodecim* 14. *ad finem, Cod. de legitimis heredibus*, ubi de liberis fratrum, et ſororum ſic ſtatuitur; *Illo procul dubio obſervando, ut ſucceſſio non in ſtirpes, ſed in capita dividatur.* Sic Fachin. *lib.* 6. *Controv. cap.* 3. Molina *tract.* 2. *diſput.* 164. *num.* 12. Cavarruvia *in Epitom. Succeſſ. num.* 12. Reiffenſtuel *lib.* 3. *decretal. tit.* 27. *num.* 39. Pirhing *ibidem num.* 21. teſtans de communi contra aliquos, et referens hanc ſententiam fuiſſe approbatam a Carolo V. in Comitiis Imperialibus Spiræ habitis anno 1529.

37 Si autem nullis extantibus fratribus germanis defuncti extent ejuſdem fratres conſanguinei, vel uterini, tunc ſuccedunt quidem ſoli filii et filiæ fratrum germanorum, excluſis fratribus ſolum conſanguineis, vel ſolum uterinis, ut expreſſe habetur *in Novella* 118. *cap.* 3. *§. Si autem verſ. Unde conſequens eſt*; At vero in ſtirpes, et non in capita, quia quando prædicti filii, et filiæ fratrum germanorum defuncti concurrunt cum ejuſdem defuncti fratribus conſanguineis, vel uterinis, tunc ſuccedunt ſolum jure repræſentationis ſui patris fratris germani dicti defuncti, alioquin non poſſunt excludere ab ejuſdem hereditate ipſius defuncti fratres conſanguineos et uterinos, cum eſſent uno gradu ipſis remotiores: adeoque cum eos ſolummodo excludant, quatenus repræſentant patrem ſuum defunctum, qui utpote frater germanus eos excluderet, et ſuccedentes jure repræſentationis, ſuccedant in ſtirpes, et non in capita *ex cit. Nov.* 118. *cap.* 2. *§. Si autem, & Authentic. Ceſſante, Cod. de legitimis heredibus*, in tali caſu dicti filii, et filiæ ſuccedunt in ſtirpes, et non in capita. Sic Fachin. *loc. cit.* Pirhing *loc. cit. n.* 21. Reiffenſt. *l. c. num.* 41. et alii communius.

Quando nulli extant liberi legitimi, nec germani fratres, vel ſorores defuncti, de cujus hereditate agitur, tunc ab inteſtato ſuccedunt ejus conſanguinei, ſeu uterini fratres, et ſorores, excluſis omnibus Collateralibus, textu expreſſo *in cit. Novella* 118. *cap.* 3. *verſ. His autem non exiſtentibus*; *Et Authent. Poſt fratres autem, Cod. de legitimis heredibus.* 38

Quando defunctus relinquit quoſdam fratres conſanguineos, et etiam quoſdam fratres uterinos, tunc probabilius fratres conſanguinei ſuccedunt in bonis paternis, nempe quæ a Patre defuncto ad eum pervenerunt, et fratres uterini in bonis maternis, nempe quæ a matre defuncta obtinuit, in aliis vero bonis æqualiter, et indiſtincte ſuccedunt. Sic colligitur *ex leg. de emancipatis* 13. *§. Exceptis maternis rebus, Cod. de legitimis heredibus*, ibi: *Exceptis maternis rebus, in quibus ſi de eadem matre, fratres, vel ſorores ſunt, eos ſolos vocari oportet.* Et ſic tenent Gloſſa *in Authent. Poſt Fratres* 1. *verb. Filii eorum Cod. De legitimis heredibus*, et Gloſſ. *in Authent. Itaque verb. Utroque parente, Cod. Communia, de ſucceſſionibus*, et ibi Bartolus, Covarruv. *in cit. Epitome de ſucceſſionibus ab inteſtato num.* 8. *§. Tertio eſt advertendum.* Jaſon *in leg. Poſt Dotem, ff. ſoluto Matrimonio*, Molina *citat. diſput.* 164. *numer.* 7. Pirhing *loc. cit. numer.* 22. et ipſo teſte alii communiter, et hanc ſententiam vocat etiam communiſſimam Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 43. quamvis ipſe *num.* 44. 45. & 46. cum variis aliis defendat oppoſitum. Quæ ſententia eſt vere probabilis, ut fatetur etiam ipſe Pirhing *loc. cit.* eamque propugnant Fachin. Fulgoſus, Corneus, Haunold. Bald. Salicet. et alii cum Reiffenſt. *l. c.* 39 40

Deficientibus omnibus Fratribus, et ſororibus, tam germanis, quam conſanguineis, et uterinis, eorumque omnibus filiis ſuccedunt ab inteſtato reliqui Collaterales ſanguine juncti gradu propinquiores, excluſis remotioribus, et quidem non in ſtirpes, ſed in capita, ſi plures exiſtant ejuſdem gradus, nulla habita diſtinctione, aut differentia ſexus maſculini, aut feminini, agnationis, et cognationis, vel bonorum paternorum, aut maternorum, ſive utrum ex utroque, an ex uno tantum latere ſint conjuncti, quia in iſtis ſola cognatio ſpectatur, textu expreſſo *in Authent. Poſt Fratres* 2. *Cod. de legitimis heredibus, &c. Nov.* 118. *c.* 3. *in fine, & cap.* 4. *per tot.* 41

Ab inteſtato ſuccedere poſſunt omnes cognati gradu proximiores probabilius uſque ad decimum gradum tantum ſecundum computationem civilem. Sic Gloſſa fin. communiter recepta *in Authent. In ſucceſſione, Cod. de ſuis, & legitimis heredib. & cit. Novella* 118. *cap.* 3. *§. final. verb. Cognatos*; & debet heres petens hereditatem probare ſe defuncto intra decimum gradum conjunctum fuiſſe, Schneidevv. *Comm. in Inſtitut. de heredit. quæ ab inteſtato §. De tertio ordine ſuccedentium num.* 40. Pirhing *loc. cit. num.* 23. *verſ. Porro hodie*, & alii, *argument. §. Hoc loco* 5. *Inſtitut. de Succeſſione Cognatorum.* 42

Plures tamen alii ſatis probabiliter cenſent hodie agnatos, & cognatos etiam ultra decimum gradum admitti ad ſucceſſionem in infinitum, excluſo Fiſco dummodo ſuam genealogiam probare poſſint; *leg. Poſt conſanguineos* 2. §. 1. *ff. de ſuis, & legitimis heredibus*, ibi: *Deincepſque ceteri, ſi qui ſunt hinc orti in infinitum*, & concordat *§. Ceterum* 3. *Inſtit. de legitima Agnatorum ſucceſſione*; Tum quia *in cit. Novella* 118. *cap.* 3. *§. final. & cap.* 4. omnes Agnati & Cognati ad hereditatem vocantur juxta gradus prærogativam, nulla facta reſtrictione ad certum gradum, quod idem colligitur ex *leg. Vacantia* 4. *Cod. de bonis vacantibus.* Ceterum recte notat Reiffenſtuel *loco cit. num.* 47. quod inutilis videtur quæſtio, an talis ſucceſſio extendatur uſque in infinitum, an vero ſolum uſque ad decimum gradum? quia ultra decimum gradum caſus ſucceſſionis ab inteſtato vix contingit. 43

Filii adoptivi non ſuccedunt filiis legitimis patris adoptantis, nec aliis agnatis, & cognatis, nec iſti ſuccedunt filio adoptivo, textu claro in *leg. Cum in adoptivis* 10. §. 1. *verſ. Et ideo, Cod. de adoptionibus.* 44





45 Fratres naturales, ſpurii, ac ceteri hujuſmodi naturales ex uno patre, & diverſis matribus provenientibus ſibi invicem ab inteſtato nullatenus ſuccedunt; *leg. Si Spurius, ff. Unde cognati.* Et ſic communis receptiſſima Doctorum teſte Covarruv. *de Matrimon. part.* 2. *cap.* 8. §. 5. *num.* 26. & Reiffenſtuel *loco cit. n.* 10.

46 Neque dicti fratres naturales, & ſpurii ſuccedunt fratri legitime procreato, vel legitimato. Et nec iſti illis, *argum. Novella* 89. *cap.* 4. Cum enim ex dicta Novella filii naturales etiam legitimati ſoli patri, non autem ceteris collateralibus ſuccedant, ſequitur evidenter, quod nec iſti illis ſuccedere poſſint, quia hæc ſucceſſio eſt reciproca, ut cum aliis recte docent Covarruv. *in Epitome de ſucceſſionibus ab inteſtato ad finem*, Reiffenſt. *l. c. n.* 50. & alii.

47 Fratres naturales, ac ſpurii, & cæteri hujuſmodi Collaterales uterini, ſeu ex eadem matre ſuccedunt, & ſibi invicem, & Collateralibus legitime natis, ac ſi legitimi nati eſſent etiam ipſi; *Communis*, textu expreſſo *in l. Hac parte* 2. *& l. Si ſpurius* 4. *ff. Unde Cognati.*

48 Collaterales nati ex damnato coitu, nec ſibi invicem, nec legitimis, nec hi illis ab inteſtato ſuccedere poſſunt, ſive ex parte patris, ſive ex parte matris ſint conjuncti; *Sic Communis Doctorum*, teſte Schneidevv. *lib.* 3. *tit.* 1. *de tertio ordine ſuccedentium numer.* 37. Reiffenſtuel *loc. cit. ſub num.* 51. *argum. Authent. Ex complexu Cod. de inceſtis, & inutilibus nuptiis*, ibi: *Ex complexu nefario, aut inceſto, ſeu damnato liberi nec naturales ſunt nominandi, omni paternæ ſubſtantiæ indigni beneficio, ut nec alantur a patre*, ubi, ut vides, adeo odibiles reputantur taliter nati, ut non ſolum ab omni ſucceſſione, ſed etiam ab alimentatione parentum excludantur, adeoque multo magis a Succeſſione Collateralium.

49 Deficientibus omnibus conſanguineis defuncti, ſive deſcendentibus, ſive aſcendentibus, ſive collateralibus, tunc niſi adſint in contrarium pacta dotalia, aut ſtatuta, ſeu conſuetudines locorum, ſuccedit ſuperſtes conjux, excluſo Fiſco; *Communis*, textu expreſſo *in l. unic. ff. & Cod. Unde vir, & uxor.*

50 Dummodo tamen tempore mortis unius nullum inter eos reperiatur divortium, etiam quoad thorum, vel cohabitationem, textu expreſſo *in cit. l. unic. ff. Unde vir, & uxor*, ibi: *Ut autem hæc bonorum ſucceſſio locum habeat, uxorem eſſe oportet mortis tempore, ſed ſi divortium ſecutum ſit, . . . . . hæc ſucceſſio locum non habet.*

51 Uxor pauper ſuccedit ab inteſtato defuncto marito diviti, etiam extantibus liberis, vel aliis conſanguineis, non quidem in omnibus bonis, ſicuti quando deficiunt omnes conſanguinei, ſed in quartam partem hæreditatis, ſi non ſint plures, quam tres liberi, ſeu conſanguinei, vel ſi quatuor, aut plures extent liberi, ſeu conſanguinei, in portionem virilem, ideſt in tantam portionem, quanta uni ex liberis, vel conſanguineis obtingit, computato tamen in hac portione illo, quod eidem a marito legatum, ſeu relictum eſt; *Authent. Præterea Cod. Unde vir, & uxor, Novella* 57. *cap.* 6. *& Novella* 117. *cap.* 5.

52 Cum hac tamen advertentia, quod ſi uxor pauper ſuccedat marito una cum liberis, ſuccedit tantum quoad uſumfructum ſua vita durante, aſſervata proprietate filiis; Si vero ſuccedit marito cum conſanguineis collateralibus, ſuccedit etiam quoad proprietatem; *Sic citata Jura.*

53 Et ad hoc, ut uxor pauper ſic ſuccedat bonis mariti, debet eſſe vere pauper, ita ut nec habeat ſufficientem dotem, nec alia media, unde honeſte vivere poſſit, alias nihil ei deberetur de bonis mariti; *cit. Authent. Præterea Cod. Unde vir, & uxor*, ibi: *Si ſuperſtes laboret inopia, & cit. Novella* 53. *c.* 6. §. 2. ibi: *Nam ſi aliunde forſan habeat . . . . . non erit juſtum gravare filios per ſucceſſionem.*

54 Inſuper ad hoc, ut Uxor pauper poſſit ſic marito ſuccedere, requiritur, quod tempore mortis mariti nullum fuerit inter eos juſtum divortium, juxta dicta *ſupra numer.* 50. *per cit. leg. unic. ff. Unde vir, & uxor*; Et quod nulla in contrarium adſint pacta dotalia, aut ſtatuta, ſeu conſuetudines locorum, utpote quæ juri communi derogant, *argument. cap. Cum tanto* 11. *de conſuetudine, & l. De quibus* 32. *ff. de Legibus.*

55 Maritum etiam pauperem ſuccedere reciproce cum liberis aut ſanguine junctis uxoris in quartam; vel virilem partem in bonis ipſius præmortuæ divitis uxoris tenent Schneideuu. *l. c. n.* 16. Engel *l. c. n.* 16. Gloſſa *prim. in Authent. Præterea*, & ibi teſte Reiffenſtuel *l. c. n.* 58, Doctores communiter, *arg. cit. Authent. Præterea, Cod. Unde vir, & uxor*, ubi indiſtincte id ſtatuitur de conjuge ſuperſtite, & *Novella* 53. *c.* 6. ubi id expreſſe ſancitur præciſis his verbis: „ Si inops, aut „ vir, aut mulier inveniatur, & moriens, quidem aut vir, „ aut mulier locuples ſit, ille vero, vel illa ſuperſtes pau„ per exiſtat „ & id etiam inferre videtur identitatis ratio, quia ubi eadem eſt ratio, eadem eſt legis diſpoſitio, *l. Illud* 32. *ff. Ad Legem Aquiliam, & c. Inter corporalia, de tranſlat. Epiſcopi*; Cum ratio Legis ſit anima Legis, *l. Cum ratio* 7. *ff. de bonis damnatorum*, Nihilominus dubium movent, ut recte advertit Reiffenſt. *l. c. n.* 63. Noviſſimæ Conſtitutio„ nes *Novell.* 117. *c.* 5. *in fine*, ibi: „ Virum enim in talibus „ caſibus quartam ſecundum priorem noſtram Legem ex „ ſubſtantia mulieris accipere modis omnibus prohibemus „ quæ verba, ut ſubjungit dict. Reiffenſt. conſiderationi legentium præſertim Legiſtarum relinquuntur.

Deficientibus conſanguineis ultra decimum gradum, & uxore, aut viro, ſuccedit ultimo loco Fiſcus in omnibus bonis vacantibus defuncti, ſeu defunctæ; *l. Scire debet* 1. *& l. Vacantia* 4. *Cod. de bonis vacantibus*, Pirhing *l. c. n.* 25. Reiffenſt. *l. c. n.* 59. Engel *l. c. n.* 17. & alii paſſim. Ut autem Fiſcus legitime ſuccedat dictis bonis, debet prius per publicum proclama, ſeu patentes litteras publico in loco affixas vocare omnes, qui in talem hereditatem jus aliquod ſe habere exiſtimant, & ſi intra certum præfixum tempus nullus heres, ſeu Actor comparuerit, tunc omnia dicta bona hæreditaria, tamquam bona vere vacantia Fiſco deferuntur; *l. Si vacantia* 5. *Cod. de bonis vacantibus.* 56 57

Limitatur tamen concluſio quoad bona perigrinorum in locis a ſua patria decedentium ab inteſtato, tunc enim ſi adhibita ſufficienti diligentia pro reperiendis eorum heredibus, nullus heres ob diſtantiam locorum reperiri poſſit, tunc bona apud ipſos reperta non deferuntur Fiſco, nec hoſpiti, in cujus hoſpitio peregrini deceſſerunt, ſed ab Epiſcopo loci in pias cauſas erogari debent textu expreſſo *in Authent. Omnes peregrini, Cod. Communia, de ſucceſſionibus*, & tenet Pirhing. *l. c. n.* 25. Reiffenſt. *l. c. n.* 59. Engel *l. c. num.* 8. & alii communiter. 58

In bona Clericorum patrimonialia, quaſi patrimonialia, induſtralia, & parſimonialia ſuccedunt ab inteſtato eorum legitimi conſanguinei, Gloſa *in cap. Sed hoc* 1. *de ſucceſſionibus ab inteſtato, verb. Tradantur*, Abbas *ibid. n.* 1. Barboſa *ib. n.* 5. Engel. *l. c. n.* 21. Reiffenſt. *l. c. n.* 61. & alii communiter *arg. Cap. Quicumque* 7. *cauſ.* 12. *q.* 4. Cum ſimilibus. 59

Si Clericus conſanguineos ſucceſſionis capaces non habeat, in dicta bona patrimonialia, quaſi patrimonialia, induſtrialia, & parſimonialia ſuccedit Eccleſia, cui ſervivit, ſeu in qua Beneficium habuit, excluſo Fiſco Epiſcopali. Abbas *l. c. n.* 2. & 3. Barboſa *l. c. n.* 2. Engel *l. c. n.* 22. Pirhing. *l. cit. n.* 62. & communis aliorum, per text. expr. *in Cap. Quicumque* 2. *cauſ.* 12. *q.* 3. *cap. Quicumque* 7. *ead. cauſ.* 12. *q.* 5. juncto *c. Sed hoc* 1. *de Succeſſionibus ab inteſtato*, in cujus Summario ſic expreſſe habetur: *Clericus bona propria dare poteſt cui vult, ſed ſi decedat inteſtatus, & non habet conſanguineos, ſuccedit Eccleſia.* 60

Si autem Clericus inteſtatus decedens, nec habeat conſanguineos ſucceſſionis capaces, nec Beneficium habuerit in dicta ſua bona patrimonialia, quaſi patrimonialia, induſtrialia, & parſimonialia ſuccedit Fiſcus Epiſcopalis. Abbas in *cap. Sed hoc* 1. *n.* 1. *& Cap. Sancto Concilio* 2. *n.* 2. *de ſucceſſionibus ab inteſtato*, Engel *l. c. n.* 22. Pirhing *l. c. n.* 27. Reiffenſt. *l. c. n.* 63. cum communi aliorum. Et ratio clare liquet a pari; Sicuti enim deficientibus conſanguineis, & uxore Laici decedentis inteſtati ſuccedit Fiſcus Sæcularis juxta dicta *ſupra numer.* 60. ita etiam deficientibus conſanguineis, & Eccleſia Clerici Sponſa ſuccedit Fiſcus Eccleſiaſticus, cum etiam Epiſcopus ſuum Fiſcum, ac jura Epiſcopalia habeat, ut tradunt Abbas *l. c.* Engel *l. c. n.* 22. Reiffenſt. *l. c. num.* 63. & alii communiter cum Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. num.* 16. per text. *in Cap. Si quis contumax* 20. *& Cap. ſi quis deinceps* 22. *cauſ.* 17. *q.* 4. cum ſimilibus. Epiſcopus tamen in tali caſu non poteſt ſibi ipſi dicta bona appropriare, ſed debet ipſa erogare in pias cauſas. Abbas *in cit. Cap. Sed hoc* 1. *in fine de ſucceſſionibus ab inteſtato*, Reiffenſt. *l. c. n.* 27. & alii paſſim, *arg. Cap. Relatum* 12. *de Teſtam.* 61 62

In bona vero mere Eccleſiaſtica Clericorum, ſeu acquiſita ex Beneficiis Eccleſiaſticis, vel intuitu Eccleſiæ ſuccedit Collegium Clericorum, vel ſucceſſor in Beneficio, ſi Clericus defunctus bona ſeparata poſſidebat, ab eodem tamen in pios uſus fideliter diſtribuenda. Pirhing *l. c. n.* 27. Reiffenſt. 63

*l.c. n.*64. Abbas *in Cap.Relatum* 12. *de teſtam. n.*1. & ibi Doctores communiter, per text. expreſſ. *in cit. Cap.relatum*, ibi:
„ Reſpondemus, quod generaliter bona quælibet per Eccle-
„ ſiam acquiſita eis Eccleſiis debent juxta Lateranenſe Con-
„ cilium poſt acquirentis obitum remanere: Nomine autem
„ Eccleſiæ, non Epiſcopus, vel Succeſſor Clerici morientis,
„ ubi eſt Collegium Clericorum, ſed communis congregatio
„ intelligitur; quæ illarum rerum debet canonicam diſtributio-
„ nem, & curam habere. Ubi autem in loco defuncti tantum
„ unus eſt Ordinandus, is ea bona, ſicut & alia ipſius Eccleſiæ
„ in Dei timore diſpenſet.

64 In omnia bona Religioſorum Profeſſorum, qui de ipſis ante Profeſſionem nihil diſpoſuerunt, ſuccedit, velut ab inteſtato mortuorum morte Civili, Monaſterium, ſeu Ordo Religioſus, ſi ſucceſſionis, & poſſeſſionis in communi ſit capax; Et ratio eſt, quia quidquid acquirit Monachus, acquirit ſuo Monaſterio. *Authent. Ingreſſi*, *&* *Authent. Si qua mulier*, *Cod. de Sacroſanct. Eccleſiis*, *Authent. De ſanctiſſimis Epiſcopis §. Si qua mulier*, *cap.*38. *Collat.*9. *Novella* 123. *&* *Authent. de Monachis §. Illud quoque Cap.*5. *Novella* 5. *Cap. Statutum* 1. *cauſ.*18. *q.*1. *Cap. Abbates* 16. *cauſ.* 18. *qu.*2. *Cap. Quia ingredientibus* 7. *cauſ.*19. *q.*3. *c. In præſentia* 8. *de probat.* cum ſimilibus.

65 Si autem Monaſterium, ſeu Ordo Religioſus non ſit ſucceſſionis, & poſſeſſionis in communi capax, tunc in talia bona ſuccedunt heredes illorum ab inteſtato, perinde ac ſi morte naturali obiiſſent; Cum enim Monaſterium, ſeu Ordo Religioſus non ſit ſucceſſionis capax, ſequitur quod illa bona immediate devolvantur ad proximos cognatos, & heredes ab inteſtato, cum nemo alius jus ad illa habeat; *Communis*.

66 Alia ad rem. Vide verb. *Beneficiatus*, verb. *Heres*, verb. *Filii*, verb. *Parentes*, verb. *Regulares*, verb. *Teſtamentum*.

### *Novæ Additiones ex aliena manu.*

1 ACcidere nonnumquam ſolet ſimul mori eos, qui poſſunt
invicem ſibi ab inteſtato ſuccedere, ex. gr. Parentes,
2 & filios. Intereſt vero determinare quis prius mortuus ha-
3 bendus ſit, idque ut reguletur ſucceſſio. Ita autem pro diver-
ſitate perſonarum dijudicandum reor quoad aſcendentes, &
deſcendentes.

4 Si Pater cum filio impubere ſimul mortuus ſit, creditur Pater ſupervixiſſe; *L.*9. *in fin. ff. de Reb. dub. Frinckelthauſ. obſerv.*52. *n.*9. *&* *ſeq. Zach. q. medic. legal. libr.*5. *titul.*12. *num.* 14.

5 Sunt qui tenent, id obtinere etiamſi filius paululum impu-
bertatem exceſſerit; quum noviſſima pubertatis ætas nondum
6 omni imbecillitate exempta ſit. Tutius vero eſt ſubſiſtere in
terminis a jure præſcriptis; *Fuſar. de fideicom. ſubſtit. q.*416.
*num.* 5.

7 Num idem procedat ſi Pater, & Filius impubes in diver-
ſis Locis perierint, & incertum ſit quis prior deceſſerit? Af-
firmat *Menoch. de Præſumpt. l.*6. *præſumpt.* 50. *n.*33. Negat
8 vero *Donell. in comment. ad L.*9. *§.*1. *ff. de Reb. dub.* Meo
judicio admitti poteſt *Menochii* opinio in his aut ſimilibus ca-
ſibus: quando ambo eidem quidem periculo expoſiti, ſed
ſeparati ſunt, ut puta ſi ambo in eodem Mari, & eodem
tempore naufragium patiantur, ſed tamen diverſis navibus
vehantur, vel etiam ſi Urbe univerſim incenſa in diverſis
ædibus degant, aut diverſis quidem periculis, ſed eodem
9 tempore affligantur. Alias ubi ambobus in diverſis Locis con-
ſtitutis talia pericula non concurrant, prius dicendum erit Pa-
trem juxta ordinem mortalitatis naturalem citius eſſe mor-
tuum; Confer *Maſcard. de Probat. concluſ.* 1344. *num.* 8.
*&* 16.

10 Contra vero ſi cum filio pubere pariter decedat Pater, ſupervixiſſe filius credetur; *Leg.*9. *§.*4. *de Reb. dub.* Idque etiam ſi in bello pereant; *Charond. lib.* 1. *veriſimil. cap.* 31. *numer.* 4.

11 Quod dictum eſt de Patre, & filio ſimul morientibus, locum etiam ſibi vindicat quoad Patrem, & filiam pariter ſimul morientes; *Ecked in commentar. ad titul. ff. de Reb. dub. numer.* 4. tum quoad Matrem cum filiis, aut filiabus decedentem.

12 Quid autem ſi fœmina parturiens una cum partu moriatur, num fœmina, an partus prior mortuus cenſebitur? Vide diſtinctiones *Barry de ſucceſſ. l.*17. *tit.*12. *n.*24. *Peregrin. de fideicommiſſ. art.*43. *n.*26.

Hactenus de aſcendentibus, & deſcendentibus ſimul mo- 13
rientibus. Quod attinet ad Collaterales ſimul obeuntes di- 14
ſtinguendi pariter eſſent plures caſus. At de Fratre, & Soro- 15
re ſimul morientibus, vide *Carpzov. p.*1. *dec.*19. *num.*2. *&*
*ſeq.* De fratribus *L.*18. *ff. de Reb. dub.* De Pupillo cum fratre 16
ſubſtituto *Mejer. in Colleg. Argentoratenſ. ad l.*34. *tit.*5. *theſ.* 17
5. *n.*6. *Ab Eſbach ad Carpzov. p.*3. *c.*17. *de ſin.*13. De dua-
bus Sororibus *Fulgoſ. conſil.*22. *n.*54. *&* *ſeq. Grat. lib.* 2. *Re-
ſponſ.* 6. *num.* 26.

## SUCCESSOR IN BENEFICIO ECCLESIASTICO.

An, & quando teneatur ſtare locationi factæ ab Anteceſſore? Vide verb. *Locatio n.*8. *&* 9.

An, & quando teneatur ſolvere debita Anteceſſoris? Vide verb. *Solutio a n.*11. *ad n.*15. Vide etiam verb. *Melioramenta n.* 32. 33.

## S U F F R A G I A.

SUffragium dicitur a ſuffragando, ſeu auxiliando. Sic
ex S.Thoma *in* 4. *diſt.*45. notat Silveſter *in Summa verb.* 1
*Suffragium n.*1. Suffragium dupliciter accipitur Primo pro 2
voto, quod in electionibus ad Officia, & Dignitates dari ſo-
let, & de ſuffragio ſic accepto ſatis conſtat ex dictis ſub verb.
*Electio*: Secundo pro auxilio, ſeu adjutorio ſpirituali, quo
unus fidelis alterum adjuvat ad obtinendam a Deo remiſſio-
nem pœnæ temporalis, vel aliud ſimile, de quo ſuffragio ſic
ſumpto eſt hic ſermo. Unde ſuffragium ſic acceptum eſt au-
xilium, ſeu adjutorium ſpirituale, quod unus fidelis alteri 3
præbet ad conſequendam a Deo pœnæ temporalis remiſ-
ſionem.

Suffragium ſic ſumptum tripliciter contingere poteſt: Pri-
mo ex opere operato per Sacrificium Miſſæ. Secundo per 4
Indulgentias; Tertio ex opere operantis, nempe per propias operationes bonas, ac ſatisfactorias, ut orationes, jejunia, eleemoſynæ, & hujusmodi. De Suffragio primo modo ſatis conſtat ſub verb. *Miſſa*; De ſuffragio ſecundo modo ſatis patet ſub verb. *Indulgentia*, *&* *Jubileum*; & de ſuffragio tertio modo inſtituitur hic diſcurſus.

Unde hujuſmodi ſuffragium ex opere operantis duobus modis contingere poteſt; Primo per modum ſatisfactionis, prout unus offert pro alio valorem ſatisfactionis, qui eſt in operibus bonis, ad ſatisfaciendum pro pœna temporali; Secundo per modum interpretationis, aut meriti de congruo, prout unus ſuis precibus, aut orationibus impetrat a Deo, ut alteri concedat auxilium ad reſurgendum a culpa, & ad obtinendam remiſſionem debitæ temporalis pœnæ. *Sic in re Doctores communiter* poſt S.Thomam *in* 4. *diſtinction.*45. *quæſt.* 2. *articul.* 1. 5

Perſonæ fideles, quibus hæc ſuffragia applicari poſſunt, ſunt duplicis tantum generis, nempe fideles vivi, & fideles defuncti in Purgatorio exiſtentes; Beati enim in Paradiſo nullis indigent ſuffragiis; Damnati autem in Inferno horum ſunt penitus incapaces. 6

Certum igitur de Fide eſt dari inter fideles ſuffragiorum communicationem, ideſt communicationem bonorum operum, quibus ipſi fideles ſe ſe mutuo juvare, ac ſibi invicem ſuffragari poſſunt: id enim habetur clariſſime in Symbolo Apoſtolorum per illa verba *Credo Sanctorum Communionem*; Cujus Articuli verus ſenſus juxta communem Catholicorum Theologorum eſt, quod detur in Eccleſia Communio bonorum operum inter homines juſtos, quibus ſibi invicem ſuffragari poſſunt: Homines enim juſti ſunt membra unius Myſtici corporis Eccleſiæ ſub uno capite Chriſto; Unde ad *Epheſias* 4. comparat Apoſtolus Eccleſiam Corpori humano, in quo ſicuti unum membrum ſanum alteri præbet auxilium, ita etiam in Myſtico corpore Eccleſiæ unus homo juſtus alteri auxilium præſtare poteſt per bona opera; Et hoc etiam expreſſe colligitur ex illo Pſalmiſtæ *Pſal.*18. ibi: *Participes ego ſum omnium timentium te*, *&* *cuſtodientium mandata tua*, & ex illo *Ad Romanos* 15. ibi: *Obſecro vos fratres per Dominum Jeſum Chriſtum*, *&* *Caritatem Spiritus Sancti*, *ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum*, & ex illo *Jacobi* 5. *Orate pro invicem*, *ut ſalvemini*; *multum enim valet Oratio juſti aſſidua*. 7

Unde



8 Unde poſſunt fideles juſti ſe invicem vivos juvare per ſuffragia ad ſatisfaciendum pro pœnis temporalibus debitis pro peccatis quo ad culpam jam dimiſſis. *Communis*, *ac certa* inter Catholicos, contra Hæreticos; Idque expreſſe docet Catechiſmus S.Pii V. *in fine de Sacramento Pœnitentiæ*, ubi ſic expreſſe dicit: *In eo ſumma Dei bonitas*, *&* *clementia maximis laudibus*, *&* *gratiarum actionibus prædicanda eſt*; *qui humanæ imbecillitati hoc condonavit*, *ut unus pro alio ſatisfacere poſſit*.

9 Fideles poſſunt ſuffragari, & juvare ſuis bonis operibus etiam defunctos qua ad remiſſionem pœnæ temporalis in Purgatorio exſolvendæ. *Eſt de fide*, & patet expreſſe ex 2.*Machab. Cap.*12. ibi: *Sancta ergo* *&* *ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare*, *ut a peccatis ſolvantur*: Et hæc veritas definita eſt in pluribus Conciliis, quæ refert Maſtrius *Theol. moral. diſp.*23. *q.*5. *art.*1. *n.*7. & expreſſe in Concil. Trid. *ſeſſ.*25. *in Decreto de Purgatorio*, ibi: *Cum Eccleſia Catholica Spiritu Sancto edocta ex ſacris Litteris*, *&* *antiqua Patrum traditione in Sacris Conciliis*; *&* *noviſſime in hac Oecumenica Synodo docuerit Purgatorium eſſe*, *Animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis*, *potiſſimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari*.

10 Hinc omnino pium eſſe, nec Divinæ Juſtitiæ aut perfectioni contrarium ſatisfactiones a nobis offerri pro Animabus Purgatorii recte ex Scriptura, & PP. & ſenſu univerſalis Eccleſiæ oſtendit contra aliquos Raynaudus in *Heter. tract.* 15. *part.*2. *ſect.* 1. *punct.* 1. *&* *ſequent.* & iterum *punct.* 10. *&* 11. ubi contraria argumenta ſolvit, & ſic tenent etiam La Croix *lib.*6. *part.* 2. *num.* 1336. Kazenberger *in Supplement. Theol. Sacramental. Patris Sporer*, *Append. de Suffragiis §.*2. *n.* 246. & alii.

11 An autem laudabilius ſit ſatisfactiones omnium ſuorum operum totius ſecuturæ vitæ ſuæ transferre in Animas Purgatorii, vel ſibi retinere? Variant Doctores. Raynaudus enim *loco citat. ſect.*2. *punct.* 2. Arriaga *d.* 40. *ſect.* 2. cum quibus inclinat La Croix *loco cit. num.* 1336. & alii docent, id eſſe minus laudabile, & fore prodigalitatem venialiter malam contra Caritatem propriam, & amorem Deo debitum, quia eſt velle Deum prius, & potius laudari ab alio, quam a ſe; quod videtur eſſe hominis minus amantis Deum. Econtra autem Hautinus *in Patr. defunct. a num.*627. citans pro ſe Sanctum Thomam, Suarez, & Lugo fuſe contendit id eſſe laudabilius, quia per illum actum Caritatis plus meretur gratiæ, & conſequenter gloriæ ſibi, & Deo per totam æternitatem: Quod & admittunt, ut revera admittendum eſt etiam Auctores primæ ſententiæ de eo, qui multo reatu onuſtus morti proximus applicat alteri, ſeu Animabus Purgatorii omnes ſatisfactiones ſuas, advertens ſe per id facere actum, qui merito, & dignitate ſua damnum illud compenſet, nam ex caritate transferens, auget ſuam gratiam, qui eſt fructus æternus longe pretioſior.

12 Si quis vivens applicet Animabus Purgatorii omnes Miſſas, preces, & ſatisfactiones pro ſe defuncto offerendas, probabilius invalide applicat. Raynaudus *loco cit.* La Croix *loco cit. num.* 1334. Kazenberger *loco cit. num.* 246. & alii; Et ratio eſt, quia applicatio operis non eſt in poteſtate illius, pro quo offertur, ſed pendet ab intentione operantis: Offerens autem, qui ſuo tempore offeret pro tali defuncto, non offeret ad dictam talis defuncti intentionem, ſed offeret, ut ei proſit; Ideoque ſi ei prodeſſe poterit, proderit, ſi autem prodeſſe non poterit, et offerens non ſubſtituat aliam intentionem, a Deo diſtribuentur ſecundum interpretativam intentionem, et voluntatem facientis, et offerentis opus, ut in ſimilibus cum S. Thoma tenent Paſqualig. *quæſt.* 86. Raynaudus *loco cit. p.* 1.
13 *num.* 32. et alii; Quamvis Kazenberger *loco cit.* et alii apud La Croix *loc. cit. num.* 1330. dicant, quod tunc vel proderunt ipſi operanti, vel reponentur in communem Theſaurum Eccleſiæ; Hautinus autem *in Patr. Defunct. a num.* 627. citans pro ſe Sanctum Thomam, Suarez, et Lugo, ut refert La Croix *lib.* 2. *num.* 179. fuſe contendit nedum id valide fieri, ſed etiam laudabilius eſſe, quia per actum illum Caritatis plus meretur Gratiæ, et conſequenter Gloriæ ſibi, et Deo per totam æternitatem. Quod tamen Arriaga *d.* 40. *ſect.* 2. concludit minus eſſe laudabile, quia eſt velle Deum potius laudari ab alio, quam a ſe, quod videtur eſſe hominis minus amantis Deum.

14 Suffragia necdum exhibita, etiamſi certo ſint exhibenda, nunc non proſunt Animabus in Purgatorio. *Sic Communis*, *&* *certa Doctorum* cum Raynaudo *loco citato part.* 3. *nu.* 43. La Croix *loco cit. n.*1340. et Kazenberger *l. cit. n.* 247. Nec hoc indiget probatione.

Per ſe loquendo utilius eſt Animabus, ſi ſtatim magna copia ſuffragiorum pro illis offeratur, quia ſolum illis ſuffragia proſunt, ſi ſint actu exhibita, non autem, ſi ſint, quamvis certo, exhibenda. Per accidens tamen poteſt eſſe laudabilius fundare Miſſam perpetuam, cum poſſit eſſe magis ad Dei gloriam, ut populus in perpetuum certo die, et loco Miſſam pro commoditate habeat; Raynaud. *loc. c. a n.*47. La Croix *l. cit. a n.*1341. et alii paſſim. 15

Communio oblata pro Animabus Purgatorii de ſe non prodeſt ipſis: niſi in quantum actus adjuncti ſunt ex opere operantis impetratorii, vel ſatisfactorii. Sic fuſe demonſtrat Raynaud. *tom.*6. *opuſcul.*6. *de communione pro mortuis*, et ſequitur La Croix *l. c. n.* 1344. et alii. 16

Reſtitutio eorum, quæ defunctus abſtulerat, aut adimpletio votorum, quæ non expleverat, quamvis per accidens prodeſſe poſſint ratione piorum actuum, quos heredes nunc eliciunt pro defuncto, tamen de ſe nihil conferunt ad liberationem Animæ. Sic S. Thomas, Navarr. Sotus, Bellarminus, Suarez, Molina, Valentia, Raynaudus citati, et ſecuti a La Croix *loco cit. num.* 1345. ubi dicit hanc concluſionem eſſe contra paucos; Et ratio eſt quia vel defunctus ante mortem fecit quod potuit, et non ideo diutius patietur; vel id neglexit, et ideo patietur, quantum promerita eſt ipſius negligentia, non obſtante, quod ejus heredes ſuis dictis omiſſis obligationibus ſatisfaciant, *argument. cap. Mora ſua* 25. *de Regul. Juris in* 6. *&* *leg. In condemnatione* 173. *§.*2. *ff. de Regul. Jur.* 17

Sic econtra negligentia heredum in tali reſtitutione, & 18
adimpletione votorum facienda non obeſt ejus Animæ in
Purgatorio exiſtenti, quia heredum negligentia non eſt culpa
ad ipſum pertinens. Et rem, quæ culpa caret, in damnum vo-
cari non convenit, textu expreſſo *in cap. Cognoſcentes* 2. *de*
*Conſtitutionibus*; Cum peccata ſuos debeant tenere Auctores,
*cap. Quæſivit* 2. *de his*, *quæ fiant a majori parte Capituli*, *leg.*
*Sancimus* 22. *Cod. de pœnis*; Nec debeat aliquis alterius odio
prægravari, *cap. Non debet* 22. *de Regulis Juris in* 6. *&* *leg.*
*Non debet* 74. *ff. de Regulis Juris*. Sic Doctores citati *num.* 19
*antecedent.* Quamvis tamen varii alii apud Maſtrium *in Theo-
logia moral. diſputat.* 24. *quæſt.* 3. *articul.* 3. *num.* 69. affir-
ment dilationem reſtitutionis a Teſtatore relictæ obeſſe ejus
Animæ in Purgatorio exiſtenti, & eſſe cauſam longioris dila-
tionis in illis pœnis; Unde S. Birgitta *lib.* 6. *Revelationum*
*capit.* 65. affirmat tandiu Animam cruciari in Purgatorio, do-
nec reſtituatur ablatum; & huic opinioni favent revelationes
quædam Animarum defunctorum, quæ vivis apparuerunt, &
ab heredibus ſuorum debitorum reſtitutionem fieri petierunt,
ut a Purgatorio liberarentur.

Uſus Cereorum ardentium prodeſt defunctis, in quantum conjuncti, & amici nomine defuncti proteſtantur ſe confiteri Chriſtum eſſe verum lumen, & ex ejus meritis ſperare miſericordiam. Raynaud. *l. cit. ſect.*3. *punct.*11. *q.*7. La Croix *loco citato n.*1347. Kazenberger *loco cit. n.*250. & alii. 20

Aſperſio Aquæ benedictæ prodeſt defunctis propter preces Eccleſiæ, quia benedicendo petit prodeſſe etiam ad condonationem pœnarum. Raynaud. *loco cit. q.* 5. La Croix *l. citat. n.*1347. Kazenber. *l.c. n.*250. & alii. 21

Incenſatio Thuris prodeſt, in quantum orat Eccleſia, ut anima paſcatur odore cæleſti. La Croix *l. c. n.*1347. Kazenber. *l. c. n.*250. Raynaudus *l.c.* & alii. 22

Campanarum pulſus non juvat defunctis niſi indirecte, quatenus movet audientes ad orandum, ſeu ſuffragia offerendum pro defuncto. Raynaud. *l. c. punct.*7. La Croix *l.c. n.*1346. Kazenberger *l. c. n.*249. & alii. 23

Sepultura in loco Sacro prodeſt defunctis, partim quia preces publicæ Eccleſiæ, quæ in tali loco funduntur, extenduntur etiam ad inibi ſepultos, & partim quia cum fideles frequentius illuc conveniant, frequentius excitantur ad orandum pro ipſis. Rayn. *loco citat. punct.* 12. *quæſt.* 3. Kazenberger *loco cit. n.*250. La Croix *l. c. n.*1347. & alii; *arg. cap. Fraternitatem* 3. *de ſepult.* 24

Ut ſuffragium habeat ſuum effectum, tres conditiones requiruntur in eo, pro quo ſuffragium offertur; Prima, quod indigeat ſuffragio, ideſt ſit debitor alicujus pœnæ temporalis, quia ubi nulla reſtat talis pœna ſolvenda, nullum etiam requiritur ſuffragium pro ejus exſolutione. Secunda, quod ſit in ſtatu gratiæ, quia qui eſt in peccato mortali, utpote membrum mortuum, non poteſt recipere ſubſidium, ſeu ſuffragium ab aliis membris vivis: Tertia, quod peccata, pro quibus ſatisfa- 25

ctio, ſeu ſuffragium exhibetur, jam ſint deleta quoad culpam, quia non remittitur pœna antequam ſit remiſſa culpa, pro qua eſt pœna promerita. *Communis*.

26 Item, ut ſuffragium ſuum ſortiatur effectum, tres conditiones requiruntur etiam ex parte illud offerentis. Prima quod ſit in ſtatu gratiæ, quia exiſtens in peccato mortali indignus eſt remiſſione culpæ, & pœnæ, adeoque impotens eſt ad obtinendam aliis remiſſionem pœnæ temporalis per ſuffragia ex opere operantis, ac nomine proprio exhibita, Licet tamen id poſſit per ſuffragia ex opere operato, ac nomine, & in perſona Eccleſiæ oblata, ut Miſſarum ſacrificia, Indulgentiæ, & Divina Officia in perſona Eccleſiæ a Sacerdote oblata, quæ ſuum ſortiuntur ſuffragandi effectum, non obſtante Offerentis peccato. Secunda, quod Offerens habeat intentionem offerendi, & applicandi ſuffragium pro eo, cui prodeſſe intendit, & talis intentio, ſeu applicatio, opus bonum præcedat, & non ſubſequatur. Tertia, quod Suffragium ſit opus, quod ex ſe vim habeat ſatisfaciendi ideſt habeat valorem & pretium ad ſolvendum debitum illius, pro quo offertur, ut ſunt Oratio, Jejunium, & Eleemoſyna, ſub quibus omnes aliæ operationes pœnales, & ſatisfactoriæ comprehenduntur. *Sic Doctores communiter*.

27 Generales, & Provinciales Ordinum Regularium poſſunt extra Religionem ſpecialibus ſuis Benefactoribus, ſive Sæcularibus, ſive Eccleſiaſticis communicare, & applicare omnia bona ſpiritualia, ſeu ſuffragia ſui Ordinis, ſive omnium Religioſorum ſibi ſubditorum ex ſpeciali privilegio ab Urbano V. conceſſo Generalibus, & Provincialibus Ordinis Minorum, prout habetur *in Monumentis Ordinis ſecundæ impreſſionis fol.* 261. & *in Compendio Privilegiorum verb. Indulgentiæ quoad ſæculares quarto numer.* 6. nempe: *Ut Generales, & Provinciales totius Ordinis Minorum poſſint communicare ſuffragia, Indulgentias, Orationes, & bona ſpiritualia Benefactoribus Ordinis*. Et id communiter fieri ſolet concedendo eis Litteras, quas vocant *Filiantias*, ſeu *Litteras Filiationis*, vel *Fraternitatis*, aut *Suffragia Ordinis*.

28 Dicta communicatio omnium bonorum operum, ſeu ſuffragiorum Ordinis per hujuſmodi *Filiantias*, ſeu *Litteras Filiationis*, vel *Fraternitatis* a Regularibus Prælatis ſpecialibus ſuæ Religionis Benefactoribus conceſſas multipliciter ipſis prodeſt; In primis quidem per modum cujuſdam meriti de congruo, cum omnino congruum ſit, quod ob multiplicia merita Religionis, in cujus *Filiationem*, ſeu *Fraternitatem* dicti ejuſdem ſpeciales Benefactores ſunt aſſumpti, Deus peculiari auxilio, & protectione foveat, defendat, atque cuſtodiat; Ratio enim amicitiæ poſtulat, ut Deus propter amicos ſuos ſpecialia beneficia conferat etiam aliis, qui amicitia, & fraternitate illis conjuncti ſunt: Propter enim decem juſtos, ſi ibi inventi fuiſſent, pepercisset Dominus Sodomæ, & Gomorrhæ, ac finitimis Civitatibus; *Geneſ.* 18.

29 Item talis Communicatio prodeſt illis per modum impetrationis, in quantum aſſiduæ Orationes, pia, & Religioſa exercitia, Divinaque Officia, quæ diu, noctuque in Religione peraguntur, poſſunt de congruo mereri, & impetrare, ut Deus Confœderatis illis ſpecialia gratiæ auxilia conferat, quibus a peccatis præſerventur, & ſi in ipſis ſint, ab eis avocentur atque ab omnibus animæ, & corporis malis liberentur.

30 Item talis communicatio prodeſt illis per modum ſatisfactionis, quia in Religioſis Ordinibus ultra plurimas Miſſas, multipliceſque preces, & continua Divina Officia, peraguntur propemodum infinita opera pœnalia, atque ſatisfactoria, ut jejuniorum, vigiliarum, abſtinentiarum, pœnitentiarum, diſciplinarum, mortificationum, peregrinationum, prædicationum, lectionum, meditationum, obſervantiarum, laborum, devotionum, & hujuſmodi, quæ applicantur pro Fratribus, Benefactoribus, ipſiſque Confœderatis, tam vivis, quam defunctis.

31 Tandem talis communicatio prodeſt illis, quia Regulares in caſu mortis alicujus ſui ſpecialis Benefactoris habentis dictam *Filiantiam*, ſeu Suffragia Ordinis poſſunt unica Miſſa per modum Suffragii ipſius Animam liberare a pœnis Purgatorii ex conceſſione Clementis VIII. facta Minimis, & conſequenter omnibus aliis communicantibus cum eis, quæ habetur *Tom.* 2. *Privilegiorum ejuſdem Ordinis Conſtitut.* 10. *dicti Clementis VIII.* Et referunt Peyrinus *ad dictam Conſtitutionem n.*2. Baſſæus verb. *Suffragium n.*2. Reiffenſt. *Theolog. moral. tractat.* 12. *q.*7. *n.*88. & alii paſſim.

## SUPERBIA.

1 SUperbia ut ſic dicitur ex eo, quod quis in donis naturalibus, vel ſupernaturalibus inordinate appetat ipſe excellere, vel eminere *ſupra alios*, ac velut *alios ſuperare*; ſuperbia enim ſic dicitur a *ſuper*, & *ire*, quia Superbus ſuper alios, & ſupra ſuam menſuram ire vult; Unde Superbia eſt appetitus inordinatus propriæ excellentiæ ſuper alios; *Ita in re Communis*. 2

3 Superbia completa, & conſummata, ſeu in ſuo genere perfecta, eſt, qua quis inordinate ita excellere, ſeu eminere appetit ſuper omnes, ut nec ipſi Deo, nec Superioribus eorumque Legibus ſubjici velit; & eſt peccatum mortale, & diabolicum, pœna æterna Inferni meritiſſimum; Unde de ſic ſuperbo Lucifero *Iſaiæ cap.* 14. habetur: „ Detracta eſt „ ad Inferos ſuperbia tua .... qui dicebas in corde tuo: „ In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium „ meum .... aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis „ ero Altiſſimo.

4 Item peccatum mortale eſt ſuperbia, cum quis exiſtimat habere ex ſe, & non a Deo bona gratiæ, naturæ, & fortunæ juxta illud Superborum relatorum *Deuteronomii cap.* 32. *n.*27. ibi: „ Ne forte ſuperbirent ..... & dicerent: Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia „. Unde Apoſtolus 1. *ad Cor. c.* 4. contra ſimilem ſuperbum ſic invehit: *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

5 Item peccatum mortale eſt Superbia, cum quis cognoſcit quidem ſe a Deo talia bona habere, ſed ex ſuo merito, & juſtitia, & non ex liberalitate Dei; *Communis*.

6 Item peccatum mortale eſt ſuperbia, quoties eſt conjuncta cum gravi contemptu, & notabili damno proximi, ut ſi quis ſuperbiendo de ſua excellentia, valde aſpernetur, & reprobet tamquam vilem proximi ſtatum, & conditionem, & ſe extollendo ſuper alios in aliqua profeſſione, ut Legiſtæ, Medici, Concionatoris, & hujuſmodi, injuſtum, & grave damnum aliis cauſet; *Communis*.

7 Quamvis plures ſoleant aſſignari filiæ ſuperbiæ, ut jactantia, oſtentatio, hypocriſis, inobedientia, pertinacia, diſcordia, curioſitas; tres tamen ſunt ejus filiæ præcipue, nempe Vanagloria, Præſumptio, & Ambitio. *Sic Doctores Communiter*.

8 *Vanagloria* eſt appetitus inordinatus manifeſtationis propriæ excellentiæ, ſeu humanæ laudis, & gloriæ. Et hæc ex genere ſuo, & per ſe eſt ſolum peccatum veniale; quamvis poſſit fieri peccatum mortale per accidens ratione materiæ, ſi nimirum gloriatio fiat de re mortaliter mala, vel ratione notabilis damni proximo illati. *Communis*.

9 *Præſumptio* eſt appetitus inordinatus aggrediendi aliquid ſupra proprias vires; Unde ille dicitur præſumptuoſus, qui tentat dicere, vel facere aliquid ſupra id, quod poteſt. Per ſe, & ex genere ſuo eſt tantum peccatum veniale; Poteſt tamen fieri mortale per accidens, ſi inde immineat periculum gravis injuriæ Dei, notabilis damni proximi, aut ſalutis propriæ; Sicque graviter peccat, qui præſumit quærere, & exercere Officium Judicis, Conſiliarii, Medici, Confeſſarii, Lectoris, Magiſtri, & hujuſmodi ſine ſufficienti ſcientia. *Communis*.

10 *Ambitio* eſt appetitus inordinatus propriæ excellentiæ in honoribus, vel Dignitatibus non debitis, vel debito majoribus; Per ſe, & ex genere ſuo eſt ſolum peccatum veniale; At vero poteſt fieri peccatum mortale per accidens, vel ratione materiæ, ut ſi quis ambiat dignitatem, notabiliter ſit indignus; Vel ratione circumſtantiarum, ut ſi modo, vel medio mortaliter malo, puta per ſubornationem, per ſimoniam, & hujuſmodi quærat quis fieri Superior, ſeu Prælatus; Vel ratione damni proximo illati, ut cum quis cum alterius notabili damno, & gravi injuria vult Officium, ſeu Beneficium, obtinere. *Communis*.

11 Unde de primo ad ultimum, quamvis ſuperbia completa, & conſummata, ſeu in ſuo genere perfecta, & proprie capta, ſit peccatum mortale, ut patet ex dictis *ſupra num.* 3. *& ſeq.* Tamen ſuperbia imperfecta, & late accepta, qua quis non renuens ſubjici quibus debet, in ſuo duntaxat interno affectu ſe ſe magnificat, eſt tantum veniale peccatum, quia ſine Dei contemptu, & proximi notabili deſpectu, aut damno ſe plus juſto efferre non eſt adeo gravis inordinatio; adeoque per ſe & ex ſuo genere non excedit peccatum veniale, ut tradunt paſſim Doctores: Et talis ſuperbia late dicta, quæ proprio nomine dicitur *Philautia*, quamque Scotus *in* 2. *diſſ.* 6. *q.* 2. vocat Luxuriam quamdam ſpiritualem, conſiſtit in immoderata propriæ perfectionis complacentia nullo habito ad alios reſpectu.



## SUPERIORES.

*Additio Auctoris e II. Editione.*

1 SUperiores Regulares exacte obſervare debent Sancita in
Decretis Clementis VIII. & in ſuis peculiaribus Conſti-
tutionibus in Tyronum admiſſione. Bened. XIV. tom. 2.
2 Conſtit. 47. incip. *Si datam*. Superiorum conſenſus requiri-
tur a S. Sede, in concedendis diſpenſationibus pro Regula-
ribus. Idem *ibid.*
Superiores Regulares non poſſunt ſuis ſubditis concedere
3 Litteras Dimiſſorias ad recipiendos Ordines ab alio, quam
ab Epiſcopo Diœceſano, niſi hic a Diœceſi abſit, vel Ordi-
nationes in Temporibus non ſit habiturus. Idem Conſt. 27.
incip. *Impoſiti Nobis.* Eorum Dimiſſoriæ nullæ declarantur,
niſi adjuncta habeant documenta ſubſcripta a Vicario Gene-
rali, vel Cancellario, aut Secretario ejuſdem Epiſcopi de ejus
abſentia a Diœceſi, ſive quod Ordinationes non ſit habiturus.
Idem *ibidem.*
Superiores Regulares Monaſteriorum Monialium, bis, aut
4 ter in anno Confeſſarium extraordinarium offerre tenentur
5 univerſæ Communitati. Idem Conſtitut. 56. incip. *Paſtora-*
6 *lis curæ*. Et quidem ſemel ſaltem in anno hujuſmodi Con-
feſſarium deputare debent e Clero ſæculari; vel ex alio Ordi-
7 ne Regulari. Idem *ibid.* Singulis autem Monialibus peculia-
rem Confeſſarium extra Ordinem in pluribus caſibus denega-
re non debent. Idem *ibid.* Vide *verb. Confeſſarius.*
8 Superiores Regulares non ſe opponentes Regularibus pe-
tentibus Profeſſionis nullitatem, Officio ſuo deeſſe cenſen-
9 tur. Idem Conſtitut. 47. incipien. *Si datam*. Superior Re-
gularis una cum Ordinario Loci, cognoſcere debet cauſas
ſuper nullitate Profeſſionis Regularis inter quinquennium
promotas, ſive actio ſit a Religione intentata, ſive a Profeſ-
10 ſo. Idem *ibid.* Idem ſtatuitur ſi cauſa intra quinquennium
legitime introducta, poſt quinquennium denuo inſtauretur.
Idem *ibid.*
11 Superior Regularis ſimiliter cum Ordinario cognoſcere de-
bet cauſas nullitatum Profeſſionum Monialium ſibi ſubjecta-
12 rum. Idem *ibid.* Superior Regularis ad effectum cognoſcen-
di cauſas ſuper tali nullitate Profeſſionis, eſt Prælatus Mona-
ſterii, cui concreditum eſt univerſum Monaſterii regimen,
13 non autem Confeſſarius Monialium. Idem *ibid.* Superior
Regularis Conjudex in hujuſmodi cauſis exiſtens, juri ſuo
cedere nequit, ſed alium poteſt ſubdelegare. Idem *ibid.*
14 Superiore Regulari diſſentiente a judicio Epiſcopi in cau-
15 ſa nullitatis Profeſſionis, cauſa devolvitur ad S. Sedem.
Idem. *ibid.* Superior Regularis alius a primo, una cum Ju-
dice ſecundæ, aut ulterioris inſtantiæ ſemper in cauſis hujuſ-
16 modi judicare debet. Idem *ib.* Si in loco Judicii ſecundæ, aut
ulterioris inſtantiæ non adſit Superior Regularis ejuſdem
Ordinis, aſſumendus erit Superior Monaſterii vicinioris ipſius
Ordinis, vel alius Judex Eccleſiaſticus deputandus ab eo,
ad quem pertinet, nempe a Superiore, ad quem pertinet,
ſuas vices ad hunc effectum ei delegante. Idem *ibid.*
17 Superior Regularis in cauſis nullitatis Profeſſionis non ad-
mittitur ad judicium ferendum, quum cauſa apud S. Sedem
judicatur quacumque de cauſa. Idem *ibid.* Etiamſi agatur de
18 cauſa infra quinquennium promota. Idem *ibid.*
19 Superiores Regulares, & non Parochi, debent exquirere
a ſuis familiaribus, & continuis commenſalibus, eiſque actu
inſervientibus, an præcepto Paſchalis Communionis ſatisfe-
cerint. Sic. *S. Cong. Concil.* ex Bullario Ord. Prædicatorum
*tom.*7. *pag.*322. *Conſtit.*69.

## SUPERSTITIO.

1 SUperſtitio, ſic dicta, eo, quod homines nimirum timerent iram Deorum ſuperne imminentem, quaſi ſuperſtantem, ut ex aliis obſervat Gobat *tom.*3. *part.* 4. *de Superſtitionibus num.*896. definitur, quod ſit vitium Religioni oppoſitum ſecundum exceſſum, quo quis Divinum exhibet cultum, vel quem non debet, ſeu modo indebito, vel illi, cui non debet. *Ita in re Communis*.

2 Unde Superſtitio eſt duplex, una *ratione rei cultæ*, quæ coli non deberet; cum ſcilicet cultus Deo debitus falſo Deo, ſeu Creaturæ tribuitur; & alia *ratione cultus*, indebiti ſcilicet, ſeu incongrui, vel inconvenientis, quo verus Deus quidem colitur, ſed cultu, & modo indebito, tribuendo ei cultum falſum, vel ſuperfluum, aut indecentem contra, vel præter Eccleſiæ conſuetudinem, ac præſcriptum. *Sic in re Doctores Communiter*.

3 Hinc ſuperſtitio *ratione cultus* dividitur in tres ſpecies, ſcilicet in ſuperſtitionem *cultus falſi*, in Superſtitionem *cultus ſuperflui*, & in ſuperſtitionem *cultus indecentis*.

4 Superſtitio *cultus falſi* eſt Deum colere Judaicis, aut Mahumeticis cæremoniis, ut per circumciſionem, immolationem Agni, & hujuſmodi, quæ ſignificant Chriſtum adhuc venturum, & nondum veniſſe; Item falſas Reliquias intrudere adorandas, falſa miracula prædicare, aut imprimere, falſas revelationes fingere, & hujuſmodi; Et hæc ſuperſtitio ex genere ſuo eſt peccatum mortale, quia gravem injuriam, & irreverentiam irrogat Deo primæ veritati, & Religionem fundat in falſitatibus; Quamvis tamen interdum poſſit in aliquibus excuſare ignorantia, & ſimplicitas. *Sic Doctores paſſim*.

5 Superſtitio *ſuperflui cultus* eſt Deum colere ritibus, ſeu Cæremoniis ad ipſius Dei gloriam, & ad Spiritus devotionem excitandam non inſervientibus, uti in Miſſa plures formare Cruces, pluris repetere *Alleluja*, dicere *Gloria*, vel *Credo* contra Rubricas, aliaſque non præſcriptas addere Cæremonias; Item Miſſam audire cum certo numero, & ordine cereorum in tali ſitu, & diſpoſitione corporis, & alia hujuſmodi præter, vel contra conſuetudinem, & præſcriptum Eccleſiæ. Et hæc Superſtitio, ſecluſo ſcandalo, & Eccleſiæ contemptu ac mala intentione agentis, ordinarie eſt tantum peccatum veniale, quia eſt materia levis, & actio ex ſe non mala, & multa excuſat ſimplicitas. *Ita Communis Doctorum*.

6 Superſtitio *cultus indecentis* eſt Deum colere verbis, factis, & rebus potius ad ejus offenſam, quam ad ejus gloriam, & laudem inſervientibus uti in Divinis Officiis adhibere Muſicam, cantum, tonum, vocem, verba, geſtus, inſtrumenta, & alia hujuſmodi, quæ potius ad laſciviam, ſeu impuritatem provocent, quam Dei laudem, & populi devotionem excitent, & hæc ſuperſtitio, ſecluſa magna indecentia, gravi ſcandalo, prava intentione agentium, & periculo animarum, non eſt peccatum mortale: (a) Secus autem ſi talia intervenirent. *Sic Doctores Communiter*.

7 Superſtitio ratione *rei cultæ* dividitur in quinque ſpecies, nempe in Idololatriam, Magiam, Divinationem, Vanam obſervantiam, & Maleficium.

8 *Idololatria* eſt ſuperſtitio, qua cultus ſoli Deo, ſeu Creatori debitus tribuitur Creaturæ: Unde Apoſtolus *ad Romanos* 1. ſcribit: *Servierunt Creaturæ potius, quam Creatori*.

9 Idololatria eſt triplex, *Prima* eſt Idololatria externa ſimul & interna, quoad exiſtimationem, & affectum; Et eſt, cum quis, & intellectu exiſtimat erronee Creaturæ aliquid ineſſe Divinitatis, & voluntate intendit eam colere, & hæc eſt Idololatria perfecta, & ſemper conjuncta cum infidelitate, ſicque duplex peccatum mortale includit, infidelitatis contra fidem, & ſuperſtitionis contra Religionem: Nec abſolvi poteſt a Confeſſario non habente ſpecialem facultatem abſolvendi ab Hæreſi. *Secunda* eſt Idololatria externa ſimul, & interna quoad affectum tuum, non quoad exiſtimationem; Et eſt, cum quis cognoſcit quidem Idolis nihil ineſſe Divinitatis, & unicum tantum ac verum Deum agnoſcit, & confitetur, ſed tamen ex pravo affectu, cupiditate nempe aliquid a Diabolo impetrandi, Idolis, vel ipſi Dæmoni voluntarium cultum externum tamquam Deo defert, qualis ordinarie eſt Idololatria, ſeu potius Dæmonolatria Sagarum, & Magorum: Et ob hanc Idololatriam non incurritur Excommunicatio in Bulla Cœnæ, ſed ſolum Excommunicatio lata a Joanne XXII non

(a) Deum colere verbis, factis, & rebus potius ad ejus offenſam, quam ad ejus gloriam, & laudem inſervientibus, atque ad laſciviam, ſeu impuritatem potius provocantibus, quam Dei laudem, et populi devotionem excitantibus, peccatum mortale minime eſſe, affirmari neutiquam poteſt, niſi vera Religionis notio penitus ſubvertatur. Heinc corrigenda eſt Auctoris ſententia ſub hoc numero tradita, nec abſque aliqua limitatione ſuſcipienda videntur ea, quæ ſtatuuntur ſub num. 4., et 5.

non reſervata Pontifici, ut habetur in Directorio Inquiſitorum: adeoque a quovis legitimo Confeſſario abſolvi poteſt, ut notat Sporer *tom.* 1. *tract.* 2. *in* 1. *Præcept. Decalog. cap.* 9. *ſeſſ.* 1. *num.* 4. *Tertia* eſt Idololatria externa, & ſimulata tantum; Et eſt, cum quis abſque exiſtimatione Divinitatis, & ſine ullo affectu interno colendi aliquid pro Deo, ex timore tormentorum, & mortis, Idolo, ſeu Dæmoni exterius tantum exhibet cultum Deo debitum v. gr. Sacrificium Thuris, ut fuit Idololatria S. Marcellini Papæ, & aliorum; Marcellini in Idololatriam lapſum purum putumque eſſe figmentu, & Donatiſtis inventum ad invidiam creandam in Romanos Pontifices, nemo eſt hodie, vel mediocriter in Eccleſiaſtica Hiſtoria verſatus, qui id ignoret. Confer præ ceteris Nat. ab Alex. Diſſert. 20. in H. E. ſæc. 3., & Cardinalem Orſi H. E. l. 9. num. 41. & hæc Idololatria, quamvis ſit tantum materialis, cum careat affectu interno colendi aliquid pro Deo, eſt tamen graviſſimum peccatum mortale contra debitam profeſſionem externam Fidei, & contra virtutem Religionis: Poteſt vero abſolvi a quolibet legitimo Confeſſario.

10 *Magia* eſt duplex, nempe naturalis, & ſuperſtitioſa, ſeu diabolica. Magia *naturalis* eſt ratio quædam, ſeu facultas operandi mira per vires rerum naturalium occultas abſque ope Dæmonis; Et hæc non eſt ſuperſtitionis ſpecies, quamvis tamen ut periculoſam ex eo, quod diabolus facile ſe illi immiſceat, adeoque ſenſim ad ſuperſtitionem manuducentem diligenter cavendam eſſe merito cenſeant graviores ſanioreſque Doctores,

11 Magia *ſuperſtitioſa*, ſeu *diabolica* eſt ratio quædam, ſeu facultas operandi mira, ope, & miniſterio Dæmonum per ſigna ab ipſis inſtituta; *Communis*. Magia ſuperſtitioſa eſt ex genere ſuo peccatum mortale graviſſimum, quia continet expreſſam vel tacitam Dæmonis invocationem, ac proinde benevolentiam erga ipſum, & confœderationem, ac ſocietatem cum ipſo; Eſt autem Deo ſumme injurioſum, quod ipſo relicto ad Dæmonem perpetuum ejus hoſtem recurratur, & cum eo ſocietas ineatur; *Communis*.

12 *Divinatio* eſt ſuperſtitioſa inquiſitio, aut prædictio alicujus occulti per invocationem, & diſciplinam Dæmonis; *Eſt in re Communis*.

13 Divinatio ſuperſtitioſa fit ſemper per pactum expreſſum, vel implicitum cum Dæmone, pluresque continet ſpecies, quæ hic aſſignantur.

14 Prima Divinationis ſpecies eſt *Præſtigium*, cum Dæmon nempe quibuſdam apparitionibus præſtigioſis in imaginibus, aut corporibus aliunde aſportatis, vel compactis ex aere, ſe oculis, aut ſenſibus hominum ingerit ad occulta pronuncianda.

15 Secunda eſt *Necromantia*, quæ eſt Divinatio facta per fictas mortuorum ſuſcitationes, vel locutiones, adhibitis certis verbis, aut ſignis, quibus mortui videntur reſurgere, loqui, & docere occulta.

16 Tertia eſt *Geomantia*, quæ eſt Divinatio facta per certa ſigna, & puncta in corporibus terreſtribus, ut lapide, ligno, charta, & hujuſmodi.

17 Quarta eſt *Hydromantia*, quæ eſt Divinaio facta per ſigna apparentia in aqua.

18 Quinta eſt *Aeromantia*, quæ eſt divinatio facta per ſigna apparentia in aere.

19 Sexta eſt *Pyromantia*, quæ eſt divinatio facta per ſigna apparentia in igne.

20 Septima eſt *Chiromantia*, quæ eſt divinatio facta ex manuum lineis.

21 Octava eſt *Spatulomantia*, quæ eſt divinatio facta ex ſpatulæ ſignis quibus occulta de ſtatu hominis præſenti, vel futuro divinantur.

22 Nona eſt *Metopoſcopia*, quæ eſt divinatio facta per ſigna frontis.

23 Decima eſt *Pedomantia*, quæ eſt divinatio facta per inſpectionem pedum.

24 Undecima eſt *Phyſiognomia*, quæ eſt divinatio facta ex totius hominis ſignis.

25 Duodecima eſt *Onyromantia*, ſeu *Onyrocritica*, quæ eſt divinatio facta ex ſomniis habitis.

26 Tertiadecima eſt *Aſtrologia Judiciaria*, quæ eſt divinatio facta ex ſitu, motu, ac poſitione Aſtrorum, & Planetarum

27 Quartadecima eſt *Pythonia*, & eſt, cum Diabolus ex pacto docet occulta per homines arreptitios.

28 Quintadecima eſt *Augurium*, & eſt, cum ex hominis animalium, & avium vocibus, cantu, garritu, ſternutatione, & hujuſmodi divinantur occulta.

29 Sextadecima eſt *Auſpicium*, & eſt cum ex volatu avium occulta divinantur.

30 Decimaſeptima eſt *Omen*, & eſt Divinatio facta ex hominum vocibus, caſu, & præter intentionem prolatis.

31 Decimaoctava eſt *Aruſpicium*, & eſt, cum ſigna apparentia in arteriis, ſeu inteſtinis Sacrificatorum animalium Dæmon reſponſa dat, ut fiebat apud Gentiles, qui ipſum Dæmonem conſulebat per Sacrificia animalium.

32 Decimanona eſt *Oraculum*, & eſt, cum Dæmon conſultus per preces coram idolis perfuſas reſponſa dat per ipſa Idola, ut frequentiſſimus erat apud Gentiles, qui per Idola Dæmonis *Oracula* recipiebant.

33 Vigeſima eſt *Sortilegium*, nomine cujus, quamvis generalius loquendo veniant omnes *Superſtitiones Divinationes, & Magiæ* ut recte advertunt Engel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 21. *n.* 1. Reiffenſtuel *ibid. num.* 2. & alii, proprie tamen, & ſpecialius loquendo *Sortilegium* eſt Divinatio, qua per *ſortes Divinatoria.* & falſa ſigna ope Dæmonis futura, vel occulta manifeſtantur. *Ita in re Communis*.

34 Notanter autem dicitur *per ſortes divinatorias*, quia triplices ſunt ſortes, nempe Divinatoriæ, Conſultoriæ, & Diviſoriæ. *Sic Doctores communiter*.

35 Sortes Divinatoriæ ſunt illæ, quibus occultorum, ſeu futurorum manifeſtatio, vel conſilii alicujus directio petitur per media vana, & impertinentia minime ad Deum relata, & conſequenter ad Dæmonem pacto expreſſo, vel tacito; Et hæ ſortes paſſim ſumuntur pro Divinationibus, ſortilegiis, aut Maleficiis, indeque ut vere ſuperſtitioſæ, & illicitæ graviter prohibentur tum Jure divino *Exodi cap.* 22. *n.* 8. *Levit. cap.* 19. *n.* 31. *& cap.* 20. *n.* 6. *&* 27. *Deuteron. cap.* 18. *n.* 10. *cum ſeq.* & ſæpe alibi: Tum Jure Canonico *in cap. Illud* 6. *cap. Qui ſine* 7. *cap. Illos* 8. *cap. Sed illud* 9. *cauſ.* 26. *q.* 2. *cap. Si quis Ariolis* 1. *cap. Qui divinationes* 2. *cap. Non licet* 3. *capit. Non oportet.* 4. *cap. Si quis Epiſcopus* 5. *cap. Aliquanti* 6. *cap. Sortes* 7. *cap. Pervenit.* 8. *cap. Si quis Clericus* 9. *cap. Contra* 10. *cap. Auguris* 11. *cap. Epiſcopi* 12. *cauſ.* 26. *q.* 5. *cap. In tabulis* 1. *& cap. Ex tuarum tenore* 2. *de Sortilegiis*, & Conſt. Sixti V. incip. *Coeli & terræ*, quæ ut ad rem multum faciens, hic ad litteram datur.

## SIXTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

*Ad perpetuam rei memoriam.*

36 §. 1. Cœli, & Terræ Creator Deus, quem unum Omnipotentem corde credimus ad juſtitiam, & ore confitemur ad ſalutem, etſi homini, quam ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creavit, mentem dederit, quæ non ſolum divino Fidei lumine illuſtrata Myſteria illa cognoſceret, quæ humanam intelligentiam ſuperant, ſed etiam naturæ ſuæ vi, magno licet cum labore, præclara multa inveſtigaret, atque intelligeret, tamen ut ſuperbum animal homo non alium ſaperet, ſed timeret. & immenſam Conditoris ſui Majeſtatem humi ſtratus veneraretur, ſibi ſoli eorum, quæ eventura ſunt, ſcientiam, & futurarum rerum cognitionem reſervavit. Solus enim ipſe, cujus oculis omnia nuda, & aperta ſunt, & ad internas hominum cogitationes penetrat, & conſequentes eorum actiones intuetur, ſolus ipſe, qui vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt, omnia præſentia, & ante oculus poſita habet, ſolus denique omnia, & ſingula quæcumque totius temporis decurſu, & ſæculorum ætatibus futura ſunt, ab omni æternitate novit, & admirabilis providentia diſpoſuit quæ non modo humanæ mentis imbecillitas ignorat, ſed nec Dæmones ipſi preſentire poſſunt. Quare Idolorum in futuris annunciandi falſitatem, & imbecillitatem, & eorum, qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet Spiritus Sanctus apud Iſaiam illis verbis: Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos; & in novo Teſtamento Chriſtus Dominus Diſcipulorum ſuorum de futuris eventibus paulo cupidius inquirentium, interrogationem gravi illa reſponſione retudit, qua etiam omnium fidelium ſuorum curioſitatem coercuit: Non eſt veſtrum ſcire tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Nec vero ad futuros eventus, & fortuitos caſus prænoſcendos (futuris eventibus, ex naturalibus cauſis neceſſario, vel frequenter provenientibus, quæ ad Divinationem non pertinent duntaxat exceptis) ullæ ſunt veræ artes, aut diſciplinæ, ſed fallaces, & vanæ improborum hominum aſtutia, et Dæmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, conſilio, vel auxilio omnis divinatio manat, ſive quod expreſſe ad futura manifeſtanda invocentur, ſive quod ipſi pravitate ſua, et odio in genus humanum occulte etiam præter hominis intentionem ſe ingerant, et intrudant vanis inquiſitionibus futurorum, et mentes hominum pernicioſis vanitatibus, et fallaci contingentium prænuntiatione implicentur, et omni impietatis genere depraventur. Quæ quidem ipſis cognita ſunt, non Divinitate aliqua, nec vera futurarum rerum ſcientia, ſed naturæ ſubtilioris acumine, et aliis quibuſdam modis, quod hominum obtuſior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non eſt, in hujuſmodi futurorum contingentium, & fortuitorum eventuum inquiſitione, & præcognitione, Diaboli operationem ſe fallaciter immiſcere, ut ſua fraude, ac dolis miſeros homines a via ſalutis avertat, & laqueo damnationis involvat. Quæ cum ita ſint, nonnulli hæc fideliter, & religioſe, ut debent, non attendentes, ſed curioſa ſectantes, graviter Deum offendunt, errantes ipſi, & alios in errorem mittentes: Tales in primis ſunt Aſtrologi olim Mathematici, Genethliaci, & Planetarii vocati, qui vanam, falſamque Syderum, & Aſtrorum ſcientiam profitentes, Divinæque diſpoſitionis ordinationem ſuo tempore revelandam prævenire audaciſſime ſatagentes, hominum nativitates, ſeu genituras, ex motu Syderum, & Aſtrorum curſu metiuntur, ac judicant futura, ſive etiam præſentia, & præterita occulta, atque ex puerorum ortu, & natali die, ſive quovis alia temporum & momentorum vaniſſima obſervatione, & notatione de uniuſcujuſque hominis ſtatu, conditione, vitæ curſu, honoribus, divitiis, ſobole, ſalute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, cædibus, variis diſcriminibus, aliiſque proſperis, & adverſis caſibus, & eventibus præcognoſcere, judicare, & affirmare temere præſumunt, non ſine magno periculo erroris, & infidelitatis, cum Sanctus Auguſtinus præcipuum Eccleſiæ lumen, eum, qui hæc obſervat, qui attendit, qui in domum recipit, qui interrogat, Chriſtianam fidem, & Baptiſmum prævaricaſſe affirmet, ut illos merito Apoſtolus arguat, atque increpet illis verbis: Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos, timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis, Hi igitur leviſſimi, & temerarii homines in miſerandam animarum ſuarum ruinam, grave fidelium ſcandalum, & Chriſtianæ Fidei detrimentum futuros rerum eventus, & quæcumque proſpere, vel adverſe obventura ſunt, ac actus humanos, ea denique, quæ cum ex libera hominum voluntate proficiſcantur, Aſtris, Syderibuſque adſcribunt, eiſque eam facultatem, vim, ſeu virtutem, & efficaciam tribuunt futura ſignificandi, & ad præcognita ita inclinandi, ut ſic omnino, nec aliter eventura ſint, atque ob eam cauſam de iis rebus omnibus judicia facere, prognoſtica, prædicationes, & præcognitiones, ſibi aſſumere, & palam venditare non dubitant; quibus pauci rudes, & imprudentes aliique nimis creduli, & imprudentes tantam fidem præſtant, ut ex hujuſmodi judiciorum & prædictionum præſcripto aliquid certo eſſe credant, aut ſperent, quorum ſane, & mendacium magiſtrorum temeritas, & infelicium diſcipulorum credulitas magnopere deploranda eſt, qui vel Divinis Litteris admoniti non intelligunt hominis præſtantiam, cui Cœli, & Stellæ, & clariſſima Cœli Sydera, Sol, Luna, Deo ita diſponente non imperant, ſed inſerviunt, ſic enim Moyſes populum Dei, ut hunc errorem caveret, præmonebat. Ne forte elevatis oculis ad Cœlum, ut videas Solem, & Lunam, & omnia Aſtra Cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub Cœlo ſunt. Sed quid Sydera mirandum eſt homini ſervire? nonne nobiliſſimæ Intelligentiæ Angeli ipſi omnes ſunt abminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis? nam rationabiles oves ita diligit Deus, ut non ſolum Epiſcopos, quemadmodum a S. Ambroſio ſcriptum eſt, ad tuendum gregem ordinaverit, ſed etiam Angelos deſtinaverit. Præclare etiam S. Hieronymus: Magna dignitas animarum, ut unaqueque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum. Quod ſi Angeli homines cuſtodiunt, quid adverſus Angelorum cuſtodiam, & tutelam aſtra moliri, aut afficere poterunt, quæ cum ipſis Angelis nullo modo ſint comparanda? Nec ſane hoc loco prætereunda eſt eximii Eccleſiæ Doctoris, & Beatiſſimi Pontificis Magni Gregorii ſententia, qui Priſcillianiſtas Hæreticos unumquemque hominem ſub conſtitutionibus Stellarum naſci putantes, magno rerum, & verborum pondere confutat. Abſit, inquit, a fidelium cordibus, ut aliquid eſſe Fatum dicant; vitam quippe hominum ſolus hanc Conditor, qui creavit, adminiſtrat; neque enim propter Stellas homo, ſed Stellæ propter hominem factæ ſunt, & ſi ſtella fatum hominis eſſe dicitur, ipſis ſuis miniſteriis ſubeſſe homo perhibetur. Utinam inſani homines hæc ſaperent, & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Levitico dicentis, Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos. Neque enim quæ Chriſtiana, & vera pietas repellit, ac damnat, tanto ſtudio inveſtigarent; iiſdem miſere ſe decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines, & curioſi, vel impii, & irreligioſi, qui futurarum, & occultarum aliarum rerum notitiam adeo anxie habere ſtudent, ut ob eadem prænoſcenda, & inveſtiganda in Divinæ Legis offenſionem multipliciter incurrant. Alii enim Geomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, aliiſque Sortilegiis, & Superſtitionibus non ſine Dæmonum ſaltem occulta ſocietate, aut tacita pactione operam dare, ſeu illis, ac ſortibus illicitis taxillorum granorum triticeorum, vel fabarum jactu uti non verentur. Alii vero aliquas priſtinæ, & antiquatæ, ac per Crucis victoriam proſtratæ Idololatriæ reliquias retinentes quibuſdam auguriis, auſpiciis, ſimilibus ſignis, & vanis obſervationibus ad futurorum divinationem intendunt. Alii autem ſunt, qui cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum Inferno, qui ſimiliter ad occultorum divinationem, & inveniendos theſauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expreſſa cum Diabolo pactione facta in manifeſtam ſuarum perniciem animarum, nefarias magicæ artis incantationes, inſtrumenta, & beneficia adhibent, circulos, & diabolicos characteres deſcribunt, Dæmones invocant, aut conſulunt, ab eis reſponſa petunt, aut accipiunt, eis præces, & thuris, aut aliarum rerum ſuffimenta, ſeu fumigationes, aliave ſacrificia, offerunt, candelas accendunt, aut rebus Sacris, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus ſacrilege abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quævis alia impietatis obſequia præſtant, cultum, venerationemve tribuunt; aut annulum, ſeu ſpeculum, aut parvas phyalas ſibi fabricant, aut fabricari curant ad Dæmones in eis alligandos, ſeu includendos, ut putant, ad reſponſa ab ipſis inde petenda, aut habenda. Alii præterea etiam in corporibus obſeſſis, vel ſympaticis, & phantaſticis mulieribus Dæmones de futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt, ut merito ab his, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, vanas, mendaceſque referant reſponſiones. Alii quoque præſtigiatores, frequentius vero mulierculæ quædam ſuperſtitionibus deditæ in phyalis, ſeu vaſculis vitreis aqua plenis, vel in ſpeculo accenſis candelis etiam benedictis ſub nomine Angeli Sancti, & Albi Diabolum omnium malorum Satorem ſupplices adorantes, vel in unguibus, aut palma manus quandoque etiam oleo perunctis eumdem omnium fallaciarum Architectum orant, ut ſimiliter futura, vel occulta quævis per ſpectra, & apparentes imagines, phantaſticas viſiones ſibi oſſendant, aut ab eodem patre mendacii Diabolo aliis incantationibus, aut variis ſuperſtitioſis obſervationibus, futurorum, & occultorum hujuſmodi veritatem quærunt, & hominibus predicere contendunt. Quorum omnium, quos ſupra enumeravimus, conſimilis impietas parem exitum habet, nimirum quod Dæmonis præſtigiis, & dolis, tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt illuſi, ac deluſi miſerrime reperiuntur. Itaque cum futuros eventus in ſe ipſis conſiderare, antequam fiant, ſit Dei proprium, illud neceſſario conſequitur, ut Aſtrologi, et alii prædicti, qui hujuſmodi futura prænunciare, aut prænoſcere quocunque modo, niſi Deo revelante, audent, injuſte, atque imprudenter, quod Dei eſt, ſibi aſſumant, et uſurpent; Sic fit, ut dum ab eis, quod ſolius eſt Creatoris perperam creaturis tribuitur, Divina Majeſtas graviter lædatur, Fidei integritas violetur, et animabus pretioſo Chriſti Sanguine redemptis peſtis, atque exitium importetur.

§. 2. Et licet jam pridem regulis Indicis librorum prohibitorum ex Decreto Sacri generalis Trident. Conc. confecto, illud inter cetera conſtitutum fuerit, ut Epiſcopi diligenter providerent, ne hujuſmodi Aſtologiæ Judiciariæ libri, tractatus, et indices legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſve caſibus, aut iis actionibus, quę ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent, præmiſſis tamen judiciis, et naturalibus

ralibus obſervationibus, quæ navigationis, agriculturæ, ſive medicæ artis juvandæ gratia conſcripta fuiſſent; Libros vero omnes, et ſcripta Geomantię, Necromantiæ, ſive in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, incantationes artis magicę, prorſus rejici, et aboleri curarent; Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum, et abuſuum prędictorum extirpationi uſque adeo proviſum eſt, quin etiam adhuc in nonnullis locis, et apud plurimos curioſius vigeant, cum valde frequenter, detectis Diaboli inſidiis, Divinationum, ſortilegiorum, et variarum ſuperſtitionum omnia plena eſſe in dies detegantur.

§. 3. Nos igitur, qui pro Noſtro Paſtoralis Officii munere Fidei integritatem inviolatam conſervare debemus, et animarum ſaluti proſpicere, quantum Divina Gratia adjutrice poſſumus, ex paternę caritatis viſceribus optamus, damnantes et reprobantes omne genus divinationum, quę Diabolo auctore ad fidelium deceptionem a prędictis curioſis, vel perditis hominibus fieri ſolent; Cupientes pręterea ſanctam illam Chriſtianæ Religionis ſimplicitatem pręſertim ubi agitur de ſumma Creatoris Dei poteſtate, ſapientia, et providentia ab omni erroris labe integram, atque incorruptam, ut par eſt, retineri; Volentes quoque prædictę falſę credulitati, ac hujuſmodi illicitarum Divinationum, et Superſtitionum; deteſtabili ſtudio, et execrandis flagitiis, atque impuritatibus occurrere, ut de Chriſtiano populo merito dici poſſit, quod de antiquo Dei populo ſcriptum eſt: Non eſt augurium in Jacob, neque Divinatio in Iſrael. Hac perpetuo valitura Conſtitutione Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, et mandamus ut tam contra Aſtrologos, Mathematicos, et alios quoſcumque dictæ Aſtrologię artem, pręterquam circa agriculturam, navigationem, et rem nauticam, in poſterum exercentes, aut facientes judicia, et nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſve caſibus aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiamſi id ſe non certo affirmare aſſerant, aut proteſtentur, quam contra alios utriuſque ſexus, qui ſupradictas damnatas, vanas, fallaces, et pernicioſas divinandi artes, ſive ſcientias exercent, profitentur, docent, aut diſcunt, quive hujuſmodi illicitas Divinationes, Sortilegia, Superſtitiones, Veneficia, incantationes, ac pręmiſſa deteſtanda ſcelera, et delicta, ut prefertur, faciunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt cujuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis exiſtant, tam Epiſcopi, & Prælati, Superiores, & alii Ordinarii Locorum, quam Inquiſitores hæreticæ pravitatis ubique gentium deputati, etiam in pleriſque ex his caſibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant, atque in eos ſeverius Canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animadvertant.

§. 4. Prohibentes omnes, & ſingulos libros, opera, & tractatus hujuſmodi Judiciariæ Aſtrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onyrmantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis Magicæ, aut in quibus ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, execrabiles incantationes, ac ſuperſtitiones continentur s ac ut ſupra in memorato Indice interdictos ſub cenſuris, & pœnis in eo contentis a quibuſcumque Chriſtifidelibus legi, aut quomodolibet retineri, ſed illos Epiſcopis, & Ordinariis Locorum, & Inquiſitoribus prædictis præſentari, & conſignari debere; Et nihilominus eadem auctoritate ſtatuimus, & mandamus, ut contra ſcienter legentes, aut retinentes libros, & ſcripta hujuſmodi, ſeu in quibus talia continentur, ſimiliter iidem Inquiſitores libere, et licite procedant, ac procedere, et pœnis condignis punire, et coercere poſſint.

§. 5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, et Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 6. Ut autem præſentes noſtræ Litteræ ad communem omnium notitiam facilius deducantur, jubemus illas in Valvis Baſilicarum S. Jo. Lateranen. et Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in acie Campi Flore affigi, ſeu appendi, eiſque detractis ipſarum exempla etiam impreſſa eiſdem in locis affixa relinqui.

§. 7. Et inſuper univerſis, et ſingulis venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, locorum Ordinariis, et Prælatis, nec non Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis ubilibet conſtitutis, per hæc committimus, et in virtute Sanctæ Obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, ut per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes Litteras, poſtquam eas receperint, ſeu earum notitiam habuerint in ſuis et ſingulis Parochialibus Eccleſiis dum in eis populi multitudo ad Divina convenerint, deinde vero ſemel in anno, et quoties eis expedire videbitur, vulgari ſermone publicent, aut publicari faciant.

§. 8. Quia vero difficile foret præſentes Litteras ad ſingula quæque loco', in quibus de eis fides faienda erit, deferri, volumus, ut earum tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, ac parvo ſigillo Sanctæ Romanæ, et univerſalis Inquiſitionis, aut alicujus Prælati, vel Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in judicior, et extra ubique locorum adhibeatur, quæ eiſdem originalibus Litteris adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1586. Nonis Jan. Pontificatus Noſtri anno 1.

Sortes conſultoriæ ſunt illæ, quibus a Deo poſtulatur occultæ veritatis manifeſtatio, aut ancipiris conſilii alicujus directio: Et hæ ſortes non ſunt illicitæ, nec prohibitæ, ſi Dei juſſu, aut inſtinctu fiant, de quibus *Proverb.* 16. expreſſe dicitur: *Sortes mittuntur in ſinum, ſed a Domino temperantur*; Tales enim ſortes conſultivæ ſepæ factæ leguntur in Sacris Litteris, ut in veſtigatione furis *Achan*, *Joſue* 7. in electione Matthiæ *Actor.* 2. cujus electionem ſigno viſibili a Deo demonſtratam fuiſſe teſtatur S. Dionyſius *lib. de Cæleſtis Hierarch. cap* 5. *num.* 2. 37

Sortes diviſoriæ ſunt illæ, quæ adhibentur ad dividendas res, ſeu hereditates inter plures, vel ad dirimendas lites, & controverſias, & hujuſmodi; Et iſtæ ſortes per ſe malæ, & illicitæ non ſunt, ſed ſæpe ſunt bonæ, ac utiles, juxta illud *Proverb.* 18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque dijudicat*. Unde de Jure communi in judiciis, & ſententiis proferendis locus datur ſorti, *l. Sed cum ambo* 14. *ff. de judiciis*; Sicque ſi plures, quibus optio alicujus rei fuit relicta, diſcordant in eligendo, ſorte dirimitur lis: *l. Si duobus* 3. *Cod. Communia, de Legatis*, & concordant *l. Judæi* 8. *Cod. de Judæis*, *l. Quoties* 4. *Cod. de privileg. ſcholar. l. Meminimus* 2. *Cod. Quando & quibus pars*, *l. Denunciaſſe* 17. §. 6. *ff. Ad Leg. Jul. de adulter. l. Si quæ ſunt* 5. *ff. Familiæ Erciſcundæ, leg. Generaliter* 24. §. 17. *ff. De Fideicommiſſ. Libert. leg. Ait Prætor* 10. §. 1. *ff. Quæ in fraudem creditor. Novella* 162. *c.* 3. *&* §. *Optionis* 23. *Inſtit. de Legatis*. 38

Dictarum autem ſortium uſus eſt omnino prohibitus in electionibus ad Prælaturas, & Officia Eccleſiaſtica, ſeu electio per ſortes ad Prælaturas, & Officia Eccleſiaſtica eſt illicita, & abſolute prohibita. *Communis.* textu expreſſo *in c. Eccleſia veſtra* 3. *de ſortilegiis*, ibi; *Sortis uſum in electionibus perpetua prohibitione damnantes*, & concordat *c. Quia propter* 42. *de electione*, ubi omnis electio aliter, facta, quam per formam ſcrutinii, compromiſſi, vel inſpirationis declaratur nulla. 39

Sortilegii, ſeu Divinatores, & Magi de jure Canonico, ſi Clerici ſint, ab Officio, & Beneficio deponi, & in arctum Monaſterium (hodie in perpetuos carceres) detrudi debent *c. Non oportet* 4. *c. Si quis Epiſcopus* 5. *& c. Aliquanti* 6. *cauſ.* 26. *q.* 5. Et inſuper Magi degradari, & Curiæ ſæculari tradi debent, *c. Admoneant* 15. *cauſ.* 26. *q.* 7. & ad id ſpeciales Pontificiæ Conſtitutiones habentur, & ſignanter. Conſt. Innoc. VIII. inc. *Summis*; Leonis X. inc. *Honeſtis*; Greg. XIII inc. *Omnipotentis*, & Sixti V. inc. *Cęli, & Terræ*. 40

Sortilegi vero, ſeu Divinatores, & Magi Laici de jure Canonico, ſi ſervi, ſeu viles exiſtant, verberibus, & cruciatibus caſtigandi ſunt; liberi autem, ac honeſtiores in perpetuum carcerem ſunt redigendi, *c. Contra Idolorum cultores* 10 *cauſ.* 26. *q.* 5. immo ſi contumaces fuerint, debent etiam excommunicari, *c. Admoneant* 15. *cauſ.* 26. *q.* 7. Et inſuper poſſunt ab Epiſcopo dehoneſtari: & e Diæceſi ejici, *cap. Epiſcopi* 12. *cauſ.* 26. *quæſt.* 5. Et ratione Magiæ tradi poſſunt Curiæ Sæculari ſeverius juxta ſuas Leges puniendi per cit. Pontific. Conſt. Innoc. VIII. Leonis X. Gregor. XIII. & Sixti V. 41

Sortilegi ſeu Divinatores, & Magi, tam Clerici, quam Laici ſunt infames, ideoque a teſtimonio, et accuſatione repelluntur; *cap. Conſtituimus* 9. *cauſ.* 3. *q.* 5. Et ſi exerceant Sortilegia, ſeu Divinationes, ac Magias, quæ Hæreſim ſapiant, ut invocando Dæmonem per preces, et ſacrificia, eique tribuendo, quæ ſoli Deo competunt ex Conſtit. 13. Joan. XXII. incip. *Supra*, ſunt puniendi iiſdem pœnis, quibus puniendos eſſe Hæreticos diximus ſub verb. *Hæreticus.* Vide *ibi*, et citatas Pontificias Conſtitutiones. 42

Sorti-



43 Sortilegi, ſeu Divinatores, & Magi de jure Civili puniuntur pœna publicationis omnium bonorum, & ultimi ſupplicii, etiam aliquando per ignem inferendi, *leg. Nullus* 3. *& l. Nemo* 5. *Cod. de Meleficis*. Ex Conſtitutionibus autem Caroli V. qui per Magiam aliis damna inferunt, igne cremari; qui autem ſine damno Magiam exercent, pœna arbitraria etiam ultimi ſupplicii pro diverſitate circumſtantiarum puniri jubentur. Engel *lib.* 5. *Decr. tit.* 21. Reiffenſt. *ibid. n.* 17 Vide infra *n.* 78.

44 Judex Eccleſiaſticus punire poteſt Sortilegos, ſeu Divinatores, et Magos etiam Laicos: Abbas *in cap. in talibus* 1. *n.* 3. *de ſortilegiis*, Pirhing. *lib.* 5. *Decretal. tit.* 21. *num.* 19. Reiffenſtuel. *ibid. num.* 19. Julius Clarus §, *Hæreſis n.* 26. et ipſo teſte Communis aliorum, *arg. c. Contra Idolorum cultores* 10. *cauſ.* 26. *q.* 5. et expreſſe Judicibus Eccleſiaſticis hanc facultatem etiam in Laicos tribuerunt Adrianus VI. Conſt. 2. incip. *Dudum*, et Sixtus V. Conſt. 17. inc. *Cæli, & Terræ*, ſtatuentes tales Sortilegos, ſeu Divinatores, et Magos, alioſque ſimiles etiam Laicos poſſe puniri ab Inquiſitoribus. Vide infra *num.* 79.

45 *Vana obſervantia* eſt Superſtitio, qua adhibentur media inutilia, et improportionata ad aliquem effectum obtinendum, vel impedimendum, ad quem nec a Deo, nec a natura ullam vim habent, nec ſunt ab Eccleſia ad id ordinata. *Eſt in re Communis*.

46 Vana obſervantia differt a divinatione per hoc, quod Divinatio primario, & per ſe ordinetur ad ſpeculativam alicujus occulti, ſeu futuri cognitionem; Vana obſervantia autem totaliter ad cognitionem practicam aliquid agendo, vel omittendo. *Sic Doctores Communiter*.

47 Species præcipuæ Vanæ Obſervantiæ ſunt tres, ſcilicet Ars notoria, Obſervantia ſanitatum, et Obſervantia eventuum; Ad has namque reducuntur omnes aliæ ſpecies Vanæ Obſervantiæ, ſive fiant cum expreſſa, ſive cum tacita, aut implicita Dæmonis invocatione. *Sic in re Communiter*.

48 *Ars notoria* eſt ſuperſtitio, qua per quaſdam ignotorum verborum precationes, per certa aliqua jejunia, per certa aliqua ſigna, et alia hujuſmodi prorſus inutilia media expectatur ſcientiæ infuſio, ſeu acquiſitio abſque aliquo ſtudio; Hac arte utuntur potiſſimum Anabaptiſtæ, qui profanæ cœnæ ſuæ ſumpto poculo ſtatim in inſtante aliquando ſcientiarum, et ſcripturarum antea penitus ignotarum notitiam conſequuntur ipſas memoriter recitant, ſacras etiam Scripturas ſe intelligere exiſtimantes, de ipſis tamquam periti diſcurrunt Dæmone ſemper verba ſuggerente, vel per os ipſorum loquente ipſoſque ſic dementante; Unde ſæpe evenit, quod Catholici per Exorciſmos ſcientiam illam cum magna eorum confuſione ipſis adimant; Et ſi abjecta ſua falſa ſecta ad veram Catholicam Fidem convertantur, ſtatim ad priſtinam ignorantiam redeunt, ut de multiplici experientia teſtantur paſſim Doctores. (a)

49 *Obſervantia ſanitatum*, eſt ſuperſtitio, qua media inania, & inutilia adhibentur ad ſanitatem hominum, aut Brutorum conſervandam, vel recuperandam. *Sic in re Communis*. Sic

50 hujus ſuperſtitionis rei evadunt, qui certa ignota nomina, certa determinata verba, certos characteres, certas ſcripturas, certa involucra, certa ſigna, certum numerum Crucium, & Orationum, & alia hujuſmodi inutilia adhibent, & applicant ad ſanandas infirmitates, ad curanda vulnera, ad mitigandos dolores, ad ſiſtendum ſanguinem, ad ſe, vel alios reddendos impenetrabiles, ſeu invulnerabiles telis, enſibus, globorum ictibus, ut ſint immunes ab hoſtium læſionibus, & ab omni infortunio, et qualibet infirmitate liberi, quia ſupradicta omnia, et ſimilia, nec a Deo, nec a natura, nec ab Eccleſia ſunt ad id ordinata, & conſequenter ſi id interdum eveniat, non niſi a Dæmone per tacitam ejus invo-

51 cationem evenire cenſetur. Immo hujus ſuperſtitionis rei ſunt etiam illi, qui res ſacras geſtant, v. gr. Reliquias, Cruces benedictas, Agnos Dei, Evangelium S. Joannis, et hujuſmodi, ſeu pias preces, aut Sacræ Scripturæ verſus recitant, ſi ab illis ſanitatem, aut alium hujuſmodi effectum infallibiliter expectent, quia cum præter Sacramenta, et Sacramentalia nihil ſit ex ſacris rebus, et verbis, quod effectum habeat *infallibiliter*, qui illum ſic expectant, non niſi a Dæmone per tacitam ejus invocationem expectare cenſendi ſunt.

Aliud autem eſſet, ſi per verba Sacra, per Reliquias, per Cruces benedictas, per Agnos Dei, et hujuſmodi ſupradictos effectum cum fiducia, et non cum infallibilitate expoſcerent, tunc enim eſſet res pia, et non ſuperſtitioſa; Et de facto leguntur in libris aſceticis exempla plurima illorum, qui a ſimilibus verbis, et rebus ſacris fuerunt præſervati a letalibus vulneribus, liberati a doloribus, et ſanati ab infirmitatibus. Unde ſi quis ex talibus exemplis animatus per ſimilia verba Sacra, per Reliquias, per Agnos Dei, et hujuſmodi pia invocatione Sanctorum ſperet a Deo conſimiles effectus obtinere, dummodo non credat infallibiliter a Deo ſibi deberi ſic concedi, non eſt peccati damnandus, ut notant paſſim Doctores. 51

Hic juvat adducere quod refert Felix Poteſtas *tom.* 2. *p.* 2, *num.* 257. quod nempe Panormi eſt dedicata Eccleſia ſeptem præcipuis Archangelis, qui adſtant ante Deum Beato Amadeo revelatis, quorum nomina ibi, et in Cathedrali in Sacello Archiepiſcopi Hajedi ſculpta ſunt, *Michael Victorioſus*, *Gabriel Nuncius*, *Raphael Medicus*, *Uriel Fortis Socius*, *Jehudiel Remunerator*, *Barachiel Adjutor*, *Scalciel Orator*. Ceterum ſola priora tria ſunt de Fide, quia habentur in Sacra Scriptura; Quartum nempe *Uriel* non eſt de Fide, ſed magnæ auctoritatis, quia habetur *in lib.* 4. *Eſdræ cap.* 4. ibi: *Et reſpondit ad me Angelus qui miſſus eſt ad me, cui nomen Uriel*. Qui liber licet ſit extra Canonicos, fuit tamen ipſis libris Sacris, & Canonicis juſſu Sixti V. annexus, ut de facto reperitur impreſſus in fine Sacræ Bibliæ vulgatæ Editionis Sixti V. juſſu recognitæ, et Clementis VIII. auctoritate editæ. 52

*Obſervantia eventuum* eſt Superſtitio, qua quis ex cujuſdam rei impertinentis occurſu bona vel mala ſibi, aut aliis eventura ominatur, et inde actiones ſuas dirigit obſervans facta, verba, loca, dies, tempora occurſum hominis, cadaveris, animalis, garritum aviculæ, et hujuſmodi. *Ita in re Communis*. 53

Unde hujus ſuperſtitionis rei evadunt, qui in ludo mutant locum, aut chartas ad evitandam malam ludi fortunam; Qui ferunt lignum particulare ad lucrandum in ludo; Qui nolunt adire convivium, in quo cum ſuo interventu ſint tredecim, eo quod unus certo credatur brevi moriturus, uti e tredecim convivis in ultima Cœna unus mortuus eſt, Chriſtus ſcilicet, aut Judas. Qui in nocte S. Joannis orant, in ſomno appareant illi, quibus nubere debeant. Qui credunt ſe non ducturos uxorem eo anno, quo coram ſe ignis fuit coopertus cineribus. Qui ſcopas invertunt, ut mulier de qua ſuſpicantur, quod ſit Saga, ſi talis ſit, abire non poſſit, niſi greſſu averſo, ſeu cancrino. Qui certam ſchedam affigunt januæ, ut ad eam cogatur venire fur. Qui cum gallina inſtar galli cantat credunt malum imminere. Qui credunt prænunciari alicui mortem, vel infortunium, dum avis moeſtum canit, corpus crocitat, lepus occurrit. Qui aliquid infauſtum metuuntur, ſi videant duos Sacerdotes ſimul elevantes hoſtiam in Miſſa. Qui credunt gallinas fore liberas ab accipitre, ſi primum ſuum ovum detur pauperi. Qui conſervant ova die Paraſceves a gallinis excluſa ad extinguendum incendium, & ſic de aliis fere infinitis ſimilibus Superſtitionibus, quæ ad longum adducuntur a doctiſſimo Patre Gobat *tom.* 3. *part.* 4. *de Superſtitionibus per tot.*, & ibi brevitatis gratia videndæ relinquuntur; Unde ſufficiat hic tradere ex communi Doctorum quaſdam regulas generales, ex quibus facile cognoſci poteſt, quænam ſint veræ Superſtitiones, & quandonam ſint mortales, vel veniales? 54

Regula prima. „ Quoties tribuitur, ſeu creditur ineſſe „ vis aliqua rebus, verbis, factis, ſignis, figuris, characteribus, & hujuſmodi ad aliquem effectum, ad quem talem „ vim, nec natura ſua; nec a Dei, vel Eccleſiæ inſtitutione „ habent, ſemper eſt Superſtitio. 55

Regula ſecunda. „ Quoties preces, characteres, ſigna, „ aut ignota ſunt, aut vana, vel frivola, vel falſa; Aut ſi „ nota, bona, & ſancta ſint, ſunt tamen eis admixtæ circumſtantiæ, certi modi, numeri, temporis, loci, perſonæ „ et aliæ vanæ, inutiles, et omnino impertinentes ad talem „ effectum, qui intenditur, ſemper eſt Superſtitio. 56

Regula tertia. „ Quoties ex rebus, verbis, factis, ſcriptis, „ ſignis etiam de ſe bonis, et ſanctis promittitur, et creditur infallibiliter obtinendus effectus intentus, et aliunde „ neque ex Dei, neque ex Eccleſiæ inſtitutione ineſt ipſis 57

„ dicta

(a) Nota. Quæ de Anabaptiſtis, ſecundum Auctorem noſtrum, teſtantur paſſim Doctores, tacent hiſtorici, veluti Boſſuetius, Dupinius, Fleurius, immo inter fanaticos recenſent Anabaptiſtas.

„ dicta virtus infallibiliter præſtandi talem effectum, ſempes „ eſt Superſtitio.

58 Regula quarta. „ Quoties res Sacræ adhibentur ad effectus „ vanos, & inutiles, aut ſigna, ſeu res vanæ, vel inutiles „ adhibentur ad effectum qualemcumque eſt ſemper Super- „ ſtitio „, Deus enim non immiſcet ſe rebus vanis, & ridiculis, adeoque effectus non poteſt expectari, niſi a Dæmone.

59 Regula quinta. „ Quando prudenter dubitatur, an effectus „ productus proveniat a naturali occulta vi rei; vel an a vi „ Superſtitioſa, & Diabolica? potius judicandum eſt eſſe a „ vi naturali occulta rei, adeoque non eſſe Superſtitionem; Miræ enim ſunt naturalium cauſarum virtutes, præſertim herbarum, lapidum, & hujuſmodi, etiam viris doctiſſimis incognitæ, adeoque licet nobis ſit virtus illa ignota, vel dubia, non eſt a nobis ſtatim cenſenda ſuperſtitioſa, donec reſciatur non eſſe a virtute naturali occulta, cum in tali dubio ſimus in poſſeſſione Juris ad utendum hujuſmodi rebus: Conſulunt tamen Doctores cuilibet, qui ejuſmodi re dubia uti vellet ad aliquem effectum, ut expreſſe proteſtetur, ſi ulla vis Diabolica inibi inſit, nolle ſe effectum conſequi.

60 Regula ſexta. „ Quando certo probabiliter conſtat rem, „ applicam ad effectum aliquem non habere ullam vim natu- „ ralem ad illum cauſandum; Dubitatur tamen an habeat vim „ a Deo, vel a Dæmone, cenſenda eſt Superſtitio ſaltem „ ex pacto implicito cum Dæmone „. Nec in tali caſu, ubi conſtat certo de ineſſicacia rei, ſeu mediorum, prodeſt proteſtatio, cum ſit contraria facto.

61 Regula ſeptima. „ Quando ab aliquo homine bonæ famæ „ magnique ingenii aliquid mirum efficitur, potius cenſeri „ debet fieri naturaliter; vel ſupernaturaliter, quam Super- „ ſtitioſe, et Diabolice „; Nemo enim præſumendus eſt malus, niſi probetur talis, *cap. In cunctis 52. cauſ. 11. quæſt. 3. cap. Mandata 6. & cap. Dudum 17. de præſumptionibus.* Tum quia quandoque etiam maxima Sanctitas operantis, vel alia urgentiſſima indicia ſuadent aliquid fieri ſupernaturaliter, et per miraculum, Deo per Sanctos ſuos operante.

62 Regula octava. „ Pro vere Superſtitioſis, aut ſaltem val- „ de ſuſpectis mediis ad aliquid obtinendum, vel impedien- „ dum, habenda ſunt omnia illa, quibus tamquam neceſ- „ ſariæ adhibendæ ſunt, ſeu admiſcentur circumſtantiæ va- „ næ, ineptæ, et ridiculæ.

63 Regula nona. „ Omnis Superſtitio, quæ fit cum pacto „ expreſſo cum Dæmone, ſeu cum expreſſa invocatione „ ejuſdem, aut voce, aut ſigno, aut ipſo facto, adhibente „ ſcilicet ſigna, quæ quis ſcit a Dæmone eſſe inſtituta, ac „ ipſum per illa operari, ſive cum alio conventa ſint, eſt „ ſemper peccatum.

64 Regula decima. „ Superſtitio quæ fit cum pacto implici- „ to tantum cum Dæmone, ſeu cum implicita tantum, et „ ta cita invocatione ejuſdem, quamvis ex genere ſuo ſit pec- „ catum mortale; Ex ſimplicitate tamen, vel ignorantiæ „ culpabili, ſed tamen levi, et non craſſa, ſeu affectata, et „ ſimplici curioſitate, ex levitate actus, ex defectu inte- „ græ credulitatis, ſeu certæ Fidei, frequentiſſime redditur „ ſolum veniale „. Si enim fiant actiones de ſe Superſtitioſæ ex ſimplicitate, vel ignorantia etiam vincibili, non craſſa, nec affectata, ſunt quidem ex defectu requiſitionis debitæ, culpabiles venialiter, at non mortaliter. Item non mortaliter peccat, qui in re levi utitur ſigno, vel medio ſuperſtitioſo habito ex ſola curioſitate exercendi cauſa, verbi gratia, ſemel, vel iterum faciendo annulum moveri ſuper filum, aut alibi ad latera vaſis. Item non peccat mortaliter, qui utitur ſimilibus ſignis, rebus, ſeu verbis, aut characteribus ſolum ex lævitate joci, vel riſus cauſa, nullo expectato eventu, qualia multa jocoſa fieri ſolent in certis vigiliis; Tunc enim non eſt vera Superſtitio, quia licet ſupradicta inſtituta ſint a Dæmone, ſi tamen joco, & non ſerio expectando eventum, uſurpentur, irriſio potius eſt, quam invocatio Dæmonis; Item non peccat mortaliter, qui abſque integra credulitate, ſeu certa fide, & vana ſolum formidine in egendis, vel cavendis obſervat hujuſmodi vana ſigna, et alia ſimilia, cum non videatur gravis ordinatio aliquid operari, vel cavere ob metum vanum conceptum ex ſomniis, ex ſternutatione, auris tinnitu, cantu corvi, vel noctuæ, occurſu vulturis ſeu leporis, et hujuſmodi abſque certa fide.

65 *Maleficium* (quod a *male & facio* dictum eſt) eſt ſuperſtitio, qua per certa ſigna, et media, opera, et poteſtate Dæmonis proximo, vel in ſe, vel in ſuis nocumentum infertur. *Ita in re Communis.*

66 *Maleficium* eſt duplex, nempe Veneficum, et Amatorium *Communis.*

67 Maleficium *Veneficum* eſt illud, quo per certa hujuſmodi ſigna, vel media ope Dæmonis hominibus in ipſo corpore, vel rebus ſuis nocumentum infertur, & hoc utuntur malefici, ut reddant homines infirmos, proles languidas, pecora morbida, feminas ſteriles, & conjuges impotentes ad inter ſe coeundum, quod communiter Maleficium ligaminis appellatur; Item ad afferendas non ſemel mortes pueris, & hominibus, & animalibus; Item ad cauſandas tempeſtates, pluvias immodicas, ad deſtructionem fructuum, & ad alia graviſſima hominum damna. 68 Maleficium *Amatorium* eſt illud, quo per certa hujuſmodi ſigna, vel media, ope Dæmonis immutatio in effectibus cauſatur; Et hoc utuntur Malefici ad exceſſivos, vel impotentes amores carnales excitandos, ſeu econtra ad capitalia odia, præſertim inter conjuges cauſanda, Dæmone hominum phantaſiam commovente, nihil tamen agente in voluntatem. Dicitur autem Maleficium ſimpliciter amatorium a potiori parte, ſeu principaliori animæ, videlicet amore, & caſu frequentius contigente.

69 Nunquam licet Maleficium ſolvere novo Maleficio, nempe applicando novum ſignum magicum, quo Dæmon moveatur ad novum aliquod operandum ad prius maleficium tollendum. Sicque non licet petere, vel jubere Magum, aut Sagam, ut Maleficium novo Maleficio ſolvat; Hoc enim eſt intrinſece malum, adeoque &c. *Communis.*

70 Item graviter peccat, qui petit a Mago, ſeu Saga, aut ab alio, ut Maleficium ſolvat, ſi ſciat nonniſi per aliud Maleficium diſſolvi poſſe. *Communis*, per rationem mox adducendam.

71 Item graviter peccat, qui petit, ſeu jubet diſſolutionem Maleficii, ſi dubitet, an ſolvi poſſit ſine novo Maleficio? *Communis.* Et ratio clara eſt, quia nunquam licet petere, jubere, vel quomodolibet alterum inducere ad id, quod ab eo ſine peccato fieri non poteſt, uti eſt Maleficium alio Maleficio ſolvere.

72 Immo neque id licet permittere, quamvis Maleficus ſe ſe offerat non rogatus ad Maleficium alio Maleficio diſſolvendum. *Communis.* Sic enim conſentiendo eſſet concurrere ad intrinſece malum; Unde Apoſtolus *ad Romanos* 1. ſic habet; *Quia talia agunt, digni ſunt morte, non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

73 Quando conſtat (a), quod Maleficus poteſt licito modo, abſque novo Maleficio prius Maleficium diſſolvere, licitum eſt petere, immo jubere ut ſolvat, quamvis ſuſpicetur, ſeu credatur eum id facturum per novum Maleficium. *Communis*, contra paucos. Et ratio eſt, quia, cum habeam jus in tali caſu petendi quod ab alio recte præſtari poteſt, & eſt indifferens, imputabitur illius malitiæ, ſi id cum peccato faciat.

74 Licitum eſt ad diſſolvendum Maleficium adhibere aliquod ſignum poſitivum contrarium Maleficio ex pacto conditionato Diaboli; Dummodo illud ſignum de ſe ſit honeſtum, vel indifferens, verbi gratia ſi Dæmon ſit pactus cum Malefico, ut tamdiu duret Maleficium, quamdiu Maleficatus ſe Cruce non ſignet, non confiteatur, non communicet, non lavet manus, & hujuſmodi, licet tunc non tantum ſe Cruce ſignare, confiteri, communicare, ſed etiam manus lavare, & hujuſmodi, non quidem intentione eo modo, vel ſigno aliquid efficiendi ope Dæmonis in ſe, vel in alio, ſed præciſe intentione diſſolvendi pactum diabolicum, ac impediendi ſignum magicum noxium, ſicque ſolvendi Maleficium; quod vero licitum eſt, cum talis intentio ſit bona, & medium ac ſignum ſit licitum; Sic pluribus congeſtis Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 19. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 14. *num.* 5. Leſſius *de Juſtit. & Jur. lib.* 2. *cap.* 44. *dub.* 6. *num.* 45. Martin. Delrius *diſquiſit. magic. lib.* 2. *cap.* 2. *ſect.* 1. *q.* 2. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 9. Caſtropal. *tract.* 17. *d.* 1. *p.* 11. La Croix *lib.* 3. *part.* 11. *num.* 42. cum Buſemb. & aliis ibi citatis, Sporer *loco citat. ſect.* 4. *num.* 41. Tamburin. *lib.* 2. *c.* 6. §. 2. *n.* 13. & alii Recentiores paſſim. Unde Tamburinus *loc. cit. num.* 17. Sporer *loc. cit num.* 42. La Croix *l. c. n.* 42.

(a) Nota. Si conſtet; Maleficium poſſe licito modo tolli abſque *novo Maleficio*; ergo non ſuſpicatur, nec credit quis id tolli per aliud Maleficium; at ſi ita ſuſpicatur, et credit, peccat, ut habetur *num:* 71.

dam



& alii recte docent, non peccaſſe peccato ſuperſtitionis quemdam lepidum ruſticum, qui cum audiſſet Dæmonem pactum feciſſe cum quodam ſene avaro, ut nemo ſuum theſaurum terra defoſſum invenire, & auferre poſſet, niſi qui ſupra locum bona pulte ſe reficeret, vinumque hilariter biberet, ibidem pultem comedit, vinumque bibit, & theſaurum invenit, ac abſtulit.

75 Hinc docet Communis opinio, ut teſtatur praxis univerſalis, quod vere licitum ſit ſine novo Maleficio tollere ſigna Magica verb. gr. Ligaturas, nodos, volumina capillorum, & alia hujuſmodi eo fine, ut Diabolus nocere deſinat; Et hoc tum in contemptum Diaboli, atque Magicæ ſuperſtitionis, tum in odium facinoris, quo Maleficus ea poſuit, veluti teſſeram ſui pacti cum Dœmone; Imo non tantum id licitum eſt, ſed & meritorium, ut recte docet Scotus *in* 4. *diſt.* 34. *quæſt. unica*, dicens, quod ridiculum ſit quærere: *An liceat tollere Maleficium intentione curandi maleficiatum: Non enim* (inquit) *ſolum licet, ſed eſt meritorium deſtruere opera diaboli.*

76 Vere ſuperſtitioſi ſunt denunciandi; Ut tamen eorum Superſtitio pariat onus denunciationis, duo requiruntur; Primo ut adſit expreſſa, vel tacita Doemonis invocatio: Secundo quod ſit mortaliter peccaminoſa; Lupus *part.* 3. *lib.* 15. *art.* 4. *differ.* 2. *pag.* 257. Felix Poteſtas *tom.* 2. *p.* 2. *num.* 234. & alii paſſim.

77 Præcipua remedia ſpiritualia adverſus Maleficia adhibenda decem paſſim a Doctoribus aſſignari ſolent. I. Magna fides, & plena fiducia in Deum, ejuſque Divinam protectionem. II. Oratio præſertim conjuncta cum jejunio, ut patet ex verbis Chriſti *Matth. cap.* 17. *num.* 20. ibi; *Hoc autem Doemoniorum genus non ejicitur, niſi per Orationem, & jejunium.* III. Suſceptio Baptiſmi, ſi quis nondum ſit baptizatus. IV. Confeſſio Sacramentalis peccatorum, loquendo de baptizatis. V. *Sumptio Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti.* VI. Devota invocatio Sanctiſſimi Nominis Jeſu, Beatæ Mariæ Virginis, Sancti Angeli Cuſtodis, aliorumque Sanctorum. VII. Signum *Sanctæ Crucis.* VIII. *Reliquiæ Sanctorum, Agnus Dei*, Cerei Sacri, Panis, Sal, aliæque res rite ab Eccleſia benedictæ. IX. Aqua benedicta. X. Exorciſmi ab Eccleſia ad id inſtituti, & approbati.

78 Poenæ ſtatutæ contra Maleficos, Divinatores, alioſque ſimiles Superſtitioſos, ſunt illæ aſſignatæ *ſupra a num.* 39. *ad* 42. contra Sortilegos, ſervata proportione ſecundum majorem, vel minorem gravitatem delicti; Et advertendo, quod Deus *Exodi* 22. *num.* 8. ſic expreſſe decrevit: *Maleficos non patieris vivere*, per Maleficos intelligens omnes habentes pactum (etiam tacitum) cum Dæmone, ut recte notant Suarez *de Religion. tom.* 1. *tract.* 9. *lib.* 2. *cap.* 19. Gobat *tom.* 3. *part.* 4. *de ſuperſtitionibus num.* 1040. & alii. Et *Deut. cap.* 18. *num.* 10. *cum ſeq.* ſtatuit gentes integre delendas eſſe propter Superſtitiones expreſſas *ib. num.* 10. & 11. inter quas ſunt obſervatores ſomniorum, augures, aliique ſimiles ſuperſtitioſi. Item multæ ſunt poenæ decretatæ contra ipſos in Sacris Canonibus apud Gratianum *tota cauſa* 26. & in Codice Juſtiniani *lib.* 19. *tit.* 18. *de Maleficis, & Mathematicis, & ceteris ſimilibus.*

79 Judex competens Maleficorum, divinatorum, ſortilegorum, aliorumque Superſtitioſorum, ſi rei ſint Eccleſiaſtici, aut Laici quidem, ſed qui Superſtitioni addiderint hæreſim, eſt ſolus Eccleſiaſticus, ut per ſe clarum eſt: Si autem Laici ſuperſtitioni hæreſim non addiderint, tunc etiam Laicus eſt Judex competens, & datur locus præventioni, cum crimen Maleficii, ſeu ſuperſtitionis ſit mixti fori, ex quo contra ipſum, non tantum in Jure Canonico, ſed etiam in Civili ſtatutæ ſint poenæ, ut patet *in Codice toto titulo de Maleficis, & Mathematicis, & ceteris ſimilibus.* Sic Abbas *in cap.* 2. *de Sortil.* Gregorius de Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 3. *pag.* 4. Gobat. *loc. cit. n.* 1048. Delrius *lib.* 5. *diſquiſ. Magic.* & alii paſſim *ſupra n.* 43. & 44.

80 Confeſſarii ſuos Pœnitentes reos de aliqua Superſtitione, Divinatione, Magia, Incantatione, Maleficio, et hujuſmodi, debent ſpecialiter interrogare de ſequentibus. I. Quo fine tali Superſtitioni ſe addixerint, v. g. an ratione vehementis paſſionis, triſtitiæ, vindictæ, luxuriæ, avaritiæ, aut ſanctitatis nomen conciliandi, quæ eſſet ſacrilega hypocriſis. II. De Idololatria, an Dæmonem loco Dei habuerint, eique obtulerint ſacrificia, aut preces fuderint. III. De Apoſtaſia, an Deo, B. Mariæ Virgini, Sanctis, Fidei Sacramentis renunciaverint. IV. De Hæreſi, an crediderint Dæmonum eſſe Deum, eſſe adorandum, non eſſe damnatum; eique adhærentes non eſſe damnandos, ſeu alios articulos noſtræ veræ Fidei abnegaverint. V. De Blaſphemiis in Deum, Chriſti *Humanitatem, B. Mariam Virginem, & Sanctos.* VI. de Sacrilegiis, an Sacra, & præſertim Euchariſtiam profanaverint, aut iis indigne uſi fuerint. VII. De luxuria, & *nefandiſſima commixtione cum Dæmonibus incubis, vel ſuccubis*, ut ſolent Lamiæ, & Striges. VIII. De damnis proximo illatis in ſegetibus, animalibus, hominibus, & præſertim infantibus, & *ſponſis, ſi nocuerint* per Maleficia, ligamina, incantationes, & hujuſmodi,



81 Inſuper Confeſſarii debent eos monere de infraſcriptis ſuis obligationibus. I. *Quod ipſi tenentur pactum expreſſum*, ſi quod habent cum Dæmone, aut commercium penitus ſtatim diſſolvere. II. Comburere, aut Confeſſario conſignare Chirographum, ſeu ſignum, ſi *quod habent. Non eſt tamen* neceſſe ut Maleficii pœnitentes curent ſibi a Dæmone reſtitui tale Chirographum, vel ſignum, ſi ipſe habeat, quia per veram pœnitentiam ſufficienter *recedunt a pacto, illudque totaliter* diſſolvunt. III. Libros ſuos, ſchedas, ligaturas, aliaque inſtrumenta ſuperſtitioſæ magicæ artis comburere, ſeu conſignare Confeſſario. IV. *Omnia damna illata reſarcire* omni modo poſſibili juxta regulas generales reſtitutionis ex damno dato; ad quod proinde etiam tenetur Fiſcus (ubi Veneficorum bona confiſcantur) *uti & heredes*, ſi ad eos bona deveniant. V. Excommunicationem in Bulla Cœnæ incurriſſe, ſi ſuis ſuperſtitionibus formalem Hæreſim addiderint, ideoque non poſſe abſolvi a Confeſſario non habente facultatem ſpecialem abſolvendi ab Hæreſi. Secus vero, ſi non fuerunt formales Hæretici, vel Apoſtatæ, aut Idolatriæ juxta dicta *ſupra num.* 9.

82 Quoad ea, quæ concernunt Aſtrologiam Judiciariam, Vide verb. *Aſtrologia, Aſtrologus per tot.* ubi late de omnibus;

## SURRIPIENTES.

*Additio Auctoris e II. Editione.*

1 SUrripientes, aſportantes, aut apud ſe retinentes Hoſtias, vel Particulas conſecratas, Curiæ ſæculari tradi debent puniendi. Bened. XIV. tom. 1. Conſtit. 93. incip. *Ab Auguſtiſſimo* §. 1. 2 Et ſi Eccleſiaſtici ſint, ſunt degradandi, & Curiæ Sæculari tradendi. Idem *ibid.* 3 Etiam pro prima vice, etiam minores 25. annis dummodo vigeſimum attigerint. 4 Idem *ibid.* Rejectis exceptionibus de non conſecratione, aut de honeſta intentione, niſi ab ipſis reis probentur. Idem *ibid.* §. 4. & 5.

5 Inſuper attendenda nunc eſt noviſſima Sanctio feliciter Regnantis S. P. Clementis XIII. in Conſtitut. incip. *Graviſſimum*, in qua confirmatis Apoſtolicis Conſtitutionibus contra ſurripientes, vel aſportantes, aut apud ſe retinentes Sacras Hoſtias, vel Particulas conſecratas editis ab Innocentio XI. Anno 1677. quarto Idus Martii Pontificatus ſui Anno I. & ab Alexandro VIII. Anno 1690. undecimo Calendas Februarii Pontificatus ſui Anno II. & a Benedicto XIV. Anno 1743. tertio Nonas Martii Pontificatus ſui Anno IV. Decernitur, ut hujuſmodi criminis Reis conſtitutis, ſincera delicti Confeſſio facta in primo Generali Interrogatorio, nil ſuffragetur ad minuendam pœnam traditionis Brachio ſæculari, in dictis Conſtitutionibus inflictam.

## SUSPECTA DE HÆRESI PROPOSITIO.

Vide verb. *Propoſitiones damnatæ num.* 24.

## SUSPENSIO.

Quoad ejus eſſe, & diviſionem.

### ARTICULUS I.

1 SUſpenſio eſt Cenſura Eccleſiaſtica, qua Clericus prohibetur exercere aliquos actus Eccleſiaſticos, alias ſibi competentes. *Eſt communis.*

2 Suſpenſio dividitur in Suſpenſionem ab Officio, in Suſpenſionem a Beneficio, & in Suſpenſionem ab Officio, & Beneficio ſimul. 3 Suſpenſio ab Officio eſt, qua Clerico prohibetur exercitium ſuorum Ordinum, vel aliarum functionum ipſi



ratio-

4 ratione Ordinis competentium. Suſpenſio a Beneficio eſt,
qua Clericus prohibetur percipere fructus ſui Beneficii Ec-
5 cleſiaſtici. Suſpenſio ab Officio, & Beneficio ſimul eſt, qua
Clerico prohibentur Jura utriuſque, Officii ſcilicet, & Bene-
ficii.

6 Suſpenſio ab Officio, & Beneficio dividitur in totalem, & partialem.

7 Totalis eſt, qua Clericus ab omni prorſus Officio Eccle-
ſiaſtico, vel a perceptione omnium omnino fructuum bene-
ficialium ſuſpenditur; ſic colligitur ex *cap. Tuarum, de privi-*
8 *leg. & Clement. 1. de Decimis* 11. Partialis ab Officio eſt, qua
Clerico prohibetur aliquis tantum ſui Officii actus, ut cum
Sacerdos ſuſpenditur ſolum ab exceptione Confeſſionum, vel
Epiſcopus ſolum a Collatione Ordinum; iſti enim poſſunt
omnes alios actus ſibi competentes ratione Ordinis exercere.
Et partialis a Beneficio eſt, qua Clericus ab aliqua tantum
parte fructuum Beneficialium ſuſpenditur, ut a tertia, vel
quarta parte illorum. Nec in una includitur alia, & propter
hoc ſuſpenſus ab Officio determinate, non intelligitur ſu-
ſpenſus a Beneficio, ut colligitur *ex cap. Tam Litteris 33. de teſtibus, & cap. Tuarum 22. de privil.*

9 Suſpenſio abſolute, & ſine ulla limitatione impoſita, ſi ex adjunctis colligi nequeat, an ſit ab Officio, vel Beneficio, eſt cenſenda totalis, & ab utroque ſimul, quia propoſitio indefinita æquivalet univerſali, nec apparet fundamentum, cur potius de Officio, quam de Beneficio debeat intelligi, ſic enim eſt intelligenda diſpoſitio, *cap. Cum bonæ 3. de ætat. & qualitat. & Clementin. 1. §. Quibus, de privileg.*

10 Suſpenſio alia eſt a Jure, & alia ab homine.

11 Suſpenſiones ab homine ſunt, quæ imponuntur a Superio-
re Eccleſiaſtico pro aliqua actione particulari, ut fiat, vel non
12 fiat. Suſpenſiones a Jure ſunt, quæ variis perſonis propter
varia in Jure communi, & Conſtitutionibus Apoſtolicis ſunt
impoſitæ, & ſunt præcipue ſequentes diſtincte ad majorem
commoditatem in diverſos articulos notatæ.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 DE ſuſpenſione ex informata conſcientia agendum hic paucis eſt.

2 Suſpenſio hæc *infligitur nullis præmiſſis monitionibus*,
3 adeoque non cenſura, ſed pœna eſt. Suſpenſio enim ubi eſt
cenſura requirit omnino monitiones, & ubi eſt pœna, eas
4 minime requirit; *Schmalzgrueb. in Decretal. lib. 5. tit. 39. num. 30. Mayr. pariter in Decretal. lib. 5. tit. 39. n. 122. Hurtad. de cenſur. difficult. 18. num. 80. & ſequent. Blund. eod tract. diſput. 6. articul. 2.*

5 Poteſtas hæc ſuſpendendi ex informata conſcientia conceſſa eſt Epiſcopo a *Concilio Tridentino ſeſſ. 14. car. 1. de Reformat.*

6 Quæſtionis vero eſt, an Epiſcopus ex informata conſcientia ſuſpendere valeat tum ab ordine, tum a beneficio?

7 Fuerunt qui tenuere, Epiſcopum ex informata conſcientia ſuſpendere dumtaxat poſſe ab aſcenſu ad Ordines, idque quia *Concilium Tridentinum*, ubi poteſtatem facit ſuſpendendi ex informata conſcientia loquitur de ſuſpenſione ab aſcenſu ad Ordines.

8 Nihilo tamen minus S. Congreg. Concilii interpres referente S. M. Benedict. XIV. *de Synod. Diœceſan. lib. 12. cap. 8. §. 3.* ſenſit, poſſe Epiſcopum ſuſpendere, & ab exercitio Ordinis jam ſuſcepti; ea de ratione quod verba illa, quibus facultas Epiſcopo data eſt ſuſpendendi ex informata conſcientia repetita intelligantur, ubi ſermo eſt de ſuſpenſione ab exercitio Ordinis ſuſcepti.

9 Innixi autem huic ſententiæ dict. S. Congregationis plures
etiam exiſtimarunt, poſſe Epiſcopum ex informata conſcien-
tia ſuſpendere a Beneficio; idque quia ubi agitur de ſuſpen-
ſione ab exercitio Ordinis ſuſcepti, videtur ſimul agi de ſu-
ſpenſione a Beneficio, ut præferunt verba illa: *Aut qui a ſuis*
10 *ordinibus, ſeu gradibus, vel dignitatibus Eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus.*

11 Contra alii in ea ſunt opinione, ut Epiſcopus ex informata conſcientia ſuſpendere nec valeat ab exercitio Beneficii. Confer. *Vanceſpen. de cenſur. cap. 10. Alter. eod. tractat. tom. 2. diſp. 14. cap. 1.*

12 At dicta Sacra Congregatio ſuſtinuit ſuſpenſionem, quam Epiſcopus ex informata conſcientia inflixerat ab exercitio curæ in *Sagonenſi* 21. *Junii* 1625. *Epiſcopus Sagonenſis* (ſunt ipſiſſima verba) *ex facultate ſibi attributa Decreto Concilii cap. 1. ſeſſ. 14. ex cauſis ſibi notis ſuſpendit Parochum ad exercito curæ, ſed ille appellavit, & præcepto Epiſcopi contempto celebravit, & curam exercuit. Quæritur an a dicta ſuſpenſione detur appellatio, ita ut Parochus non obſtante appellatione interpoſita per exercitium curæ effectus fuerit irregularis Sacra Congregatio Concilii cenſuit ab hujuſmodi ſuſpenſione non dari appellationem, & Parochum, qui ſacramenta ut ſupra adminiſtravit, irregularitatem contraxiſſe.*

Hæc vero reſolutio aliquam difficultatem in eo pati vide- 13
tur, quod contrahat irregularitatem, qui violat ſuſpenſionem
hanc ex informata conſcientia. Contrahitur enim irregulari- 14
tas ex violatione ſuſpenſionis, quæ ſi cenſura, non item ex
violatione ſuſpenſionis, quæ ſit pœna, uti eſt ſuſpenſio ex
informata conſcientia.

Quidquid autem hujus rei ſit, adhuc deciſum haud eſt, an 15
Epiſcopus ſuſpendere queat ex informata conſcientia a Beneficio, ſed ſolum deciſum eſt, poſſe ſuſpendere ex informata conſcientia ab exercitio Beneficii, quæ ſuſpenſio partialis eſt, nec fructibus privat.

Ad pleniorem vero hujus ſuſpenſionis ex informata con- 16
ſcientia notitiam, congruum eſt hic ſubnectere epiſtolam a dicta S. Congregatione datam ad Venetum Nuntium.

„ Quandoquidem (*ſunt propria verba*) experientia comper„ tum eſt, Reos criminum plerumque ad evitandas pœnas, „ & Epiſcoporum correctiones, querelas & gravamina ſi„ mulare. Hujuſmodi itaque appellationes impoſterum Am„ plitudo Tua omnino rejici mandabit, nec ullam inhibitio„ nem vigore appellationis relaxari permittet. Sed quoniam „ diſciplina Eccleſiaſtica ac ſtylo inductum eſt, ut Judex Su„ perior, quamvis appellationes proprie dictas eorum, qui „ ab Ordinario ſuo extrajudicialiter, & ex informata con„ ſcientia ſuſpenſi fuerint, recipere non poſſit, recurſibus „ tamen aditum non præcludat, quo ſalva juriſdictione Epiſ„ copali, ac diſciplinæ rigore caveatur, ne quis forte Epiſ„ copus poteſtate ſua in Subditos ſibi Eccleſiaſticos abuta„ tur; Poſthac Amplitudini Tuæ ac Succeſſoribus ejuſmodi „ recurſus excipere dumtaxat licebit, ſervatis infraſcriptis „ conditionibus, atque cautelis.

*Primo* „ namque, non ita facile locum illis dabit, ſed con„ grua adhibita ratione, & circumſpectione, nec ſane alias, „ quam cum vehemens ſuſpicio ſubſit, quod Ordinarius „ auctoritate ſua abuſus ſit, procedendo videlicet modo „ prædicto ad poenam ſuſpenſionis, ſine gravi cauſa adverſus „ Sacrorum Canonum præſcripta, & in animæ propriæ „ perniciem.

*Secundo*: „ Recurſu quamvis admiſſo, ſuſpenſi in ſtatu, „ quo erant, permaneant; illoque pendente Ordines, a „ quibus ſuſpenſi fuerint, exercere nullatenus valeant.

*Tertio*: „ Recurſu ita admiſſo, requiratur per litteras ejuſ„ dem ſuſpenſi Ordinarius, ut irrogatæ ſuſpenſionis cauſas „ aperire non gravetur, addita etiam promiſſione de ſervando „ ſecreto, quatenus illud juſtitia exigat, aut Chriſtiana „ charitas ſuadeat.

## ARTICULUS II.

Suſpenſiones contra Epiſcopos.

ORdinantes ad Sacros Ordines Religioſos non Profeſſos. S. Pii V. Conſtit. incip. *Romanus Pontifex*. 1

Ordinantes Monachum ſine licentia Abbatis; *cap. final. diſt.* 58. ubi Barboſa, & alii. 2

Ordinantes non ſubditum abſque licentia proprii Ordinarii. Concil. Trid. *cap. 8. ſeſſ. 23. de reform.* 3

Conferentes Ordines Simoniace; *cap. penultim. de Simonia, & Extravag. Pauli II. de Simon.* 4

Conferentes Clericalem Tonſuram infanti, aut illiterato, vel conjugato per annum a Clericalis Tonſuræ collatione ſuſpenduntur, *cap. Nullus, de temp. Ord. in 6.* 5

Conferentes Ordines ſuſpenſo propter malam promotionem; *cap. fin. de temp. Ord. in 6. c. Si quis Epiſcop. 1. q. 1.* 6

Privantes Beneficiis eos, qui in Romana Curia commorantur. Eugen. IV. *Extrav. incip. Divina, de privileg.* 7

In proprium uſum convertentes bona beneficiorum vacantium pertinentium ad eorum proviſionem; *cap. fin. de offic. Ordinarii in 6.* 8

Submittentes Laicis bona, & jura Eccleſiæ abſque conſenſu Capituli, & Sedis Apoſtolicæ licentia; *cap. Hoc conſultiſſime, de rebus Eccleſ. non alienand. in 6.* 9



10 Alienantes bona Eccleſiæ ultra triennium. *Extravagant. Ambitioſæ, de rebus Eccleſ. non alienand.*

11 Admittentes Reſignationes Beneficiorum contra formam præſcriptam, *Conſtit. S. Pii V. in incip. Quarta.*

12 In cauſa alienationis bonorum Eccleſiæ male utentes delegata poteſtate. Paul. II. Conſtit. incip. *Cum omnibus.*

13 Intromittentes ſe in cauſis ſpectantibus ad electionem Epiſcoporum, poſtquam appellatum eſt ad Papam, *capit. Quamvis, & cap. Provida, de elect. in 6.*

14 Negligentes procedere contra Simoniacos, *cap. Quidquid 101. q. 1.*

15 Foventes uſuras, & Uſurariis locantes ſuas domus, *cap. 1. de Uſuris in 6.*

16 Delinquentes contra Clericorum immunitatem. *Clement. 2. de pænis.*

17 Accedentes ad Eccleſias, ad quas fuerunt promoti, nondum expeditis Litteris Apoſtolicis ſuæ promotionis. *Extravagant. 1. de electione.*

18 Abutentes munere Inquiſitorum in cauſis Fidei. *Clement. 1. Verum, de hæreticis.*

19 Non ſervantes Extravagant. 2. de elect. quo ad perceptionem fructuum 1. vel 2. anni; *Extrav. Joan. XXII. de elect.*

20 Relaxantes incendiarii pœnam contentam in jure, *c. Peſſimam. 23. q. 8.*

21 Publicantes Simoniace populo indicem Caſuum, Gratiarum, & Indulgentiarum, S. Pii V. Conſtit. incip. *Quamprimum.*

22 Concubinarios a Synodo Provinciali admonitos, & non ſe emendantes. Conc. Trid. *ſeſſ. 25. de reformat. cap. 14.*

23 Non viſitantes Limina Apoſtolorum ſtatutis temporibus, Sixt. V. Conſtit. incip. *Romanus Pontifex.*

24 Ingredientes Monaſteria Monialium ſine neceſſitate, & non cum paucis, iiſque ſenioribus, ac Religioſis perſonis, uti expreſſe præſcribit Gregorius XIII. Conſtit. incip. *Dubiis* in qua tranſgreſſores pro ſecunda vice, munere Pontificali, & a Divinis ſuſpendit.

25 Publicantes Indulgentias, & facultatem eligendi Confeſſarios ſolventibus aliquid. Pii V. Conſtit. 99.

## ARTICULUS III.

Suſpenſiones contra Capitula, ſeu Capitulares.

1 REcipientes Prælatos, eiſque obedientes abſque Litteris Pontificiis. *Extravagant. 1. de election.*

2 Recipientes ex pacto in ingreſſu ad Religionem ab admiſſo prandia, pecunias, aut jocalia. *Extravagant. Sane, de Simonia.*

3 Occupantes bona a Prælato dimiſſa, vel vacationis tempore obvenientia, *cap. Quia ſæpe, de elect. in 6.*

4 Recipientes ad Profeſſionem ante annum probationis; *cap. Non ſolum, de Regularibus in 6.*

5 Non facientes conſcientiam poenitentibus de ſolvendis decimis. *Clementin. Cupientes, de pænis.*

6 Recipientes ad Ordines Sacros non profeſſos. Sanct. Pii V. Conſtitut. incip. *Romanus Pontifex.*

7 Introducentes mulieres in Monaſteria. S. Pii V. Conſtit. incip. *Regularium.*

8 Non obſervantes in Reſignatione Beneficiorum contenta in Conſtitut. S. Pii V. incip. *Quanta.*

9 Uſurpantes decimas ſibi non convenientes. *Clem. 1. de Decimis.*

## ARTICULUS IV.

Suſpenſiones contra Clericos.

1 REcipientes Ordines Sacros ante legitimam ætatem; *cap. vel non eſt compos, de temp. Ordin.*

2 Recipientes tales Ordines extra tempora abſque diſpenſatione. Pii II. Conſtit. incip. *Cum ex ſacrorum.*

3 Recipientes ipſos Ordines, non ſervatis Interſtitiis ſine diſpenſatione, *cap. Cum quidam; & cap. Litteris, de tempor. Ordinat.*

4 Recipientes Ordines ab alieno Epiſcopo ſine licentia proprii, *cap. 1. & 3. diſt. 71.* Conc. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 8. de reform.*

Recipientes Ordines ab eo, qui renunciavit Epiſcopatui, *cap. 1. de Ordinato ab Epiſcopo qui renunciavit Epiſcop.* 5

Recipientes Ordines a proprio Epiſcopo in aliena Diœceſi ſine licentia Epiſcopi loci Conc. Trid. *ſeſſ. 6. de reformat. cap. 5.* 6

Recipientes Ordines ab Epiſcopo Titulari abſque licentia proprii Epiſcopi, etiam prætextu familiaritatis Conc. Trid. *ſeſſ. 14. de reform. cap. 2.* 7

Recipientes Ordines a Schiſmaticis, *cap. . & 2. de Schiſmatic.* 8

Recipientes ſcienter Ordines ab Excommunicato, vel Suſpenſo, *arg. cit. cap. 1. & 2. de Schiſmaticis.* 9

Recipientes Sacrum Ordinem poſt Matrimonium ratum, etiam non conſummatum. *Extrav. Antiquæ, de voto.* 10

Recipientes Ordines, dum ſunt excommunicati, ſuſpenſi aut interdicti, *cap. Cum illorum, de ſent. Excom.* 11

Ordinatos ſine, vel ficto Titulo, *cap. Neminem, & c. Sanctorum diſt. 70.* 12

Promotos per ſaltum. Conc. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 14. de reformat.* 13

Objicientes in perſonam electi, & poſtea deficientes in probatione, *c. 1. de elect. §. Adjicientes in 6.* 14

Ordinatos in Majoribus cum litteris Dimiſſoriis Capituli, ſive ejus Vicarii Sede vacante infra annum. Concil. Trid. *ſeſſ. 7. de reform. cap. 10.* 15

Celebrantes coram Excommunicato, vel Interdicto *cap. Epiſcoporum de privilegiis.* 16

Parochos non prohibentes Matrimonia Clandeſtina, vel contra Interdictum Eccleſiæ, *c. Cum inhibiti §. fin. de Clandeſtinis deſponſat.* 17

Tradentes ſepulturæ publicos uſurarios, *cap. Quia in omnibus, de uſuris.* 18

Parochos jungentes ſponſos alterius Parochiæ ſine licentia, Concil. Trid. *cap. 1. ſeſſ. 24. de reform. Matrimon.* 19

Abutentes veſtibus contra ſtatuta a jure. *Clem. 2. de vita, & honeſtate Clericor.* 20

Occupantes bona Eccleſiarum vacantium, vel a Prælatis ipſarum defunctis relicta, *cap. Quia ſæpe, de election. in 6.* 21

Gravantes alienis debitis Eccleſias ſibi commiſſas, *cap. 2. de ſolutionib.* 22

Electores Epiſcoporum non præſentantes electionem electi infra 8. dies, *c. Cupientes, de elect. in 6.* 23

Eligentes indignum ad Epiſcopatum, vel Curam animarum, *c. Cum in cunctis, de elect. in 6.* 24

Poſtulantes in Prælatos Cathedralium Minores 28. annis *Extravag. unic. de Poſtulat. Prælator.* 25

Compromiſſarios ſcientes eligentes indignum, *c. Compromiſſarium, de elect. in 6.* 26

Celebrantes electionem per abuſum ſæcularis poteſtatis, *c. Quiſquis 13. de elect.* 27

Inferiores Epiſcopis recipientes in Viſitationibus procurationem in pecunia, vel in victualibus Viſitationis Officio non impenſo, *c. Exigit de Cenſibus in 6.* 28

Facientes in Judicio per ſordes aliquid contra juſtitiam, & conſcentiam in gravamen partis, *c. 1. de ſentent. & re judicata in 6.* 29

Conferentes Beneficia eorum, qui ſerviunt in Curia, vel eadem recipientes. *Extravagant. 3. de Privileg.* 30

Conſervatores Regularium ſe intromittentes in aliis, quam manifeſtis injuriis, *cap. fin. de Offic. & poteſtate judicis delegat. in 6.* 31

Concubinarios notorios; *cap. fin. de cohabit. Cleric. & mulier.* 32

Occupantes bona, Cenſus &c. Eccleſiæ, Beneficii, vel alterius pii loci, & occupantibus conſentientes. Concil. Trid. *c. 11. ſeſſ. 2. de reform.* 33

Sodomiam exercentes. S. Pii V. *Conſtitut. 5. & 72. in ordine.* 34

Conſequentes Ordines Simoniace; & Simoniam aliter committentes. S. Pii V. Conſtit. incip. *Cum primum, & Extravag. Pauli II. de Simonia.* 35

Provocantes ad duellum, vel illud acceptantes, *c. 1. de Cleric. pugnant. in duello.* 36

Sponte jurantes de tenendo Schiſmate, *c. 1. de Schiſmatic.* 37

Raptores mulierum, & ad raptum auxilium præbentes. Concil. Trident. *c. 6. ſeſſ. de reform. Matrim.* 38

39 Diſ-

39 Diſputantes de Immaculata Conceptione B. M. V., S. Pii V. Conſtitut. incip. *Super ſpecula*, aut impugnantes illum, Gregor. XV. Conſtit. 29. incip. *Sanctiſſimus*.

40 Recipientes, & admittentes Prælatos promotos a Sede Apoſt. eiſque obedientes ſine Litteris Papæ. *Extravag.* 1. *de elect.*

41 Superiores Eccleſiarum non exigentes ſingulis annis rationem de adimplemento onerum Miſſarum. Innocent. XII. Conſtit, incip. *Nuper a Congregatione*.

42 Celebrantes Miſſam, & in ea non communicantes, *c. Relatum de conſecrat. diſt.* 2.

43 Non perficientes ſine gravi cauſa Miſſam jam inchoatam, *c. Nullus Epiſcopus* 57. *de conſecr. diſt.* 1.

## Articulus V.

Suſpenſiones contra Religioſos.

1 Recipientes Alumnos ad Profeſſionem ante annum probationis; *cap. Non ſolum, de Regular. in 6.*

2 Non deferentes Habitum a Regula ſtatutum; *Clem.* 1. §. *Si quis, de ſtatu Monachor.*

3 Apoſtatas in Apoſtaſia Ordines ſuſcipientes; *cap. fin. de Apoſtat.*

4 Non Profeſſos recipientes Ordines Sacros; S. Pii V. *Conſtitut.* 75.

5 Ejectos a Religione; *Urban. VIII. Conſtit.* 26. §. 10.

6 Introducentes mulieres intra Clauſuram Conventuum; *S. Pii V. Conſtitut.* 20.

7 Appropriantes ſibi, uſurpantes Decimas ipſis non convenientes; *Clementin.* 1. *de Decimis*.

8 Superiores concedentes redditus, aut poſſeſſiones Monaſteriorum alicui ad vitam, ſeu aliud certum tempus, niſi neceſſitas expoſcat; *Clem. de rebus Eccl.*

9 Superiores non exigentes ſingulis annis a Deputatis pro Libris Miſſarum rationem de adimplemento totali onerum eorumdem; Innocent. XII. Conſtitut. incipien. *Nuper a Congregatione*.

10 Superiores, ad quos occaſione exceſſuum ſuorum Religioſorum bona aliqua pervenerint, non ſatisfacientes perſonis damnificatis; *Clement.* 1. §. *Quibus, de privileg.*

## Articulus VI.

Suſpenſio quoad eos, qui poſſunt ſuſpendere, vel ſuſpendi.

1 Suſpenſio poteſt infligi inprimis a Summo Pontifice, & Epiſcopis; *c.* 1. *& cap. Conquerente* 16. *de Officio Ordi-*
2 *narii*; Et ab omnibus, & ſolis illis, a quibus poteſt infligi Excommunicatio; Eadem enim eſt poteſtas juriſdictionis ad ferendas omnes Cenſuras, cum omnes ordinentur ad eumdem finem, ſcilicet ad coercendam contumaciam, & inobe-
3 dientiam ſubditorum rebellium. Et ſuſpenſio pariter, ſicut Excommunicatio, regulariter eſt ſcripto ferenda; *c.* 1. *de ſentent. Excomm. in 6.*

4 Omnes, & ſoli Clerici præter Papam poſſunt ſuſpenſionem incurrere. Hæc enim eſt Cenſura propria Clericorum, ad differentiam Excommunicationis, & Interdicti, quæ ſunt
5 Cenſuræ communes Clericis, & Laicis. Epiſcopi vero hanc Cenſuram non incurrunt, niſi eorum fiat expreſſa mentio ex privilegio eis conceſſo; *cap. Quia periculoſum* 4. *de ſent. Excomm. in 6.*

6 Non ſolum perſonæ ſingulares, ſed etiam tota Communitas, ſeu Collegium Clericorum poteſt ſuſpendi, ut conſta
7 ex *c. Quia ſæpe, de elect. in 6.* Suſpenſio autem in Communitatem, ſeu Capitulum dupliciter ferri poteſt, vel collective, ut ſi totum corpus Capituli habens jus alicujus Beneficii Juriſdictionis, & adminiſtrationis ab eo ſuſpendatur. Vel diſtributive, ut ſinguli e corpore Capituli, dummodo noxii
8 ſint, eamdem poenam Suſpenſionis incurrant. Et interdum hi duo modi ſuſpendendi, collective, & diſtributive conjunguntur, uti patet *in cap. Ne ſede vacante, & c. Quia ſæpe* 40. *de elect. in 6.* ubi tam totum corpus Capituli, quam ſinguli e corpore ipſius, bona Prælati defuncti occupantes, vel diripientes, ab Officiis, & Beneficiis ſuſpenduntur, donec reſtituant.

## Articulus VII.

Suſpenſio quo ad ejus effectus.

Si Suſpenſus aliquem actum, a quo eſt ſuſpenſus, exerceat, graviter peccat, ſi materia eſt gravis, & ſi du- 1
rante Suſpenſione actus Ordinis exerceat, ipſo facto incurrit Irregularitatem, ut habetur *in cap.* 1. *de ſentent. & re Judic. & Cap.* 1. *de ſent. Excom. in 6.*

Suſpenſus ab Officio, & Beneficio non poteſt eligere, & eſt incapax Beneficii Eccleſiaſtici, & proviſio ei facta eſt nul- 2
la, ſicuti conſtat *ex Cap. Cum dilectus, de conſuetud.* Cum enim Beneficium detur propter Officium, non recte confertur ei, qui Officium præſtare non poteſt, *Cap. ultim. de Clerico excom. miniſtrant.*

Suſpenſus ab Ordine, & Beneficio voluntarie, & ſcienter violans Suſpenſionem, præſertim celebrando, in perpe- 3
tuum ab Officio, & Beneficio eſt deponendus, ut colligitur *ex cap. Clerici, & cap. Latores, de Clerico excomm.*

Si ſuſpenſus a Beneficio audeat ſe ingerere uſurpando fructus ejuſdem Beneficii graviter peccat, & tenetur ad illorum 4
reſtitutionem; cum hac diſtinctione, quod ſi ſint fructus Præbendæ, ſunt reſtituendi Eccleſiæ, vel pauperibus; ſi vero ſint fructus quotidianarum diſtributionum ob aſſiſtentiam Divinis Officiis, ſunt reſtituendi iis, qui adſtiterunt Divinis Officiis, juxta textum *in Cap. Si quis deinceps* 17. *q.*4. Et præter
hoc onus reſtitutionis, & grave peccatum uſurpans hos fru- 5
ctus contrahit perpetuam privationem Beneficiorum, ex textu *in cap.* 1. §. *ult. & Cap. Cupientes verſ. Ceterum de election. in 6.*

Si quis ſuſpenſus ob vitium incontinentiæ, quo fuerit co-
gnitus labore, ſcienter auſus fuerit celebrare Divina, eſt de- 6
ponendus, non ſolum ab Officio, ſed etiam a Beneficio; ſic expreſſe habetur *in Cap. Ut Clericorum, verb. Si quis, de vita, & honeſtate Clericor.*

Suſpenſus a Minori Ordine non poteſt ad Majores aſcende-
re, niſi prius abſolvatur, quia ſuſpenſus ab Ordine inferio- 7
re cenſetur etiam ſuſpenſus a Superiore, non vice verſa; nam cui non licet quod minus eſt, non debet licere quod eſt majus, *arg. l. Legatorum* §. *ultim. ff. de interdictis*, ubi expreſſe habetur: *Eſt enim perquam ridiculum, eum qui Minoribus honoribus pœnæ cauſa prohibitus eſt, ad Majores aſpirare; Majoribus tamen prohibitus Minores petere non prohibetur.*

Suſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi celebrat in ea, fit Irre- 8
gularis, & ſi moritur impœnitens durante ſuſpenſione, caret Eccleſiaſtica ſepultura, *Cap. Is cui, de ſentent. excom. in 6.*

Suſpenſus ab Officio, Ordine, & Juriſdictione in uno loco, ubique eſt ſuſpenſus, ita ut nullibi poſſit exercere actus il-
lius poteſtatis, a qua fuit ſuſpenſus, donec abſolvatur: quia 9
Cenſura afficit immediate perſonam, ideoque eam comitatur etiam extra territorium ferentis, uti notant Doctores cum Gloſſa in *Cap. Paſtoralis* §. *Verum, de appell.*

Sciendum tamen eſt, quod Ordines, & alii actus per ſuſpenſionem prohibiti ſunt validi, exceptis Electionibus, *cap. Cum dilectus, de conſuetud. Cap. Cum inter* 16. *de election.* 10
Et exceptis actibus Juriſdictionis, & per hoc abſolute ſuſpenſus invalide abſolvit; Abſolutio enim a ſic ſuſpenſo da-
ta eſt nulla, niſi ob ſuſpenſionem occultam ſit error Com- 11
munis, ob (a) quem Eccleſia Juriſdictionem ſupplet, *arg. Cap. Infamis* 1. *cauſ.* 3. *q.* 8. *l. Barbarius* 3. *ff. de Officio Prætor.*

Suſpenſio a divinis inflicta pendente appellatione declarata fuit invalida a *S. C. Concil. in Amalphitana* 19. Auguſti 12
1724. apud Theſ. *Reſol. S. C. Conc. tom.* 3.

## Articulus VIII.

Suſpenſio quoad modos, quibus tollitur.

Suſpenſio inflicta propter contumaciam cum hac lege tacita, vel expreſſa, ut ſuſpenſus non poſſit prius abſolvi,
quam a contumacia, ſeu inobedientia recedat, tollitur per 1
abſolutionem. Quæ abſolutio a tali Suſpenſione Juris poteſt dari ab Epiſcopo, vel alio quaſi Epiſcopali Juriſdictione
prædito, ſi non ſit ſpecialiter reſervata Pontifici, *arg. Cap.* 2
*Nuper, de ſentent. Excommunic. & Cap. Ex litteris, de conſtitut.*

Suſpen-

(a) Nota. Non ſufficit error communis, ſed requiritur etiam titulus coloratus, ut alias diximus.



3 Suſpenſio impoſita ad determinatum tempus, v. g. ad annum, vel ſub conditione: *Donec reſtituerit*, elapſo tempore, vel conditione adimpleta, eo ipſo ceſſat per ſe ipſam ſine alia Superioris declaratione. Sic Gloſſa recepta *in Clem.* 1. *De Decimis verb. Donec, & in c. Quia ſæpe, de election. in 6. verb. Donec.*

4 Suſpenſio lata præciſe ut pœna alicujus patrati delicti tollitur per diſpenſationem, quæ diſpenſatio dari ſolum poteſt ab Auctore Canonis, aut ejus Succeſſore, Delegato, vel ſuperiore, non autem ab inferiore, ſive ſuſpenſio lata ſit a Jure, ſive lata ab homine, ſive lata ſit ad determinatum tempus, ſive ſine temporis limitatione, quia ſicut Legem Superioris, ita & annexam ei pœnam inferior ſolvere non poteſt. Gloſſa *in Cap. Cupientes* §. *Ceterum verb. Suſpenſus, de elect. in 6.*

5 Pro Suſpenſionis abſolutione nulla ſunt præſcripta determinata verba, unde ſufficiunt quæcumque verba apta ad illam
6 exprimendam, quocumque idiomate proferantur. Ex uſu tamen Eccleſiæ conſueto hæc, vel ſimilis forma adhiberi ſolet: *Abſolvo te a vinculo ſuſpenſionis, quod incurriſti ob talem cauſam, & reſtituo te priſtinæ executioni tuorum Ordinum, vel officiorum.*

7 Prius autem, quam detur hæc abſolutio, exigendum eſt ab abſolvendo, ultra promiſſionem de cetero non committendi tale crimen, juramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ, ut habetur *in Cap. Super eo* 1. *Cap. Venerabili* 52. *de ſentent. ex-*
8 *commun.* Et ſi crimen, propter quod incurſa eſt Suſpenſio, tangat tertiam perſonam, quod ſatisfaciat parti offenſæ, ut habetur *in Cap. Porro, & in Cap. Praeſbytanus, de ſentent. Excommunicat.*

## SUSPICIO.

Vide verb. *Judicium temerarium a n.* 13. *ad* 14.

## SUSURRATIO.

Vide verb. *Detractio art.* 1. *n.* 10.

## SYMBOLUM.

1 Symbolum dictum eſt a *Syn*, quod eſt ſimul, & *Bolus*, quod eſt Morſellus, quia nempe Symbolum Apoſtolorum, quod eſt primum, & a quo cetera appellantur Symbola, confectum eſt ab omnibus ſimul Apoſtolis, ſingulis eorum aliquem morſellum, ſeu particulam quamdam apponentibus. Sic Gloſſa *in Rubr. tit. de ſumma Trinitate circa finem*, & alia Gloſſa *in Cap. Canones* 1. *verb. Apoſtolo diſtinct.* 15. & Canoniſtæ paſſim. Non deſunt tamen qui dicant, quod Symbolum Græce, ſonet latine indicium. Et ſic Symbolum Fidei ſit quoddam indicium, ſive ſignum, vel Teſſera, aut nota Chriſtianorum, quo veri fideles diſcernuntur ab infidelibus nempe Paganis, Judæis, & Hæreticis; ſicut a ſimili Teſſera illa, quam Milites aſſumere conſueverunt ad diſcernendum ſocios, ab hoſtibus, & exploratoribus, Symbolum militare appellatur, ut docet Rufinus Præsbyter Aquilejenſ. *fol.* 169. *in ſymboli Apoſtolici Commentariis paulo poſt initium*, ibi: *Symbola diſtincta unuſquiſque dux ſuis militibus tradit, quæ latine ſigna, vel indicia nuncupantur, ut ſi forte occurrerit, quis, de quo dubitetur, interrogatus ſymbolum prodat, ſi ſit hoſtis, vel Socius.* Card. Petra *tom.* 1. *Commentar. in Conſt.* 2. *Divi Leonis Magni*, *n.* 6. Card. Bellarm. *præfat. ad explicat. Symboli Apoſtolici*, Calepinus verb. *Symbolum*, & alii.

2 Symbolum in propoſito eſt Regula Fidei, brevis, ac perfecta confeſſio, breve prædicationis indicium, brevis Credendorum collectio. *Ita in re Communis*. Unde Sanctus Auguſtinus *in lib.* 1. *de Symbolo Cap.* 1. ait: *Eſt autem Catholica Fides in Symbolo nota fidelibus memoriæque mandata, quantum res paſſa eſt, brevitate ſermonis utque incipientibus atque lactentibus ..... paucis verbis credendum conſtitueretur, quod multis verbis exponendum eſſet proficientibus, & ad divinam doctrinam ..... ſurgentibus.*

3 Symbola principaliora, in quibus ſubſtantialiter omnia alia continentur, quatuor ſunt, nempe Symbolum Apoſtolicum, Symbolum Nicænum, Symbolum Conſtantinopolitanum, & Symbolum S. Athanaſii, cujus tamen an ipſe S. Athanaſius fuerit Auctor, multi dubitant, ut dicetur infra.

Symbolum Apoſtolicum ſic dicitur, quia confectum fuit 4
ab Apoſtolis, qui Magiſtri Orbis Terrarum a Chriſto conſtituti, antequam ſepararentur ab invicem ad prædicanda cunctis gentibus Myſteria Fidei ab omnibus credenda Spiritu Sancto afflati ſingillatim conferendo ſuas ſententias, illas in unam brevem ſummam duodecim Articulorum collegerunt, ut ſic quorum una erat Fides, unum Baptiſma, una eademque eſſet Evangelicæ veritatis prædicatio per univerſum Orbem diffuſa juxta illud Propheticum *Pſalm.* 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.*

In dicto igitur Symbolo ſinguli Apoſtoli poſuerunt ſuum 5
Articulum; & quamvis varient Doctores in aſſignando ordine, quo quiſque Apoſtolus ſuum Articulum poſuit, inter omnes tamen veriſimilior videtur ordo, quem tradit Doctor Subtilis *in* 3. *diſt.* 25. *qu. unica* §. *Horum Articulorum*. Sic S. Petrus poſuit primum Articulum, ſcilicet: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem Cœli, & Terræ*; Sanctus Joannes poſuit ſecundum, ſcilicet: *Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum*. S. Jacobus Zebedæi poſuit tertium, ſcilicet: *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*; Sanctus Andreas poſuit quartum, ſcilicet: *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus*; Sanctus Philippus poſuit quintum, ſcilicet: *Deſcendit ad Inferos*: S. Thomas poſuit ſextum, ſcilicet: *Tertia die reſurrexit a mortuis*: Sanctus Bartholomæus poſuit ſeptimum, ſcilicet: *Aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis*, S. Matthæus poſuit octavum, ſcilicet: *Aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis*, S. Matthæus poſuit octavum, ſcilicet: *Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos*; S. Jacobus Alphæi poſuit nonum, ſcilicet: *Credo in Spiritum Sanctum*; S. Simon Zelotes poſuit decimum, ſcilicet, *Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem*. S. Judas Jacobi poſuit undecimum, ſcilicet: *Remiſſionem peccatorum*: S. Matthias poſuit duodecimum, ſcilicet. *Carnis reſurrectionem, & vitam æternam*: Et hic Scoti ordo fundatur in Sacra Scriptura, nam *Actorum Cap.* 1. *n.* 13. hoc eodem ordine referuntur Apoſtoli poſt Chriſti in Cœlos Aſcenſionem, ibi: *Et cum introiſſent in Cœnaculum, aſcenderunt, ubi manebat Petrus, & Joannes, Jacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Jacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Judas Jacobi*, Et exinde *cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis*, ibi: *n.* 26. Unde veroſimilius eſt, quod ſinguli Apoſtoli poſuerint ſuos Articulos in Symbolo ab ipſi confecto juxta ordinem poſt Chriſti Aſcenſionem inter ſe obſervatum, & a S. Luca hic *Actorum Cap.* 1. *n.* 13. relatum.

Symbolum Nicænum ſic dicitur, quia conditum fuit anno 6
325. ſub ſancto Silveſtro Papa a trecentis decem & octo Patribus in primo Concilio Nicæno ad majorem, & expreſſiorem Fidei explicationem, atque expreſſe ad confutandas Hæreſes de novo inſurgentes, ad quarum explicatam reprobationem Patres ſanctæ Generalis Nicænæ Synodi nonnulla in ſuo Symbolo addiderunt verba ad Symbolum Apoſtolorum; ut patet inductione. Unde hic datur ad litteram, prout refertur a Ludovico Bail *in ſumma Conciliorum tom.* 2. *p.* 1. *Concilii Nicæni p.* 164.

### Symbolum Nicæni Concilii.

„ Credimus in unum Deum, Patrem Omnipotentem, om- 7
„ nium viſibilium, & inviſibilium factorem. Et in unum
„ Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei ex Patre natum,
„ unigenitum ideſt ex ſubſtantia Patris, Deum ex Deo, lu-
„ men ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non
„ factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt,
„ & quæ in Cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos homi-
„ nes, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus
„ eſt, & homo factus, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die, &
„ aſcendit in Cœlos; & iterum venturus eſt judicare vivos,
„ & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem, qui di-
„ cunt: Erat aliquando, quando non erat, & antequam na-
„ ſceretur, non erat; & quia ex iis, quæ non ſunt, factus
„ eſt, aut ex alia ſubſtantia, vel eſſentia dicunt eſſe, vel
„ creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei;
„ anathematizat Catholica, & Apoſtolica Eccleſia.

Symbolum Conſtantinopolitanum ſic dicitur, quia confe- 8
ctum fuit anno 381. ſub Damaſo Papa a centum quinquaginta

ta Patribus in primo Concilio Conſtantinopolitano, & dictoi Symbolo Nicæno ad uberiorem adhuc, & clariorem Fide explanationem; & novarum Hæreſum confutationem, quædam per primum Generale Concilium Conſtantinopolitanum denuo appoſita fuerunt, pro ut clare patet intuenti, tum ſupra allatum Simbolum Nicænum, tum ſequens Symbolum Conſtantinopolitanum, quod ad hunc finem hic etiam ad litteram datur, prout refertur ab eodem Bail *l.c. prima parte Concilii Conſtantinopolitani primi p.*197.

Symbolum Concilii Conſtantinopolitani.

9 ,, Credimus in unum Deum, Patrem Omnipotentem, Fa-
,, ctorem Cæli, & Terræ, viſibilium omnium & inviſibilium
,, conditorem. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Fi-
,, lium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia ſæcu-
,, la, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex
,, Deo vero, natum, non factum, homouſion Patri, hoc eſt
,, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta
,, ſunt, quæ in Cœlo, & in Terra. Qui propter nos homi-
,, nes, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & in-
,, carnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & Ho-
,, mo factus eſt; Crucifixus etiam pro nobis; ſub Pontio Pi-
,, lato paſſus, ac ſepultus, tertia die reſurrexit ſecundum
,, ſcripturas; aſcendit in Celos; ſedet ad dexteram Patris,
,, inde venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos,
,, cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum Sanctum
,, Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, &
,, cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum, qui
,, locutus eſt per Prophetas; & unam Sanctam Catholicam,
,, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unum Baptiſma
,, in remiſſionem peccatorum. Et expectamus reſurrectio-
,, nem mortuorum, & Vitam futuri ſæculi. Amen.

10 Quibus Symbolis ad confutandum errorem Græcorum negantium Proceſſionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio, facta fuit additio *Filioque* primum in Concilio Toletano I. *anno* 405. celebrato ſub Innocentio Papa I. ubi dictum Concilium in Symbolo (ut refertur *in Tomo primo Conciliorum*) ſic profitetur; *Credimus Spiritum quoque eſſe Paraclitum, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed a Patre Filioque procedit. Eſt ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paraclitus, ſed a Patre, Filioque procedens.* Idemque ſtatutum fuit in Concilio Epheſino I, celebrato contra Neſtorium *anno* 431. ſub Cæleſtino Papa, & relato *in Cap. De Spiritu 38. diſt.5. de conſecratione*, ibi; *Nam Spiritus appellatus eſt veritatis, & veritas Chriſtus eſt, unde & ab iſto ſimiliter ſicut ex Patre procedit.* Et idipſum præter alia etiam in Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio III. *anno* 1215. celebrato fuit definitum, ac refertur *in Cap. Firmiter* I. §.I. *de ſumma Trinitate, & Fide Catholica*, ibi; *At Spiritus Sanctus pariter ab utroque .... Procedens*, & *Cap. Damnamus* 2. §. *Nos autem, eodem titulo*, ibi: *Et ſic eadem res eſt Pater, & Filius, nec non & Spiritus Sanctus ab utroque procedens.* Et idem iterumque definitum fuit in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. celebrato *anno* 1438. & 1439. & his verbis in *decreto Unionis* expreſſis; *Definimus inſuper explicationem verborum illorum Filioque veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licite, ac rationabiliter ſymbolo fuiſſe appoſitam.* Et idem denique definitum, confirmatumque fuit in Concilio Tridentino ſub Paulo III. Julio III. ac Pio IV. Contra Lutheri, ac aliorum Hæreticorum errores, nec non pro pace inter Principes, ac reformatione Eccleſiæ inchoato *anno* 1545. ac cum aliquandiu fuiſſet interruptum, finito tandem anno 1563. In cujus *ſeſſione 3. in decreto de Symbolo Fidei* ſic expreſſe habetur: *ſymbolum Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, tamquam principium illud, in quo omnes, qui Fidem Chriſti profitentur, neceſſario conveniunt, ac fundamentum firmum, & unicum, contra quod Portæ Inferi nunquam prævalebunt, totidem verbis, quibus in omnibus Eccleſiis legitur, exprimendum eſſe cenſuit, quod quidem ejuſmodi eſt.*

11 ,, Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, facto-
,, rem Cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium.
,, Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unige-
,, nitum; Et ex Patre natum ante omnia ſæcula; Deum de
,, Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Ge-
,, nitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem
,, omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter
,, noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis. Et incarnatus eſt de
,, Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt.
,, Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, &
,, ſepultus eſt; & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas.
,, Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et ite-
,, rum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos,
,, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Domi-
,, num, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit.
,, Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur,
,, qui locutus eſt per Prophetas. Et Unam, Sanctam, Ca-
,, tholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum
,, Baptiſma in remiſſionem peccatorum; Et expecto reſur-
,, rectionem mortuorum; & vitam venturi ſæculi. Amen.

Symbolum Apoſtolicum cœpit recitari in Miſſa tempore ipſorum Apoſtolorum, ut tradunt Dionyſius Areopagita *de Eccleſiaſt. Hierarch. Cap.3.* Durand. *de Ritibus Eccleſ. lib. 2. Cap.24. n.14.* Barboſa *ad Concilium Trid. ſect.5. n.3.* & alii. 12

Et idem Apoſtolicum Symbolum recitatum fuit in Miſſa apud Romanos, ſeu in Eccleſia Romana pluſquam mille annis, hoc eſt uſque ad tempora Benedicti VII. dicti VIII. qui metu diviſionis, aut ſchiſmatis, & precibus Sancti Imperatoris Henrici II. juſſit ad majorem Eccleſiarum conformitatem, ut Romana Eccleſia in Miſſa, omiſſo Apoſtolorum Symbolo, caneret Symbolum, quod Eccleſiæ Hiſpaniarum, & Galliæ canebant, ideſt Symbolum Conſtantinopolitanum cum illa additione *Filioque* in ſupradicto Concilio Toletano contra errorem Græcorum facta. Sic Berno *de rebus ad Miſſam pertinentibus Cap.2.* Baronius *ad ann.447. n.19.* Sever. Binius *in notis ad Concil.I. Conſtantinop.* Barboſa *l.c. n.3.* Lupus *tom.2. Schol. ad ſynod. Nicæn. Cap.4. fol.13. n.14.* Ciacon. *in vitis Pontif. t.1. fol.759.* & alii notantes, quod Eccleſia Romana in Miſſa per totum illud tempus retinuit, ac recitavit Symbolum Apoſtolorum, quia nunquam a Fide Apoſtolica aberraverat, & deinde ob ſupradictum motivum Symbolum Conſtantinopolitanum recitare incæpit. 13

In aliis autem Eccleſiis loco Symboli Apoſtolorum jam antea in Miſſa cœperat recitari, & cani Symbolum Nicænum juxta Decretum Sancti Marci Papæ, ut referunt Platina *in vita ejuſdem Pontificis*, Ciaconius *in vita Pontif. tom.1. fol.229.* & alii id extendentes etiam ad Eccleſiam Romanam; & deinde Symbolum Conſtantinopolitanum ex Decreto Sancti Damaſi Papæ I. & mandato ejuſdem Concilii Conſtantinopolitani, ut notant Gloſſa Marginalis *in Cap.Canones 1. diſt. 15.* Archidiaconus *ibid. n.3.* Pinell. *lib.2. de Miſſa cap.19. & 49.* & alii id pariter extendentes ad Eccleſiam Romanam, quamvis tamen probabilius ex dictis *ſupra n.13.* ipſa Eccleſia Romana retinuerit, & recitaverit in Miſſa Symbolum Apoſtolorum uſque ad tempus Benedicti VII. dicti VIII. 14

Conſuetudo autem recitandi in Miſſa Symbolum prius Apoſtolorum, deinde Nicænum, & demum Conſtantinopolitanum aſſeritur a Durand. *de Ritibus Eccleſ. lib.2. Cap. 24. n.14.* Anton. Poſſevin. *in Apparatu Sacro verb. Symbolum*, Card. Petra *tom.1. Comment. ad Conſt.2. Leonis Magni n.13.* & ab aliis plurimis. 15

*Symbolum Sancti Athanaſii*, quod incipit *Quicumque vult ſalvus eſſe*, ab ipſo compoſitum fuiſſe traditur tempore, quo Romam a Julio Papa vocatus fuit, ut judicaretur; cum enim ibi Euſebianorum adventum per ſeſquianum expectaret, hoc Fidei Symbolum, ſcripſit, ac tamquam Catholicæ Fidei ſuæ profeſſionem publice edidit, quod deinde una cum actis Nicænæ Synodi, cum ipſe Athanaſius præſens interfuit, in Archivio Romano diu aſſervatum fuit; Donec tandem poſt multos annos Eccleſiæ recitandum tradi meruerit; Baronius *ad annum Chriſti* 340. & *ad notas, in Concil. Roman. II. tom. 1. p.1. Conciliorum*, Fagnanus *in Cap.Firmiter 1. n.33. de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, Reiffenſt. *lib.1. Decr. tit.1. num.77.* Ciacon. *in Vitis Pontif. t.1. fol.233. litt.A.* Cardin. Petra *l.c. n.16, & alii*. Et quod tale Symbolum fuerit compoſitum ab ipſo ſancto Atanaſio teſtantur ultra ſupradictos Bellarminus *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis §. de Sancto Athanaſio circa finem*; Hincmarus Rhemenſis, qui *anno Chriſti* 848. floruit, ita de ipſo ſtatuit; *Sermonem Athanaſii de Fide, cujus initium eſt: Quicumque vult ſalvus eſſe &c. memoriæ quiſque commendet, & ſenſum illius intelligat*; Ayton Epiſcopus Baſileenſis tempore Ludovici Pii *in ſuo Capitulari Cap.4.* ſic decernit; *Quarto ut Fides Sancti Athanaſii a ſacerdotibus diſcatur, & ex corde die Dominico ad horam Primam recitetur*; Concilium Auguſtoduenſe editum *anno Chriſti* 670. ita ſancivit: *Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel Clericus ſymbolum, quod inſpirante Sancto Spiritu Apoſtoli tradiderunt, & Fidem Sancti Athanaſii Præſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit, ab Epiſcopo condemnetur.* Et ipſa Catholica Eccleſia teſtimonium perhibet, prædictum Symbolum ſub nomine ſancti Athanaſii in Divino Officio recitandum proponens, & mandans. Et Sacra Congregatio Rituum ipſum Symbolum ſancti Athanaſii appellat, dum expreſſis his verbis de ipſo ſic cenſet; *Symbolum S. Athanaſii, quod dicitur ad Primam, laudabilius in Choro recitatur ſtando.* Dicta *S.C. Rituum 23. Decemb.*1624. apud La Croix *lib.6. p.2. n.*2055. *Decret.*168. 16 17

18 Nihilominus Cabaſſutius *Notit. Eccleſiaſt. ſæculi 2. diſſert. 19.* pluribus probat Sanctum Athanaſium non eſſe illius Symboli Auctorem. Et Graveſon *tom. 1. Hiſtor. Eccleſiaſt. colloq.4. pag.367., & 368.* primæ Impreſſionis Rom. hoc Symbolum inter opera dubia S. Athanaſii reponit, plurimaſque rationes adducit variorum Auctorum, qui hoc Symbolum Sancto Athanaſio abjudicant, dicitque quod aliqui illud tribuunt Euſebio Vercellenſi, alii Vincentio Lirinenſi, nonnulli Athanaſio Sinaitæ, alii Anonymo Theologo Gallo, qui Pipini, vel Caroli Magni temporibus floruit. Et alii denique longe plures hoc Symbolum tribuunt Vigilio Tapſenſi in Africa Epiſcopo acerrimo ſub finem quinti ſæculi Fidei Catholicæ defenſori, qui multa opera ſcripſit, & non ſuo, ſed ſub antiquorum Patrum, præſertim ſub nomine Sancti Athanaſii evulgavit; Unde dicit ipſe Graveſon, quod difficile creditu non eſt hoc Symbolum fuiſſe editum a Vigilio Tapſenſi ſub nomine Sancti Athanaſii, & poſtea *tom. 3. coll. 4. fol.*157. ſic expreſſe habet: *Sed nunc convenit inter omnes viros eruditos hoc ſymbolum Sancti Athanaſii nomine inſcriptum non eſſe genuinum illius fœtum.*

19 Symbolum in Miſſa dicendum eſt diebus præſcriptis in Rubricis Miſſalis *cap. XI. de Symbolo*. Unde *Sacr. Rit. Congr. in Curien. die 19. Junii* 1700. expreſſe ſtatuit, ut ſequitur: *In Feſtis Sanctorum Martyrum, Confeſſorum, & Virginum quæ celebrantur ſub Ritu duplici majori, non eſt dicendum ſymbolum in Miſſa, ſed ſerventur Rubricæ generales Miſſalis Romani capite XI. de Symbolo.*

20 Item in Feſto tranſlationis Patroni Principalis Cathedralis ſub Ritu duplici majori, non poteſt in Miſſa dici Symbolum, nec in ipſa Eccleſia Cathedrali, neque per totam Diœceſim. *Ead. S.R. Cong. in d. Curien. 19. Jun.*1700.

21 Quamvis cit. Rubrica Miſſalis *cap. XI. de ſymbolo*, ubi declarat in Feſto Patroni alicujus loci, vel Tituli Eccleſiæ dicendum eſſe *Credo*, excipiat Feſtum Tituli alicujus Capellæ, vel Altaris; talis tamen Rubricæ exceptio intelligenda eſt de Miſſis privatis, non vero de Miſſa ſolemni, ut recte explicat eruditiſſimus P. Merati *ibidem num.12.* afferens ad id ſequens Decretum: *Symbolum in Miſſa ſolemni poteſt decantari in illa Eccleſia, ubi eſt Altare erectum ſub invocatione alicujus Sancti ratione concurſus ad præſcriptum Rubricar. licet de eo fiat Officium ſub Ritu ſemiduplici*; ut pro Feſto Sancti Antonii de Padua declaravit *Sacra Rit. Congregat. 1. Aprilis* 1651. *in una Burgi Sancti Domnini*. Feſtum enim Sancti Antonii tunc erat ſemiduplex, cum elevatum ſit ad Ritum duplicem pro Eccleſia univerſali a Clemente X. anno 1670. 18. Junii.

22 Nomine Feſtorum principalium Ordinum, in quorum Miſſis a ſupradicta Rubrica de Symbolo conceditur *Credo*, venire ſolent Feſta, quę ſub Ritu primæ claſſis celebrantur, nempe Fundatoris Ordinis, ſeu principalis Tituli, aut Patroni. An autem ſub eodem nomine principalium Feſtorum Ordinum comprehendantur etiam inſigniores Sancti cujuſque reſpective Ordinis, controvertitur inter Doctores; Guyetus enim, & Biſſus apud Merati *loco cit. num.* 13. cenſent ſervandum eſſe in hoc caſu legitimum cujuslibet Ordinis uſum, ſaltem quoad Feſta duplicia ſecundę claſſis; hoc comprobante praxi fere omnium Ordinum Regularium, qui in Feſtis ſuorum Sanctorum ſecundæ claſſis Symbolum recitant; Ipſe autem Merati *loco cit.* videtur ſentire contrarium, etiamſi talia Feſta ſecundę claſſis celebrentur cum octava, id probans exemplo Sancti Laurentii, quod licet celebretur ſub Ritu ſecundæ claſſis, & cum Octava ab Eccleſia univerſali, nihilominus quia Sanctis Martyribus non convenit *Credo*, idcirco in tali Feſto non dicitur *Credo*, niſi in Eccleſia ejuſdem Titularis, ut patet ex communi praxi, & Decreto *Sacræ Rituum Congregationis, in Peruſina 23. Martii* 1709. ibi: *In die Sancti Laurentii Titularis alicujus Eccleſiæ Cathedralis, vel Matricis nullius Diœceſis non eſt recitandum Symbolum Apoſtolicum in aliis Eccleſiis ejuſdem Loci, ſed tantum in Eccleſia propria*; adeoque a fortiori, concludit ipſe, concedi non debet *Credo* in Feſtis Sanctorum Confeſſorum alicujus Ordinis particularis, quamvis ab eodem celebrentur ſub Ritu ſecundę claſſis, & cum octava; At vero donec aliter a Sede Apoſtolica, ſeu Sacra Congregatione definiatur, non videtur recedendum a priori Guyeti, & Biſſi, aliorumque opinione fundata in communi praxi, & conſuetudine omnium fere Ordinum Regularium; cum conſuetudo ſit optima Legum interpres, *cap. Cum dilectus 8. de conſuetud. leg. Si de interpretatione 37. ff. de Legibus*. Immo conſuetudo inveterata, & legitime præſcripta pro Lege eſt obſervanda. *L. De quibus 137. ff. de Legibus, cap. Cum tanto 11. de conſuet. cap. Non eſt 3. eod. in 6.* cum ſimilibus.

Patemur tamen quod, præciſa dicta communi praxi, & conſuetudine, in Feſtis Sanctorum Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, ſeu Viduarum, aliarumque non Virginum, non debet dici *Credo* juxta illud vulgare dictum *Muc non credit*, per cujus primam litteram *M.* indicatur non debere dici *Credo* in Feſtis Sanctorum Martyrum, per ſecundam *V.* non debere dici in Feſtis Sanctarum Virginum, & Viduarum, & per tertiam *C.* non debere dici in Feſtis Sanctorum Confeſſorum niſi ſint Doctores Eccleſiæ, & niſi prædicti omnes Sancti, & Sanctæ ſint Fundatores Ordinis, Patroni, aut Titulares Eccleſiæ, ſeu in ipſa Eccleſia habeatur eorum Inſignis Reliquia, aut niſi talia Feſta venerint in Dominicis, & infra octavas Feſtorum Symbolum habentium, ut recte ex aliis notat Merati *loco cit. num. 8. in fine*. Et ratio eſt, quia ut docent Alexander Alenſis *quæſt. 10. de Sacrament. Euchariſtiæ §. 9.* Quarti *part. 1. titul. XI. de Symbolo verſ. Ex quibus*, & alii, de ipſis nulla fit mentio in Symbolo, neque in ipſis locum habent motiva, quæ de aliis in *dicta Rubrica de Symbolo* exceptis occurrunt. 23

Prima enim ratio, ſeu motivum, cur dicatur *Credo* in variis ex ibi aſſignatis Feſtivitatibus, eſt; quia de ipſis fit aliqua mentio in dicto Symbolo, ut tradunt Innocentius III. *de Myſteriis Miſſæ lib.2. cap. 51.* Sanctus Thomas *3. part. quæſt. 83. art. 4.* Durand. *lib.4. cap.25.* Quarti *l. c. verſ. Prima ratio*, Gavant. & Merati *l. c. Rubrica de Symbolo*, & alii paſſim. Et ob id dicitur in omnibus Dominicis, quia dies Dominici dedicati ſunt in memoriam Reſurrectionis Chriſti, & cultum Sanctiſſimæ Trinitatis, de quibus Myſteriis fit mentio in Symbolo; quæ ratio militat de omnibus Feſtivitatibus Domini de quo principaliter fit mentio in ipſo Symbolo; ſicuti fit de Beata Virgine Maria, ac etiam de Angelis indicatis per ly *Inviſibilium*. 24

Secunda ratio, ſeu motivum, cur dicatur *Credo* in aliquibus aliis ibi enumeratis, eſt, ut docent Sanctus Thomas *loc. cit.* Durandus *loc. cit.* Quarti *loco cit. verſ. Secunda ratio*, & ipſo teſte alii communiter, quia ipſi Sancti vel primo Symbolum compoſuerunt, vel egregie Fidem in eo contentam propagarunt prædicatione, & doctrina; Et ideo dicitur in Feſtis Apoſtolorum, & Evangeliſtarum; Item in Feſto Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quæ ex Innocentio III. *l. c.* fuit Apoſtolorum Apoſtola. Item in ſolemnitatibus Creationis, & Conſecrationis Summi Pontificis, & conſecrationis Epiſcoporum, quia ipſi ſunt Succeſſores Apoſtolorum; Et in Feſtis inſigniorum Doctorum, quia ſingulari ſua prædicatione, & doctrina plurimum Fidem in Symbolo contentam propagarunt. 25

Tertia ratio, ſeu motivum tandem cur dicatur in reliquis aliis, eſt, ut volunt Alexander Alenſis *loc. citat.* Quarti *loc. cit. verſ. Tertia ratio*, Guttierez *lib. 3. cap. 28. quæſt.3.* Merati *loc. cit. num.4.* & alii, quia tales Sancti ob excellentiam auctoritatis, ſeu ratione ſolemnitatis, vel ob jus ſpeciale in aliquam Eccleſiam, aut locum hoc honore dignantur, ut eorum Miſſæ votivæ ſolemniter pro re gravi, aut pro publica Eccleſiæ cauſa celebrentur; Et ob id dicitur *Credo* in Feſto Patroni, & Titularis Eccleſiæ, Dedicationis, ſeu Conſecrationis ejuſdem, in Feſtis Fundatorum Ordinum, ac in Feſtis illorum, de quibus in Eccleſia habentur Inſignes Reliquiæ. 26

In Feſto Sancti Joannis Baptiſtæ, quamvis ſit primæ claſſis, & cum octava, non dicitur *Credo* quia Sanct. Joannes Baptiſta figurat Legem veterem, & conſummavit curſum ante promulgationem Evangelii, & Inſtitutionem Symboli, ut tradit Quarti *loc. cit. verſ. Opponi poſſet*; & in ſimili Durandus *lib. 7. cap. 14. numer. 8.* & alii. Quæ ratio militat etiam pro Feſto Sanctus Joſeph, & aliis ſimilibus. In Feſto autem Sancti Laurentii Martyris, quamvis ſit ſecundæ claſſis, & cum octava, non dicitur *Credo*, quia in ipſo non habent locum ſupraſſignatæ rationes, & motiva dicendi Symbolum, nec adeſt ad id praxis, ac legitima conſuetudo, cum potius univerſalis 27

Eccleſia in ejus Feſto illud omittat, ſicut illud omitteret in Feſtis Sancti Stephani, & Sanctorum Innocentium, ſi caderent extra octavam Nativitatis Domini, ſicuti de facto omittitur in die octavæ Innocentium currentis extra dictam Octavam.

28 In Miſſa Patroni minus principalis non debet dici *Credo*. *Sacr. Rit. Congr. in Beneventana 2. Decembris 1684. & in Lycien. 15. Septemb. 1691.*

29 Sola ratione SS. Sacramenti expoſiti, non eſt dicendum Symbolum in Miſſis privatis. *Sacr. Rit. Congregat. in una Canonicor. Regul. Lateranen. 2. Decemb. 1684.* Et idem ſtatuitur in Inſtructione Clementis XI. & XII. pro expoſitione SS. Sacramenti occaſione 40. Horarum §. 10.

30 Dum in Miſſa ſolemni canitur *Credo* non debent pulſari Organa. Concil. Provincial. Mediolanenſ. tert. apud Gavant. *in Manual. Epiſc. verb. Miſſa Conventualis ſub num. 22.* ibi: *Symbolum totum canatur a Choro, non alternatim cum Organo. Sic* etiam *Cæremonial. Epiſcopor. lib. 1. cap. 28.* ac Cæremonial. Ordinis Minor. *part. 4. cap. 9.* quod tamen *ibidem num. 7.* ſubjungit: Quod ſi numerus Cantorum, ſeu fratrum ſit modicus, poterit alternatim cantari a Choro, & Organo. Sed Organo ſonante, duo Cantores legant alta, & intelligibili voce quæ a Choro non cantantur, ut ſequitur, ac docet etiam Simon Buongiovanni *in Sacrarum Cæremoniarum Silva libr. 2. cap. verſ. Quod ſi*. In hoc enim caſu ſubintrat neceſſitas, quæ facit licitum, quod alias eſt illicitum, *cap. Quod non eſt licitum 4. de Regul. Jur. cap. Omnes 1. de Fer. cap. Conſuluiſti 3. de celebrat. Miſſar.* cum non ſubjaceat Legi neceſſitas, *cap. Conſilium 2. de obſervat. jejun. cap. Sicut 11. de conſecration. diſt. 1.* cum multis ſimilibus; Celebrans autem, dum canitur *credo*, non poteſt proſequi Miſſam. *Sac. Rit. Cong. in Beneventana 13. Septemb. 1670. & in Januen. 17. Decembr. 1695.*

31 Alia ad rem. Vide verb. *Miſſa art. 12. & 13.*

32 Symbolum in qualibet Miſſa, etiam pro defunctis recitatur a Græcis, eumque morem ſervari a Monachis Ordinis Sancti Baſilii jubet Benedictus XIV. Conſtitutione incipient. *Quem Religionis ſenſum §. 6.* Symboli recitatio in Miſſa a Græca ad Latinam Eccleſiam traducta eſt. Idem Conſtitut. incipient.
33 *Allatæ ſunt §. 28.* Symbolum idem ſine additamento *Filioque* a Græcis, & Orientalibus quandoque recitari permiſit Apoſtolica Sedes, quandoque vero hanc facultatem denegavit, prout
34 diverſæ facti circumſtantiæ exegerunt. Idem *ibidem §. 10.* Symbolo autem Nicæno non ſolum licuit, ſed & decuit ſuperaddere particulam *Filioque*. Hinc non modo Patres Concilii Zamoſciæ *tit. 1. de Fide Catholica*, ſed etiam Patres Concilii Libanenſis *part. 1. eod. tit. num. 11.* provide, ac recte ſtatuerunt, ut Sacerdotes omnes eorum legibus ſubjecti, Symbolum juxta conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, cum particula *Filioque* uſurpent. Idem *Ibid. §. 30.*

## SYNDICUS.

1 SYndicus græce idem eſt ac latine, *Defenſor*. Sic notant communiter Doctores *in cap. Sicut ſtudii unic. de Syndi-*
2 *co.* Unde Syndicus proprie acceptus eſt ille, qui conſtituitur ab aliqua Univerſitate, ſeu Collegio, vel Capitulo ad negotia illius pertractanda, ac potiſſimum ad cauſas & lites illius in Judicio perſequendas: *Sic in re Communis*, per text. & Gloſ. *in citat. cap. Sicut ſtudii, verb. Generaliter, & leg. Neque ſocietas 1. §. 1. ff. Quod cujuſcumque Univerſitatis nomine, vel contra eam agatur.*

3 Syndicus, quamvis generaliter acceptus conveniat cum Procuratore generaliter accepto, cum nomen Procuratoris generaliter acceptum etiam Syndicum ſub ſe complectatur, *argument. cap. Salvator 8. verſ. In nomine cauſ. 1. quæſt. 2. cap. Quia in cauſis 7. & cap. Petitio 9. de Procuratoribus*, tamen proprie, & ſtricte acceptus diſtinguitur a Procuratore proprie dicto, quia hic conſtituitur a quocumque privato Domino, & in cauſis privatis, Syndicus vero ab Univerſitate, Collegio, Capitulo, & in cauſis publicis, & communibus, ut colligitur ex *cap. Petitio 9. de Procuratoribus*, & notant Abbas *in citat. cap. Sicut ſtudii unic. de Syndico num. 2.* Engel *lib. 1. Decretal. tit. 39. n. 1.* Pirhing *ibid. n. 1.* Reiffenſtuel *ibid. n. 3.* & alii paſſim.

4 Syndicus proprie captus differt etiam ab Actore, quia Actor conſtituitur ſpecialiter ad unam cauſam, vel ad plures, ſed tantum præſentes; Syndicus vero conſtituitur generaliter ad omnes cauſas tractandas, tam præſentes, quam futuras, Gloſſa *in cit. l. Neque Societas 1. verb. Syndicum, ff. Quod cujuſcumque Univerſitatis &c.* & citati Doctores. Quamvis etiam Actor Univerſitatis quandoque pro Syndico ſumatur, & econtra, ut patet ex *cit. l. Neque ſocietas* §. 1. ibi: *Actorem, ſive Syndicum.*

Syndicus proprie captus differt etiam ab Adminiſtratore, 5
ſeu Œconomo, quia hic præcipue in Adminiſtratione pecuniæ, aliorumque negotiorum extrajudicialium; Syndicus vero potiſſimum in litibus proſequendis verſatur. Engel *loc. cit. n. 2.* Reiff. *loc. cit. n. 3.* Pirhing *l. c. n. 1.* & alii.

Ad conſtituendum Syndicum omnes de Communitate, ſeu 6
Collegio, vel Capitulo, qui jus ſuffragii habent, citandi, ſeu convocandi ſunt, quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet textu expreſſo *in cap. Ad hæc 7. de Offic. Archidiaconi*, ibi: *Cum ab omnibus quod omnes tangit, approbari debeat*; Si autem aliqui vocati nolint intervenire, aut recedant, poſſunt præſentes eum conſtituere; Dummodo duæ partes ex tribus de Communitate, Collegio, ſeu Capitulo eorum, qui volunt, poſſunt, ac debent intereſſe, ſint præſentes, & major pars præſentium conſentiat; *leg. Nulli 3.* juncta Gloſſa verb. *Duæ partes, ff. Quod cujuſcumque Univerſitatis &c. ibidem* Bartolus *num. 8. leg. Quod major 19. ff. Ad municip.* Hoſtienſ. *in Summa de Syndico num.* 10. Pirhing *loc. cit. numer.* 2. & alii paſſim.

Quamvis conſultius ſit, ut Religioſi pro cauſis ſui Monaſte- 7
rii non ſint ipſi Syndici, ſed potius aliquem extraneum Procuratorem Generalem, ſeu Syndicum conſtituant, cui cauſas in Judicio tractandas demandent, aſſignato ipſi convenienti ſalario, ut diſponitur *in citat. cap. Sicut ſtudii unic. de Syndico*, cum, ut ibi dicitur præſtet, ut ſervi Dei modicum aliquid expendant in Salarium Syndici, quam ut ipſi forenſi cauſarum ſtrepitu involvantur, ibi: *Expedit pro parvo incommodo a ſtrepitu cauſarum ſervos Dei eſſe quietos*. Nihilominus 8
loquendo de neceſſitate, non poſſunt Religioſi compelli ad conſtituendum Syndicum extraneum, ſed exigente ſui Monaſterii utilitate, verb. grat. ſi Monaſterium ſit inops, ut extraneo Syndico Salarium dare non poſſit, aut ſi alius idoneus, & fidelis vir haberi nequeat, poteſt Religioſus in cauſis ſui Monaſterii Syndicus conſtitui, *argument. cap. Monachi 16. quæſt. 1. cap. Inſuper 16. de teſtibus, & cap. Cum deputatis 16. de Judic.* Et ſic notant Abbas *in cit. cap. Sicut ſtudii num. 4.* Layman *ibidem num.* 1. Pirhing *loc. cit. num.* 16. Reiffenſt. *l. c. n. 6.* & alii.

Pro ordine FF. Minorum plures Summi Pontifices conceſ- 9
ſerunt, ut unuſquiſque Conventus unum Syndicum, ſeu Procuratorem Apoſtolicum extra Religionem habere poſſet, qui nomine Romanæ Sedis eleemoſynas Fratribus Minoribus a fidelibus elargitas, recipiat, & adminiſtret, eorum providendo neceſſitatibus. Sic conceſſit Martinus IV. Conſtitut. incipient. *Exultantes in Domino*, qua conceſſione licite utuntur, non obſtante quod id prohibuerit Joann. XXII. Extravagant. *Ad Conditorem, de verbor. ſignific.* Nam prohibitio fuit modificata: *niſi de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia*, quæ ſubinde emanavit a Martino V. Conſtitut. incipient. *Amabiles fructus*, & a Paulo IV. Conſtitut. incipient. *Ex Clementi*, in qua Paulus Litteras conceſſivas Prædeceſſorum confirmavit, & innovavit, dictamque facultatem iterum expreſſe conceſſit; inſuper declarando quod id non ſit diſpenſatio in Regula, ſed modus a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus ſuis proviſus pro puriori illius obſervantia, ut & declaravit noviſſime etiam Innocentius XI. Conſt. incip. *Sollicitudo Paſtoralis Officii* confirmat. ab Innoc. XII. Conſt. incip. *Alias*.

Conceſſerant prius Nicolaus III. in *cap. Exiit qui ſeminat 3.* 10
*de verbor. ſignific. in 6.* & Clemens V. in *cap. Exivi de Paradiſo 1. inter Clementinas, de verb. ſignificat.* quod Fratres Minores pro pura ſuæ Regulæ obſervantia poſſent in ſuis indigentiis, & neceſſitatibus recurrere ad amicos, ſeu benefactores ſpirituales, qui vel per ſe immediate, vel per alias perſonas ſubſtitutas, ac depoſitarias ſibi beneviſas, aut etiam ſibi a prædictis fratribus nominatas, ſeu præſentatas, pecunia, aliiſque rebus neceſſariis ipſis ſuccurrerent, remanente tamen (ſi ſecus non expreſſerint, aut declaraverint) apud ipſos donantes benefactores pecuniæ, donec fuerit expenſa dominio; Vel ipſo in Sedem Apoſtolicam aſſumpto, ſi donantes, offerentes, aut legantes intelligerentur omnimode a ſe illud abdicaſſe, ſeu e vivis deceſſiſſe; & in tali caſu poſſunt fratres ad perſonam deputatam, ſeu ſubſtitutam, aut depoſitariam (non obſtante concedentis; ſeu donantis morte, vel heredis contradictione) pro ipſa pecunia expendenda recurrere, ſicut poterant ad ipſum



11 ipſum dominum concedentem, ſeu donantem. Cum autem advertiſſent, & experimento didiciſſent Fratres, ſibi grave, oneroſum, moleſtumve eſſe ad plures perſonas, pro diverſitate benefactorum, recurrere, ſibique facilius, commodiuſque eſſe informare unam, quam plures, de modo debito expendendi pecunias in ſuas neceſſitates, ac indigentias, de qualitate neceſſitatum, aliiſque conducentibus ad puram Regulæ obſervantiam, pro ſecuritate, ac ſerenitate conſcientiæ, & ad removendos ſcrupulos, recurſum habuerunt ad Sedem Apoſtolicam ſub Martino IV. & V. ac Paulo IV. qui per ſuas peculiares ſupra allegatas Conſtitutiones conceſſerunt, ut ad id unuſquiſque Conventus unum Syndicum, ſeu Procuratorem
12 Apoſtolicum extra Religionem tute habere poſſet. Qui Syndici, ſeu Procuratores in omnibus parificantur cum ſubſtitutis dantium, ſeu donantium: Sicut enim donantes ex conceſſione Nicolai III. & Clementis V. dum nolunt per ſeipſos pecunias in neceſſitate Fratrum expendere, poſſunt ſubſtitutos nominare, qui eorum vice, & nomine id agant; & ſi nolint ipſi eos nominare, poſſunt tales ſubſtituti ipſis præſentari, & nominari a Fratribus, taleſque ſic nominati ſubſtituti auctoritate donantium tenentur modo Fratribus licito pecunias expendere; Ita etiam Syndici, ſeu Procuratores Apoſtolici ex conceſſione, & declaratione Martini IV. & V. ac Pauli IV. per Superiores Fratrum electi, ac nominati, tamquam ſubſtituti Papæ nolentis ſeu non potentis per ſeipſum expendere, & adminiſtrare de ejuſdem nomine, & auctoritate, poſſunt, ac debent modis Ordini congruis, Fratribuſque licitis pecunias adminiſtrare. Tum quia Syndici Apoſtolici duplicem gerunt perſonam, ideſt *Subſtitutorum* donantium quoad pecunias, quorum dominium dantes, ſeu donantes ſibi reſervaſſent; & *Subſtitutorum* Papæ quoad pecunias, quæ ſunt de dominio Papæ, (cum illud dantes, ſeu donantes a ſe ablegaſſe cenſeantur.) Hinc ſicut ſubſtituti donantium nihil Regulæ puritati præjudicant ex declarationibus Nicolai III. & Clementis V. Ita a pari nihil Regulæ puritati officiunt Syndici Apoſtolici ex declarationibus Martini IV. & Innocent. XI. Conſtitut. incipient. *Sollicitudo Paſtoralis officii* §. 6. ubi ſic expreſſe habet: *declarantes tamen pariter, quod per præmiſſa non prohibentur in dicto Ordine Syndici Apoſtolici; cum eorum uſus non ſit Diſpenſatio in Regula, ſed modus a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris proviſus pro puriori illius obſervatione; ſive ejuſmodi Syndici aſſumantur ad præſcriptum Conſtitut. Nicolai III. & Clementis V. prædeceſſorum prædictorum, ſive ſecundum diſpoſitionem Conſtitutionum recol. memor. Martini IV. & V. ac Pauli IV. prædeceſſorum pariter noſtrorum prout illorum uſus in ſingulis Familiis, Congregationibus, Reformationibus, aut Provinciis Ordinis prædicti reſpective fuerit receptus.*

13 Ex quibus clare, & expreſſe conſtat, quod Syndicorum, ſeu Procuratorum Apoſtolicorum uſus ſit omnimode licitus Fratribus Minoribus, nec ſit diſpenſatio in Regula, ſed modus a Romanis Pontificibus proviſus pro puriori illius obſervantia, ſive ejuſmodi Syndici aſſumantur ad præſcriptum Conſtitutionum Nicolai III. & Clementis V. ſive ſecundum diſpoſitionem Conſtitutionum Martini IV. & V. ac Pauli IV. prout illorum uſus in ſingulis Familiis, Congregationibus, Reformationibus, aut Provinciis Ordinis Fratrum Minorum reſpective fuerit receptus ex ſupra allata litterali declaratione Innocentii XI. Et quod diſpoſitio Martiniana, & Paulina nominandi, & deputandi Syndicos non ſit in re contraria declarationibus Nicolai III. & Clementis V.

14 Modus tamen utendi Syndico Apoſtolico aſſumpto ad præſcriptum Martinianæ, & Paulinæ videtur facilior, commodior, & tutior pro unoquoque Conventu. Immo Portellus *dub. Regul. verb. Syndicus num.* 4. & Matthæuc. *Schola paupertatis tit. 4. conſ. 1. num.* 44. volunt, quod Conventus non habens hujuſmodi Syndicum ponat ſe in periculo tranſgrediendi Regulam, cum, ut dicunt ipſi, vix inveniendus ſit Conventus quantumcumque reformatus, qui tali Syndico non indigeat ad recipiendas, ac retinendas nomine Sedis Apoſtolicæ pecunias adventitias, oblatas, ac traditas, præſertim ab advenis, tranſeuntibus, in longinqua abeuntibus, pro Fratrum neceſſitatibus ſubveniendis. Quod non tam facile aut tute ſemper fieri poteſt per amicos ſpirituales, qui velint per ſeipſos, vel alios deputatos, ſeu ſubſtitutos ſuas pecunias in Fratrum neceſſitates expendere; Ultraquam quod cum nimiis incommodis ac periculis tot deberent eſſe ſubſtituti, quot eſſent donantes: Quotidiana enim experientia magiſtra ſimiles amici ſpirituales, ac benefactores, aliique eleemoſynas pro Miſſis, aliaſque adventitias Fratribus offerentes, atque donantes rogati, vel quod ipſi eas in Fratrum indigentias expendant, vel quod id alteri perſonæ committant, reſpondere ſolent, *Habetis Syndicum, mittat ad Syndicum, nec poſſum, nec volo ulteriorem curam ſuſcipere.* Immo plures, ac plures præſertim a Conventibus diſtantes, advenæ, & peregrini, ac alii aliud nolentes incommodum, ſolent ſine ulla intentione retinendi in ſe dominium, mittere ad Conventus pecuniarias, aliaſque eleemoſynas, quæ certo ſine tali Syndico non poſſent tute recipi, retineri, & expendi; cum ad id per tales dantes non cenſeatur nominata, & ſubſtituta alia perſona, nec ipſis per Fratres præſentata, aut nominata, nec alia in tali caſu reperiatur auctoritate Pontificis nominata, & deputata, quæ tute poſſit ipſas pecunias recipere, retinere, & expendere in fratrum neceſſitates contra diſpoſitionem, ac declarationem reſpective tum Nicolai III. et Clement. V. tum Martini IV. et V. ac Pauli IV.

Syndici Apoſtolici deputantur pro toto Ordine a Generali, 15
pro Provinciis, et Cuſtodiis, ac Conventibus ſibi ſubjectis a Provincialibus, et reſpective Cuſtodibus, vel etiam a Guardianis de expreſſa Prælatorum licentia juxta diſpoſitionem Pauli IV. in dict. Conſtitut. incipient. *Ex Clementi*, ut recte notat Matthæuc. *Schola paupertatis tit. 4. conſ. 1. nu. 1. & Official. Curiæ cap. 51. num. 1.* Qui inſuper addit, quod etiam 16
Procurator, et Commiſſarius Generalis Romanæ Curiæ poſſunt Syndicos pro ipſorum reſpective officio conſtituere, ut probat Sanctorus *Comment. cap. 8. Statut. 37. in fine*. Et ad id *cap. 4. ſtatut. 4. in princip.* refert conceſſionem Eugenii IV. *Kalend. Maii* 1432. ibi: *Quod poſſiat etiam facere Provinciales in Provinciis, & Procuratores Ordinis in Romana Curia.*

Non poſſunt tamen a dictis Superioribus deputati plures 17
Syndici, ſed unus duntaxat pro unoquoque Conventu; Colligitur ex infra afferenda Conſtitutione Clementis VII. incip. *Dum conſideramus*, in qua *uni tantum Syndico* Conventus quædam privilegia conceduntur. Et ex infra etiam afferendis Litteris Innocentii XI. incip. *Alias*, in quibus ipſe Pontifex decreta Sacræ Congregationis memorata privilegia concernentia confirmat, habetur, *Ut unicuique Conventui dicti Ordinis aſſignetur unus Procurator, ſive Syndicus Apoſtolicus qui Omnes eleemoſynas* (nota ly *omnes* poni adverſative ad aliqua, qui aliquas recipiat) *tam pecuniarias, quam aliarum rerum colligere, illaſque ſolus* (nota ly *Solus* poni excluſive ſeu privative ad alios) *in neceſſitates Fratrum applicare debeat*. De qua re nefas eſt dubitare, ut expreſſe eruditiſſimus Matthæuc. in *Schola paupertatis tit. 4. conſil. 2. num. 5.* cum omnia decreta Apoſtolica uniformiter procedant, et pro unico ſemper diſponant, et ſupponant, ut patet in Decretis approbatis, et confirmatis in dicta Conſtitutione Innocent. XI. et in aliis editis a Congregatione particulari ab Urbano VIII. præpoſitæ conſultationibus fratrum Minorum de Obſervantia, & a nobis allatis ſub verb. *Legatum*. Ac in proviſione Apoſtolica Martini V. in Conſtitutionibus, & declarationibus ſuis a Sancto Joanne de Capiſtrano ad annum 1430. impetratis ſic expreſſe habetur; *Quoad quartum Capitulum Regulæ quod Fratres non recipiant pecuniam; Statuimus, & ordinamus juxta declarationem Nicolai III. & Clementis V. & Martini IV. quod quilibet Conventus, & locus habeat Procuratorem, Œconomum, Syndicum, & Actorem, cui omnis eleemoſyna pecuniaria, & alia, quæ ad pecuniam reduci poſſunt, integraliter aſſignetur; Qui eaſdem diſpenſare legaliter, & fideliter pro reparatione Conventuum, & locorum & ad alias neceſſitates pro tempore occurrentes debent, ſic quod Fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant.* Hæc Martinus V. ut refert doctiſſimus P. Petrus Marchant. *in Relatione Theologica difficultat. 3. §. Proviſio Apoſtolica Martini V.* Et ſic in ſtatutis Generalibus in Compilatione Sambucana *cap. 4. §. 1. num. 4.* ubi ſic præſcribitur, *Ut quilibet Conventus habeat Syndicum, & Procuratorem ac etiam ſubſtitutum, ſi opus fuerit, & non alios. Nota Syndicum* in ſingulari, & ly *non alios*. Quocirca recte infert Matthæuc. in *Schola paupertatis tit. 4. conſil. 2. num. 5. in fine*, non eſt recipienda doctrina Cordubæ in *cap. 4. Regulæ quæſt. 16. verſ. Tertio notandum*, ubi tradit plures Syndicos poſſe eſſe pro uno Conventu, ad effectum recipiendi eleemoſynas pecuniarias, licet duo tantum privilegiis fruerentur: Cum enim adverſus ipſum ſtent jura ſuperius allegata, non eſt ejus opinio in praxim deducenda, ne quis velit in Regulam offendere, & pro Syndico uti perſona interpoſita; Hæc ille.

Qui tamen *loc. cit. tit. 4. conſ. 3. num. 26. & ſequent.* recte 18
pro-

probat, quod poteſt nominari, & deputari unus etiam Syndicus pro quocumque Hoſpitio habente ſuum Præſidem, & Religioſos ibi degentes, & unus a Superiore Generali pro Religione, & a Provinciali pro Provincia, qui gaudeat omnibus privilegiis, quibus gaudet Syndicus cujuſque Conventus. Accedente ad id etiam inveterata praxi, et conſuetudine, quæ eſt optima Legum intrepres, *cap. Cum dilectus* 8. *de conſuetudine, & leg. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus*. Quod idem dicendum videtur de Infirmariis, quæ reguntur diverſo, ac diſtincto regimine ab illo Conventus. Cum ubi eadem eſt ratio, eadem debeat eſſe juris diſpoſitio; *L. Ideo* 27. *ff. de Legibus, L. Illud* 32. *ff. ad Leg. Aquil. cap. Inter corporalia* 2. *de translat. Epiſcop.*

19 Non poſſunt autem dicti Superiores deputare alios Syndicos pro Religioſis particularibus, ut colligitur ex Conſtitut. Urbani VIII. incip. *Militantis*, & Conſtit. Innocent. XI. incip. *Exponi Nobis*: ubi ſtatuitur quamcumque eleemoſynarum oblationem ipſis fratribus factam, etiam ratione concionum, *Syndicis Conventuum duntaxat libere, & integre* 20 *tranſmittendam, & conſignandam fore*: Immo fratres privati neque de licentia Superioris poſſunt habere apud Sydicum Conventus pecunias a maſſa communi ſeparatas; Sicut enim nec pro ſe poteſt Superior apud Syndicum denarios habere nomine, & auctoritate ſua expendendos, alias cenſeretur reus proprietatis, utpote diſponens de re non ſua, ac ſi ſui juris eſſet: Ita nec poteſt id ſubdito concedere, ſive agatur de pecunia, quæ obvenit Fratri titulo concionis, vel etiam ratione donationis, aut mercedis oblatæ; nam quovis titulo non eſt Fratris, nec ſub dominio Superioris, ſed Pontificis juxta citatas Conſtitutiones Martini IV. & V. ac Pauli IV. ideoque neque eſt in poteſtate Superioris diſponere, ut a Syndico ab alia ſequeſtrata retineatur in commodum Fratris particularis ad ejus occurrentes neceſſitates relevandas, alias de alieno diſponeret, & particeps, vel cauſa eſſet proprietatis, qua Frater contra Regulam delinqueret. Sic expreſſe Matthæuc. *in citat. Schola paupertatis tit.* 2. *conſil.* 3. *numer.* 45. Quinimmo Innocent. XI. Conſtitut. incipient. *Sollicitudo Paſtoralis Officii* confirmat. ab Innocent. XII. Conſtitut. incipient. *Alias*, ſic expreſſe ſtatuit; *Demum ut omnis occaſio tranſgrediendi præceptum de non contractandis denariis, ſeu pecuniis auferatur, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Prelatis, ſive ſuperioribus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub pœna privationis ſuorum officiorum injungimus, ut nulli Religioſo ejuſdem Ordinis permittant adminiſtrationem fundorum, redditnum, aut quarumcumque aliarum rerum, & Bonorum mobilium vel immobilium, cujuſcumque Domini illa ſint, & ſignanter, ut nulli Religioſorum Ordinis hujuſmodi permittatur adminiſtratio bonorum temporalium alicujus Monaſterii Monialium ſub quovis prætextu, aut nomine, nempe Adminiſtratoris, Syndici, Factoris, Colonis, Superintendentis, Villici, aut alio quovis imaginabili.*

21 Inſuper dict. P. Matthæuc. in *citat. Schola paupertatis tit.* 2. *conſil.* 3. *ſub numer.* 45. propoſito hoc dubio: *Quid, ſi quis ſibi reſervato dominio, ſponte deponat apud Syndicum, non velut Syndicum, ſed tamquam ſuum ſubſtitutum, vel Depoſitarium ſummam pecuniæ expendendam in neceſſitates talis Fratris, eique ſignificet*: Tradidi Syndico centum aureos, ut illis tuis neceſſitatibus provideas? Reſpondet, quod in caſu talis Frater non poteſt conſentire in depoſitum, & debet proteſtari, ac informare Syndicum ſe non poſſe in pecunias depoſitas conſentire, ad quas ſic depoſitas recurrere nequit, niſi poſita vera neceſſitate, & accedente licentia Superioris; Hæc ille.

22 Poſita tamen vera neceſſitate, & negligentia Superioris in miniſtrando neceſſaria, poteſt Frater ſubditus, nedum in tale depoſitum ſponte oblatum, & factum conſentire: ſed ſine peccato ſuis indigentiis providere per recurſum ad amicos ſpirituales, dummodo ſervet modificationes per declarationes Pontificias in citat. Conſtitutionibus præfinitas; Neceſſitas enim non habet Legem; *capit. Sicut* 11. *de conſecrat. diſtinct.* 1. *capit. Conſilium* 2. *de obſervation. jejunor. capit. Omnes* 1. *de Fer. capit. Conſuluiſti* 3. *de celebrat. Miſſar.*, & *citato capit. Exiit* 3. *de verborum ſignificat. in* 6. quia ut expreſſe habetur *in capit. Quod non eſt licitum* 3. *de Regul. juris*: *Quod non eſt licitum in Lege, neceſſitas facit licitum*: Cavere tamen debet ſubditus, ne proprium commodum pro neceſſitate ſumat, & judicet: nec facile ſibi ipſi credere debet, cum regulariter quis in re propria ſoleat cæcutire; Unde Superiorum aliorumque prudentum expertorum judicium, & conſilium exquirere debet; Quinimmo nunquam recurrere debet ad amicos ſpirituales, ut iſti ſuis neceſſitatibus pecunia provideant, niſi prius requiſita explicita Superiorum licentia, quamvis poſſit in aliquo caſu ſufficere tacita, & præſumpta.

Quænam autem ſint dictæ Pontificiæ modificationes ob- 23 ſervandæ, & pro quibus neceſſitatibus poſſit a Fratribus Minoribus haberi recurſus pro pecunia ad amicos ſpirituales, brevitatis gratia, utpote extra titulum, videndæ relinquuntur in citatis Decretalibus Nicolai III. & Clementis V. & in allegatis Conſtitutionibus, & declarationibus Martini IV. & V. ac Pauli IV. a Religione acceptatis, & noviſſime ab Innoc. XI. confirmatis; & abunde apud Regulæ Expoſitores, et ſignanter apud Marchant. in *expoſitione cap.* 4. & *in Relectione Theologica per tot.* et Matthæuc. *in ſchola paupertatis tit.* 2. *conſ.* 3. & 4. & *tit.* 4. *per tot.* ac Felic. Poteſt. *tom.* 1. *part.* 2. *a num.* 1149. ubi *a num.* 1161. duos tradit modos, quibus Fratres uti poſſunt in ſuis ſubveniendis neceſſitatibus cum omnimoda obſervantia Paupertatis a S. P. Franciſco præceptæ. Vide omnino, et ſerva.

Bona Syndici ſunt tacite hypothecata pro ſecuritate elee- 24 moſynarum: Unde ex bonis ex Syndici debet damnum reparari, ſi ipſe indebite, ac injuſte adminiſtraverit, ne pia Benefactorum deſtituatur intentio et ipſi Fratres opportunis auxiliis fraudentur, textu expreſſo in *citat. cap. Exiit* 3. §. *Ad hæc quia, de verbor. ſignific. in* 6. Matthæuc. *loc. citat. tit.* 4. *conſ.* 4. *numer.* 16. et alii paſſim: Sicque novus Syndicus inſtare debet 25 pro recuperatione pecuniæ, habetque actionem contra ex-Syndicum, et ejus heredes; Matthæuc. *loc. cit. tit.* 4. *conſ.* 4. *num.* 7. & 13. & *tit.* 5. *conſ.* 3. *num.* 6. & 26. ubi refert ad id cauſas ſic Romæ deciſas. Cum enim eleemoſynæ non conferantur Syndico, ut eas ſuo arbitrio ludis, ac negotiationibus exponat, vel alias diſſipet; ſed taxative pro ſolis Fratrum neceſſitatibus, ſibi imputari debet, ſi ex propriis ſupplere teneatur, quæ in alios uſus illicite, et male conſumpſit contra donantium intentionem, et mentem Pontificis, ſciens in Clementina: *Quia contingit* 2. *de Religioſis domibus*; expreſſe eſſe ſtatutum, *quod ea quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata Fidelium, ad illum debeant, non ad alium* (*ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate*) *converti*; Et ob id Syndicus conve- 26 niri debet coram Judice Conſervatore ex infra afferenda conſtitutione Clementis VII. incipient. *Dum conſideramus* §. 2. Et Ex-ſyndicus, ſi ſit Laicus, conveniri poteſt etiam coram Judice Laico, & ſi ſit Eccleſiaſticus conveniri debet coram Judice Eccleſiaſtico, *cap. Si quis Clericus* 1. & *cap. Nullus* 2. *de Foro competenti*, cum ſimilibus; Et etiam conveniri poteſt coram Judice Eccleſiaſtico ex-Syndicus Laicus, ſi Judex Laicus fuerit negligens in adminiſtrando Syndico debitam de jure juſtitiam, *cap. Licet* 10. & *cap. Ex tenore* 11. *de Foro competenti*, Matthæuc. *loc. cit. tit.* 4. *conſil.* 3. *n.* 3. & *tit.* 4. *conſil.* 4. *n.* 23. & 24. & alii paſſim.

Syndicus Apoſtolicus debet admitti in concuru Creditorum 27 adverſus ex-Syndicum decoctum, vel ejus heredes, & ſic etiam adverſus ſubſtitutos dantium, ſeu donantium, & alios veros debitores. Cum enim pecuniæ pro neceſſitatibus Fratrum Syndico, ſeu ſubſtituto conſignatæ, ſint ſub dominio Papæ, & Syndicus Apoſtolicus a Fratribus nominatus, ſit ipſius Papæ Miniſter, Œconomus, & Procurator, debet cum ceteris Creditoribus in concurſu admitti ut judicialem petitionem intentet, & hac forma pecunias male ab infideli adminiſtratore alienatas, ſeu diſſipatas, aut aliis juſto titulo vere debitas, Papæ ſuo Principali recuperet; Et quidem ſuo ordine anterioritatis juxta ordinem faciendi reſtitutionem aſſignatam ſub *verb. Reſtitutio artic.* 4. *a num.* 29. Cum hac tamen advertentia, quod ſi pecunia, pro indigentiis Fratrum Syndico, ſeu Subſtituto tradita, in individuo ab aliis diſtincta, & ſeparata reperiatur (de quo vel ſyngrapha appareret, vel eſſet in capſula deputata ad aſſervandas ſolas dictas eleemoſynas pro Fratrum neceſſitatibus oblata) eſſet novo Syndico integre tradenda, quamvis nihil omnino ſupereſſet, quo aliis creditoribus ſatisfieri poſſet, per jura a ſimili allata ſub dict. *verb. Reſtitutio articul.* 4. *numer.* 31. Hinc pro obviandis litigiis, quæ poſſent ſuboriri circa dictas pecunias pro Fratribus a Benefactoribus donatas, inſtruendi, & ſerio admonendi ſunt Syndici, ut ſupradictam omnino fideliter ſervent praxim in illarum aſſervatione, & cuſtodia.

Poſſunt Conventus præter etiam Subſtitutum nominandum 28 a dicto Syndico, *Communis*, per text. in *cit. cap. Exiit* 3. §. *In ea vero, de verbor. ſignificatione in* 6. ubi deciditur Subſtitutum principalis Domini poſſe alium ſubſtitutum nominare; Syndicus autem eſt ſubſtitutus, ſeu Delegatus Domini principalis, nempe Papæ, de cujus dominio ſunt res pro Fratribus relictæ, & per ipſum in eorum neceſſitates applicandæ: Et id habetur in ſtatutis Capituli Generalis anni 1976. confirmatis in forma ſpecifica ab Innocentio XI. Conſtitut. incip. *Militantis*, ibi: *Capitulum Generale præcipit ſub pœna privationis ſuffragii, quod Miniſter, ſeu Pro-Miniſter, & Cuſtos cujuſcumque Provinciæ ſimul ad Capitul. iter faciant cum unico tantum ſocio Religioſo pro utroque, & ſi expenſæ aliquæ in itinere ex neceſſitate facienda ſint, adducant ſecum Tertiarium, qui Syndici Apoſtolici ſubſtitutus ſit, & ipſius nomine expenſas prædictas inevitabiles faciat.*

29 Talis igitur Subſtitutus non eſt deputandus a Fratribus, cum Generales, Provinciales, & Cuſtodes privilegiati non ſint ad deputandos hujuſmodi ſubſtitutos, ſed Syndicos duntaxat, prout clare patet in d. Conſtitutione Pauli IV. incipient. *Ex Clementi*; Unde talis ſubſtitutus nominandus, & deputandus eſt ab ipſomet Syndico, ubi proſpiciat ſe non poſſe in totum per ſeipſum munus implere; arg. cit. ſtatut. General. confirmat. in d. Conſtitut. *Militantis*, & *cap. Si pro debilitate* 3. & *cap. Præterea* 5. *de Offic.*, & *poteſtat. Judicis delegat. cap. Cum cauſam* 62. *de appellationib. L. A judic.* 5. *Cod. de judiciis*, ubi diſponitur, quod Delegatus a Papa, vel Principe (uti eſt Syndicus Apoſtolicus) poteſt ſubdelegare. Immo Syndicus Apoſtolicus, nedum unum, ſed & plures ſubſtitutos, prout opus fuerit, poteſt deputare: Sic expreſſe Felix Poteſtas *tom.* 1. *part.* 2. *numer.* 1148. *verb. Syndicus*, & alii, *arg. cap. Cum te conſulente* 18. *de Offic.*, & *poteſtat. Judic. delegat.* ubi ſtatuitur, quod Delegatus a Papa poteſt unum vel plures ſubdelegare, & tenet Gloſſa 1. *ibidem*, & alii paſſim; Et id videtur expreſſe conceſſum etiam in cit. cap. *Exiit* 3. §. *Articulum iſtum*, & §. *In ea vero, de verb. ſignificat. in* 6. Hinc Subſtitutus, ſeu Subſtituti non dicitur, ſeu non dicuntur, Subſtitutus, ſeu Subſtituti Fratrum, ſed Syndici Apoſtolici; Et ideo debet ſubſtitutus, vel debent ſubſtituti pecunias recipere nomine Syndici, caſque de ejus auctoritate ſaltem generali in Fratrum neceſſitates expendere, & ei rationem reddere, non autem Fratribus, ut recte advertit Matthæucc. *Official. Curiæ cap.* 51. *num.* 8., & in *Schola paupertat.* 4. *conſil.* 2. *num.* 8. dicens poſſe ſolum Fratres Syndicum monere de aſſumenda perſona apta, & idonea, ſeu de aſſumendis perſonis aptis, & idoneis, eamque, ſeu eas proponere, ut eam, ſeu eas aſſumat, ſi ſibi placuerit, ad text. in *d. cap. Exiit* §. *Articulum iſtum*.

30 Nec poſſunt Fratres a Syndics computus Juridicos tamquam Domini exigere, ſed ſolum ad experiendam fidelitatem ipſorum, ad quam exhortandi ſunt, poſſunt cum eis computus naturales facere. Sic Conſtit. Generales Ordinis *cap.* 4. §. 2. *pag.* 83. Lantuſcha *Theatr. Reg. verb. Syndicus in fine*, *Matthæucc. Official. Cur. c.* 17. *n.* 44. & alii.

31 Poſſunt tamen Generales, & Provinciales, quoties eis opportunum videbitur, dictos Syndicos removere, alioſque ſubrogare, ſeu nominare, vel deputare. Sic conceſſiſſe Innocentium IV. refert Caſarub. *in Compend. Privilegiorum, verb. Procuratores Fratrum, ſeu Syndici num.* 1., ibi: *Conceſſit etiam, quod liceat prædictis Miniſtris præfatos viros ſic conſtitutos removere, alioſque ad prædicta exequenda ſint difficultate aliqua ſubrogare, quoties videbitur opportunum*; Et idem conceſſit Paulus IV. in d. Conſtit. incip. *Ex Clementi*; Et concordant ſtatuta Generalia Ordinis *cap.* 4. §. 1. *numer.* 3., ibi: *Declaramus*, quod *Generalis, vel Provinciales Miniſtri, non autem Guardiani, poſſint nominare aliquos extra Ordinem, ſicuti nominatos privare, qui ſint veri, & legitimi Adminiſtratores, Œconomi, Syndici, Actores, & Procuratores &c.*

32 Quæ Generalia ſtatuta Ordinis *ibid. num.* 5. expreſſe ordinant, quod *ſine dicto Procuratore, vel ſubſtituto nihil emi, aut vendi, vel de eleemoſynis prædictis ſub quocumque prætextu diſponi poſſit ſub pœna proprietatis, ſub qua etiam poena prohibemus, ne Guardianus, niſi in manu Syndici, vel ſubſtituti de ejuſdem licentia eleemoſynas pecuniarias teneat, vel per manus aliorum expendat.*

33 Syndici Apoſtolici, ſeu Procuratores Fratrum Minorum ampliſſimam habent facultatem ex conceſſione plurium Summorum Pontificum, & ſignanter ex conceſſione Pauli IV. Conſtitut. 1. incipient. *Ex Clementi*, in qua inter alias confirmat, & innovat conceſſionem eis factam a Martino IV. circa eleemoſynas omnes quomodocumque ad dictos Religioſos provenientes, ſeu ſpectantes, nimirum illas, *Per ſe petendi, recipiendi, exigendi, alienandi, tranſigendi, paciſcendi, agendi, conveniendi, promittendi, remittendi, quietationem faciendi, agendi, de fendendi &c. cum illis, & contra illos qui hujuſmodi res mobiles, & immobiles, aut pretium earum, ſeu relictas eleemoſynas Fratribus in Teſtamento occuparent &c. ac generaliter in omnibus cauſis pro rebus, & locis hujuſmodi ad ipſam Eccleſiam ſpectantibus &c. in Judicio, & extra &c.* ut fuſe in dict. Conſtitution. Pauli IV. incip. *Ex Clementi*, & de quibus late P. D. Gubernatis *in Orbe Seraphico lib.* 3. *tom.* 1. *cap.* 17. ac Rota *in Romana, & Mexicana* 22. *Junii* 1699. §. *Quamobrem, coram Cardinal. de la Tremoille.*

Ad impedienda autem multa inconvenientia ex parte di- 34 ctorum Syndicorum, ſeu Procuratorum oriri ſolita in alienationibus rerum relictarum ipſis Religioſis, ſeu Conventibus congruum exiſtimatum fuit *in Sacra Congregat. Concilii die* 18. *Martii* 1719. exquirere aliquod remedium, narrando quod Syndicis Apoſtolicis res, & bona Conventibus, & Religioſis relictæ aliquando viliſſimo pretio venduntur, vel quia Syndici eas vendunt favore Propinquorum, vel quia contrahunt cum perſonis, quibus reſiſtere non poſſunt, vel nolunt. Fuit propterea in Congregatione habita dicta die quæſitum: *An, & quale temperamentum ſit capiendum?* Fuitque Reſcriptum: *Quod mobilia pretioſa Eccleſiæ incorporata eſſe neceſſarium Beneplacitum Apoſtolicum: Quo vero ad omnes alias res, in futurum non poſſe Syndicos procedere ad venditionem, niſi prævia afflixione Edictorum, ut venditio fiat majori Oblatori.* Sic refert Urſaya *tom.* 3. *part.* 1. *diſcept.* 30. *in fine*, & Cardinal Petra *tom.* 5. *Commentar. in Conſt.* 5. *Pauli II. ſect.* 5. *num.* 5. Vide Matthæuc. *Official. Cur. cap.* 30. *num.* 28., ubi, & ipſe dicit: magnifica ornamenta Eccleſiaſtica non poſſe alienari ſine licentia Sedis Apoſtolicæ.

Syndici Apoſtolici gaudent privilegio Fori in cauſis Civili- 35 bus, Criminalibus, & mixtis, motis, & movendis: Sic expreſſe conceſſit Clemens VII. Conſtit. 19. incip. *Dum conſideramus*, ut infra.

„ Dum conſideramus aſſiduos labores, & vigilias, quos „ dilecti Filii Syndici, & Procuratores Domorum, & Mo„ naſteriorum Fratrum Minorum Sancti Franciſci Regularis „ Obſervantiæ, & Monialium Sanctæ Claræ, Conceptionis, „ & Annunciationis Ordinum, & Sororum Tertiæ Regulæ San„ cti Franciſci ſuſtinere non ceſſant, merito Nos obligant, ut „ animarum ſuarum ſaluti conſulamus, ipſoſque a quibus „ moleſtiis, & injuriis ſibi pro tempore illatis, quantum „ cum Deo poſſumus, relevemus.

„ Idcirco uni Syndico, & Procuratori hujuſmodi cum „ illius Uxore, & liberis præſenti, & futuro ſingulæ Do„ mui, & Monaſterio prædictis pro tempore ſervientibus, „ quod de cetero perpetuis futuris temporibus, ipſi, & eo„ rum quilibet omnibus, & ſingulis Indulgentiis, & pecca„ torum remiſſionibus, favoribus, & gratiis, quibus Fra„ tres Ordinis Obſervantiæ prædictorum utuntur, potiun„ tur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poſſint, „ & valeant.

„ Inſuper in quibuſvis cauſis, & rebus ipſos Syndicum, „ & Procuratorem concernentibus, Civilibus, Criminali„ bus, & mixtis; non niſi coram Judicibus Conſervatori„ bus Domorum illarum, quarum ipſe Syndicus, & Pro„ curator fuerit de juſtitia reſpondere teneatur, auctoritate „ Apoſtolica concedimus, & indulgemus.

„ Inhibendo ſub Excommunicationis latæ ſententiæ pœ„ na univerſis, & ſingulis Judicibus, Commiſſariis Eccle„ ſiaſticis, & ſæcularibus, quacumque auctoritate fulgenti„ bus, ne de cauſis contra dictos Syndicos, & Procurato„ res, motis, & movendis, directe, vel indirecte, quovis „ quæſito colore, ſeu prætextu ſe intromittere quomodoli„ bet de cetero audeant, vel præſumant. Decernentes „ quoſcumque proceſſus contra dictos Syndicos, & Procu„ ratores per alios, quam dictos Conſervatores, in cauſis „ duntaxat contra eos motis, & movendis, habendos, & „ ſententias ferendas, nullos, & invalidos, nulliuſque ro„ boris, vel momenti fuiſſe, & eſſe, ac irritum, & inane, „ ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, „ vel ignoranter, contigerit attentari, non obſtantibus &c. „ &c. 16. Aprilis 1526.

Ad hoc ab Innocentio XI. confirmantur in forma ſpecifica 36 Decreta variarum Sac. Congregat. emanata ſuper exemptione præfatorum Syndicorum.

„ Alias pro parte dilecti Filii Franciſci Mariæ Tagliaferri „ Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti „ Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, Congregationi „ Ve-

„ Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcop. & Regul. præpoſitæ, expoſito, quod dudum nonnulli Romani Pontifices, & præſertim fel. record. Nicolaus III. & Nicolaus IV. Martinus V., & Eugenius IV. Prædeceſſores noſtri, ut vera obſervantia, Regulæque puritas in Ordine prædicto vigeret, & magis augeretur, Fratreſque ipſius Ordinis ab omni Dominio, & proprietate alieni conſervarentur, ſtatuerant, & ordinaverant, ut unicuique Conventui dicti Ord. aſſignaretur unus Procurator, ſive Syndicus Apoſtolicus, qui omnes eleemoſynas, tam pecuniarias, quam aliarum rerum colligere, illaſque ſolus in neceſſitates FF. præfatorum applicare deberet.

„ §. 1. Et ſubinde recol. mem. Clem. Papa VII. etiam Prædeceſſor Noſter, intuitu laborum, quos ejuſmodi Syndici in Beneficio dictorum FF. quocumque tempore, & quavis occaſione aſſidue ſuſtinebant, eoſdem Syndicos a Foro ſæculari exemerat, volens, ut in cauſis tam Civilibus, quam Criminalibus, & mixtis, nonniſi coram Judicibus Conſervatoribus eorundem FF. Minor. de Obſervantia de juſtitia reſpondere tenerentur, & alia prout in ipſius Clementis Prædeceſſoris Litteris, deſuper in ſimili forma Brevis die 15. Apr. 1526. expeditis plenius dicitur contineri.

„ §. 2. Ac in eadem expoſitione ſubjuncto, quod nonnulli dicerent, privilegium hujuſmodi in aliqua ſui parte amplius in uſu non eſſe, alii vero prætenderent, illud Syndicis prædictis, ratione eorum Officii tantum, non autem uti talibus perſonis, competere, unde fiebat, ut Fratres prædicti non ſine Paupertatis, & Regulæ, quam profitentur, ſuarum conſcientiarum detrimento, neminem amplius reperire poſſent, qui eorum Syndici, ſive Procuratoris munus in ſe ſuſcipere, eumque laborem aſſumere vellet.

„ §. 3. Ideoque pro parte præfati Franciſci Mariæ Procuratoris Generalis d. Congregat. Cardinalium ſupplicato, ut non ſolum auctoritate Apoſtolica confirmaretur dictum privilegium, ſed etiam illud Syndicis, ſive Procuratoribus hujuſmodi, ut talibus perſonis competere declararetur.

„ §. 4. Emanavit ab eadem Congregat. Cardinalium Decretum tenoris ſequentis, videlicet: Sacra Congregatio EE. S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, atque attenta remiſſione Libelli per S. D. Noſtrum facta, referente Emin. Norfolch cenſuit danda eſſe Oratori Decreta alias edita; nempe ſuper præmiſſis ſervandam eſſe præfatam Conſtitutionem ſan. mem. Clem. VII. prout præſentis Decreti tenore omnino ſervari mandat, & præcipit. Romæ 28. Martii 1686.

„ §. 5. Porro cum dictus Franciſcus Maria Procurat. Generał. prænarrata pariter expoſuiſſet Congregationi etiam Venerabilium FF. Noſtrorum, ejuſdem S. R. E. Cardinalium ſuper Immunitate Eccleſiaſtica, & controverſiis Juriſdictionalibus deputatorum: hæc Congregatio cenſuit danda eſſe decreta anteriora tenoris, qui ſequitur, videlicet: Sac. Congregatio ſuper Immunitate Eccleſiaſtica, & controverſiis juriſdictionalibus, habita ſub hac die Martii 1686. circa expoſita in præſenti ſupplici Libello, dixit, danda eſſe decreta, ut infra. Die 31. Maii 1639. Fanen. Provincialis Fratrum Minorum Obſervantiæ S. Franciſci Sac. &c. cenſuit reſpondendum Epiſcopo, ut quoad exemptionem Syndici Fratrum Min. de Obſerv. loci de Cartoceto faciat Bullam Clem. VII. obſervari, ſi in eo concurrunt requiſita ejuſdem Bullæ.

„ §. 6. Die 17. Nov. 1642. Peruſina. Fratres S. Franciſci Minor. Obſerv. Sacra &c. cenſuit ſervandam eſſe Bullam Clem. VII. circa privilegium Fori, & exemptionis Syndicorum, & Procuratorum Ordinis FF. Minorum S. Franciſci de Obſervantia.

„ §. 7. Die 4. Aug. 1654. Fanen. Epiſcopus: An Syndicus FF. Minorum de Obſervantia S. Franciſci gaudere debeat privilegio Fori? Sacra &c. cenſuit hujuſmodi Syndicum gaudere privilegio Fori juxta Conſtitutionem Clemen. VII.

„ §. 8. Die 23. Maii 1945. Romana. P. Commiſſarius Generalis Curiæ quærit: An Syndici, & Procuratores Apoſtolici Conventuum ſuæ Religionis gaudeant privilegio Fori etiam in cauſis, tam Civilibus, quam Criminalibus, & mixtis motis ante inſtitutionem Officiorum virtute Bullæ Clement. fel. rec. Papæ VII. Sacra Congregat. reſpondit Syndicos Conventuum Ordinis FF. Minorum de Obſerv. Sancti Franciſci, ex Bulla fel. rec. Clementis VII. gaudere privilegio Fori, *tam in cauſis* Civilibus, quam in Criminalibus, & mixtis etiam motis ante eorum deputationem, ſeu inſtitutionem in Officium Syndicatus.

„ §. 9. Die 23. Maii 1645. Recinaten. An Syndicus Monialium S. Claræ gaudeat privilegio Fori, pro ut gaudent Syndici Fratrum Minorum de Obſervantia? Sacra &c. cenſuit hujuſmodi Syndicum gaudere debere privilegio Fori, in quorum fidem &c. Datum Romæ ſub hac die 20. Aprilis 1686.

„ §. 10. Cum autem &c. Nos &c. Decreta præinſerta a memoratis Congregationibus Cardinalium reſpective emanata Auctoritate Apoſtol. tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate earumdem reſpective Congregationum Cardinalium. Decernentes &c. ſicque in præmiſſis &c. irritum, & inane, &c. non obſtantibus &c. Romæ 19. Junii 1696.

Dicti Syndici Apoſtolici non poſſunt compelli ad exercenda munia publica Communitatis, nec conveniri, niſi coram Judice Conſervatore. Ita reperitur in libro Decretorum Sac. Congregationis ſuper Immunitate Eccleſiaſtica, & controverſiis juriſdictionalibus *ſub die* 10. *Maii* 1699. videlicet: *Sacra Congregatio inhærendo declarationibus alias factis cenſuit Procuratorem, & ſyndicum FF. Minorum de Obſervantia ex Bulla f. l. rec. Clement. VII. gaudere privilegio Fori, tam in cauſis Civilibus, quam in Criminalibus & mixtis, & inſuper non poſſe compelli ad exercenda munia publica Communitatis, neque a quoquam poſſe moleſtari, niſi coram legitimo Conſervatore. Romæ hac die 7. Januar. 1699.* 37

Et ſub die 9. Auguſti 1701. Sacra Conſulta in favorem Syndici Conventus Terræ Fabriani, extracti ad effectum, ut exerceret munus Communitatis, reſcripſit: *extrahi alium*, & iterum propoſita cauſa, & inſtante loci Gubernatore ſub die 19. ejuſdem menſis, & anni reſpondit: *In deciſis*.

Tales Syndici gaudentes privilegio Fori ſunt exempti a Repræſaliis. 38

## Spoletana.

*Inſtantibus Monialibus Monaſteriorum Sanctiſſimæ Trinitatis, Sancti Pontiani, & Sanctæ Catharinæ pro declaratione Agentes dictorum Monaſteriorum eſſe exemptos a Repræſaliis: Sacra Congregatio ſuper Immunitate Eccleſiaſtica, & controverſiis juriſdictionalibus habita ſub die* 14. *Januarii* 1698. *cenſuit ſyndicos tantum gaudentes privilegio Fori eſſe exemptos a Repræſaliis. Romæ die* 7. *Januarii* 1699.

Hic juvat ſubnectere varia Decreta Sacræ Congregationis Immunitatis ad rem facientia prout referuntur a D. Riccio *in ſua Synopſi ver. Syndicus*, nempe. 39

Bulla fel. mem. Clementis VII. circa privilegium Fori, & exemptionis Syndicorum, & Procuratorum Ordinis Fratrum Minorum Obſerv. S. Franciſci eſt obſervanda. *Sacr. Congr. Immun. in Peruſina* 17. *Novembr.* 1642. *lib. Decret. Paulucc. pag.* 190. *in Maceraten.* 8. *Martii* 1644. *ibidem pag.* 221. *in Fanen.* 4. *Auguſti* 1654. *lib.* 5. *Decretal. Paul. pag.* 48. 40

Syndici Conventuum Ordinis FF. Min. Obſerv. ex Bulla ſupracitata gaudent privilegio Fori, tam in cauſis Civilibus, quam in Criminalibus, & mixtis, etiam motis ante eorum deputationem, ſeu inſtitutionem ad Officium Syndicatus. *Sac. Cong. Immun. in Romana* 23. *Maii* 1645. *lib.* 3. *Decretal. Paul. pag.* 251. 41

Syndicus legitimus, & unicus Fratrum Minorum ſtrictioris Obſervantiæ ex laudata Bulla gaudere debet privilegio Fori, tam in cauſis Civilibus, quam in Criminalibus, & mixtis, nec a quoquam poteſt moleſtari, niſi coram legitimo Conſervatore. *Sacr. Cong. Immun. in Terracinen.* 6. *Septembr.* 1666. *lib.* 1. *Decret. Altoviti p.* 32. 42

Non poteſt compelli ad exercenda munia publica Communitatis. *Sac. Congregat. Immun. in Sabin.* 10. *Maii* 1667. *ibi pag.* 124. 43

Nec ad ſolvendas collectas pro oneribus communitativis ſuper propria ipſius bona: Dummodo ſit unicus Syndicus Conventus. *Sac. Congregat. Immun. in Feretrana* 19. *Maii* 1703 *lib.* 3. *Decret. Vall. pag.* 488., *& in Martirana* 28. *Martii* 1704. *dict. lib. pag.* 566. 44

Syndicus Conventus FF. S. Franciſci Min. Obſerv. eſt ſubjectus Juriſdictioni Epiſcoporum, non exiſtente legitimo Conſervatore Religionis: *Sac. Congregat. Immun. in Aſſiſienſ.* 21. *Aprilis* 1643. *lib.* 3. *Decretal. Paulucc. p.* 198. 45



46 Syndicus Conventus S. Franciſci de Alvernia habitans in Civitate Æſina non gaudet privilegio Syndicorum vigore Bullæ Clementis VII. *Sac. Cong. Immun. in Æſina* 24. *Maii* 1701. *lib.* 3. *Decr. Val. p.* 353.

47 Epiſcopus poteſt procedere contra Syndicum Fratrum Min. Obſerv. S. Franciſci ob contraventionem diei Feſti. *S. Cong. Immun. in Foroſempronien.* 25. *Januarii* 1650. *lib.* 4. *Decr. Paul. p.* 97.

48 Sacra Congregatio declarat bene proceſſum fuiſſe per Curiam Epiſcopalem contra Syndicum hujuſmodi attento conſenſu ejuſdem Syndici in Juriſdictionem. *Sac. Cong. Immunit. in Auximana* 10. *Septemb.* 1647. *ibi p.* 26.

49 Epiſcopus inſinuet Syndico FF. Minor. Obſerv. ut vel abſtineat a Syndicatu, vel ab Officiis publicis. *Sac. Cong. Immun. in Aſculana* 4. *Aprilis* 1659. *lib.* 5. *Decret. Paul. pagin.* 9.

50 Immo Syndicus FF. Min. Obſerv., & ſimul Appaltator Ovorum in loco Montis Falchi quoad pertinentia ad appaltum non gaudet privilegio Fori. *Sac. Congregat. Immun. in Spoletana* 21. Novembris 1702. *lib.* 6. *Decr. Vallem. p.* 200.

51 Syndici FF. Minor. Obſerv. S. Franciſci tenentur parere mandatis Ædilium quoad merces, & earum emptionem, & venditionem, ſive etiam tranſlationem ad loca Nundinarum. *Sac. Cong. Immunit. in Ariminen.* 15. *Decembr.* 1671. *lib.* 1. *Decret. Altovit. p.* 671.

52 Pro Syndicis FF. Capuccinorum dantur Decreta emanata pro exemptione Syndicorum Fratrum Min. *Sac. Cong. Immun. in Romana* 15. *Decembr.* 1671. *ibi p.* 633.

53 Syndicus fabricæ Conventus FF. Capuccinorum gaudet privilegio Fori ad tenorem Conſtit. felic. memor. Clement. VII. *Sac. Congreg. Immun. in Recinaten.* 17. *Martii* 1674. *ubi pag.* 911.

54 Syndicus Monialium S. Claræ allegare poteſt privilegium Fori coram Conſervatore, eoque gaudere. *Sacr. Congreg. Immunit. in Urbanien.* 8. *Apr.* 1642. *lib.* 3. *Decr. Pal. pagin.* 174. *&* 5. *Septembr.* 1668. *lib.* 1. *Decretal. Altoviti p.* 263.

55 Syndici Monialium S. Claræ gaudent privilegio Fori, prout gaudent Syndici Fratrum Min. Obſerv. S. Franciſci. *Sac. Cong. Immunit. in Recinaten.* 15. *Februarii* 1656. *lib.* 5. *Decret. Paul. pag.* 89.

56 Et ſunt exempti a Repræſaliis. *Sacr. Congregat. Immunit. in Spoletana* 15. *Januarii* 1698. *lib.* 2. *Dec. Val. p.* 133.

57 Syndicus Monialium S. Claræ gaudet exemptione quoad onera perſonalia tantum. *Sacra Congregat. Immunit. in Ariminen.* 15. *Martii* 1672. *lib.* 1. *Decr. Alt. p.* 682., *& in Foroſempronien. dictis die, Ann. & lib. pag.* 664. *& in Feretrana* 27. *Februar.* 1674. *ibi p.* 93.

58 Syndicus Monialium S. Claræ, licet teneatur ad collectas Communitatis impoſitas pro ſolutione ſalarii inſervientium Communitati, cum non ſint onera perſonalia, attamen, quia fuit in bona fide, & actus executionis factus a Judice Laico non poteſt ipſum conſtituere in mala fide, non tenetur ad ſolutionem dictarum collectarum, niſi poſt Decretum Sacræ Congregat. quo declaratum fuit dictum Syndicum gaudere privilegio Fori, & exemptione ab oneribus perſonalibus tantum. *Sac. Cong. Immunit. in Feretrana* 31. *Junii* 1674. *lib.* 1. *Decret. Alt. p.* 974.

59 Syndicus Monialium S. Claræ quoad privilegium perſonale non gaudet, niſi in loco, ubi exercet Officium. *Sac. Cong. Immunit. in Feretrana* 31. *Auguſti* 1671. *lib.* 1. *Decret. Alt. pag.* 1445.

60 Syndici Terræ Sancti Petri gaudent privilegio quoad Forum, & Perſonam. *Sac. Cong. Immunit. in Catacen.* 14. *Sept.* 1626. *lib.* 1. *Decret. Paulucci p.* 15.

61 Unus autem tantummodo Syndicus Apoſtolicus pro unoquoque Conventu gaudet prædictis Apoſtolicis privilegiis, prout pluries reſcripſit *Sac. Cong. Boni Regiminis*, & ſignanter *in Piſaurien.* 24. *Januarii* 1699., & patet ex allata Conſtitutione Clementis VII. §. 2., ibi: *Idcirco uni ſyndico, & Procuratori hujuſmodi*, & ex allata etiam Conſtitutione Innocentii XII. ante §. 1., ibi: *Unus Procurator, ſive ſyndicus Apoſtolicus*.

62 Inſuper eadem Sacra Congr. Boni Regiminis die 19. Julii 1654. propoſita cauſa ad inſtantiam quarumdam Communitatum, partibus auditis, cenſuit *ſyndicos Apoſtolicos teneri ad onera Communitativa*. Sic referunt Matthæuc. *Official Cur. c.* 51. *numer.* 6., & Urſaya *tom.* 3. *part.* 1. *diſcept.* 30. *num.* 58.

Eccleſiaſtici aſſumpti in Syndicos Apoſtolicos non ſunt exempti a Juriſdictione Ordinarii. *Sacr. Congregat. Concilii die* 5. *Julii* 1710. *in Inſulana Exemptionis*, in qua pro Syndico Apoſtolico, qui erat Sacerdos, propoſito dubio: *An ſacerdos Felix de ſola ſyndicus unicus PP. Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Civitatis Inſulæ ſit exemptus a Juriſdictione Epiſcopi, tam extra Viſitationem, quam in actu Sanctæ Viſitationis*, fuit reſcriptum, *Negative in caſu, de quo agitur*, in quo concurrebant multæ circumſtantiæ excluſivæ talis exemptionis, propter quas Sacra Congregatio addidit illa verba: *In caſu, de quo agitur*. Sic refert Urſaya *tom.* 3. *p.* 1. *diſcept.* 30. *n.* 59. 63

Syndici Apoſtolici non comprehenduntur in Decreto, quod ſæculares non pernoctent in Conventibus Fratrum Minorum. *Sic Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium*, expreſſe reſpondit ad dubium eidem ſuper ea re per Patrem Fratrem Joannem Baptiſtam ab Atina Procuratorem Generalem Ordinis propoſitum: *An ſcilicet dicti ſyndici comprehenderentur in Decreto emanato die* 1. *Decemb.* 1679. Audito enim Patre Miniſtro Generali Ordinis, & attentis narratis, *dicta Sacra Congregatio cenſuit, ac declaravit præfatos Syndicos Conventuum ejuſdem Ordinis non comprehendi in enunciato Decreto. Romæ* 4. *Decembr.* 1699. *G. Card. Carpineus*. 64

Syndico Apoſtolico duntaxat licitum eſt, non Fratribus Minoribus de Obſervantia, ſeu Reformatis exigere in judicio Legata facta Sacriſtiæ, vel Fabricæ Eccleſiæ, aut Conventus. Cum enim in Congregatione ad id ſpecialiter ab Urbano VIII. deputata, fuiſſent propoſita hæc duo dubia: I. *An valeat Legatum annui redditus factum fabricæ ſacriſtiæ, vel Eccleſiæ Fratrum Minorum tam de Familia, quam ex Reformatione*. II. *An liceat Fratribus hujuſmodi Legata in judicio exigere per eorum Procuratores, vel ſyndicos Apoſtolicos*; Reſponſum fuit: *Ad* I. *Valere Legatum annui redditus factum Sacriſtiæ, vel fabricæ Eccleſiæ, vel Conventus Fratrum Minorum, tam de Familia, quam de Reformatione, niſi adſit exceſſus in quantitate. Ad* II. *Nec per ſeipſos, nec per alios licere Fratribus in judicio exigere hujuſmodi Legata, ſed ſyndico Apoſtolico duntaxat*. Sic apud Fagnanum dictæ Congregationis Secretarium *in cap. Nimis prava numer.* 49. *&* 12. *de exceſſibus Prælat.* & apud *tom.* 2. *Theſauri Reſolutionum Sacræ Congregation. Concilii in expoſitione cauſæ in Firmana Legatorum §. Hæc ſunt*. 65

Syndicus Apoſtolicus nequit habere dominium, & poſſeſſionem cenſus relicti Fratribus Obſerv. & Reformatis. Et dicti Syndici nomine nequent præfati Fratres retinere bona ſtabilia, cenſus, alioſque annuos redditus. Sic apud *d. tom.* 2. *Theſauri Reſolut. Sacræ Congregationis Concilii in expoſitione cauſæ in Firmana Legatorum §. Tum quia*, ubi refertur ad id Reſolutio cit. ſpecialis Congregationis, & Congregationis R. Fabricæ *in Æſina Legati* 26. *Novembr.* 1692., *& Sac. Congregatio Concil.* 2. *Octobr.* 1721. ubi ad dubium; *An Religioſis S. Franciſci Min. Obſervant. Murri Vallium liceat retinere Legatum relictum a quondam Ludovica Moretti in caſu &c.* Reſponſum fuit: *Negative, & ſyndicum teneri cenſum dimittere, ſed Patres poſſe recipere fructus ab heredibus per modum eleemoſynæ*. 66

Syndicus Minorum de Obſervantia, & Reformatorum in concernentibus correctionem eorum, non eſt exemptus a juriſdictione Ordinarii. *Sacr. Congregat. Concil. in Nullius Altamuræ Exemptionis* 3. *Auguſti* 1715. *ad V.* apud D. Theſaurum *tom.* 9. *circa fin.* 67

## SYNODUS DIŒCESANA.

Synodus ex Græco interpretatur Comitatus, vel Cætus, textu expreſſo *in Cap. Canones* 1. *diſt.* 15. *verſ. Synodus*, ibi; *Synodus autem ex Græco interpretatur Comitatus, vel Cætus*. 1

Synodus Diœceſana eſt celebranda ſingulis annis ab unoquoque Epiſcopo in ſua Diœceſi. Sic expreſſe ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de reformatione Cap.* 2. ibi; *Synodi quoque Diœceſanæ quotannis celebrentur*. Poteſtque celebrari etiam extra Eccleſiam, ex Monacell. *t.* 1. *tit.* 5. *formul. n.* 7. Bott. Maſſobr. ibi citatis. Et ſi neceſſitas poſtolaret, poſſet Synodus Diœceſana etiam ſæpius in anno celebrari. Barboſa *ad Concil. cit. ſeſſ.* 22. *Cap.* 2. *n.* 17. *& p.* 5. *de Offic. & poteſt.* 2 3

poteſt. Epiſcop. alleg.93. n.2. Ugolin. de Offic. Epiſcop. c.48. n.3. & alii per textum in c.De Conciliis 2. diſt.18.

4 Epiſcopus non celebrans ſingulis annis ſynodum Diœceſanam incurrit poenas a jure ſtatutas. S.C. Conc. 26. Junii 1621. Epiſcopus omittens ſine cauſa celebrare quotannis ſynodum de jure communi eſt ſuſpendendus ab executione Officii, ex c. ſicut olim, de accuſationibus. S.Congr. Conc. 21. Martii 1590. apud Pignatell. tom.4. conſult.132. Barboſa ad Concil. l. cit. numer. 18. Gavant. in manual. Epiſcop. verb. ſynodus num. 5.

5 Epiſcopus duarum Civitatum unitarum debet in utraque Diœceſi alternative Synodum celebrare, nec Capitulum unius Cathedralis cogi poteſt, ut accedat ad Synodum alterius. S.Congr. Conc. in una Civitatis Caſtellanæ, & Hortanæ 8. Januarii 1624. & ſæpius alibi teſte Pignatell. tom.4. conſult.132. Hinc eadem S.C. Conc. in Valven. & Sulmon. 3. Septembris 1650. declaravit, quod in qualibet Civitate deputandi ſunt Examinatores ſynodales diſtincti ab illis, qui deputantur in altera Civitate; Et quod Epiſcopus pro cauſis Diœceſanorum unius Diœceſis deputare debeat Vicarium Generalem in illa Diœceſi. Ac etiam quod Clerici unius Dioeceſis delinquentes debeant ibidem in carcerem condi, & non tranſmitti ad carceres alterius Dioeceſis; ſic apud Pignatell. l. c. ubi inſuper adducit ad rem alia Decreta ſacræ Congregationis Epiſcoporum.

6 Afferuntur ad id aliæ noviſſimæ Reſolutiones ſacræ Congregationis Concilii, nempe, in Ampurien. Synodi, ubi ita „ habetur; „ Approximante tempore celebrationis ſynodi, „ Epiſcopus, ſtante quod Ampurienſis Dioeceſis unita ſit „ æque principaliter Civitatenſi Dioeceſi, nulla in hac par„ te ſuffultus conſuetudine, ſupplicat ab Eminentiis VV. „ edoceri ...... I. An ipſe teneatur celebrare ſynodum in „ utraque Dioeceſi, & quatenus negative. II. An renuentibus „ Civitatenſibus accedere ad Cathedralem Ampurienſem, „ eos juris remediis ad acceſſum, & ad ſynodi obſervantiam „ compellere poſſit? Et ſacra Congregatio 8. Maji 1694. „ Reſpondit; Ad I. Affirmative alternatim. Ad II. Negative, ut in lib.44. Decret. p.212. Et in Geruntinen. & in Cariaten. ſynodi & Gravaminum: Cum Capitulares, & reliqui de Clero Geruntinen. ad ſynodum per Epiſcopum indictam, & in Civitate Cariatenſi habitam, non acceſſiſſent, tum ob itineris incommodum, tum etiam quia Eccleſiæ Geruntinen. & Cariaten. fuerint inter ſe acceſſorie unitæ, reſervata tamen præeminentia Geruntinenſi, inter cetera diſceptata fuerunt hæc dubia. I. An ſynodus ab Epiſcopo celebrata in Cathedrali Cariaten. ſuſtineatur? Et quatenus negative. II. An Cenſuræ ab Epiſcopo fulminatæ contra Canonicos Geruntinos ſuſtineantur? Et ſacra Congregatio die 7. Octobris 1706. Reſpondit: Ad I. Affirmative. Ad II. & III. Negative. Sed propoſita cauſa ſub dubio: An, & in quibus ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die 2. Octobris 1706. in caſu &c. Die 1. Februarii 1708. Reſcripſit: Ad I. In deciſis. Ad II. prævio receſſu a deciſis, Affirmative. Ad III. uſque ad ultimum. in deciſis, ut in lib.58. decr. p.53. Et in Matheranen. & Acheruntina ſynodi, ad ſequentia dubia. I. „ An licitum „ ſit Archiepiſcopo Matheranenſi, & Acheruntino convo„ care ſynodum Dioeceſanam in civitate Matheræ pro utra„ que Dioeceſi, ſeu potius eam celebrare teneatur in civi„ tate Acheruntina „? Et quatenus affirmative ad primam partem, & negative ad ſecundam. II. An idem Archiepiſcopus compellere poſſit Eccleſiaſticos dictæ Civitatis, & Diœceſis Acheruntinæ ad interveniendum prædictæ ſynodo in caſu &c. Sacra Congregatio 24. Martii 1736. Reſpondit, dilata, non retardato pro hac vice interventu Cleri Acheruntini ſynodo jam indictæ in civitate Matheranenſi ſine præjudicio jurium ambarum partium. Sic apud Theſaurum Reſolutionum S.Congregationis Concilii tom. 7. in dict. Matheranen. & Acheruntina ſynodi, in cujus cauſæ expoſitione refertur etiam ſequens Decretum in Pennen. & Adrien. ubi eadem Sacra Congregatio die 27. Iul. 1647. Reſpondit: „ Synodum „ ab Epiſcopo congregatam, & celebratam in Civitate Pen„ nen. quæ ratione alternativæ celebranda erat in Civitate „ Adrienſi, non eſſe abolendam, ſed acriter corripiendum „ Epiſcopum, & faciendam declarationem, quod hujuſ„ modi celebratio nullo modo præjudicet Civitati Adrienſi „ ratione dictæ Alternativæ, prout hæc Sacr. Congr. declarat „ ut in lib.18. Decr. p.367.

7 Epiſcopus nondum conſecratus, ſi Bullas expedivit, poteſt ſynodum convocare; Gavant. in Manual. Epiſc. verb. Synodus Diœceſana n.1. Maſſobrius de ſynodo Epiſcopi Cap. 2. dub.1. num.9. Barboſa ad Concil. loc.cit. n.20. & cit. allegat. 93. poſt n.3. cum aliis ibi citatis.

8 Archiepiſcopus non poteſt ſynodum congregare ante ſuſceptionem Pallii. Sic expreſſe Gloſſa in cap. Pallium 6. verb. Miſſarum diſt.100. ibi: Et in ſynodo etiam uti valet, ſed non poteſt ſynodum congregare ante ſuſceptionem Pallii, Pirhing in Jus Canonicum tom.1. lib.1. tit. 8. n.11. Azorius inſtit. moral. p.2. lib.3. Cap.34. q.2. Card. Petra tom. 5. Commentar. ad Conſtit. Pii II. num. 31. & alii cum Barboſa cit. alleg. 93. per text. in Cap. Quod ſi ut §. ſuper eo. de elect.

9 Synodus Cleri Romani convocari poteſt ab Eminentiſſimo Cardinale Urbis Vicario, ut actum fuiſſe liquet in proemio ſtatutorum Cleri Romani impreſſorum, & expreſſe data fuit facultas a Paulo III. Conſt.36. a 10. ibi: „ Synodum in „ Romano Clero pro correctione malorum morum, & pro „ neceſſitate, juxta temporum opportunitates in Clero oc„ currentes, ubi, & quando libuerit celebrandi, & congre„ gandi ſtatuta, & ordinationes, ſeu Conſtitutiones pro tem„ pore obſervandas edendi „. Sic Card. Petra tom.5. Comment. ad conſt.1. Pauli II. n.64.

10 Vicarius Generalis Epiſcopi abſque ejus ſpeciali mandato non poteſt ſynodum Dioeceſanam convocare. S. C. Concil. 11. Aug.1618. apud Sell. in ſelectis Canon. c.25. n.31. Barboſ. ad Concilium l.c. n.21. & tenent paſſim doctores. Vide verb. Vicarius Generalis art.2. n.20.

11 Vicarius Capitularis, ſede vacante poteſt, immo debet ſynodum congregare; In illum enim transfertur juriſdictio Epiſcopalis. Sic deciſum fuiſſe a S. C. Concil. referunt Garcias de Benef. p.9. cap.2. n.8. Card. Petra tom. 5. Comment. ad conſt.4. Calliſti III. ſect.2. n.113. Gavant. l.c. verb. ſynodus Dioeceſana n.2. Barboſa ad Conc. l.c. n.22 & ad id teneri docent Sbroz de Offic. Vicar. l.2. q. III. in addit. ſub n.5. Pavin. de poteſt. capituli ſede vacante p.1. q.9. verſ. Ex præmiſſis, & q.10. Boteus de ſynodo p.1. q.6. n.40. Maſſobrius l. c. c.2. dub.4. Barboſa cit. alleg.93. ſub n.4. & alii.

12 Abbates, aliique Prælati Epiſcopo inferiores non poſſunt congregare ſynodum, niſi habeant copulative tria requiſita, ſcilicet Territorium vere ſeparatum cum Juriſdictione quaſi Epiſcopali in Clerum, & populum, & ſpeciale Indultum Apoſtolicum cum ſubſecuta conſuetudine, Barboſa ad Concil. Trid. ſeſſ.24. de reform. c.18. n.45. Card. de Luca ad Concil. diſc.30. n.12. Lotter. de re Benef. l. 2. q.31. n.88. & plurimi alii citati a Card. Petra t.5. Comment. ad Conſt.4. Calliſti III. ſect.2. n.114. & 115. ubi ad id refert plura Decreta S.C. Conc. Vide ibi multa ad rem.

13 Epiſcopus juſto aliquo impedimento detentus poteſt ſynodum congregare per alium. Sic deciſum fuiſſe a S.C. Concilii referunt Ugolinus de Offic. Epiſc. cap.48. n.3. Barboſa ad Concil. ſeſſ.24. de reform. cap.2. n.19. & cit. alleg.43. n. 3. ubi dicit, quod id innuit ipſummet Concilium cit. c. 2. dum inquit Synodi Diœceſanæ quotannis celebrentur, indeterminate enim loquitur, & non ſpeciatim mandat Epiſcopis, ut ipſimet ſynodum congregent, adeoque per alios poſſunt; Ita enim Piaſec. in praxi p.2. Cap.2. n 1. & alii.

14 Si in Dioeceſi ſit conſtitutus Vicarius Apoſtolicus, ad ipſum ſolum, & non ad Epiſcopum pertinet congregare ſynodum, & facere concurſum, quia Epiſcopus non habet niſi adminiſtrationem Ordinis. S.C. Epiſc. in Lycien. 9. Jun.1608. & in Biſinianen. 16. Maji 1653. apud Piton. conſt. & dec. ad Epiſc. num. 1205.

15 Non eſt ordinarie convocanda ſynodus, niſi prius expleta fuerit Viſitatio Generalis Dioeceſis; Ipſa enim prævia Viſitatio videtur neceſſaria, ut opportuna remedia malis, & pravis conſuetudinibus, ac corruptelis, quæ in Dioeceſi ſunt, poſſint applicari. Criſpin. de Viſitat. p.3. §.18. num.4. Pax Jord. Lucubrat. tom.2. l.3. tit.2. n.9. Monacell. t.1. tit.5. formul.3. n.2. & alii.

16 Debet autem ſynodus fieri ante Viſitationem, quando habita non fuit a multo tempore. S. C. Epiſc. in Tarentina 24. Octobr.1586. apud Nicol. in Floſculis verb. ſynodus n. 1.

17 Epiſcopus in convocatione ſynodi non tenetur conſilium Capituli requirere, nec in aliis actionibus præparatoriis; Id enim ſola ſua auctoritate facere poteſt: Sic declaravit Sacra Congr. Conc. in Oriol. 22. Mart.1631. apud Barboſ. in ſumma Apoſt. dec. collect. 124. n.22. & in Fulginat. 26. Febr. 1639. apud Nicol. Lucubrat. Canon. l.5. tit. 6. de judic. num.6. & in Hiſpal. Viſitationis 18. Aug.1695. apud Monac. tom.1. tit. 5. form.3. n.5. Piaſec. tamen prax. Epiſcop. p.2. art.1. n. 4. cit. 18





de modo convocandi ſyn. Pignatell. t.1. conſult.69. & apud ipſum Rota in Barbaſtren. Juriſdictionis 7. Jun.1585. coram Card. Pamphilio, & alii dicunt quod Epiſcopus, antequam indicat ſynodum, teneatur requirere ſaltem conſilium Capituli juxta Regulam c. Quanto, De his, quæ fiunt a Prælat. ſine conſenſu Capituli.

19 Epiſcopus debet in publicatione Decretorum ſynodi, Capituli conſilium exquirere, licet ſequi non teneatur: Epiſcopus enim prudens, antequam Decreta ſynodi promulget, debet prius in privatis congreſſibus a Viris doctrina, prudentia, & pietate præſtantibus, & deinde ex obligatione a capitulo collegialiter coadunato conſilium exquirere: Licet ſolus poteſtatem legislativam ſtatuendi habeat, & conſilium ſequi non teneatur. S.Cong. Conc. in Hiſpal. ſynodi 26. Novemb. 1689. apud Monacell. l.c. n.9. ubi dicit eſſe hanc propoſitionem, quæ non habet hodie oppoſitorem.

20 Requiſito conſilii Capituli pro publicatione Decretorum Synodi, debet fieri ab Epiſcopo Capitulo congregato, non autem Canonicis particulariter, ſyndico, aut Procuratori, alias non valeret, ut tradunt Rota cor. Verallo p.1. dec.305. num.3. Card. de Luca de Juriſd. diſ.9. n.4. & 6. Gavant. in prax. ſynod. tit. de Confect. Decr. c.6. num.8. Pax Jordan. Lucubr. tom.2. lib.8. tit.1. de Conſtit. n.10. Monacell. l.c. n. 14. & alii.

21 Immo valde expedit, quod dicta requiſitio facta Capitulo congregato regiſtretur in actibus ſynodi, quia cum ſub pœna nullitatis ſynodi teneatur Epiſcopus conſilium Capituli exquirere, ut pluries declaravit S.C. Conc., & ſignanter in una S.Marci ſynodi 10. Maji 1666. & in Boven. ſynodi 17. Febr. 1680. & in Hiſpal. ſynodi 26. Novemb. 1589. conſtando ſic de tali facta requiſitione evitantur omnes recurſus, qui non ſemel in ſacr. Congr. audiuntur adverſus hunc defectum.

22 Si autem Canonici, & Dignitates nollent coram Epiſcopo die ipſis indicta congregari, tunc ſufficeret requiſitio facta per Edictum affixum in loco Capituli, ſeu ad Valvas ſacriſtiæ, aut Eccleſiæ Cathedralis, proteſtando in eodem Edicto quod ſic habeantur pro requiſitis, & ad celebrationem ſynodi velle procedere, quod in tali caſu ſufficiet ad ejus validitatem, prout declaravit S.C. Conc. in Oſtunen. ſynodi 15. Decemb. 16 6. apud Monacell. l.c. n.12.

23 Et in caſu, quo totum Capitulum congregatum, ſeu aliqua ejus pars contradiceret deſiderio, aut propoſitioni Epiſcopi, & proteſtaretur, & appellationem interponeret, poſſet Epiſcopus, his proteſtantibus, & appellationibus non obſtantibus, ſuam ſynodum libere celebrare, cum ſynodi celebratio impediri, vel retardari nequaquam poſſit, etiam prætextu cujuſcumque appellationis, ut expreſſe S. C. Conc. in Oriolen.27. Mart.1632. in reſponſ. ad 17. dub. apud Barboſa in ſumma Apoſtol. dec. verb. Synodus n.8. quia Epiſcopus tenetur ſolummodo Capituli conſilium petere, non tamen ſequi, ut declaravit S.C. Conc. in d. Oriolen. in reſponſ. ad 15. dub. apud Barboſa l.c. n.7. in Fulginaten. 26. Februar.1639. apud Nicol. Lucubrat. Canon. lib.5. tit.6. de Judæis n.6. & in Hiſpal. ſynodi 26. Novemb.1689. in reſponſ. ad 2. apud Monacell. l.c. n. 13.

24 Capitulum Cathedralis debet neceſſario expreſſe in ſpecie, & nominatim ad ſynodum invitari juxta diſpoſitionem Text. in cap. Ultimo, De his, quæ fiunt a Prælat. ſine conſenſu Capituli, Fagnan. in cap. Grave n.11. & 15. de Præbendis, Monacell. l.c. n.5. & alii.

25 Si autem Canonici, & Capitulum ſynodo intereſſe recuſent, cogi poſſunt ab Epiſcopo etiam per cenſuras Eccleſiaſticas. S. C. Conc. in Oriol. 21. Mart. 1632. in reſpon. ad 19. dub. apud Barboſ. in ſumm. Apoſtol. dec. verb. ſynod. n.9. & Bonfadin. in Theſ. Eccleſ. dec. reſol.52. n.13.

26 Laici, quamvis ſit in facultate Epiſcopi eos invitare, non tamen poſſunt de jure prætendere, quod teneatur eos invitare ad ſynodum. S.C. Conc. in Lycien. Synodi 10. Januar., & 10. April.1688. in reſponſ. ad primum, & S. C. Rit. in Urbinaten.23. Ianuar.1700. in reſponſione ad ſeptimum.

27 Ad Synodum accedere tenentur, & admitti debent ſolum Curati, & Beneficiati, niſi eſſet conſuetudo, quod interveniret totus Clerus, S. C. Epiſcop. in Aquil. 31. Maji 1589. apud Nicol. in Floſcul. verb Synodus nu. 2. & in Eugubina 13. Auguſti 1650. in Foroſempr. 17. Ianuar. 1554. apud Piton.

28 Conſtit. ad Epiſc. n.1212. In caſu autem, quo in ſynodo agendum ſit de reformatione morum, vel de alia re, quæ Clerum univerſum tangat, omnes Præsbyteri, Cleri intereſſe debent, ut declaravit S. C. Conc. in Eugubina 13. Aug. 1650. apud Criſpin. de Viſitat. p.3. §.18. n.4. & Monac. l.c. n.3. Tunc

29 tamen ſi Epiſcopus acturus ſit ſuper aliquo ex præmiſſis, debet facere mentionem verbis ſpecificis in Edicto convocationis. S.C. Conc. 7. Januar.1654. l. Poſition. 98. fol.124. apud Monac. tom.4. ſuppl. ad 2. tom. n.155.

30 Exempti omnes, qui alias ceſſante exemptione, ſynodo intereſſe deberent, nec Capitulis Generalibus ſubduntur, ad eam accedere tenentur, textu expreſſo in Conc. Trid. cit. ſeſſ. 24. de reform. cap 2. ibi: „ Synodi quoque Diœceſanæ quo„ tannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui „ alias ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec Capitulis Generalibus ſubduntur, accedere teneantur.

31 Omnes Curati, ſive ſæculares, ſive Regulares tenentur ratione Curæ Parochialis accedere ad ſynodum, etiamſi ipſi Curati Regulares ſubdantur Capitulis Generalibus. Communis, per textum expreſſum in Concilio Trid. l. c. ibi: „ Ra„ tione tamen Parochialium, aut aliarum ſæcularium Ec„ cleſiarum etiam annexarum, debeant ii, qui illarum cu„ ram gerunt, quicumque illi ſint, intereſſe.

32 Synodo intereſſe tenentur etiam Abbates, aliique Superiores Regulares, & Prælati inferiores exempti, ſi per ſe ipſos Curam Parochialem exerceant; Secus autem, ſi ipſam Curam per alium ab ipſis eligendum exerceant, quia tunc onus accedendi illi ſoli incumbit, & non Abbati, ſeu alteri Superiori Regulari, aut Prælato inferiori exempto; Sic deciſum fuiſſe a S.C. Conc. referunt Card. Petra t.5. Comment. ad Conſt. 4. Calliſti III. ſect.2. n.110. Sellius in ſelectis Can. cap.25. n.32. Barboſa ad Trid. cit. cap.2. n. 27. & tenent alii communiter.

* Accedere tamen ad Synodum Diœceſanam non tenentur Abbates Regulares nullam animarum curam gerentes; ut ex Decretis Sacr. Congr. Bened. XIV. de Synod. Dioeceſ. lib. 3. c.2. §.3. iterumque, lib.7. c.65. §.2. *

33 Item Synodo intereſſe tenentur Vicarii, ſeu Capellani Religionis Hieroſolymitanæ Curam animarum habentes. Sacr. Congregat. Concil. in Illerden. 17. Jun. 1683. apud Monacell. tom.4. ſupplem. ad 3. tom. num.158. & aliud ejuſd. S.Cong. Decretum in una Meliten. refert ad id Cardinal. Petra l.c. n.111.

34 Item Synodo intereſſe tenentur Parochi exempti Eccleſiæ Lateranenſis; Cardinal. de Luca de Juriſdict. diſcurſ.38. numer. 6. & ad Concil. Tridentin. diſcurſ. 30. num. 10. & ſequent. Card. Petra l.c. n.9. Tambur. de jure Abbat. tom. 1. diſput.2. q.4. n.5. & Communis aliorum.

35 Rectores Parochialium Nullius Diœceſis, etiamſi ſint Abbates tenentur accedere ad Synodum illius Epiſcopi, qui tanquam vicinior poteſt eos viſitare. Sic deciſum fuiſſe a Sacr. Congregat. Concil. referunt Franciſcus Leo in Theſaur. Fori Eccleſiaſt. par.1. cap.9. n.13. Barboſa loc. cit. n.28. Cardinal. Petra loc. cit. n.17. ubi expreſſe habet, quod Sacr. Congregat. Concil. declaravit debere hujuſmodi Abbates Nullius accedere ad ſynodum vicinioris Epiſcopi, ut in Adrien. 12. Jun.1592. tom.7. pag.51. a tergo; Teneri Curatos Nullius Dioeceſis intereſſe ſynodo illius Epiſcopi, qui tamquam vicinior poteſt eos viſitare. Abbatem vero, ſi ſit Nullius Dioeceſis, non teneri, niſi Curam animarum exerceat. Et 12. Februar. 1622. tom.12. Rectores Nullius tenentur accedere ad ſynodum Dioeceſanam illius Epiſcopi, qui tamquam proximior poteſt eos viſitare: Ac refert Fagnanus in cap. Super his numer. 16. de Majoritat. & Obedient. & in citat. Meliten. ad ſecundum Sacra Congregatio cenſuit: Rectores Nullius Dioeceſis & ratione Viſitationis ad ſynodum ſunt obligati, & ad ea omnia, quæ in ſynodo decreta ſunt, ſi viſitentur ab Epiſcopo tamquam viciniore.

36 Abbates Regulares, Priores, Rectores, Guardiani, aliique Superiores parvorum Conventuum, qui vigore Decreti Innocentii X. Ut in parvis, ſubjiciuntur Juriſdictioni Ordinarii, tenentur accedere ad Synodum, quatenus vocati fuerint ab Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, prout declaravit Alexander VII. ſuo Decreto emanato 30. Martii 1611. quod refert per extenſum Fagnanus in cap. Quando n. 64. de Offic. Ordinarii. Et ſi non interveniant, poteſt Epiſcopus ſuo

37 arbitrio illos mulctare excepta mulcta pecuniaria. Sac. Congregat. Conc. in Pientina 16. Jun.1703. apud Monacell. tom.4. ſupplem. ad 3. tom. n.156.

38 Conventus tamen, qui non fuerunt ſuppreſſi, & in quibus adeſt numerus ſex Religioſorum, non comprehenduntur ſub hac obligatione. Eadem Sacr. Congregat. in dicta Pientina 15. Septembr. ejuſdem anni 1703. apud Monacell. loc. cit. num. 157. & habetur clare ex Conc. Trident. cit. cap. 2. quia ſubduntur Capitulis Generalibus.

39 Epiſcopus poteſt cogere etiam Clericos Subcollectores
Apoſtolicos, ut Synodo interſint. Sacra Congr. Conc.in una
Montis Peluſii 4. Februar. 1651. & in Cajacen. 21. Mart.
1654.
40 Epiſcopus poteſt Juris remediis etiam per Cenſuras Eccle-
ſiaſticas compellere ad intereſſendum Synodo omnes ſupra-
dictos obligatos Synodo intervenire. Sacr. Congregat. Concil.
in Oriolen.27. Mart. 1632. in reſpon. ad 19. dub. in Illerden.
9. Septemb.1684. in Pientina 17. Jun.1703.& ſæpe alibi.
41 Et ſic etiam Juris remediis compelli poſſunt ab Epiſcopo
ad intereſſendum Synodo Curati Regulares Parochiarum il-
lorum Conventuum, in quibus reſidentiam habent Generales
ſuorum Ordinum, quamvis iſtæ Parochiæ ex Concil. Triden-
tin. ſeſſ.25. cap.11. & Sacr. Congregat. Concil. in Lauden. Ju-
riſdictionis 1.Decembr.1691.non ſubjaceant Viſitationi Ordi-
nariorum. Sic Sacr. Congregat. Concil. in dicta Laudenſi 1.
Decembr.1691. in reſponſion. ad octavum, & nonum confirma-
ta 20. Septembr.1692. juxta reſoluta in Juſtinopolitana 24.Se-
ptembr. 1639.in Comen. 16. Decembris 1645. & in Foroſem-
pronien.3. Septembris 1650. apud Monacell. tom.1. tit.6.for-
mul.20.n.15. Vide ibi n.14. & 15.
42 In Synodo Diœceſana poteſt Epiſcopus facere Conſtitutio-
nes, & Decreta abſque conſenſu, & approbatione Capituli,
& Cleri; Licet enim teneatur ad id conſilium Capituli exqui-
rere, non tamen tenetur illud ſequi, ut declaravit Sacr. Con-
gregat.Conc. in Oriolen.27. Mart.1632. in reſponſ. ad 15. dub.
43 in Fulginaten. 26. Februar. 1639. & in Hiſpalen. ſynodi 26.
Novembr. 1689. Solus enim Epiſcopus in Synodo Diœceſa-
na votum deciſivum habet, Sacr.Congregat. Concil. 13. Ja-
nuar.1594. apud Sellium in Selectis Canonicis cap.25. num.32.
& Barboſa ad Trident. cit. cap.2. n.29.
44 Decreta tamen, ſeu Conſtitutiones Synodales, antequam
uſu recipiantur, debent oſtendi Capitulo,& aliis intereſſatis,
eiſque duorum menſium præfigi terminus, ut ſi ſe ſenſerint
gravatos, recurrere poſſint ad ipſum Epiſcopum, vel ad Se-
dem Apoſtolicam. Sac. Congr. Epiſc.in Fundana 4.Dec.1592.
apud Nicol. in Floſculis verb.ſynodus.
45 Non tenetur autem Epiſcopus Synodum oſtendere Civi-
tati, vel Laicis, antequam imprimatur, vel promulgetur. Sac.
Congregat. Epiſcop. in Civitate Caſtelli 14. April. 1615. apud
eundem loc.cit. & apud Barboſam ad Tridentin. citat. cap. 2.
num.33.
46 Dum Romæ revidentur Decreta Synodalia, non convenit,
quod Epiſcopus procedat ad eorum executionem. Sac.Con-
gregat. Epiſcop. in Vintimillien.21. Auguſt.1666. apud Nicol.
loc. cit. n.7.
47 Non tenetur tamen Epiſcopus ante Synodi publicationem
ejus Decreta Romam mittere. Piaſec. in prax.Epiſcop.par.2.
cap.2. n.12. Gavant. in Manual. Epiſcop. verb. ſynodus Dioe-
ceſana num.68. Barboſa ad Concil. Tridentin. cit. cap. 2. ſub
num.33. & part.3. de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.93. nu-
mer.25. ubi dicit ſic eamdem Sacram Congregationem reſcri-
pſiſſe Epiſcopo Oſtienſi, teſte Quaranta verb.ſynodus Dioeceſana
in fine.
48 Conſtitutiones, ſeu Ordinationes factæ in Synodo Diœce-
ſana ſunt perpetuæ,& non expirant morte Conditoris. Gloſſa
in cap. Ut animarum verb. ſtatuto, de Conſtitutionibus in 6.Ze-
rola in praxi Epiſcop. part. 1.verb.Edicta §.3. Arced. de præ-
cellent. Epiſcop. Dignit. par.2. cap.1. n. 41. Barboſa cit. alle-
gat.92.n.24. & alii.
49 Conſtitutiones,ſeu Ordinationes Synodales ligant Clericos,
& Laicos Epiſcopo ſubjectos; Barboſa ad Triden. cit.cap.2.
num.34.Maſſobr.de ſynodo cap.4. dub.76.& 78. Gavant. loc.
50 cit. n.65. & alii paſſim. Tales autem Conſtitutiones Synoda-
les ex defectu auctoritatis non obligant Regulares. Rota
in Neapolitana Jurium Parochialium 13. Mart. 1711.§. At-
que hæc, cor. Anſaldo. Sic expreſſe Urſaya in 2. Miſcella-
neo ſacro, & profano litt. S.n.97. & tenent Peyrin. de privi-
leg. ad Conſtitut. 2. Jul. II. §. 25. num.77. Lezana ſumma qu.
Regul. tom.1. cap.11. n.11. Lantuſc. verb. Conſtitutio n.5.Ha-
bens. Summ. Select. quæſt. verb. Conſtitutio n.III.& alii paſ-
ſim quoad Conſtitutiones Synodales concernentes reforma-
tiones Clericorum.
51 Servanda tamen eſt ſynodus Diœceſana a Regularibus quo-
ad tempus humationis Cadaverum. Sac. Congr. Rit. in una
Senogall. 22. Jun. 1675. in reſp. ad primum apud ſupplem.
Theatr. Regular. verb. Aſſociatio num.5. & Matthæucc. Offic.
Cur. quoad Dioeceſan. Legem n. 11. & quoad exequias num. 1.
52 Item ſervandæ ſunt Conſtitutiones ſynodales a Regularibus
in iis omnibus, quæ concernunt obſervantiam Sacrorum Ca-
nonum,Conciliorum, Pontificiarum Conſtitutionum, & De-
cretorum Sacrarum Congregationum.
Delenda eſt pœna Excommunicationis in Decreto Syno- 53
dali contra Moniales ſcribentes, vel recipientes litteras quas
Abbatiſſa non legerit. Sac. Congregat. Concil. in Cæſenat. 26.
Mart.1695.
Expenſis propriis vivere debent Canonici euntes ad ſyno- 54
dum, & non gravare Capitulum. Sacr. Congreg. Epiſcop. in
Sarzan.16. Jun. 1595. apud Nicol. in Floſculis verb. ſynodus
num.4.
Canonici Eccleſiæ Collegiatæ cedere debent locum in ſy- 55
nodo Beneficiatis Eccleſiæ Cathedralis, quando conveniunt
cum Capitulo ipſius Cathedralis. Sic Sacr. Congr. Rit. in
Ampurienſi Præcedentiæ 20. Jan. 1635. quia membra non de
bent ſeparari a ſuo capite. Pignatell. tom.4. conſult. 187.An 56
autem Canonici, & Clerus Cathedralis ſedere debeant in
ſynodo ad dexteram, Canonici vero cum Clero Collegiatæ
ad ſiniſtram? Quamvis eadem Sacr. Congr. Rit. in dict. Ampu-
rienſi 11. Maii 1641. cenſuerit Affirmative, apud Pignatell.
loc. cit. tamen ipſe Pignatell. ibidem cenſet Negative, & id
multis probat. Vide ibid.
Beneficiati tamquam ſinguli, & vocati ab Epiſcopo poſ- 57
ſunt intervenire ſynodo, & in loco juxta Præſcriptum Pon-
tificalis. Ita declaravit Sac.Congr.Conc.5.Nov.1644. apud Pi-
gnat. tom.1. conſult.293.
Hic juvat adducere deciſionem Sacr. Rit. Congregat. in 58
una Spoletana Juris ſedendi in Synodo pro Collegiatis Sancti
Petri,& Sancti Georgii Civitatis Spoleti cum Capitulo Cathe-
dralis ejuſdem Civitatis. Die enim 10. Mart.1708. propoſita
cauſa in Sacr. Rit. Congregat. per Cardinal. Colloredum, reſ-
criptum fuit: Canonicis Collegiatarum Sancti Petri, & Sancti
Georgii detur ſcamnum coopertum aliquo panno arbitrio Epiſco-
pi, & habeant Poſtergale cum Pradella,nec non vocentur titulo
Canonicali ſigillatim. Sic refert Urſaya tom. 2. part.1. diſce-
ptat.29.n.60.
Cum Epiſcopus Senogallienſis pœnitentiam publicam vel- 59
let imponere duobus Presbyteris Curatis, qui in Synodo ad-
verſus illius Decreta (quæ munia Parochialia per ſe ipſos
adimplere debere Parochos arctabant) reclamaverant,& alta
voce protulerant hæc verba, Tu quoque prædicare teneris, &
non prædicas. Sacr. Congregat. Epiſcop. hac die, & ante
ſub 20.Martii ejuſdem anni propoſita cauſa, & Epiſcopo in-
formante, eidem injunxit,ut petita per eos venia,& impoſita
pœnitentia ſalutari,illos reciperet privatim. Sacr. Congr.Epiſ-
cop.27. Mart.1692. Sic ex Monacell. refert Pitonus Conſtitut.
& dec. ad Epiſcopos n.1881.
In fine Synodi non interrogatur Clerus per verb. Placet ne 60
vobis? Sacr. Congr. Concil. 27.April.1592.apud Gavant. in
Manual. Epiſc. verb. ſynodus Dioeceſana n.62.
Non licet Epiſcopo cogere etiam mulctis ſingulos Presby- 61
teros, & Clericos ad Synodum impreſſam retinendam. Sacr.
Congregat. Concil.14. Decembr.1658.Sic ex Nicolio refert Pi-
tonius l.c. n.1281. Et Sacr. Congr. Epiſc.& Reg.in una Sancti
Marci 11. Mart. 1728.& d.Sacr. Congr. Concil.in Larinen.De-
cretorum Synodalium 30. Aug.1732. ad 12.dub. apud Tom.5.
Theſaur. Reſol.Sac. Cong.Conc.
Ad Synodum Diœceſanam non teneri adire omnes Cano- 62
nicos Collegiatæ, ſed tantum ex his quatuor, reſpondit Sac.
Rit. Congr. in Vicentina 23. Maii 1639.apud Scarfantonum
ad Ceccoper. part. 2. lib. 2. tit. 10. ſub num. 33. & 34. ubi
etiam, quod inconveniens profecto eſſet univerſos Canonicos
proprias Eccleſiam inofficiatam relinquere, ut inquit Piaſec.
in prax. par.2. cap.2. num.3. Videtur tamen circa id attenden-
da legitima cujuſque loci conſuetudo, argument. cap.Cum di-
lectus 8. de conſuetud. leg.Si de interpretatione 37.ff. de Legib.
Sacerdotes ſimplices teneri inſervire Eccleſiæ Cathedrali 63
omnibus diebus feſtivis, & cogi poſſe juxta formam conſue-
tudinis, & juxta Conſtitutiones Synodales, reſpondit Sacr.
Rit. Congregat. in Bellicaſtren. Servitii 15. Nov.1670. quam
Reſolutionem utraque parte informante confirmavit anno
1706. 21. Auguſt. cum Reſcripto, In deciſis, & amplius, ut
teſtatur Urſaya tom.1. part. 2. diſcept. 24. ſub num. 13. Et at-
tenta conſuetudine, & neceſſitate Eccleſiæ Cathedralis Sacer-
dotes, & Clericos cogi poſſe ab Epiſcopo intereſſe Miſſis in
diebus Dominicis, & aliis feſtis, necnon in Proceſſionibus,
jam decreverat Sac.Congr.Conc.in Brictinorient. 11.Jan. 1648.
apud d. Urſayam loc. cit. ſub n.23.
Decretum Synodale, quo prohibebatur Regularibus, ut in 64
Eccle-



Eccleſiis ſæcularibus ex Legato celebrarent, delendum eſſe
ſtatuit Sacr. Congregat. Concil. in Meliten. 27. Nov. 1694. &
ſtetit in deciſis anno 1695. 11. Jul. & iterum contra reclaman-
tes una cum Parocho Presbyteros ſæculares die 1. decembr.
1696. reſcripſit in deciſis, ut Patres Dominicani continuare
poſſent celebrationem Miſſarum in Eccleſia Parochiali oppidi
Pizzoni, ut refert Card.Petra tom.4. comment. ad Conſtit.6.
Gregor. XII. n.19.
65 Synodale Decretum, quo Epiſcopus Parmenſis determi-
naverat, ne in Sodalitatibus Civitatis ſibi ſubjectis, nec in
aliis Eccleſiis,ubi aliqua adſit Particula Ligni SS.Crucis Chri-
ſti Domini publicæ adorationi exponatur iis diebus, quibus
in ſua Cathedrali exponitur,non eſſe attendendum reſpondit
Sacr. Congr. Concil. in Parmen. 9. Auguſti 1698. Propoſito
enim dubio, An idem Decretum Synodale ſit obſervandum?
Reſcripſit; Non competere privativam Eccleſiæ Cathedrali;
& ſtetit in deciſis anno 1699. 28. Mart. cum additione quod
amplius cauſas non proponatur, ut refert Urſaya tom.3. par.2.
diſceptat.5. ſub n.48. & 49.
66 Synodali decreto,aut alio modo poteſt ab Epiſcopis ſtatui,
ne Sacerdotes quicumque ſive Sæculares, ſive Regulares Of-
ficium exorcizandi exerceat ſine ſua expreſſa licentia in ſcri-
ptis ſub pœnis arbitrio ſuo imponendis: Sic habetur in ſynodo
Fulginatenſi cap.11. num.8. & ſynodo Lucana de anno 1681.
part.2. cap.11. ſub num.14.Immo & in Concilio Mediolanen.
quarto part.2. tit. Quæ ad Sacramenta §.1. Et juſſu Clemen-
tis XI. Sac. Cong. Sancti Officii 25. Jun. 1710. in Litteris En-
cyclicis relatis in Appendice ſynodi Fulginaten. de anno 1722.
fol.158.mandat, quod Epiſcopi non permittant quemquam
ſacerdotem ſæcularem, vel Regularem Energumenos exorci-
zare, niſi eis conſtet de Exorciſtarum ætate, pietate, gravi-
tate, integritate vitæ, prudentia, & aliis qualitatibus a Rituali
Romano deſideratis, cujus directione uti debeant & regulas
in illo præſcriptas nullatenus tranſgrediantur, ſed adamuſſim
cuſtodiant; uti videri poteſt etiam in ſynodo hujus Alexandri-
næ Civitatis, ac Diœceſis celebrata anno 1711. pag. 232. &
433. ubi referuntur ſupradictæ Litteræ Encyclicæ cum ſimili
ſynodali prohibitione,confirmat. de anno 1732. in alia ſynodo
ſub tit. de Sacramento Ordinis pag.55.
67 Synodalibus Conſtitutionibus tenentur Presbyteri nomina-
ti,& deputati in Eccleſiis Parochialibus ad Ordinem Equitum
Sancti Joannis Hieroſolymitani ſpectantibus ſe conformare,
quoad omnia Sacramentorum adminiſtrationem & curam ani-
marum concernentia. Sacra Congregat. Concil. in Peagen. Ju-
riſd.3.& 17. Dec. 1707. & 14. Jan. 1708. & 9.Jun. ejuſdem
anni 1708. ad V. dub.
* Conſtitutionibus ſynodalibus ſubjiciuntur etiam cæteri
Regulares omnes, in iis, quæ reſpiciunt curam animarum, &
Sacramentorum adminiſtrationem, ex Tridentin. ſeſſ.25. cap.
11. de Regular. quamvis ſecus ſit in aliis; ſed ad evitandam
deformitatem ſeſe illis conforment oportet, non tamen ſub
gravi eas negligerent, notante Suario. Cenſet tamen Benedi-
ctus XIV. contra nonnullos Regulares, quamvis teneantur ad
feſta Diœceſeos ex Trident. ſeſſ.25. cap. 12. de Regular. non
tamen teneri ad jejunia ab Epiſcopo indicta, niſi alia conſue-
tudo in quibuſdam Monaſteriis forte invaluiſſet. De ſynodo
Dioeceſ. lib. 8. c. 4. §.5.*
68 Conſtitutionibus ſynodalibus, aliiſque Legibus, etiam per
Edicta panditis ab Epiſcopo ſine Capituli conſilio,& aſſenſu,
ſubjicitur idem Capitulum. Sacr.Congr. Concil. in Gerunden.
Exemptionis 19. Decembr. 1729. ubi ad IV.dub. „ An dictum
„ Capitulum ſubjiciatur Conſtitutionibus ſynodalibus, ſive
„ aliis Legibus etiam per Edicta panditis ab Epiſcopo abſ-
„ que illius conſilio, & aſſenſu; vel potius editis cum ejuſ-
„ dem conſilio tantum, in caſu &c. Reſpondit: ad IV. Af-
„ firmative ad primam partem, & negative ad ſecundam;&
„ amplius.
69 Synodum Alexanen. celebratam anno 1739. nullam decla-
ravit Sacr. Congr. Concil.in Alexanen. ſynodi 20. Jan.1742. in
qua ad primum, inter varia propoſita dubia,ſic conceptum.
1. An conſtet de validitate ſynodi celebratæ anno 1739.& qua-
tenus affirmative. Reſpondit. Ad primum conſtare de nulli-
tate; In reliquis ad Eminentiſſimum Præfectum juxta men-
tem. Sic apud Theſaurum Reſolutionum Sacr. Congreg. Conc.
tom.10.
70 Alia ad rem; Vid. verb. Concurſus, & verb. Examina-
tores.
71 Synodorum, & Conciliorum Celebratio Eccleſiæ eſt ſum-
me utilis, quapropter a Concilio Tridentino ſeſſ.24.de refor-
mat. cap.2. fuit expreſſe præceptum, quod Concilia Provin-
cialia, ſicubi omiſſa fuiſſent pro moderandis moribus, corri-
gendis exceſſibus,controverſiis componendis, aliiſque ſtatuen-
dis, quolibet ſaltem triennio; Diœceſanæ vero ſynodi quotan-
nis renoventur. Bened.XIV.tom. 1. Conſtitut. 32. incipient.
ſingularis §.1. & de ſynodo Dioeceſana lib.1. cap.2. a num.1.
ad 5. Hinc ad ſynodorum & Conciliorum celebrationem pro 72
injuncta ſibi omnium Eccleſiarum ſolicitudine, Archiepiſ-
copos & Epiſcopos jugiter hortatur,obteſtaturque Pontifex,
ut ſublatis quibuſvis impedimentis ſicubi omiſſa ſit, quam-
primum haberi curent. Idem Conſtitut.28. incipient. Quam-
vis Paternæ vigilantiæ §.1. Non eſſe autem omnino, & abſo- 73
lute neceſſariam ſynodorum celebrationem tradit idem citat.
cap.2. num.5. cum Epiſcopis, qui ob aliquod impedimentum
ſuas ſynodos,juxta Tridentini Decretum congregare nequeunt,
alii ſuppetant modi Diœceſes adminiſtrandi, & ſynodi defe-
ctum ſupplendi, iterum, iterumque tamen ſynodorum cele-
brationem commendans, & inculcans.
Sola ſynodus Generalis inſignitur titulo Sanctæ. Idem de 74
ſynodo Dioeceſana cap. 3. num. 1. ubi refert quod Litteris in
forma Brevis ad Archiepiſcopum Valentinum datis ſic reſcri-
pſit Sanctus Pius V. Hæc verba: Sancta ſynodus, non conve-
niunt ſynodo Provinciali, ſed univerſali. Synodus Generalis 75
indicitur ad definiendum, quid credendum ſit; & hujuſmodi
definitiones dicuntur Dogmata, & quid agendum ſit, et iſtæ
Leges dicuntur Canones. Sed Concilium Tridentinum fere
ſemper primas appellavit Canones, et alteras Decreta: Idem
ibid. n.2.
Diœceſanæ ſynodi convocatio pertinet ad poteſtatem juriſ- 76
dictionis, et inſuper ad legem juriſdictionis ſimul,et Diœce-
ſanam. Idem ibidem cap. 4. per tot. In quocumque Diœceſis 77
loco cogi poteſt,et ex neceſſitate extra Diœceſim conſentien-
te Ordinario; Congruentius tamen nullo interveniente impe-
dimento, celebranda eſt in ſua Cathedrali, ut declaravit Sa-
cra Congregat. Concil. in Acernen. Die 17. Maii 1636. hiſce
verbis: Poſſe Epiſcopum etiam in dicto Oppido, Dioeceſanam
ſynodum congregare, ſed ſatius eſſe, ut illam apud ſuam Ca-
thedralem celebret. Idem ibid. cap.5. n.2. & 3.
Si duæ ſint Cathedrales æque principaliter unitæ, unica 78
ſynodus, ſola inſpecta juris ſeveritate, in alterutra, quam
maluerit Epiſcopus, celebrari poteſt, cui utriuſque Eccleſiæ
Eccleſiaſtici intereſſe tenentur, & ſtatuta obſervare. At 79
æquitate, vel decentia inſpecta ad evitandas inter utramque
Eccleſiam ſimultates, & concordiam fovendam, maxime
expedit, ut illa modo in una, modo in altera, alternatim ce-
lebretur. Et præterea, ſi alternativam induxerit legitima 80
conſuetudo, tenetur Epiſcopus hanc omnino ſervare. Hac
enim opportuna diſtinctione, invicem conciliantur variæ ſa-
cræ Congregationis Concilii reſponſiones, quæ minus peritis
videri poſſent inter ſe pugnantes, uti patet in adductis ſupra
numer. 5. & 6. Idem ibidem capitulo 5. numer.3. & 4. ubi 81
ſcite advertit, quod ubi ſacra Congregatio judicat ad exa-
ctam juris normam, decidit ſynodum celebratam in una ex
dictis Diœceſibus ligare etiam ſubditos alterius, ut in Gerun.
ſeu Cariaten. ſub die 1. Februarii 1708. jam allata ſupra n.6.
Ubi vero judicat, non ſecundum juris apices, ſed ſecundum 82
æquitatem & decentiam, ſi nulla intercedat conſuetudo,
pronunciat Synodum eſſe celebrandam alternatim, modo in
una, modo in alia Diœceſi, uti in Ampurien. Synodi ſub
die 8. Maji 1694. jam etiam allata l.c. Ubi autem judicat ſe- 83
cundum probatam conſuetudinem, ſententiat non ex mera
æquitate, & decentia, ſed ex juſtitia eſſe ſervandam cele-
brando ſynodum alternis vicibus in utraque Civitate, ut in
Atrien. & Pennen. ſub die 12. April.1625. ibi: Sacra &c.
Partibus auditis, ac Sanctiſſimo Domino Noſtro approbante,
cenſuit Epiſcopum Pennenſem, & Atrienſem debere primam
Diœceſanam ſynodum, cum ultima in Civitate Pennen. pe-
racta fuerit, in Atrienſi Civitate indicere, ac celebrare lib.2.
Decr. p.276. & rurſus, in eadem cauſ.27. Jul.1647. jam item 84
allata l.c. num.6. Et quia in alia ſimili cauſa Matheranen. &
Acheruntina Diœceſibus unitis, Capitulum Acheruntinum
nondum legitime probaverat prætenſam conſuetudinem ſuæ
Eccleſiæ favorabilem, cujus prætextu adeſſe renuebat Sy-
nodo, quam Archiepiſcopus celebrandam indixerat in Civi-
tate Matheranenſi; ideo S.C. die 24. Mart.1736. diſtulit con-
troverſiæ deciſionem; at ne interim Synodi celebratio non ſi-
ne utriuſque Diœceſis detrimento protraheretur, prudentiſ-
ſime addidit in reſponſione; poſt verb. Dilata, Non retar-
dato pro hac vice interventu Cleri Acheruntini Synodo jam in-

*dictæ in Civitate Matheranenſi ſine præjudicio jurium amba-
rum partium*. Idem *ib. n.4.* Vide etiam dict. Decretum jam
allatum a me *l.c. n.6.*
85 Synodus Provincialis bis in anno olim celebranda erat, &
aliquando ſemel. Quæ in illa decernebantur, promulganda
erant in Diœceſana. Idem *ibid. cap.6. n.1. 2. & 3.* Diœce-
86 ſana quoque bis in anno olim cogenda erat, ſtatutis tempo-
ribus, & diebus. Idem *ib. n.2.* Nunc Provincialis quolibet
triennio, & Diœceſana ſemel in anno. Sic expreſſe Concil.
Trid. *ſeſſ.24. cap.2. de reform.* ubi contra contumaces huic
Decreto parere recuſantes, pœnas a ſacris Canonibus ſanci-
tas renovat, iterumque infligit. *Quod ſi in his tam Metropo-
litani, quam Epiſcopi, & alii ſupraſcripti negligentes fuerint,
pœnas a Sacris Canonibus ſancitas incurrant*. Idem *ib. n.4. &
5.* ubi acriter improbat ſententiam Doctrum aſſerentium con-
trarium, reprehendendo illos Epiſcopos, qui ex ſola ſocor-
dia, & negligentia Synodum celebrare prætermittunt eoſque
inſuper magis redarguendo, qui cum plures annos Diœce-
ſim gubernaverint, nec de cogenda quidem Synodo unquam
87 cogitarunt. Hi enim, ſequitur ipſe, cæterique, qui ex me-
ra incuria, & inertia præfato Trident. præcepto non parent,
& ſine ulla cauſa ſynodum celebrare omittunt, meminiſſe
deberent, ſe præter reatum inobedientiæ, poenam incurrere
ſuſpenſionis ab Officio ſtatutam *in c. Sicut olim, de accuſat.
Quisquis autem hoc ſalutare ſtatutum neglexerit adimplere, a
ſui executione Officii ſuſpendatur*, licet poena hujuſmodi, ut
ipſa incidat vox *ſuspendatur*, non ſit latæ, ſed ferendæ ſen-
tentiæ, ut *ib* adnotarunt Oſtienſis *in fine*, Joann. Andreas
*n.7.* Fagnanus *n.105.* referens etiam ad id reſolutiones Sacræ
Congregationis Concil. Neque audiendi ſunt, qui ad pro-
priam obtegendam ignaviam, ſe conſulto, & prudenter ab-
ſtinere dictitant a ſynodi coactione, ne novarum Conſtitutio-
num in dies acceſſione, commiſſæ ſibi Dioeceſis ſtatus per-
turbetur; Cum in primis non ſit neceſſe, ut in ſingulis ſyno-
dis novæ conſtitutiones condantur, ſed ſufficiat, ut antiqua-
88 rum executio urgeatur. Et deinde difficile videatur hoc tem-
pore, quo Eccleſiaſtica diſciplina quotidie conſeneſcit, &
labefactatur aliquam inveniri Dioeceſim, cui opus non ſit
ulla nova Conſtitutione, qua ſaltem antiquæ leges corrobo-
rentur, & quæ morum corruptela poene obſoleverunt, re-
viviſcant. Sic expreſſe zelantiſſimus Pobtifex *ib. n.5.* Vide
tradita *in tom.2. verb. Concilium*.
89 Synodus olim celebrabatur in Eccleſia, aut loco Sacro Ec-
cleſiæ adjuncto; nunc ſeſſiones præparatoriæ antecedentes
haberi ſolent in ædibus Epiſcopalibus, ſeſſiones vero ſyno-
dales in Eccleſia, & quidem Cathedrali, niſi urgens, & ho-
neſta cauſa obſtet, ut plurimis ad id erudite ſuo more addu-
ctis tradit idem *ib. n. 5. & 6.*
90 Synodis Generalibus Imperatores, Reges, & Principes
per ſe, vel per ſuos Legatos adſtiterunt, non ut Judices, ſed
91 ut Defenſores. Unde iſtis abſcedentibus ſynodi auctoritas
non minuitur, Idem *ib. c.9. n.1. & 2.* Vide ad id *t.2. verb.
Concil. art.1.*
92 Synodis autem Provincialibus Laici cujuſcumque Dignita-
93 tis intervenire non conſueverunt. Idem *ib. n.3.* Hinc quæ-
dam ex his ſynodis ob Laicorum potentium præſentiam re-
probatæ ſunt, ut patet de ſynodo Tyria anni 335. reprobata
a Concilio Alexandrino; & variis aliis contra S. Athanaſium
congregatis, reprobatis a Liberio Papa, eo quod illis poten-
tes Laici interfuiſſent. Idem *ib. n.4.*
94 Poſſunt tamen etiam Laici intereſſe ex conſuetudine, aut
invitati, aut ex aliis circumſtantiis, ut ſi de rebus etiam poli-
95 ticis agendum ſit, ut pluribus demonſtrat Idem *ib. n. 5.* His
autem circumſtantiis exceptis, nullus Laicus jus habet inter-
veniendi ſynodis Provincialibus, præcipue poſt Concilium
96 Tridentinum. Quapropter Sacra Congregatio Concilii Acta
ſynodi Toletanæ anno 1582. celebratæ noluit approbare niſi
expuncto nomine Adminiſtri Regii eidem interventi, & tan-
dem Gregorius XIII. poſt longas hac ſuper re habitas diſce-
ptationes ſuis Apoſtolicis Litteris in forma Brevis datis *die 26.
Januarii* 1583. nomen Regii Legati ex præfato Concilio om-
nino deleri mandavit. Idem *ibid. n.6.*
97 Quamvis autem Laici nequeant invitari, ut Synodo Pro-
vinciali interſint tamquam Præſides, aut Judices, quod num-
quam licuit, poſſunt tamen etiam nunc invitari, ut interſint
tamquam meri Auditores, ſeu teſtes eorum, quæ decernun-
tur, præſertim ſi tales occurrant circumſtantiæ, quæ quan-
doque Laicorum præſentiam Synodo valde utilem, & fru-
98 ctuoſam reddant. Hinc eadem S. Cong. Concilii poſt præ-
fatum Decretum editum in cauſa Toletana *die 22. April.*
1598. in alia cauſa Turritana reſpondit, *Gubernatorem,
alioſque Laicos non debere Concilio Provinciali intereſſe, niſi
a Synodo fuerint invitati*. Et id tamquam certum ponit Cœ
remoniale Epiſcop. *lib.1. cap.31.* Ubi loquens de Conciliis
Provincialibus, etiam Laicis locum aſſignat. *Sedilia in Ec-
cleſia disponentur, in Provincialibus quidem capacia pro nu-
mero Epiſcoporum, Abbatum, aliorumque Eccleſiaſtica Di-
gnitate fulgentium, item pro Canonicis, ac pro Laicis, ſi qui
interfuturi ſunt*. Idem *ib. n.8.* Ubi recte, & opportune cum 99
Pignatel. *Conſult.70. tom.1.* Epiſcopus monet, ut caute in
hoc ſe gerant, neque nimis faciles ſe prebeant in Laicis ad
Synodum invitandis, ne quod ab initio meræ voluntatis, &
urbanitatis fuit, tractu temporis fiat neceſſitatis, juxta illud
vulgatum. *Quod a principio eſt voluntatis, expoſt facto ſit
neceſſitatis, arg. l.ſicut 5. Cod. de obligat. & act. Vide dict.*
Verb. *Concilium art.2. n.27.*
Ad Synodos Dioeceſanas Laici olim aliquando introducti 100
fuerunt: Nunc de jure non licet, niſi ex conſuetudine, aut
urgenti cauſa, dummodo ſuffragium non ferant, nec in Sy- 101
nodo conſulantur. Idem *ib. n.8.* ubi contra aſſertionem Mo-
nacell. *tom.1. tit.5. form.3. n.6.* & Domini de Alte *in me-
thodo Viſitationis Apoſtolicæ p. 5. §.3. n.23.* id arbitrio Epiſ-
copi plane permittentium, adducit Sacram Congregationem
Concilii, quæ in cauſa Oriolen. Synodi interrogata, *An
Epiſcopus poſſit ad Synodum vocare Laicos, ſi eorum Conſilio
uti velit*. Reſpondit, *Epiſcopum non poſſe*; *l.14. Decretor.
p.600. & 601.* monens inſuper Epiſcopos, ne ſine vera, &
gravi neceſſitate laicos ad Synodum accerſant, & admittant,
cum paulatim poſſent illi, conſuetudinis obtentu, jus inter-
veniendi ſibi deinceps arrogare juxta paulo ante de Synodo
Provinciali cum Pignatello animadverſa. Concedit tamen 102
quod laici ſermoni adeſſe poſſint, *ib. n.9.*
Synodi celebrandæ dies in Eccleſia Cathedrali denunciari 103
convenit in die Epiphaniæ, dum frequenti populo intra Miſ-
ſarum ſolemnia Feſtivitates ejus anni ſolemniores promul-
gantur; Et per duos, aut ſaltem unum menſem ante dictam
diem, ſchedula manu Notarii, ſeu Cancellarii ſubſcripta
Eccleſiæ Cathedralis valvis affigi ſub hujuſmodi, aut ſimili
tenore. *Synodus Diœcesana N. per Reverendiſſ. Dominum N.
Episcopum indicta hoc anno &c. mense &c. die &c. Deo adju-
vante in Cathedrali Eccleſia inchoabitur*. Rurſus tribus proxi 104
mis diebus Dominicis ante dictam diem conveniens erit, ut
tam in Eccleſia Cathedrali per concionatorem, quam in ſin-
gulis Parochialibus per Parochos iterum, atque iterum de-
nuncietur, populique fideles ad devotionem, orationes, je-
junia, Sacramentum Poenitentiæ, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ
ſumptionem, aliaque pia opera hortentur, ut actio hujuſmo-
di, Deo opitulante, dignum ſortiatur exordium, felicemque
& fructuoſum progreſſum, & exitum habeat. Sic expreſſe 105
Coeremoniale Epiſcop. *lib.1. cap.31.* Et S. Carolus Borro-
mæus in Conc. Provinciali IV. *p.3.* (*pag.177. p. Act. Eccleſ.
Mediol.*) & in Conc. Provinciali V. *p.3.* (*ib. p.276.*) ſtatuit
diem celebrandæ Synodi de Epiphaniæ, vel Kalendarum
Jan. in Cathedralis e ſuggeſtu indici, promulgari, atque Ca-
lendario annuario adſcribi præcipitque Parochis, ut per men-
ſem ante ſtatutam diem quinta quaque feria Miſſam celebret
de Spiritu Sancto, aut pro diverſitate temporum orationem
ſaltem de Spiritu Sancto in Miſſa recitent, & populum hor-
tentur, ut Die Dominico Synodi diem antecedente, vere
poenitentes, & confeſſi ſacram Communionem ſumant, pre-
cantes, prout ſupra ex Cæremoniali Epiſcoporum. Sic tra-
dit etiam Bened. XIV. *l.c. lib.5. n.1.*
Synodus Dioeceſana triduo abſolvitur, niſi aliqua urgenti 106
ratione ſit protrahenda. Sic Pontificale Romanum *tit. de
Ordine ad Synodum*. S. Carolus Borromæus *l.c.* & Benedict.
XIV. *l.c. n.2.* Prima die Epiſcopus mane cappa indutus, co 107
mitante Clero cum ſuperpelliceis Eccleſiam adit, & Proceſ-
ſionem inſtituit, Miſſam de Spiritu Sancto per ſeipſum ſole-
mniter celebrat, & Clero Sacram Communionem porrigit,
quam acceptis Stolis rubeis, etiam ſument ſacerdotes, qui
forte ea die non celebraverint. Idem *ib. n.2. & 3.* ex Ponti-
ficali Romano *l.c.* & S. Carolo in Conc. Provinciali Mediola-
nenſi IV. *p.2. tit. quæ pertinent ad Sanctiſſimum Miſſæ Sa-
crificium p.152.*
Secunda die unus ex Canonicis Miſſam ſolemniter canit 108
pro defunctis, cui Epiſcopus aſſiſtit, eaque peracta, ſtolam,
& Pluviale nigri coloris aſſumit, & conſuetas orationes re-
citat pro defunctis, poſt quas veſtes nigras, in rubeas mutat,
& acce-



& accepto Paſtorali baculo ad ſedem ſynodalem aſcendit.
109 Tertia demum die, unus pariter ex Canonicis Miſſa celebrat
de Sanctiſſima Trinitate, addita collecta in gratiarum actio-
nem, cui aſſiſtit Epiſcopus ſtola, & Pluviali albi coloris, &
abſoluta Miſſa, rubea accipit indumenta, ad conſuetam ſe-
dem ſe confert, ultimæ ſeſſioni præſidet, & ſynodo finem
imponit. Sic expreſſe Idem *ibid. n. 4.*
110 Poſt ultimam ſeſſionem, alia fieri ſolet ſupplicatio, ſeu
Proceſſio minus tamen ſolemnis intra, vel circa Eccleſiam,
qua abſoluta Epiſcopus conſueto ritu Clero, & populo bene-
111 dicit, & quadraginta dierum Indulgentiam impertitur. Immo
ſolent Epiſcopi ſaltem cum primam ſynodum celebrant, In-
dulgentiam plenariam a ſummo Pontifice ſub conſueta formu-
la illis impetrare, qui una ex tribus ſynodi diebus Eccleſiam
112 Cathedralem viſitaverint. Idem *ib. n.5.* recte, ac ſancte ſub-
dens *n. 6.* quod juxta vetus inſtitutum Epiſcopus in ſynodo
brevi, gravique ſermone Clerum alloquatur, & de iis admo-
neat, quæ in illo corrigenda deprehenderit, quod ſaltem in
poſtrema ſeſſione omnino fieri ſtatuerunt Patres Concil. Me-
diolanenſis V. *cit. p.3. p.279.* ibi: *Epiſcopus antequam Syno-
dum dimittat, ſermonem habeat paternis monitionibus ple-
113 num, ac dimisſioni accommodatum*. Quibus omnibus, aliiſque
ſecundum laudabilem cujuſque Dioeceſis conſuetudinem ri-
te peractis, Epiſcopus a Clero aſſociatus, eodem ritu, quo
prius ab Eccleſia ſe domum recipit, ex Pontificali Romano,
*l.c.* ibi: *Tunc omnes pariter ſurgentes Pontificem Cappa indu-
114 tum, cum ſuperpelliceis ad domum reducunt*. Idem *ib. nu. 2.*
recte concludens poſſe quoad hæc ſervari ſuam cujuſque Ec-
cleſiæ legitimam conſuetudinem.
115 Sedendi Ordinem in ſynodis tradit Idem *ib. lib.3. c.10.* ut
ſequitur. Card. in ſynodis Generalibus, & Nationalibus præ-
feruntur Epiſcopis. In ſynodo Dioeceſana primus ſedet Epiſ-
copus; Poſtea Vicarius Generalis, niſi legitima conſuetudo
alteri faveat, aut Dignitates. & Canonici ſacris veſtibus in-
duti ſynodo aſſiſtant; Secus ſi Vicario conſuetudo faveat,
aut ipſe etiam habitu Prælatitio ſit indutus. Sequuntur Di-
gnitates, & Canonici Cathedralis, inde horum Coadjutores,
ſi tamen Canonici capitulariter interveniant; aliter præfe-
runtur Abbates, & Protonotarii non participantes induti
Mantelletta, & Rocchetto. Poſt Canonicos ſedent Benefi-
ciarii, & Manſionarii ejuſdem Eccleſiæ. Poſt hos Canonici
Collegiatarum Civitatis, ſervatis Dignitate, & antiquitate
in præcedentia, quin obſtet nobilius indumentum ex privile-
gio conceſſum; Deinde Canonici Collegiatarum Diœceſeos,
ſervatis pariter Dignitate, & antiquitate; Aliquando præce-
dunt Abbates, videlicet cum habent uſum Mitræ, & baculi.
Etiam Titulares, & Commendatarii, ſive Sæculares ſive
Regulares præcedunt in ſynodo Canonicis, capitulariter non
intervenientibus, & inter ipſos Abbates præcidit, qui Digni-
tatem prior eſt aſſecutus; Poſt Canonicos ſedent Vicarii Fo-
ranei, inde Plebani ſive Archipresbyteri Rurales: Poſt hos
Parochi, niſi uſum habeant ſedendi cum Plebanis; præcedit
vero qui primus Paræciam obtinuit, ſuccedunt Beneficiarii
ſimplices, poſt hos Clerici, ſervata Ordinis Dignitate, ſi
æqualis ſit, ſervatur Ordinationis antiquitas, quæ ſi par ſit,
habenda eſt ratio ætatis: Omnibus tamen præfertur ordina-
tus a Summo Pontifice. Poſtea ſedent Regulares, ultimi
116 Laici, ſi adſint. Quoad hunc autem ſedendi Ordinem, eſt
potiſſimum ſervanda legitima conſuetudo, quæ eſt optima
legum interpres, *l. Si de interpretatione 37. ff. de legibus, cap.
cap. Cum Dilectus 8. de conſuetudine*. Ad præcavendas ta-
men, & amputandas lites, & cujuſque jura illæſa ſervanda,
expedit, quod in ſynodi initio Epiſcopus Decretum promul-
get, quo declaretur, ex ordine inibi ſedendi, nihil detractum
iri juri habendi præſtantiorem locum, quod quiſpiam ſibi
competere credat, uti habetur *in Conc. Provinc. Mediola. V.
p.3.* ubi inter Decreta initio Dioeceſanæ ſynodi legenda, hoc
a S. Carolo conditum quarto loco traditur, (*Act. Eccleſ.
Mediol. p.7. pag.278.*) ibi; *Si cui in ſynodo contigerit ſuo lo-
co non ſedere, aut incedere, aut aliud quidquam agere, ad
id propterea nemini jus acquiri, acquiſitumve eſſe, neque quid-
quam de cujuſquam jure poſſeſſioneve detrahi; ſed omnia in
eo ſtatu permanere, quo antea fuiſſe compertum erit*. Quod
& factum jam fuerat in Concilio Trident. in fine *ſeſſionis 2.*
ibi: *Inſuper ipſa Sacra ſynodus ſtatuit, & decrevit, quod ſi
forte contigerit, aliquos debito in loco non ſedere -- nulli pro-
pterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur.*
Et idem denuo in fine *ſeſſionis 25.* ſtatuit de loco aſſignato
*Oratoribus tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus in ſedendo, in-
cedendo, aut quibuscumque aliis actibus*, per quem nulli jus
de novo acquiſitum, nulli ablatum declaravit.
In Dioeceſana ſynodo notificanda ſunt recentia Decreta 117
ſummorum Pontificum, & ſacrarum Urbis Congregationum,
& aliquo modo addenda in Appendice ad ſynodum. Idem
*ib. lib.5. c.2. n.2.* Conſtituenda ſunt quæ ad vitia coercenda, 118
virtutem promovendam, mores reformandos, Diſciplinam
Eccleſiaſticam reſtituendam, vel fovenda utilia, & neceſſa-
ria exiſtimantur, & alia juxta Dioeceſium circumſtantias,
& indigentias. Idem *ib. lib.6. c.1. & ſeq.* Ubi plurima eru-
dite adducit ad rem. In ſynodis aſtinendum eſt a quocumque 119
verbo, quo vidratur approbari opinio inter Catholicos con-
troverſa. Idem *ib. l.7. cap.27. n.1.*
Conſtitutiones Synodales, aliæque Sanctiones extra ſyno- 120
dum, conſulto Capitulo, latæ, Epiſcopo moriente, vel Dioe-
ceſim relinquente, in ſuo robore perpetuo durant. Idem
*ib. l.8. cap.5. n.2.* Vide ſupra *n.42. 48. & 68.* Niſi ab eodem 121
Epiſcopo, ejuſque ſucceſſore revocentur, aut poſteriorum
ſynodorum Conſtitutiones iis adverſentur. Idem *ibid. num.2.*
Non perſiſtunt tamen, ſi numquam moribus recipiantur, to- 122
lerante Epiſcopo, aut receptas Dioeceſani contraria conſue-
tudine excuſſerint. Ad utrumque probabiliter ſufficit ſpa-
tium decem annorum. Idem *ibid. n.3. & 4.* Dummodo ta- 123
men conſuetudo habeat conditiones a Jure requiſitas, & jam
aſſignatas *t.2. verb. Conſuetudo*. Poteſt tamen aliquis a Con- 124
ſtitutionibus ſynodalibus eximi per diſpenſationem a ſuperio-
re, aut ab Epiſcopo, ejuſve ſucceſſore obtentam, etiam in-
conſulto Capitulo, ſed ut licita ſit, requiritur juſta cauſa.
Idem *ibid. n.7.* Conſtitutiones vero ſynodi Provincialis, nec 125
Epiſcopus, nec Archiepiſcopus relaxare poſſunt. Idem *ib.
n.8.* Confirmatæ a ſummo Pontifice *in forma ſpecifica* non
poſſunt ab alia ſynodo Provinciali relaxari; Bene vero ſi
confirmatio fuerit *in forma communi*. Idem *n. 9. 10. & 11.*
Conſtitutionum ſynodalium vires non retardantur per appel- 126
lationem ad ſuperiorem, eaque nullo modo eſt admittenda
in ſuſpenſivo; Nec prudenter in devolutivo. Idem *ib. n.12.* 127
*& 13.* Si appellatio ad ſacram Congregationem Concilii in-
terponatur, ſatius erit, ut ejuſdem D. Secretarius appellan-
tes compellat ad deſignandas ſingulas Conſtitutiones, contra
quas reclamant, & ad aſſignandas rationes peculiares ſuarum
rum reclamationum, quas ſignificabit ſacræ Congregationi,
quæ ſic rite inſtructa, provide decernet, an appellatio ſit ad-
mittenda, vel potius rejicienda. Quam rectam methodum 128
a ſe adhibitam fuiſſe, dum eſſet dictæ Congregationis ſecre-
tarius fatetur in gravi controverſia excitata adverſus ſyno-
dum Fulginatenſem celebratam anno 1722. ab Epiſcopo Ba-
ptiſtello. Eoque pacto ex innumeris cauſæ articulis ab appel-
lantibus oropoſitis, paucis ſelectis, viſis aliqua diſcuſſione
dignis, eiſque dumtaxat ſacræ Congregationis judicio ſubje-
ctis, cauſam contra Appellantes in omnibus obtinuit Epiſ-
copus, ut patet in eadem ſynodo typis impreſſa, *pag.285.*
Idem *ibidem* §. 13.
Cavere debet Epiſcopus, ne Clericos ſub Cenſuris, & 129
mulctis compellat ad emendum Codicem Conſtitutionum ſy-
nodalium; ſed potius præcipere, ut eas crebro pervolvant,
memoriæ mandent, atque obſervent. Idem *ib. n.14.* affe-
rens ad id Decretum ſacræ Congregationis Concilii *in Larin.
Decretorum Synodalium die 30. Auguſt.* 1732. Vide ſupra
*numer. 61.* ubi affertur dictum Decretum una ſimul cum
aliis.
Synodis non omnes intervenientes ſubſcribere debent, ſo- 130
lus enim Epiſcopus, vel ejus Delegatus ſubſcribendi jus ha-
bet ſynodo Dioeceſanæ, ſoluſque ipſe in eo votum deciſi-
vum habet. Idem *ib. l.8. cap.2. n.1.* Vide ſupra *nu.43.* ubi
affertur ad id Decretum ſacræ Congregationis Concilii. Sy- 131
nodo Generali omnes Epiſcopi ſubſcribunt uti Judices. Idem 132
*ib. n.2.* Etiam Epiſcopi Titulares. Vide *tom.2. verb. Con-
cilium art.1. n.29.* Etiam Abbates habentes proprium Terri- 133
torium, & juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Idem *ib. n.5.*
Et aliquando etiam ſuperiores Generales Ordinum Regula- 134
rium ſynodis Generalibus ſubſcripſerunt, ut Concilio Floren-
tino, & Tridentino. Idem *ib. nn. 4.* Vid. *verb. Concil. art.1.
n.30.* Synodo Provinciali ſubſcribunt omnes Provinciæ Epiſ- 135
copi, uti Judices. Idem *ib. n.4.* Capitula autem, ſeu Cano- 136
nici Catgedralium non ſubſcribunt, nec ſynodis Provincia-
libus, nec Diœceſanis; In ipſis enim non habent votum deci-
ſivum, ſed mere conſultivum. Idem *ib. n.7.*
Synodus Generalis nullam vim obtinet, niſi ſit a Summo 137
Pontifice confirmata; Supremum enim judicium in ſynodo
Gene-

Generali eſt poenes ipsum, qui nec majorem partem Epiſ-
coporum, aliorumque ſuffragantium ſequi tenetur. Idem
138 ib. c. 2. n. 3. Vide *tom. 2. verb. Concilium art. 1. n. 56.* Syno-
dus Provincialis debet prius recognoſci, & approbari a ſum-
mo Pontifice, ſeu a ſacra Congregatione Concilii. Idem *ib.*
*cap. 3. & 4.* ubi ad id plura affert exempla. Vid. d. *verb. Con-*
139 *cilium art. 2. n. 50.* Synodus Provincialis quamvis a ſummo
Pontifice confirmata, non obſtringit universam Eccleſiam, ni-
ſi Pontifex expreſſe dixerit. Idem *ib. n. 5.* Vid. *d. art. 2.* &
140 *n. 62. & per tot.* ubi plurima ad rem. Synodus Dioecesana
non oportet, ut Romam mittatur, pro reviſione, & confir-
matione, ſed ſine alterius approbatione vim Legis habet in
Dioeceſi. Idem *ib. n. 6.* referens Decretum ſacræ Congrega-
tionis Concilii, quæ rogata, ut recognosceret Acta Dioece-
ſanæ ſynodi Strongolenſis die 17. Junii 1645. Respondit: *Se
non conſueviſſe revidere, & approbare, niſi ſynodos Provin-
ciales, ex Conſtitutione Sixti V., & quod idcirco Epiſcopus
uteretur jure ſibi ex Sacro Concilio competente l. 17. Decreto-
rum p. 484. & ibi d. n. 6.* concludit expreſſe falli Cardinalem
de Luca, & Van-Espenium aſſerentes, Dioecesanas ſynodos
robore, & efficacia carere, niſi a prædicta ſacra Congregatio-
ne approbentur. Non enim ſacra Congregatio eas recogno-
ſcere conſuevit, niſi quis ad ipſam ab iis appellet. Idem
*ib. n. 7.* Vid. ſupra *n. 46. & 47.*
141 In fine ſynodorum fieri ſolent fauſtæ Acclamationes, &
præſertim in fine ſynodorum Generalium, uti videre eſt in
Concilio Tridentino poſt ſeſſionem vigeſimam quintam, ibi:
De fine Concilii, & confirmatione petenda a ſanctiſſimo Do-
mino Noſtro.
142 Illuſtriſſimi Domini, Reverendiſſimique Patres, Placet
ne vobis, ut ad laudem Dei Omnipotentis huic ſacræ Œcu-
menicæ ſynodo finis imponatur, & omnium, & ſingulorum,
quæ tam ſub fel. rec. Paulo III. & Julio III. quam ſub San-
ctiſſimo Domino Noſtro Pio IV. Romanis Pontificibus, in
ea decreta, & definita ſunt, confirmatio nomine ſanctæ hu-
jus ſynodi per Apoſtolicæ Sedis Legatos, & Præſidentes
petatur a Beatiſſimo Romano Pontifice Reſponderunt,
placet.
143 Poſtmodum Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Cardinalis
*Moronus*, *primus legatus*, & Præſidens benedicens ſanctæ
ſynodo, dixit.
Poſt gratias Deo actas Reverendiſſimi Patres ite in pace.
Qui reſponderunt. *Amen.*
Acclamationes Patrum in fine Concilii.

144 CARDINALIS A LOTHARINGIA.

*Beatiſſimo Pio Papæ, & Domino Noſtro Sanctæ
Univerſalis Eccleſiæ Pontifici, multi
anni, & æterna memoria.*

RESPONSUM PATRUM.

DOmine Deus, Sanctiſſimum Patrem diutiſſime Eccleſiæ
tuæ conſerva, multos annos.
*Card.* Beatiſſimorum Summorum Pontificum animabus
Pauli III. & Julii III., quorum auctoritate hoc Sacrum ge-
nerale Concilium inchoatum eſt, pax a Domino, & æterna
gloria, atque felicitas in luce Sanctorum.
*Reſp.* Memoria in benedictione ſit.
*Card.* Caroli V. Imperatoris, & Sereniſſimorum Regum,
qui hoc univerſale Concilium promoverunt & protexerunt
memoria in benedictione ſit.
*Reſp.* Amen, Amen.
*Card* Sereniſſimo Imperatori Ferdinando, ſemper Augu-
ſto, Orthodoxo, & pacifico & omnibus Regibus, & Rebuſp.
& Principibus noſtris multi anni.
*Reſp.* Pium, & Chriſtianum Imperatorem Domine con-
ſerva: Imperator cœleſtis terrenos Reges, rectæ fidei con-
ſervatores, cuſtodi.
*Card.* Apoſtolicæ Romanæ Sedis Legatis, & in hac Sy-
nodo Præſidentibus cum multis annis magnæ gratiæ.
*Reſp.* Magnæ gratiæ: Dominus retribuat.
*Card.* Reverendiſs. Card. & Illuſtribus Oratoribus.
*Reſp.* Magnas gratias, multos anno.
*Card.* Sanctiſs. Epiſ. vita, & felix ad Eccleſias ſuas reditus.
*Reſp.* Præconibus veritatis perpetua memoria, Orthodoxo
Senatui multos annos.

*Card.* Sacroſ. Œcumenica Trident. Synodus, ejus fidem
confiteamur, ejus Decreta ſemper ſervemus.
*Reſp.* Semper confiteamur, ſemper ſervemus.
*Card.* Omnes ita credimus, omnes id ipſum ſentimus,
omnes conſentientes, & amplectentes ſubſcribimus. Hæc
eſt fides Beati Petri, & Apoſtolorum, hæc eſt fides Patrum,
hæc eſt fides Orthodoxorum.
*Reſp.* Ita Credimus, ita ſentimus, ita ſubſcribimus.
*Card.* His Decretis inhærentes, digni reddamur miſericor-
diis, gratia primi, & magni ſupremi Sacerdotis, Jeſu Chri-
ſti Dei, intercedente ſimul inviolata Domina noſtra Sancta
Deipara, & omnibus Sanctis.
*Reſp.* Fiat, Fiat. Amen, Amen.
*Card.* Anathema cunctis hæreticis.
*Reſp.* Anathema, anathema.
Poſt hæc mandatum fuit a Legatis, & Præſidentibus ſub 145
pœna excommunicationis omnibus Patribus, ut antequam di-
ſcederent e Civitate Tridentina, ſubſcriberent manu propria
Decretis Concilii, aut ea per publicum inſtrumentum appro-
barent, qui omnes deinde ſubſcripſerunt, & fuerunt numero
CCLV. videlicet Legati quatuor, Cardin. duo, Patriarchæ
tres, Archiepiſcopi XXV. Epiſcopi CLXVIII. Abbates ſe-
ptem, Procurat. abſentium cum legitimo mandato XXXIX.
Generales Ordinum VII.
Laus Deo.

Concordat cum Originali, in cujus fidem ſubſcripſimus.
Ego *Angelus Maſſarellu*, *Epiſcopus Theleſinus Sacri Con-
cilii* Tridentini Secretarius.
Ego Marcus Antonius Peregrinus, Comenſis ejuſdem
Concilii Notarius.
Ego Cynthius Pamphilius. Clericus Camerinenſis Dioe-
ceſis, ejuſdem Concilii Notarius.
Item in fine Conciliorum Provincialium, licet raro, ut ad- 146
vertit idem Benedictus *loc. cit. lib. 5. cap. 1. num. 10.* et af-
feruntur prout factæ fuerunt in Concilio Provinciali Medio-
lanenſi ſexto, ut habentur impreſſæ in Actis dictæ Eccleſiæ
*part. 8. pag.* 1229. ultimæ impreſſionis Bergomenſis, ibi.
Acclamationes Reverendiſſimorum Patrum in Concil.
Provincial. Mediolanenſi ſexto.
*Archid.* Deo Patri miſericordiarum, & Deo totius con- 147
ſolationis gratiæ.
*Reſp.* Immenſa eſt miſericordia tua ſuper nos Domine,
qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, nos Con-
ciliorum Provincialium frequentia conſolari jugiter dignatus
es. *Tibi laus, tibi honor, tibi gloria in ſæculum*, & in
æternum.
*Archid.* Beatiſs. Gregorio Papæ & Domino noſtro Sanctæ
univerſalis Eccleſiæ Pontifici, cunctarum gentium obedien-
tia, & Chriſtiani nominis in omnem terram propagatio.
*Reſp.* Domine Deus Sanctiſs. Patrem gratia tua cuſtodi, ut
eo gubernante, gentes Sancto veræ Fidei *lumine* perfuſæ,
in unum Eccleſiæ tuę ovile colligantur.
*Archid.* Patriarchis, & Archiepiſcopis, & Epiſcopis omni-
bus ſalutaris vigilantia.
*Reſp.* Deus Pater luminum, illuſtra faciem tuam ſuper
ſervos tuos, accende corda eorum in ædificationem corpo-
ris tui.
*Archid.* Regi Catholico, & aliis Regibus, Principibuſ-
que Chriſtianis perpetua felicitas.
*Reſp.* Æterne Deus, Chriſtianæ Religionis Defenſoribus
optabilem de hoſtibus Crucis filii tui victoriam dextera po-
tentiæ tuæ ſemper concede.
*Archid.* Fidelibus Provinciæ noſtræ, & populo Chriſtia-
no univerſo Pax Chriſti æterna.
*Reſp.* Memento Domine Deus in beneplacito populi tui,
& confirma in omni virtute greſſus ejus, perpetuumque tuæ
benedictionis rorem illi infunde.
*Archid.* Reverendiſs. hujus Provinciæ Epiſcop. ad Eccle-
ſias ſuas redditus cum ſpirituali fructu uberrimo.
*Reſp.* Deduc nos Domine in viam rectam, & dirige greſ-
ſus noſtros in viam pacis, & ad dandam ſcientiam plebi tuæ.
*Archid.* Nos Domine, operarii in meſſem tuam miſſi; in
omni opere bono miniſterium noſtrum explentes, Decreta
Sancta exequentes, digni reddamur miſericordia, & gratia
magni, & ſupremi Sacerdotis Jeſu Chriſti Dei, intercedente
ſimul beata ejus genitrice Maria, & Beato Ambroſio Con-
feſſore, atque aliis hujus Provinciæ Patronis, & omnibus
Sanctis, *Reſp.* Amen Amen.

Accla-



148 *Acclamationibus de more abſolutis*, ſtatim Reverend
Patres ordine ſinguli ad Illuſtriſs. Metropolitanum adhuc in
ſeſſione perſiſtentem pro oſculo pacis acceſſerunt: quibus
ſigillatim *Illuſtriſs. Metropolitanus*, dum appropinquarent,
aſſurgens prævia mutua capitis acclinatione oſculum impar-
titus eſt.
149 Tandem *Illuſtriſ. Metrop.* depoſita Mitra, & aſſumpto
Baculo, ſurgens unverſæ Synodo ſolemniter benedixit, &
Indulgentiam centum dierum conceſſit, ac poſtremo per Rev.
Archidiaconum alia voce, *Redeamus cum pace*, enunciatum
eſt, & Reſponſum *in nomine Domini*. Et Sacras Veſtes in
ſeſſionali loco ſtatim exuit Illuſtriſs. Metrop. & Reverendiſs.
Patres, & ibidem facta brevi oratione, *cum jam ſecunda*
hora noctis immineret, in ædes Archiepiſcopales &c.
150 Poſt Acclamationes in Conciliis Provincialibus, ut tradit
Cœremoniale Epiſcop. *c. 31.* & *notat idem* Benedictus *loc.
cit. n.* 10. omnes Epiſcopi accedunt ad oſculum pacis a Me-
tropolitano accipiendum, quod deinde ſibi invicem pariter
dant, & accipiunt, ut mutuam caritatem, animorumque
conjunctionem oſtendant.
151 Etiam in fine Synodorum Diœceſanarum aliquando fieri
ſolent dictæ Acclamationes, licet rarius, ut notat Idem
*ibid. n.* 11. ex Cœremoniali Epiſcoporum *cit. c.* 31. in fine
ſic expreſſe concludente: *In Synodis Diœceſanis magis expe-
diret, ut Acclamationes, & oſcula pacis omitterentur*. At
152 quia nihilominus Gavantus *in praxi Synodi Diœceſanæ pag. 61.*
ait: *Acclamationes fiunt ſaltem in prima Synodo, aut aliquan-
do fiant, & Cæremoniale non eas prohibet, ſed parcius adhi-
beri cenſet in Diœceſanis Synodis*, adductis exemplis de Ac-
clamationibus factis in variis Synodis Diœceſanis hinc inde
celebratis, & tradita diſpoſitione Concilii Provincialis V.
Mediolanenſis, prout *Actis Eccl. Mediolan. part. 1. pag. 279.*
ibi *Tum poſtea Acclamationes ſanctæ fiant ex formula ab Epi-
ſcopo præſcripta. Acclamationibus factis omnes Sacerdotes, &
Clerici ſurgentes, cum reverentia oſculum pacis ab Epiſcopo
accipiant, & ſibi invicem dent cum timore, & amore Dei.
Si vero Cleri, qui convenerit numerus is eſt, ut longius hic oſcu-
li ritus ducatur, ea ratio ineatur, ut Præpoſiti, & Archi-
presbyter ſolum ab Epiſcopo illud accipiant; Deinceps ſuo qui-
que Clero dent, iſque inter ſe mutuo item*; tandem ipſemet
*loc. cit. n. 11. in fine*, ſic expreſſe concludit; Verum cum
hæc in Cœremoniali Epiſcoporum, nec præcipiantur, nec
prohibeantur, liberum erit Epiſcopis ea vel facere, vel omit-
tere; ſicut fert cujuslibet Diœceſis conſuetudo.
153 Hinc ad exemplum traduntur Acclamationes factæ in fine
Synodi Diœceſanæ XI. Mediolanenſis ann. 1584. Archiepiſ-
copo S. Carolo Borromæo, & Summo Pontifice Gregor. XIII,
prout traduntur in Actis d. Eccleſ. part. 8. pag. 1241. ibi.
Acclamationes Cleri in Synodo Diœceſana.
*Archid.* Deo Patri Miſericordiarum, & Deo totius con-
ſolationis, gratiæ.
*Reſp.* Immenſa eſt miſericordia tua ſuper nos Domine,
qui Conciliorum exercitationibus rectum Juſtitiæ tuæ tra-
mitem, & diſciplinæ regimen jugiter docere dignatus es.
Tibi laus, Tibi honor, Tibi gloria in ſæculum, & in
æternum.

*Archid.* Beatiſſimo Gregorio Papæ, & Domino Noſtro
Sanctæ univerſalis Eccleſiæ Pontifici cunctarum gentium
obedientia, & Chriſtiani nominis in omnem terram propa-
gatio.
*Reſp.* Domine Deus Sanctiſſimum Patrem gratia tua cuſto-
di, ut eo gubernante, gentes Sancto veræ fidei *lumine* per-
fuſæ, in unum Eccleſiæ tuæ ovile colligantur.
*Archid.* Reverendiſs. Archiepiſcopo Noſtro ſalutaris
vigilantia.
*Reſp.* Omnipotens Deus, ſuper Antiſtitem noſtrum bene-
dictionum tuarum dona perpetuo multiplica.
*Archid.* Sereniſſimo Regi Philippo, Chriſtianæ religionis
defenſori perpetua *felicitas*.
*Reſp.* Æterne Deus, Catholicum Regem noſtrum in Amo-
re tuo conſerva, ut cœleſti gratia tua auctus, omni tua be-
nedictione perpetuo dilatetur.
*Archid.* Populo Mediolanenſi Pax Chriſti æterna.
*Reſp.* Memento Domine Deus in beneplacito populi tui,
ac perpetuum tuæ benedictionis rorem illi infunde.
*Archid.* Nos Dei voluntatem explentes, & Sancta Decreta
in omni opere bono exequentes, digni reddamur miſericor-
dia, & gratia magni, & Summi Sacerdotis Jeſu Chriſti Dei,
intercedente ſimul Beata ejus Genitrice Virgine Maria, Bea-
to Ambroſio Confeſſore Patre noſtro, & omnibus Sanctis.
*Reſp.* Amen, Amen.
Quibus abſolutis Illuſtriſs. Archiepiſc. dedit omnibus Ca- 154
nonicis ordinariis Eccleſiæ Metropol. & Præpoſitis Collegia-
tarum Eccleſiarum Civitatis, & Diœceſis, & Vicariis Fora-
neis, & Syndicis regionum Civitatis oſculum Pacis; Et de-
mum cum benedictione ſolemni, & publicationem Indulgen-
tiarum dimiſit univerſum Clerum.
Benedictus autem XIV. *loc. cit. n. 9.* Acclamationes fieri 155
ſolitas generatim recenſens, ſic expreſſe tradit: In fine Sy-
nodi fieri ſolent Acclamationes, quibus, *Diaconus*, ceteris
reſpondentibus, omnem laudem, honorem, & gloriam
refert Deo Patri miſericordiarum, aut Spiritus Sancti inviſi-
bili gratia Synodum dirigere, atque ad felicem exitum per-
ducere dignatus eſt; Summo Pontifici univerſalem Eccleſiam
gubernanti, veram & diuturnam proſperitatem, Epiſcopo
Synodo præſidenti, ejuſque *Miniſtris* ſalutarem vigilantiam,
& Divinarum miſerationum abundantiam; Civitati; & Op-
pidis Diœceſanis pacem, animorumque concordiam, omnia-
que fauſta precatur; ſupplicatque Deo, *ut uberem opem elar-
giatur*, qua ſinguli adjuti, edita in Synodo Decreta ſancte,
inviolateque cuſtodiant, & exequantur.

*Novæ Additiones ex aliena manu.*

MUlta ſane ad materiam hanc pertinentia addi poſſent, 1
ſed & longum eſſet, & prorſus inutile poſtquam æter-
næ, & glorioſæ memoriæ Benedictus XIV. Tractatum edidit
repetitæ præſertim prælectionis *de Synodo Diœceſana*. Eum
igitur, ubi res poſtulat, adi.

# T

# TABACCUM.

1 TAbaccum ſive ſolidum, ſive in fruſta conciſum, aut in
pulverem redactum, ore, vel naribus, in fumo per tu-
bulos, & alias quomodolibet ſumere prohibetur ſub pæna
Excommunicationis latæ ſententiæ eo ipſo abſque aliqua alia
declaratione incurrenda omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus
perſonis tam Sæcularibus, quam Eccleſiaſticis, etiam cujuſ-
vis Ordinis, ac Inſtituti Regularibus quomodolibet qualificatis
in quibuſvis Civitatis, & Diæceſis Hiſpalenſis Eccleſiis,
earumque Atriis, & Ambitu. Urban. VIII. Conſtit. incip.
*Cum Eccleſiæ* emanat. *die* 30. *Januarii* 1642.
2 Item ſub eadem Excommunicationis pæna Tabaccum ſume-
re in Baſilica Vaticana, ejuſque Choro, Capellis, Sacrario,
Porticu, & Atriis ſumere prohibuerat Innocentius X. ſub die
8. *Januarii* 1650. Conſtitut. incip. *Cum ſicut.* Aſt iſtam ſuſtu- 3
lit Benedictus XIII. ſub die 10. *Januarii* 1725. ut patet in ſe-
quenti Notificatione.
*Annibal miſeratione Divina Tit. S. Clementis Presbyter* 4
*Cardinalis Albanus S. R. E. Camerarius, & hujus Sacro-ſanctæ
Baſilicæ Archipresbyter.*
*Omnibus, & ſingulis noſtras haſce litteras inſpecturis com-
pertum eſſe volumus a Ss. D. N. Benedicto Divina Providen-
tia PP. XIII. per ejus ſpeciale Chirographum, ſeu motum pro-
prium ad nos directum, & datum ſub die X. menſis hujus Ja-
nuarii anni 1725. nobis a Sanctitate ſua demandatum fuiſſe,
ut cunctis Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, ac præſertim Reve-
rendiſs. Capitulo, & Clero Sacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ ſi-*
gni-

*gnificemus, & notum faciamus, prout præſentibus exequimur, ab eadem Sanctitate ſua, juſtis, prudentibuſque de cauſis in eodem motu proprio indicatis, certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, abolitam fuiſſe, ac penitus abrogatam prohibitionem, alias a fel. rec. Innocentio PP. X. factam, qua ſub poena Excommunicationis ipſo facto incurrenda, omnibus, & ſingulis vetuerat, ne in Baſilica præfata, ejuſdemque Sacrario, Choro, Capellis, Portico, & Atrio Herbam Nicoſianam, vulgo Tabaccum nuncupatam, ſive in ſolidum, ex eo elicitum, ſive in fruſtra conciſum, ſive in pulverem redactum, fumum ore, naribus, aut alias quomodolibet ſumere auderent, vel præſumerent: & virtute memorati Chirographi quibuſcumque a Sanctitate ſua factam fuiſſe poteſtatem dicto Tabacco in recenſitis ſacris locis pro libito utendi, illumque ſumendi, cujuſvis Eccleſiaſticæ cenſuræ comminatione omnino ſublata:*

*Quia tamen in laudato Motu proprio eadem Sanctitas ſua expreſſe declaravit, ejuſdem mentem non eſſe, aut unquam fuiſſe, ut ex narrata permiſſione, reverentia, & honor dictæ Sacroſanctæ Baſilicæ debitus ullatenus minuatur, & ideo nobis, qui præfatæ Baſilicæ immeriti quamvis Archipresbyteri munere fungimur, diſtricte præcipit, ut ejuſdem Reverendiſs. Capitulo, & Clero, qui ceteris aliis exemplo præire debet, ea ſervanda mandaremus, quæ ad augendam Domus Domini Sanctitudinem, & cultum huic toto Orbe celeberrimæ Baſilicæ præſtandum, cujus incrementum Sanctitas ſua quam maxime in votis habet, facere, & conducere judicaremus.*

*Hinc piiſſimis hiſce Sanctitatis ſuæ mandatis morem ex animo gerentes præſenti Edicto Rev. Capitulo, totique Clero ſuprad. Baſilicæ diſtricte in Domino præcipimus, non modo, ut in ipſa Baſilica, vel ejus Choro, aut Sacrario Tabaccum ita circumſpecte ſumant, ut nemini eorum, qui aderunt, ſcandali, & offenſionis ingerant occaſionem, verum etiam, quod illorum nullus, præſertim dum Choro intereſt, & Divinis operatur Officiis, Arculam, ſeu Thecam, in qua Nicotianum pulverem ſervat, ad alios in orbem, ſeu gyrum mittere palam, & publice audeat; ſub poenis arbitrio noſtro juxta modum inobedientiæ infligendis. Volumus autem, ut hæc voluntatis noſtræ ſignificatio præſentibus Litteris conſignata in Sacrario memoratæ Baſilicæ, ac in loco conſpicuo, qui ab omnibus cerni poſſit, ſemper affixa remaneat in perpetuum omnium ſupra dictorum, præceptorumque monumentum. Dat. Romæ ex noſtro Palatio ad quatuor fontes 15. Januarii 1725.*

Loco ✠ Sigilli.

*A. Card. S. Clem. Arch.*

5 Tabacci cujuſcumque uſus ante Miſſam, & Communionem indecens eſt, ut notant paſſim Doctores, & ſignanter La Croix *lib.6. part.2. num.*560. ubi dicit, quod Urbanus VIII. Conſtitut. 161. & Synodus Colonienſis *pag.*88. prohibent, ne ullus Clericus, vel Laicus ante Miſſam, vel Communionem ſumat Tabaccum naſale; Si autem Tabaccum traheret fumo, adhuc magis dedeceret, uti notant Doctores cum Buſemb. *lib.6. part.1. tract.3. cap. 2. dub. 2. art. 2. verſ. Et ſi parvitas*, & multo magis dedeceret, ſi maſticaretur.

6 An vero ſumptio Tabaci frangat jejunium naturale? Variant Doctores. Antonius enim de Leone *in quæſtionibus moralibus de Chocolata part.*1. §. 4. *num.*10. *& ſeq.* Lezana *tom. 3. verb. Euchariſtia num.*16. & alii, dicunt violari jejunium naturale ad Communionem requiſitum, quando aliquis fumum, vel pulverem Tabaci naribus ſumit. At vero rectius hanc ſententiam rejiciunt Diana *part. 5. tract. 13. reſolut. 1. & part. 8. tract. 7. reſolut. 3.* Paſqualig. *in praxi jejunii deciſ.* 438. Lugo *in reſponſ. moral. lib. 1. dub. 9.* La Croix *lib. 6. part. 1. num.* 570. cum aliis ibi citatis, & alii paſſim; Et ratio eſt, quia illa non eſt vera comeſtio, vel potatio, quibus ſolis jejunium ſolvitur; ſed vel eſt trajectio ſalviæ, vel reſpiratio, vel attractio, ſeu efflatio narium.

7 Difficultas major eſt de his, quia folia Tabaci ore ſumunt, & dentibus conterunt ad ſputa, & phlegmata ex ore projicienda; De iſtis enim Antonius de Leone *loc. cit.* dicit non eſſe dubium, quod violent jejunium, quia ſemper aliquid ex ſucco in ſtomachum trajicitur, & ipſum ſequuntur alii, & præſertim Lezana *loc. cit.* dicens frangi jejunium, niſi moraliter certum ſit nihil in ſtomachum perveniſſe. Et Alphonſus de Leone, & Joannes Præpoſitus, quos affert, & ſequitur Diana *loc. cit.* Raynaud. *in Heter. tom. 16. ſect. p. 3. n.* 23. & alii dicunt, non violari jejunium, ſi nihil in ſtomachum trajiciatur; Violari tamen ſi aliquid trajiciatur. Gobat autem *tom. 1. tract. 4. n.* 265. Burg. & Mercant. cum La Croix *lib. 6. part. 1. n.* 569. & alii plures, & ex profeſſo Lugo *in Reſponſ. moral. lib. 1. dub. 9. n.* 5. dicunt, per id minime frangi jejunium, fateturque *ibi* Lugo, quod talis ſit praxis Doctorum, & piorum virorum, qui abſque ullo ſcrupulo Tabaco utuntur, & ejus folia primo mane ore verſant, & dentibus conterunt, & poſtea ad Communionem, & Miſſam celebrandam accedunt, ſicque ſibi reſpondiſſe omnes a ſe conſultos viros doctos, & Theologiæ Profeſſores volentes, quod ad hoc, ut Tabacum ore ſumptum, & dentibus contritum ſputa, & phlegmata, alioſque ſuperfluos humores attrahat, non ſit neceſſe ut aliquis ſuccus foliorum Tabaci deſcendat in ſtomachum, quia fieri poteſt per vim attractivam, ex conſenſu linguæ, & palati cum ſtomacho, cerebro, aliiſque partibus continentibus; Ceterum tenendum eſt, quod ſi aliquis Tabaci ſuccus in ſtomachum trajicitur, tunc frangatur jejunium naturale; Secus autem non, ut præter ſupracitatos cum aliis docent etiam Pontas verb. *Miſſa cap. 6.*

8 Tabaci præſertim exceſſivus uſus, ni dicam abuſus non parva affert incommoda, ſi expertibus in arte medica fidem habere velimus. Simeon Paulus enim Medicus Regius Tarbuſienſis *pag. 8. terg. litt. D.* ſic expreſſe habet: „ Quotus „ quiſque ergo eſt, niſi ipſe ſit Architabacarius, atque „ adeo animo occupato, qui non intelligat, quod meatibus „ aut foraminulis oſſis ethmoidis a pulvere Tabaci obturatis „ cum cerebrum per os ethmoidis neque aerem, ut eo ventiletur, neque rerum odorabilium ſpecies admittere poſſit, „ quin neceſſario olfactu intercidat. *Et paulo poſt*: Cum, „ ergo ad naſi radices uſque pulvis Tabaci narcoticus magna „ copia violenter attrahatur, & punctum temporis natura „ otioſa non ſit, ac in vivo corpore ex Decretis Hyppocratis noſtri, omnia ſint permeabilia, ac tranſpirabilia, „ utique aliter fieri non poteſt, ut innui, quin partes olfactui „ deſtinatæ a narcotica Tabaci facultate miſere affligantur „.

9 Et Jo. Chryſoſtomus Magnenus Profeſſor Medicus in Univerſitate Ticinenſi *Exercit.*8. §. 4. ſequentia Tabaci incommoda recenſet: „ Primum incommodum eſt Odoratus abolitio, membranarumque, nervique odoratorii exſiccatio, „ proceſſum mamillarium tabes, ut probavimus §. 15. Exerc. 6. „ Secund. Inducta cerebro intemperies, quæ memoriam labefactat. Tertio operantur in Medicina iſti, quando quieſcere licet, quod furoris genus appellat Celſus. Quarto „ attrahunt a ventriculo ad cerebrum humores pravos, immoderataque cerebri exſiccatione aliqui vix ſibi ſatis conſtant. Quinto ſenium, mortemque accelerant adventitia „ ſiccitate humido radicali infeſta. Sexto Febribus acutis „ magis obnoxii redduntur, itemque deliriis, & phrenitidi. „ Septimo, vidi non neminem, cui inſanus hujus pulveris „ uſus cryſtallinum corrugaverat humorem, unde & fluitantia cernebat objecta. Octavo durior auditus fit iis, qui „ parvum caput ſortiti ſunt, tinnituſque aurium cuipiam contingit effrenato hujus pulveris uſu „.

10 Tabacum Jacobus VI. Britannorum Rex interdixit ſuo in Regno, bene perſuaſus ex ejus uſu corpora hominum enervari. Et Amurate; IV. Turcarum Imperator ſub pœna capitali ipſum prohibuit, teſte dicto Magneno *Exerc. 6.* §. 10. & 11. ne ſubditi, vel inebriarentur, vel infæcundi redderentur.

11 His de Tabaco ad eruditorum curioſitatem addere lubet, quæ ex Anton. Abbati *in ſuis lepidiſſimis Fraſcherie Faſcio 2. tit. la Pazzia, Satra circa medium* refert Urſaya *inſtit. Crim. lib.3. tit.3. n.* 58. ibi.

*Una certa pazzia naſi innamora,*
*Che nome ha di Tabacco, e a mio giudizio*
*Già dall' urna del mal traſſe Pandora.*
*E' medicina, e non fa mai ſervizio,*
*Non fa ſervizio, e a chi la piglia è grata,*
*Grata è per uſo, ed uſaſi per vizio.*
*Allodar naſi, e fazzoletti è nata,*
*Però ſcerner non sò, ſe più conviene*
*Ai naſi, o a' fazzoletti una buccata.*
*Come in ſuol polveroſo ondoſe vene*
*Piovon dal Ciel, così dal naſo eſcluſa*
*Su la polvere ſua la pioggia viene.*
*S' a ſgravare il cervello un uomo l' uſa,*
*Ragione non averà, mentre ſi lagna,*
*Che leggier di Cervell' altri l' accuſa.*

*Sempre*



*Sempre cola un umor, ch' il labbro bagna,*
*Ond' io non ſo, ſe magni, o cachi il naſo,*
*O faccia collazion naſo, che magna.*

12 Adducuntur varia Decreta Sac. Congr. Immunitatis in ordine ad faciendam perquiſitionem Tabacci in locis immunibus, prout referuntur a D. Riccio *in ſua Synopſi verb. Tabaccum*, ibi:

13 Sac. Congr. ultra facultates in Decreto ſub 21. Dec. 1676. ex ſpeciali commiſſione Sanctiſſimi conceſſas Reverendiſſimo Nuncio Apoſtolico, & Ordinariis Locorum in Regnis Luſitaniæ, & Algarbiorum, ſequentes de ejuſdem Sanctiſſimi permiſſione addendas eſſe cenſuit: firma in reliquis remanente diſpoſitione ejuſdem Decreti, videlicet.

Quod Reverendiſſimus Dominus Nuncius, retenta ſibi poteſtate procedendi, & inquirendi contra Regulares, exemptos in Civitate, & Diœceſi Ulixiponen. pro aliis locis cognitionem cauſarum contra cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti de neceſſitate etiam exprimendi Regulares, mercimonii cauſa Tabacum contrahentes, ſeu contundentes, vel etiam ad effectum præfatum retinentes, propriis Epiſcopis in Civitatibus. & locis intra fines cujuslibet illorum Diœceſis, & quoad loca, quæ Nullius, vel extra Diœceſim exiſtunt, aliis Epiſcopis vicinioribus committere poſſit, & valeat, communicando eidem nomine Sedis Apoſtolicæ facultatem inquirendi, et procedendi contra dictos Regulares, et exemptos privative quo ad omnes etiam ipſorum Prælatos et Regulares; inſuper tam idem Nuncius Sanctiſſimo pariter annuente, in Diœceſi, et Civitate Ulixiponen. quam dicti Epiſcopi, et Ordinarii locorum, ſive procedentes contra Eccleſiaſticas Perſonas ex propria facultate, ſive delegata contra Regulares, alioſque exemptos poſſint pariter et valeant in caſibus præfatis perquirere toties, quoties opus fuerit in locis immunibus, ac intra Clauſtra, et Domos Regularium, ſeu Monaſteria, quamvis exempta. *Sacra Congreg. Immun. in Luſitana* 21. *Junii* 1678. *lib.2. Decret. Altovit. pag.* 1599.

14 Ad inſtantiam Proregis Neapolis editum fuit ſimile Decretum quoad Tabacum cum iiſdem facultatibus Nuncio, Epiſcopis Regni Neapolitani, ac in ſuprapoſito pro Regnis Luſitaniæ. *Sac. Cong. Immun. in Neapolitana 29. Jun.* 1678. *lib. 2. Decret. Alt. pag.* 1603.

15 Ad inſtantiam Appaltatorum Tabaci R. Cameræ Apoſtolicæ conceditur eadem facultas Epiſcopis Status Eccleſiaſtici perquirendi in quocumque loco, et procedendi, et inquirendi contra quoſcumque quomodolibet exemptos eodem modo, et forma, ac in Neapolitana ſupraſcripta circa Tabacum. *Sacr. Congreg. Immunit. in Romana 17. Martii* 1682. *lib. 3. Decr. Alt. pag.* 23.

16 Edicta, et Banna publicata a D. Nuncio, et controverſa ab Eminentiſſimo Archiepiſcopo ſuper Tabaco ſuſtinentur. *Sacr. Congr. Immun. in Neapolitana 13. Novemb.* 1668. *l.*1. *Decr. Alt. p.* 286.

17 Tabacum extractum ab Executoribus Curiæ Epiſcopalis ſine interventu Perſonæ Eccleſiaſticæ a loco immuni, debet reſtitui loco immuni. *Sacra Congregat. Immun. in Tudertina* 30. *Auguſti* 1679. *lib. 2. Decr. Alt. pag.* 1826.

18 Quamvis Tabacum cujuſcumque generis ante, et paulo poſt celebrationem Miſſæ, et ſumptionem Euchariſtiæ, quædam Synodi etiam ſub Cenſuris interdixerint; Qua propter his ſuffulti auctoritatibus Clericatus *de Sacrament. Euchariſt. deciſ. 54. n. 12. caſ. 2.* Natalis Alexander *Theolog. Dogmat. & Moral. tom. 1. in appendic. 1. variar. Epiſtolar.* 45. Sarnellus Epiſcopus *tom. 6. Epiſtol. Eccleſiaſtic. Epiſt.*30. Hurtad. *reſolut. moral. tom. 2. tract. 11. c. ultim.* docuerunt oportere, ac decere, ut Epiſcoi in ſuis Synodis edicant a nemine ante Miſſæ celebrationem, aut Sanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptionem, tabaci folium mandatur; Benedict. XIV. *De Synodo*

19 *Diœceſana lib.7. cap. 63. num.* 3. relicta in medio, ſeu indeciſa quæſtione de tabaci folii maſticatione, tradit nequaquam hodie expedire, ut uſus tabaci fumi, aut pulveris naribus attracti ſub Cenſurarum poena interdicatur; Cum hodie a communi conſuetudine ſit adeo talis uſus cohoneſtatus, ut nulli prorſus ſcandalum præbeat, aut admirationem cauſet.

20 Unde nimium ſeverus notaretur Epiſcopus, qui dictis antiquis Synodis inſiſtens dicti Tabaci uſum, aut omnibus ante Sacræ Euchariſtiæ perceptionem, aut ſolis Sacerdotibus ante Miſſæ celebrationem, interdiceret, adjecta præſertim in tranſgreſſores Cenſurarum pœna.



## TABERNACULUM.

1 CLaves Tabernaculi nec relinqui debent in Sacriſtia, nec a Laico ſervari, ſed a ſolo Sacerdote. *Sac. Cong. Rit.* 22. *Feb.* 1593.

2 Immo ipſas retinere debet Parochus privative ad Sacriſtam, et Capellanum. *Sac. Cong. Concilii in Neapolitana* 14. *Novemb.* 1693.

3 In Tabernaculo, ubi aſſervatur Sanctiſſimum Sacramentum, non ſunt retinendæ Reliquiæ, nec Vaſa Sacrorum Oleorum, nec aliud, *Ead. Sac. Cong. Rit. dict. die* 22. *Feb.* 1593.

4 Clavis Tabernaculi, ubi reponitur Hoſtia conſecrata in feria V. Cœnæ Dominicæ, non eſt danda Laico, quantumvis nobili. *Sac. Cong. Rit.* 30. *Jan.* 1616.

5 Monialibus non committitur Clavis Tabernaculi SS. Sacramenti, ſed penes eum Sacerdotem ſemper eſſe debet, ad quem ſpectat cura illud adminiſtrandi. *Sac. Congreg. Concilii in Valliſoletana* 12. *Januar.* 1604.

6 Nec etiam in Monaſteriis Monialium aſſervari debent Reliquiæ, ſed in exterioribus Eccleſiis. *Sac. Cong. Concil. in Faventina* 7. *Martii* 1617.

7 Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti in Cathedralibus non debet eſſe in Altari majori propter functiones Pontificales, quæ fiunt verſis renibus ad Altare. *Sac. Cong. Rit.* 24. *Novemb.* 1598.

8 Capuccini retinere poſſunt Tabernaculum ligneum affabre laboratum. *Sac. Cong. Epiſcop. & Regul.* 13. *Julii* 1646.

9 Ante oſtiolum Tabernaculi SS. Euchariſtiæ, in quo depicta vel inſculpta eſt Imago Salvatoris non eſt retinendum vas florum, vel quid ſimile ſed collocandum in humiliori, & decentiori loco. *Sac. Congregat. Rit.* 22. *Januar.* 1701.

## TABERNA, TABERNARII, SEU CAUPONES.

1 TAbernæ nomine intelligitur Domus, in qua panis, vinum, carnes coctæ, & alia hujuſmodi venduntur. Sic Gloſſa communiter recepta *in Clem. 1. de vita, & honeſtate Clericorum.*

2 Tabernas ingredi non poſſunt Clerici ad comedendum, & bibendum niſi in itinere, aut cauſa neceſſitatis; *cap. Non oportet 2. cap. Clerici 4. diſt.* 43.

3 Tabernas habere nullimode licet Clericis, alias deponendi ſunt, textu expreſſo *in cap. Nulli Clerico 3. diſt.*44. ibi: *Nulli clerico licet Tabernam, aut ergaſterium habere; Si enim hujuſmodi Tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis miniſtrare in ea? Si quis vero tale quid fecerit, aut ceſſet, aut deponatur.*

4 Tabernarii, ſeu Caupones mortaliter peccant, ſi inebriandos plura vendendi, aut lucrandi prætextu ad potum continuandum provocent. *Communis.* Et ratio eſt, quia ſi ex Apoſtolo *ad Rom. 1. n. 31. Digni ſunt morte, & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*, a fortiori qui alios ad male agendum provocant, & inducunt.

5 Item mortaliter peccant Tabernarii, ſeu Caupones, qui potum miniſtrant iis, quos inde prævident inebriandos, ſi ex denegatione non timeantur gravia incommoda. *Communis.* Et ratio eſt, quia licet ipſi vendant, & miniſtrent rem de ſe indifferentem, quia tamen hic & nunc eſt materia ebrietatis, & conſequenter etiam peccati gravis, tenentur illam denegare, ſicuti tenentur peccatum proximi impedire, quia, ut habetur *Eccleſiaſt. 17. n. 12. Mandavit ( Deus ).... unicuique de proximo ſuo.*

6 Idem dicendum eſt cum proportione de Tabernariis, qui carnes, aut ſecundam refectionem miniſtrant in die jejunii, ac de illis, qui potum miniſtrant ſe inebriaturis, cum ſit omnino par ratio.

7 Tabernarii, ſeu Caupones, ſi, ut plures habeant hoſpites, permittant, ſeu curent ad ædes ſuas venire meretrices, & inſervire menſis, peccant mortaliter, quia dant occaſionem proximam peccatis, tum meretricum, tum hoſpitum. Beja *part. 1. caſ.* 48. La Croix *lib. 2. numer.* 26., & alii paſſim.

8 Tabernarii graviter peccant, ſi, admoniti ut deſiſtant, adhuc diebus Feſtis, tempore Divinorum Officiorum in ſuas Tabernas incolas, ſeu Parœcianos ad potandum, ludendum, aut aliud non neceſſarium agendum permittunt, præſertim cum ſcandalo aliorum. Colligitur ex pluribus Conciliis, & ſignanter ex Concilio Rothomagenſi *de Curatorum, & aliorum Presbyterorum, & Parœcianorum Officiis*, ubi ſtatuit, ut Pa-

A a

ut Parochi *in Pronao pro excommunicatis denuncient, qui poſt admonitionem auſi fuerint Dominicis, & feſtivis diebus. tempore Divini ſervitii Parochianos in Domum ſuam ad potandum, ludendum, aut aliud non neceſſarium agendum recipere*. Item ex Concilio Turonenſi *tit. De Feſtorum cultu*, ibi: *In Hoſpitiis, ſeu Cauponis aliis, quam peregrinis cibaria, & vinum miniſtrari.... ſub anathematis poena prohibet hæc Sancta Synodus*. Quæ duo Concilia, ut teſtatur Pontas verb. *Caupo caſ.*2. confirmata fuerunt a Gregorio XIII. Anathematis autem pœna non niſi pro peccato mortali infligi poteſt, ut declarat Concilium Meldenſe *cap.*56. relat. *in cap. Nemo* 41. *cauſ.*11. *quæſt.*3., ibi: *Quia anathema æternæ eſt mortis damnatio, & non niſi pro mortali debet imponi crimine*, & concordat *cap. Corripiantur* 17. *cauſ.*24. *qu.*3. ubi dicitur, quod in Eccleſia nulla major dari poteſt pœna, quam Excommunicatio, ibi: *Qua poena in Eccleſia nulla major eſſe poteſt*.

9 De Tabernariis vendentibus pro puro vinum aquæ-commixtum, aliaſque res majori pretio, quam valeant, diſcurrendum eſt cum proportione, ſicuti dictum eſt ſub verb. *Emptio, & Venditio art.*3. Vide *ibi*.

10 Epiſcopus poteſt prohibere aperiri Tabernas pro ludis alearum, & Taxillorum. *Sac. Congregat.* Immunit. *in una S. Severini* 8. *Julii* 1687. *lib.*1. *Martelli p.*131. & 16. *Nov.* 1688. *ibi pag.*380.

11 Magiſtratus non poteſt prohibere Tabernariis appendere res venales in columnis Porticus de jure Eccleſiæ, ſeu quas Eccleſia habet Jus locandi. *Sacr. Congregat. Immun. in Imolen.* 5. *Maii* 1699. *lib.* 2. *Decr. Vall. p.*218.

## TACTUS IMPUDICI.

1 OMnes tactus impudici animo determinate libidinoſo facti in quacumque corporis parte, ſive in alio, ſive in ſe ipſo, ſunt ſemper peccatum mortale. *Communis*.

2 Tactus facti in ſeipſo in partibus verendis præciſe ex levitate, ordinarie non ſunt peccatum mortale, quia tactus in corpore proprio non ita excitant ad libidinem, ac tactus in

3 corpore alieno (a); *Communis*.

Tactus facti in alio cujuſcumque ſexus in parte corporis honeſta ex joco, levitate, aut propter delectationem minime inhoneſtam, ordinarie excuſantur a peccato mortali. *Communis*; Et ratio eſt, quia tactus illi, cum ſint de ſe indifferentes, non plus habent malitiæ, quam communicet ipſis affectus tangentis, adeoque, cum in dicto caſu affectus tan-

4 gentis non ſit mortalis, neque mortales erunt dicti tactus. Mortales autem ordinarie ſunt dicti, ſi fiant in partibus verendis. *Communis*; Et ratio eſt, quia licet tactus illi procedant abſque affectu vere libidinoſo, quia tamen ſunt in partibus libidinoſis, ſeu libidinem ex natura ſua (ubi non adeſt juſta dictorum tactuum neceſſitas) valde excitantibus, & ad delectationem veneream, & pollutionem proxime

5 diſponentibus, ſunt ordinarie mortiferi, juxta illud *Eccl.* 3. *num.*27. *Qui amat periculum, peribit in illo* (*). Si tamen dicti tactus fiant quidem in partibus verendis, ſed ſupra veſtes, ordinarie excuſantur a peccato gravi, quia non videtur ipſi adeſſe tantum periculum, ut notant communiter Doctores, quamvis ſerio moneant eſſe id vitandum, præſertim in perſonis alterius ſexus (a).

Feminæ permittentes ſe tangi impudice præſertim in par- 6
tibus libidinoſis, peccant graviter, non ſolum ratione cooperationis alterius peccato, ſed etiam ratione tactus paſſivi. *Communis* (a); Et ratio eſt, quia non minus ad libidinem excitat tactus paſſivus, quam activus, adeoque &c.

Ancillæ, nutrices teneros pueros veſtientes, lavantes, 7
eorumque pudenda tangentes, etſi motus ſenſualis exurgat, ſecluſo conſenſu, aut complacentia turpi, aut non peccant, ſi ita ſuum officium exigat, aut ſolum peccant venialiter, ſi leviter ex joco, aut curioſitate faciant; Si autem id facerent cum notabili mora, ordinarie mortaliter ob mortale periculum conſenſus libidinoſi, & a fortiori, ſi in faciendis intermiſceretur delectatio venerea. *Communis*.

Tactus venerei, ſeu impudici inter perſonas ejuſdem ſexus ſunt graviora peccata mortalia, quam inter perſonas ſolutas diverſi ſexus. *Communis*; Et ratio eſt, quia tales actus venerei ex natura ſua tendunt ad peccatum mollitiei, vel etiam Sodomiæ, quod eſt peccatum gravius ſimplici pollutione.

Tactus in quacumque parte corporis, ſive proprii, ſive alieni, facti a Medicis, Chirurgis, Infirmariis, aut aliis cauſa medendi, aut alterius neceſſitatis, quamvis inde interdum ſuboriantur motus inordinati, quamdiu abeſt pravus affectus, & conſenſus, aut ejuſdem periculum, nullimode ſunt peccaminoſi; Immo de ſe meritorii. *Communis*.

Item ne quidem erit peccatum veniale tangere verenda 8
proprii corporis ex naturali aliquo, & non malo fine, ut ſi quis verb. gr. fricatione velit extinguere pruritum non venereum in illis partibus quandoque vehementius conſurgentem. Vide verb. *Luxuria num.*84.

Tangere, ſeu complecti pueros ex affectu teneræ infan- 9
tilis ætatis captando delectationem ſenſibilem ex mollitie carnis teneræ, per ſe loquendo, ſecluſo conſenſu, aut complacentia turpi, vel nullum eſt peccatum, vel tantum veniale. Vide d. verb. *Luxuria n.*77.

Tactus etiam in partibus verendi factis inter conjuges, ſi or- 10
dinentur ad copulam conjugalem, ſunt per ſe liciti. *Communis*; Conjuges enim licite ſe poſſunt ſimili modo ad copulam conjugalem excitare (*). Si autem ſimiles tactus inter conjuges
fiant cauſa ſolius voluptatis, & delectationis abſque ordina- 11
tione ad copulam conjugalem, ſunt quidem culpabiles, ſed non mortaliter. *Communis*. Et ratio eſt, quia Matrimonium eos cohoneſtat, & defectus debiti finis non eſt mortalis. Dummodo tamen in dictis tactibus abſit periculum pollutionis,
quia alioquin eſſent mortales, cum voluntaria pollutio extra 12
debitum vas etiam inter conjuges ſit mortalis. *Sic Doctores Communiter*.

Tactus qui fiunt inter ſponſos de futuro cum delectatione 13
ſenſibili venerea, moroſa, & directe voluntaria, ſunt peccata mortalia; alias non ſunt niſi venialia: Et ſi pudice fiant ex recto, & honeſto fine ſecundum conſuetudinem patriæ in
ſignum mutuæ benevolentiæ, & debiti obſequii, ſunt licita (a). 14
*Communis*.

Bruta, ſeu animalia minora præſertim, ut catellos, catos 15
& hu-

(a) Nota. Non adeo facile a gravi culpa excuſari debent tactus illi deliberati, qui aut in honeſtis partibus fiant, ob delectationem tamen ſenſualem percipiendam, vel in partibus pudendis ſupra veſtes, aut in ſignum mutuæ benevolentiæ inter ſponſos de futuro &c. Nam ubi ordinarie lethalis culpæ periculum adeſt, ibi peccatum mortale ſit neceſſe eſt: Huc enim ſpectat illud Eccleſiaſtici a Lucio citatum: *Qui amat periculum, peribi in illo*; ordinarie vero, qui deliberate tactus illos exercet, periculo graviter peccandi ſe ſe exponit: Nam delectatio venerea, fatentibus omnibus, peccatum mortale eſt; inhoneſtæ quoque hac de re cogitationes, & deſideria inde ſequentia, mortalia quoque peccata ſunt. Quis vero dicat, tangentes ex. ca. faciem captandæ delectationis ſenſibilis cauſa ex ipſius mollitie; tangentes ex joco, & levitate propria pudenda, atque tangentes, & oſculantes futuram ſponſam, in mutuæ benevolentiæ ſignificationem, periculo non ſeſe exponere delectationis venereæ, inhoneſtæ cogitationis, turpiſque deſiderii? Nam ex tactibus illis delectatio ordinarie conſurgit, quæ ad venerem incitat, & motus inde naſcentes nonniſi venerei ſunt, atque ad veneris uſum provocantes. Itidem tactus illi rei inhoneſtæ ideam ſuggerunt; ex idea inhoneſta, inhoneſta cogitatio oritur; ex inhoneſta cogitatione, turpe deſiderium enaſcitur, ut rem conſideranti liquet. Quamobrem ordinarie loquendo tactus hujuſmodi a gravi culpa excuſari non debent, ac rari admodum caſus eſſe poſſunt, in quibus tactus hujuſmodi deliberati ſint, non ex neceſſitate fiant, & gravi culpa careant.

(*) Veſtes impedimento non ſunt, quominus imaginatio actus impudici excitet affectum, affectuſque ipſe contingat. Audiat quiſque S. Paulum dicentem: Ab omni ſpecie mala abſtinete voſ. 2. Theſſal. 5. 22.

(*) Non eſt communis hæc ſententia Auctoris noſtri. Nam S. Antonin. Sylveſter, aliique adfirmant, tactus, de quibus hic ſermo eſt eſſe culpam mortalem, ſi exerceantur abſque animo perveniendi ad copulam.



16 & hujuſmodi molliter tractare, demulcere, etiam eorum pudenda contrectare ex ſola jocoſitate, vel levitate, ſine ulla impura delectatione, ordinarie eſt tantum peccatum veniale (a); Vide verb. *Luxuria n.*80. Eſſet autem mortale ita bruti, ſeu animalis alicujus pudenda fricare, ut ſemen ex-
17 pelleret ex curioſitate illud videndi, & ob delectationem ſenſibilem. Vide *ibid. num.*81.

Alia ad rem. Vide verb. *Femina*, verb. *Luxuria*, verb.
18 *Sponſi*.

Ad complementum affertur Poeticum dictum relatum ab
19 Urſaya *in Miſcellaneo* 1. *Sacro*, & *prof. litt. num.*11.

*Ni fugias tactus, vix evitabitur actus,*
*Hos ergo vita, ne moriaris ita.*

## TALIONIS PŒNA.

Vide verb. *Falſarius num.*69. & verb. *Poena*, *art.*2. *numer.*24. ac verb. *Accuſator n.*3. & 4.

## TARRACONENSE CONCILIUM.

1 TArraconenſe Concilium Provinciale Feſtorum dierum imminuendorum methodum excogitat, quæ a Benedi-
2 cto XIII. approbatur; Nimirum, ut omnibus diebus dominicis, aliiſque ſolemnioribus Feſtis, Fideles Miſſæ interſint,
3 & ab operibus ſervilibus abſtineant. In aliis vero Miſſam audiant, ſed operibus ſervilibus navare poſſint; Sic Benedictus XIV. tom. 2. Bullar. Conſtitut. 63. incip. *Non multi menſes*. Qui eamdem methodum ſequitur in concedendis hujuſmodi imminutionum indultis, *ibid.*, & Conſtitut. 65. incip. *Cum ſicut*.

## TAXA.

### TASSA INNOCENZIANA.

*del Foro Eccleſiaſtico nelle materie ſpirituali;*

Ovvero

*Dichiarazioni ſopra quelle cauſe, e materie Eccleſiaſtiche, e ſpirituali, nelle quali nel Foro Eccleſiaſtico, ed Epiſcopale non ſi può, nè ſi deve eſigere emolumento alcuno, eccetto quello, che ſi dichiara per il ſolo Cancelliero con la riforma degli abuſi contrarj.*

ESſendoſi avuto ricorſo alla Santità di Noſtro Signore Innocenzio XI. per molti Veſcovi, ed Arciveſcovi, ed altri Prelati zelanti, acciò per ſicurezza della loro coſcienza, e per togliere ogni occaſione di dubbio; che poteſſe naſcere dalle diverſe conſuetudini delle Dioceſi, ed anche acciò non ſiano ingannati da' loro Vicarj, Cancellieri, ed altri Miniſtri, e famigliari, ſi ſtabiliſca una Taſſa generale, ed uniforme per il Foro Epiſcopale, ovvero Eccleſiaſtico, nè mancando i Ricorſi de' Cleri, e de' Popoli, ha perciò la Santità ſua deputato una Congregazione particolare di due Signori Cardinali Prefetti delle Congregazioni del Concilio, e de' Veſcovi, e di quattro altri Signori Cardinali delle medeſime Congregazioni, e di due Monſignori loro Segretarj, e delli Monſignori Datario, ed Auditore della Santità ſua, e da queſta ſi è riſoluto non poterſi nelle cauſe contenzioſe, civili, criminali, e miſte venire alla ſudetta Taſſa generale ſenza la precedente notizia delle Taſſe particolari di ciaſcheduna Dioceſi, o Provincia, potendo giuridicamente quella eſſer varia ſecondo la diverſa conſuetudine regolata dalla diverſità de' Paeſi, e de' luoghi. Bensì doverſi con qualche maggior chiarezza per togliere tutti i dubbj, e gli equivoci, dar fuori le dichiarazioni, che in più tempi, e diverſe occaſioni ſi ſon fatte dalle Sacre Congregazioni del Concilio, e de Veſcovi nelle materie Eccleſiaſtiche, ovvero meramente ſpirituali; acciò in tal modo ſappia ciaſcuno quel che ſia illecito, e ſi tolga ogni ſcuſa, o preteſto d' ignoranza, o di conſuetudine, dovendo in sì fatte materie l' oſſervanza eſſere da per tutto uniforme per le generalità de' Canoni, e Concilj, e particolarmente del Tridentino in modo, che deve dirſi reproba, ed illecita ogni contraria conſuetudine, e Taſſa diverſa in qualunque modo per l'addietro fatta, conforme dalla medeſima Congregazione ſi è ſtabilito, in modo che le ſeguenti dichiarazioni debbano oſſervarſi da per tutto ſenza eccettuazione alcuna, ſotto le pene contenute ne' Sacri Canoni, e Concilj, ed altre ad arbitrio del Sommo Pontefice, che ſarà pro tempore, e naſcendo qualche dubbio in contrario, ſe ne debba conſultare la ſuddetta Sacra Congregazione del Concilio, e non altrimente.

Nella materia delli Ordini Sagri, e Minori, e prima Tonſura, così per la Collazione, come per la facoltà, che ad altro ſi dia di conferirli, ed anche per il loro eſercizio, e per la facoltà di eſercitarli in qualunque luogo, e qualunque tempo, ſi ſtabiliſce la regola generale, da non ricevere altra eccettuazione, che quella ſi dirà di ſotto, e che nè il Veſcovo, o altro Prelato, nè il ſuo Vicario Generale, o Foraneo, Cancelliero, ed altro Offiziale qualſivoglia, nè Parenti, e Famigliari, o Servitori poſſano eſigere, e ricevere emolumento, e coſa alcuna ſotto qualſivoglia colore, o preteſto di atti per la giuſtificazione de' requiſiti, ovvero di Tavaglia, Forbici, Pettine, ed altro, nè ſotto titolo di regalo, o di mancia, anche ſe ſpontaneamente ſi offeriſſe e deſſe, eccetto che l'Ordinante poſſa ricevere l'Oblazione della Candela, ſecondo diſpone il Pontificale a libero arbitrio dell'Ordinario circa la qualità, e peſo. Ed il Cancelliero, ſecondo la diſpoſizione del Sagro Concilio di Trento per le lettere teſtimoniali della collazione dell'Ordine già dato, ovvero per le lettere dimiſſoriali per la collazione da farſi per un altro Veſcovo, poſſa ricevere ſolamente la decima parte d' *uno ſcudo di moneta Romana*, cioè un giulio, ovvero l'equivalente nella moneta del Paeſe, e non più da perſone, le quali abbino l'uſo del denaro, non già da quei Religioſi, *i quali non ne hanno l'uſo*, come ſono i Cappuccini, ed i Minori oſſervanti; eccetto che nella collazione del Subdiaconato per gli atti che ſi devono fare per la giuſtificazione della verità, e ſufficienza del Patrimonio, ovvero del Benefizio, a titolo del quale ſi deve promovere, poſſa eſigere quell' emolumento, che ſia proporzionato alla mera fatica perſonale per la ſcrittura, e carta, ſenza che il Veſcovo, o Vicario, o altr'Offiziale, direttamente, nè indirettamente ne poſſa partecipare in modo alcuno, purchè detto emolumento non poſſa, nè debba eccedere uno ſcudo d'oro, ma ſe la fatica richiede minor mercede ſi debba eſigere ſolamente quel meno. Ma riſpetto agli altri Ordini, ed alla prima Tonſura poſſa eſigere coſa alcuna ſotto preteſto di regiſtratura de' Brevi, e diſpenſe, e di altre Scritture, o di preſentata, e di qualunque altra giuſtificazione, e ſolennità, o remozione d' impedimento.

Con dichiarazione, che ſe le ſuddette Lettere teſtimoniali, ovvero dimiſſoriali contengono più Ordini, tuttavia non ſi poſſa eſigere altra mercede, che la ſuddetta di un giulio, ſicchè non ſi poſſa moltiplicare a ragione di ciaſcun Ordine. Non ſia però tenuto il Cancelliero a far una ſola ſcrittura per più Ordini, quando queſti ſiano ſtati conferiti in diverſi tempi, & diverſe Ordinazioni; ma volendo, poſſa farle ſeparate, non già riſpetto a quegli Ordini che ſi conferiſcono in uno iſteſſo giorno, come ſegue ne' Minori, ne' quali dovrà farſi una ſola ſcrittura, e nelle lettere dimiſſoriali che ſi diano per l'Ordinazione da farſi per un altro Veſcovo a più Ordini parimente non ſi poſſano moltiplicare ſcritture, nè poſſa eſigere coſa alcuna per il rogito della collazione degli Ordini, ovvero per l'acceſſo al luogo dell'Ordinazione con altro preteſto anche di mancia, e di regalo.

Nella materia de' Beneficj Eccleſiaſtici, quando ſi tratta di quelli, che come di libera collazione, ovvero come devoluti ſi conferiſcono dal Veſcovo, o altro Ordinario Collatore, parimente ſi ſtabiliſce la regola generale, che nè il Veſcovo, o altro Collatore, nè il ſuo Vicario, nè il Cancelliero, o Parenti, famigliari, ſervitori poſſano eſigere, e ricevere emolumento alcuno, ed altra coſa ſotto qualſivoglia altro colore, e preteſto, anche di mancia, o regalo, volontario donativo, così ſe ſiano Curati, o reſidenziali, come ſe ſemplici o non reſidenziali, ed anche ſe ſiano Cappellanie manuali, ma ſolamente il Cancelliero per le lettere della collazione, compreſa carta, ſigillo, corde, ed ogni altra coſa, poſſa eſigere la mercede proporzionata alla ſcrittura, e materia, purchè non ecceda la ſomma di giulj dieci di moneta Romana, ovvero l'equivalente nella moneta del Paeſe, ſenza che ſi poſſa pretendere altra mercede, ſotto qualſivoglia preteſto, e particolarmente per l'approvazione e preelezione nel concorſo alle Chieſe Parrocchiali. E per il poſſeſſo il Veſcovo, o Vicario, o altr' Officiale non poſſa eſigere coſa alcuna ed il Cancelliero, ſe ſarà dentro la Città, poſſa per il rogito, ed ogn' altro atto eſigere giulj tre, ſe ne' Borghi, ovvero Suburbj giulj quattro, e ſe

ſe in altro luogo i medeſimi giulj quattro il giorno, e le ſpeſe di vitto e viatico; Bensì che ſe nel luogo del Benefizio vi ſarà il Cancelliero del Vicario Foraneo, o altro Notaro, ſi dovrà il poſſeſſo commettere al Vicario Foraneo, e ſuo Cancelliero ſenza la neceſſità del viaggio del Cancelliero Epiſcopale.

Quanto a'Benefizj di Proviſione Appoſtolica, perchè ſiano riſervati, ovvero affetti avanti la loro provviſione così ne'Benefizj curati, ne'quali per l' ordinario ſi danno le lettere teſtimoniali alla Dataria dell'approvazione, e della preelezione nel concorſo ſecondo la forma del Concilio di Trento, come anche negli altri Benefizj non curati, e particolarmente ne'reſidenziali per i quali ſi ſogliono dare le atteſtazioni alla Dataria ſopra la vita, coſtumi, ed idoneità de' concorrenti per le dette lettere, non ſi poſſa eſigere, o ricevere mercede, ed emolumento alcuno in denaro, o in altre coſe ſotto qualſivoglia preteſto, o colore, anche di volontario donativo, ma ſi debbano dare affatto gratis.

E dopo la provviſione per l' eſecuzione delle lettere Appoſtoliche, quando ſiano nella forma grazioſa, non poſſano il Veſcovo, o altro Prelato Ordinario del luogo, o ſuo Vicario, e Cancelliero, ed altr' Officiale pretendere di doverne eſſere per neceſſità Eſecutori; ma ſia in arbitrio de'Proviſti l'eleggerſi l'Eſecutore, ed il Notaro per il poſſeſſo, ma ſe il proviſto eleggeſſe l'ordinario Officiale, ed il ſuo Cancelliere, o veramente ſe le lettere foſſero nella forma che ſi dice dignum indrizzate all'Ordinario, ovvero al ſuo Vicario, il quale per ciò ne foſſe neceſſariamente l'Eſecutore, così nell' uno, come nell'altro caſo, non eſſendovi legittimo contradditore in modo che l'Eſecutore ſia mero, parimente il Veſcovo o altro Prelato, ed il ſuo Vicario, o altr'Officiale, e ſuoi famigliari, ſervitori, ed attinenti, non poſſano, nè debbano eſigere, e ricevere emolumento alcuno, in quell'iſteſſo modo che di ſopra ſi è detto ne' Beneficj d' ordinaria collazione; ma il Cancelliero poſſa per la copia, o regiſtro delle lettere Apoſtoliche, ed altri atti ricevere la mercede proporzionata alla fatica per la ſcrittura, purchè non ecceda in tutto uno ſcudo d'oro. Ed eſſendovi contradditore ſicchè convenga di far proceſſo giudiziale, la mercede del Cancelliero per la ſua fatica ſi poſſa ſtendere a due ſcudi d'oro, e non più, ſenza che il Veſcovo, o Vicario, o altro Officiale poſſa eſigere, e ricevere emolumento alcuno, mentre nelle cauſe Eccleſiaſtiche, e ſpirituali, ordinano i Sacri Canoni, che non oſtante qualſivoglia conſuetudine, il giudizio ſi debba interporre gratis. E per il poſſeſſo ſi oſſervi quell'iſteſſo, che ſi è detto di ſopra ne'Beneficj conferiti dall'Ordinario Collatore.

Nelli Beneficj del Padronato, naſcendo dubbio ſopra l' eſiſtenza del Padronato con il Procurator Fiſcale, ovvero col Proviſto, che ne pretenda la libertà, ſi debba in tutto, e per tutto oſſervar quell'iſteſſo, che di ſopra ſi è detto ne' Beneficj di libera collazione col Contradditore. Ma ſe controvertendoſi l'eſiſtenza, ſia la controverſia tra' Compatroni, ovvero Preſentati da eſſi ſopra la pertinenza, in tal caſo ſi reputi come cauſa civile profana, e per conſeguenza ſi oſſervi la ſolita Taſſa di ciaſcuna Curia, ſino a tanto che ſi faccia d' altra Taſſa delle cauſe profane Civili, Criminali, e miſte.

Generalmente così nelle Cappellanie manuali, come nelle nuove fondazioni, ed erezioni de'Beneficj, Cappellanie, Confraternità, Congregazioni, ovvero fondazioni, benedizioni, conſegrazioni, e reſpettivamente Viſite, ed approvazioni di Chieſe, e di Oratorj così con l'autorità Appoſtolica, come con l'ordinaria, il Veſcovo, o altro Prelato, e ſuo Vicario e qualunque Officiale non poſſa eſigere, e ricevere emolumento alcuno, ma ſolamente il Cancelliero poſſa eſigere quella mercede, che ſia proporzionata alla ſua fatica per la ſcrittura, purchè non poſſa eccedere il tutto uno ſcudo d'oro, ma ſia meno, ſe minore ſarà la fatica.

Nelle cauſe, e materie, che riguardano il Matrimonio, ed i Sponſali, così per l'eſecuzione delle Diſpenſe Appoſtoliche Matrimoniali, come per la giuſtificazione dello ſtato libero, o che non vi ſia Canonico impedimento, ed anche per la Diſpenſa dalle pubblicazioni, o per la licenza di poterſi contrarre in Caſa, o in altro luogo, o tempo inſolito, e proibito, o che ſi poſſa contrarre in preſenza d'altri, che del Parroco, ed ogni altro atto, che occorreſſe fare il Veſcovo, e il ſuo Vicario, ed ogni altro Officiale, o Miniſtro, o Famigliare, non poſſa ſotto qualſivoglia preteſto, o colore, anche di mancia, e di volontario donativo eſigere, e ricevere emolumento alcuno, nè in denaro, nè in altre coſe, ma ſolamente il Cancelliero poſſa eſigere la mercede proporzionata alla fatica della ſcrittura, cioè nell' eſecuzione delle diſpenſe giulj tre, e per i teſtimonj ſopra lo ſtato libero, o che non vi ſia impedimento, un giulio per teſtimonio, purchè in tutto non ſi ecceda uno ſcudo di moneta Romana, cioè dieci giulj; ovvero il loro equivalente nella moneta del Paeſe. Non comprendendoſi le cauſe contenzioſe tra i conjugi ſopra la validità del Matrimonio, ovvero ſopra la ſeparazione del Toro, ſtimandoſi queſta cauſa giudiziale profana, nella quale ſi oſſerverà la Taſſa di ciaſcun Tribunale, ſinchè ſi provveda.

Generalmente in tutto quello, che riguarda i Monaſteri delle Monache, ed i Conſervatorj delle Donne, le quali a guiſa de'Monaſterj, e Monache reſpettivamente vivono ritirate, il Veſcovo, o altro Prelato, il Vicario così generale, come particolare, e qualunque altro Officiale, o Deputato, ed il Cancelliero, ed anche i Parenti, e i Famigliari del Veſcovo, o Prelato, e de'ſuoi Officiali non poſſano eſigere, e ricevere emolumento alcuno in danaro, e in altre coſe, eccetto che quelle comeſtibili, che ſiano proporzionate all' uſo, e conſumo proprio dentro tre giorni, anche con titolo di donativo per l' ammiſſione all' Abito Monaſtico, per l' approvazione del Depoſito della Dote, per la Profeſſione, per l' ammiſſione dell' Educande, ed altre Donne ſecolari, per le rinunzie, che ſi fanno dalle Novizie, per l' elezione dell'Abbadeſſa, o altra Superiora, o per le licenze de'Medici, Chirurghi, ed altri Operarj, per le licenze di parlare alle Monache, ed altre, che ſono nel Monaſtero, per la Deputazione de' Confeſſori, Cappellani, Procuratori, Eſattori, ed altri Miniſtri, e generalmente per ogni atto, che riguarda al governo, ma ſolamente il Cancelliero per il rogito delle rinunzie, e per gli atti, che convenga fare ſopra la giuſtificazione del Depoſito della Dote, poſſa eſigere la mercede proporzionata alla fatica della ſcrittura, purchè non ecceda in tutto giulj cinque Moneta Romana, ovvero l'equivalente nella moneta del Paeſe.

Parimente per una regola generale da non ſoggiacere a limitazione alcuna, il Veſcovo, o altro Prelato ſuo Vicario generale, o particolare, Cancelliere, e qualunque altro Officiale, Miniſtro, e Famigliare, ſotto nome di Mancia, o volontario donativo, non potrà eſigere, e ricevere emolumento alcuno, così in denaro, come in qualunque altra coſa in tutto quello, che riguarda l' amminiſtrazione de' Sagramenti, del Batteſimo, della Creſima, della Penitenza, dell' Euchariſtia, dell'Eſtrema Unzione, anche per l' eſame, ed approvazione, o licenza d'amminiſtrarli. Anzi s'incarica a'Veſcovi, e Prelati, e loro Vicarj, ed Officiali che non lo permettano a'Curati, e a'Confeſſori, ed altri Miniſtri, e particolarmente nel prendere il piatto, o altro vaſo, nel quale ſia ripoſto il Vaſe dell'Olio Santo per l'Eſtrema Unzione, o del Criſma nel Batteſimo, ovvero Tovaglie, fazzoletti, ed altre coſe, dichiarandoſi tutto ciò illecito. Come anche a non chiedere, nè eſigere coſa alcuna per la benedizione delle Donne infantate, quando il parto ſecondo il Rito Eccleſiaſtico per la prima volta entrano in Chieſa.

In quelle Dioceſi, nelle quali regna l'antica conſuetudine, che il Veſcovo, o altro Prelato, ed Officiale faccia il Teſtamento per l'anima di quelli, i quali muojono ab inteſtato di quella ſomma moderata, nella quale ſecondo i Decreti della Sacra Congregazione può eſercitare tal facoltà, non poſſano eſſo, e ſuoi Officiali, Miniſtri, Parenti e Famigliari partecipare in modo alcuno ſotto qualſivoglia colore, o preteſto, anche di povertà, ma il tutto ſi debba effettivamente applicare ad uſi, ed opere pie, nè per l'adempimento di tal diſpoſizione ſi poſſano in modo alcuno impedire, e ritardare la ſepoltura e l'Eſequie, o funerale al Defonto, dovendoſi eſercitare giuridicamente azioni ſopra i beni ereditarj, e ſi debba oſſervare la Lettera Circolare della Sacra Congregazione de' Veſcovi ſotto li 19. Agoſto 1678.

Come anche in modo alcuno non ſi poſſano impedire, o ritardare la ſepoltura, e l'eſequie, o funerali a defonti, così Cittadini, come foraſtieri per il pagamento di quegli emolumenti, che dal Veſcovo, o dal Capitolo, o dal Curato, e qualunque altro per la conſuetudine del Paeſe, ſi pretendono, ma parimente rimangano illeſe le azioni giuridiche ne' beni, ſopra i quali ſi dovranno eſercitare, ſenza, che in modo alcuno ſi faccia repreſaglia al cadavere, ovvero, che ſi diano moleſtie perſonali a'figli, e moglie, e parenti.

E ancora non ſi poſſa eſigere coſa alcuna per la licenza di traſportare i Cadaveri, ovvero di ſepelirli più in un luogo, che nell'altro.

Si dichiara ancora illecito ogni emolumento diretto, ed indiretto, e per conſeguenza ſe ne proibiſce al Veſcovo, o Prelato, ſuo Vicario, e Cancelliero, e ogni altro Miniſtro, e Famigliare, ogni eſazione ſotto qualſivoglia preteſto, anche di mancia o donativo nell'infraſcritte coſe, cioe.

Per la licenza, o Patente di predicare, così nella Quareſima, nell'Avvento, come in tutti gli altri tempi, e in qualſivoglia luogo.

Per la licenza di lavorare nelle feſte, anche per applicarſi ad uſi pii, ſicchè ſi dia onninamente gratis, e quanto alle contravenzioni d'aver lavorato, le pene tutte ſi applichino effettivamente ad opere, o luoghi pii, ſenza participazione alcuna benchè minima, eccetto che alli Eſecutori, e Miniſtri inferiori, volgarmente Sbirri, per la cattura ſi dia la mercede proporzionata alla diligenza, e fatica, purchè non ecceda tre giulj in tutto.

Per la reviſione de'conti de' Luogi Pii.

Per la recognizione, ed approvazione, e pubblicazione delle Reliquie, delle Indulgenze, ed Altari privilegiati.

Per le licenze di queſtuare.

Per l'atteſtazione della povertà, o altro requiſito, eccetto che il Cancelliero poſſa eſigere in tutto, e per tutto un giulio di moneta Romana, o l' equivalente.

Per la licenza d'eſſer aſſente dalla reſidenza, e generalmente per le Dimiſſorie, che ſi ſogliono concedere a quelli, li quali partono di caſa per andar in altro Paeſe.

Per le monitoriali. Per le revelazioni di ſcomuniche, così quando ſi diano da eſſa Curia, ed Ordinario, come quando ſi pubblicano le Lettere Apoſtoliche, eccetto che il Cancelliero poſſa per la mercede della Scrittura eſigere un giulio ſolamente.

Per la dichiarazione dell'incorſo nelle Cenſure per la percuſſione de'Cherici, ed altre ſomiglianti cauſe, e per la loro aſſoluzione, eccetto che il Cancelliero per la fatica della Scrittura poſſa eſigere giulj due, eccetto che nell'eſecuzione de-Brevi della Penitenziaria, nel qual caſo per quel, che appartiene all'aſſoluzione, nè anche il Cancelliero poſſa eſigere coſa alcuna.

Per la facoltà d'eſercitare i Pontificali.

Per l'eſecutione de'Brevi Apoſtolici, ovvero licenza della Sacra Congregazione nell'alienazione de'Beni di Chieſa, e Luoghi Pii, ovvero impoſizione de' cenſi, ſolamente il Cancelliero poſſa eſigere la mercede proporzionata alla fatica della Scrittura, purchè non ecceda in tutto giulj dieci di Moneta Romana, o ſuo equivalente, come anche per tutto quello, che appartiene alla difeſa dell'Immunità Eccleſiaſtica, così perſonale, come reale, e locale, e particolarmente di queſt'ultima non ſi poſſa in modo alcuno ſotto qualſivoglia preteſto ricevere, ed eſigere mercede, ovvero emolumento, ma il tutto ſi debba far gratis.

Le pene, le multe, e le compoſizioni ſi applichino per intiero ad uſo de'Luoghi Pii, ſenza, che il Veſcovo, o Vicario, e ſuoi Officiali direttamente, nè indirettamente ne abbiano partecipazione alcuna.

Il Suſſidio caritativo in quelle Dioceſi, nelle quali ſia ſolito eſigerſi, e non altrimente, ſi eſiga ſolamente per una volta nel primo ingreſſo del Veſcovo ſecondo la Taſſa ſolita antica d'anni 40. in dietro, ſicchè non s'attenda il ſolito più moderno da detto tempo in giù, nè ſi poſſa più eſigere ſotto qualſivoglia preteſto anche di volontario donativo.

Quanto alla viſita ſi oſſervino inviolabilmente il Decreto del Sacro Concilio di Trento, e le dichiarazioni della Sacra Congregazione, e particolarmente da quelli, i quali concorrono alle ſpeſe de' cibarj, nè mediatamente, nè inmediatamente ſi poſſino ricevere regali, e donativi, anche di coſe comeſtibili. Ed ancora non ſi poſſa eſigere emolumento alcuno per gli atti della Viſita, decreti, e preſentate di ſcritture, ovvero per le reviſioni de'Decreti delle Viſite antecedenti, e della loro oſſervanza, mentre da quelli, i quali ſono viſitati ſi ricevono le ſpeſe del vitto.

*Die prima Octobris 1678. facta per me infraſcriptum iſtarum reſolutionum, ſeu declarationum relatione D. N. mediante illarum lectura de verbum Sanctitas Sua laudavit, approbavit, ac ſervari mandavit, eorumque obſervantiam, & publicationem injunxit Sacræ Congreg. Concilii.*



Jo: Baptiſta de Luca præfati SS.D.N. Innocentii Papæ XI. Auditor, & Secretarius Memorialium.

*Die 8. Octobris 1678. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo mandatis Sanctitatis Suæ cenſuit præmiſſam Taxam, ſeu Declarationes Typis dandas eſſe, & per litteras Circulares ad quoſcumque Locorum Ordinarios tranſmittendas, ut eas in Cancellaria in loco omnibus patenti retineri faciant, eaſdem adamuſſim obſervent, ac faciant obſervari.*

F. Card. Columna Præfect.

*Loco ✠ Sigilli.*

S. Archiepiſ. Brancaccius Epiſcop. Viterbien. Secr.

Taxa Innocentiana non eſt niſi reaſſumptum Ordinationum Sacrorum Canonum, & Sacrarum Congregationum. Et ejus Executrix eſt Sacra Congregatio Concilii privative quoad omnes. Sic ex ejuſdem Taxæ verbis Cardinal Petra *tom.* 1. §. 3. *pag.* 8. *num.* 22.

## T A S S A

Per li Avvocati, e Procuratori, che patrocinano le cauſe di Beatificazione, e Canonizazione nella Sacra Congregazione de' Riti, rinnovata, e ſtabilita dalla medeſima Sac. Congregazione.

1. Per lo Spoglio univerſale, che ſi fa pro una vice tantum, ſi oſſervi la Taſſa del 1658. al §. 3. ove ſi dice, che non ſi poſſi dare più di ſcudi 4. per ogni centinaio di fogli di eſſo Proceſſo ridotto, cioè, che il foglio ſia di due facciate, e ciaſcheduna faccia ſia di linee 24. e la linea di ſillabe 16.

2. Per le ſcritture ne' due ſoli dubbj principali, cioè ſuper virtutibus, & miraculis ſi poſſino dare ſcudi 20. per ciaſcheduna, e non più.

3. Per le riſpoſte ne' medeſimi dubbj ſi poſſino dare ſcudi 10. e per tutte le altre ſcritture, che riſguardano fatica conſiderabile in tutti gli altri dubbj, ſi poſſono dare ſcudi 15. per ciaſcheduna ſcrittura, & non più.

4. Per le ſcritture d'intoduzione delle cauſe nuove, e di reaſſunzione di quelle introdotte avanti gli Decreti del 1642. ad effetto di ſegnarſi nell'une, e nell' altre la Commiſſione, ſi poſſono dare ſcudi 15. e non più.

5. Per le copie originali di tutte le ſcritture ſi paghino bajocchi 15 il foglio ridotti come ſopra.

6. Per il ſommario, che ſi farà ſopra ciaſcun dubbio, ſi diano cinque bajocchi per carta dell'iſteſſo ſommario, che ſarà fatto, ridotte le carte come ſopra.

7. Per il Memoriali di qualſivoglia ſorte, o grandi, o piccoli che ſiano, non ſi diano più di Giulj 12. per ciaſcheduno, eccettuate le ſcritture di reaſſunzione, o introduzione delle cauſe, quali ſogliono andare ſotto nome di Memoriali, per li quali s'oſſervi ciò, che s'è diſpoſto di ſopra al numer. 4.

8. Per la prima copia originale tanto delli ſopraddetti ſommarj quanto de' Memoriali ſi diano ſolo bajocchi ſei la carta, ridotta come ſopra.

9. Per l'informazione in voce, quando s'informa tutta la Congregazione con l'intervento de' Conſultori non ſi diano più di ſcudi 30. tra il Procuratore, e gli Avvocati, e quando s' informa la ſola Congregazione ordinaria, ſi dia la metà.

10. L'emolumento degli Avvocati ſia di ſcudi 10. per ſcrittura, e per l'informazione in voce ſia il medeſimo, che ſi dà a'Procuratori.

11. Per la minuta di qualſivoglia Commiſſione non ſi paghi più di Giulj 15. e per le due copie da darſi al Sign. Card. Ponente, ed al Segretario, ſi paghi a ragione di bajocchi ſei il foglio ridotto come ſopra.

12. Per l'acceſſo del Procuratore al Sig. Card. Ponente, ed al Promotore, e per la minuta, o copia originale del fatto concordato non ſi paghi più di Giulj 12.

13. Per l' informazione in voce di Noſtro Signore, e dell'Auditore di ſua Santità ſi diano al Procuratore ſcudi 3. moneta, ed altrettanti all' Avvocato, ſe informerà anch' eſſo.

14. Per le Citazioni, ed intimazioni non ſi paghi coſa al-

cuna, e per l'eſecuzione di eſſe ſi paghi a ragione della Taſſa de'Curſori.

15. Le Copie delle Oppoſizioni del Promotore, eccetto la Prima Originale, ſi faccino fare dalle parti, le quali fatte che faranno, doveranno portarle al Promotore, che ſigillate le darà alle medeſime parti per diſtribuirle alli ſignori Cardinali, Protonotario, Segretario, e Conſultori.

16. Per qualſivoglia fatica, o ſcrittura non eſpreſſe di ſopra, s'intenda l'arbitrio de'ſignori Cardinali Prefetto della ſacra Congregazione, e Ponente della cauſa, nè poſſino i Curiali arbitrar da sè medeſimi.

17. E li ſuddetti Ordini ſi debbano regiſtrare ne' regiſtri della ſagra Congregazione, e ſi debbano fare ſtampare e pubblicare, e pontualmente oſſervare ſotto pena di perpetua privazione del Patrocinio, e ſollecitazione delle cauſe vertenti nella detta Congregazione, e ſotto altre pene ad arbitrio della medeſima ſag. Congregazione.

*A' 15. Ottobre 1678. Avendo io infraſcritto fatto relazione della preſente Taſſa a Noſtro Signore Innocenzo XI. la Santità ſua l'ha lodata, ed approvata, ed ha comandato, che ſi oſſervi, e ſi pubblichi.*

Gio: Battiſta de Luca Auditore, e Segretario de'Memoriali.

*Luogo* ✻ *del Sigillo.*

Bernardino Caſali Segret. della ſagra Congregazione de' Riti.

## ORDINI, E TASSA

*Da oſſervarſi dal Notaro della Sagra Congregazione de' Riti rinnovati, e ſtabiliti dalla medeſima Sagra Congregazione.*

S'Ordina, che il Notaro non faccia Regiſtri, ſe non degli Atti giudiziarj, e non dell' eſame de' Teſtimonj, o altro, e quelli ſiano ſenza eſtenſione dei termini, o repetizioni de' titoli, eccetto che nel primo Atto, quali Regiſtri debbanſi onninamente farſi in tutte le Cauſe.

2. Che per ogni centinajo di fogli di Regiſtro ben fatto, e ſecondo la Riforma della fel. mem. di Paolo V. ſotto il titolo de'Regiſtri, non pigli più di quattro ſcudi, nè per collazionatura, nè per rubricatura, nè per qualſivoglia altro preteſto.

3. L'iſtanze de' Principi, Religioni, Univerſità, ed altri nelle cauſe di Beatificazioni, e Canonizazioni dal ſegretario ſi conſegnino al Notaro, il quale le regiſtri negli Atti, non altrimente per extenſum, ma indicando ſolamente il nome del Principe, o altri, che fa l'iſtanza, e la data della lettera, cioè *pro introductione cauſæ inſtant talis Rex ſuis litteris datis die tali &c. talis Rex &c.* ed in altre ſeparata, o ſuſſeguente carta dopo gli Atti fatti per l' introduzione della cauſa ſcriva: *Pro cauſæ proſequutione ad effectum obtinendi Litteras remiſſionales in genere inſtant N. Rex &c.* e gli originali ſi conſervino nell' Archivio, nè ſe ne dia l' eſtratto de verbo ad verbum, ma ogni volta, che ſarà richieſto il Notaro, ne dovrà dare un riſtretto da cavarſi dal detto Regiſtro, o Manuale come ſopra, e per eſſe copie ſi paghi a ragione di copia, come ſi dirà al ſeguente numero 4. E per la fede di eſſe ſi dieno due Giulj per ciaſcuna copia, delle quali una data all'Eminentiſſimo Sig. Cardinal Ponente, l'altra a Monſignor Segretario, e l'altra a Monſignor Promotore della Fede.

4. Per la copia degli Atti fatti in Curia, o fuori di eſſa in forma di buon originale non ſi paghi più di bajocchi 7. e mezzo per foglio da tutte due le bande, la facciata ſia di linee ventiquattro, e la linea di ſillabe ſedici, ed eſſendo ſcritta in forma di Regiſtro, si paghi a ragione di regiſtro come ſopra.

5. Per la copia pubblica di qualsivoglia Proceſſo, tanto fatto auctoritate Ordinaria, quanto Apoſtolica, si paghino al Notaro bajocchi ſette, e mezzo per foglio ſolamente ſenz'alcun altro emolumento, o mercede per detta copia o ſcrittura, ed il foglio sia di facciate, linee e sillabe come al detto num. 4.

6. Tutti li Regiſtri, copie, e ſcritture si debbano fare in carta buona, e lettera intelligibile, e ſecondo la Riforma, e Ordini ſopradetti, altrimenti il Notaro ſia tenuto farlo copiare di nuovo ſenza altra ſpesa.

7. Che li Proceſſi che vengono de partibus, tanto fatti auctoritate ordinaria, quanto auctoritate *Apoſtolica non ſi* regiſtrino per conto alcuno, ſecondo la detta Riforma, ancorchè non paſſaſſero 20. fogli, ma ſolo ſi poſſano rubricare, ſe non ſaranno *rubricati*, e *non inticramente, nel qual caſo si* poſſa ſolo rubricare quello, che manca, e non altro.

8. Per la rubricazione di qualsivoglia cosa, che n' abbia *bisogno ridotto il Proceſſo a carte buone, conforme alla det*ta Riforma, oltre detti bajocchi ſette, e mezzo per foglio per la ſcrittura, si paghino Giulj dieci per cento, e tale rubrica*zione debba in ſoſtanza contenere tutto quello, che contiene* il corpo della ſcrittura, e venendo Proceſſo, o altra ſcrittura rubricata de partibus, non eſſendo intieramente rubricata, si paghi ſolamente quello, che manca, come si è detto.

9. Per l'ascoltazione, o collazione de'Proceſſi ogni volta, che sia continuata a ragione di ſei ore il giorno, non si paghi al Notaro più *di uno ſcudo il giorno, oltre li emolumenti ſud*detti, e li Ajutanti ſiano deputati dalle parti, dalle quali ſe li paghi quel tanto, che ſarà convenuto, e per la fede dell'aſcol*tazione di tutto il Proceſſo ſi paghino giuli cinque per la* prima copia ſolamente, e quando le parti voleſſero altre copie autentiche di detti Proceſſi, oltre la prima, non poſſa il Notaro pretendere *più di bajocchi cinque per foglio ri*dotto come ſopra, compreſovi la Rubricatura, ma oltre detti bajocchi cinque per foglio ſe gli debba la mercede della *collazionatura*, ed aſcoltazione come ſopra, e per la fede di detta aſcoltazione bajocchi venticinque per ciaſcuna di dette copie duplicate.

10. Per le compulſorie ſi paghino giulj dodeci conforme preſcrive la Riforma ſuddetta di Paolo V. al Tribunale dell' A. C.

11. Per le remiſſorie in genere anco ſuper *non cultu*, ſuper caſu excepto, o altre, in oſſervanza, ed eſecuzione de' Decreti della Santiſſima Inquiſizione, non ſi paghi più di ſcudi ſei per quelle in ſpecie, di ſcudi dieci *in tutto*, compreſavi la ſcrittura, ed ogni altra coſa ſpettanti alle medeſime ſpedizioni. Nè per la ſcrittura degl' interrogatorj, che ſi mandano chiuſi, prenda il Notaro mercede alcuna, ma per gli Articoli l'eccesſività della ſcrittura ſopra a quindici fogli ſe gli paghi a ragione di bajocchi ſette, e mezzo il foglio, come al n.5. ed occorrendo di dette *lettere* darne *duplicati*, non debba il Notaro per eſſi eſigere altro che la metà della metà della mercede ſtabilita per la prima ſpedizione, ed eſſendovi eccesſività di ſcrittura degli Articoli come ſopra, debba la detta eccesſività pagarſi a ragione di bajocchi cinque il foglio.

12. Per compulſa di qualſivoglia ſcrittura fuori di Officio, per l'acceſſo, e ſesſione di tre ore non poſſa pigliar più d'otto giulj. Per la fede in fin del Proceſſo compulſato cinque giulj, e per la ſcrittura a ragione di bajocchi ſette, e mezzo per foglio, come al n.4. Dentro l'Officio per ciaſcuna ſesſione di tre ore ore giulj cinque per la Fede, e Scrittura come ſopra.

13. Dovendoſi compulſare Libri ſtampati dandoſi dalle Parti un ſunto, ſia tenuto il Notaro inſerirlo in fine del Proceſſo ſenza farne copia, o regiſtro di ſorte veruna.

14. Per ogni eſame nell'Officio, ſe finiſce in una ſesſione ſi paghino giulj tre, ſe vi vogliono più ſesſioni, finchè ſi finiſce l'eſame di detto Teſtimonio, non poſſa il Notaro pretendere più di giuli due per ſesſione, e fuori dell' officio il doppio.

15. Per le ſurrogazioni de'giudici, o nuovi termini nelle cauſe di Beatificazioni, e Canonizazioni non ſe gli paghi più di quindici giulj in tutto, per ciaſcuna ſpedizione di lettere remiſſoriali, compulſoriali, proroghe di termini, e ſurrogazioni di giudici da farſi ſolamente per comandamento degli Eminentiſſimi Sig. Cardinali, Prefetto della Sagra Congregazione, o Ponente nelle cause controverse, non ſi paghi più di quello, che prescrive la Riforma ſuddetta al Tribunale dell'A.C.

16. Per qualſivoglia Citazione ſemplice da ſpedirſi ſolamente, come ſopra, e da eseguirſi fuori di Roma, non ſi paghi più di giulj tre, e per quelle, che ſi ſpediſcono con le Inibizioni in virtù delle commiſſioni, giulj dieci.

17. Per il duplicato di qualſivoglia Scrittura pubblica, o privata con ſottoſcrizione, ſigillo ec. o ſenza, non ſi debba pagare più di cinque bajocchi per foglio.

18. Occorrendo dar altra Scrittura, o far altre fatiche non eſpreſſe nella preſente Taſſa, l'emolumento ſi ſtabiliſca dall' Eminentiſſimo Signor Card. Prefetto, nè poſſa il Notaro prendere alcun'altro emolumento ancorchè concorra la medeſima, o maggior ragione delle mercedi eſpreſſe.

19. Che nelli Proceſſi delle Beatificazioni, e Canonizazioni s'oſſervi pontualmente per le Commiſſioni remiſſorie, compulſorie, Articoli, Interrogatorj, ed altro, la forma preſcritta nelli Decreti, e norma di fare detti Proceſſi pubblicati d'ordine della ſan. mem. d'Urbano VIII. l'anno 1631. ed ora confermati da Noſtro Signore coll' aggiunte, che ſi ſono fatte.

20. Che il Notaro debba ritenere il Libro receptorum, e fedelmente in eſſo notare quanto gli entra in mano de' ſuoi emolumenti ſotto pena della privazione dell'officio.

21. Che ſi faccino due Manuali, cioè uno degli atti delle cauſe di Beatificazioni, e Canonizazioni, e l'altro degli Atti delle cauſe controverſe, nelle quali ſi regiſtrino tutte le comparſe, proteſte, citazioni, ed intimazioni con le ſue intitolazioni, quali reſtino ſempre nell'Officio, nè per queſti ſi paghi coſa alcuna, e poſſano ſempre da tutti gl'intereſſati eſſer veduti, e letti gratis, ed il Notaro ſia ſempre obbligato moſtrarli.

22. Non poſſa il Notaro eſtrarre fuori d'officio li Proceſſi originali, o qualſivoglia altra Scrittura prodotta, ma debba darne copia pubblica, o ſemplice, ſecondo che le parti chiederanno.

23. Per la reſtituzione di qualſivoglia Scrittura prodotta, dimiſſa copia, ſi diano tre giulj, e debba il Notaro far buoni due foglj, e dalle due in ſu gli paghi a ragione di ſette bajocchi, e mezzo come ſopra al n.4. ma ſe ſi reſtituiſcono in una volta più Scritture prodotte in un ſol atto, ſi debbano ſolamente tre giulj, e di più l'eccesſività della copia come ſopra.

24. Che volendo le Parti veder Proceſſi, o qualſivoglia altra Scrittura originale dentro l'Officio, ſia il Notaro tenuto laſciarli vedere ſenza mercede alcuna.

25. Sappino le Parti, che nella Segretaria della Sagra Congregazione tutto ſi ſpediſce gratis, nè perciò debbano al Notaro per ſigillo, ſcrittura, ſottoſcrizione, o qualunque altra coſa, che ſi faccia in Segretaria, emolumento, o mercede alcuna.

26. Che non poſſa pretendere il Notaro per il Viatico coſa alcuna nell'andare a legare citazioni.

27. Che il Notaro debba dare il giuramento in Sagra Congregazione d'oſſervare la preſente Taſſa, ed Ordini nella forma ſeguente:

*Ego N. Notarius a S. Congr. ſpecialiter deputatus in cauſis ejuſdem Sacræ Congregationis, tactis Sacroſanctis Dei Evangeliis juro, & promitto fideliter exercere Officium mihi conceſſum, & ad unguem obſervare ſupradictam Taxam ſub pena perjurii, privationis officii ipſo facto incurren. & reſtitutionis contra dictam Taxam habitorum, & acceptorum, aliiſque pœnis arbitrio ipſius S. Congregationis.*

28. Che ſi faccino ſtampare li preſenti Ordini, e Taſſa, ed il Notaro debba tenerli pubblicamente affiſſi nell'Officio, affinchè a ciaſcuno poſſano apparire, ed il tutto ſia obbligato ad oſſervare tanto nelle Cauſe di Beatificazioni, e Canonizazioni, quanto reſpettivamente in quelle de'Sagri Riti ſotto le pene contenute nel detto giuramento, dandoſi facoltà di ricorrere ad ognuno, che ſi ſentiſſe gravato, e vedeſſe non oſſervarſi quanto è eſpreſſo di ſopra, perchè vi ſi prenderà la debita proviſione.

Dato in Roma li 6. Agoſto 1678.

*A' 15. Ottobre 1678. Avendo io infraſcritto fatta relazione della ſuddetta Taſſa a N.S. Innocenzo XI. con la ſua intiera lettura, la ſantità ſua l'ha lodata, ed approvata, ed ha comandato che ſi oſſervi, e ſi pubblichi.*

Gio: Battiſta de Luca Auditore, e Segretario de' Memoriali.

*Luogo* ✻ *del Sigillo.*

Bernardino Caſali Segretar. della Sagra Congregazione dei Riti.

5 Taxa facta a Laicis non afficit Eccleſiaſticos. Sic pluries decrevit *S.C. Immun.* & ſignanter *in Melevit.* 1. *Dec.* 1648.



„ *l.4. Decr. Paul. p.18.* ibi; „ Edictum taxæ ſuper pretio „ frumenti editum a Curia Magni Magiſtri afficere non po„ teſt Eccleſiaſticos, ſed ſi concurrat publicum bonum, in„ jungi poteſt Epiſcopo, ut pro Eccleſiaſticis publicet Edi„ ctum ſimile, non tamen relative ad Edictum Laicum,,. Et *in Aprutina* 1. *April.* 1695. *l.1. Decr. Pallem. p.* 180. ibi: „ Taxæ Edicto Regis impoſitæ ex cauſa Monetæ novæ non „ comprehendunt Eccleſiaſticos, & injungit D.Nuncio, ut „ tueatur Immunitatem Eccleſiaſticam.

6 Capitulum Cathedralis non poteſt ad ſuum libitum pro ratione perſonarum taxare emolumenta funerum, neque funeri intereſſe non vocatum. *S.C. Concil. in Matheran. loco Grottulæ*, in qua propoſitis dubii „ I An attenta conſuetudine, „ cujus vigore Capitulum expenſas funerum pro ratione per„ ſonarum defunctarum taxare ſolet, ſit locus certam, ac „ perpetuam taxam pro funeribus quibuſcumque præſcriben„ di. II. An Capitulum, quamvis non vocatum, poſſit in„ vitis heredibus, lucrandi ſtipendii cauſa, funeribus intereſ„ ſe. Dicta Sacra Congregatio die 13. Novemb. 1660. ſe„ cundum ea quæ narrantur, *Reſpondit*; Ad I. Non licere „ Capitulo taxam ad ſuum libitum facere, & Archiepiſcopo „ injungendum, ut ipſe auditis partibus taxam conficiat, „ eamque Sacræ Congregationi probandam tranſmittat. Ad „ II. Non poſſe. *Et id confirmatum fuit* in Lavellen. *in qua* „ die 16. Junii 1668. ead. S. Congregatio Concil. Audita re„ latione Epiſcopi Lavellen. inhærendo declarationi ejuſ„ dem Sacræ Congreg. in Matheranen. ſub die 13. Novemb. „ 1660. emanatæ, cenſuit non poſſe funeralibus invitis he„ redibus intereſſe, nec licere taxam ad ſuum libitum face„ re, ſed eidem Epiſcopo injungendum, prout injungit, ut „ auditis partibus taxam conficiat, eamque S. Congr. pro„ bandam tranſmittat.

7 Taxam ab Epiſcopo ſtatutam in ſcutis ſex pro conſtructione ſepulcri in Eccleſia eſſe augendam arbitrio Eminentiſſimi Præfecti, reſpondit *Sacra Congregatio Conc. in Spoletana ſepulcrorum* 24. *Auguſti* 1709.

8 Taxam ſeminario ſolvere tenentur Parochi, Beneficiati, Confraternitates, ceterique omnes in taxa facta de an. 1653. per clar. mem. Cardinalem Rapacciolum Epiſcopum, & cogendi ſunt pro terminis decurſis, & decurrendis, quacumque *appellatione ſuſpenſiva*, & quibuſcumque inhibitionibus Urbis non obſtantibus. *S.C. Conc. in Interamn. Taxæ ſeminarii* 11. *Maji* 1720.

9 Taxa Innocentiana prohibet Parochis, Confeſſoribus, aliiſque Miniſtris accipere diſcum, aut aliud vas, in quo Oleum ſanctum fuit repoſitum pro extrema unctione miniſtranda. *S.C. Concil. in ſenogall.* 24. *Maji* 1710. *ad* 2. ubi quod nempe a ſponte dantibus accipi poteſt, & *in Albanen.* 20. *Januar.* 1723.

10 Taxæ ſeminarii eſt ſubjectum Beneficium B. M. V. erectum in Cathedrali Veliterna, ac per Sixtum V. unitum Collegio S. Bonaventuræ Urbis. *S.C. Conc. in Veliterna Taxæ ſeminarii* 12. *Apr.* 1723.

11 Taxa Ceræ adhibendæ ab heredibus circa cadavera defunctorum ſtatuenda, & ab Ordinario, auditis intereſſe habentibus, tranſmittenda eſt ad ſacram Congregationem. *S. C. Concil. in Nullius, ſeu Montis Caſini*, 26. *Januarii* 1726. *ad VIII.*

12 Taxa Innocentiana ſervanda eſt in omnibus Curiis, etiam extra Italiam. Unde *S. C. Conc. in Vaſion. Taxarum ſynodalium*, quæ preſcripta erant contra dictam Taxam Innocentianam ad dubium: „ An Taxæ præſcriptæ in ſynodo Diœceſa„ na Vaſionen. ſint obſervandæ, & executioni mandandæ „ in caſu &c. „ ſub *die* 6. *Febr.* 1734. Reſpondit *Negative, & amplius.*

13 Taxa Cathedratici quæ, & a quibus ſit obſervanda, ac ſolvenda? oſtenditur in ſequentibus Sacr. Congregationis Reſolutionibus. In Congregatione particulari ſuper Cathedraticis pridem a ſanctiſſimo D. N. deputata quatuor ad inſtantiam Fiſcalis Curiæ Archiepiſcopalis Firmanæ *die* 29. *April.* 1731. contra Collegiatam Murri Vallis propoſitis dubiis, „ nempe. „ I. An Beneficia, quæ ſunt ad collationem Ca„ pituli Firmani præter ſolutionem cenſus, quam ei facere ſo„ lent, teneantur etiam ſolvere Cathedraticum Reverendiſ„ ſimo Archiepiſcopo? II. An Capellæ, & Confraternitates „ laicales teneantur ſolvere Cathedraticum? III. An cathe„ draticum jam in certa ſumma taxatum, & ſolvi conſuetum „ potuerit augeri? IV. An augmentum hactenus exactum ve„ niat reſtituendum? *Reſponſum fuit*: Ad I. Affirmative. Ad „ II. Ca-

,, II. Capellanias, & Confraternitates laicales non teneri,
,, Ad III. Negative. Ad IV. Affirmative. *Quatuor etiam*
,, *aliis propoſitis contra Collegiatam S. Elpidii; nimirum*. I. An
,, capitulares, & Beneficiati S. Elpidii, quatenus habeant
,, Præbendas diſtinctas a Maſſa communi, teneantur ſolvere
,, Cathedraticum pro qualibet eorum Præbenda ultra Cathe-
,, draticum in communi? II. An antiqua, ſeu potius nova
,, taxa Cathedratici etiam quoad Beneficia extra gremium
,, dictæ Collegiatæ, & Loca pia dictæ Terræ ſit exequenda?
,, III. An Beneficia, & Loca Pia de præterito non taxata pro
,, Cathedratico teneantur in poſterum illud ſolvere: & ad cu-
,, jus taxæ rationem? IV. An conſtet de attentatis? *Reſpon-*
,, *ſum fuit?* Ad I. Negative, Ad II. Antiquam Taxam eſſe
,, ſervandam. Ad III. Ad mentem, *quæ fuit* ut ſervetur di-
,, ſpoſitio Concilii Romani. Ad IV. Negative. *Ac deinde*
,, *repropoſita cauſa* die 5. Octobris ejuſdem anni 1731. *reſcri-*
,, *ptum fuit*. In Deciſis in omnibns, & amplius. *Et tandem*
,, in dicta Firmana Cathedratici die 24. Julii 1734. *propoſi-*
,, *tis hiſce tribus dubiis*; I. An Beneficia, quorum redditus non
,, excedunt annua ſcuta 15. deductis oneribus, teneantur ſol-
,, vere Cathedraticum, & in qua ſumma in caſu? II. An
,, confraternitates erectæ auctoritate ordinaria, & habentes
,, propriam Eccleſiam teneantur ſolvere Cathedraticum in
,, caſu? III. An ad ſolutionem Cathedratici teneantur etiam
,, Confraternitates non habentes propriam Eccleſiam, ſed
,, ſimplicem tantum Capellam in honorem Sanctorum, ſub
,, quorum titulo ſunt erectæ in caſu? *Reſponſum fuit*: Ad I.
& II. Affirmative. Ad III. Negative, & amplius.

14 Taxa Innocentiana eſt omnino ſervanda. Propoſitis enim inter alia duobus ſequentibus dubiis. ,, XII. An conſtet de
,, inobſervantia Taxæ Innocentianæ in Curia Epiſcopali Ale-
,, xani quoad collationem Beneficiorum, Ordinum, & exe-
,, cutionem diſpenſationum Matrimonialium, *& quatenus*
,, *affirmative*; XIII. An, & quas pœnas incurrerint Epiſco-
,, pus, ejuſque Officiales in caſu &c. Sacra Congregatio
,, Concilii in Alexanen. die 1. Septembr. 1742. *Reſpondit*;
,, ad XII. & XIII. Epiſcopus ſedulo invigilet, ut Taxa Inno-
,, centiana omnino ſervetur; & quoad præteritum conſulat
,, conſcientiæ ſuæ.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 POſſunt Epiſcopi taxare ſtipendium pro Miſſis tum in Synodo, tum extra Synodum; *Amoſtaz. de Cauſis piis l. 2. c. 4. n. 6. & ſeq. Romaguer. ad Conſt. Synod. Gerund. l. 3. t. 17. c. 18. n. 5. & plur. ſeq.*

2 Nota tamen, quod non poſſunt Epiſcopi ſtipendium taxare negative, ut nec ſit majus, nec minus, & ita ut libere non dari poſſit in quacumque quantitate & libere in quacumque quantitate recipi; *Paſſerin. de ſtat. Homin. q. 187. art. 4. a n. 391. & maxime n. 397. Giballin. de Simon. quæſt.* 18. *conſect. 7. n. 5.*

3 In taxando vero hoc ſtipendio attendendæ ſunt circumſtantiæ Loci & Temporis, & qualitatis Miſſarum, quum majus ſtipendium ſit taxandum pro una Miſſa, quam pro alia, nempe pro ſolemni ac cantata, quam pro non ſolemni. Confer præter allegatos *Cortiad. dec. 244. n. 12. p. 4.*

4 Taxato ab Epiſcopo ſtipendio, tenentur ad illud etiam Laici, ita ut in Foro poſſint conveniri; *Tanchred. conſul. 59. n. 24. Romaguer ad Conſt. Synod. Gerund. l. 3. titul. 17. cap. 18. num.* 10.

5 A Poteſtate ſæculari taxari minime poteſt hoc ſtipendium; *Amoſtaz. de cauſis piis l. 2. c. 4. n. 13. Cortiad. dec. 244. n. 13. part.* 4.

6 Num pro exequiis & ſepulturis ſint debita aliqua emolumenta, poſſintque ea taxari ab Epiſcopo, vide *Romaguer.*
7 *ad Synod. Gerund. l. 3. t. 19. c. 4. n. 48.* ubi an taxæ huic ſtare teneantur Laici, ac Clerici, pariterque Regulares exempti.

## TEMERARIA PROPOSITIO.

Vid. verb. *Propoſitiones damnatæ n. 36.*

## TEMPERANTIA.

Vid. verb. *Virtus num.* 130.

## TEMPLA GENTILIUM.

*Additio ex Auctore.*

IN Templis, Feſtivitatibus, & Sacrificiis Gentilium, ſeu Infidelium prohibentur Chriſtiani tibicinibus, muſicis inſtrumentis, aliiſque modis operam ipſi præſtare, ſeu inſervire; Benedict. XIV. t. 1. Conſt. 107. incip. *Omnium ſollicitudinum*, ubi plurima alia ad rem merito obſervanda. 1

## TERRACONENSE CONCILIUM.

*Additio ex Auctore.*

TErraconenſe Concilium Provinciale Feſtorum dierum imminuendorum methodum excogitat, quæ a Benedicto XIII. approbatur, nimirum, ut omnibus diebus Dominicis, aliiſque ſolemnioribus Feſtis, Fideles Miſſæ interſint, & ab operibus ſervilibus abſtineant; In aliis vero Miſſam audiant, ſed operibus ſervilibus navare poſſint; Sic tradit Bened. XIV. t. 2. Bullar. Conſt. 63. incip. *Non multi menſes*. Qui eamdem methodum ſequitur in concedendis hujuſmodi imminutionum Indultis, *ib.* & Conſt. 65. inc. *Cum ſicut*, & t. 1. conſtit. 62. pariter inc. *Cum ſicut*, & ſæpe alibi, ut ibi videri poteſt. 1 2

## TERRITORIUM SEPARATUM.

*Additio ex Auctore.*

TErritorium ſeparatum importat juriſdictionem in Clerum, & populum, in Eccleſias, & loca. Bened. XIV. t. 1. Conſt. 76. inc. *Apoſtolicæ ſervitutis* §. 6. Territorium autem ſeparatum Prælato inferiori competere non cenſetur in loco intra certam Diœceſim exiſtente, niſi conſtet de Privilegio Apoſtolico, aut de immemorabili conſuetudine. Idem t. 2. Conſtitut. 33. inc. *Inter multa*. Territorii ſeparati jura ex mera denominatione *Nullius Diœceſis* non probatur. Idem *ibidem*. 1 2 3

## TERTIARII, TERTIARIÆ.

TErtiarii. & Tertiariæ habentes requiſita Conſtitutionis Leonis X. & Decreti generalis infra ponendi Sacræ Congregationis Epiſcop. & Regular. innovantis, & confirmantis ad id Decreta Sacræ Congregat. Concilii, gaudent privilegiis, quibus gaudent Fratres Ordinis; cujus tertiæ Regulę Habitum geſtant. *Communis*, ex repetitis Declarationibus *Sac. Congregationum, tum Concilii, tum Epiſcop. & Regular. tum Immunitatis*; ut abunde in decurſu patebit. 1

Requiſita autem ex Conſtitut. Leonis X. incip. *Dum intra*, edita *in Concilio Lateranenſi ſeſſ.* 21. pro Tertiariis viris ſunt, quod collegialiter vivant, ſeu cum Clauſtralibus habitent, ibi: *Collegialiter autem viventes, ſeu cum Clauſtralibus habitantes*, & pro Tertiariis mulieribus, ut ibi ſequitur: *Ac mulieres virginalem, ſeu Cælibem aut caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam ducentes privilegiis, quibus Fratres Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ Habitu geſtant, gaudere debeant.* Et in alia Conſtitutione incip. *Nuper in Concilio Lateranenſi* edita *die* 1. *Martii* 1518. ſic declarat: *Nos ad tollendum omne dubium motu proprio, & ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine harum ſerie decernimus, & declaramus, quod in præmiſſis de voto ſolemni Religionis minime intelligi debeat, ita ut mulieres virginalem, ſeu cælibem vitam ſimpliciter voventes, etiam in conſanguineorum, & affinium ſuorum, aut propriis domibus, vel ſeorſim habitantes, & privilegiis, & immunitatibus prædictis in omnibus, & per omnia frui, & gaudere debeant.* 2

Supradictæ Pontificiæ diſpoſitioni inhærendo *Sac. Congr. Epiſcop. & Regul. ſub die* 20. *Dec.* 1616. innovans, & confirmans Decreta Sacræ Cong. Concilii ad id edita ſtatuit, ut ſequitur. 3

,, Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Epiſcop. &
,, Regul. præpoſita ad tollendas omnes contentiones inter
,, Epiſcopos, & Superiores Regulares ſuper Immunitates,
,, & exemptiones Tertiariarum, quæ in privatis Domibus
,, degunt, vulgo *Bizzoche*: ſeu alio quovis nomine nuncupa-
,, tarum, in primis, & ante omnia in memoriam revocat ea,
,, quæ



,, quæ Sacra Congregatio Concilii in eadem ſententia reſpon-
,, dit, videlicet.
,, §. 1. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridenti-
,, ni Interpretum ſæpius reſpondit, minime poſſe Sacerdotes
,, Regulares Mulierum Tertii Ordinis, quas de pœnitentia
,, vel Bizzochas vocant, Confeſſiones Sacramentales audire,
,, niſi fuerint ab Ordinario approbati ad Confeſſiones perſo-
,, narum ſæcularium audiendas, quemadmodum nec poſſe
,, illis Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum admini-
,, ſtrare in die Paſchatis Reſurrectionis SS. D. Noſtri Jeſu
,, Chriſti.
,, §. 2. Verum quo ad ſepulturam, atque alia Privilegia,
,, Fratres Tertiarios, Mantellatos, Corrigeatos, alioſque
,, ſimiles, ita demum Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ Habi-
,, tum aſſumpſerant, privilegiis potiri, & ab Ordinarii juriſ-
,, dictione exemptos eſſe, ſi viri Collegialiter vivant aut cum
,, Clauſtralibus habitent; Mulieres virginalem, ſeu Cæli-
,, bem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub habitu
,, vitam traduxerint, quemadmodum cavetur Conſtitut. Con-
,, cil. Lateranen. ſub Leone X. quæ habetur ſeſſ. 21. in
,, fine.
,, §. 3. Hoc autem voto mulierum alia duo ſcilicet Pau-
,, pertatis, & Obedientiæ nequaquam includi; quinimo hu-
,, juſmodi mulieri, ſi virginalem, aut Cælibem ſimpliciter,
,, expreſſe voverint, etiam in conſanguineorum, & affinium
,, ſuorum, aut propriis domibus vel ſeorſim habitantes, ſu-
,, pradictis Privilegiis Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habi-
,, tum deferunt, exemptionemque ab Ordinarii juriſdictione
,, frui debere, ut idem Leo poſtea declaravit Conſtitut. edi-
,, ta 1. Martii 1518.
,, §. 4. An autem prædictæ qualitates in hujuſmodi Ter-
,, tiariis concurrant? Ordinarii loci eſſe judicium.
,, §. 5. Præterea ſi contingat aliquas ex prædictis Ter-
,, tiariis ſine ſepulturæ electione decedere eas ſic decedentes,
,, ita demum in Eccleſiis Ordinis, cujus habitum aſſumpſe-
,, runt, ſi in ipſis earum communis ſepultura reperiatur, ſin
,, minus in Eccleſiis Parochialibus ſepeliendas eſſe decernit.
,, Superioribus autem Regularibus ſufficienti facultate ad
,, id a Sancta Sede Apoſtolica ſuffultis (Capuccinis exceptis)
,, libere Mulieres ad hujuſmodi habitum recipere, atque ad
,, ipſos veſtiendi eas officium pertinere; non autem ad ha-
,, bitum admittendas, & recipiendas eſſe, niſi probatæ vitæ,
,, ac bonis moribus præditas, ac in ætatæ ſaltem quadragin-
,, ta annorum conſtitutas, quæ de proprio habeant, unde
,, ſufficienter vivere poſſint, & non cum aliis viris, quam
,, cum conſanguineis vel affinibus in primo tantum gradu ſi-
,, bi conjunctis cohabitent, & ab Ordinario loci licentia prius
,, impetrata, qui non aliter eam concedat, niſi de prædictis
,, prævio examine diligenti ſibi conſtiterit.
,, §. 6. Verum in hujuſmodi habitu concedendo, & reſ-
,, pective deferendo, omnino a velo ſupra caput, quod Su-
,, perjectum vocant, & a pectorali quod vulgo dicitur *Sot-*
,, *togola*, & a patientia abſtinendum eſſe; quinimo eas,
,, quæ ſupradicta tria, vel aliquod ipſorum deferre compre-
,, henſæ fuerint, illa demittere etiam per cenſuras Eccleſia-
,, ſticas ab Ordinariis locorum compellendas eſſe decernit.
,, §. 7. Supradictis vero Decretis Mulieres Tertii Ordi-
,, nis, quæ collegialiter vivunt, non comprehendi, quinimo
,, eas diſpoſitioni Conſtitutionis Pii V. editæ Romæ anno
,, 1566. 4. Kalend. Julii, quæ incipit *Curæ Paſtoralis* &c.
,, penitus ſubjacere expreſſe declarat. Non obſtantibus qui-
,, buſcumque in contrarium facientibus. Dat. Romæ 20.
,, Decembr. 1616.

4 Ex quibus clare patet, quod ſoli illi Tertiarii viri gaudent privilegiis ſui Ordinis, & exemptionem ab Ordinarii juriſdictione qui *Collegialiter vivunt*, ideſt qui vivunt in aliqua communi Domo in Sæculo, aut Collegio ſub Habitu, & Regula Tertiariorum approbata a Sancta Sede, *aut cum Clauſtralibus habitant*, ideſt qui dicto Habitu, & Regula Tertiariorum morantur intra ſepta ſub Obedientia Superioris ſuæ Religionis, ut recte explicat Donatus *prax. Rer. Regular. tom. 2. tract. 17. quæſt. 3. num. 2. &* 3. & alii paſſim, id aperte colligentes ex verbis citatæ Conſtitut. Leonis X. incip. *Dum intra*; & ex verbis adducti Decreti §. 2.

5 Item ex ſuprapoſitis clare patet, quod ſolæ illæ Tertiariæ mulieres gaudent dictis privilegiis, & exemptione, quæ virginalem, ſeu cælibem, aut caſtam vidualem vitam ducunt in domibus ſuis, aut ſuorum conſanguineorum, vel affinium facto tamen prius voto ſimplici in manu ſui Superioris de ſervando vitam cælibem, aut caſtitatem vidualem ſub Habitu, & Regula proprii Ordinis; Non autem ad id requiritur, quod dictæ Tertiariæ, Bizzoche, ſeu Pizzocheræ, Mantellatæ, Corrigiatæ, aliæque ſimiles *Collegialiter*, ut Tertiarii viri, *vivant, aut cum Clauſtralibus habitent*, ut recte notat Donatus *loc. cit. n.* 4., & alii paſſim id clare deſumentes ex verbis expreſſis citatæ Conſtitut. Leonis X. incip. *Dum intra*, & citat. alterius Conſtitutionis ejuſdem Pontificis incip. *Nuper in Concil. Lateranenſi*; & ex verbis adduct. Decreti §. 2. & 3.

Ut prædictæ Tertiariæ gaudeant omnino privilegiis ſui Ordinis, & exemptione ab Ordinarii juriſdictione, requiritur etiam, quod a Superioribus Regularibus recipiantur, & admittantur ad Habitum de expreſſa licentia Ordinarii loci, & ſint in ætate quadraginta annorum probatæ vitæ, ac bonis moribus præditæ, & habeant de proprio, unde ſufficienter vivere poſſint, & non cum aliis viris, quam cum conſanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu ſibi conjunctis cohabitent. Sic expreſſe ſtatuitur in adducto decreto §. 5. *verb. Superioribus autem*. 6

An autem prædictæ qualitates in hujuſmodi Tertiariis concurrant? ſpectat ad Ordinarium loci id declarare. Sic expreſſe cit. Decret. §. 4. vide ſupra. 7

Unde ad id Monacell. *tom.* 1. *tit.* 6. *formul.* 14. *numer.* 1. Card. Petra *tom. 4. Comm. ad Conſtit.* 15. *Martini V. num.* 21. tradunt ſequentem formulam. 8

*Dilecta Nobis in Chriſto N. Salutem, benedictionem in Domino.*

*Ut tu, quæ bonis moribus imbuta, bonæque frugis, ac laudabilis vitæ exiſtis, in ætate annorum quadraginta conſtituta, propria bona ex quorum fructibus honeſte vivere vales, poſſides, & non cum aliis viris, quam cum tuis conſanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu conjunctis habitas, prout hæc omnia nobis prævia informatione conſtare feciſti, Habitum Tertii Ordinis S. P. N. quem poſtulaſti, poſſis, per R. P. N. Ordinis Provincialem illum tibi conferendi licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur. In quorum &c. Dat. &c.*
*N. Epiſcopus N.*

An autem ſi omnia prædicta requiſita in allato Decreto non ſerventur, Profeſſio ſit nulla? Variant Doctores. Lezana enim *Quæſt. Regular. ſeu de caſibus conſcientiæ ad perſonas Religioſas utriuſque ſexus titul. de Tertiariis Regul. eorumque privil. cap. 4. num.* 4. & alii, dicunt Profeſſionem adhuc eſſe validam ex eo quod in dicto Decreto non adſit Clauſula irritans, nec Sacra Congregatio uſa fuerit verbis *Non poſſunt admitti niſi &c.* ſed verbo *Non admittantur*, & proinde actus admiſſionis dicendus eſt illicitus, non autem nullus. De Angelis vero *Opuſc. de Tertiariis poſt tract. de expenſ. & melior. num.* 14. *& ſeq.* & alii docent oppoſitum ex eo quod requiſita ſint de forma Profeſſionis, ibi: *& ab Ordinario loci licentia prius impetrata*, ſicque adimit Superioribus Regularibus aliter habitum ipſis conferendi facultatem, & proinde fecit, ut Tertiariæ a non habente facultatem Habitum obtinerent. At placet ſententia, quam docent Cardinalis Petra *loco citat. numer.* 23. dicens, quod dictum Decretum duas habet partes; Unam ſcilicet de contentis in Bulla Leonis X. quoad Habitus aſſumptionem, & votum, quæ cum eſſentialiter requirantur ad dictam Profeſſionem certum eſt, quod ſi unum ex ipſis deficiat, Profeſſio ſit nulla. *Sacra Congregat. Immunit. in Aſculana* 8. *Auguſti* 1702. de quadam Tertiaria, quæ receperat quidem Habitum, ſed non emiſerat explicite votum Caſtitatis licet crederet teneri ad ejus obſervantiam ex dicto Religioſi tradentis Habitum, accuſata de Infanticidio, cenſuit non gaudere privilegio Fori; verum dicta Sacra Congregat. ſupplicavit Sanctiſſimum pro aliquali commiſeratione, ne deveniretur ad pœnam ultimi ſupplicii. Sic Cardin. Petra *loc. cit.* ex Riccio *Synopſi Tertiariæ num.* 9. Et aliam habet partem de aliis contentis in allato Decreto Generali §. *V. verb. Superioribus*; quæ non important nullitatem Profeſſionis; Unde ſi aliquod ex ipſis deficiat, adhuc Tertiaria gaudet privilegiis; Hinc *Sacra Congr. Immun. in Spoletana* 12. *Septemb.* 1684. de quadam Tertiaria, quæ emiſerat quidem Profeſſionem, ſed ſolum in anno vigeſimo octavo contra allatum Decretum requirens ætatem quadraginta annorum, cenſuit hoc non obſtante adhuc ipſam gaudere privilegio Fori. Card. Petra *loc. cit.* ex Riccio *loc. cit. n.* 8. 9

10 Tertiariæ habentes privilegio Fori, dicta requiſita gaudent & exemptionis a Gabellis; Sic ſæpius reſpondit *Sacra Congreg. Immunit.* & ſignanter *in Neocaſtren. 16. Julii 1626. in Salernit. 29. Maii 1629. & in Interamnen.* 10. *Novb. 1638.* apud Monacell. *tom. 1. tit. 6. formul.* 14. *numer.* 1. Etiamſi votum emiſerint poſt motam litem, ut cenſuit *eadem Sacra Congregat. Immunit. in dicta Interamnenſi* apud Riccium *in*
11 *Synopſi verb. Tertiariæ num* 3. Unde ipſæ uti exemptæ etiam a juriſdictione Ordinarii, ut patet expreſſe ex §. 3. allati Decreti generalis, conveniri debent coram Conſervatores illius Ordinis, cujus Habitum deferunt, ut recte obſervat Mat-
12 thæuc. *Offic. Curiæ c.* 52. *ſub num.* 4. *verſ. Exempto.* Ubi *n.* 5. ex Fagnan. *in cap. Nullus, de Foro competent. n.* 65. recte ſubjungit, gaudere etiam privilegio Canonis, & cum multis cenſet Card. Petra *loc. cit. n.* 10.

13 Tertiariæ, ſi habent requiſita neceſſaria Conſtitutionis Leonis X. non ſunt moleſtandæ pro ſolutione oneris, ut dicitur *delle Bocche*. Sic *Sacr. Congreg. Immun. in Firmana* 21. *Februar.* 1699. *lib.* 2. *Decret. Vallem. pag.* 204. apud Riccium *loc. cit. n.* 4.

14 Item ſunt immunes a Gabellis etiam quoad animalia, quare injungitur Epiſcopo, ut publicet Cedulones contra Datiarios ob executata earumdem animalia. *Sacra Congr. Immunitat. in Tarentina* 27. *Martii* 1703. *lib.* 3. *Decret. Vallem. pagin.* 482. apud Ricc. *loc. cit. n.* 5.

15 Tertiariæ, quæ vivunt in Congregatione abſque Clauſura non gaudent dictis privilegiis. Card. Petra *loc. cit. n.* 19. Piaſec. *in praxi part.* 2. *cap.* 3. *artic.* 7. *n.* 13. Mattheucc. *loc. cit n.* 6. Nicol. *in Floſculis, verb. Clauſura n.* 38. & alii paſſim. Et ratio eſt, quia ipſæ *in allato Decreto generali* §. 7. ut clare ibi patet, relinquuntur ſub diſpoſitione Conſtitutionis S. Pii V. incip. *Circa Paſtoralis Officii*, ubi Pontifex receptiones, & Profeſſiones talium Tertiariarum in Congregatione abſque Clauſura viventium omnino irritat, & annullat, ibi: *Mulieres quoque, quæ Tertiariæ, ſeu de Pænitentia dicuntur, cujuſcumque fuerint Ordinis in Congregatione viventes, ſi & ipſæ profeſſæ fuerint, ita ut ſolemne votum emiſerint, ad Clauſuram præciſe, ut præmittitur, & ipſæ teneantur. Quod ſi votum ſolemne non emiſerint, Ordinarii, una cum ſuperioribus earum hortentur, & perſuadere ſtudeant, ut illud emittant, & profiteantur, ac poſt emiſſionem, & Profeſſionem eidem Clauſuræ ſe ſubjiciant. Quod ſi recuſaverint, & aliquæ ex eis inventæ fuerint ſcandaloſe vivere, ſeveriſſime puniantur. Ceteris autem omnibus ſic abſque emiſſione Profeſſionis, & clauſura vivere omnino volentibus, interdicimus, & perpetuo prohibemus, ne in futurum ullam aliam prorſus in ſuum Ordinem, Religionem, Congregationemve recipiant; Quod ſi contra hujuſmodi hanc noſtram prohibitionem, & Decretum aliquas receperint, eas ad ſic vivendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet Profeſſiones, & receptiones irritas facimus, & annullamus* Quod, & confirmavit Gregorius XIII. Conſtitution. incipient. *Deo Sacris Virginibus*.

16 Et tales Tertiarias poſſe hoc tempore prohiberi, ne in Communitate maneant, niſi Profeſſionem cum quarto voto de perpetua Clauſura emittant ad formam dictæ Pianæ Conſtitutionis, reſcripſit *Sacra Cong. Epiſc. & Regul. in Lucen.* 22. *Januar.* 1596. apud Piaſec. *loc. cit.* Mattheucc. *loc. cit. n.* 6. Card. Petra *loc. cit. n.* 19. Et de facto Urbanus VIII. Conſtitut. incip. *Paſtoralis Romani Pontificis*, edita ſub *anno* 1630. *die* 13. *Januarii* ſuppreſſit, & annullavit quamdam Congregationem Mulierum, quæ in nonnullis Italiæ, & Ultramontanis partibus ſine ulla Sedis Apoſtolicæ approbatione ab aliquot annis in unum conveniebat vitæ religioſæ ducendæ prætextu, peculiarem, & diſtinctum Habitum deferentes, &
17 multa pia opera peragentes; Unde conſimiles Tertiariarum seu Mulierum Congregationes, vel penitus diſſolvuntur, vel ſi tolerentur, remanent ſub omnimoda Juriſdictione Ordinarii, ut cenſuit *Sac. Congregat. Conc.* 27. *Maii* 1677. in qua quidem agebatur de Congregatione duodecim mulierum Tertiariarum in Oppido Cottunei emittentium quædam vota Caſtitatis, Paupertatis, Obedientiæ, ſed non ſolemnia, & ſine Clauſura; Ideoque propoſito dubio: *An mulieres hujuſmodi ſubſint Viſitationi, & correctioni Epiſcopi? Sacra Congregatio*, audito Procuratore Generali PP. Reformatorum S. Franciſci, cenſuit *Affirmative*; Et *Sacra Congreg. Epiſcop. & Regular.* confirmavit Decreta Epiſcopi facta circa dictas mulieres *in Laudenſi* 27. *Junii* 1704. Et *Sac. Congr. Concilii in eadem* 15. *Junii* 1709. mandavit, ut Epiſcopus procederet ad Viſitationem, & correctionem earum. Sic expreſſe refert Card. Petr. *loc. cit. num.* 20. Vide infra *n.* 52.

Tertiarii, & Tertiariæ habentes requiſita Conſtitut. Leonis X. & allati Decreti Sacræ Congregat. ſi decedant non 18
ſibi electa ſepultura, & in Eccleſiis Ordinis, cujus Habitum aſſumpſerunt, communis ſepultura pro ipſis reperiatur, debent in ipſa ſepeliri, alias ſepeliri debent in Parochiali. Sic expreſſe ſtatuitur *in allato Decreto* §. 5. Vide *ſupra ſub n.* 3.

Si Tertiariæ poſt votum caſtitatis, & Profeſſionem emiſſam, 19
aliaque requiſita ſervantes, contrahant Matrimonium, quamvis peccent, ex quo violent ſuum ſimplex votum caſtitatis, tamen Matrimonium eſt validum. *Sacra Congreg. Concilii in Marſicana Validitatis Matrimonii* 10. *Aprilis* 1660. & jam prius etiam *in Tudertina ſeu Balneoregien.* 8. *Julii* 1648.

Tertiariæ, quamvis dicta requiſita habeant, acquirere non 20
poſſunt Legatum relictum pro puellis profeſſuris, quia debet dari iis, quæ profitentur tria vota ſubſtantialia, & ſolemnia. *Sacra Congreg. Concil. in Æſina* 8. *Junii* 1796. apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 10. *formul.* 19. *n.* 7. Et in terminis Monialium, quæ ſunt in Conſervatoriis, ut non valeant habere Dotes relictas pro Monialibus, cenſuit *Sacra Congreg. Concilii in Spoletana* 20. *Sept.* 1710. denegando hujuſmodi Indultum Conſervatorio pueri Jeſu.

Tertiarii utriuſque ſexus in Clauſtro non viventes ſubji- 21
ciuntur Parochis quo ad Sacramentorum adminiſtrationem, nec poſſunt alteri peccata ſua confiteri, quam Confeſſario ab Epiſcopo approbato. *Communis*. Sic enim ſæpe ſæpius declaravit *Sacra Congreg. Conc.* & ſignanter *in Aquilana* 5. *Februar.* 1604. *in Stagnen.* 19. *Decemb.* 1620. *& in una Civitatis Caſtelli* 2. *Decemb.* 1623. *& Sacra Congr. Epiſcop. & Regul. in cit.* Decreto *generali* §. 1. & ſæpe *alibi*.

Tertiarii utriuſque ſexus non habentes dicta requiſita Con- 22
ſtit. Leonis X. & allati Decreti generalis Sacræ Congreg. habitantes in propriis Domibus, ſicut alii Laici, non gaudent privilegio Fori, nec Canonis, nec exemptioni, ab oneribus publicis aliorum Laicorum. Sic ſtatuit Leo X. in cit. Conſtit. incip. *Inter cetera*, ibi: *Fratres autem, & Sorores Tertii Ordinis, nec non Mantellati, Corrigiati, Pizzocharæ, Cordellati, & alii quocumque nomine nuncupati in propriis Domibus habitantes, ſepulturam, ubi voluerint, eligere valeant. Sed die Paſchatis tantum Euchariſtiam, nec non Extremam unctionem, ceteraque Eccleſiaſtica Sacramenta (Pænitentiæ Sacramento dumtaxat excepto) a proprio Sacerdote recipere, & ad onera, quæ Laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in Foro ſæculari coram Judicibus ſæcularibus conveniri poſſint*. Et ſæpe ſæpius decrevit *Sac. Congreg. Immun.* & ſignanter *in Eugubina* 25. *Julii* 1663. *in Forolivien.* 22. *Novembris* 1663. *in Policaſtr.* 19. *Julii* 1635. *in Tricaric.* 7. *Septemb.* 1638. *& in Tudertina* 20. *Decemb.* 1667. *& noviſſime in Faventina* 13. *Maii* 1727. & pluries etiam *Sac. Congreg. Concilii, & Epiſcop. ac Regul.* ut refert Urſaya *tom.* 7. *part.* 1. *diſcept.* 3. *a num.* 8. cum aliis ibi cit.

Si tamen adſit alicubi conſuetudo, ut fruantur privilegiis 23
exemptionum etiam non habentes dicta requiſita, talis conſuetudo debet ſervari, ut declaravit *Sac. Congreg. Immun. in Policaſtren.* 23. *Decemb.* 1636. *lib.* 3. *Decretal. Paul. p.* 20. apud Riccium *in ſynopſi verb. Tertiarii n.* 3. ubi *ſub n.* 6. ſubjungit; Et ubi aſſeratur contraria conſuetudo, nihil innovetur, tam per Curiam Eccleſiaſticam, quam Laicam, donec cognitum ſit de tali conſuetudine. *Sacr. Congreg. Immunit. in Soanen.* 9. *Maii* 1695. *lib.* 1. *Decret. Vall. pag.* 183. quem citat, & ſequitur Cardin. Petra *loc. cit. n.* 16.

Tertiarios utriuſque ſexus ad Habitum propriæ Religionis 24
admittere, & recipere poſſunt omnes Regulares ad id facultatem a Sede Apoſtolica obtinentes, & juxta legitimam conſuetudinem cujuſvis Ordinis, ſive Superiores immediate per ſe, ſive per alios ab ipſis delegatos. *Communis*.

Deveniendo autem ſpecialiter ad Tertiarios utriuſque ſe- 25
xus Ordinis Minorum, varia pro diverſitate temporum, locorum, & perſonarum emanarunt Apoſtolica Decreta, quibus brevitatis gratia relictis videndis, tum apud Orbem Seraphicum P. de Gubernatis, tum apud Lantuſcam in Theatro Regularium, tum apud Matthæuccium *Official. Curiæ capit.* 52. tum apud Cardinal. Petram *tom.* 3. *Commentar. ad Conſtitution.* 4. *Nicolai IV. & tom.* 4. *Commentar. ad Conſtit.* 15. *Martini V.* tum apud Bullarium Clementis XI. *in Decretis memorabilibus Sacræ Congregationis*; Hic ſolum juvat referre noviſſimas Conſtitutiones ad id editas a Benedicto XIII.





26 Et primo refertur ejuſdem Benedict. XIII. Conſtitut. 6. incip. *Paterna Sedis Apoſtolicæ providentia*; edita *Die* 10. *Decembris* 1725. in qua *ſub* §. 4. omnia privilegia a Summis Pontificibus Tertio Ordini Sancti Patri Franciſci conceſſa approbantur, & renovantur. Et *ſub* §. 5. declaratur juxta alias Anteceſſorum Pontificum declarationes, quod triplex Tertiariorium ſtatus unum & eundem Tertium Ordinem, ſanctum, meritorium, & verum, non Confraternitatem componit, & denuo eorum Regula confirmatur. Et *ſub* §. 6. Miniſter Generalis totius Ordinis Minorum, & ſecundarii Superiores confirmantur in auctoritate ſupra omnes Tertiarios utriuſque ſexus. Et *ſub* § 9. Miniſtro Generali totius Ordinis injungitur propagatio Tertiariorum utriuſque ſexus per univerſum Orbem, eidemque Miniſtro facultas conceditur ſtatuendi, quæ bonum eorum reſpiciunt. Et *ſub* §. 10. declaratur, quod ſolis Superioribus Minorum de Obſervantia privative ad alios competit quoſcumque recipere ad Tertium Ordinem, ejuſque Confeſſarium, & viſitatorem, qui præſideat, & rationes examinet, adſignare. Et *ſub* §. 11. declarantur omnia irrita, & mera attentata quæcumque ab aliis præter voluntatem dictorum Superiorum de Obſervantia circa Tertios Ordines iſtos, aut innovari, aut mandari contigerit. Et inſuper declaratur, quod ubi jam eſt inſtitutus, & fundatus dictus Tertius Ordo, alii fundari minime poſſint, nec a Conventu, ubi jam fundatus eſt, poſſint transferri ad alium dicto Generali Miniſtro totius Ordinis non ſubjectum, & quod alias inter Tertios Ordines approbatos ab Apoſtolica Sede habendi non ſint, nec gaudeant Indulgentiis, & privilegiis Tertio huic Ordini per eamdem Sedem Apoſtolicam impertitis.

27 Deinde nono Kalendas Junii 1726. idem Benedictus XIII. Conſtit. 17. incip. *Ratio Apoſtolici miniſterii* ſtatuit, quod Tertiarii PP. Capuccinorum ubicumque exiſtentes, ab eorum Miniſtro Generali, & non ab alio dependeant, & fruantur omnibus Indulgentiis, & gratiis Tertiariis Fratrum Minorum conceſſis.

28 Et poſtea die 6. Julii 1726. idem Pontifex Benedictus XIII. Conſtit. 25. incip. *Singularis Devotio* decrevit, quod Tertiarii PP. Minorum Conventualium fruantur privilegiis, & gratiis ſpiritualibus, quæ ceteris Tertiariis conceſſæ fuerunt. Quæ tres tamen Conſtitutiones fuerunt una cum aliis moderatæ, & redactæ ad terminos juris a Clemente XII. Conſtit. incip. *Romanus Pontifex*.

29 Aſt vero poſtremo die 21. Junii 1728. idem Benedictus XIII. Conſtit 47. incip. *Dilecti Filii*, denuo confirmavit, quæ pro Tertiariis Minorum de Obſervantia in cit. Conſtit. 6. incip. *Paterna Sedis Apoſtolicæ providentia* ſancita ſunt. Et hic ad uberiorem, & clariorem notitiam dantur præciſa hujus Conſtitutionis verba *ſub* §. *Præterea* contenta, ibi: *Præterea quaſcumque Indulgentias, Indulta, Privilegia, Prærogativas, Favores, exemptiones, Libertas, Extenſiones, & Conceſſiones, tam in genere, quam in ſpecie in memorata Conſtitutione, quæ incipit Paterna, Tertiariis Fratrum Minorum de Obſervantia tributas, & per alias ſuperius indicatas ad Tertiarios Fratrum Minorum Conventualium, & Capuccinorum, eorumque Superiores extenſas, & ampliatas tenore præſentium confirmamus, & approbamus, & quatenus opus ſit, ipſis Fratribus Conventualibus, & Capuccinis, eorumque Tertiariis, in iis tamen, quæ præfatæ noſtræ Conſtitutioni pro Obſervantium Tertiariis aditæ non adverſantur, & non alias de novo concedimus, mandantes potiſſimum, utque in ipſa circa erectionem unius duntaxat Congregationis Tertiariorum pro unaquaque Civitate, aut loco, deque eorum tranſitu præſcripta, & ſancita ſunt, aliis poſterioribus noſtris non obſtantibus, inviolabiliter obſerventur.* Et hæc poſtrema Conſtitutio, cum ſit hactenus revocata, nec moderata, eſt ſimpliciter attendenda, & per extenſum eſt adducta ſub verb. *Religiones Regulares art.* 5. *num.* 55.

30 Unde expreſſe patet, quod in quibuſcumque Civitatibus, aut locis, ubi erectus eſt, ſeu fundatus Ordo, ſeu Congregatio Tertiariorum utriuſque ſexus a Minoribus de Obſervantia, non poteſt amplius erigi, nec fundari a PP. Conventualibus, & PP. Capuccinis. Nec ab ipſis poſſunt alii ad Habitum Tertii Ordinis recipi, & admitti, alias nullis gauderent Indulgentiis, & Privilegiis, ut expreſſe ſancitum eſt in dicta Conſtitutione *Paterna*. Nota. Attamen quidquid ſit de hoc, nunc vide quæ in tom. 2. ſub verb. *Capuccini n.* 1. noviſſime adducta ſunt; & conclude ſicut ibi.

31 Tertiarii utriuſque ſexus Ordinis Minorum, etiamſi in propriis domibus ſæcularibus habitent, nec habeant requiſita Conſtitut. Leonis X. & Decreti generalis Sac. Cong. allati ſupra *ſub n.* 3. gaudent omnibus Indulgentiis, quibus gaudent ipſimet Fratres Minores, ac Moniales S. Claræ. Vide verb. *Indulgentia art.* 5. *a n.* 23. *ad* 27. ubi multa de plurimis Indulgentiis, quibus fruuntur dicti Tertiarii utriuſque ſexus, etiamſi in propriis domibus ſæcularibus habitent.

Dicti tamen Tertiarii Ordinis Minorum, ſicuti & ceteri 32
alii, ſi non habeant præfata requiſita Conſtitut. Leonis X. & Decreti generalis Sacræ Congregationis non gaudent, nec privilegio Fori, nec Canonis, nec exemptione aliqua ab oneribus, & muneribus publicis aliorum Laicorum, ut patet ex adductis ſupra *n.* 22.

Niſi tamen alicubi adeſſet conſuetudo, ut fruerentur pri- 33
vilegiis exemptionum etiam non habentes dicta requiſita, ut per allata decreta *ſub n.* 23.

Ad hoc, ut Tertiarii utriuſque ſexus in propriis domibus 34
ſæcularibus degentes gaudeant omnibus Indulgentiis, quibus gaudent ipſimet Fratres Minores, & Moniales S. Claræ, ſufficit, ut recipiant, & deferant Habitum juxta morem, & formam, quæ pro diverſitate Regionum hactenus ab eiſdem Tertiariis ſervata eſt; Sic colligitur ex cit. Conſtitut. Benedicti XIII. incip. *Paterna Sedis Apoſtolica providentia* §. 10. ubi expreſſe conceditur Superioribus noſtri Ordinis *Utriuſque ſexus Chriſtifideles juxta morem dicti Ordinis recipere*, quæ Conſtitutio confirmata eſt in citata alia ejuſdem Pontificis incip. *Dilecti Filii*, quæ hactenus nec eſt revocata, nec moderata; Item ex ejuſdem Benedicti XIII. Conſtitut. incip. *Pretioſus* §. 5. ibi: *Retineri tamen poſſe Habitus formam, quæ pro Religionum diverſitate hactenus ab eiſdem Tertiariis ſervata eſt*; Etiamſi ſit parvus Habitus, ſeu parvum ſcapulare, 35
ut ſæpe ſæpius ipſum ſic appellatur, tum a Sacra Congregatione, tum a Summis Pontificibus, & ſignanter in cauſa vertente inter Capuccinos, & Minores de Obſervantia Regni Sardiniæ, ubi quærebatur: An Patribus Capuccinis Regni Sardiniæ liceat diſpenſare, ſeu diſtribuere *Habitum*, ſeu *Scapulare parvum* cum cingulo S. Franciſci? Et *Sacra Congregat. Epiſcop. & Regul. die* 16. *Novemb.* 1703. reſpondendo ad quæſitum vocat ipſum *Scapulare*, ſeu *Habitum parvum*. Quod & confirmarunt Clemens XI. Conſtitut. incip. *Emanarunt nuper Ratio Apoſtolici miniſterii* ipſum appellando, uti ipſa Sacra Congregatio, *Scapulare*, ſeu *Habitum parvum*: ſub quo nomine, & modo, ſive forma ipſum non vocaſſent, nec permiſiſſent, ſi non ſufficeret pro lucrandis Indulgentiis ipſum recipientibus, & deferentibus conceſſis. Vide dictam Conſtit. incip. *Ratio Apoſtolici miniſterii*, in qua continetur dicta Conſtitutio Clementis, & Decretum Sacræ Congregationis; Et revera Pater Michael Angelus Bugliaſco in Regula Tertii Ordinis Pœnitentium Seraphici P. Sancti Franciſci Typis edita Januæ, *cap. Dell' umiltà di queſt' Ordine de' Penitenti pag.* 81. ſic habet expreſſe: *Portano i Fratelli, e Sorelle di queſt'Ordine il Scapulario ſotto le veſti cinto col Cordone, il quale ſe ſarà ſolo un terzo di palmo, come concede Giulio II. avrà le cordicelle per poterlo cingere.*

Tum quia, ut habetur *in Compendio privilegiorum Fratrum* 36
*Minorum, & aliorum Mendicantium, & non Mendicantium ab Alphonſio de Caſarubios ſecundo edito, & a P. Hieronymo a Sorbo quibuſdam additionibus locupletato ſub verb. Tertiarii Fratres, & Sorores* §. 29. Innocentius VIII. conceſſit ut *ſuſcipientes Habitum Mantellatorum, ſive Mantellatarum Ordinis S. Auguſtini, licet Habitum illum cum licentia Prioris loci non retineant, nec continue deferant, Corrigiam tamen retinentes, ac deferentes, eiſdem privilegiis, gratiis, Immunitatibus, & Indulgentiis gaudeant, quibus ipſi Mantellati, & Mantellatæ gaudere poſſunt.* Unde dicendum eſt, quod ſimili modo per viam Communicationis gaudeant iiſdem Indulgentiis Tertiarii Ordinis Minorum deferentes cingulum, & inſuper ipſum *Scapulare*, ſeu *parvum Habitum*, ut appellant citati Pontifices, & Sac. Congregat. Eo vel maxime, quod cordigeri lucrari poſſunt etiam illas Indulgentias, quas Paulus V. conceſſit omnibus Regularibus, & Indulgentias omnes Fratribus Minoribus directe, & in ſpecie conceſſas, ut patet ex dictis ſub verb. *Indulgentia art.* 5. *n.* 30. *&* 31.

Habitus Tertii Ordinis S. P. N. Franciſci non poteſt con- 37
ferri niſi a Superioribus Ordinis, aut ab aliis ab ipſis delegatis; Et nullatenus conferri poteſt ab aliis Tertiariis, ut referente Urſaya *tom.* 8. *p.* 1. *diſcept.* deciſum fuit *a Sacra Congreg. Epiſcop. & Reg. in Faventina Superioritatis*, inter PP. Reformatos Sancti Franciſci Faventiæ, & Tertiarios Sancti

Antonii ejuſdem Civitatis, in qua *die* 18. *Junii* 1717. propoſita cauſa in Congregatione Epiſcop. & Regul. per Card. Corſinum ſub ſequentibus quatuor dubiis.

*I. An Donatio facta Patribus ſuſtineatur in caſu &c.*

*II. An Tertiarii ſint ſubjecti gubernio ſpirituali PP. Reformatorum in caſu &c.*

*III. An Tertiarii poſſint alios admittere ad Habitum, eorumque Profeſſiones recipere? Et quatenus Affirmative;*

38 *IV. An admiſſiones ad Habitum, & Profeſſiones hactenus ſequutæ in manibus Tertiariorum ſuſtineantur?*

*Ad I. Reſponſum fuit Affirmative.*

*Ad II. Affirmative in concernentibus ſpiritualia in Eccleſia S. Antonii.*

*Ad III. Negative.*

*Ad IV. Pro ſanatione.*

39 Tertiarii utriuſque ſexus poſt annum integrum Probationis, ſeu Novitiatus a die recepti, ſeu ſuſcepti habitus, Profeſſionem emittunt in manibus Superioris Ordinis, ſeu Viſitatoris ſub hac forma.

*Io Fratello N. o Sorella N. prometto a Dio Onnipotente, ed alla B. Maria ſempre Vergine, ed al Beato S. Franceſco, ed a tutti i Santi del Cielo, ed a Voi Padre d'oſſervar tutto il tempo di mia Vita la Regola de' Frati di Penitenza inſtituita dal P. S. Franceſco, e per Papa Nicolò IV. confermata, ed i Comandamenti di Dio, e di ſoddisfare come conviene per le traſgreſſioni, che commetterò contro queſto modo di vivere, ogni volta che ſarà dimandato dal mio Viſitatore.*

Et hæc formula Profeſſionis eſt ad tenorem præſcriptæ in capite ſecundo ejuſdem Regulæ Tertii Ordinis approbatæ a Nicolao IV. Conſtit. incip. *Supra montem*, ut etiam recte obſervat Matthæucc. *loc. cit. num.* 9.

40 Ex qua formula Profeſſionis, & præſertim ex illis verbis, *inſtituita dal Padre S. Franceſco*, clare ſtat dictam Regulam Fratrum, & Sororum de Pœnitentia fuiſſe à Seraphico noſtro P. S. Franciſco, Deo inſpirante primo concinnatam, & non a Nicolao IV. ut aliqui non ſatis de hac re conſcii exiſtimarunt; Et id expreſſe aſſerit Leo X. Conſtit. incip. *Inter cetera*; ubi pluries ait dictam Tertiariorum Regulam fuiſſe a S. P. Franciſco editam, & a Nicolao IV. confirmatam, & approbatam; Quod & aſſerit Laertius Cherubin. ad Conſtitut. 2. Nicolai IV. & 42. Leonis X. Idem ceteris clarius ſæpius affirmat Clemens VII. Conſtit. incip. *Ad uberes fructus*; Et jam a ſua origine fuit hic tertius Ordo communiter Sancti Franciſci a Summis Pontificibus appellatus, & uti talis recognitus, plurimis privilegiis ornatus, ac omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque Prælatis ſumme commendatus, ut apparet ex Brevi Gregorii IX. incip. *Deteſtanda humani hoſtis*; Quod & fecit Innocentius IV. Brevi incipien. *Debemus Nos*, aliique Summi Pontifices Nicolao IV. anteriores. Unde Minoritica Religio in Officio ejuſdem Seraphici P. Sancti Franciſci a Sancto Bonaventura præcipue compoſito, & a S. Romana Eccleſia comprobato, Antiphona tertia ad Laudes ſolemniter canit: *Tres Ordines hic ordinat: primumque Fratrum nominat Minorum; pauperumque fit Dominarum medius, ſed Pœnitentium tertius ſexum capit utrumque.* Facile tamen crediderim Nicolaum IV. ejuſdem Sancti Patris Franciſci Filium, quædam ex ſuis inſeruiſſe, aliquidque pro temporis, & ipſius Ordinis ratione immutaſſe; Quorum utrumque ipſe Nicolaus IV. non obſcure inſinuavit Conſtitut. incip. *Unigenitus*, quam refert Antonius de Sillis *lib. de Origine, & profectu tertii Ord. tom. 2. pag.* 7. & ſequitur eruditiſſimus P. Wadingus *tom. 2. Opuſculorum B. Franc. in Argumento Regulæ Tertiariorum, ſive Fratrum de Poenitentia*; ubi ante hæc habet.

41 *Quam (Poenitentiam) dum Coeleſti fervore, & cumulato fructu in multis Italiæ locis Beatus hic Legislator noſter prædicaret, ſed præcipue in Oppido Canarii, quod in Umbria in Valle Spoletana per quatuor millia paſſuum ab Aſiſio diſtat, oppidani omnes, & ex aliis Pagis, & Civitatibus turmatim ad Virum Dei ejus prædicationis igne ſuccenſi, undique confluebant, nullo pavore ſuſpenſi, nulla cura diſtracti, & ſe nobis poenitentia legibus vincere velle ſignificabant. Qui ne imbecilles mulieres, & periculis facile expoſitas, conſortium præſidio orbaret nec homines uxorum licentia, & optata ſocietate privaret, & loca, urbeſque penitus depopulari videret; nec hos in Religioſorum ſodalitium recipere, nec illas in Sanctimonialium clauſtra recludere, conſultum judicavit. Unde commune utriuſque hoc Inſtitutum præſcripſit ad* 14. *ſuæ pleræ converſionis annum, & Virginei partus* 1221. *in quo utriuſque ſexus omne genus, tam Sæcularium, quam Eccleſiaſticorum, facillime, & ſub ſuavi jugo, ſub propriis tectis, propria gaudens hæreditate, Deo inſerviret, Ordinem ſuis ſtatutis firmavit, legibus munivit, & propria Regula corroboravit.* Hæc ille.

42 Unde S. P. N. Franciſci inter omnes Religionum Regularium Fundatores primus, ni dicam unicus, fuit, qui tertium Ordinem de Pœnitentia inſtituit, cujus exemplum deinde aliquæ aliæ præſertim Mendicantes ſequutæ ſunt Religiones, ut tradit P. Petrus Antonius de Venetiis, in *Viridario Seraphico italicæ impreſſo tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 2. & alii de hac re ſcribentes. Eumque S. Pater *de Pœnitentia* nuncupavit, fortaſſe, ut placet S. Bonaventuræ, quia ſicut Pœnitentia eſt via communis ad Cœlum, ſic Ordo iſte cujuſcumque ſtatus, & ſexus viros, & feminas, Clericos, & Laicos ſolutos, & ligatos, ſeu conjugatos amplectitur, ac neminem excludit, omneſque hunc Ordinem ingredi, illumque profiteri poſſunt: Sicque per omnium Pœnitentiam in hoc mirifico Ordine omnibus commodam, omnibuſque ab ipſo paratam, verificetur univerſalis prolabentis Eccleſiæ reparatio ſibi a Jeſu Chriſto, e Cruce pendente miraculoſè indicta, juxta primam Laudum Antiphonam in Feſto ejuſdem Sacrorum Stigmatum a Minoritica Religione a Sede Apoſtolica comprobatam quotannis cani conſuetam; *Crucis vox hunc alloquitur, ter dicens; Tu te præpara; Vade Franciſce repara Domum meam, quæ labitur*; Quapropter Deo grata Sancta Catholica Romana

43 Eccleſia tanto pro beneficio recepto medio Seraphici S. P. N. Franciſci, ac trium Sacrorum Ordinum ab ipſo inſtitutorum, in Coronatione Summi Pontificis, nullius alterius Sancti canit collectam, præter illam ipſius, tres dumtaxat canendo, primam nempe de Spiritu Sancto, ut eam illuminet, ſecundam de B. M. V. ut eam protegat, tertiam de S. P. N. Franciſco, ut ſicut eam caſu reparavit, eamdem continue ſuſtentet; uti jam adnotavimus ſub verb. *Papa art.* 1. *n.* 73. & notant paſſim de hac Coronatione ſcribentes.

44 Et fuiſſe vere hunc tertium Ordinem a S. P. N. Franciſco inſtitutum, Chriſtus ipſe teſtari voluit myſterioſa illa, ac miraculoſa revelatione in Monte Alverniæ ei facta ipſi apparens in forma Seraphim, terque ei dicens, ut aliquid donaret, ac omnibus nudus Seraphicus Pater, ſuo in ſinu tres aureas monetas miraculoſè reperiens, eaſdemque ſtatim ipſi Chriſto ſumma cum lætitia elargiens, meruit hæc ab ipſo audire: Scias Franciſce, tres has pretioſiſſimas monetas mihi elargitas, tres illos eſſe Ordines a te tanto caritatis, ac pietatis favore inſtitutos, quorum præmio, ac remunerationes mox te faciam mearum Plagarum participem, ut ſic te ducem, ac ſigniferum meæ Paſſionis, & Crucis conſtitutam. Inde, ut oſtenderet Chriſtus Dominus, æque ſibi gratam fore pretioſam illam auream monetam hujus tertii Ordinis, ac alias duas aliorum duorum Ordinum; ſicuti hos duos, ita & illum ampliſſimis favoribus inſignire voluit, tum in ordine naturæ, tum in ordine Gratiæ, & Gloriæ, ipſum ditando innumerabilibus Potentatibus, Imperatoribus, Imperatricibus, Regibus, Regnis, utriuſque ſexus Ducibus, ac Principibus, Marchionibus, Marchioniſſis, Comitibus, ac Comitiſſis, aliiſque conſpicuis undequaque Perſonis, etiam Eccleſiaſticis, Epiſcopis nempe, Archiepiſcopis, Patriarchis, Cardinalibus, & inſuper etiam pluribus Summis Pontificibus, qui teſte Miranda *in Regula Tertii Ordinis pag.* 340. huic Seraphico Ordini ſe adſcripſerunt, & ſub Pontificiis veſtibus ſuum Sacrum habitum geſtaverunt, ut vere, ac jure gloriari poſſent ſe eſſe Filios Seraphici Patriarchæ Inſtitutoris. E quibus omnibus ſupradictis plurimi virtutum laude, miraculorum gratia, & ſanctitatis gloria conſpicui evaſere, ac in dies continue evadunt, ut videre eſt apud Antonium de Sillis, Waddingum, Mirandam, Petrum Antonium de Venetiis, Chronicas Fratrum Minorum, omneſque de hoc mirifico Tertio Ordine S. P. N. Franciſci Scriptores, & Regulæ Expoſitores, de qua merito poteſt dici illud Apoſtoli *ad Galatas cap.* 6. *numer.* 16. *Quicumque hanc Regulam ſequuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia.*

45 Tertiarii utriuſque ſexus hujus Tertii Ordinis non obſtante ſupradicta formula emiſſæ Profeſſionis, per tranſgreſſionem præſcriptorum in ſua Regula, niſi alias ad ea ſint obligati ex Divinis, vel Eccleſiaſticis præceptis, nullum committunt peccatum, nec mortale, nec veniale; Et quod nullum incurrant peccatum mortale, habetur expreſſe deciſum a Nicolao IV. in cit. Conſtit. *Supra montem cap.* 20. *ipſiuſmet* Regulæ, ibi: *Ceterum in præmiſſis omnibus, ad quæ Fratres veſtri Ordinis, non ex Divinis præceptis, vel ſtatutis tenentur Eccleſiæ, nullum ipſorum ad culpam mortalem volumus obligare, ſed impoſitam ſibi pænitentiam pro tranſgreſſionis exceſſu prompta humilitate recipiant, & efficaciter ſtudeant adimplere.* Item a Leone X. Conſtit. 42. incip. *Inter cetera cap.* 10. *ejuſdem Regulæ*, ibi: *Omnia, & ſingula in præſenti Regula contenta ſunt conſilia ad facilius ſalvandas animas Viatorum, & nulla ſunt obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale, niſi humano, vel Divino jure aliquis alius eſſet obligatus. Obligantur tamen Fratres, & Sorores facere pænitentias ſibi a Superioribus impoſitas, quando ſuper hoc requiruntur.* Ubi, ut clare vides, hic Pontifex expreſſe declarat, quod nulla contenta in dicta Regula ſint obligatoria ad peccatum, nequidem veniale, ibi: *Nulla ſunt obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale.*

46 Hinc, ut recte monent paſſim Doctores, debent Tertiarii utriuſque ſexus, antequam Profeſſionem emittant, plene inſtrui a Superioribus, ſeu Viſitatoribus, aut Commiſſariis ſpecialiter deputatis, quod præfati Pontifices nolunt eos ex vi Profeſſionis, & Regulæ, obligari, nec ad peccatum mortale, nec veniale, niſi propter ignorantiam, & errorem exiſtiment, ſe ad promiſſa in vim promiſſionis ſub culpa obligari.

47 Tertiarii noſtri Ordinis in ſæculo degentes poſſunt uti noſtro Breviario Franciſcano. Vide verb. *Officium Divinum art.* 3. *n.* 57. *& ſeq.*

48 Alia ad rem Vide verb. *Eremita a n.* 18. & verb. *Religiones Regulares art.* 5. *a n.* 14. verb. *Veſtis n.* 17.

49 Tertiarii qui nondum compleverint annum 20. nequeunt retineri in Conventibus. Vide verb. *Habitus a n.* 33. *ad* 35.

50 Additur attendenda peculiaris Conſtitutio Benedicti XIII. incip. *Exponi Nobis*, edita 30. Septembris 1729. anno ſexto ſui Pontificatus, in qua ad inſtantiam P. F. Bonaventuræ Gervaſi Procuratoris Generalis Fratrum Tertii Ordinis S. Franciſci, ad tollendas quaſcumque moleſtias, & vexationes, quas non minus Tertiarii Sæculares hujuſmodi, quam Miniſter Generalis, aliique Superiores ſubalterni ſibi inferre poſſe verentur ab iis locorum Ordinariis, qui dictos Tertiarios Sæculares ſuæ obedientiæ ſubjicere vellent, Litteras ſuas anni 1725. 10. Dec. editas anno ſecundo, per quas inter alia Tertiarii de Pœnitentia nuncupati, directioni, curæ, & Regimini Miniſtri Generalis, ac Superioribus Ordinis S. Franciſci de Obſervantia ſubjiciuntur, ſeu ſubjecti declarantur, confirmat ad tenorem Conſtitutionis Clementis VII. incipien. *Dum uberes fructus*, & Pauli III. incip. *Ad uberes fructus*: In quibus prædictus Tertius Ordo admiſſus fuit ad participationem privilegiorum quatuor Ordinibus Mendicantibus, & nominatim Ordini Fratrum Minorum S. Franciſci ab S. Sede conceſſorum; & hanc participationem in ſuis Litteris confirmatam, ad majorem cautelam denuo concedit: & dictas ſuas Litteras, quibus præfati Tertiarii curæ, & regimini Miniſtri Generalis, ac Superiorum Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia ſubjiciuntur, ſeu ſubjecti declarantur, ad Tertiarios etiam Sæculares Tertii Ordinis, aut ejuſdem Superiorum directioni, curæ, & regimini pariter ſubjaceant, Auctoritate Apoſtolica perpetuo extendit, & ampliat.

51 Alia ad rem addita, & obſervanda: Vide Conſtitutionem Clementis XII. incip. *Apoſtolicæ Servitutis*; Conſtitutionem Benedicti XIV. incip. *Emanavit nuper*; aliam ejuſdem incip. *Ad Romanum Pontificem*; & adhuc aliam ejuſdem incip. *Inexhauſti Eccleſiæ Theſauri*: Et attendenda eſt ſequens reſolutio Sac. Congr. Epiſ. & Reg. nempe.

In cauſa Narnienſi Juris admittendi, & veſtiendi Tertiarios vertente inter Epiſcopum Narnienſem, illiuſque Promotorem Fiſcalem ex una, et Conventum et Patres Minorum Sancti Franciſci Stronconii, illorumque Patrem Procuratorem Generalem ex altera, Partibus, propoſitum fuit infraſcriptum dubium, videlicet.

An liceat Regularibus Obſervantiæ admittere Tertiarias ab Habitum ſine votis, irrequiſito Ordinario, et an illarum admiſſio facta irrequiſito Epiſcopo ſuſtineatur in caſu?

Sacra Congregatio Eminentiſſimor. et Reverendiſſimor. S. R. E. Cardinalium negotiis, et conſultationibus Epiſc. et Regularium præpoſita, referente Eminentiſſimo D. Card. Bichi Ponente, Partibus auditis, ac re mature diſcuſſa ad ſupraſcriptum dubium Reſpondit: *Affirmative, abſque tamen ulla exemptione.*

Romæ 5. Septembris 1738.



52 Huic articulo ſub n. 17. addendum eſt, quod excitata controverſia inter Epiſcopum Lunen. Sarzanen. et Tertiarias Ord. S. Franciſci de Obſervantia Collegialiter in Conſervatorio Maſſæ viventes ſub cura dictorum Patrum; *Sacra Congregatio Concilii die* 30. *Januarii* 1723. reſpondit *Conſervatorium eſſe ſubjectum omnimodæ juriſdictioni Epiſcopi, citra tamen approbationem Sacræ Congregationis quoad dictum Conſervatorium.* Sic apud Theſaurum Reſolutionum Sacræ Congregationis Concil. *tom.* 2. *in dict. Lunen. Sarzanen. Viſitationis Sacrorum Liminum.*

53 Nec obſtat Conſtitut. Bened. XIII. incip. *Paterna Sedis Apoſtolicæ Providentia*, edita pro omnimoda exemptione Tertiariorum, et Tertiariarum Ordinis Minorum de Obſervantia a juriſdictione Ordinariorum, et Parochorum; nec alia ejuſdem Conſtit. incip. *Pretioſus* edita pro ſimili omnimoda exemptione Tertiariarum præclariſſ. Ordinis S. P. Dominici, in qua §. 55. ita ſancivit: *Attendentes inſuper per annos, ut accepimus, centum, & ſexaginta ab edita dicta Conſtitutione S. Pii V. & per ſæculum & ultra poſt Decretum Congregationis Epiſcoporum, & Regularium emanatum* 20. *Decemb.* 1626. *ejuſcemodi Tertiarias collegialiter viventes pluribus in locis, ſcientibus, ac tacentibus Ordinariis floruiſſe, & etiam nunc florere ſine clauſura, declaramus, volumus, & mandamus, eaſdem ad neutram abſolute teneri, aut eſſe compellendas; non obſtantibus contrariis ordinationibus, etiam Apoſtolicis, quibus expreſſe per præſentes derogamus.*

54 Non obſtat inquam dicta utraque Conſtit. Bened. XIII. quia cum aliis ad favorem Regularium editis ab eodem Pontifice, fuit utraque moderata, et reducta ad terminos juris communis, Concilii Tridentini, et Conſtitutionum Apoſtolicarum, a Clemente XII. tertio Kalendis Aprilis 1723. Conſtitut. incip. *Romanus Pontifex* jam a me ad litteram adducta *tom.* 5. *verb. Privilegium art.* 3. *num.* 64. in qua ſic expreſſe habetur: *Statuimus & decernimus, de omnibus & ſingulis prædictis Litteris, & Conſtitutionibus, quæ ab eodem Anteceſſore noſtro Benedicto prodierunt, nec non de omnibus Privilegiis, Gratiis, Favoribus, Indultis, Exemptionibus, Facultatibus, & Declarationibus in iiſdem contentis eam deinceps deciſionem, ac judicium, etiam in foro conſcientiæ habendum, quod ſive ex jure communi, ſive ex Concilio, ſive ex Decretis & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſive ex aliis legitime habebatur, antequam eædem Litteræ, & Declarationes ab eodem Benedicto conceſſæ fuiſſent, perinde ſcilicet ac ſi illæ non emanaſſent, ad quam diſpoſitionem, ejuſque priſtinum ſtatum, ac terminum omnia ſuperius enunciata, omnino reducimus & reducta eſſe volumus, itaut in poſterum ſupradicti Ordines Regulares earumdem Litterarum, & Conſtitutionum uſum, commodo, & effectu penitus carere debere intelligantur.* Unde, ut vides, & recte tradit Bened. XIV. *volum.* 5. *notificat.* 17. §. 2. redit in priſtinum juriſdictio Ordinariorum ſupra Tertiarias collegialiter viventes, ac ſi minime emanaſſent dictæ Benedictinæ Conſtitutiones, eas a tali juriſdictione eximentes, qua dicta priſtina Juriſdictione utens ipſe, ceu vigilantiſſimus, & Zelantiſſimus Archiepiſcopus Bononienſis, uti ſibi omnino ſubjectas eas libere viſitavit. Vide *ipſum volum.* 2. *notificat. & volum.* 5. *cit. notificat.* 17. §. 2. ubi plurima ſcite & erudite ſuo more adducit ad rem.

55 Seculares Tertii Ordinis gaudent præcedentia ſupra quaſcumque laicales Confraternitates. Sic expreſſe ſtatuit Benedictus XIII. Conſtitut. incip. *Ad noſtram Audientiam*. Et noviſſime Benedictus XIV. Conſtitut. incip. *Emanavit nuper*, in qua confirmat etiam Decretum Sacr. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ad id editum. Et talis præcedentia eis competit, ſive ſub propria Cruce, ſive ſub illa FF. incedant. Idem *ibidem*. Eorum habitum eſſe non ſolum veſtem totalem, ſed etiam particularem, ſcilicet ſcapularem, & cingulum, expreſſe declarat. Idem *ibidem*.

56 Nova conceſſio, & præfinitio Indulgentiarum pro Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis ſæcularis S. P. N. Franciſci Aſſiſienſis facta eſt noviſſime ab eodem Benedicto XIV. Conſtit. incip. *Ad Romanum Pontificem*. Item nova Indulgentiarum conceſſio pro Perſonis ſæcularibus utriuſque ſexus, tam Tertio Ordini S. Franciſci de Paula adſcriptis, quam Chordigeris ejuſdem Sancti funiculum benedictum deferentibus facta eſt ab eodem Conſtitut. incip. *Inexhauſti*.

57 Tertiarias ſubjectas eſſe juriſdictioni Parochorum, in quorum Parochiis ſine clauſura convivunt, cenſuit *Sacra Congr. Concil. die* 26. *Aprilis* 1749. *in Januen.* pro Tertiariis inclyti Ordinis S. P. Dominici, & confirmavit idem Bened. XIV. Conſtit. incip. *Emanavit nuper*. Quæ omnes Conſtitutiones attendendæ nunc ſunt,

ſunt, non attentis amplius aliis, quæ in contrarium jam in Opere his de rebus tradidimus.

58 * Mulieribus Tertiariis non collegialiter viventibus non poſſunt Regulares dare habitum ſui Ordinis ſine licentia Epiſcopi Diœceſani, cui debent rite probare habere ſe hoc privilegium Sedis Apoſtolicæ, feminas illas eſſe moribus probatas, habere illas ultra annum decimum quartum, tantum poſſidere de annuis reditibus, ut habeant ſatis ad alimenta; ac denique non cum aliis eas cohabitare, quam cum neceſſariis in primo tantum gradu conſanguinitatis, vel affinitatis ſibi conjunctis, ut ex Decret. S. Congr. in cauſa Mazzarienſi die 10. Maii 1727. *De Synodo Diœceſ. lib. 7. cap. 41.* § 8.

59 Tertiariæ non collegialiter viventes ex recepta Sacr. Cong.
60 Immunitatis opinione gaudent immunitate fori. Viciſſim autem Tertiariæ in domibus privatis habitantes eodem privilegio non gaudent, ut ex Doctoribus definitur *Inſtitut. Eccl.* 105. §. 68.

### *Additio ex aliena manu.*

1 DE argumento hujus Articuli plura ad rem diſſerit P. *Gaudentius a Janua de Viſitat. tom. 2. cap. 7. dubit. 17. ſect. 3. in notitia addita de Tertiariis a num. 29, ad plur. ſequent.* Eum igitur conſule, ubi neceſſitas exigat.

In quinti Tomi fronte additionem ad verbum TERTIARII promiſeramus. Habes itaque, Lector, Inſtructionem editam a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, in qua collectum habes totum id, quod ad Tertiarias pertinet, præſertim pro Sacrarum Miſſionum Regionibus.

CUm diuturna experientia Eminentiſſimi PP. non ſine gravi mœrore edocti ſint non levia inter Ordinarios locorum, & Superiores Regularium de Tertiariis, earumque exemptione ac juribus in dies oriri diſſidia, ea potiſſimum cauſa, quod Pontificum Conſtitutiones omnes hac de re non ſatis ſint notæ, ac privilegia a Sede Apoſtolica Tertio Ordini conceſſa non probe intelligantur: ne malum hoc diutius perſeveret, in locis præſertim Miſſionum, in quibus pacis, & concordiæ vinculum inter Clerum Sæcularem, & Regularem maxime conſervatum oportuit ad cavandum a fidelium ſcandalis, ab infidelium blaſphemis, & ab hæreticorum ſchiſmaticorumque calumniis, iidem Eminentiſſimi PP. in Congregatione Generali habita die 2. Auguſti 1763. provide decreverunt inſtructionem aliquam eſſe adornandam, in qua exerta veterum Decretorum ſumma, & norma in cauſis occurrentibus ab omnibus ſervanda contineatur.

Pro cujus Decreti exequutione, ut ordine procedatur, primo illud præ oculis habendum, hic non agi de Tertiariis, quæ Latini ritus non ſint; hujuſmodi enim mulieres a Miſſionariis Latinis cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti, minime licere ad habitum Tertii Ordinis ſuſcipiendum admittere; quin imo, & admiſſæ ſiquæ fuerint, ab iiſdem Miſſionariis curandum eſſe, ut quantocius ſuſceptum habitum deponant ſub pœnis Apoſtolicæ Sedis arbitrio ſubeundis, jam declaravit Sacra Congregatio Decreto edito in Congregat. Gen. ſub die 9. Maji 1757., & a ſan. mem. Benedicto XIV. approbato, quod ſic ſe habet.

„ Referente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino, Domino Cardinali Tamburino Ponente literas R. P. D. Patriarchæ Catholici Armenorum Ciliciæ, quibus querebatur, Patres Terræ Sanctæ plures Mulieres Armenas ad habitum Tertii Ordinis admiſiſſe, eaſque inſolita in illis Regionibus veſte indutas incedere, aliaque in iiſdem literis plane expoſita peragere, unde gravia mala, ſcandala, & incommoda oriebantur; ideo orabat, ut aliquod opportunum remedium adhiberetur: Eminentiſſimi Patres, re mature perpenſa, cenſuerunt conſulendum eſſe Sanctiſſimo, ut præcipiat Patribus Terræ Sanctæ, aliiſque Religioſis Viris cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti, ne Mulieres cujuſcumque ritus Orientalis admittant ad habitum Tertii Ordinis, vel ad alium quemcumque ejuſmodi: admiſſas vero habitum jam receptum quamprimum deponere, & veſte illius Regionis, in qua degunt, communi uti omnino curent, ſub pœnis Sanctitati ſuæ beneviſis.

„ Facta autem per R. P. D. Nicolaum Antonelli Secretarium Sanctiſſimo Domino Noſtro in audientia eodem die habita de ſupradictis omnibus relatione, Sanctitas Sua ſententiam Sacræ Congregationis in omnibus approbavit, eamque ſervari mandavit ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ, non obſtantibus Apoſtolicis Conſtitutionibus, Statutis, Conſuetudinibus etiam authoritate Apoſtolica confirmatis, aliiſque in contrarium quibuſcumque. Datum Romæ, die, & anno, quibus ſupra. “

*Cum igitur ad unius Latini ritus Mulieres Regularium circumſcripta facultas intelligatur, pronum eſt habitum Tertii Ordinis profeſſas duas in Claſſes referre: alteram earum, quæ ſimul collegialiter vivunt, alteram vero earum, quæ ſeorſum ſuis in domibus degunt.*

Quoad primas explorata res eſt, privilegiis Tertii Ordinis minime frui etiam illas, quæ votum ſimplex Caſtitatis emiſerint, niſi vota ſolemnia nuncuparint, & clauſuram ſancte, religioſeque cuſtodiant; Quamvis enim ejuſmodi privilegiis olim fruerentur vigore Conſtitutionum Leonis X., quarum altera incipit *Dum intra*, altera incipit *Nuper*, ea tamen privilegia diſerte revocata leguntur a ſan. mem. Pio V. Conſtitutione, quæ incipit *Cura Paſtoralis Officii*, in qua diſtrictius cautum eſt, ne Tertiariis, quæ vota ſolemnia non emittunt, & clauſuræ lege obſtrictæ non ſunt, uſquam collegialiter vivere liceat: Quod etiam a Gregorio XIII. plane confirmatum eſt Conſtitutione, quæ incipit *Deo Sacris Virginibus*.

Fatendum quidem eſt his non obſtantibus & hactenus fuiſſe, & adhuc eſſe Conſervatoria quædam, ubi Tertiariæ collegialiter vivunt, etiamſi nec ſolemnia vota emittant, nec clauſuræ lege teneantur; At cum ea ab Apoſtolica Sede tolerata, non approbata eſſe intelligantur, ut Religioſæ domus canonice erectæ haberi non poſſunt, ſed potius ut domicilia fundata contra mentem Sedis Apoſtolicæ, & contra Decreta Pontificum Pii V. & Gregorii XIII., ideoque certis privilegiis, quæ nonniſi clauſis Tertii Ordinis Monaſteriis propria ſunt, carere omnino neceſſe eſt: Quomodo enim Apoſtolicæ Sedis Indultis, & Gratiis frui poſſent, quæ contra ejuſdem Apoſtolicæ Sedis mentem ſine clauſura, & votis ſolemnibus, adhuc tamen collegialiter vivunt? Sequitur ergo hujuſmodi Tertiarias juriſdictioni Ordinarii integre, ſolideque ſubjectas manere.

Quod huc uſque deductum eſt juxta Doctorum omnium ſenſum, luculentiſſime docuit ſan. mem. Benedictus XIV. Inſtitut. Can. 105. num. 76., ac conſtanti ſtylo reſcripſere Sacræ Urbis Congregationes, quarum celebriora duo afferre Decreta abs re non erit.

Primum nempe Sacræ Congregationis Concilii in una *Lauden.* die 27. Maji 1677. In qua quidem cauſa, cum de Tertiariis Oppidi Cottonei vota quædam ſimplicia Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ emittentibus, ſine ſolemnitate tamen, & ſine clauſura, ageretur, propoſito Dubio: „ An Mulieres hujuſmodi ſubſint viſitationi, & correctioni Epiſcopi, Sacra Congregatio, audito Procuratore Generali Patrum Reformatorum Sancti Franciſci, ſub quorum cura vivebant, reſpondendum cenſuit “ *Affirmative*.

Alterum vero eſt Sacræ Congregationis Concilii in una *Lunen.* Sarzanen. die 30. Januarii 1723. In qua quidem cum de Mulierum, aſſumpto habitu Tertii Ordinis Sancti Franciſci, collegialiter in Conſervatorio Maſsæ viventium, exemptione diſceptaretur, Sacra Congregatio de more reſcripſit. „ Conſervatorium eſſe ſubjectum omnimodæ juriſdictioni Epiſcopi, citra tamen approbationem Sacræ Congregationis quoad dictum Conſervatorium: “ In quo quidem Decreto, eodem temporis, ac loci veſtigio, quo ejuſmodi Mulieres ſubjectæ declarantur omnimodæ juriſdictioni Epiſcopi, ne probari ſub ea forma viderentur hujuſmodi Conſervatoria, verbis adjectis, *citra approbationem*, ſolertiſſime cautum eſt; adeo Sacræ Congregationis mens ab ejuſmodi Collegiis ſine votorum ſolemnitate, & ſine clauſuræ lege fundatis vel ipſa ſpecie probandis aliena eſt.

Diſciplinam hanc aliquantulum immutavit Benedictus XIII. nonnullis Conſtitutionibus editis, nimirum ea, quæ incipit *Paterna*, altera, quæ incipit *Exponi Nobis*, tertia denique, quæ incipit *Pretioſus*, quarum diſpoſitione Tertiariæ, quæ ſine ſolemnibus votis, & ſine clauſuræ lege collegialiter viverent, a juriſdictione Epiſcoporum ſubductæ in juriſdictionem, & curam Superiorum Ordinis redierunt; At vix defuncto laudato Pontifice, ejus Succeſſor Clemens XII. Conſtitutione, quæ incipit *Romanus Pontifex*, ſublatis iterum ejuſmodi gratiis, & privilegiis, priſtinam de Tertiariis Ordinario ſubjectis diſciplinam reſtituit; in ea quippe ſic expreſſe habetur: „ Statuimus, & decernimus de omnibus, & ſingulis prædictis Literis, & Conſtitutionibus, quæ ab eodem Anteceſſore noſtro Benedicto prodierunt, nec non de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultatibus, & declarationibus in iiſdem contentis eam deinceps deciſionem, ac judicium etiam in foro conſcientiæ habendum, quod ſive ex jure communi, ſive ex Concilio, ſive ex Decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſive ex aliis legitime habeatur antequam eædem Literæ, & Declarationes ab eodem Benedicto conceſſæ fuiſſent, perinde ſcilicet ac ſi illæ non emanaſſent; ad quam diſpoſitionem, ejuſque priſtinum ſtatum, ac terminum omnia ſuperius enunciata omnino reducimus, & reducta eſſe volumus; ita ut in poſterum ſupradicti Ordines Regulares earumdem Literarum, & Conſtitutionum uſu, commodo, & effectu penitus carere debere intelligantur: “ Ex quibus ſane verbis colligit Benedictus XIV. Inſtitut. Can. 105. num. 76.: „ Redit in priſtinum Ordinariorum juriſdictio ſupra Tertiarias collegialiter ſine votorum ſolemnitate, & ſine clauſuræ lege viventes; eademque de cauſa ut nobis ſubjectas eas libere viſitavimus. „

Gradum nunc faciendo ad alteram Tertiariarum Claſſem, quæ ſeorſim ſuis in domibus degunt, majoribus privilegiis olim gaviſas eas fuiſſe compertum eſt, inter quæ præcipua numerantur: 1. privilegium Fori, quod tamen locum non habet in locis miſſionis, ubi vix Religio toleratur, 2. ut Patribus illius Ordinis, cujus regulam profitentur, ſua peccata in ſacramento pœnitentiæ aperire liceret, quamquam ab Ordinario non approbatis: 3. ut Communionem Paſchalem in eorumdem Regularium Eccleſia recipientes, præcepto Eccleſiæ ſatisfacerent: 4. ut ab iis etiam Viaticum, atque extremam unctionem in exitu vitæ poſſent percipere. Hæc tamen omnia ſucceſſivis temporibus a Summis Pontificibus, atque a Sacris Cardinalium Congregationibus, pluribus editis Conſtitutionibus, & Decretis, penitus ſublata, atque ad terminos juris communis redacta ſunt, ut late Fagnanus in Cap. *Omnis* num. 64. de Pœnit. & Remiſs. ex S. C. reſcripto refert his verbis: „ Cum Fratres Monaſterii Sancti Dominici de Lugo Imol. Diœceſis declarari poſtulaſſent an ipſis liceret præſertim ex ſuis privilegiis audire confeſſiones virorum, & mulierum profeſſorum Tertii Ordinis Sancti Dominici, eiſque in Paſchate Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare, Viaticum præbere, atque extremam unctionem miniſtrare? Sacra Congregatio conſideravit, præſuppoſito, quod hujuſmodi profeſſi eodem jure cenſeantur cum aliis profeſſis Tertii Ordinis Sancti Franciſci, de quibus in gloſs. in Clem. *Cum ex eo* de ſentent. excommunicat. Eorum non eſſe aliquam Religionem, ſeu modum quemdam vivendi approbatum a Sede Apoſtolica, nec dici plene translatos ad Ordinem itaut deſinant eſſe de ſæculo. Cardinal. in Clem. *Per literas* num. ). de Præb. Quod cum ita ſit, non magis horum, quam aliorum ſæcularium confeſſiones prædictos Religioſos audire poſſe, juxta cap. 15. ſeſſ. 23. ubi privilegiis quibuſcumque derogatum eſt, & amplior derogatio habetur in Bulla Pii IV. revocatoria omnium privilegiorum ſub quibuſvis formulis, in his, quæ Sacro Tridentino Concilio ſunt contraria; Ex quo ſequitur, tales Religioſos non eſſe proprios Sacerdotes horum profeſſorum; ac proinde non poſſe eiſdem Sacramentum Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ in Paſchate miniſtrare, juxta Cap. *Omnis utriuſque ſexus* de pœnitent. & remiſs., idemque juris eſſe de Viatico: ſiquidem præcedente confeſſione exhiberi debet Cap. 7. de præpar., quæ adhibenda eſt &c. ſeſſ. 13. in Decreto de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. De extrema unctione non eſſe judicium Congregationis, ſed tamen conſtare ejus adminiſtrationem, ſicut aliorum Sacramentorum, pertinere ad Parochum de cujus Parochia dicuntur eſſe tales profeſſi, niſi ſpeciali privilegio ſint exempti. „

Latius hoc ipſum Benedictus XIV. ex Pontificum Conſtitutionibus inter ſe collatis, & S. C. Decretis deducit Inſtitut. Can. 105. num. 67. & ſequent. his verbis: „ Si Leonis X. Conſtitutio vim totam, & integram obtineat, hæ Tertiariæ privatim vitam agentes, Epiſcopi juriſdictione prorſus immunes eſſe deberent: Eos ſibi Confeſſarios deligere poſſent, qui ad Monialium confeſſiones, non vero ſæcularium excipiendas probantur: Ad Parochiam accedere non tenerentur, ut Paſchali præcepto ſatisfacerent: Tandem a Præfectis ſuis Regularibus extremam unctionem percipere, & poſt mortem in Eccleſia ſui Ordinis ſepeliri jure poſſent; ſed aliter ſe res habet: nam Leonis X. Conſtitutio ad certos quoſdam limites redacta fuit a Summis Pontificibus, qui deinde Sedem Apoſtolicam tenuerunt. Cum hæ Mulieres revera non habeantur Regulares, eo quod tribus votis ſolemnibus non adſtringantur, ideo non cenſentur immunes ullo modo ab Epiſcopi facultate.... Inſuper de his Mulieribus Tertiariis hæc Sac. Congregatio Concilii decernit: Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ſæpius reſpondit, minime poſſe Sacerdotes Regulares Mulierum Tertii Ordinis, quas de pœnitentia, vel *Pinzocheras* vocant, confeſſiones ſacramentales audire, niſi fuerint ab Ordinario approbati ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, quemadmodum nec poſſe illis Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrare in die Paſchatis Reſurrectionis Sanctiſſimi Domini Noſtri Jeſu Chriſti; Item ex epiſtola Sacræ Congregationis pro cauſis Epiſcoporum, & Regularium conſtitutæ ad Epiſcopum Mutinenſem die 17. Junii anno 1639. hæc in ipſas Tertiarias ſancita deprehenduntur: Circa Tertiariam ſimiliter cenſuerunt (nempe Cardinales Sacræ Congregationis) permiſſum haud fuiſſe Fratribus ejuſdem Monaſterii ob quodcumque privilegium Ordinis adminiſtrare ipſi Sacramentum Divinæ Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis, neque ejus cadaver domo efferre indicata funebri pompa ſine Parocho, aut ſine ipſius licentia: Nam hæc revera ad Parochos pertinent, qui debent aſſiduo, ſed hoc præſertim tempore, cognoſcere, juvare, accuratoque ſtudio fideles ſibi traditos inſtruere: Accedit quod Tertiaria licet nuncupatis votis, clauſtro non tenebatur: ſed domi ſuæ intra Parochiæ ejuſdem ditionem habitabat. „

Poſſunt tamen earum cadavera ſepeliri in Eccleſiis ſui Ordinis, ſi locus Tertiariis deſignatus ſeorſum exiſtat; ſin minus, in Parochiali Eccleſia, ut cæterarum cadavera, ſepelienda ſunt.

Lucrantur etiam indulgentias, gaudentque aliis ſpiritualibus gratiis Ordini adnexis, quem profitentur, ſtatim ac ad habitum Tertii Ordinis, ac ad votum ſimplex Caſtitatis a Superioribus Regularibus admittuntur, quibus hanc facultatem ex Apoſtolicæ Sedis indulto reſervari compertum eſt.

Non tamen ad omne Mulierum genus hæc facultas extenditur, ſed ad eas dumtaxat, quæ conditiones a Sacris Congregationibus rite præſcriptas habuerint: nimirum ut honeſtis, probiſque moribus fulgeant, ut annos quadraginta ſaltem attingant, ut neceſſaria ad congruam vitæ ſuſtentationem bona poſſideant, ut nonniſi cum conſanguineis, vel affinibus in primo gradu cohabitent.

Hujuſmodi autem conditionum examen, & judicium non ad Superiores ipſos Regulares, ſed ad locorum Ordinarios pertinere Summi Pontifices decreverunt; adeo ut recte ſubjiciat Benedictus XIV. loc. cit. „ Quare ſi quod proprium eſt, unicuique tribuatur, ad Præfectum Regularem ſpectat, religioſum habitum his Mulieribus impertiri: ad Epiſcopum vero facultatem tradere, & præſcriptas conditiones accurato examine cognoſcere. „

Hæc omnia, quæ exerte tradit Benedictus XIV. cit. Inſtitut. 105. Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium negotiis præpoſitæ Decreto edito ſub die 20. Decembris 1616. diſertiſſime ſanciuntur: Sic enim §. 5. „ Præterea ſi contingat aliquas ex prædictis Tertiariis ſine ſepulturæ electione decedere, eas ſic decedentes ita demum in Eccleſiis Ordinis, cujus habitum aſſumpſerunt, ſepelire debeant, ſi in ipſis earum communis ſepultura reperiatur; ſin minus, in Eccleſiis Parochialibus ſepeliendas eſſe decernit: Superioribus autem Regularibus ſufficienti facultate ad id a Sancta Sede Apoſtolica ſuffultis (Cappuccinis exceptis) libere Mulieres ad hujuſmodi habitum recipere, atque ad ipſos veſtiendi eas officium pertinere; non autem ad habitum admittendas, & recipiendas eſſe, niſi probatæ vitæ, ac bonis moribus præditas, ac in ætate ſaltem quadraginta annorum conſtitutas, quæ de proprio habeant unde ſufficienter vivere poſſint & non cum aliis viris quam conſanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu ſibi conjunctis cohabitent, & ab Ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, niſi de prædictis prævio examine diligenti ſibi conſtiterit. „

Univerſa hæc iterum a Sacra Congregatione Concilii confirmata ſunt; nam Epiſcopo Mazaræ quærenti anno 1727. „ Quænam ſint conditiones requiſitæ, ut Regulares habentes facul-

„ facultatem dandi habitum ſuæ Religionis Mulieribus non „ collegialiter viventibus, dictum habitum dare poſſint, & „ an examen dictarum facultatum pertineat ad Epiſcopum? Sacra Congregatio Concilii reſpondit: „ Examen facultatum „ concedendi habitum pertinere ad Sedem Apoſtolicam, „ examen conditionum quoad Mulieres veſtiendas, & licen„tiam veſtiendi pertinere ad Ordinarium, & conditiones „ veſtiendarum eſſe expreſſas in Decretis generalibus alias „ editis, & hæc Decreta eſſe omnino ſervanda.

Ad normam hujuſce Decreti ſubjecta hac formula Epiſcopi uti conſuevere, qua Mulieri facultatem aſſumendi habitum Tertii Ordinis concedere teſtificantur.

„ Dilectæ Nobis in Chriſto N. ſalutem, & benedictionem „ in Domino. Ut tu, quæ bonis moribus imbuta, bonæque „ frugis, ac laudabilis vitæ exiſtis, in ætate annorum quadra„ginta conſtituta, propria bona, ex quorum fructibus hone„ſte vivere vales, poſſides, & non cum aliis viris, quam „ cum tuis conſanguineis, vel affinibus in primo gradu conſti„tutis habitas, prout hæc omnia nobis prævia informatione „ conſtare feciſti, habitum Tertii Ordinis S. N., quem poſtu„laſti, ſuſcipere poſſis per R. P. N. Ordinis Provincialem, „ illum tibi conferendi licentiam, & facultatem concedimus, „ & impertimur. In quorum &c. Datum &c.

N. Epiſcopus N.

Ex quibus omnibus conſequitur, quam recte Sacra Congregatio de Propaganda Fide in Congregatione Particulari habita die 31. Auguſti 1761. per modum Decreti Generalis ſervandi in toto Regno Hiberniæ inter alia reſcripſerit pro Tertiariis nullo modo licere Regularibus admittere ad habitum, niſi ſervatis ſervandis, & de licentia Ordinarii: aliter admiſſas declaretur ab Epiſcopis nec eſſe Tertiarias, nec ullis gaudere privilegiis, aut indulgentiis.

Etiamſi vero ejuſmodi caſus occurrere aliquando poſſit, in quo potius expedire videatur adoleſcentulam aliquam habitu Tertii Ordinis ante præfixam ætatem quodam veluti tegumento ſecuritatis aſſumpto a periculis liberare, quam medias inter inſidias inermem relinquere: non ideo ſequitur fas eſſe Superioribus Regularibus ſine licentia Epiſcopi, vel Vicarii Apoſtolici Puellas ad habitum ſuſcipiendum admittere: Conſultant ipſi potius in hujuſmodi caſibus loci Ordinarium, qui ſe facilem pro ſui prudentia, atque adeo conſcientia, motus ipſius periculi gravitate, præbebit. Nec expedit ſemper in adoleſcentulis votum Caſtitatis cum habitus ſuſceptione conjungi, quin potius ad ætatem provectiorem quandoque differri; ab ea quippe longius abeſſe ſolent illa, ſive pericula, ſive ſcandala, quæ ferventiori, quam prudentiori zelo agitante poſſunt oriri.

Hæc habet Sacra Congregatio, quo diſſidia, ac jurgia hiſce de rebus in poſterum tollantur, iiſque ſublatis, unitas ſpiritus, & vinculum pacis inter Operarios Vineæ Domini conſervetur: Et ut maxima, quæ in Terris a Domino relicta eſt, poteſtate roborentur SS. D. N. P. CLEMENTI XIII. feliciter regnanti legenda, conſideranda, probanda curavit; & idem SS. D. hæc omnia lecta, conſiderata, probata authoritate Apoſtolica confirmavit.

Confidit in D. J. Sacr. Congregat., hinc Superioribus Regularibus ad normam Inſtructionis hujuſce ambulantibus, inde locorum Ordinariis, & Vicariis Apoſtolicis ad aliorum jura ſervanda ſollicitis, collatis utrinque ſtudiis, illud concordiæ gluten coaliturum, quo qui ex adverſo ſunt, nihil habentes malum dicere de eis, vereantur magis, & domus Dei, quæ eſt Eccleſia, ipſa unitate terribilis ut Caſtrorum Acies ordinata, fideles lætitia, Infideles, Hæreticos, Schiſmaticos rubore ſuffundat.

Quam Sacr. Congregat. Inſtructionem Sanctiſſimo Domino Noſtro CLEMENTI XIII. per me infraſcriptum Secretarium ejuſdem Sacræ Congregationis relatam in audientia habita die 16. Januarii anni 1763. Sanctitas Sua benigne in omnibus adprobavit, & omnino ſervari mandavit. Datum ex Ædibus Sacræ Congregationis die 17. menſis, & anni quibus ſupra.

*M. Mareſuſcus Secretarius.*

# T E S T A M E N T U M.

## A r t i c u l u s I.

### Teſtamentum quoad ejus naturam, diviſionem, & ſolemnitates ad ipſum requiſitas.

Teſtamentum ex eo appellatur, quod teſtatio mentis ſit, 1
Textu expreſſo *in princip. Inſtitut. de Teſtamentis ordinandi*. Et ſic *Communis Doctorum*.

Teſtamentum eſt ultima noſtræ voluntatis diſpoſitio ſeu or- 2
dinatio cum directa Heredis inſtitutione. *Ita in re Communis*, *arg. leg. Teſtamentum* 1. *ff. Qui teſtamenta facere poſſunt*, ubi Teſtamentum a Modeſto ſic definitur: *Teſtamentum eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult*. Quæ definitio, quamvis a multis ut legitima recipiatur, a pluribus tamen ob omiſſam particulam *cum Heredis inſtitutione*, ut manca, & imperfecta rejicitur, eo quod Heredis inſtitutio ſit de eſſentia Teſtamenti. Nullum enim Teſtamentum, quantumvis privilegiatum valet, vel 3
ſubſiſtit ſine Heredis directa inſtitutione, ut tenet Communiſſima Doctorum ob textus expreſſos §. *Ante Heredis* 34. *Inſtitut. de Legatis*, ibi: *Teſtamenta vim ex inſtitutione Heredis accipiunt, & ob id veluti caput, atque fundamentum intelligitur totius Teſtamenti inſtitutio* §. *In primis* 1. *Inſtitut. de Fideicommiſſariis hereditatibus*, ibi: *In primis ſciendum eſt opus eſſe, ut aliquis recto Jure Teſtamento Heres inſtituatur ....... alioquin inutile eſt Teſtamentum, in quo nemo Heres inſtituitur*; *leg. Proxime* 3. *ff. De his, quæ in teſtamento delentur, inducuntur, vel inſcribuntur*, ibi: *Non poteſt ullum Teſtamentum valere, quod Heredem non habet*, *leg. Quod per manus* 10. *ff. de Jure Codicillorum*, ibi: *Teſtamentum, quod vires per inſtitutionem Heredum accipit*; *leg. Jubemus* 29. *ff. Quod ſi, Cod. de Teſtamentis*, ibi: *Quod ſi non fuerit obſervatum, & nomen Heredis, vel Heredum non fuerit manu Teſtatoris ſcriptum, vel voce coram teſtibus nuncupatum, hoc Teſtamentum ſtare minime patimur*. cum ſimilibus.

Teſtamentum dividitur in ſolemne, & non ſolemne, ſeu 4
privilegiatum. Teſtamentum *ſolemne* eſt, quod habet omnes ſolemnitates a Jure requiſitas, quæ infra aſſignabuntur. Teſtamentum *non ſolemne*, ſeu *privilegiatum* eſt, quod licet careat ſolemnitatibus alias de jure communi requiſitis, ex ſpeciali tamen privilegio valet, ac ſi ipſas haberet, cujuſmodi eſt teſtamentum ad pias cauſas, teſtamentum militis in expeditione bellica factum, teſtamentum conditum tempore peſtis, teſtamentum factum coram Principe, ſeu ipſi oblatum, vel ad Acta Judicis traditum. *Communis*.

Teſtamentum ſolemne ſubdividitur in ſcriptum, & Nuncupativum; §. *Sed hæc* 14. *Inſtit. de teſtamentis ordinandis*. Teſtamentum ſolemne *Scriptum*, ſeu *in ſcriptis* (quod etiam 6
*clauſum* vulgo appellatur, eo quia plerumque teſtator latere vult tabellionem, & teſtes quid in eo contineatur) eſt illud quod fit in ſcripturam redactum, ſcriptum, & ſubſignatum, ſervata juris forma præſcripta, *leg. Hac conſultiſſima* 21. *Cod. de teſtamentis*.

Teſtamentum ſolemne *Nuncupativum* eſt illud, quod ſine 7
ſcriptura, ac etiam ſine ſubſcriptione, & ſubſignatione teſtium fit, cum teſtator coram requiſitis teſtibus Heredem oretenus nominat, ſeu nuncupat, ſimulque declarat, quid de bonis ſuis poſt mortem fieri velit; §. *Sed hæc* 14. *Inſtitution. de teſtamentis ordinandis*. Hodie tamen talis nuncupa- 8
tio, ſeu declaratio ultimæ voluntatis in ſcripturam a Notario publico redigi ſolet; Non quod ad illam requiratur ſcriptura tanquam forma ad ſubſtantiam actus, ſed ne memoriæ excidat, & ut facilius probari poſſit voluntas teſtatoris, ſi fortaſſe teſtes interim mori, vel inhabiles reddi contingeret, antequam coram Judice voluntatem defuncti declararent; quorum defectus ſuppletur per publicum Notarii Inſtrumentum, ut inſinuatio alia apud Judicem non ſit neceſſaria; nec per hoc ceſſat eſſe teſtamentum Nuncupativum, quia talis ſcriptura non adhibetur, nec ſit neceſſario, ſed ut dictum eſt, adhibetur, & fit ſolum pro commodiori, & faciliori probatione, prout in ſimili dicitur, *leg. in re* 4. *ff. de Fide inſtrument.*, ibi: *Fiunt enim de his ſcripturæ, ut quod actum eſt per eas, facilius probari poſſit, & ſine his autem valet quod actum eſt, ſi habeat probationem*.

Ad valorem teſtamenti ſolemnis *Scripti*, ſeu *in ſcriptis* 9
(præter Heredis directam inſtitutionem, quæ ex Juribus adductis *ſupra num.* 3. neceſſaria eſt ad valorem cujuſcumque teſtamenti quantumvis privilegiati) requiritur primo, ut ſit in Scripturam redactum, vel manu ipſius teſtatoris, vel manu alterius de expreſſo ejus mandato, *l. Hac conſultiſſima* 21. *Cod. de teſtamentis*, ibi: *Vel ipſius teſtatoris, vel cujuſlibet manu conſcriptum*. Cum hoc tamen, quod, ſi manu
10 alterius ſit ſcriptum, debet ei teſtator propria manu ſubſcribere coram teſtibus, vel octavum teſtem adhibere, qui nomine, & loco ipſius ſubſcribat; *cit. l. Hac conſultiſſima* 21. *& leg. Cum antiquitas* 28. *Cod. de teſt.* Si autem ipſemet teſtator manu propria teſtamentum ſcripſerit, non requiritur
11 amplius propria, vel alterius octavi teſtis ſubſcriptio, tex. expr. *in cit. l. Cum antiquitas* 28. §. *Cum autem, Cod. de teſtamentis*, ibi: *Sancimus, ſi quis ſua manu totum teſtamentum, vel Codicillum conſcripſerit, & hoc ſpecialiter in ſcriptura repoſuerit, quod hæc ſua manu confecerit, ſufficiet ei totius teſtamenti ſcriptura, & non alia ſubſcriptio requiretur, neque ab eo, neque pro eo ab alio*. Nec refert, an iſto, vel
12 alio tempore ſcriptum, dictatumque ſit teſtamentum, textu expreſſo *in cit. l. Hac conſultiſſima* 21. *Cod. de teſtamentis*, ibi: *Licet alio tempore dictatum, ſcriptumve proferatur teſtamentum, ſufficiet*. Nec requiritur, quod teſtator teſtamen-
13 tum ſcriptum prælegat, vel tenorem illius manifeſtet, ſed ſufficit, quod ſcripturam clauſam, aut convolutam exhibeat teſtibus, dicendo in illa ſuum contineri teſtamentum, *cit. l. hac conſultiſſima*, ibi: *Dummodo tamen teſtibus præſentibus teſtator ſuum eſſe teſtamentum dixerit, quod offertur*.

Secundo ad valorem teſtamenti ſolemnis Scripti, ſeu in
14 ſcriptis requiritur quod in illo adhibeantur ſeptem teſtes idonei, *l. Hac conſultiſſima* 21. *Cod. de teſtamentis, & l. Heredes* 21. §. *in teſtamentis, ff. Qui teſtamenta facere poſſunt*.

Teſtes autem, ut ſint ad id idonei, debent eſſe maſculi;
15 Mulieres enim ad id non admittuntur, §. *Teſtes autem* 6. *Inſtitut. de teſtamentis ordinandis, l. Qui teſtamento* 20. *ff. Qui*
16 *teſtamenta facere poſſunt*. Item debent eſſe liberi, & non ſervi: ſervi enim excluduntur, *citat. leg. Hac conſultiſſima*; *& citat.* §. *teſtes autem*. Item debent eſſe puberes, quia
17 impuberes ad id inhabiles declarantur, *cit.* §. *teſtes autem*,
18 *& cit. l. Hac conſultiſſima*. Item teſtes, ut ſint idonei, non debent eſſe furioſi, neque muti, nec ſurdi, omnes enim iſti excluduntur, *cit.* §. *teſtes autem* 6. *Inſtit. de teſtamentis*
19 *ordinandis*. Ad quos reducuntur etiam cæci, ex eo quod teſtamentum videre non poſſunt, quod tamen requiritur, *arg.*
20 *l. Si non ſpeciali* 9. *Cod. de teſtamentis*. Item debent eſſe teſtes extra omnem ſuſpicionem; Unde teſtis eſſe non poteſt in teſtamento ipſe Heres inſtitutus; *l. Quis teſtamento* 20. *ff. Qui teſtamenta facere poſſunt*; §. *Sed neque Heres, Inſtit. de teſtament. ordinand.* Neque is, qui in poteſtate teſtatoris, ſeu Heredis eſt, neque pater ejus, qui eum habet in poteſtate, neque fratres, qui in ejuſdem patris poteſtate ſunt; §. *In teſtibus* 9., *& cit.* §. *Sed neque Heres* 10. *Inſtitut. de teſtament. ordinand.*

21 Ceteri autem conſanguinei, & affines teſtatoris, ſeu Heredis, necnon famuli, Officiales, Miniſtri, ac Domeſtici ejus teſtes ad id eſſe poſſunt; Immo etiam fratres jam emancipati, & pater in teſtamento filii teſtatoris jam emancipati; Item maritus in teſtamento uxoris; In iſtis enim omnibus ceſſat ratio Legis, vinculum ſcilicet unitatis ex patria poteſtate proveniens. Nec obſtat *citat.* §. *In teſtibus* 9. *Inſtit. de teſtam. ordinandis*, ubi ad id excluditur *teſtimonium domeſticum*, & *cit.* §. *Neque Heres* 10. *Inſtit. eodem* ubi declaratur inhabilis *is, qui in poteſtate ejus*, (ideſt Heredis) *eſt.*; Quia uterque textus intelligendus eſt de iis, quos vinculum patriæ poteſtatis unit cum Herede, vel teſtatore, ita ut qui ſub Heredis vel teſtatoris patria poteſtate eſt, filius videlicet, & qui hac ratione domeſticus reperitur, teſtis eſſe non poſſit, ut communiter interpretantur Doctores.

Poſſunt etiam plures ex eadem domo, quamvis conſan-
22 guinei, ut pater, & filius, duo, vel plures fratres teſtes eſſe in eodem teſtamento; Dummodo non ſint ſub patria poteſtate teſtatoris, *l. Ad teſtium* 22. 22. *ff. Qui teſtamenta facere poſſunt, &* §. *Pater* 8. *Inſtitut. de teſtament. ordin. cap. Si teſtes* 3. *cauſ.* 4. *quæſt.* 2.

23 De rigore Juris Canonici non poſſunt ſaltem licite extra caſum neceſſitatis Clerici ſine licentia Epiſcopi, & Religioſi, ſeu Monachi ſine Prælati ſui facultate, & conſenſu teſtes eſſe, ſeu teſtimonium ferre in teſtamentis, ſeu Inſtrumentis Sæcularium conficiendis, aliiſque cauſis, ſive contractibus Locorum. Gloſſa in *Authentic. de Monachis* §. *Cogitandum verſ. teſtes Collation.* 1. juncta Gloſſa Marginal. *ibidem* Abbas *in cap. Cum Nuncius numer.* 3. *de teſtibus*, Farinacius *qu.* 61. *de teſtibus num.* 64., & plurimi alii per textum *in cap. Quamquam* 2. *cauſ.* 14. *quæſt.* 2. ubi in Synodo habita Romæ ab Eugenio Papa II. *capit.* 13. ſic ſtatutum legitur: *Quanquam Sacerdotum teſtimonium credibilius habeatur, tamen ipſi in ſæcularibus negotiis pro teſtimonio, aut in conficiendis Inſtrumentis non rogentur, quia eos in talibus rebus eſſe non convenit; Si autem eventu aliquo cauſæ interfuerint, & aliquid viderint, vel audierint, ubi nullæ idoneæ ſæcularium inveniantur perſonæ, ne veritas occultetur; aut malus ut bonus æſtimetur, in providentia proprii Epiſcopi ſit, ut, aut coram ſe, & competentibus Judicibus, aut aliter honorifice veritatem attollant*; Et in ejus Summario expreſſe dicitur: *In conficiendis Inſtrumentis Sacerdotes ad teſtimonium non vocentur*; Tum quia Clerici ſubſunt ſuo Epiſcopo, & ſtrictius Religioſi, ſeu Monachi ſuo Prælato Regulari, cum ſub ejus omnimoda Obedientia ſint poſiti, nec habeant velle nec nolle, *cap. ſi Religioſus* 27. *de electi̇on. in* 6. *cap. Religioſus* 2. *de teſtamen. in* 6. *cap. Religioſi* 5. *de ſepulturis in* 6. ergo hoc ipſo non poſſunt eſſe teſtes ſine licentia ejus, cui ſubſunt; *arg. cap. Monachi vagantes* 33., *& cap. Monachi a Monaſterio* 33. *cauſ.* 16. *quæſt.* 1. cum ſimilibus; tum etiam quia Clericis, vel Monachis, ſeu Religioſis illicitum eſt negotiis ſæcularibus ſe immiſcere. *Tot. tit. Ne Clerici, vel Monachi Sæcularibus negotiis ſe immiſceant*, juncto illo Apoſtoli 2. *ad Timoth. cap.* 2., ibi: *Nemo militans Deo, impleat ſe negotiis Sæcularibus*; Et quod Clericus abſque licentia Epiſcopi non poſſit teſtimonium ferre etiam in cauſa Civili coram Judice Laico, expreſſe declaravit *Sacra Congregat.* Immunit. *in Aquilana* 5. *Maii* 1637. *lib.* 3. *Decr. Paul. pag.* 30. *in Synopſi verb.* Teſtis *n.* 1., & ſæpe ſæpius alibi: Et hoc a fortiori dicendum eſt de Religioſo, ſeu Monacho ſine licentia ſui Prælati per ſupra adducta: In caſibus enim, in quibus neceſſarium eſt eorum teſtimonium, ſolet a Sacra Congregat. concedi facultas Epiſcopo loci eos examinandi, ſicuti alios exemptos, ut videre eſt apud d. Riccium *in Synopſi verb. Facultas examinandi Eccleſiaſticos, & exemptos*.

Quamvis tamen de rigore Juris Canonici id ſit illicitum 24
Clericis, & Religioſis; nihilominus validum eſt eorum teſtimonium, etiamſi ſine licentia, & præſcitu Superiorum teſtes in ſupradictis agant. Abbas *in cap. Cum nuncius n.* 3., *&* 4., & Felinus *ibid. n.* 3. *de teſtibus*, Maſcardus *de probationibus concluſ.* 260. *n.* 12. *&* 13. Farinacius *de teſtibus quæſt.* 61. *num.* 84. *&* 134. allegans plures alios, Reiffenſtuel *lib.* 3. *tit.* 26. *num.* 13. Pirhing *ibidem n.* 3. Lezana *tom.* 1. *cap.* 9. *numer.* 13. *& tom.* 4. *verb.* Teſtis *Regularis, numer.* 1. teſtans ex Novario ſic deciſum fuiſſe a Sacr. Congregat., & alii paſſim. Et ratio eſt, quia licentia Superioris eſt quoddam accidentale, non autem de ſubſtantia actu teſtimonii; *argum. cap.* 1. *de teſtibus*; tum quia multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, *cap. Ad Apoſtolicam* 16. *de Regularibus*; tum etiam quia nullibi reperitur tale teſtimonium a Jure declarari irritum, ac invalidum; Immo, ut experientia docet, ſolent Clerici Sæculares paſſim in teſtamentis, aliiſque contractibus Laicorum ex generali conſuetudine in teſtes adhiberi etiam ſine alia licentia Superioris Eccleſiaſtici, prout obſervant Farinacius *loc. cit. num.* 64. Azorius *conſil.* 590. *num.* 20. Pirhing. *lib.* 2. *Decret. tit.* 20. *num.* 60. Reiffenſt. *ibid. num.* 184., & alii. Quinimmo etiam Religioſi non ſemel ſine alia ſuorum Superiorum expreſſa licentia in teſtes aſſumuntur pro conficiendis, ad quos teſtatores pro majori celatione in dies accedunt: Nec deſunt auctores dicentes citatum Canonem *Quamquam* 2. *cauſ.* 24. *qu.* 2. procedere potius de honeſtate, quam de neceſſitate, prout videtur innuere ly *Eos in talibus rebus eſſe non convenit*. Vel non ipſum Canonem eſſe uſu receptum. Vel ſi receptum, denuo fuiſſe per contrariam conſuetudinem abrogatum. Conſultius tamen, & tutius eſt, ut monent ſupra citati Doctores, & alii paſſim, ad effugiendas omnes dubietates, Superiorum ad id petere, & obtinere facultatem; Nam quod poſſit impugnari teſtamentum, in quo Religioſus abſque ſui Superioris licentia eſt teſtis eo quod pro mortuo habeatur, tradit Joan. Faber §. *teſtes n.* 3. *inſt. de teſtamentis*, junctis nonnullis aliis, quos in oppoſitum citat Maſcard. *de Prob. concl.* 26. *num.* 1. *&* 2.

Tertio ad valorem teſtamenti ſolemnis ſcripti, ſeu in 25
ſcriptis, requiritur, ut omnes teſtes ita ſint præſentes, ut teſta-

teſtatorem, non tantum audire, ſed, & videre poſſint. *Communis*, *argum. l. Si non ſpeciali* 9. *Cod. de teſtamentis*, ibi: *Si teſtes non in conſpectu teſtatoris teſtimonium officio functi ſunt, nullo jure teſtamentum valet*.

26 Quarto requiritur non ſolum, quod teſtes ſint præſentes, ſed inſuper quod ad teſtificandum ſint rogati, ſeu invitati, ac moniti, *l. Hac conſultiſſima* 21. *Cod. De teſtamentis*, ibi: *Rogatis teſtibus*.

27 Quinto requiritur, quod teſtator, teſtibus, ut ſupra, præſentibus, ſcripturam clauſam, aut convolutam exhibeat, dicendo in illa ſuum contineri teſtamentum, *l.* Hac *conſultiſſima* 31. *Cod. de teſtamentis*, ibi: *Dummodo teſtibus præſentibus teſtator ſuum eſſe teſtamentum dixerit quod offertur*.

28 Sexto ſequitur, quod teſtamentum ſic exhibitum, vel propria manu ſubſcribat, ſi ipſemet totum non ſcripſit, vel ſi ſubſcribere nequeat, aut neſciat, octavum teſtem, qui nomine ipſis ſubſcribat, adhibeat, *cit. l. Hac conſultiſſima* 21., *& l. Cum antiquitas* 28. *Cod. de teſtamentis*.

29 Septimo requiritur, ut omnes, & ſinguli teſtes nomen ſuum propria manu ſubſcribant, & illud ſubſignent annulo, ſeu ſigillo ſuo, aut alieno, etiam a teſtatore accepto, §. Sed
„ cum 3., & §. Poſſunt 5. Inſtit. de teſtamentis ordinandis,
„ l. Ad teſtium 22. §. 4. ff. Qui teſtamenta facere poſſunt, l.
„ Singulos teſtes 30. ff. eodem l. Hac Conſultiſſima 21. Cod.
„ de teſtamentis.

30 Octavo requiritur, ut totum negotium teſtamenti ſolemnis ſcripti peragatur uno, eodemque loco, & tempore, unoque contextu, ideſt nullo actu alieno, ſive etraneo (qui ad teſtamenti factionem non pertineat) interveniente, niſi ad modicum intervallum ex neceſſitate, interruptio aliqua facta ſit, quæ in tali caſu non obeſt, §. *Sed cum* 3. *Inſt. de teſtamentis ordinandis*, ibi: Conſtitutum eſt, ut uno eo-
„ demque tempore ſeptem teſtibus adhibitis, & ſubſcri-
„ ptione teſtium ſignacula teſtamentis apponerentur. Et
„ concordant lex Heres 21. §. final. ff. Qui teſtamenta face-
„ re poſſunt, lex Hac conſultiſſima 21., & l. Cum antiqui-
„ tas 28. Cod. de Teſtamentis.

31 Ad valorem teſtamenti ſolemnis *Nuncupativi* requiritur, quod teſtator coram ſeptem teſtibus idoneis ut ſupra, & ad id ſpecialiter rogatis, ſimul uno, eodemque tempore ultimam ſuam voluntatem, tam circa Heredis inſtitutionem, quam circa Legata palam pronunciet, ſeu alias ſufficienter manifeſtet, ita ut intelligi poſſit, *Communis*, per textus expreſſos *in* §. *Sed hæc* 14. *Inſtitut. de teſtamentis ordinandis*, ibi: *Si quis autem ſine ſcriptis voluerit ordinare jure Civili teſtamentum, ſeptem teſtibus adhibitis, & ſua voluntate coram eis nuncupata ſciat hoc perfectiſſimum teſtamentum Jure Civili, firmumque conſtitutum*. *Authentic.* Hoc *inter* §. 2. *Cod. de teſtamentis*, ibi: *Per Nuncupationem quoque, hoc eſt, ſine ſcriptura, teſtamenta non alias valere ſancimus, quam, ſi ſeptem teſtes, ut ſupra dictum eſt, ſimul uno, eodemque tempore collecti, teſtatoris voluntatem, ut teſtamentum ſine ſcriptura facientis audierint*, *& leg.* In *teſtamentis* 26. *Cod. eodem*, ibi: In *teſtamentis ſine ſcriptis faciendis omnem formalem obſervationem penitus amputamus, ut poſtquam ſeptem teſtes convenerint, ſatis ſit voluntatem* Teſtatoris, *vel* Teſta*tricis ſimul omnibus manifeſtari ſignificantis, ad quos ſubſtantiam ſuam pervenire velit, vel quibus legata dare, vel fideicommiſſa, vel libertates diſponere*.

32 Ex quibus clare patet, quod pauciores ſolemnitates requiruntur ad Teſtamentum *Nuncupativum*, quam ad teſtamentum *ſcriptum*; cum ad *Nuncupativum* non requiratur teſtium ſubſcriptio, nec ſigillatio eorundem, nec teſtatoris, uti requiritur ad teſtamentum *Scriptum* ex ſupradictis. *Communis*.

33 Unde teſtamentum *Nuncupativum*, & teſtamentum *Scriptum*, ſeu in ſcriptis inter ſe differunt. Primo, quia in teſtamento *Scripto* plerumque celatur ultima voluntas teſtatoris & Heres inſtitutus. In *Nuncupativo* autem debet ultima voluntas teſtatoris manifeſtari, & palam nuncupari Heres, ut ſciant teſtes, quinam ſit inſtitutus. *Authent. Hoc inter* §. 2. *Cod. de* Teſtamentis, *l. Jubemus* 29. *Cod. eod.* Secundo, quia ad teſtamentum *Scriptum* neceſſarie requiritur Scriptura, ſine qua teſtamentum eſt nullum. *Nuncupativum* autem poteſt fieri ſine ulla ſcriptura, ſola nuda voce coram teſtibus; Et quamvis hodie redigi ſoleat in ſcripturam, non ceſſat tamen per hoc eſſe teſtamentum nuncupativum, cum ſcriptura adhibeatur, & fiat ſolum pro commodiori, & faciliori probatione, *argum. l.* In *in re* 4. *ff. de fide inſtrumentorum*, ut patet ex dictis *ſupra num.* 8. ubi adducitur textus, tertio, quia in teſtamento *Nuncupativo* teſtes nec ſubſcribunt, nec ſubſignant, ſicuti nec teſtator; totum autem id requiritur ad teſtamentum *Scriptum*, *l. Hac conſultiſſima* 21., *& l. Cum antiquitas* 18. *Cod. de teſtamentis* §. *Sed hæc* 3. *&* §. *Poſſunt* 5. *Inſtit. de teſtamentis ordinandis*, cum ſimilibus. Vide *ſupra num.* 10. 11. 29. 30.

Supradictæ ſolemnitates requiſitæ ad valorem teſtamenti de jure Civilii non requiruntur omnes de jure Canonico. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Cum eſſes* 10. *de teſtamentis*. 34

De Jure enim Canonico ad valorem teſtamenti, ſive ad cauſas pias, ſive profanas non plus requiritur, quam ut adſint duo teſtes idonei, & Parochus loci. *Communis*, per expreſſum textum *in cit. cap. Cum eſſes* 10. *de teſtamentis*, ibi: *Propoſuiſti talem in tuo Epiſcopatu conſuetudinem obtinere, quod teſtamenta, quæ fiunt in ultima voluntate, penitus reſcindantur, niſi cum ſubſcriptione ſeptem, vel quinque teſtium fiant, ſecundum quod Leges humanæ decernunt; Quia vero a divina Lege, & SS. Patrum inſtitutis, & a generali Eccleſiæ conſuetudine, id eſſe noſcitur alienum, cum ſcriptum ſit (Deuteronom. cap.* 17. *num.* 6., *& cap.* 19. *numer.* 15., *& Matth. cap.* 18. *num.* 16.) *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum, præſcriptam conſuetudinem improbamus, & teſtamenta, quæ Parochiani coram Presbytero ſuo, & tribus, vel duabus aliis perſonis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere, ſub interminatione anathematis prohibentes, ne quis hujuſmodi audeat reſcindere teſtamenta*. 35

Teſtes requiſiti de jure Canonico debent eſſe idonei, ac teſtes requiſiti de jure Civili, & aſſignati *ſupra numer.* 15. Fagnanus *in citat. Cap. Cum eſſes num.* 36. Covarruv. *ibidem num.* 14. Clarus §. *Teſtamentum quæſt.* 55. *nu.* 3. Reiffenſtuel *lib.* 3. *tit.* 26. *num.* 133. Pirhing *ibidem num.* 12., & alii. Et ratio eſt, quia *in citat. cap. Cum eſſes*, immutata eſt forma teſtandi Juris Civilis quoad numerum tantum, non autem quoad qualitatem teſtium, cum ſicuti in jure Civili etiam in *dict. capit. Cum eſſes*, exigatur, quod teſtamenta fiant coram perſonis idoneis; Ubique autem diſpoſitio Juris Civilis non reperitur expreſſe immutata, vel correcta a Jure Canonico, debet Jus Civile etiam in Foro Canonico, & Eccleſiaſtico ſervari, ut tradunt Doctores communiter per textum *in cap. Intelleximus* 1. *de novi operis nunciatione*, ibi: Sicut
„ leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita & Sa-
„ crorum ſtatuta Canonum Principum Conſtitutionibus ad-
„ juvantur. 36

Item per eamdem rationem dicendum eſt, quod tales teſtes ſicuti de Jure Civili, ita etiam de jure Canonico debeant eſſe rogati, cum diſpoſitio Juris Civilis id requirens non ſit expreſſe correcta per Jus Canonicum, quia potius videtur approbata *in Cap. Relatum* 11. *de Teſtamentis*, ibi: *Tribus, aut duobus teſtibus requiſitis*, ideſt rogatis Reiffenſtuel; *loc. citat. num.* 133. Pirhing *loc. citat. num.* 12. Fagnanus *loc. citat. a num.* 17. ubi ſub *num.* 19. dicit, quod hæc eſt communis opinio. 37

In defectu Parochi proprii de jure Canonico ſufficit, ſi quatuor teſtes ſint adhibiti, quia duo teſtes æquivalent Parocho, & vices ſupplent unius, quamvis maximæ ſit auctoritatis, ut patet ex *cap. Cum a nobis* 28., *& cap. Licet* 47. *de teſtibus*. Sic docent Abbas *in citat. Cum eſſes numer.* 7. Covarruv. *ibid. num.* 12., *&* 13. Clarus *loc. citat. quæſt.* 53. *num.* 3. Molina *tract.* 2. *de Juſtitia diſt.* 133. *numer.* 4., *&* 5. Pirhing *loc. cit. num.* 10., & ipſo teſte alii communiter. 38

In Ditionibus Romano Imperio ſubjectis, tam in Foro Eccleſiaſtico, quam Laicali fieri, & judicari debent Teſtamenta ſecundum ſolemnitates de jure Civili requiſitas; In ditionibus autem temporali juriſdictioni Romani Pontificis ſubjectis ſecundum ſolemnitates de jure Canonico requiſitas, & præſcriptas *in cit. cap. Cum eſſes* 10. *de teſtamentis*. Sic Gloſſa *ibid. verb. Improbamus*, Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 13. *num.* 1., & *in Cap. Eccleſia* 10. *num.* 15. *de Conſtitutionibus*, Alexander *conſil.* 146. *num.* 6. *lib.* 2., *& conſ.* 177. *numer.* 2. *lib.* 2. dicens hanc eſſe communem, Pariſius *conſil.* 51. *num.* 1. *lib.* 3. teſtans ſic aſſirmare ſcribentes omnes, nullo excepto, dicentes hanc concluſionem eſſe communem, & ſequendam in judicando, & conſulendo, & *num.* 15. aſſerit eam eſſe firmiſſimam, & indubitabilem, Pirhing *loc. cit. numer.* 11. Reiff. *loc. cit. num.* 135. dicens opinionem hanc eſſe conſuetudine receptam, ſicque confirmatam, & conſequenter tenendam, ſicque tenere communem aliorum apud Fagnanum *in citat. cap. Cum eſſes num.* 46. Et ratio eſt, quia cum Clerici ſint Cives, ac membra Reipublicæ, ubi degunt, æquum eſt, & rectæ rationi conſonum, ut in rebus mere politicis, Legibus ſæcularibus locorum ſe conforment. Eo vel maxime quod *cit. Cap. Cum eſſes* 10. *de Teſtamentis*, inſcribatur ab Alex. III. Hoſtieni Epiſcopo, quæ Civitas Hoſtienſis eſt de temporali Juriſdictione Romani Pontificis. 39



40 Quamvis tamen graviſſimi Doctores teneant, quod Clerici etiam in terris Imperii, aliorumque Regnorum poſſint condere teſtamenta juxta diſpoſitionem, & formam Juris Canonici, traditam *in cit. cap. Cum eſſet* 10. *de teſtamentis*, ita ut ubique ſervanda ſit in Foro Eccleſiaſtico. Sic Joann. Andreas *in cit. Cap. Cum eſſes num.* 6. *verſ. Communiter*; Cardinal. *ib. num.* 5. *verſ. Joannes Andreas dicit*; ubi aſſerit, hanc opinionem eſſe veriorem. Imola *ibid. num.* 13. dicens hanc opinionem videri conſuetudine roboratam, & per conſequens ſervandam, Calderin. *conſ.* 8. *circa finem de Teſtamentis*, dicens hanc ſervari de facto, Clarus in §. *Teſtamentum qu.* 57. *verſ. Quæ quidem*, dicens non eſſe ab ea in conſulendo, & judicando recedendum, & paulo infra ſubdens; *A qua non recedas in practica, quia quantum ego vidi omnes, ita ſervatur ſine controverſia*, & ſic tenent alii apud Fagnan.
41 *in citat. Cum eſſes num.* 41. Unde in praxi eſt attendendum ad conſuetudinem locorum, ut recte monent Molina *loc. cit. num.* 7., *&* 8. Pirhing *loc. cit. num.* 11. ubi ex Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 13. *num.* 1., *& in cap. Eccleſia* 10. *numer.* 15. *de Conſtitutionibus* dicit, quod in Imperio Romano eſt uſu receptum, quod teſtamenta a Clericis fiant ſecundum Jus Civile, & Cæſareum, & ſi aliter fiant non valeant.

42 Teſtamentum ad cauſas profanas carens una, vel pluribus ſolemnitatibus a Jure poſitivo requiſitis nullum, & invalidum eſt in foro externo. *Communis*, per text. in *leg. Si non ſpeciali* 9. *l. Si unus* 12., *& l.* Hac *conſultiſſima* 21. *Cod. de teſtamentis*, ibi: *Ex imperfecto autem teſtamento* (ideſt ſolemnitatibus requiſitis deſtituto) *voluntatem defuncti tenere non volumus*, & 8. *Ex eo* 7. *Inſtitut. Quibus modis teſtamenta infirmentur*, ibi: *Imperfectum teſtamentum nullum eſt*, cum ſimilibus. Et ſic ſemper cenſuit Rota, & ſignanter *part.* 4. *tom.* 3. *deciſ.* 544. *num.* 1. *part.* 8. *deciſ.* 97. *numer.* 9. *part.* 10. *deciſ.* 289. *num.* 3. *part.* 14. *deciſ.* 467. *num.* 1. *part.* 15. *dec.* 328. *num.* 2. *part.* 16. *dec.* 316. *n.* 4.

43 An autem, ſicut teſtamentum ad cauſas profanas carens una, vel pluribus ſolemnitatibus a jure poſitivo requiſitis invalidum, & nullum eſt in foro externo, ita etiam ſit invalidum, & nullum in foro interno, ſeu conſcientiæ? celebris, & gravis controverſia eſt, in qua tres extant Doctorum ſententiæ.

44 Prima ſententia docet, quod teſtamentum ad cauſas profanas carens una, vel pluribus ſolemnitatibus a Jure poſitivo requiſitis ſit validum in foro interno, ſeu conſcientiæ, ac proinde quod Heres, vel Legatarius ſcriptus licite retinere poſſit hereditatem, vel Legatum ex tali teſtamento imperfecto acquiſitum, nec reddere debeat Heredi ab inteſtato, dummodo aliunde ſufficienter conſtet hanc fuiſſe voluntatem teſtatoris, & quod Heres ab inteſtato in conſcientia teneatur ipſi tradere hereditatem, & ſolvere Legata ex tali teſta-
45 mento imperfecto relicta. Ita Fagnanus *in cap. Cum eſſes* 10. *de teſtamentis*, Abbas *ibidem*, Jaſon *in l. Cum quis* 10. *Cod. de Juris, & facti ignorant.* Clarus, §. *Teſtamentum q.* 90. Zoeſius *in Commentar. ad Decretal. num.* 19. *de teſtament.*, *& ff. eodem num.* 43. Fachineus *lib.* 4. *controverſ. capit.* 5. Molina *tract.* 2. *de Inſtitut. diſp.* 81. *num.* 2. Leſſius *de Jure*, *& Juſtit. lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 3. Maſtrius *diſp.* 4. *Theol. moral. num.* 52. Sannig *diſp.* 12. *de Juſtitia quæſt.* 3. *num.* 9., Malder. *tract.* 1. *de Juſtitia cap.* 11. *dub.* 5. Felix Poteſtas *tom.* 1. *part.* 2. *ſub num.* 2518. Matthæuc. *Official. Curiæ cap.* 52. *numer.* 9. S. Antoninus *part.* 3. *tit.* 10. *cap.* 3. §. 14. Silveſter *in Summa verb. Legatum* 4. §. 10. Sotus *lib.* 4. *de Juſt.*, *& Jur. quæſt.* 5. Petrus de Aragonia *in* 2. 2. *de Juſtitia quæſt.* 62. Reginald. *prax. fori Pœnit. lib.* 25. *num.* 105. Petrus Ancharanus *in Regul. Poſſeſſor*, *de Regul. Jur. in* 6. Bartolus *tract. de Minorit. cap.* 3. Plinius ſecundus *lib.* 2. *Epiſtol. ad Anianum*, his verbis: *Ego propriam Legem mihi dixi, ut defunctorum voluntates, etiamſi deficerent, quaſi perfectas tuerer, &* *lib.* 5. *Epiſtol. ad Calviſium*, his clarioribus verbis: *Hoc enim ſi Jus adſpicias, irritum, ſi defunctos, ratum, & firmum eſt, mihi autem defuncti voluntas (vereor, quam in partem Juriſconſulti, quod dicturus ſum, accipiant) antiquior Jure eſt*: La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 717. Eamdem ſententiam tenent etiam Innocent. Imola, Alexander, Alciat. Albert. Brun. Alber. Florianus, Guido, Corneus, Tiraquell. Felin. Oroſius, Angelus, Adrian. Joann. Medina, Armilla, Navar. Caldar. Sarmiento, Perez, Tabiena, Segura, Comitolus, Filliucius, Molfeſius, Homobonus, Mantica, & alii quos affert Card. de Lugo *tom.* 1. *diſp.* 22. *ſect.* 9. *num.* 249. ubi obſervat, quod ſupradicti inferunt heredem ab inteſtato conſcium voluntatis defuncti, qui hereditatem, vel Legatum alicui reliquit, teneri in conſcientia ea ſolvere, vel ſi dubius fuerit, componere cum illo pro ratione dubii; Item ſi heres, aut Legatarius ab inteſtato poſſideat, poſſe heredem, aut Legatarium ex teſtamento minus ſolemni, ſervatis debitis conditionibus, ſibi occulte compenſare.

Et fundamenta hujus ſententiæ deſumuntur, tum ex Jure Canonico, tum ex Jure Civili. Ex Jure enim Canonico *cap. Ultima voluntas* 4. *cauſ.* 13. *quæſt.* 2. ex verbis S. Gregorii Papæ expreſſe habetur: *Ultima voluntas defuncti modis omnibus ſervari debet*, & *c. Indicante* 4. *de Teſtamentis*, ubi ſtatuitur deberi Legatum quamvis nudis verbis relictum, ibi: *In quibus voluntatem ejus per omnia volumus adimpleri*, & in ejus Summario præciſe dicitur: *Debetur Legatum, quamvis nudis verbis a Teſtatore relictum* & *cap. Cum eſſes* 10. *cod.* decernitur, quod, quamvis deſit ſolemnitas ſeptem, vel quinque teſtium, ſit validum Teſtamentum, ſi conſtet de voluntate teſtatoris, v. g. Parochum, & tres, vel duos teſtes. 46

Ex Jure autem Civili habetur *l. Non dubium* 16. *cod. de Teſtamentis*, ubi ſic expreſſe ſtatuitur: *Illud etiam adjiciendum eſt, ut qui ex teſtamento, vel ab inteſtato Hæres extiterit, etſi voluntas defuncti circa Legata, ſeu Fideicommiſſa, ſeu libertates Legibus non ſit ſubnixa, tamen ſi ſua ſponte agnoverit, implendi eam, neceſſitatem habeant*; *Et l. ſi* 2. *Cod. de Fideicommiſſis*, ubi decernitur, quod ſi quis alicui Fideicommiſſum in Teſtamento minus ſolemni, & conſequenter invalido in foro externo relictum, ſolvat, & tradat, revocari, ſeu repeti poſtea non amplius poſſit, quia illud ſolvit, & tradidit urgente conſcientia, cum ſciverit talem revera fuiſſe Teſtatoris voluntatem, quamvis ejus Teſtamentum ex defectu ſolemnitatum fuerit invalidum in foro externo, ibi: *Et ſi inutiliter*, (ideſt abſque requiſitis a Jure ſolemnitatibus) *Fideicommiſſum relictum ſit, tamen ſi Heredes, comperta voluntate defuncti, prædia ex cauſa Fideicommiſſi Avo tuo præſtiterunt, fruſtra ab Heredibus ejus de ea re quæſtio tibi movetur, cum non ex ea ſola ſcriptura* (ſolemnitatibus deſtituta) *ſed ex conſcientia relicti Fideicommiſſi defuncti voluntati ſatisfactum eſſe videatur*. Item §. *Et quia* 12. *Inſtit. de Fideicommiſſariis hereditatibus*, ubi ſtatuitur, quod ſi quis Teſtator Teſtamento minus ſolemni mandaverit ſuo Heredi, ut vel Hereditatem, vel ſpeciale Fideicommiſſum reſtituat, & talis Heres perfidia tentus, neget hoc ſibi impoſitum fuiſſe, nec quidquam de hoc a Teſtatore audiviſſe; tunc *Neceſſe eum habere, vel Jusjurandum ſubire, quod nihil tale a Teſtatore audiverit, vel recuſantem ad Fideicommiſſi, vel univerſalis, vel ſpecialis ſolutionem coarctari, ne depereat ultima voluntas Teſtatoris fidei Heredis commiſſa*: Et infra ſubjungitur, quod ſi is, poſtquam negaverit, confiteatur quidem, ſed excipiat dicendo Teſtamentum non valere, ex quo careat debitis ſolemnitatibus, ſit, hoc non obſtante, ad ſolutionem compellendus. Item §. *Per traditionem* 20. *Inſtit. de rerum diviſione*. ubi ſic expreſſe habetur: *Nihil enim tam conveniens eſt naturali æquitati, quam voluntatem Domini volentis rem ſuam in alium transferre ratam haberi*. 47

Inſuper hæc ſententia oſtenditur etiam ratione, quia ex Teſtamento minus ſolemni oritur obligatio naturalis, ut ex Communi ſententia docet Clarus §. *Teſtamentum q.* 90. *n.* 1. Atqui hoc nihil aliud eſt, quam tale Teſtamentum in foro conſcientiæ eſſe validum, ita ut heres ab inteſtato teneatur ei ſatisfacere, & inſtitutus poſſit tuta conſcientia ſibi relictum retinere, quamvis Jus Civile nullam actionem concedat ex tali Teſtamento, ergo &c. Tum quia Leges præſcribentes dictas ſolemnitates ad Teſtamenta, fundantur in præſumptione fraudis; conditæ enim ſunt, ut ſic omnis fraus in teſtamentis evitentur, *l. Quæſtiones* 32. *Cod. de Fideicommiſſis*, ibi: „ Lex etenim, ne quid falſitatis incurrat, per duos for-
„ te teſtes compoſitum Teſtamentum, majorem numerum
„ teſtium expoſtulat, ut per ampliores homines perfectiſſi-
„ ma veritas reveletur „. Præſumptio autem cedit veritati, *arg. cap. Super hoc* 5. *de renunciatione*, *l. Continuus* 137. *ff. de verbor. ſignificat. l. Ultim. ff. quod metus cauſa*, *leg. Imperatores* 29. *ff. de probationibus*, adeoque ſi aliunde conſtet 48

de vera voluntate Teſtatoris, ſicque ceſſet preſumptio fraudis, ceſſant etiam ipſæ Leges, nec amplius obligant ſaltem in conſcientia, cum ceſſante ratione, & cauſa Legis, vel obligatione, ceſſet Lex, ſeu obligatio ipſa, *l. Adigere 6. §. 2. ff. Jurepatronat.* Card. de Luca tamen *diſc.21. de donat.* dicit, quod licet iſta opinio apud morales ſit magis communis, & recepta, reputatur per Canoniſtas minus vera, & in Foro nullatenus recepta, ita ut numquam practicari viſa fuerit.

49 Secunda ſententia oppoſita expreſſe tenet, quod Teſtamentum ad cauſas profanas carens una vel pluribus ſolemnitatibus a Jure Civili requiſitis, ſit invalidum, & nullum, non ſolum in foro externo, ſed etiam in foro interno, ſeu conſcientæ, adeo ut Heredes, & Legatarii vi talis Teſtamenti, nec poſſint aliquid accipere, nec, ſi jam acceperint, illud tuta conſcientia retinere valeant, ſeu Heredibus ab inteſtato teneantur ſub gravi cuncta relinquere, aut reſtituere, quantumcumque de voluntate Teſtatoris certo conſtet. Sic Covarruvias *de teſtamentis cap.10. n.12.* Card. Petra *tom. 2. Commentar. ad Conſt.* X. *Innocent. III. ſect.4. n.4.* Vaſq. *in Opuſc. de Teſtament. cap. 3. dub. 1.* Suarez *lib.5. de legibus cap. 24. n. 4.* Valentia *tom. 2. diſq.5. q. 6. part. 5. §.1. quæſtiuncul.1.* Salas *de Legibus diſp. 16. ſect. 12. n.52.* Bonacina *de Contract. diſp. 3. q. 1. punct. 3.* Diana *tom. 1. tract. de Contractib. reſolut. 75.* Henrincx *diſp. 2. q.4. de teſtam.* Haunold. *tract.6. c. 1. controv. 3.* Henno *tom. 2. tract. 2. de Jure & Juſt. diſput. 6. q. 7. art. 4. concl. 1.* Beja *part. 1. caſ. 53.* Dicaſtil. *liber. 2. tract. 2. dub. 8.* Baldus, Fulgoſius, Paulus de Caſtro, Fortunius, Matienzo, Padilla, Gregorius Lopez, Antonius, Gomez, Victoria, Ledeſma, Valerus, Veja, Aragonius, Salonius, Naldus, Bannes, Becanus, & alii, quos affert Cad. de Lugo *loc. cit. num. 250.* & hanc fatentur probabilem, Leſſius, Sanchez, Malderus, Joan. de la Crux apud ipſum *loco citat.* & plures alii.

50 Et fundamentum præcipuum hujus ſententiæ petitur a pluribus Legibus, quæ aperte declarant teſtamentum cenſendum eſſe ut non factum, cui deeſt aliqua ſolemnitas requiſita, & ſignanter *l. Si non ſpecial. 9. Cod. de teſtamentis* ibi: *Si teſtes non in conſpectu Teſtatoris teſtimonium Officio functi fuerint, nullo Jure teſtamentum valet, l. Si unus 12. Cod. eod.* ibi: *Si unus de ſeptem teſtibus defuerit, vel coram Teſtatore omnes eodem loco teſtes, ſuo, vel alieno annulo non ſignaverit Jure deficit teſtamentum, l. Hac conſultiſſima 21. Cod. eod.* ibi: *Non ſubſcriptum autem a teſtibus, ac non ſignatum teſtamentum pro infecto haberi convenit.* Et *ibid.* infra: *Ex imperfecto autem teſtamento voluntatem tenere defuncti ... non volumus, §. Ex eo 7. Inſtit. Quibus modis teſtamenta infirmentur,* ibi: *Imperfectum teſtamentum ſine dubio nullum eſt* Et concordat *l. Si quæramus 4. ff. Qui teſtamenta facere poſſunt; l. Et ab antiquis 31. Cod de teſtamentis*, ac plures aliæ.

51 Ex quibus Juribus Patroni hujus ſententiæ ſic arguunt: Teſtamentum ſolemnitatibus deſtitutum declaratur imperfectum, nullum, irritum, ac invalidum, ut patet ex allatis textibus; Atqui ubi Jus poſitivum declarat certos actus eſſe nullos, & invalidos, ipſi non obligant in conſcientia, ut patet in Donationibus pupillorum, & ſimilibus, in Matrimonio ſine præſentia teſtium, & Parochi, & hujuſmodi, ergo &c. Tum quia ad valorem cujuſcumque actus requiritur voluntas, & potentia, *arg. c. Cum ſuper 23. de Offic. & poteſt. Deleg.* Atqui nemo teſtari poteſt ſine ſolemnitatibus a Jure Civili requiſitis, ut clare patet ex citatis Juribus, & ut expreſſe dicitur *in c. Quæ contra 64. de regul. Juris in 6. Quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, ergo &c. Unde Card. de Luca *loc. cit. de donationibus diſ. 21. n. 9.* videtur aſſerere, hanc ſecundam ſententiam eſſe in praxi tenendam, cum dicat, quod licet prima opinio ſit apud morales magis communis, & recepta, reputatur tamen per Canoniſtas minus vera, atque in Foro nullatenus recepta, ita ut nunquam practicari viſa fuerit.

52 Tertia ſententia eſt media, per quam, ut recte notat Pirhing. *lib.3. Decretal. tit.26. n.13. in fine*, fere conciliantur inter ſe prædictæ duæ ſententiæ oppoſitæ, & docet, quod dictum teſtamentum minus ſolemne, ſeu imperfectum non ſit quidem irritum, & invalidum ipſo Jure, in foro conſcientiæ attamen poſſit tale declarari per ſententiam Judicis, apud quem, tam Heres ab inteſtato, quam Heres ſcriptus poſſunt licite agere, ut jus ſuum pro ſua bona fide in diverſis Legibus, & rationibus fundata defendant, quamvis ſint de voluntate Teſtatoris omnino certi; Unde tale Teſtamentum quadam ratione eſt validum, ideſt antequam per ſententiam Judicis irritetur, ſeu irritum declaretur, & quadam alia ratione eſt invalidum, ideſt quatenus poteſt, immo etiam debet per ſententiam Judicis invalidum declarari, ſi ſuper eo in Judicio lis fuerit mota. Ita Cabaſſutius *Juris Canonici Theoria, & praxis lib.6. cap.3.* Pontas *verb. Teſtamentum cap.20. in fin.* Menochius *de præſumptionibus lib.1. præſumption. 80. n. 7.* Layman. *lib.1. tract.4. cap.17. num.2.* Sotus *de Juſtitia l. 4. q.5. art.3.* Bannes *diſ. 3. ad q. 62.* Thomas Sanchez. *lib. 4. Conſil. cap.1.* Beja *puncto de furto, & damno dato caſu 2.* Sa *verb. Hæreditas num.32. verb. Teſtamentum num.3.* Tanner. *tom.3. Theol. diſp.4. q.6. dub.13. n.332.* Pirhing. *lib.3. tit.56 n.13.* Reiffenſtuel *ibid. n.118.* & *in Theolog. moral. tract.8. diſt.3. q.2. n.15. & ſeq.* & alii.

Unde juxta hanc ſententiam prædictarum duarum fere conciliativam concludimus, quod tale Teſtamentum minus ſolemne, ſeu imperfectum ad cauſas profanas validum eſt, & obligat in conſcientia ante ſententiam Judicis. Secus autem poſtquam, uti debet, Judex ſententiam tulerit pro ejus invaliditate, & hanc in primis videntur inferre præmiſſa fundamenta utriuſque prædictæ inter ſe oppoſitæ ſententiæ, cum prior locum habeat ante ſententiam Judicis, & poſterior ſolum poſt Judicis ſententiam. 53

Probatur tamen ulterius quoad primam partem, quia ex tali Teſtamento oritur obligatio naturalis, cujus præcipuus effectus eſt tribuere creditori jus accipiendi, ac retinendi in conſcientia id, quod ſibi naturaliter debitum eſt, donec exceptione Legis Civilis, & per ſententiam Judicis elidatur. Obligatio enim naturalis ſufficit ad transferendum dominium, adeoque teſtamentum illud validum eſt, & obligat in conſcientia ante ſententiam Judicis, ſeu donec per ſententiam Judicis irritetur, vel irritum declaretur. 54

Probatur etiam ulterius quoad ſecundam partem, quia, cum Judex ſecundum Leges judicare debeat, *cap. In iſtis 2. diſt. 4.* & Teſtamentum imperfectum, ſeu minus ſolemne ſecundum Leges citatas *ſupra n. 50.* ſic invalidum, & nullum, & pro infecto haberi debeat, ſententia ſic prolata, & juxta in foro externo, erit etiam juſta in foro interno, adeoque obligans in conſcientia ad habendum tale Teſtamentum ſic declaratum pro invalido, & nullius roboris; Cum Judex auctoritate Divina ſententiam ferat, eique juſte ſecundum Leges Judicanti, ut obediatur, præcipiant Leges Divinæ, ac humanæ *arg. c. Quo Jure 1. diſt. 8. cap. Omnis anima 2. de Cenſibus*, ibi: *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubjecta ſit, cap. Si quis 2. de Majorit. & Obed.* ibi: *In libro Regum legitur, qui non obedierit Principi morte moriatur. Deuteronom. cap. 17. num.9. & ſeq.* præcipit Deus: *Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore ..... ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dextram, neque ad ſiniſtram.* 55

Et quod poſt Judicis ſententiam etiam in foro conſcientiæ pro irrito ſit habendum tale Teſtamentum, quamvis ante Judicis ſententiam pro valido haberetur, patet a ſimili variis exemplis ex Jure deſumptis; Sic enim ſine eſſentialibus ſolemnitatibus a Jure requiſitis electus, quamvis tuta conſcientia Beneficium retinere poſſit, ſi nemo ſe opponat, vel Electionem impugnet, *cap. Quod ſicut, de election.* tamen poſt ſententiam Judicis illam electionem irritam, & nullam declarantis, etiam in foro conſcientiæ obedire, ac Beneficium dimittere tenetur ut tradunt communiter Doctores. Item quamvis contrahens, cum pupillo ſine auctoritate Tutoris, naturaliter, & in foro interno valide agat, & tuta conſcientia retinere poſſit quod vi talis contractus accepit, *argum. leg. Stichum 95. de Solutionibus*, tamen poſtquam Judex contractum nullum, & irritum declaraverit, acceptum reſtituere tenetur, ut fatentur omnes. Idem dicendum eſt in caſu alienationis rerum Eccleſiaſticarum, non ſervatis debitis ſolemnitatibus, & de multis aliis ſimilibus. 56

Hinc reſolves, quod Teſtamentum ſine debitis ſolemnitatibus conditum ante ſententiam Judicis, & quando nemo ſe opponit, ita validum eſt in foro interno, ſeu conſcientiæ, ut Hæredes, & Legatarii in eo conſtituti, tuta conſcientia accipere, & retinere poſſint Hæreditatem, & Legata ſibi in tali Teſtamento relicta: Poſt ſententiam vero Judicis etiam in foro interno eſt ita nullum, ut ipſi tuta conſcientia nihil accipere poſſint, & ſi quid acceperint, id totum reſtituere teneantur. 57

Item reſolves, quod quado Hæres ab inteſtato Teſtamentum ſine debitis ſolemnitatibus factum, beneficio Legis utens impugnat, & Judex, prout debet, illud irritum, & nullum declarat, tunc etiam in foro interno, ſeu conſcientiæ, erit invalidum, itaut nec naturaliter amplius obliget, & conſequenter Hæres ab inteſtato, vi illius, Hæredibus, & Legatariis inſtitutis, Hæreditatem, & Legata tradere nec in conſcientia teneatur. 58



59 * Quoad diſpoſitionem Capitis *Cum eſſes*, non ſufficit, ſi ſint duo, vel tres teſtes, & abſit Parochus, cum in Canone ſit *coram Presbytero ſuo*. Nec ſufficit, ſi defectum Parochi ſuppleat Capellanus. Demum teſtes maſculi requiruntur, nec feminæ valent. Tandem valet Teſtamentum ita conditum etiamſi teſtator non ſit in extremo vitæ periculo. *Inſtit. Eccleſiaſt.* 105. §. 8. 9. 10.

60 Scribenda ſunt Teſtamenta a Parocho coram teſtibus, & a Teſtatore ſubſcribenda, ſicut etiam a Parocho, & teſtibus. Si tamen ſcribere ignorent, ſufficit ſcriptura Parochi, & ſignum Crucis impreſſum in charta a teſtibus. *ibid.* §.14.

61 Ita ſcriptum Teſtamentum ſaltem intra octo dies Parochus cum teſtibus deferre debet tabellioni; & ſi adſit ſubſcriptio teſtatoris, & teſtium, non requiritur, ut ſingula contenta teſtamento referant Notario. Si nulla ſit teſtatoris ſubſcriptio, tunc Parochus ſeu Sacerdos viva voce exprimere debet, quidquid in eo teſtamento continetur; quod, & a ſingulis teſtibus ſeorſim præſtandum eſt. Denique, & ſinguli illi ſubſcriptionem ſuam agnoſcant. *Ibidem* §. 16. Has vero omnes depoſitiones ſcribat tabellio, & jungat teſtamento.

62 Ad ſervanda vero quæ in teſtamento mandantur, diſcuſſio Parochi, & teſtium agenda eſt a Judice competente, citata parte, cujus intereſt, excepta tamen conſuetudine, ut valeant teſtamenta, nulla facta publicatione, ſi illa repoſita ſint in Archivio *Ibidem* §. 16

### *Novæ additiones ex aliena manu.*

1 GRaviſſima eſt quæſtio, de qua hic agit *Auctor*, an ſcilicet teſtamentum minus ſolemne obliget in conſcentia. Ad rectam autem hujus quæſtionis reſolutionem prius videndum, utrum teſtamentum ſit juris naturalis, an juris poſitivi.

2 Jus autem naturale pro pace generis humani expoſcere, ut
introducto domino, aliqua ſtatuatur ſucceſſio, non eſt, quod
dubitari poſſit. Aſſiduis enim diſcordiis, a quibus abhorret
jus naturale, expoſiti eſſent homines, ſi in obitu cujuſcumque,
quæ ab eo relinquuntur bona, ea fierent primi occupantis,
minimeque ex ordine ſucceſſionis ſtabilito ad vo-
3 catos pertinerent. At quod ſucceſſio hæc ſit potius teſtamentaria,
quam legitima, non determinat jus naturale. Nec jus
4 proprietatis eo extendendum, ut quis etiam poſt mortem de
5 rebus ſuis diſponere valeat. Convenit propterea hodie fere
inter omnes, teſtamentum non eſſe juris naturalis, ſed Juris
poſitivi. Confer *Bynkershoeck Obſerv. lib. 2. c. 7.*
6 Poſito autem, quod teſtamentum ſit non juris naturalis,
ſed juris poſitivi, facile eſt dignoſcere, ut ad propoſitam
quæſtionem veniamus, teſtamentum minus ſolemne non obli-
7 gare in conſcientia. Obligatio enim in conſcientia deſcendere
debet, vel a jure naturali, vel a jure poſitivo. At teſtamentum
8 minus ſolemne nec obligat de Jure naturali, quia ut mox recognitum
eſt, teſtamentum tametſi ſolemne non eſt juris naturalis,
nec obligat de jure poſitivo, quia jus poſitivum non
aliter vim obligandi tribuit teſtamento, quam concurrentibus
ſolemnitatibus ab ipſo præſcriptis. Patet igitur, & quidem ad
9 evidentiam uſque, teſtamentum minus ſolemne obligare in
conſcentia haud poſſe. Habes reſolutionem graviſſimæ quæſtionis ex genuinis principiis petitam.

## ARTICULUS II.

### Quoad ea, quæ concernunt omnia Teſtamenta privilegiata.

1 TEſtamenta privilegiata ſunt Teſtamenta, quæ licet careant ſolemnitatibus alias de Jure communi requiſitis, ex ſpeciali tamen privilegio valent, ac ſi ipſa haberent. *Com-*
2 *munis*. Et Teſtamenta privilegiata ſunt, Teſtamentum ad pias cauſas; Teſtamentum parentum inter liberos; Teſtamentum Militum in expeditione bellica conditum; Teſtamentum Ruſticorum; Teſtamentum tempore peſtis factum; Teſtamentum publicum, ideſt fide, & Auctoritate publica, Principis nempe, vel Judicis. *Communis*.

Teſtamentum ad pias cauſas eſt illud, in quo pro Herede 3
inſtituta eſt cauſa pia. *Communis*. Nomine cauſæ piæ ve- 4
niunt hic omnia loca, & Inſtituta pia, ut Eccleſiæ, Conventus, ſeu Monaſteria, Hoſpitalia, Noſocomia, Confraternitates, & pauperes omnes, non ſolum qui carent neceſſariis vitæ, & naturæ, ſed etiam qui carent neceſſariis ad decentem ſuſtentationem juxta qualitatem, & conditionem ſui ſtatus, quales interdum poſſunt eſſe etiam Nobiles, Barones, Comites, immo & Principes, qui non ob exceſſivam pompam, & luxum, nec ob malam dilapidationem, nec ob aliam culpam propriam, ſed ex infortunio, vel caſu aliquo, ut incendio, ruina, bello, latrociniis, multitudine prolium, & huſuſmodi, valde egent neceſſariis ſtatui, ac conditioni ſuæ; Dummodo tamen eiſdem principaliter ob honorem, & amorem Dei, & animæ ſalutem Hereditas, vel legata relinquantur. *Communis* per text. *in cap. Conſideranda 17. diſt. 86.* ubi expreſſe fit mentio etiam de iis, qui Divites, vel Nobiles ad egeſtatem abſque proprio vitio pervenerunt.

Teſtamentum ad pias cauſas perfecte, & pro utroque 5
Foro eſt privilegiatum, ita ut non ſolum in Foro interno, ſed etiam in Foro externo valeat, quamvis careat ſolemnitatibus a Jure Civili alias ad Teſtamentum requiſitis; Dummodo aliunde ſufficienter conſtet de Teſtatoris ultima voluntate. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Relatum 11. de Teſtamentis*, ibi: *Mandamus quatenus cum aliqua cauſa talis ad veſtrum fuerit examen deducta; eam non ſecundum Leges, ſed ſecundum Decretum ſtatuta tractetis, tribus, aut duobus legitimis teſtibus requiſitis*. Et tale Teſtamentum eſſe privilegiatum etiam de Jure Civili, non obſcure deſumitur *ex l. Si eum ſervum 29. ff. De Fideicommiſſariis libertatibus*, ubi licet pater in imperfecto Teſtamento libertatem cuidam reliquiſſet eum nihilominus manumittere debuerunt filii, & *ex l. Habeat 1. Cod. De Sacroſanctis Eccleſiis*; Et dato, quod tale Teſtamentum non eſſet privilegiatum de Jure Civili, adhuc debet dici privilegiatum pro Foro Civili a Jure Canonico *in cit. cap. Relatum*; ubi, ut fatentur Doctores communiter, ſunt correctæ Leges Civiles ſolemnitatem requirentes in Teſtamento ad pias cauſas; Et ratio eſt, quia in cauſa, & materia ſpirituali, qualis eſt Teſtamentum ad pias cauſas, ſervandum, eſt Jus Canonicum in utroque Foro, tam Civili, ſeu Laicali, quam Eccleſiaſtico, ac in quovis Loco ſeu Territorio; *arg. cap. Quæ in Eccleſiarum 7. & cap. Eccleſia S. Mariæ 10. de Conſtitutionibus*; Sicque ſervat praxis, & conſuetudo univerſalis, quæ eſt optima Legum interpres; *l. Si de interpretatione 37. & l. Nam Imperator. 38. ff. de Legibus, c. Cum dilectus 8. de conſuetudine*.

In Teſtamento ad pias cauſas ſufficiunt duo teſtes, *Com-* 6
*munis*, textu expreſſo *in cit. cap. Relatum 11. de Teſtamentis*
Dicti duo teſtes non ſunt neceſſarii ad ſubſtantiam, & valorem 7
Teſtamenti ad pias cauſas, ſed tantum ad probationem in Foro externo, in caſu, quo aliunde non conſtet, nec probari poſſit voluntas Teſtatoris niſi per teſtes, Fagnan. *in cap. Cum eſſes 10. de Teſtament. num.8.* Covarruv. *de Teſtament. cap.11. num.12.* Menochius *lib.3. conſil.224. a num.58.* Engel *lib. 3. Decretal. titul.26. n. 18.* Pirhing *ibid. num.20.* Reiffenſtuel *ibid. num. 143.* Card. Petra *tom. 2. Commentar. ad Conſtitut. X. Innocent. III. ſect.3. num. 15.* Card. de Luca *de Teſtamenis diſc.14. num.5. & 7.* & aliis paſſim, ac Rota *deciſ.374. n. 6 part. 1, diverſ. deciſ. 311. num. 16. & 17. coram Card. Cerro, & deciſ.665. num.3. coram Emerix. Jun., & in Barchinonen. Hereditatis 11. Martii 1689. §. Cumque, coram D. Molines, & in Colonienſi teſtamentis 23. Junii 1704. §. Quo-*
*niam, coram D. Lancetta*. Unde, ſi aliunde ſufficienter con- 8
ſtet de voluntate Teſtatoris, Teſtamentum ad pia cauſas in utroque Foro, tam externo Civili, & Canonico, etiam ſine teſtibus validum exiſtit. *Communis* cum omnibus ſupracitatis, & aliis. Modus enim probatorius per duos teſtes inductus *in cit. cap. Relatum* non imprtat neceſſitatem teſtium, ſed exemplificative fuit dictum de iis, ut naturalis probatio reſultet, & ſufficienter conſtet de voluntate Teſtatoris, de qua aliunde ſufficienter conſtante non eſt curandum, an teſtes intervenerint, nec ne. Cum non ſit opus alia probatione, quando de veritate conſtat.

Sic validum eſt Teſtamentum ad pias cauſas etiam ſine ul- 9
lis teſtibus, ſi manu propria Teſtatoris nota, & indubitata ſit ſcri-

ſcriptum, vel ſubſcriptum. Sicuti etiam valet, & ſufficit ad id Cedula ſcripta, vel ſubſcripta ab ipſo Teſtatore, etiam nullo teſte in ea ſubſcripto, vel præſente, quidquid dicant aliqui apud Mantic. *de Conject. lib.6. tit.3. num.4.* Tiraquell. *de privil. piæ cauſæ. privil.* 1. Nam ſic communiter ſuſtinent Doctores citati, & Velaſc. *conſil.67. num.* 8. Barboſa *in cit. cap. Relatum n.*4. Card. de Luca *diſcurſ.26. num.8. de teſtamentis*, Grazian. *diſceptat.*705. *num.*20. *& ſeq.* Cabed. *deciſ. Luſitan.*129. *num*12. *lib.*2. Rota *part.* 19. *tom.*2. *recent. deciſione* 449. *num.*3. & ſæpe alibi.

10 Item valida eſt diſpoſitio Teſtatoris ad pias cauſas, ſi ipſe Heres ab inteſtato ſine omni teſte audivit defuncti voluntatem In hoc enim caſu omnino tenetur in Foro interno adimplere defuncti voluntatem; immo etiam in Foro externo, ſi fateatur ſe revera eam audiviſſe; *arg.* a Fortiori, *Non dubium* 16. *Cod. de Teſtament.* ubi de Teſtamentaria voluntate Defuncti etiam ad cauſas profanas, quamvis carente debitis ſolemnitatibus ſic ſtatuitur: *Tamen ſi ſua ſponte, agnoverit, implendi eam, neceſſitatem habeat.* Et concordat *l. Etſi* 2. *Cod. de Fideicommiſſis* ibi: *Si Hæredes comperta voluntate defuncti &c.* & aliæ adductæ *art. antecedenti ſub n.*47. Vide *ibi*.

11 Teſtamentum inchoatum, ſed non perfectum, quia Teſtator morte præventus non potuit illud abſolvere, licet alias invalidum ſit; *l. Si is, qui* 25. *ff. Qui Teſtamenta facere poſſunt*, valet tamen quoad legata pia in eo relicta, quæ in illa imperfecta diſpoſitione jam expreſſa erant; Covarruv. *de teſtamentis cap.*11. *num.* 14. Layman. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 6. Molina *diſp.* 134. *n.* 9. Abbas *in cap.* 1. *de ſucceſſion. ab inteſtato n.*2. Pirhing *loc. cit. n.*22. Reiffenſtuel *loc. cit. n.*173. Tiraquel. *loc. cit. privileg.* 7. Decius *conſil.* 159. teſtans de communi, Bartolus, Jaſon. Alexandr., & *Communis aliorum* contra Clarum §. *Teſtamentum q.* 7. *n.* 4. Et ratio eſt, quia in Teſtamento ad pias cauſas non attenditur rigor Juris Civilis; *arg. cap. Relatum* 11. *de Teſtamentis*; ſed ſufficit, quod vere conſtet de voluntate Teſtatoris, uti revera conſtat in hoc caſu quoad legata pia in tali Teſtamento jam expreſſa.

12 Item quamvis Teſtamentum ad cauſam profanam factum ob defectum ſolemnitatis Civilis corruat, valet nihilominus quoad legata pia in eo relicta; Pirhing. *loc. cit. num.*22. Reiffenſtuel *loc. cit. n.*164. Engel *loc. cit n.*20. Covarruv. *in c. Relatum* 11. *n.*2. *&* 3. *de Teſtamentis*; Molina *loc. cit. de Juſtitia tract.* 2. *diſp.* 134. *num.*2. Tuſcus verb. *Legatum concluſ.* 109. *n.*7. Layman *loc. cit. loc. cit.* Card. Petra *loc. cit. n.*62. & ipſa teſte *Communis aliorum*; Et ratio eſt, quia in relictis ad cauſam piam non attenditur Jus Civile; *arg. cit. cap. Relatum* 11. *de Teſtam.* adeoque, quamvis tale Teſtamentum corruat quoad profana, valet tamen quoad legata pia in eo relicta.

13 Teſtamentum ſine ſolemnitatibus a jure civili requiſitis conditum ad cauſa pias, valet etiam quoad legata profana in eo contenta. Covarruv. *de Teſtamentis cap.*11. *n.*2. Molina *cit. diſp.* 134. Tiraquell *loc. citat. privil.*80. Pirhing *loc. cit. n.* 22. Engel *loc. cit. num.*19. Reiffenſtuel *l. c. nu.*161. Layman *loc. cit. num.*10. & alii paſſim contra paucos alios. Et ratio eſt, quia cum tale Teſtamentum valeat tamquam principale, debent valere etiam legata tamquam acceſſorium: *arg. cap. Acceſſorium* 42. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.*

14 Quamvis Teſtamentum ad interrogationem alterius, & ſolis nutibus, ſeu ſignis factum non valeat de Jure Civili, per text. *in l. Jubemus* 29. *Cod. de Teſtamentis*, valet nihilominus ad pias cauſas. Tiraquell. *loc. cit. privileg.* 8. Barboſa *in cap. Cum tibi* 13. *n.*3. *de Teſtamentis* Menoch. *l. cit. n.*24. Card. Petra *loc. cit. n.*40. Jul. Clar. §. *Teſtamentum q.* 6. *n.*7. & alii communiter. Teſtari enim ad interrogationem alterius, & ſolis nutibus, ac ſignis non eſt prohibitum Jure naturæ, & gentium, ſed Jure Civili, quod in teſtamentis ad pias cauſas non attenditur, *argum. cit. cap. Relatum* 11. *de Teſtamentis.*

15 Item quamvis non valeat teſtamentum ſine inſtitutione Heredis, valent tam legata pia in eodem teſtamento adjecta. Rota *part.* 19. *tom.* 2. *rec. deciſ.* 484. *n.*4. Card. de Luca *de Teſtamentis diſc.* 16. *n.*4. Card. Petra *loc. cit. n.*45. & alii paſſim.

16 Item quamvis non valeat Teſtamentum cum Herede incerto, valet tamen favore piæ cauſæ, ut ſi Teſtator dicat; Inſtituo Heredes pauperes, animas Purgatorii, Eccleſiam & hujuſmodi. Barboſa *in cit. cap. Cum tibi* 13. *n.*4. *de Teſtament.* Tiraquell. *loc. cit. privileg.* 55. *&* 56. Card. de Luca *de Teſtament. diſc.* 22. *n.*5. Card. Petra *loc. cit. n.* 42. Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 151. & *Communis aliorum*.

Item quamvis non valeat Teſtamentum, quo quis hereditatem, vel legata alterius arbitrio diſtribuenda committit, per text. *in l. Illa* 32. *l. Si quis* 68. *ff. de hered. inſtit.* tamen valet, ſi id fiat ad pias cauſas, v. g. dicendo: Inſtituo heredes bonorum meorum pauperes, quos Franciſcus elegerit, vel lego mille aureos decem puellis, centum pro unaquaque, ſi heres meus voluerit, & hujuſmodi, Ita Jul. Clar. §. *Teſtamentum q.* 6. *n.* 5. Covarruv. *de Teſtament. in c. Cum tibi n.* 12. Layman *loc. cit. n.*7. Pirhing *loc. cit. num.*23. Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 151. & alii communiter; *arg. cap. Cum tibi* 13. *de Teſtamentis*, juncto ejus Summario ſic expreſſe dicente. *Tenet Teſtamentum, ſi quis extremam voluntatem ſuam alterius diſpoſitioni committit, & dicitur teſtatus ad pias cauſas.* 17

Si aliunde de voluntate Teſtatoris ſufficienter non conſtet tunc in Teſtamento ad pias cauſas neceſſario requiruntur duo teſtes legitimi, adeo ut nec in Foro interno Heres ab inteſtato credere teneatur uni ſoli teſti, licet omni exceptione majori teſtimonium ſuum etiam juramento confirmanti; Layman *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 4. Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 152. & ipſo teſte *Communis aliorum, arg. cit. cap. Relatum* 11. *de Teſtamentis*; ubi ad valorem Teſtamenti ad pias cauſas duo ſaltem, vel tres teſtes requiruntur, *& cap. Licet univerſis* 23. *de teſtibus*, ubi tamquam Regula Juris traditur, quod unus teſtis ad probandum non ſufficiat cum alterius præjudicio; Alioquin enim plurimæ fraudes, & injuriæ contingerent. 18

Hinc recte advertunt Reiffenſtuel, & Layman *loc. citat.* & alii, quod improvide, ac periculoſe agunt, tam Teſtator, qui uni ſoli, v. g. ſoli Parocho, aut ſoli Confeſſario manifeſtat, quam ipſe Parochus, ſeu Confeſſarius, qui ſuſcipit voluntatem ultimam referendam Heredibus ab inteſtato, quia hoc ipſo, quo uni ſoli, quiſquis ille ſit, credere non teneantur Heredes ab inteſtato, diſpoſitio talis ultima periculo nullitatis ſemper exponitur. Quamvis ipſemet Parochus, ſeu Confeſſarius legata in Scheda adnotaverit, non creditur illi ſine alio teſte, ut expreſſe dicit *ibid.* Layman. Quare, ſubjungit, monendi ſunt Parochi, aliique Confeſſarii, ut ultimas ejuſmodi diſpoſitiones ad cauſas pias non excipiant, niſi advocatis duobus teſtibus maſculis, aut fœminis; vel ſaltem uno, qui ſimul cum Parocho, vel Confeſſario ſufficere poterit. Et in tali caſu, ſi Teſtator coram teſtibus dicat, quod velit quædam ad pias cauſas erogari, ſicuti Parocho, aut Confeſſario ſuo mandavit, tunc Parochus, ſeu Confeſſarius audiri debet, & ſecundum ejus relationem executio fieri, modo talia indicia afferat, ut, ſpectatis circumſtantiis, veriſimile eſſe poſſit, defunctum ea ipſi mandaſſe: Sic Covarruvias *in cap. Cum tibi* 13. *num.*23. *de Teſtamentis*, Navarr. *lib.* 3. *conſil.* 16. *de Teſtament. edit.* 2. Layman *loc. cit.* Reiffenſtuel *loc. c. n.*153. recte addens, quod vel Teſtator communicet ipſi Hæredi ab inteſtato ſuam diſpoſitionem ad piam cauſam vel quod melius eſt, manu propria ſcribat, aut duos teſtes adhibeat. 19

Tales teſtes in his Teſtamentis ad pias cauſas non eſt neceſſe, quod ſint rogati. Abbas *in cap. Relatum* 11. *num.* 3. *de teſtamentis* Fagnan. *ibid. num.* 12. Barboſa *ibid. in fine*, Covarruv. *ibid. num.* 5. Cardin. Petra *loc. cit. n.* 28. Jul. Clarus *loc. cit. num.* 3. Reinffenſtuel *loc. cit. num.* 154. & alii communiter. Ad id poſſunt eſſe teſtes etiam Feminæ, & aliæ perſonæ, quæ a Jure Civili non ſolent admitti, dummodo non ſint infames, mentis impotes, vel alias reprobatæ ratione delicti. Fagnan. *in cit. cap. Relatum n.* 14. & *cit. cap. Cum eſſes n.* 34. *& ſeq.* Reinffenſtuel *lib.* 2. *Decretal. tit.*20. *n.*88. Card. Petra *loc. cit. n.* 29. Ancharanus *in cit. cap. Cum eſſes num.* 6. & plurimi alii, volentes, quod in teſtamento ad pias cauſas teſtis eſſe poſſit quicunque de Jure naturæ, & gentium a ferendo teſtimonio non repellitur. 20 21

Item in Teſtamento ad pias cauſas teſtis eſſe poteſt Parochus, Confeſſarius, Beneficiatus, & Religioſus; quamvis legata ſint ad favorem propriæ Eccleſiæ, ſeu Monaſterii. Layman *cit. lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 2. *ſub num.* 5. Tiraquel. *de privileg. cauſæ piæ privileg.* 93. Card. de Luca *de teſtamen. diſ.*8. *num.* 20. Farinaccius *quæſt.* 60. *de teſtib. num.* 463. *& ſeq.* Maſcard. *concluſ.* 3. *n.* 11. *&* 12. Pirhing. *lib.* 2. *Decretal. tit.*20. *numer.* 101. Reinffenſtuel *ibid. num.*197. *&* 198. *cum ſeq.* & *Comm. Aliorum* per clar. text. *in cap. Inſuper* 6. *& cap. Cum Nuncius* 12. *de teſtibus*. 22

An ex bonis relictis in Teſtamento ad pias cauſas, ſeu ex legatis piis detrahi poſſit Falcidia? Vide verb. *Falcidia*, & verb. *Legatum a num.* 137. 23

Teſta-



24 Teſtamentum inter liberos eſt illud, quod parentes, Pater nempe vel Mater, vel aſcendentes in linea recta faciunt, & in eo liberos vel Nepotes inſtituunt. *Communis*, per text. *in l. Inter omnes* 26. *Cod. Familiæ Erciſcunde*; *l. Hac conſultiſſima* 21. §. *Ex imperfecto, Cod. de teſtamentis*, ibi: *Ex imperfecto autem teſtamento voluntatem tenere defuncti, niſi inter ſolos liberos a parentibus utriuſque ſexus habeatur, non volumus*: Et quia, ut expreſſe habetur in *leg. Appellatione* 51. *ff. de verb. appellat. Appellatione parentis, non tantum pater, ſed etiam Avus, & Proavus, & deinceps omnes Superiores continentur, ſed & Mater, & Avia, & Proavia*, ideo etiam illud Teſtamentum, quod aſcendentes pro heredibus inſtituunt, Teſtamentum inter liberos, ac conſequenter privilegiatum erit. Layman. *lib.* 3. *de Juſtitia tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 11. Reinffenſtuel *lib.* 3. *decretal. tit.*26. *num.* 180. & alii per text. *in Novel.* 107. *in Præfatione*, ibi: *Inſuper & Theodoſius decrevit, non in Patribus ſolum hoc diſponens, ſed etiam in Matribus, & aſcendentibus utriuſque naturæ.*

25 Teſtamentum inter liberos eſt pro utroque Foro privilegiatum, unde valet in utroque Foro, quamvis careat ſolemnitatibus de jure Civili ad teſtamentum ut ſic requiſitis; Dummodo ad illud concurrant ea, quæ pro eodem a Jure ſpecialiter requiruntur. *Communis*, text. expreſſo *in cit. leg. Inter omnes* 26. *Cod. Familiæ Erciſcundæ*; *& cit. leg. Hac conſultiſſima* 21. §. *Ex imperfecto, Cod. de Teſtamentis*.

26 Ad valorem Teſtamenti inter liberos de Jure ſpecialiter requiritur, & ſufficit, quod ſi fiat in ſcriptis, parens teſtans *primum ejus ſubſcriptione tempus*, quo Teſtamentum fecit, *declaret; deinde quoque filiorum nomina propria manu; ad hoc uncias, in quibus ſcripſit eos heredes* (ideſt id, quod cuivis ex liberis relinquere intendit) *non ſignis numerorum ſignificandas, ſed per totas litteras declarandas, ut undique clare, & indubitate conſiſtant*. Sic expreſſe habetur *in Novella* 107. *c.*1. Et concordat *cit. l. Inter omnes* 26. *Cod. Familiæ Erciſcundæ* ibi: „ Sive cæptum, neque impletum Teſtamentum, vel „ Codicillus, ſeu Epiſtola parentis eſſe memoretur, ſive „ quocumque alio modo ſcripturæ quibuſcumque verbis, vel „ indiciis inveniantur relictæ . . . , defuncti diſpoſitio cuſto- „ diatur, etiamſi ſolemnitate Legum hujuſmodi diſpoſitio „ fuerit deſtituta „. Et *Authent. Quod ſine, Cod. de teſtamentis*, ibi: „ Quod ſine ſubſcriptione ita procedit, ſi pa- „ rens litteras edoctus, manu propria, non ſignis, ſed lit- „ terarum conſequentia declaret, & tempus, & liberorum „ nomina, item & unciarum numerum, ſeu ſigna rerum ſpe- „ cialium.

27 Si ſupradicto modo parens manu propria teſtamentum inter liberos totum ſcripſit, valet etiamſi ipſemet nomen ſuum non ſubſcribit. *Communis, arg. cit. l. Hac conſultiſſima* 21. *& cit. Authentic. Quod ſine, Cod. De teſtamentis*. Si autem non
28 ab ipſo parente, ſed ab alio ſcriptum ſit Teſtamentum, ad hoc ut ſit validum abſque omni alia ſolemnitate, debet parens propria manu ipſum ſubſcribere. *Communis*, *arg. cit. l. Hac conſultiſſima* 21. *Cod. De Teſtamentis*.

29 Etiam Nuncupativum Teſtamentum inter liberos valet, quamvis careat omni alia ſolemnitate, dummodo per duos teſtes, conſtet de voluntate Teſtatoris. *Communis cit. leg. Hac conſultiſſima* 21. §. *Ex imperfecto, Cod. de Teſtamentis*, ubi ſine ulla diſtinctione Teſtamenti ſcripti, & Nuncupativi abſolute dicitur Teſtamentum imperfectum valere, ſi ſit inter liberos.

30 Nec tales teſtes in Teſtamento Nuncupativo inter liberos debent neceſſario eſſe rogati. Et in tali teſtamento poſſunt eſſe teſtes etiam feminæ. *Communis*. Quod enim teſtes debeant eſſe rogati, & maſculi, eſt ſolemnitas Juris Civilis requiſita ad teſtamentum non privilegiatum, quæ in teſtamento privilegiato, uti eſt teſtamentum inter liberos, non attenditur, textu expreſſo *in cit. l. Inter omnes* 36. *Cod. Familiæ Erciſcundæ*, ibi: *Etiamſi ſolemnitate Legum hujuſmodi diſpoſitio fuerit deſtituta.*

31 Teſtamentum inter liberos eſt validum, quamvis parens eos inequaliter inſtituat, uni majorem, & pinguiorem partem hereditatis aſſignando, quam alteri; dummodo cuivis Legitimam relinquat. Sic fere Communis Doctorum contra paucos per textum *in l. Parentibus* 8. *Cod. de inofficioſo Teſtamento Parentibus arbitrium dividendæ hereditatis inter liberos adimendum non eſt: Dummodo non minus is, qui pietatis ſibi conſcius eſt, partis, quæ inteſtato defuncto potuit ad eum pertinere, quartam ex judicio parentis obtineat*, & concordat *lex Cum pater* 77. §. 8. *ff. de Legatis* 2.

Teſtamentum inter liberos non valet, ſi nullus in eo inſtitutus ſit heres. *Communis*. Nullum enim Teſtamentum, quantumvis privilegiatum valet, ſeu ſubſiſtit ſine heredis directa inſtitutione per Jura adducta *art. antecedenti n.*3. Vide *ibi*. 32

Teſtamentum minus ſolemne inter liberos non valet quoad extraneas perſonas heredes inſtitutas. *Communis*, textu expreſſo *in cit. l. Hac conſultiſſima* 21. §. *Ex imperfecto, Cod. de Teſtamentis*, ibi: *Ex imperfecto autem Teſtamento voluntatem tenere defuncti niſi inter ſolos liberos a parentibus utriuſque ſexus habeatur, non volumus; Si vero in hujuſmodi voluntate liberis alia ſit extranea mixta perſona, certum eſt eam voluntatem defuncti quantum ad illam duntaxat permixtam perſonam pro nullo haberi, ſed liberis adcreſcere.* 33

Si autem in Teſtamento minus ſolemni inter liberos extraneæ perſonæ relinquitur aliquid per modum legati, aut Fideicommiſſi, valet. Covarr. *de Teſtament. cap.* 11. *num.*2. Molina *diſp.* 128. *numer.* 2. citans communem, Alexander *conſil.* 41. *& conſil.* 103. teſtans de communi, Reiffenſt. *loc. cit. num.* 204. & plurimi alii contra Jaſonem, & alios per textum *in Authent. Quod ſine, Cod. de teſtamentis*, ibi: *In quo* (ſcilicet Teſtamento minus ſolemni inter liberos) *& aliis legari, & fideicommitti, & libertas relinqui poteſt* Et ratio eſt, quia, cum tale teſtamentum valeat tamquam principale, debet valere etiam legatum aut fideicommiſſum tanquam acceſſorium, *arg. cap. Acceſſorium* 24. *de Regulis Juris in* 6. ibi: *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.* 34

Teſtamentum minus ſolemne patris inter liberos naturales, & ſpurios non eſt privilegiatum, adeoque non valet. *Communis*. Et ratio eſt, quia, dum Lex mentionem facit de liberis, ac filiis, ordinarie ſoli legitimi intelliguntur, *leg. Filium* 6. *ff. De his, qui ſunt ſui*: Tum quia non eſt credibile, quod Jura ſpeciale privilegium concedere velint filiis illegittimis ob inordinatam patris libidinem alias ſuſpectis. 35

Valet tamen teſtamentum minus ſolemne matris inter liberos naturales, & ſpurios. *Communis*. Et ratio eſt, quia reſpectu matris filii naturales reputantur pro legittimis in ordine ad capiendam hereditatem; *leg. Noviſſime* 3. *Inſtit. de Senatuſconſulto Orphiciano*, *leg. Hac part* 2. *ff. Unde cognati*. 36

Teſtamentum militis factum ab ipſo in expeditione bellica, prælio, vel conflictu actuali, conſequenter in periculo, ac diſcrimine belli conſtituto, nullam penitus Juris Civilis ſolemnitatem ad ejus valorem requirit, ſed ſufficit, ſi de voluntate ipſius militis ſatis conſtet, quomodocumque dein innoteſcat. *Communiſſima*, textu expreſſo *in leg. Milites* 15. *Cod. De Teſtamento militis*, ibi: „ Milites in expeditione „ degentes, ſi uxores, aut filios, aut amicos, aut com- „ militones poſtremo cujuslibet generis homines amplecti „ voluerint ſupremæ voluntatis affectu, quomodo poſſint, „ ac velint, teſtentur: nec uxorum aut filiorum eorum, „ cum voluntatem patris reportaverint, meritum, aut liber- „ tas, dignitaſve quæratur. Proinde ſicut Juris rationibus „ licuit, ac ſemper licebit, ſi quid in vagina, aut clypeo lit- „ teris ſanguine ſuo rutilantibus annotaverint, aut in pulvere „ inſcripſerint gladio ſuo ipſo tempore, quo in prælio vitæ „ ſortem derelinquunt, hujuſmodi voluntatem ſtabilem eſſe „ oportet „. Et concordat *leg. Militibus* 1. *ff. de teſtamento Militis*: ibi: Simplicitati eorum conſulendum exiſtimavi, ut quoquo modo teſtati fuiſſent, rata eſſet eorum voluntas. Faciant igitur Teſtamenta, quomodo volent, faciant quomodo poterint. Sufficiatque ad bonorum ſuorum diviſionem faciendam nuda voluntas Teſtatoris „. Item concordat *Inſtitut. de militari Teſtamento, in principio*, ibi: „ Quamvis ii neque legitimum numerum teſtium adhi- „ buerint, neque etiam Teſtamentorum ſolemnitatem obſervaverint, recte nihilominus teſtantur, videlicet cum in expe- „ ditionibus occupati ſunt. 37

Qui Urbem obſident, vel obſeſſam actualiter defendunt, in expeditione bellica, quo ad hoc, eſſe cenſentur, ideoque eodem privilegio, quoad Teſtamentum gaudere debent: Omnes enim iſti in manifeſtis periculis ob machinationes reciprocas verſantur, & quaſi in continuo conflictu, & præ aliis potiſſimum in expeditione bellica exiſtunt. Unde cum de iſtis militet eadem ratio, debet de iſtis militare eadem Legis diſpoſitio, *leg. Illud* 32. *ff. Ad Legem Aquil. & cap. Inter corporalia* 2. *de translation. Epiſcop.* Cum ratio Legis ſit anima Legis, *leg. Cum ratio* 7. *ff. de bonis damnatorum.* Ita Andlerus *in Medulla Juris, de Teſtamento Milit. num.*1. Schmidt *Ad ſtatuta Bavarica tit.*34. *art.*7. *n.*4. Reiffenſtuel *loc. cit. n.*213. & alii. 38

39 Ad

39 Ad Teſtamentum militis in caſtris quidem, ſed abſque actuali expeditione bellica, ſeu actuali conflictu ſecure degentis requiruntur duo ſaltem teſtes. *Communis hodie ac certa* per receſſum Imperii 1512. teſte Reiffenſtuel *loc. cit. numer.* 214. *cum aliis ibi allegatis.*

40 Ad valorem Teſtamenti Militis nec in caſtris, nec in aliqua actuali expeditione bellica, ſed vel in hybernis, vel in fortalitiis obſidionem actualem non patientibus præſidiarii exiſtentis, ſeu alibi ſecure degentis, requiruntur ordinariæ Juris ſolemnitates: ſimile enim teſtamentum non eſt ad id a Jure privilegiatum. *Communis*, textu expreſſo *in principio Inſtitut. de Militari teſtamento*, ibi: ,, Illis autem temporibus, per quæ citra expeditionum neceſſitatem in ,, aliis locis, vel ſuis ædibus degunt, minime ad vindicandum ,, tale privilegium adjuvantur, ſed teſtari quidem & ſi filii ,, familiarum ſint propter militiam conceduntur, Jure tamen ,, communi eadem obſervatione, & in eorum Teſtamentis ,, adhibenda, quam in Teſtamentis paganorum proxime ex- ,, poſuimus.

41 Quamvis Teſtamentum militis in actuali expeditione bellica quomodocumque valide fieri poſſit, ſi tamen ejus voluntas non aliter quam per teſtes probari poſſit, duo ſaltem teſtes ad id requiruntur. *Communis*, per *text. in §. Plane 1. Inſtitut. de militari Teſtamento*. Et ratio eſt, quia Regula generalis eſt quod unus teſtis ad probandum non ſufficiat cum alterius præjudicio, *argum. cap. Licet univerſis 23. de teſtibus.* Unde militis heredes ab inteſtato cum ſuo, vel alterius præjudicio uni ſoli teſti, quamvis omni exceptione majori, credere in tali caſu non tenerentur.

42 Teſtamenta Militum in Actuali expeditione bellica facta gaudent adhuc aliis privilegiis. Primo, quod Teſtamentum factum in actuali expeditione bellica per integrum adhuc annum validum ſubſiſtat, poſtquam miles a militia jam dimiſſus, vel a caſtris rediens in alio ſecuro loco degit. *Communis*, textu expreſſo *in §. Sed hactenus 3. Inſtit. de Melitari Teſtamento*, ibi; ,, Et quod in caſtris fecerint Teſta- ,, mentum non communi Jure, ſed quomodo voluerint. poſt ,, miſſionem intra annum valebit. Quid ergo ſi intra annum ,, quis deceſſerit, conditio autem heredi adſcripta poſt an- ,, num extiterit? An quaſi militis Teſtamentum valeat? & ,, placet valere quaſi militis ,,. Unde heres inſtitutus poſſet vi talis teſtamenti hereditatem capere, ſi miles intra annum in ſua Domo decederet, & concordat *lex Quod dicitur* 38. *ff. De Teſtamento Militis*, ibi: ,, Quod dicitur, ſi miles in- ,, tra annum quam miſſus eſt, deceſſerit, valere ejus Teſta- ,, mentum, quod jure militari fecerat, verum eſt, etiam ſi ,, poſt annum conditio inſtitutionis extiterit, mortuo eo in- ,, tra annum. Et ideo ſi heredi filio ſubſtituerit, nihil inte- ,, reſt, quando filius moriatur, ſufficit enim patrem intra an- ,, num obiiſſe ,,. Secundo, ſi quis ante militiam non Jure fecit Teſtamentum, & miles factus in actuali expeditione bellica degens reſignavit illud, & quædam adjecit, ſive detraxit, vel alias manifeſta eſt militis voluntas hoc valere volentis tunc valet tale Teſtamentum, ac ſi haberet omnes ſolemnitates. *Communis*, textu expreſſo *in §. Sed & ſi quis* 4. *Inſtit. de militari Teſtamento*. Tertio, Teſtamentum in actuali expeditione bellica factum non ſubjacet Legi Falcidiæ. *Communis*, textu expreſſo *in l. Si certarum* 17. §. 4. *ff. de teſtamento Militis*, Quarto nec ſubjacet querelæ inofficioſi teſtamenti. *Communis* per textu *in l. Cum antiquis* 37. *Cod. de inoſficioſo teſtamento*. Quinto poſſunt in eis inſtitui heredes etiam deportati, & fere omnes, qui Teſtamenta facere non poſſunt. *Communis*, textu expreſſo *in leg. Idem eſt* 13. §. 2. *ff. de teſtamento Militis*.

43 Teſtamentum Ruſtici poteſt Ruri fieri coram quinque teſtibus, caſu, quo Ruſticus in loco, ubi teſtatur, ſeptem teſtes alias de Jure requiſitos, habere commode nequeat. *Communis*, textu expreſſo *in l. Et ab antiquis* 31. *Cod. de teſtamentis*, ibi: ,, In illis vero locis, in quibus raro inve- ,, niuntur homines litterati, per præſentem Legem ruſticanis ,, concedimus antiquam eorum conſuetudinem Legis vicem ,, obtinere, ita tamen ut ubi ſcientes litteras inventi fuerint, ,, ſeptem teſtes, quos ad teſtimonium convocari neceſſe eſt, ,, adhibeantur, ut unuſquiſque pro ſua perſona ſubſcribat. ,, Ubi autem non inveniuntur litterati ſeptem teſtes, etiam ,, ſine ſcriptura teſtimonium adhibentes admittit; ſin autem ,, in illo loco minime inventi fuerint ſeptem teſtes, uſque ad ,, quinque modis omnibus teſtes adhiberi jubemus, minus ,, autem nullo modo concedimus; Si vero unus, aut duo, ,, vel plures fuerint litterati, liceat eis pro ignorantibus litte- ,, ras, præſentibus tamen, ſubſcriptionem ſuam interpone- ,, re. Sic tamen ut ipſi teſtes cognoſcant teſtatoris voluntatem ,, & maxime quem, vel quos heredes ſibi relinquere volue- ,, rit, & hoc poſt mortem teſtatoris jurati deponant: Quod ,, igitur quiſque ruſticorum, ſicut prædictum eſt, pro ſuis ,, rebus diſpoſuerint, hoc omnimodo Legum ſubtilitate re- ,, miſſa firmum, validumque conſiſtat.

Dicti teſtes pro teſtamento ruſtici debent eſſe litterati, ſi haberi poſſint & omnes ſe ſubſcribere debent, ut clare patet ex expreſſis verbis textus adduct:, ibi: *Ita tamen, ut ubi ſcientes litteras inventi fuerint ſeptem teſtes, quos ad teſtimonium convocari neceſſe eſt, adhibeantur, ut unuſquiſque pro ſua perſona ſubſcribat.* 44

Si autem non omnes ſeptem, vel reſpective quinque, unus tamen, vel plures ſcribere ſcientes facile inveniri poſſunt, debent illi loco aliorum, litteras ignorantium, ipſis præſentibus, teſtamentum ſubſcribere, ut expreſſe habetur ex adductis illis verbis: *Si vero unus, aut duo, vel plures fuerint litterati, liceat eis pro ignorantibus litteras, præſentibus tamen, ſubſcriptionem ſuam interponere.* 45

Si vero nullus litteratus haberi poſſit, poteſt Ruſticus etiam oretenus coram ſeptem teſtibus, ſi haberi poſſint, vel coram quinque, ſi ſeptem commode haberi nequeant, valide teſtari per verba. Sic expreſſe ex illis verbis: ,, Ubi autem ,, non inveniuntur litterati ſeptem teſtes, etiam ſine ſcriptu- ,, ra teſtimonium adhibentes admittit; Sin autem in illo lo- ,, co minime inventi fuerint ſeptem teſtes, uſque ad quinque ,, modis omnibus teſtes adhiberi jubemus. 46

Teſtamentum ruſtici coram paucioribus, quam quinque teſtibus, nullo modo valet, etiamſi fiat in loco, ubi quinque teſtes haberi non poſſunt. Sic expreſſe habetur ex illis verbis: *Uſque ad quinque modis omnibus teſtes adhiberi jubemus, minus autem nullo modo concedimus.* 47

Teſtes in Teſtamento ruſtici eodem modo debent eſſe idonei, & qualificati, ſicuti in aliis Teſtamentis non privilegiatis. Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 121 cum variis aliis ibi citatis. Et ratio eſt, quia eo ipſo, quod Jura pro teſtamento ruſtici diſpenſant ſolummodo in quantitate teſtium, videntur velle, quod dicti teſtes habeant etiam pro ipſo eaſdem qualitates, quas habere debent pro aliis non privilegiatis, cum exceptio unius firmet Regulam in contrarium, *leg. In iis, ff. de Legibus, & leg. Quæſitum* 12. §. 43. *ff. de Inſtrumento legato*, & diſpenſationes ſint odioſæ, & ideo reſtringendæ, nec extendendæ de uno ad aliud, *arg. cap. Si is 2. de filiis Preſbyterorum in 6.* 48

Ruſtici habitantes in Pagis ubi ſeptem teſtes facile haberi poſſunt, ſicut ſi in Urbe, vel Oppido Teſtamentum faciant, licet alias ordinarie ruri habitent, nullo gaudent ad id privilegio. *Communis*, teſtibus Julio Claro *loc. cit. q.* 56. *num.* 6. & Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 219. Et ratio eſt, quia tunc non ſunt in loco, ubi teſtes haberi nequeunt ut ad tale privilegium requirit *cit. l. Et ab antiquis* 31. *Cod. de teſtamentis*: Ceſſante autem ratione, & cauſa legis, ceſſat ipſa Lex *leg. Adigere* 6. §. 2. *ff. de Jure Patron.* Cum ratio Legis ſit anima Legis; *l. Cum ratio* 7. *ff. De bonis damnatorum*. 49

An autem tali privilegio Ruſticorum gaudeant etiam Cives, & nobiles ruri recreationis gratia, vel alia de cauſa degentes, & ibi egrotantes, ac ideo ibidem teſtantes? Controverſia eſt inter Doctores. Varii enim apud Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 222. tenent abſolute affirmativam ſententiam, quia, dicunt, in his eadem militat ratio, defectus nempe teſtium, & conſequenter eadem debet militare juris diſpoſitio, *l. Illud* 42. *ff. Ad Legem Aquil. l. Ideo* 27. *ff. De Legibus, cap. Inter corporalia* 2. *de translatione Epiſcopi* Cum ratio Legis ſit anima Legis, *cit. l. Cum Ratio* 7. *ff. de bonis damnatorum*. Clarus autem §. *Teſtamentum quæſt.* 56. *num.* 6. Bartolus *in cit. leg. Et ab antiquis* 31. *n.* 2. *Cod. de Teſtamentis* & Reiffenſtuel *loc. cit.* ubi teſtatur de communi, tenent probabilius negativam ſententiam, & ratio eſt, quia *in cit. leg. Et ab antiquis* tale privilegium eſt conceſſum ruſticis, non ſolum ob defectum teſtium, ſed etiam, & primario ob ſimplicitatem, & imperitiam ruſticorum, ut patet ex verbis ipſiuſmet Legis, ibi: ,, ,, & ab antiquis Legibus, & a diverſis retro Principibus ſem- ,, per ruſticitati conſultum eſt, & in multis Legum ſubtilita- ,, tibus ſtricta obſervatio eis remiſſa.. homines ruſtici, & ,, quibus non eſt litterarum peritia quomodo poſſunt tantam ,, Legum ſubtilitatem cuſtodire in ultimis ſuis voluntatibus? ,, Ideoque ad Dei humanitatem reſpicientes, neceſſarium 50





,, duximus per hanc Legem eorum ſimplicitati ſubvenire ,,: Tum quia ibidem ſubjungitur: *In illis vero locis, in quibus raro inveniuntur homines litterati, per præſentem Legem ruſticanis concedimus*. Unde hoc ipſo quod *ſolis ruſticanis* id concedatur, ceteris implicitate negatur, quamvis per accidens exiſtant etiam in loco, ubi litterati non reperiuntur; Cum diſpenſationes Legis ſint odioſæ, ac ideo reſtringendæ, nec extendendæ de uno ad aliud, *arg. cap. Si is 2. de filiis Preſbyteror. in 6. cap. Odia 15. de Regulis Juris in 6.*

51 Ad Teſtamentum factum tempore peſtis ita ſævientis, ut ſeptem teſtes haberi nequeant, ſufficiunt quinque, vel etiam duo ſoli teſtes. Gailus *l. 2. obſerv.* 118. *n.* 18. dicens ita practicari in Camera Imperiali; ita etiam Mynſing. *Cent.* 1. *Obſerv.* 96. Clarus *loc. cit. q.* 56. *n.* 6. Jaſon. *in cit. l. Et ab antiquis* 21. *n.* 3. 4. *&* 5. *C. de Teſtamentis*, Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 229. & plures alii. Et ratio eſt, quia, ubi clarus non habetur textus, *optima Legum interpres eſt conſuetudo, leg. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus, & cap. Cum dilectus* 8. *de conſuetudine*. Unde cum conſuetudo, & praxis recepta in Camera Imperiali ex ſupracitatis Doctoribus habeat, quod ad tale teſtamentum duo teſtes ſufficiant, ſtat firma noſtra concluſio.

52 Immo varii volunt, quod ad tale teſtamentum tempore peſtis adeo ſævientis ea ſola ſufficiant, quæ de Jure naturæ, & gentium requiruntur, & conſequenter hujuſmodi Teſtamentum coram duobus teſtibus factum in utroque Foro ſubſiſtat. Sic Florianus *in l. Milites* 15. *Cod. de Teſtamentis Milit.* Portius §. *final. Inſtitut. de Teſtamen. Milit.* Paulus Comitolus *lib. 7. reſponſ. moral. quæſt.* 1. *concluſ.* 2. & alii. Et ratio eſt, quia in caſu neceſſitatis receditur a Jure communi, cum ipſi illa non ſubjaceat, *l. Ubi abſunt* 19. *ff. de Tutoribus, & Curatoribus: l. Cæſar* 15. *ff. de Publicanis, & vectigalibus, & cap. Conſilium* 2. *de obſervat. jejunior.* ibi: *Cum non ſubjaceat Legi neceſſitas, c. Sicut* 11. *diſt.* 1. *de conſecrat.* ibi: *Neceſſitas non habet legem*; cum ſimilibus.

53 Stando tamen in præciſo rigore Juris Communis, ad Teſtamentum tempore peſtis non ita ſævientis, quin haberi poſſint ſeptem teſtes, & obſervari aliæ ſolemnitates alias requiſitæ debent omnes tales ſolemnitates obſervari, & omnes dicti ſeptem teſtes adhiberi, quamvis alioquin non omnes ſeptem ſimul, & ſemel congregati eſſe debeant, ſed ſucceſſive venire poſſint, textu expreſſo *in leg. Caſus majoris* 8. *Cod. de Teſtamentis*, ibi: ,, Caſus majoris, ac novi contin- ,, gentis ratione adverſus timorem contagionis quæ teſtes ,, deterret, licet aliquid de Jure laxatum eſt, non tamen ,, prorſus reliqua teſtamentorum ſolemnitas perempta eſt; ,, Teſtes enim hujuſmodi morbo oppreſſos eo tempore jungi, ,, atque ſociari remiſſum eſt; Non etiam conveniendi numeri ,, eorum ſublata eſt.

54 Teſtamentum Principi oblatum inter omnia privilegiatiſſimum, eſt illud, quod Teſtator prius abſque ulla Juris ſolemnitate in Scripturam redigit, & poſtea Supremo Principi vel ejus nomine Deputatis offert rogans, ut illud auctoritate Principis ſuſtineatur. *Sic in re Communis*, per text. *in l. Omnium* 9. *Cod. de Teſtamentis*.

55 Teſtamentum coram Principe factum æque privilegiatum, eſt illud, quod teſtator coram Principe, vel ejus Deputatis oretenus abſque ulla Juris ſolemnitate facit, ultimam ſuam voluntatem declarando, ſeu manifeſtando, & rogando, ut Principis auctoritate ſuſtineatur. *Sic in re Communis* per text. *in cit. l. Omnium* 19. *Cod. de teſtamentis*. Unde, ut vides,
56 non ſolum teſtamentum in ſcriptis jam factum Principi offerri, ſed etiam oretenus coram eodem poteſt fieri teſtamentum validiſſimum abſque omni Juris ſolemnitate, ut tradit Communiſſima Doctorum.

57 Teſtamentum Principi oblatum, vel coram eo factum eſt validiſſimum abſque omni Juris ſolemnitate. *Communis*, per expreſſum textum *in cit. l. Omnium* 19. *Cod. de teſtamentis*, ubi dicitur, quod æque ſecurus ſit teſtator, ſive auribus privatorum adhibita ſolemnitate ordinaria, ſive ſine ſolemnitate ordinaria coram Principe teſtatur, ibi: ,, Aut auribus ,, privatorum mentis ſuæ poſtremum publicavit judicium, ,, ita nec de ejus unquam ſucceſſione tractabitur, qui Nobis ,, mediis, & toto Jure (quod in noſtris eſt ſcriniis conſtitu- ,, tum) teſte ſuccedit ,,. Et ratio potiſſima eſt, quia ut ibi dicitur, Principis auctoritas omnem ſolemnitatem ſuperat; Eo vel maxima quod Princeps nunquam ſolus, ſed ſemper Nobilibus, aliiſque omni exceptione majoribus perſonis ſtipatus exiſtat, ibi; ,, Omnium Teſtamentorum ſolemnitatem ,, ſuperare videtur, quod inſertum mera fide precibus inter ,, tot Nobiles, probataſque perſonas, etiam conſcientiam ,, Principis tenent.

Item privilegiatum eſt Teſtamentum *Ad acta datum*, & eſt illud, quod Teſtator prius jam abſque ſolemnitate factum, & in ſcripturam redactum Judici, vel Deputatis ab eo, offert. *Sic in re Communis*, per text. *in cit l. Omnium* 19. *Cod. de teſtamentis*. 58

Item privilegiatum eſt Teſtamentum *apud Acta*, ſeu *coram Actis factum*, & eſt illud, quod Teſtator facit oretenus ſuam ultimam voluntatem coram Judice, vel Deputatis ab eo, clarando, & manifeſtando. *Sic in re Communis*, per textum *in cit. l. Omnium*. 59

Ad valorem Teſtamenti *ad acta dati*, ſeu *apud* Acta, vel coram *Actis facti*, ſive in loco Judicii, ſive extra illud nulla alia requiritur Juris ſolemnitas; Dummodo alias legitime conſtet, & probari poſſit Teſtamentum revera *ad acta datum*, ſeu *apud Acta*, vel *cor. Actis factum* fuiſſe. *Communis*, per text. *in cit. l. Omnium* 19. *& l. Sancimus* 27. *cod. de teſtamentis.* Et ratio eſt, quia in tali Teſtamento auctoritas Judicis requiſitas ſolemnitates ſupplet; immo ſuperat, ut expreſſe dicitur *in c. leg. Omnium*, ibi: *Omnium, teſtamentorum ſolemnitatem ſuperare videtur* &c. Unde *leg. In donationibus* 31. *Cod. de donationibus* ſic expreſſe ſtatuitur: *In donationibus, quæ Actis inſinuantur, non eſſe neceſſarium judicamus vicinos, vel alios teſtes adhibere. Nam ſuperfluum eſt privatum teſtimonium, cum publica monumenta ſufficiant.* 60

Teſtamenta Cardinalium ſunt æque privilegiata, ac teſtamenta militum. Card. de Luca *de teſtamentis diſ. 7. num* 7. Alban. *de Cardinalibus q.* 42. §. 2. Germon. *de Sacror. Immun. lib. 3. cap. 6. n. 66.* Gratian. *diſceptat.* 312. *n.* 11. Diana *par. 5. tract. 2. de Cardinalibus cap.* 41. Barboſ. *lib.* 1. *Juris Eccleſiaſtic. univerſ. cap. 5. n.* 101. cum aliis ibi citatis. Et in ipſis attenditur ſola veritas naturalis. Rota *in Romana Legati* 14. *April.* 1660. *coram Priolo*, Card. de Luca *loc. cit. n.* 8. Jacob Gall. *conſil.* 60. & alii. Atque ſufficit ſola ſchedula ſcripta, vel ſubſcripta manu Cardinalium abſque teſtibus. Card. de Luca *de teſtamentis diſc.* 14. *n.* 9. Card. Petra *tom. 2. commentar. ad Conſtit. X. Innocent.* III. *Sect.* 3. *n.* 18. Abb. *conſil.* 32. *n.* 2. *& ſeq. lib.* 2. Achill. de Graſſ. *deciſ.* 1. *de teſtamentis*, & alii. 61

### *Novæ additiones ex aliena manu.*

AGIT hic *Auctor* de Teſtamentis, in quibus remiſſus eſt rigor ſolemnitatum juris Civilis. Liber vero aliqua addere de teſtamento ad pias cauſas. 1

Quod attinet ad teſtamentum ad pias cauſas, quæſtionis eſt, an teſtamentum, in quo pia cauſa per fideicommiſſum vocata eſt, dici queat ad pias cauſas. De hac autem quæſtione hic fuit ſenſus Rotæ *in Majoricen. Immiſſionis* 31. *Jan.* 1735: *cor. Eminen. Creſcen*: *Fruſtra* (ſunt ejus verba §. 5. & ſequent.) ,, ad evitandam prædicti textus cenſuram impu- ,, gnatur in hypotheſi favor piæ cauſæ, ex quo Collegium ,, nec directe inſtitutum legeretur, neque ſubſtitutum ſub ,, aliqua conditione certo extitura, ſed vocatum tantummodo ,, ſub duplici conditione, quod nempe Antonius primus ,, hæres obiret ſine filiis, quod iſti ſine liberis ac deſcenden- ,, tibus decederent, quod nunquam evenire quum poſſet, ,, non erat proinde cur in his terminis diſpoſitio diceretur ad ,, pias cauſas ad effectum gaudendi illius privilegiis &c. Aſ- ,, ſumptum namque procederet, & contrariæ auctoritates ,, locum haberent, ubi jus & vocatio piæ cauſæ adhuc ſub ,, incerta conditione maneret, ita ut privilegium reſpiceret ,, prius commodum intermediæ privatæ Perſonæ illud al- ,, legantis. Secus autem ubi prout in caſu purificata jam con- ,, ditione præſens ac certum eſt jus cauſæ piæ, factuſque jam ,, locus illius ſubſtitutioni. In his quippe terminis nihil re- ,, fert an directa vel obliqua, an proxima vel remota fuerit ,, ab initio vocatio ejuſdem cauſæ piæ ad hoc ut teſtamen- ,, tum non ſubiaceat cenſuræ juris civilis, ejuſque ſolemni- ,, tatibus &c ,,. Confer etiam *confirmatoriam* 13. *Aprilis* 1736. §. *Neque, & plur. ſequent. cor. eodem*. 2 3

Num privilegium teſtamenti ad cauſas pias ad legata profana in eo contenta etiam extendatur, acerrima quæſtio eſt. 4
Affirmativam opinionem pluribus cumulatis tenet *Lanfredin. Reſponſ. Eccleſ.* 4. *n.* 11. ea de ratione. ,, Quod propter in- ,, dividuitatem teſtamenti, & mutuæ rationem juſtitiæ, cujus 5

„ Eccleſia cultrix eſſe debet; validitas ex piæ cauſæ ratione „ inducta legatis etiam profanis communicetur, & quæ, „ cumque diſpoſita in teſtamento ubi pia cauſa ſit inſtituta. exequutioni demandanda ſint.

6 In concernentibus vero voluntatem, nullum eſt privilegium piæ cauſæ. Utile propterea eſt noſſe quando ſchedula ad pias cauſas contineat perfectam diſpoſitionem, & quando præparationem ad diſponendum. Vide tamen *Lanfredin. Reſponſ Eccleſ. 29. n. 16. & plur. ſequent. Rota in Anconitana Legati pii* 18. *Junii* 1742. *cor. Reverendiſſ. Molin.*

## ARTICULUS III.

Teſtamentum quo ad ea, quæ concernunt illos, qui poſſunt, vel non ipſum facere, heredes in ipſo inſtitui, & ejuſdem Executores eſſe, eorumque obligationem.

1 QUilibet Teſtamentum facere poteſt, qui nec Jure naturali, nec poſitivo prohibetur. *Communis*, per text expreſſum *in l. Habeat unuſquiſque* 1. *Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis*; *& leg. Ex facto* 43. *in principio ff. de vulgari, & pupillari ſubſtitut.* ubi dicitur, iniquum eſſe auferre Teſtamenti factionem homini ſanæ mentis, ibi: „ Etenim iniquum in„ cipit fieri Beneficium Principis, ſi adhuc id valere dica„ mus, auferre enim teſtamenti factionem homini ſanæ „ mentis.

2 Jure Naturæ Teſtamentum facere non poſſunt infantes ante ſeptennium, utpote uſu rationis carentes, qui uſus rationiss de Jure naturæ requiritur ut actus humanus valeat: *Communis, arg. §. Præterea* 1. *Inſtit. Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum*, ibi: *Item furioſi, quia mente carent*, & concordat *l. In eo* 2. *& l. in adverſa* 17. *ff. Qui Teſtamenta facere poſſunt*.

3 Item Teſtamentum facere non poſſunt furioſi, amentes, mente capti, ac omnes qui uſu rationis carent, tempore, quo uſu rationis actualiter privati exiſtunt, *Communis*, per textus expreſſos *in citat. §. Præterea* 1. *Inſtit. Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum*], ibi: *In eo* 2. *ff. Qui teſtamenta facere poſſunt*, ibi: *In eo qui teſtatur, ejus temporis, quo Teſtamentum facit, integritas mentis, non corporis ſanitas exigenda eſt*; *l. In adverſa* 17. *ff. eod.* ibi: *in adverſa corporis valetudine mente captus eo tempore teſtamentum facere non poteſt*. Et concordat *lex Furioſum* 9. *Cod. Qui teſtamenta facere poſſunt*, *& leg.* Furioſi 40. *ff. de Regulis Juris*.

4 Valet tamen teſtamentum ab ipſis factum, antequam eſſent furioſi, amentes, mente capti, ſeu uſu rationis privati, *Communis*, textu expreſſo *in cit. §. Præterea* 1. *Inſtit. Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum*, ibi: *Certe eo quod ante furorem fecerint, valente teſtamento*: *leg. Qui teſtamenta* 20. §. 4. *ff. Qui teſtamenta facere poſſunt*, ibi: *teſtamentum quoque, quod ante furorem conſumavit, valebit*.

5 Valet etiam teſtamentum ab ipſis factum tempore, quo habent lucida intervalla. *Communis*, textu expreſſo *in cit. §. Præterea*, ibi: „ Furioſi autem, ſi per id tempus fecerint „ teſtamentum, quo furor eorum intermiſſus eſt, Jure teſta„ ti eſſe videntur, „ *leg. Furioſum* 6. *Cod. Qui teſtamenta facere poſſunt*, ibi: „ *Si vero voluerit in dilucidis interval*„ *lis* aliquod condere teſtamentum, vel ultimam volunta„ tem & hoc ſana mente incæperit facere, & conſummavit, „ nullo tali morbo interveniente, ſtare teſtamentum, ſive „ quamcumque ultimam voluntatem cenſemus, ſi & alia om„ nia acceſſerint, quæ in hujuſmodi actibus legitime obſer„ vatio requirit.

6 Dummodo tamen durante lucido intervallo totum abſolvant; alias, ſi durante actu teſtandi, in furorem, amentiam, vel inſaniam, ſeu uſus rationis privationem incidant, totum teſtamentum quo ad cauſas profanas eſt nullum. *Communis* textu expreſſo *in cit. l. Furioſum*, ibi: „ Si cæpto teſtamen„ to furor eum invaſit, ſancimus tale teſtamentum hominis, „ qui in ipſo actu teſtamenti adverſa valetudine tentus eſt, „ pro nihilo eſſe.

7 Item teſtamentum facere non poteſt mutus, & ſurdus ſimul a nativitate; Secus autem ſi ex accidenti modo ſcribere ſciat, vel ſi mutus, aut ſurdus tantum ſit, & voluntatem ſuam ſcripto declarare poſſit. *Communis*, textu claro *in §. Item* 3. *Inſtitut. Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum*, *l. Qui in poteſtate* 6. *ff. Qui teſtamenta facere poſſunt*, *l. Diſcretis* 10. *Cod. eod.*

8 Item teſtari non poteſt cæcus, niſi nuncupative, & obſervatis ſolemnitatibus, quæ deſcribuntur in *leg. Hac conſultiſſima* 8. *Cod. Qui Teſtamenta facere poſſint*. *Communis*, per textum expreſſum *in dicta leg. Hac conſultiſſima*.

9 Item teſtamentum facere non poteſt prodigus, cui a Judice interdicta eſt bonorum adminiſtratio. *Communis*, textu expreſſo *in §. Item prodigus* 2. *Inſt. Quibus non eſt permiſſum facere Teſtamentum*, *& l. Is cui* 18. *ff. Qui Teſtamenta facere poſſunt*.

10 Item teſtamentum facere non poteſt ſervus, ſive mancipium, *Communis*, textu claro *in l. Filius familias* 16. *& l. Si Filius familias* 19. *ff. qui Teſtamenta facere poſſunt*, *& c. illud* 5. *cauſ.* 13. *q.* 2.

11 Item teſtari non poteſt captivus, vel obſes apud hoſtes detentus. *Communis*, texto expreſſo *in §. Ejus qui* 5. *Inſtit. quibus non eſt permiſſum facere Teſtamentum*; *l. Ejus qui* 8. *& l. Obſides* 11. *ff. qui teſtamenta facere poſſunt*.

12 Item teſtari non poteſt damnatus ad mortem naturalem, vel civilem. *Communis* textu expreſſo *in l. Ejus qui* 8. §. 1. & 2. *ff. qui teſtamenta facere poſſunt*, *& l. Si quis* 6. §. 6. *ff. De injuſto, rupto, irrito facto Teſtamento*.

13 Item teſtamentum facere non poſſunt impuberes, maſculi ante annum 14. & feminæ ante annum duodecimum completum. *Communis*, textu claro *in l. Si frater* 4. *Cod. qui teſtamenta facere poſſint*, *l. A qua ætate* 5. *ff. qui teſtamenta facere poſſunt*, *& §. Præterea* 1. *Inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum*, ibi: *Præterea teſtamentum facere non poſſunt impuberes, quia nullum eſt eorum animi judicium*:

14 Item filius familias, qui ſub patris poteſtate eſt, non poteſt teſtari, niſi de bonis caſtrenſibus Jure militari, & quaſi caſtrenſibus, ſervatis ſolemnitatibus Juris Communis, ſi pubes ſit. *Communis*, per textus *in l. Nemo* 11. juncta Gloſſa *ibid. verb. certis*, *& leg. Omnes* 12. *Cod. qui teſtamenta facere poſſint*.

15 De bonis vero adventitiis teſtamentum facere non poteſt, ne quidem patre conſentiente, textu expreſſo *in l. qui in poteſtate* 6. *ff. qui teſtamenta facere poſſunt*, *& princip. Inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum*.

16 Item damnati ob libellum famoſum teſtari non poſſunt. *Communis*, textu expreſſo *in l. Is cui* 19. §. 1. *ff. qui teſtamenta facere poſſunt*, ibi: *Si quis ob carmen famoſum damnatur*], *Senatus conſulto expreſſum eſt, ut inteſtabilis ſit, ergo nec teſtamentum facere poterit*, *l. Ob carmen* 21. *§. de teſtibus*, ibi: *Ob carmen famoſum damnatus inteſtabilis ſit*.

17 Item teſtari non poſſunt rei criminis læſæ Majeſtatis, ideſt qui hoſtile quid contra Supremum Principem, vel ejus Conſiliarios moliuntur. *Communis*, textu expreſſo *in l. quiſquis* 5. *Cod. ad Leg. Juliam Majeſtatis*.

18 Item teſtari prohibentur Hæretici; *Communis*, textu expreſſo *in l. Manichæos* 4. *& l. Ariani* 5. *Cod. de Hereticis*. Et idem eſt dicendum de receptoribus, defenſoribus, & fautoribus ipſorum Hæreticorum; *Authent. Credentes Cod. eod.* ibi: „ Præterea receptatores, & defenſores, & fautores Hæ„ reticorum . . . quilibet talium . . . fit etiam inteſtabilis, „ ut nec teſtandi liberam habeat facultatem, nec ad hæredi„ tatis ſucceſſionem accedat, cap. Excommunicamus 13. §. „ Credentes, de Hæreticis „. Advertendum tamen eſt, quod vi pacis Weſtphalicæ, Lutherani, & Calviniſtæ in Imperio tolerati ſint teſtandi, & aliorum Jurium Civilium capaces.

19 Item teſtari prohibentur Uſurarii publici, & manifeſti, niſi prius uſuras reſtituant, aut de reſtitutione facienda idoneam cautionem præſtent; *Communis* textu expreſſo *in cap. Quamquam uſurarii* 2. *de uſuris in* 6.

20 Item teſtari prohibentur omnes hoſtiliter inſequentes, percutientes, aut offendentes S. R. E. Cardinalem; *Communis*, textu expreſſo *in cap. Felicis* 5. *de pœnis in* 6.

21 Item non deſunt Doctores volentes, quod omnes excommunicati notorii, & vitandi teſtari non poſſint. At communis ſententia tenet contrarium, quia nullibi id reperitur in Jure expreſſum, cum eorum actus privati non ſint irriti, iis tamen exceptis, qui excommunicati ſunt propter Hæreſim, ob dicta *ſupra n.* 18. Sic de communi teſtantur Pirhing. *loc. cit. n.* 25. *in fine*, & Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 319.

22 Qui ſunt inhabiles ex natura ad teſtandum, ut infantes, amentes, inſani, furioſi, muti, & ſurdi ſimul a nativitate, Teſtamenta facere nequeunt neque ad cauſas pias; *Comm.* teſte Reiff. *loc. cit. n.* 320.

Qui



23 Qui autem ad teſtandum ſunt inhabiles ſolum de Jure Civili, poſſunt valide teſtari quoad cauſas pias de iis bonis, quorum perfectum dominium adhuc habent; Riccius *in Prax. aurea part.* 4. *reſolut.* 88. Bartolus *in l.* 1. *Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis* Engel *lib.* 3. *Decretal. titul.* 26. *n.* 4. Reiffenſtuel *ibid. n.* 321. cum Molina, Leſſio, Sanchez ibi citatis, & alii *arg. l. Habeat* 1. *Cod. De Sacroſanctis Eccleſiis*, ubi Conſtantinus Imperator *Unicuique* abſque limitatione, conſequenter etiam alias inhabilibus de Jure Civili concedit licentiam teſtandi ad piam cauſam: Natura enim hujus Dictionis *Unuſquiſque* eſt neminem excludere; *l. hoc articulo* 29. *ff. de hæredibus inſtituendis*, ibi: *Hoc articulo* quiſque *omnes ſignantur*; Tum quia teſtamentum ad pias cauſas nullo modo ſubjacet diſpoſitioni Juris Civilis, ſed ſecundum Canones, Juraque naturæ & gentium judicandum eſt textu expreſſo *in cap. Relatum* 11 *de teſtamentis*.

24 Fuit autem notanter dictum: *De iis bonis, quorum perfectum dominium adhuc habent*, quia de bonis jam propter delicta amiſſis, & Fiſco addictis neque ad cauſas pias teſtari poſſunt, ut præſertim patet de reis criminis læſæ Majeſtatis, de Hæreticis, eorumque fautoribus, qui cum illico bona ſua amittant, eaque Fiſco cedere debeant, neque ad cauſas pias de ipſis, utpote non amplius ſuis, teſtari poſſunt, ut notat

25 Reiffenſtuel *l. c. n.* 324. Ubi *n.* 325. ſubdit, quod prodigi, impuberes judicium naturale ſufficiens ad peccatum mortale jam habentes, & damnati ad mortem, quorum bona non confiſcantur, teſtari poſſint ad cauſas pias.

26 Clerici Sæculares omnes, tam majores, quam minores æque ac Laici facere poſſunt Teſtamentum de bonis ſuis patrimonialibus, & quaſi patrimonialibus, ſeu induſtrialibus. *Communis*, textu expreſſo *in c. Quia nos* 9. *de Teſtamentis*, ibi: *Conſiderationi tuæ reſpondemus, quod Clerici de his, quæ paternæ ſucceſſionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio ſunt adepti, ſeu dono conſanguineorum, aut amicorum, non habito reſpectu ad Eccleſiam, pervenerunt ad ipſos, libere diſponere valeant*; *De his tamen, quæ conſideratione Eccleſiæ perceperunt, nullum de Jure facere poſſunt teſtamentum*. Et concordant *c. Epiſcopi* 19. *cauſ.* 12. *q.* 1. *& c. Placuit* 1. *& c. Quicumque* 2. *ead. cauſ.* 12. *q.* 3.

27 Clerici ſæculares Teſtamentum facere poſſunt etiam de bonis parſimonialibus, S. Thomas 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. *in reſp. ad* 2. Covarruv. *de Teſtam. cap.* 7. *n.* 9. Navarr. *de Reditibus Eccleſ. q.* 1. *n.* 26. *&* 44. Pirhing. *l. c. n.* 33. Reiffenſt. *l. c. numer.* 327. Barboſ. *in c. Cum in Officiis* 7. *de Teſtamentis*, & ipſo teſte *Communis aliorum, arg. cit. c. Epiſcopi* 19. *cauſ.* 12. *quæſt.* 1.

28 Clerici de bonis Eccleſiaſticis ſuperfluis, ſeu de fructibus Beneficii de Jure nullum penitus Teſtamentum, nec ad cauſas pias facere poſſunt. *Communis*, textu expreſſo *in cit. c. Quia nos* 9. *de Teſtamentis*, ibi: *De his tamen, quæ conſideratione Eccleſiæ perceperunt, nullum de Jure facere poſſunt teſtamentum*. Et concordant *c. Quorundam* 1. *c. Cum in Officiis* 7. *c. Ad hæc* 8. *c. Relatum* 12. *de Teſtament.* Vide verb. *Beneficiatus art.* 3. *n.* 1.

29 Notanter autem dicitur Clericum de bonis Eccleſiaſticis nec ad cauſam piam teſtari poſſe *de Jure*, quia de conſuetudine legitima poteſt introduci, ut Clerici Sæculares de bonis Eccleſiaſticis ſuperfluis ad cauſas pias valide teſtari poſſint. *Communis*. Vide d. verb. *Beneficiatus art.* 3. *n.* 2.

30 Non poſſunt tamen Clerici ſæculares, ſive majores, ſive inferiores, neque vi conſuetudinis licite, vel valide teſtari de bonis Eccleſiaſticis ſuperfluis in notabili quantitate ad cauſas profanas. Nec heres profanus poteſt tuta conſcientia tamen hereditatem recipere, & retinere, ſed ſi eam accipiat, tenetur ex Juſtitia eam iterum reſtituere. Vide d. verb. *Beneficiatus art.* 3. *a num.* 3. *ad numer.* 7. *& art.* 1. *a numer.* 36. *ad* 62.

31 Clerici autem incolæ, & Cives Urbis Romanæ, qui in ea, vel ejus diſtrictu deceſſerint, poſſunt libere, & licite, tam inter vivos, quam mortis cauſa de bonis Eccleſiaſticis ſuperfluis diſponere etiam ad cauſas profanas. Vide dict. verb. *Beneficiatus art.* 3. *n.* 8. *&* 9.

32 Regulares omnes profeſſi, tam Superiores, quam ſubditi nequeunt ullum facere Teſtamentum. *Communis, ac certa*. Vide verb. *Regulares art.* 1. *n.* 62.

33 Neque Regulares teſtari poſſunt ad pias cauſas. *Communis*. Vide *ib. n.* 63.

34 Immo neque de licentia Prelati, ſeu Superioris. *Communis*. Vide *ib. n.* 64.



35 Nec poſſunt Regulares teſtari, etiamſi ante Profeſſionem ſibi aliquam ſummam ſuorum bonorum reſervaſſent cum facultate teſtandi. *Communis*. Vide *ib. n.* 65.

36 Quinimo Regularibus profeſſis neque licet Teſtamentum a ſe conditum ante emiſſam Profeſſionem moderare per viam declarationis. Vid. *ib. n.* 66.

37 Poſſunt autem Regulares Profeſſi Teſtamentum a ſe factum ante Profeſſionem interpretari, & declarare, ſi declaratione, aut interpretatione egeat, quia hoc non eſt diſponere de aliquibus bonis, ſed declarare, & explicare diſpoſitionem a ſe factam, quando poterant illam facere. Novarius *in Lucerna Regularium verb. Teſtamentum n.* 7. Portellus *in dubiis Regularium verb. Teſtamentum n.* 2. Lezana *in Summa qq. Regul. verb. Teſtamentum n.* 2. Rodriq. *t.* 3. *q.* 69. *art.* 3. Sanchez *l.* 7. *moral. cap.* 11. *n.* 16. Gozzadin. *conſ.* 41. *n.* 15. 16. 17. Reginald. *l.* 18. *cap.* 27. *n.* 397. Moneta *de commutat. ult. volunt. c.* 5. *q.* 1. *n.* 14. Barboſa *ad Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de Regular. c.* 16. *n.* 21. cum aliis ibi citatis. Vid. verb. *Novitius num.* 55.

38 Novitius poteſt revocare Teſtamentum a ſe factum, ſive ante, ſive poſt ingreſſum Religionis, & durante Novitiatu aliud condere. Vid. d. verb. *Novitius n.* 50.

39 Novitius in Teſtamento nihil poteſt ſibi reſervare ad effectum teſtandi de illo poſt profeſſionem. Vid. *ib. n.* 51.

40 Poteſt tamen Novitius in ſuo Teſtamento præcipere, ut aliquid ex ejus bonis etiam poſt Profeſſionem ſuam quotannis expendatur in pios uſus, ſeu quod alicui ſolvatur annuum legatum, vel ne quid de eis alienetur, & hujuſmodi. Vide *ib. n.* 52.

41 Si Novitius ante profeſſionem teſtari omittat, ſuccedit in ejus bona, actiones, & Jura Monaſterium, ſi ſit capax bonorum: Si autem Monaſterium ſit incapax, ſuccedunt conſanguinei ab inteſtato. Vid. *ib. n.* 53.

42 Poſt Profeſſionem emiſſam non poteſt Religioſus Teſtamentum ante Profeſſionem factum revocare, quamvis, ut ſupra dictum eſt, poſſit ipſum declarare. Vid. *numer.* 54. *&* 55.

43 Novitii poſſunt, ſive ante ingreſſum Religionis, ſive etiam tempore Novitiatus Teſtamentum condere, etiam ante duos menſes proxime præcedentes Profeſſionem, & ſine licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarii Generalis, non obſtante Decreto Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 16. *de Regularibus*, quia ibi non adimitur illis facultas teſtandi, ſed ſolum diſponendi inter vivos, non ſervatis iis, quæ ibi præſcribuntur. Vid. verb. *Novitius n.* 35.

44 Qui poſſint, vel non, Heredes inſtitui in Teſtamento? Vid. verb. *Heres per tot.*

45 Executores Teſtamentorum ſunt, & dicuntur illi, qui vel ex diſpoſitione Legis, vel Teſtatoris, vel Judicis exequuntur defuncti voluntatem. *Sic in re Communis*.

46 Executores Teſtamentorum alii ſunt *Legitimi*, alii *teſtamentarii*, alii *Dativi*. Executores *Legitimi* ſunt, & dicuntur illi, qui ab ipſa Lege, ſeu Jure dantur, ſive quibus munus exequendi a Lege competit. Executores *teſtamentarii* ſunt, qui ab ipſo teſtatore in teſtamento deſignantur, ſeu deputantur. Executores *Dativi* ſunt, quia a Judice, vel Magiſtratu dantur caſu, quo Heres inſtitutus Executor eſſe nequit, aut deſignatus in teſtamento munus exequendi accipere nolit, vel non poſſit. Ita in re Doctores communiter; *arg. tot. titul. ff. de teſtam. tut. & titul. ff. de tutoribus, & curatoribus*, ubi tutores alii ſunt Legitimi, alii teſtamentarii, alii Dativi.

47 Si nullus a teſtatore ſit deſignatus, ſeu deputatus in teſtamento Executor, ipſo Jure Executor eſt ejus Heres, qui de Jure debet integram defuncti voluntatem etiam quoad Legata exequi. *Communis, arg. cap. Nos quidem* 3. *& cap. Si Heredes* 6. *de teſtam. l. Nulli* 28. *Cod. de Epiſc. & Cler. & Novell.* 131. *cap.* 11.

48 Excipiuntur tamen ea, quæ pro redemptione captivorum, vel pauperum alimentis, aut aliis cauſis piis relicta ſunt. Horum enim exequutio, non ad Heredes, ſed ad Epiſcopum loci, tamquam Patrem pauperum, & miſerabilium perſonarum, ac piarum defunctorum voluntatum Executorem de Jure pertinet, ſi nullus alius ſit Executor deſignatus; Sicuti etiam ſi heres, aut Executor deſignatus voluntatem defuncti exigi negligit, Abbas *in c. cap. Nos quidem n.* 4. Covarr. *ibid. n.* 8. Silveſter verb. *teſtamentum* 2. *q.* 8. Molina *de Juſtitia diſp.* 247. *n.* 4. Layman *l.* 3. *tract.* 6. *cap.* 11. *n.* 4. Pirhing. *l. c. n.* 101. Reiffenſt. *l. c. n.* 774. *&* 775. & alii paſſim, per text.



in

*in c.Nos quidem 3. cap. Si Heredes 6. & c. tua nobis 17. de teſtamentis; l.Hereditas 50. ad finem, ff. de Petit. hereditat. l.Nulli 28. Cod. de Epiſc. & Clericis, & Novella 131. c.10. & 11.* Et Conc. Trid. *ſeſſ.22. cap.8, de reform.* ibi: *Epiſcopi etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati in caſibus ab Jure conceſſis omnium piarum diſpoſitionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos ſint Executores.*

49 Immo Epiſcopus poteſt compellere Executores teſtamentarios ad exequendas pias voluntates defunctorum, etiamſi teſtator hoc interdixiſſet. *Communis*, textu expreſſo *in cap. tua nobis 17. de teſtamentis*, ibi: *Cum igitur in omnibus piis voluntatibus ſit per locorum Epiſcopos providendum, ut ſecundum defuncti voluntatem univerſa procedant, licet etiam a teſtatoribus id contingeret interdici; Mandamus quatenus Executores teſtamentorum hujuſmodi, ut bona ipſa fideliter, & plenarie in uſus prædictos expendant, monitione præmiſſa compellas*, juncto ejus Summario ſic expreſſe dicente, ibi: *Epiſcopus compellit Fideicommiſſarios, ſeu Executores Teſtamenti ad exequendas pias voluntates defunctorum, etiamſi Teſtator hoc interdixiſſet*. Et ſic pluries decrevit Sacr. Congregatio Concil. Vide verb. *Adminiſtrator a num. 3.* ubi referuntur decreta.

50 Executores teſtamenti deputari poſſunt a teſtatore unus, vel plures, ſive ex Heredibus, ſive ex extraneis, ſive Clericis, ſive Laicis. Molina *l.c. n.6.* Laym. *l.c. n.102.* Pirhing *l.cit. n.102.* Reiffenſt. *l.c. n.776.* & alii communiter, per textus *in cap.Joannes 19. de Teſtamentis* ibi: *Joannes Clericus, & P. Laicus Executores ultimæ voluntatis*, & concordat *c.tua nobis 17. eodem*.

51 Etiam feminæ eſſe poſſunt Executrices Teſtamentorum. *Communis*, cum ſupracitatis Doctoribus, per text. *in c. Nos quidem 3. de teſtamentis*, & *l.A filio 15. ff. de Aliment. legat.*

52 Item etiam minores 25. annis poſſunt eſſe Executores; dummodo ſeptemdecim annos exceſſerint. Hæc enim ætas ſufficit, ut quis ſit Procurator ad negotia; *c. Qui generaliter 5. §.fin. de Procuratoribus in 6.* Sic Covarruv. *l.c. n.4.* Molina *l.c. n.14.* Pirhing *l.c. n.102.* Reiffenſt. *l.c. nu.776.* & alii paſſim.

53 Executores Teſtamentarii poſſunt eſſe etiam Religioſi omnes (exceptis Fratribus Minoribus) dummodo ad id licentiam habeant a legitimo ſuo Superiore. *Communis*, per clarum text. *in c.Religioſus Executor 2. de teſtamentis in 6.* & *Clementina Religioſis, de teſtamentis*.

54 Per Superiorem autem, qui talem licentiam dare poteſt, intelligitur Superior Localis, ſeu Prælatus Conventus Monaſterii, aut Domus Religioſæ, niſi ſpeciales Conſtitutiones alicujus Religionis aliud ordinent. Pirhing *l.c. n.108.* Reiffenſt. *l.c. n.777.* Sanch. *l.6 moral. cap.11. n.15. & 16.* Franc. *in cit. cap. Religioſus Executor n.1.* Laym. *l.c.* & alii paſſim.

55 Si Religioſus abſque licentia Superioris munus Executoris teſtamentarii, ſive ad cauſas profanas, ſive ad cauſas pias ſuſcipiat, & peragat, adhuc per eum geſta ſunt valida. Felin. *in c.2. de Judiciis*, Layman *l.c. cap.11. n.5.* Pirhing *l. c. numer.109.* Sanchez *l.c. cap.11. n.44.* Barboſa *l.1. Jur. Eccleſ. univerſ. cap.42. n.65.* Azor. *t.1. Inſtit. moral. l. 12. cap.11. q.1.* Lezana *in ſumma q.Regul. verb. teſtamentum quoad Regulares n.4.* & alii plures; Et ratio eſt, quia licet Sacri Canones prohibeant, tamen non annullant executionem a Religioſo abſque licentia Superioris factam, adeoque talis executio eſt quidem illicita, & peccaminoſa, ſed non eſt irrita, & invalida: Tum quia quamvis Religioſus *velle, & nolle* non habeat, *c.Si Religioſus 27. de elect. in 6. & c.Religioſus 2. de teſtamentis in 6. c.Religioſi 5. de ſepulturis in 6.* habet tamen conſenſum naturalem, qui una cum conſenſu teſtatoris ſufficiens eſſe videtur ad hoc officium; *arg. l.Filius familias §.Veterani, ff. de Procuratoribus*, ubi deciditur, quod licet miles eſſe nequeat Procurator in Judicio, tamen, ſi non repellatur, actus ab eo geſtus valeat.

56 Oppoſitum tamen non improbabiliter tenent Covarr. *de teſtam. c.17. n.2.* Molina *l.c. n.9.* Silveſter *loc. c. qu.2. dict.3.* Franc. *in cit. cap.Religioſus 2. n.2. de teſtam. in 6.* & alii, cum quibus videtur inclinare Reiffenſt. *l.c. n.279.* quamvis *n.278.* dicat, quod aliam ſententiam affirmativam cum communi aliorum tenet Felinus *in c.2. de Judiciis*, Laym. *l. c. n.5.* Pirhing *l.c. n.109.* Sanch. *l.c.*

57 Fratres Minores nullatenus poſſunt eſſe Executores teſtamentorum, neque ad cauſas profanas, neque ad cauſas pias; neque a Superioribus poteſt eis ad id licentia concedi. *Communis* text. expreſſo *in Clementina Exivi 1. §.Verum etiam, de verb. ſignif.* ibi: *Prædictis fratribus non licet, nec competit, quia potius (conſiderata ſui puritate ſtatus) debent ſibi ſcire interdictum quod hujuſmodi executionibus, & diſpoſitionibus ſe exponant; cum hæc ſæpius abſque litigio, & contradictione, vel adminiſtratione pecuniæ nequeant expediri.*

58 Poſſunt tamen Fratres Minores dare ad id conſilium Executoribus a teſtatore deputatis. *Communis*, textu expreſſo *in cit. Clementina Exivi §.Verum etiam*, ibi: *Veruntamen in his exequendis dare conſilium ipſorum ſtatui non obſiſtit, cum in hoc ipſis circa bona temporalia nulla Jurisdictio, ſive actio in Judicio, ſive diſpenſatio tribuatur.*

59 Inſuper poteſt teſtator committere alicui Fratri Minori, ut ipſe denominet unum, vel plures Executores. Et etiam præcipere poteſt Executoribus, ut non niſi illis pauperibus, vel cauſis piis hereditatem, vel legata diſtribuant, quos dictus Frater Minor elegerit, deſignaverit, vel denominaverit. Et in tali caſu id licite Frater Minor perageret. Sic Barboſa *in cit. Clementina Exivi n.26.* Covar. *de teſtamentis c.17. nu. 1.* Abbas *in Clem. Religioſus n. penult. de Relig.* Sanch. *l.6. moral. c.11. n.32. & 41.* Rodriquez *Quæſt.Regul. tom. 3. q.70. art.2.* Reiffenſt. *l.c. n.783.* Bartolus ibi cit. & alii contra Molinam, & alios a Sanchez citatos, & ratio eſt, quia in tali caſu ceſſat motivum, & ratio prohibitionis, cum hoc munus ſine ullo litigio, & contractione, vel adminiſtratione pecuniæ omnino exequi valeat Frater Minor, ut de ſe patet: ceſſante autem ratione, & cauſa legis, vel obligationis, ceſſat lex, ſeu obligatio ipſa, *l.Adigere 6. §.2. ff. De Jure Patron.* Cum ratio Legis ſit anima legis *l.Cum ratio 7. ff. de bonis damnatorum*, adeoque &c.

Hinc conclude, quod teſtatorum voluntates Fratres Capuccini, & alii Minoritæ exequi poſſint; nominando, vel eligendo ad ſubſidia dotalia, & ad Beneficia; ac juvenes ad ſeminaria. Sic Sacra Congregatio Concilii in Papien. *Subſidii dotalis die 18. Auguſti 1731.* ex Bullario Cappuccinor. *tom.1. p.187.* ubi refertur integra hæc cauſa cum ſua reſolutione, & egregiis notis. Vide etiam noſtr. t.8. in Appendice Reſolutionum *S. C. Conc.*

60 Regulares Executores Teſtamentarii, ſeu ultimarum voluntatum, tenentur reddere rationem adminiſtrationis, ſeu executionis Epiſcopo; & ſi in hoc deliquerint, poſſunt ab ipſo puniri. *Communis*, textu expreſſo *in Clement. Religioſis, de Teſtamentis*, ibi: ,, Religioſis etiam exemptis deputatis ,, ad executionem cujuslibet ultimæ voluntatis circa ipſius ,, executionis Officium (quod utique non poſſunt, niſi a Superiore ſuo petita ſuper hoc licentia & obtenta, ſuſcipere) ,, volentes præſcindere materiam delinquendi, Pontificiæ ,, conſtitutionis auctoritate ſtatuimus, quod tales (etiamſi ,, Prælationis fungantur Officio) locorum Ordinariis debitam reddere, ipſique Ordinarii abſque dolo, fraude, ſeu ,, negligentia de ſuſceptæ executionis Officio teneantur exigere rationem, Illos, quos circa id deliquiſſe repererint, ,, in aliorum exemplum pœna debita (quocumque non obſtante privilegio) punituri.

61 Immo Regularis Executor ultimæ voluntatis defuncti, quamvis ei ſecreto communicatæ, tenetur adhuc Epiſcopo requirenti aperire Summam, & circa quæ ſit diſtribuenda ac rationem adminiſtrationis reddere, & tunc eſt eidem fides adhibenda, ſi juratus deponat, & concurrant probabiles conjecturæ de veriſimili voluntate teſtatoris. Sic expreſſe Fagnan. *in c.tua nobis 17. de teſtam. n.61.* teſtans hunc caſum ſuo tempore contigiſſe Mediolani, & in hanc ſententiam a S.Congr. Conc. ſcriptas fuiſſe litteras ad Card. Borromæum Archiep.

62 Executor deſignatus, ſeu deputatus a Teſtatore non poteſt ordinarie compelli ad acceptandum, & exequendum tale munus, ſive diſpoſitio ſit ad cauſam profanam, ſive ad cauſam piam. Poſtquam tamen acceptavit expreſſe, vel tacite, omnino etiam invitus cogi poteſt, ut defuncti voluntatem exequatur. Abbas *in c.Joannes 10. n.3. de teſtamentis*, Covarruv. *ib. n.3.* Molina *diſp.248. n.3.* Pirhing *l. c. n.113.* Reiffenſt. *l.c. n.784.* & alii communiter. *arg. cit. cap. Joannes 19. de teſtam.* ibi: *Poſt ſuſceptum mandatum cogi debent*. Et ratio eſt, quia univerſaliter loquendo, ut expreſſe habetur *§.Mandatum 11. Inſt. de mandato: Mandatum non ſuſcipere cuilibet liberum eſt, ſuſceptum autem conſummandum eſt.*

63 Dicitur autem notanter *Ordinarie*, quia aliquando ob rationabilem cauſam poteſt Epiſcopus Clericum in Teſtamen-





to Executorem deſignatum compellere, ut tale munus ſuſcipiat, præſertim ad exequenda pia legata, ſi non ut Executorem Teſtamentarium, ſaltem ut delegatum, ſeu Commiſſarium ſuum, *arg. cap.Paſtoralis 28. de Offic. deleg.* Et ratio eſt, quia univerſaliter poteſt Epiſcopus, quando ipſi aliqua Executio competit, munus ſuum alteri delegare, & delegatum, ut obediat, ſi ſit ſuus ſubditus, compellere. Sic Abbas *l.c.* Silveſter verb. *Teſtamentum 2. q.3. dict.1.* & alii ſupracitati, *arg. l. In cauſarum delegationibus, Cod. Qui pro ſua Juriſdictione*. Et ita Judex Laicus ob rationabilem cauſam poterit interdum Laicum ſuum ſubditum cogere ad munus Executoris ſuſcipiendum, & exequendum. Sic citati Doctores, *arg. cit. l.In cauſarum delegationibus.*

64 Executores tenentur quamprimum poſſunt exequi ultimam voluntatem, niſi certum tempus ab ipſo Teſtatore ſit deſignatum. *Communis, arg. c. Si heredes 6. de teſtamentis, & l. Cum res 47. ff. de leg.1.* ubi expreſſe præcipitur, ut legata ſine mora præſtentur. Vid. verb. *Legatum n.41. & 42.*

65 Tam Judex Eccleſiaſticus quam laicus poteſt compellere executores laicos ad exequendam voluntatem defuncti, ſive diſpoſitio ſit ad cauſam profanam, ſive ad cauſam piam, ita ut hæc cauſa ſit mixti Fori, & detur locus præventioni. *Communis*. Et quidem quod id poſſit Epiſcopus ſeu Judex Eccleſiaſticus, ſi diſpoſitio ſit ad cauſam piam, etiamſi teſtator ſit laicus, habetur deciſum *in c. tua nobis 17. de teſtamentis*. Et concordat *cap.Nos quidem 3. & cap. ſi heredes 6. eodem*. Et quod id poſſit etiam Judex laicus, quamvis diſpoſitio ſit ad cauſam piam, patet ex *Novella 131. c.10.* ibi: ,, Si quis ,, ædificationem Venerabilis Oratorii, aut Xenodochii, aut ,, Ptochii, aut Orphanotrophii, aut Noſocomii, aut alterius ,, venerandæ Domus in noviſſima voluntate fieri diſpoſuerit... compleri jubemus providentia locorum Epiſcopi, ,, & Civilis Judicis ,,. Quod autem id poſſit Judex laicus in caſu, quo diſpoſitio ſit ad cauſam prophanam, & teſtator, & Executor ſit laicus, eſt extra controverſiam indubitatum ad omnes. Quod vero in tali caſu id poſſit etiam Epiſcopus, quamvis teſtator, & Executor ipſius diſpoſitionis ad cauſam prophanam ſit laicus, tenet (teſte Covarruv. *l.c. num. 3.* & Reiffenſt. *l.c. n.789.*) *Communis Doctorum, arg. cit. cap. Si hæredes 6. de teſtamentis*; ubi ſine ulla diſtinctione an diſpoſitio teſtatoris ſit ad cauſam piam, vel prophanam, & hæres, ſeu Executor ſit laicus, vel Eccleſiaſticus, tribuitur Epiſcopo facultas compellendi hæredes, ſeu Executores ad exequendam ,, defuncti voluntatem, ibi: ,, Si hæredes juſſa teſtatoris non ,, adimpleverint, ab Epiſcopo loci illius omnis res, quæ eis ,, relicta eſt, Canonice interdicatur cum fructibus, & ceteris ,, emolumentis, ut vota defuncti adimpleantur.

66 Judex autem laicus nullimode compellere ad id poteſt Executorem Clericum, cum Judici laico nulla competat Juriſdictio in perſonas Eccleſiaſticas; *Communis*, per text. *in cap. Bene quidem 1. diſt.96. cap. Eccleſia S.Mariæ 10. de Conſtitutionibus, cap.Cum laicis 12. de rebus Eccleſ. alienand. vel non, c.Decernimus 2. de Judiciis*, cum ſimilibus.

67 Judex præſertim Eccleſiaſticus ſtatim poſt aditam ab Hærede hæreditatem compellere poteſt Executores, ut voluntatem defuncti executioni mandent, quamvis Teſtator id expreſſe ei inhibuerit; *Communis*, & quidem quoad primam partem, ex Juribus adductis *ſupra nu. 63.* juncta *l. Si domus 71. §.2. ff. de legatis 1.* ubi cum Executores jubeantur voluntatem Defuncti ſtatim adimplere, ſequitur clare, quod poſſint ſtatim ad id compelli. Quoad ſecundam autem partem, nempe quod Executores poſſint ad id compelli, quamvis Teſtator id expreſſe inhibuerit, patet ex Juribus, & decretis adductis *ſupra n.48.* Et ratio eſt, quia privata perſona non poteſt generalem Conſtitutionem publici Juris Eccleſiaſtici, vel Civilis immutare, aut impedire; *l.Nemo 55. ff.* ,, *De leg.1.* ibi: ,, Nemo poteſt in teſtamento ſuo cavere, ,, ne leges in ſuo teſtamento locum habeant, & cap.Requiſiviſti 15. de teſtamentis, *ibi*: Quia privata diſpoſitio teſtatoris non poteſt generalem Conſtitutionem Canonis immutare.

68 Si plures ſint a teſtatore deputati Executores, & unus exiſtat, ſeu exequi forte nolit; poteſt alius, etiam unicus ex deputatis, niſi teſtator aliud diſpoſuerit, officium executionis libere adimplere; *Communis*, textu expreſſo *in c.Religioſus Executor 2. de teſtam. in 6. §.Sane*, ibi: ,, Sane pluribus a teſtatore ſimpliciter executoribus deputatis, uno ,, eorum mortuo, vel in remotis agente, aut id exequi forte ,, nolente, ne voluntatem teſtatoris impediri, vel nimium ,, differri contingat, poterit alius, *niſi teſtator* aliud expreſſerit, officium executionis injunctum libere adimplere.

69 Nulli executores, præter Summum Pontificem, nec Epiſcopi quidem, relicta ad certas pias cauſas in alios uſus, vel cauſas, quamvis evidenter meliores eſſent, poſſunt ordinarie commutare, ſi voluntas determinata Teſtatoris commode, ac juſte adimpleri poſſit; *Communis*, per text. *in c. Nos quidem 3. de teſtamentis, c.Ultima voluntas 4. cauſ.13. q.2. Clement. Quia contingit 2. de Religioſis domibus*, cum ſimilibus.

70 An autem, quando, & ob quas cauſas poſſit mutari ultima voluntas teſtatoris, præſertim quoad legata, aliaſque pias cauſas a Papa, & ab aliis, Vide verb. *Legatum a num.143. ad 165.*

71 Executores, & Hæredes intra quod tempus teneantur adimplere voluntatem teſtatoris, & quas pœnas incurrant, ſi negligentes fuerint? Vid. d. verb. *legatum a n.41. ad 46.* & verb. *Hæres a n.44. ad 52.*

72 Executores, & Hæredes quibus, & quo ordine diſtribuere poſſint, & debeant legata pia a Teſtatore relicta? Vide d. verb. *legatum a numer. 47. ad numer. 95. & a numer. 125. ad 132.*

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 De exequutoribus teſtamentariis, de quibus & hic diſſerit *Auctor*, gravis eſt quæſtio illa, utrum ipſi ubi ſunt plures conveniri in ſolidum queant de geſta adminiſtratione, tametſi non omnes adminiſtraverint?

2 Hanc autem quæſtionem ſibi propoſuit Rota *in Poſnanien. legatorum 6. Decembr. 1748. cor. bon. mem. Vicecom.* & ita ,, *§.7. & ſeq.* reſolvit: ,, Conſtito ex hiſce de acceptatione ,, exequutoriæ, & adminiſtratione hæreditatis per Guglielmum exercita, inutiliter opponebatur, quod eidem ſaltem ,, ſuffragari debeat beneficium ordinis, & excuſſionis, ut ,, nempe ceteri quoque Adminiſtratores, qui adminiſtrant, ,, conveniri debeant, quodque ipſe pro illis dumtaxat rebus ,, hereditariis, quæ ad ejus manus perveniſſe conſtet, remanſerit obligatus. Objectum namque pleniſſime confutatur ex eo quod quum agatur de exequutore, & Adminiſtratore voluntario, cum eo rigidius procedi ſolet, quia ,, quum potuiſſet injunctum munus reſpuere, ſibi debet imputare, ſi adminiſtrationem, prout debebat, non exercuit, ,, ideoque nec beneficio ordinis, & excuſſionis juvari debet, ,, ſed etiamſi non adminiſtraverit in ſolidum conveniri poteſt &c. vel ſaltem exuberat, ut quid modicum, vel minimum de eadem adminiſtratione participaverit. Præcipue ,, quia nulla habetur diviſio hujuſce adminiſtrationis, vel a ,, Judice, vel a teſtatore facta; adeoque quemadmodum apud ,, omnes individua fuit adminiſtratio hæreditatis, ita quoque ,, individua, & ſolidalis reſultat eorum obligatio erga legatarios. Nec unuſquiſque amplius excipere valet ſe rationem redditurum de bonis ad ejus manus perventis; quippe ,, id procederet, ubi ageretur de adminiſtratione particulari, ,, & adeſſet diviſio adminiſtrationis, vel a Judice, vel a teſtatore facta: ſecus autem ubi adminiſtratio fuit omnibus ,, generalis, & ſolidaliter attributa, & ab omnibus unitim ,, acceptata.

## ARTICULUS IV.

### Quoad ea, quæ concernunt Codicillum, ſeu Clauſulam Codicillarem.

1 Codicillus ſic dicitur, quaſi parvus Codex, ſeu parva Scriptura; Sic Layman *l.3. de Juſtitia tract.5. cap. 8. n.1.* Pirhing. *l.3. Decr. tit.26. n.7.* & alii paſſim.

2 Unde ,, Codicillus eſt ultimæ voluntatis teſtificatio ſine Hæredis di- ,, recta inſtitutione, & ſolemnitate teſtamentaria; Eſt in re ,, Communis ,, & deſumitur *ex tot. tit. Inſtit. & Cod. de Codicill. & ex tit. ffff. De Jure Codicilli.*

3 Codicillus potiſſimum differt a teſtamento per illa verba; *Sine Hæredis directa inſtitutione*: Teſtamentum enim non ſubſiſtit ſine Hæredis directa inſtitutione, ut ſupra probavimus *art.1. n.3.* per expreſſa Jura ibi adducta. Et e contra Codicillus debet eſſe ſine Hæredis directa inſtitutione, quia in Codicillo neque Hæreditas directe dari, neque auferri alicui

poteſt,

poteſt, textu expreſſo in §. *Codicillis autem* 2. *Inſtit. de Codicillis*, *l. Hæreditatem* 2. *&* *l. Si idem* 7. *Cod. de Codicillis*, *& l. Quod per manus* 10. *ff. De Jure Codicillorum*. Et hoc: *Ne confundatur Jus teſtamentorum*, *& Codicillorum*, ut expreſſe dicitur *in c.* §. *Codicillis*.

4 Dicitur autem notanter; *Sine directa Hæredis inſtitutione*, quia licet in Codicillo nequeat Hæres inſtitui directe, poteſt tamen inſtitui indirecte, quatenus nempe in Codicillo poteſt relinqui Fideicommiſſum, & ſic Hæres inſtitui indirecte, prout contingit, ſi quis ſine Teſtamento decedens faciat Codicillum, & in eo roget Hæredem ab inteſtato, ut Hæreditatem, vel totam, vel partem reſtituat alteri; In hoc enim caſu Hæres parere tenetur, quamvis Trebellianicam deducere poſſit; *Communis*, textu expreſſo in *cit.* §. *Codicillis* 2. *Inſtit. de Codicillis*, ibi: *Nam per Fideicommiſſum hæreditas Codicilli Jure relinquitur*. Et concordat *l. hæreditatem* 2. *Cod. De Codicillis*.

5 Item Codicillus ſpeciatim differt a teſtamento per illa verba; *Et ſine ſolemnitate teſtamentaria*, quia, ubi ad teſtamentum non privilegiatum requiruntur ſeptem teſtes, ut patet ex dictis, & adductis Juribus *ſupra art.* 1. *num.* 14. *&* 32. ad
6 Codicillum requiruntur ſolum quinque teſtes. Et ubi ad dictum Teſtamentum requiritur, quod teſtes ſint maſculi, & rogati, ut patet ex dictis, & adductis Juribus *ib. n.* 15. 17. *&* 38. ad Codicillum ſufficiunt teſtes, ſive fœminæ, ſive maſculi, ſive rogati, ſive non; *Sic Communis Doctorum* per textum *in l. Si quis* 8. §. 3. *Cod. de Codicillis*, ibi: „In omni autem ultima voluntate, excepto teſtamento, quinque teſtes, vel rogati, vel qui fortuito venerint, in uno eodemque tempore debent adhiberi, ſive in ſcriptis, ſive ſine ſcriptis voluntas conficiatur, teſtibus videlicet, quando in ſcriptis voluntas componitur, ſubnotationem ſuam accommodantibus„. Et licet in allato textu, quod poſſint in Codicillo teſtes eſſe etiam fœminæ, non habeatur explicite, habetur tamen implicite, quia in requiſito numero teſtium non requiruntur ſoli maſculi, nec fœminæ excluduntur, ſicut in numero teſtium requiſitorum ad teſtamentum, ut patet ex dictis, & adductis Juribus *ſupra art.* 1. *n.* 15. Ubi autem lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus; *c. Quia circa* 22. *de privil. & l. De pretio* 8. *ff. De Publiciana in rem actione*. Et ſi id voluiſſet etiam pro Codicillo, expreſſiſſet, uti expreſſit pro teſtamento; *arg. c. Inter corporalia* 2. *de translatione Epiſc.* §. *Sed neque iſtud*, *cap. Ad audientiam* 12. *de Decimis*; Ita Gloſſa *in cit. l. Si quis* 8. *Cod. De Codicillis*, Tuſchus *litt. C. concluſ.* 405. *n.* 1. Baldus *conſ.* 283. *circa finem lib.* 3. Reiffenſt. *l.* 3. *Decret. tit.* 26. *n.* 711. ubi teſtatur de communi; Vid. verb. *teſtis art.* 1. *n.* 47.

7 In Codicillis parentum inter liberos, & ad pias cauſas ſufficiunt duo teſtes; Ita Tuſchus *litt. C. concluſ.* 405. *n.* 11. Molina *diſp.* 131. *n.* 8. Reiffenſt. *l. c. n.* 712. & alii; Et ratio eſt clara, quia cum duo teſtes ſufficiant ex dictis, & adductis Juribus *ſupra art.* 2. *n.* 6. *&* 29. ad teſtamentum inter liberos, & ad pias cauſas, a fortiori ſufficient ad Codicillum, utpote ad ſui formam minorem requirens ſolemnitatem, quam teſtamentum.

8 Codicillum facere poteſt omnis, & ſolus, qui teſtari valet; *Communis*, textu expreſſo *in l. Divi* 6. *ff. De Jure Codicillorum*, ibi; *Codicillos is demum facere poteſt*, *qui & Teſtamentum facere poteſt*.

9 Codicillus fieri poteſt, tam in ſcriptis, quam ſine ſcriptis, ſeu oretenus; *Communis*, textu expreſſo *in l. Si quis* 8. §. 3. *Cod. De Codicillis*, ibi; „Sive in ſcriptis, ſive ſine ſcriptis voluntas conficiatur.

10 Codicillus fieri poteſt abſque teſtamento; *Communis*, per text. *in l. Non idcirco* 4. *Cod. de Codicillis*, *&* §. *Non tantum* 1. *Inſt. de Codicillis*.

11 Item Codicillus fieri poteſt cum teſtamento, & poſt illud jam factum; *Communis*, per text. *in cit.* §. *Non tantum* 1. *Inſtit. de Codicillis*, & *l. Si quis* 3. *ff. de Jure Codicillorum*.

12 Item Codicillus fieri poteſt etiam ante Teſtamentum factum; *Commun.*, per textum *in c.* §. *Non tantum* 1. *Inſt. de*
13 *Codicill.* Ad hoc tamen, ut valeat Codicillus factus ante teſtamentum, requiritur, quod teſtator in teſtamento ſubſequenti expreſſe illum confirmet; *Commun.* textu expreſſo *in cit.* §. *Non tantum*, ibi; „Sed cum ante teſtamentum factum Codicilli facti erant, Papianus ait, non aliter vires habere, quam ſi ſpeciali poſtea voluntate confirmentur.

14 Quamvis non poſſit quis duo Teſtamenta facere, ita ut ambo valeant, cum per poſterius rumpatur prius, textu expreſſo in §. Poſteriore 2. Inſtitut. Quibus modis teſtamenta infirmentur, ibi: Poſteriore quoque teſtamento, quod Jure perfectum eſt, ſuperius rumpitur„, cum ſimilibus.
Poteſt tamen quis duos, vel plures validos Codicillos face- 15
re, textu expreſſo in §. Codicillos autem 3. Cod. De Codicillis, ibi: Codicillos autem etiam plures quis facere poteſt; & l. Divis §. 1. ff. de Jure Codicillorum, ibi: Codicillos, & plures quis facere poteſt. Non revocatur 16
prior per poſteriorem, niſi quatenus ſibi contrarii ſunt. *Communis*, per textum expreſſum *in Cap. Cum proponatis* 3. *Cod. de Codicillis*. Et ratio diſparitatis eſt, quia in Codicillis res ſingulares tantum relinquuntur, & ideo poſſunt quædam res relinqui in uno Codicillo, & quædam aliæ in altero, & ſic uterque poteſt ſubſiſtere abſque contrarietate. In teſtamentis autem relinquitur neceſſario Hereditas, quæ eſt ſucceſſio in univerſum Jus defuncti; l. Hereditas 62. ff. de Reg. Jur., ibi: Hereditas nihil aliud eſt, quam ſucceſſio in univerſum Jus, quod defunctus habuerit: & ideo prius teſtamentum rumpitur per poſterius, cum non poſſit utrumque ſubſiſtere cum tali contrarietate relictæ integræ Hereditatis.

Diſpoſitio dicentis ſe velle teſtamentum facere, ſi ex de- 17
fectu ſolemnitatis non valet ut Teſtamentum, neque valebit ut Codicillus, quamvis omnes ſolemnitates requiſitæ ad Codicillum concurrant, niſi talis diſpoſitio Clauſulam habeat Codicillarem. *Communis* text. expreſſo in l. Sepiſſime 1. ff. de Jure Codicillorum, ibi: Sæpiſſime reſcriptum, & conſtitutum eſt eum, qui teſtamentum facere opinatus eſt, nec voluit quaſi Codicillos id valere, videri nec Codicillos feciſſe; ideoque quod in illo teſtamento ſcriptum eſt, licet quaſi in Codicillis poterit valere, tamen non debetur.

Et idem eſt ſentiendum, quamvis quis expreſſe quidem 18
non dicat, quod teſtari velit, ſed tantum Heredem inſtituat, vel exheredationem faciat, quia ſic faciendo præſumitur, „quod teſtari voluerit, per textum in l. Non Codicillum 14. Cod. de teſtamentis, ibi: Non Codicillum, ſed teſtamentum avum veſtram facere voluiſſe, inſtitutio, & exheredatio facta probant evidenter.

Dicitur autem notanter in concluſione: *Niſi talis diſpoſi-* 19
*tio Clauſulam habeat Codicillarem*, quia ſi teſtamentum habeat talem Clauſulam Codicillarem, quamvis ex defectu ſolemnitatis non valeat ut Teſtamentum, valebit tamen ut Codicillus. *Communis*, per textum in l. *Si quis* 8. §. 1. Cod. de Codicillis; & l. Ex ea Scriptura 29. ff. Qui teſtamenta facere poſſunt.

Unde Clauſula Codicillaris eſt, quam teſtator teſtamento 20
apponit, & per eam expreſſe, vel tacite declarat, quod ſi ſua ultima diſpoſitio ex defectu alicujus ſolemnitatis non valeret ut teſtamentum, valeat tamen ut Codicillus. *Ita in re Communis*.

Duplex igitur eſt Clauſula Codicillaris, expreſſa ſcilicet, 21
& tacita. *Expreſſa* eſt, dum teſtator expreſſe dicit, v. g. *Si hæc mea diſpoſitio non valet vi teſtamenti*, *volo*, *ut valeat vi Codicilli*. *Tacita* eſt, dum Teſtator id non expreſſe, ſed „tacite, vel virtualiter innuit, dicendo, v. g. Si hæc mea diſpoſitio non valeat ut teſtamentum, volo, ut valeat omni meliori modo, quo poteſt. Sic Communis Doctorum, argum. l. Si quis 8. Cod. de Codicillis, l. Sæpiſſime 1. ff. De Jure Codicillorum, & l. Ex ea Scriptura 29. ff. Qui teſtamenta facere poſſunt, l. Si Jure 11. Cod. de Teſtamentaria manumiſſione.

Effectus Clauſulæ Codicillaris, ſive expreſſæ, ſive taci- 22
tæ ſunt plures, & præcipui ſunt ſequentes; Primus eſt, quod in caſu, quo teſtamentum ex defectu alicujus ſolemnitatis ad ipſum requiſitæ eſt nullum vigore teſtamenti, valet nihilominus vigore Codicilli, ſeu ut Codicillus; Unde quamvis Heredis inſtitutio omnino irrita ſit, tamen Heres ab inteſtato ſuccedens tenetur ſolvere omnia Legata, ac Fideicommiſſa particularia in tali nullo teſtamento recepta; & hoc propter adjectam illam clauſulam Codicillarem. *Communis*, per text. *in cit. l. Si quis* 8. §. 1. *Cod. de Codicillis*, *cit. l. Si Jure* 11. *Cod. de teſtamentaria manumiſſione*, *& cit. l. Ex ea ſcriptura* 29. *ff. Qui teſtamenta facere poſſunt*.

Secundus effectus eſt, quod, ſi Teſtator carens Heredi- 23
bus neceſſariis in hujuſmodi irrito, & invalido Teſtamento inſtituat Heredem extraneum, virtute dictæ clauſulæ Codicillaris inſtitutio directa vertitur in Fideicommiſſariam, & proximi Heredes ab inteſtato tenentur reſtituere Heredi extraneo in tali irrito teſtamento per modum Fideicommiſſi inſtituto totam hereditatem, ſola pro ſe tetenta trebellianica. Jaſon. *in Authent. Ex cauſa* 22. *Cod. De liber. præter.* Tuſchus *litt. C. concluſ.* 404., *& ſequent.* Laym. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 4. Gailus *lib.* 2. *Obſerv.* 114. Reiffenſtuel *loc. cit. numer.* 720., & alii Communiter, per text. *in l. Ex ea ſcriptura* 29. *ff. Qui teſtamenta facere poſſunt*, *l. Scævola* 76. *ff. Ad Senatus conſult. Trebellian. l. Si Frater* 5. *Cod. De Fideicommiſſis*; *& l. Si quis* 8. *Cod. de Codicillis*.

24 Item ſi teſtator Herede neceſſario ſcienter præterito, vel injuſte exheredato in tali teſtamento nullo inſtituat Heredem extraneum, virtute dictæ Clauſulæ Codicillaris tenetur Heres neceſſarius reſtituere dicto inſtituto heredi extraneo totam hereditatem, ſola retenta pro ſe Legitima, & trebellianica ſimul. Ita Clarus §. *Teſtamentum quæſt.* 46. Tuſchus *lib.* 6. *concluſ.* 292. *num.* 1. Gailus *loc. cit. num.* 3. dicens hanc concluſionem eſſe indubitabilem. Layman *loc. citat.* cum Molina *diſp.* 132. Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 721., & ipſo teſte *Communis aliorum*, *arg. citatis Juribus*.

25 Tertius effectus eſt, quod Heres inſtitutus in tali teſtamento poſſit pro libitu agere, vel ex teſtamento, vel in vim Codicilli, ideſt poſſit, vel vi teſtamenti petere totam hereditatem in ipſo ſibi relictam, vel timens teſtamentum non ſubſiſtere, agere in vim Codicilli, & vi illius petere, ut hereditas per modum Fideicommiſſi ſibi reſtituatur, cum hac tamen advertentia, quod, ſi Heres inſtitutus incæpit agere ex Teſtamento, non poſſit amplius variare, & hereditatem petere in vim Codicilli, niſi eſſet ex agnatis uſque ad quartum gradum, vel ex cognatis uſque ad tertium gradum. *Communis*, textu expreſſo *in l. Si quis* 8. 1., *&* 2. *Cod. de Codicillis*, ibi: *Illo electionis videlicet jure perdurante*, *ut*, *qui ex Teſtamento agere voluerit*, *ad Fideicommiſſum migrare non poſſit*. *Si quis vero ex parentibus utriuſque ſexus*, *ac liberis uſque ad quartum gradum agnationis vinculis alligatus*, *vel cognationis nexu conſtrictus uſque ad tertium ſcriptus Heres fuerit*, *vel nuncupatus*, *in eo videlicet teſtamento*, *quod teſtator vicem quoque Codicillorum voluit obtinere*, *licebit ei*, *ſi de hereditate ex teſtamento ſecundum mortui voluntatem agens fuerit ſuperatus*, *vel certe ipſe ſponte voluerit ad Fideicomm. ſubſidium convolare*.

26 Teſtamentum autem minus ſolemne non poteſt vi dictæ clauſulæ Codicillaris valere ut Codicillus, niſi habeat ſaltem ſolemnitates ad Codicillum requiſitas, nempe quod interfuerint quinque teſtes, & adhibiti fuerint uno, eodemque tempore, & ſi in ſcriptis conficiatur Codicillus, dicti teſtes ſuam ſubnotationem interpoſuerint, ut patet ex *l. Si quis* 8. §. 3. *Cod. De Codicillis*, & ex dictis *ſupra num.* 6. Excipe ta-
27 men, niſi diſpoſitio eſſet ad pias cauſas, ſeu inter liberos, quia tunc ſufficerent duo teſtes, ut patet ex dictis *ſupra num.* 7.

28 Ad complementum de Codicillis advertendum eſt, quod Codicilli introducti fuerunt, & præcipue inſerviunt ad Ficommiſſa, & legata relinquenda. Item ad teſtamentum declarandum, immutandum, minuendum, augendum, ei addendum, vel demendum, & hujuſmodi, ſalva ſemper tamen Heredis inſtitutione, cum hereditas per Codicillum, nec dari, nec adimi poſſit, ut patet ex §. *Codicillis autem* 2. *Inſtit. de Codicillis*, *& l. Hereditatem* 2. *Cod. de Codicillis*.

29 Et primus, qui Codicillos introduxit, fuit *Lucius Lentulus*, ut expreſſe habetur *in princip. Inſtitut. de Codicillis*, ibi: *Auguſti tempora conſtat Codicillorum Jus in uſu non fuiſſe*, *ſed primus Lucius Lentulus* ( *ex cujus perſona etiam Fideicommiſſa eſſe cæperunt* ) *Codicillos introduxit &c.*

30 Alia ad rem. Vide verb. *Fideicommiſſum*, verb. *Legatum*.

*Novæ Additiones ex aliena manu.*

1 SOlet clauſula codicillaris apponi teſtamentis Ruſticorum, Mulierum, & aliorum, qui ejus vim haud intelligunt.
2 Quæſtionis propterea eſt, an ea in hiſce teſtamentis expreſſa effectus ſuos pariat?
3 Sunt qui negant, idque quia quum Perſonæ hæ clauſulam, ejuſque effectum ignorent, hinc non præſumuntur rogaſſe hæredem ab inteſtato, ut is vi clauſulæ illius præſtanda præſtet. Vide quos pro hac ſententia citat doctores *Turrett. de effect. & defect. clauſul. Codicill. q.* 9. *n.* 3.

Affirmativa tamen prævaluit ſententia. *Mox* dictæ enim 4
perſonæ adhibendo Notarium, cenſentur eum rogaſſe, ut ita condat teſtamentum, qui omne meliori modo ſubſiſtere poſſit. Jam ergo non commodius ſuſtinetur quam per clauſulam Codicillarem. Ergo ut hunc quoque addant voluiſſe videntur. Qui enim vult finem cenſetur etiam voluiſſe media 5
ad finem conducentia. Qua propter clauſulam Codicillarem ſemper voluntate Teſtatoris adjectam præſumi, tradunt poſt alios *Carpzov. lib.* 6. *Reſponſ.* 7. *per tot. Caſtill. lib.* 4. *de conject. ultim. volunt. c.* 49. *n.* 27.

## ARTICULUS V.

Quoad ea, quæ concernunt revocationem, ſeu mutationem, irritationem, ruptionem, & deſtitutionem Teſtamenti, & Codicilli.

QUilibet teſtator poteſt uſque ad mortem ſemper, & pro 1
libitu ſuum teſtamentum, & Codicillum penitus revocare, aut mutare. Sic Doctores communiter per clarum textum in *l. Quod ſi* 4. *ff. de adimendis legatis*: *Ambulatoria enim eſt voluntas defuncti uſque ad vitæ ſupremum exitum*, & noviſſima ipſius voluntas eſt ſervanda, textu expreſſo *in l. Translatio* 6. *ff. de adimendis legatis*, ibi: *Noviſſima enim voluntas ſervatur*. Et ſic Rota recent. *part.* 4. *tom.* 2. *deciſ.* 456. *num.* 16. *part.* 10. *deciſ.* 103. *numer.* 33., *&* 34. & ſæpe alibi.

Etiamſi promiſerit, ſeu pacto ſe obligaverit de non revo- 2
cando, aut mutando. *Communis*, per text. *in cit. l. Si quis* 24. *ff. de legatis* 3. *Nemo enim*, ut expreſſe ibi dicitur, *eam ſibi poteſt legem dicere*, *ut a priori* ( voluntate ) *ei recedere non liceat*; ſic expreſſe Gloſſa in *cap. Cum Marthæ* 9. *verb. Non valet*, *de celebrat. Miſſar.*, ibi: *Unde poteſt mutari teſtamentum*, *etiamſi pactum intervenerit*, *ne poſſit mutari*, per text. in *leg. Pactum quod dotali* 15. *Cod. de pactis*.
Et etiamſi fuerit a Principe confirmatum. Sic expreſſe Gloſ- 3
ſa *in c. cap. Martha verb. Non valet*, per text. in *l. Omnium teſtamentorum* 19. *Cod. de teſtamentis*, quia dicit Gloſſa *ibid. Nemo hanc legem ſibi dicere poteſt*, *ut a priori teſtamento ſibi recedere non liceat*, per cit. *leg. Si quis* 22. *ff. de legat.* 3.

Dummodo tamen in poſteriori teſtamento mentionem fa- 4
ciat, quod non obſtante tali obligatione, ſeu promiſſione de non revocando, velit revocatum teſtamentum prius, *l. Si mihi*, *& tibi* 12. §. *final. & ibi Gloſſa verb. Non valebit*, *ff. de legatis* 1., *& cit. l. Si quis* 22. *ff. de legatis* 3. ubi poſtquam dictum eſt: *Nemo enim eam ſibi poteſt legem dicere*, *ut a priori ei recedere non liceat*, ſtatim ſubjungitur: *Sed hoc ita locum habebit*, *ſi ſpecialiter dixerit*, *prioris voluntatis ſibi pœnituiſſe*. Sic Fachineus *lib.* 4. *cap.* 29. Reiffenſtuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 26. *num.* 730. Menochius *lib.* 4. *Decretal.* 169. *num.* 25., *&* 26. ubi plurimos alios citat, vereque aſſerit hanc eſſe receptam, & communem ſententiam contra Bartol. in *leg. Si quis* 11. *num.* 9. *ff. de legat.* 3. Fabrum, Morandum, & alios volentes etiam, ut ſine mentione prioris clauſulæ derogatoriæ poſſit revocari, vel cenſeatur revocatum per poſterius teſtamentum.

Non eſt tamen neceſſaria talis mentio, ſi teſtator poſterius 5
teſtamentum juramento confirmat. Covarruvias *de teſtam. p.* 2. *Rub. nu.* 59. Molina *diſp.* 153. *nu.* 26. Reiffenſtuel. *loco citat. num.* 740., & ipſo teſte communis aliorum, quia tunc merito præſumitur pœnitere prioris voluntatis quamvis nullam penitus mentionem faciat prioris teſtamenti, aut clauſulæ derogatoriæ prioris voluntatis eidem inſertæ.

An autem revocari poſſit teſtamentum, quod Teſtator ju- 6
ramento confirmavit ſe nullatenus revocatum? Variant Doctores. Communior, & probabilior Canoniſtarum tenet, quod tale teſtamentum ſaltem licite revocari nequeat. Gloſſa *in cap. Ultima voluntas* 4. *cauſ.* 13. *q.* 1. *quia*, ut dicit ipſa, *hoc juramentum non vergit in interitum ſalutis æternæ*, *ergo eſt ſervandum*, ut extra *de jurejurando*, *Si vero*, Molina *loco cit.* Reiffenſtuel *loco cit. num.* 741. Albert. *in l.* 1. *Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* & ipſo teſte apud Clarum §. *Teſtamentum q.* 94. *numer.* 3. Communior Canoniſtarum *argument. cap. Si vere* 8., *& cap. Cum contingat* 28. *de jurejurando*, ubi univer-

verſaliter decernitur, quod omne juramentum, quod non vergit in præjudicium tertii, nec in interitum ſalutis æternæ, ſit omnino ſervandum, & adimplendum, quamvis caderet ſuper actu Legibus infirmato, ut expreſſe habetur in Summario dicti *cap. Cum contingat*, ibi: *Juramentum præſtitum ſuper actu a Lege infirmato*. Legiſtæ autem defendunt communiter quod tale teſtamentum adhuc revocari poſſit, uti aſſerunt & tenent Clarus *§. Teſtamentum quæſt.94. num.3.* Alexander in *l. Stipulatio hoc modo num.1. ff. de verbor. obligat.* Dauth. *de mutat. teſtam. num.89., & ſeq. argum. citat. leg. Si quis 22. ff. de Legat.* 3. Et id expreſſe ſtatuitur in jure Bavarico teſte Land. Recht. *t.34. art.15.* Quæ Legiſtarum opinio ad-

7 mittenda revera eſt in caſu, quo gravis prius non præviſa emergeret mutatio circumſtantiarum, ut ſi graves inter Teſtatorem, & heredem ortæ eſſent non præviſæ inimicitiæ, & hujuſmodi: Juramentum enim ſicuti, & ceteri actus tacitam includens conditionem, *rebus ſic ſtantibus*, prout tenet communis Doctorum, *argum. cap. Quemadmodum 25. de jurejurando*. Ubi expreſſe deciditur, quod licet quis juraverit certam ducere uxorem, eam ducere non teneatur, ſi poſt juramentum mulier illa meretrix, vel leproſa, aut paralytica fieret, aut oculos, vel naſum amitteret, ſeu quidquam ,, ei turpius eveniret, ibi: Quoniam in eo talis erat ſubin- ,, telligenda conditio, ſi videlicet illa in legem conjugii non ,, peccaret . . . . Quia in illo juramento talis debet condi- ,, *tio ſubintelligi, ſi videlicet contra regulam* deſponſationis ,, non venerit &c. ,, Et ſic expreſſe tenet ibi Gloſſa *verb. Conditio* plurimas adducens ſimiles conditiones in juramentis tacite ſubintellectas, & in utroque jure tum Canonico, tum Civili admiſſas.

8 Etiam teſtamentum reciprocum, ſeu mutuum factum inter conjuges, ſeu inter duas, aut plures alias perſonas nulla ratione conjunctas, poteſt a quovis conjugum, ſeu quavis ex illis perſonis pro ſua parte libere revocari, etiam inſcio, vel invito altero conjuge, ſeu inſcia, vel invita altera perſona. Sic Gailus *lib.2. obſerv.* 117. *num.2.* Peck. *de Teſtam. conjug. lib.1. cap.43.* Berlik. *in aureis deciſion. dec.92.* Mynſinger. *centur. 1. obſerv.8. num.5.* Reiffenſtuel *loco cit. numer.381.*, & ipſo teſte communiſſima aliorum, per text. *in cit. leg. Si quis 22. ff. de Legat.3.* ubi expreſſe dicitur: *Nemo enim eam ſibi poteſt legem dicere, ut a priori* (voluntate, ſeu Teſtamento) *ei recedere non liceat*. Et ratio eſt, quia *ambulatoria eſt voluntas defuncti uſque ad vitæ ſupremum exitum*, textu expreſſo *in l. Quod ſi 4. ff. de adimendis legatis*: Teſtamentum enim non eſt firmum, nec effectum aliquem habet, ſeu nihil valet ante mortem teſtatoris, ut expreſſe ,, habetur ,, in Epiſtola ad Hebræos cap.9. num.16., & 18., ,, ibi: Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt interce- ,, dat teſtatoris; teſtamentum enim in mortuis confirmatum ,, eſt, alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt; ,, Cap. Cum Marthæ 6. de celebrat. Miſſarum, l. cum hic ,, ſtatus 32. ff. de donationibus inter virum, & uxor. cum ,, ſimilibus.

9 Et id valet, non ſolum in caſu, quo unus conjux, ſeu una ex illis perſonis jam obiit, ſed etiam ſi ambo, vel ambæ adhuc vivant, ſive dein alter conjux, ſeu altera perſona revocationem ſciat, & conſentiat, ſive neſciat, & contradicat: Valor enim teſtamenti neutiquam dependere poteſt a voluntate, ſeu arbitrio alterius, textu expreſſo *in l. Illa inſtitutio 32. ff. de Heredibus inſtituendis*, ibi: *Nam ſatis conſtanter veteres decreverunt Teſtamentorum jura ipſa per ſe firma eſſe oportere, non ex alieno arbitrio pendere*. Sic ſupra-cit. Doctores cum communi aliorum.

10 Item id etiam valet quamvis in una, & eadem charta reciprocum, ſeu mutuum teſtamentum conſcripſerint, ſeu ſcribi fecerint. Licet enim una ſola ſit charta, nihilominus duplex diſtinctum, ac ſeparabile cenſetur eſſe, & eſt teſtamentum, ita ut quivis de ſuis bonis præſumatur teſtamentum fuiſſe, & conſequenter pro ſua parte poteſt illud denuo libere revocare, per omnia allegata, & ſimilia jura. Sic cum communi ſupralaudati Doctores.

11 Quando una pars clandeſtine ſuum revocat teſtamentum reciprocum, cenſetur etiam ab altera tacite revocatum, & ſuum, ſeu prius ſtatim illud expiraſſe cenſetur. Sic Menochius *de præſumptionibus lib.4. præſumpt.95. num. 20.* Peck. *loco cit.* Reiffenſtuel *loco cit. num.* 382., & alii; Et ratio eſt, quia, hujuſmodi reciproca, & mutua teſtamenta cenſentur & præſumuntur ordinarie facta ſub ſpe, & tacita conditione, quod nullus ante mortem alterius teſtamentum revocare, ſed potius unus alteri in eventum mortis tali teſtamento favere velit. Actus autem agentium non operatur ultra intentionem & voluntatem eorum; *leg. Non omnis 19. ff. de rebus creditis ſi certum petatur, cap. Cum olim 37. de præbend.*, & actus ſub conditione celebratus, conditione non impleta nullum operatur effectum, *argum. §. Sub conditione 4. Inſtitut. de verbor. obligat., & l. Unic. §. Sin autem. Codic. de caducitat. tollend.* cum ſimilibus. Idem habetur in ſtatutis Bavariæ *tit. 3. art.3.* ubi univerſaliter ſtatuitur, quod ſi unus conjugum teſtamentum inter eos reciproce factum clandeſtine revocet, etiam alterius teſtamentum revocatum cenſetur, & quidem merito, quia fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem a ſe præſtitam ſervari recuſat, textu expreſſo *in cap. Fruſtra 75. de reg. jur. in 6.* & concordant *cap. Cum pridem 4. §. Ille igitur, de pactis, cap. Pervenit*, & ibi Gloſſa *2. de jurejurando, cap. Innocens 23. cauſ.22. q.4.* cum ſimilibus. Tum quia ſic clandeſtine revocans ſuum reciprocum teſtamentum, cenſetur doloſe, & fraudulenter agere; fraus autem, & dolus nemini patrocinari debent, *c. Sedes 15. & Cap. Ex tenore 16. de Reſcriptis, c. Tuæ 12. de Clericis non reſidentibus, cap. Intelleximus 7. de judiciis*, ibi: *Ne videatur de ſua malitia commodum reportare*; *l. In fundo 38. ff. de rei vindicat. leg. Cum his 8. ff. de tranſact. l. Non fraudantur 134. ff. de Regul. jur. l. Si Legatarius 25. Cod. de Legatis*. Si vero, ut proſequuntur ſtatuta Bavarica *loco citato* unus non clandeſtine, ſed ſciente altero, teſtamentum revocavit, remanet conjugis alterum teſtamentum in ſuo valore, ſi poſt revocationem ab altero factam tamdiu adhuc vixit, quod etiam ipſe ſuum teſtamentum facile revocare, vel mutare expreſſe potuiſſet, & tamen non fecit. Ipſe enim in tali caſu videretur ceſſiſſe juri ſuo, ut quilibet poteſt, textu expreſſo *in c. Si de terra 6. de privilegiis*, ibi; *Cum liberum ſit unicuique juri ſuo renunciare*, & concordant *cap. Si diligenti 22. de foro competente, leg. Si Judex 41. ff. de minoribus, leg. Si quis in conſcribendo 29. Cod. de pactis*.

12 Teſtamentum reciprocum, ſeu mutuum inter conjuges ſeu alias perſonas fieri poteſt oretenus, & in ſcriptis in una, vel diverſa charta, eodem vel diverſo tempore, coram iiſdem, vel diverſis teſtibus; Ita tamen quod ſi in eadem charta, & coram iiſdem teſtibus fiat, ſeu utraque perſona illud ſignare, & ſubſcribere, ac teſtes, ad ferendum teſtimonium rogare, ſeu requirere debeat; Et ipſi teſtes in ſubſcriptione, non tantum proprium nomen, ſed etiam illud utriuſque conjugis, vel perſonæ ſeparatim, ac ſpecifice exprimere debeant. Et ſic uterque conjux, ſeu utraque perſona neceſſario debeat rogare, ſeu requirere teſtes caſu, quo coram iiſdem teſtibus eodem tempore ſimul teſtamentum reciprocum, ſeu mutuum oretenus ab ipſis fiat. Gailus *lib.2. obſervat.* 117. *numer.* 1. Schmidt. *ad tit.34. artic.12. num.1. & ſeq.* Jul. Clar. *§. Teſtamentum num.1., & ſeq.* Molina *diſp.152. numer. 1., & ſeq.* Reiffenſtuel *loc. cit. num.371.*, & ipſo teſte communis aliorum, *arg. leg. Licet, 19. Cod. de pactis, l. Eo quod, Cod. Si certum petatur, l.* Hac *conſultiſſima 21. Cod. de Teſtament. leg. Singulos teſtes 30. ff. Qui teſtamenta facere poſſint*, Et ratio eſt, quia licet uterque conjux, ſeu utraque perſona coram iiſdem teſtibus eodem tempore ſimul teſtamentum reciprocum oretenus condat, ſeu in una, & eadem charta ſuam teſtamentariam voluntatem exprimat duplex tamen teſtamentum eſt, cum quivis tantum de ſua ſubſtantia teſtetur. Berlick. *in aureis deciſionib. deciſ.92. nu.4.* Gailus *loc. cit.* Mynſinger. *centur. 1. obſervat.8. num.6.* Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 371., & alii communiter, *arg. l. Servi electione 5. §.2. ff. de Legatis* 1. cum ſimilibus.

13 Teſtamenta reciproca, ſeu mutua inter conjuges, vel alias perſonas poſſunt confici his, vel aliis ſimilibus formulis. Si ambo conjuges ſimul v. g. in eadem charta ſuam reciprocam teſtamentariam voluntatem ſcribant, vel ſcribi faciant, po- ,, terunt hujuſmodi verbis uti ,, Nos infraſcripti conjuges hi- ,, ſce teſtamur, quod unus alterum poſt mortem ſuam He- ,, redem ſuum inſtituat, & inſtitutum velit, vel unus alte- ,, ri omnium bonorum relinquat uſumfructum cum hoc one- ,, re, quod &c. ,, Si vero quivis conjux diſtincte, ſeparatim, ac in ſingulari in eadem charta ſuam dictam teſtamentariam voluntatem ſcribat, vel ſcribi faciat, poterit uti hu- ,, juſmodi verbis ,, Ego N. maritus hiſce teſtor, quod poſt ,, mortem meam volo pro Herede mea habere, ſeu Here- ,, dem meam inſtituo dilectiſſimam uxorem meam N. vel lo-





,, go eidem bonorum omnium, vel certorum uſumfructum ,, &c. ,, Et ſic viciſſim uxor voluntate Mariti integra ex- ,, preſſa, ac ſcripta ſubjunget ,, Et Ego N. uxor reciproce ,, poſt mortem meam volo pro Herede meo habere, ſeu He- ,, redem meum inſtituo dilectiſſimum Maritum meum N. vel ,, lego eidem uſumfructum &c. vel hoc, vel illud &c. Hac etiam alia forma, vel ſimili uti poterunt duo conjunges, ſeu duæ aliæ perſonæ mutuo conſenſu volentes ſe reciproce Heredes inſtituere, ſeu reciproce ſibi aliquid legare ,, Si ergo ,, N. ante te N. deceſſero, Heredem omnium bonorum ,, meorum te inſtituo, vel uſumfructum omnium bonorum ,, ad dies tuæ vitæ tibi N. lego &c. *Et alter reciproce*. Si ,, ego N. ante te N. obiero, te N. quoque Heredem om- ,, nium bonorum meorum inſtituo, aut hoc, vel illud tibi ,, N. lego &c. Idem etiam in ſeparatis duabus chartis, vel ,, etiam oretenus præſtare poterunt, dummodo ſemper illud ſignent, & ſubſcribant, ac teſtes ad ferendum teſtimonium rogent, ſeu requirant, ut dictum eſt ſupra *num.12. arg. leg. Licet 19. Cod. de pactis, leg.* Eo *quod* 10. *Cod. Si certum petatur, leg. Hac conſultiſſima 21. Cod. de teſtamentis, leg. Singulos teſtes 30. ff. Qui teſtamenta facere poſſunt*. Et eſt hic advertendum, quod non refert an conjuges, ſeu aliæ perſonæ æqualiter, vel inæqualiter ſe invicem inſtituant, uti cum aliis ex jure, & praxi oſtendit, ac probat Berlik. *in aureis deciſionibus deciſ.92.*, & ſequitur Reiffenſtuel *loco citat. numer.* 371.

14 Quoad reciproca teſtamenta conjugum eſt ſpecialiter notandum, quod tunc maxime fieri ſolent, & poſſunt, quoad Hereditatem, ſeu uſumfructum omnium bonorum, quando conjuges filiis carentes Heredem neceſſarium non habent. Si vero filios, ſeu Heredes neceſſarios habeant, poſſunt quidem ſe reciproce Heredes, ſeu *uſufructuarios* inſtituere; ſed tamen in hoc caſu, ut eorum reciprocum teſtamentum ſubſiſtat, debet neceſſario relinqui filiis, ſeu Heredibus neceſſariis legitima ſine omni onere, & quidem ex titulo Heredis tradenda ſtatim poſt mortem patris, ſeu matris, & quoad proprietatem, & quoad uſumfructuum, ut docent communiter Doctores per text *in Authentic. Noviſſima Lege, & l. Quoniam 32. ac l. Scimus 36. C. de inofficioſo Teſtamento, & Novella 18. c. 3. ac cap. Rainucius 16. de Teſtamentis*. Unde ſi unus conjugum cæco ductus amore alteri uſumfructum omnium bonorum ad dies vitæ ſuæ in teſtamento univerſaliter legaret, vel relinqueret, adhuc cenſendus eſſet exceptus uſusfructus legitimæ, ita ut extantes poſt mortem teſtatoris filii poſſent a patre, vel matre, cui uſusfructus omnium bonorum relictus eſſet, petere ſtatim ſecuta dicta morte legitimam una cum uſufructu, ut tradunt communiter Doctores per citata jura, & ſignanter per dict. *Novellam 18. cap.* 3. ubi id expreſſe ſtatuitur. Legitima enim debita filiis non dependet a voluntate parentum, ſed procedit a jure naturæ, Canonico, & Civili ,, l. Cum ,, ratio 7. ff. de bonis damnator. cap. Rainucius 16. de Te- ,, ſtamentis, ibi: Legitima portio jure naturæ debita, jun- ,, cto ejus Summario, in quo ſic expreſſe habetur: In bonis ,, patris, matris, & Aviæ habet quis debitam jure naturæ, ,, in qua gravari nequit.

15 Teſtamentum revocari poteſt, & verbis, & factis. Com- ,, munis, arg. l. Sancimus 27., & l. Noſtram 30. Cod. de ,, teſtamentis, l. Quæ in teſtamentis 1. & l. Cancellaverat ,, 2. ff. de his, quæ in teſtamento delentur, l. Poſteaquam 1. ,, §. 8. ff. Si tabulæ teſtamenti nullæ extabunt, cum ſi- ,, milibus.

16 Revocatio teſtamenti facta nudis verbis, ut ſit valida, duo copulative requirit, nempe 1. Ut coram tribus teſtibus, aut coram Actis, ſeu apud Acta fiat. 2. Ut elapſum jam ſit decennium a tempore conditi teſtamenti; Si enim una ex his duabus conditionibus deficiat, revocatio verbalis eſt nulla. Sic contra Martinum Covarruviam, & alios, Alexander ,, ,, in l. Sancimus 29. Cod. de teſtamentis num. 8. Jul. Clar. ,, §. Teſtamentum qu.91. Fulgoſus *in cit. l. Sancimus*, Fachin. *lib.4. Controverſ.* 8. Reiffenſtuel *loco cit. numer.* 743., & 745. teſtans quod hæc ſententia ſit communior, & juri con- ,, formior, per expreſſum, & clarum textum ,, in l. Sanci- ,, mus 27. Cod. de teſtamentis, & concordant cap. Militis ,, 36. §. 3. ff. de teſtamento Militis, & §. Et eo 7. Inſtit. ,, Quibus modis teſtamenta infirmentur.

17 Teſtamentum cenſetur vere revocatum factis, nedum per validam alterius poſterioris teſtamenti confectionem, ſed etiam per ipſius cancellationem, deletionem, inciſionem, lacerationem, inductionem, corruptionem, exuſtionem, vel alio ſimili modo a teſtatore, vel ejus ab alio mandato ſerio, ſeu conſulto factam. *Communis*, per claros, & ex- ,, preſſos textus in l. Quæ in teſtamento 1. *l.* Cancellaverat ,, 2. l. Proxime 3. & l. Pluribus tabulis 4. ff. de his, quæ in ,, teſtamento delentur, inducuntur, vel inſcribuntur, leg. ,, Poſteaquam 1. §.8. ff. Si tabulæ teſtamenti nullæ extabunt, ,, l. Noſtram proviſionem 38. Cod. de teſtamentis, cum ſimilibus. Et ratio eſt, quia ex hujuſmodi actionibus, ſeu factis ſufficiens habetur ſignum mutatæ voluntatis teſtatoris, ,, argum. cit. l. Poſteaquam 1. §.8. ff. Si tabulæ teſtamenti ,, nullæ extabunt, ibi: quia voluntatem teſtator mutavit, & ,, citat. leg. Noſtram proviſionem 30. Cod. de teſtamentis, ,, ibi: Utpote ejus voluntate mutata.

18 Non cenſetur autem teſtamentum revocatum factis, ſi ſupradictæ actiones, & aliæ ſimiles fiant inconſulto, fortuito, aut præter voluntatem teſtatoris, dummodo heres inſtitutus adhuc legi poſſit. *Communis*, textu expreſſo in *citat. leg. Quæ in teſtamento 1. ff. de his quæ in teſtamento delentur*.

19 In dubio an teſtamentum conſulto, aut inconſulto fuerit cancellatum, ſeu deletum? Præſumendum eſt deletum conſulto, ſi teſtamentum ſervabatur apud teſtatorem; Secus vero ſi alibi. Mantica *de Conjectur. ultim. volunt. lib. 12. tit.1. num.28.* Bruneman *ad leg.12. Cod. de teſtament.* Zoeſius *lib.1. cauſ.2. num.1.* Reiffenſtuel *loco cit. num.754.* cum aliis ibi allegatis.

20 Si teſtator omnem ſcripturam teſtamenti cancellavit, etiam quoad legata cenſetur revocatum ,, leg. Proxime 3. ff. De ,, his, quæ in teſtamento delentur, leg. Poſteaquam 1. §. ,, 8. ff. Si tabulæ teſtamenti nullæ extabunt, l. Noſtram pro- ,, viſionem 30. Cod. de teſtamentis; & Doctores paſſim.

21 Immo etiamſi teſtator non totam ſcripturam teſtamenti cancellet, ſed ſolum aliquid ſubſtantiale, ſine quo ultima voluntas conſiſtere nequit, ut ſi conſulto deleat nomina teſtium, aut infringat, aut auferat ſigilla, tum teſtamentum etiam quo ad legata cenſendum eſt revocatum, quia in tali caſu merito præſumitur totam mutaſſe voluntatem, ac inteſtatum decedere voluiſſe, *arg. citatis juribus*, Dauth. *l. 21. Cod. de teſtamentis num.* 17. Roc. *diſp.* 37. Struv. *Syntagma jur. Civil. Exercit.33.* Reiffenſtuel *loco citat. numer.* 749. & alii.

22 Si teſtator conſulto cancellaverit in teſtamento ſolum nomen unius ex pluribus heredibus, teſtamentum non cenſetur revocatum quo ad *illos*, ſed *ille ſolus erit excluſus*, alii vero non, & tota hereditas debebitur heredibus non deletis, *l. Cancellaverat 2. ff. De his, quæ in teſtamento delentur*, Caſtrenſis *in l. Proxime 3. ff. De his, quæ in teſtamento delentur*, Gilken *in leg. Noſtram 30. numer. 5. Cod. de teſtamentis*, Mantica *de Conjectur. ultim. voluntat. lib.12. tit. 1. num.31.* Reiffenſtuel *loco citato num.* 750. & ipſo teſte *Communis* aliorum; Et ratio eſt, quia nemo partim teſtatus decedere poteſt; *l. Jus noſtrum 7. ff. de Regul. juris*.

23 Si autem teſtator conſulto deleverit nomina omnium heredum, tunc teſtamentum corruit quoad inſtitutionem reſpectu omnium, ſicuti corruit, ſi deleatur nomen heredis ſolius inſtituti, & tunc datur ſucceſſio ab inteſtato, quia in tali caſu merito eſt præſumendum, quod ipſe voluerit decedere inteſtatus. *Communis*, cum Doctoribus num. antecedenti allegatis, *argument. leg. Proxime 3. ff. De his, quæ in teſtamento delentur; leg. Poſteaquam 1. §.8. ff. Si tabulæ teſtamenti nullæ extabunt, l. Noſtram 3. Cod. de teſtamentis*, cum ſimilibus.

24 Deletis conſulto nominibus omnium heredum, nedum corruit teſtamentum quoad inſtitutionem, ſed probabilius corruit etiam quoad legata profana non deleta, ita ut non debeantur legatariis; ſic cum pluribus aliis Cujacius *in leg. Proxime 3. ff. de his, quæ in teſtamento delentur*, per textum *in citat. l. Proxime*, ibi: *Non poteſt ullum teſtamentum valere, quod heredem non habet, argument. leg. Ex teſtamento 29. Cod. de Fideicommiſſis*, ibi: *Ex teſtamento, quod jure non valet, nec Fideicommiſſum quidem*, & faciunt dicta & adducta ſupra *n.20. 21.*

25 Alii tamen, ut Luduvell. *part.1. cap. 10. fol.173.* Caſtrenſis *in citat. leg. Proxime 3. ff. de his, quæ in teſtamento delentur*, Gilken in *cit. l. Noſtram 30. Cod. de teſtamentis*, & ibidem Bruneman cum aliis, quibus adhærere videtur Reiffenſtuel *loco cit. num.771.* tenent contrarium, nempe, quod deleto nomine omnium heredum, valent legata non deleta, *argument. cit. leg. Proxime in fine*, ubi rupto propter deletionem heredis teſtamento, legatum deberi deciditur, quod nempe eſt tenendum in ſpeciali caſu, quo, ut ibi libertas eſt legata; Quam-

vis alioquin non ſine rationabili fundamento ſupra allegati Doctores dictam Legis deciſionem extendant ad quodlibet aliud legatum propter rationem univerſaliter ibi allegatam; nempe, *Sed in re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus juſtius eſt quam tutius*.

26 Teſtamentum facto revocatur per poſterius legitime conditum, quamvis hoc poſterius non ſortiatur ſuum effectum, ex quo heres verb. grat. in illo inſtitutus repudiavit hereditatem, vel ante Teſtatorem deceſſerit & hujuſmodi. *Communis*, per clarum textum *in §. Poſteriore quoque* 2. *Inſtitut.* Quibus *modis teſtamenta infirmentur*, *& in leg. Teſtamentum* 1. *ff.*
27 *de injuſto, rupto, irrito facto teſtamento*. Et idem etiam currit, quamvis in primo teſtamento heres fuiſſet ex Aſſe inſtitutus, in ſecundo autem in re certa. *Communis*, textu expreſſo
28 in §. *Sed & ſi* 3. *Inſtitut. Quibus modis teſtamenta infirmentur*. Item etiamſi prius teſtamentum clauſulam teſtamenti derogatoriam contineat, dummodo talis derogatoriæ clauſulæ fiat mentio in teſtamento poſteriori revocatorio juxta dicta & adducta ſupra *n*.4.

29 Ad hoc autem, ut Teſtamentum prius revocetur per poſterius, neceſſe eſt quod poſterius ſit rite, & legitime cum requiſitis juris ſolemnitatibus factum; Si enim ex defectu alicujus ſolemnitatis poſterius eſſet nullum, prius remaneret validum. *Communis, argument. cit. §. Poſteriore quoque* 2. *Inſtit. Quibus modis teſtamenta infirmentur & l. Tunc autem* 2. *ff. de injuſto, rupto &c.*

30 Vel ſi teſtamentum poſterius non ſit rite, & legitime factum, neceſſe eſt, ad hoc ut rumpat prius, ut in ipſo inſtitutus ſit, qui alias ab inteſtato ſuccederet. *Tunc enim & poſteriore non perfecto ſuperius rumpitur*, textu expreſſo in *cit. leg. tunc autem* 2. *ff. de injuſto, rupto, irrito facto teſtamento*. Dummodo tamen poſterius teſtamentum coram ſaltem quinque teſtibus fuerit factum, textu expreſſo in *Authentic. Hoc inter* §.3. *Cod. de teſtamentis*, ibi: *In qua voluntate quinque teſtium juratorum depoſitiones ſufficiunt, quo non facto valebit primum teſtamentum, licet in eo ſcripti videantur extranei*.

31 Teſtamentum prius ſolemniter, & legitime factum rumpitur per poſterius privilegiatum verb. grat. datum ad Acta, vel factum ad cauſas pias, aut tempore peſtis, & hujuſmodi. Sic communior, jurique conformior, ac uſu recepta ſententia cum Harpreɛt. *in* §.2. *Inſtit. Quibus modis teſtamenta infirmentur*, Salicet. *in leg. Sancimus* 27. *Cod. de teſtamentis num.* 3. Covarruv. *de teſtamentis part.*2. *Rubr. num.*2. *& ſequent.* Carp. *part.*3. *Conſt.*3. *defin.* 42. Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 759. cum Mantica, & aliis. Et ratio clara eſt, quia, ut prius teſtamentum revocetur per poſterius, ſufficit quod poſterius ſit factum ſecundum diſpoſitionem juris, *argument. cit. leg. Poſteriore quoque* 2. *Inſtitut. Quibus modis teſtamenta infirmentur, citat. leg. Tunc autem* 2. *ff. de injuſto, rupto, &c.* & *cit. Authent. Hoc inter, Cod. de teſtamentis*; atqui teſtamentum privilegiatum quamvis careat ſolemnitatibus ordinariis ad aliud non privilegiatum requiſitis, eſt factum ſecundum veram diſpoſitionem ſpecialis juris per expreſſos textus in *leg. Inter omnes* 26. *Cod. Familiæ Erciſcundæ, leg. Hac conſultiſſima* 21. §. *Ex imperfecto, Cod. de teſtamentis* pro teſtamentis inter liberos; *leg. Si milites* 15. *Cod. de teſtamentis militis* pro teſtamentis militum *l. Et ab antiquis* 31. *Cod. de teſtamentis* pro teſtamentis ruſticorum, *leg. omnium* 19. *Cod. de teſtamentis* pro teſtamentis Principi oblatis, & ad Acta factis ſeu datis, *cap. Relatum* 11. *de teſtamentis* pro teſtamentis ad pias cauſas, & ſic de aliis ſimilibus, ergo &c. Tum quia teſtamentum privilegiatum habet eamdem vim, ac ſolemne; *argum. leg. militibus* 1. *& leg. Divus Trajanus, ff. de teſtamentis militis*, immo majorem, *argum. leg. Omnium* 19. *Cod. de teſtamentis*, ibi: *Omnium teſtamentorum ſolemnitatem ſuperare videtur*.

32 Item teſtamentum prius ad Acta, ſeu coram Principe factum revocari poteſt per aliud poſterius ſine Actis, ſeu in abſentia Actorum ordinaria, vel privilegiata ſolemnitate factum. *Communis*, per textum in *cit. leg. Omnium* 19. *verb. Nec ſane, Cod. de teſtamentis*, & faciunt rationes & jura *numero antecedenti* adducta.

33 Teſtamentum autem parentum inter liberos non aliter revocari poteſt, quam per aliud teſtamentum coram ſeptem teſtibus legitime factum, quamvis prius coram duobus ſolum eſſet factum. *Communis*, textu expreſſo *in Authent. Hoc inter, Cod. de teſtamentis*, & *in Novella* 107. *cap.*2.

34 Teſtamentum nedum, ut ex hucuſque dictis, poteſt revocari, ſeu mutari, ſed etiam poteſt irritari, rumpi & deſtitui. *Communis, argum. tot. tit. Inſtit. Quibus modis teſtamenta infirmentur* §.3. *num.*4. *Inſtitut. de capitis deminut. & leg.* 1. *ff. eod. l. In quantitate* 75. *ff. de Falcidia, leg. Poſthumi* 3. §. 4. *ff. de injuſto, rupto, irrito facto teſtamento* §. 2. *Inſtit. de adopt. Novella* 89. *cap.*12. cum ſimilibus.

Teſtamentum irritari dicitur, quando non ex parte ipſius 35
teſtamenti, ſed ex parte teſtatoris accidens, defectus, vel vitium aliquod emergit, vi cujus teſtamentum prius validum infirmatur, & redditur nullum, §. *Alio autem modo* 4. §. *Hoc autem caſu* 3. & §. *Non tamen* 6. *Inſtitut. Quibus modis teſtamenta infirmentur*. Præcipue tamen irritatur teſtamentum, quando teſtator patitur capitis deminutionem, ſeu ſtatus mutationem: capitis enim deminutio eſt ſtatus mutatio, *Princip. Inſtitut. de capitis deminutione*, ibi: *Eſt autem capitis deminutio prioris ſtatus mutatio*, *leg.* 1. *ff. de capite minutis*, ibi: *Capitis minutio eſt ſtatus permutatio*. Et hæc capitis deminutio eſt triplex ſcilicet Maxima, quæ fit cum quis libertatem amittit, & ſervus afficitur, §. *Maxima* 1. *Inſtitut. de capitis deminutione*; Minor, ſeu media quæ fit, cum quis Civitatem amittit, ſed adhuc libertatem retinet §. *Minor, ſeu media* 2. *Inſtit. eod.* Minima, quæ fit, cum quis prius ſui juris alterius juri ſubjicitur, ſed adhuc retinet Civitatem, & libertatem, ut fit ſi teſtator alteri ad rogandum ſe tradit; §. *Minima* 3. *Inſtit. eodem* & totum id habetur expreſſe *in leg. Capitis Deminutionis* 11. *ff. de capite minutis*, ibi: *Capitis deminutionis tria genera ſunt, Maxima, Media, Minima. Tria enim ſunt, quæ habemus, libertatem, Civitatem, familiam. Igitur cum omnia hæc amittimus, hoc eſt libertatem, Civitatem, & familiam, maximam eſſe capitis deminutionem. Cum vero amittimus Civitatem & libertatem retinemus, mediam eſſe capitis deminutionem. Cum & libertas, & Civitas retinetur, familia tantum mutatur, Minimam eſſe capitis deminutionem conſtat.* Qualibet autem ex dictis tribus Capitis deminutionibus irritatur teſtamentum; §. *Alio autem modo* 4. *Inſtit. Quibus modis teſtamenta infirmentur, leg. Si quis* 6. §.5. & 6. *ff. de injuſto, rupto, irrito facto teſtamento, l. Conficiuntur* 8. §.3. *ff. de jure Codicillor.* cum ſimilibus.

Teſtamentum rumpi dicitur, cum in eodem ſtatu manente 36
teſtatore, ipſius teſtamenti jus vitiatur, textu expreſſo in §. *Rumpitur* 1. *Inſtit. Quibus modis teſtamenta infirmentur*. Tripliciter autem de jure rumpitur teſtamentum. Primo ſcilicet ſi poſt conditum teſtamentum naſcitur ſuus heres legitimus, proles nempe legitima; *leg. Poſthumi* 3. §.4. *ff. de injuſto, rupto &c.* dummodo tamen vivus, & verus homo in monſtrum, vel prodigium non declinans veniat in lucem, nam ſi vel mortuus editus ſit, vel vivus quidem, ſed declinans in monſtrum, vel prodigium, per ipſum non rumpitur teſtamentum, ſicuti per ipſum rumpitur ſi vivus perfecte natus ſit, licet ſtatim moriatur, textu expreſſo in *leg. Quod certum* 3. *Cod. de poſthumis heredibus inſtituendis*. Secundo, rumpitur, ſi poſt teſtamentum conditum aliquis teſtatori ſuus heres efficiatur, ut ſi filius naturalis poſt teſtamentum legitimetur; *Novella* 80. *cap.*12. vel ſi quis in filium a teſtatore adoptetur, vel adrogetur, §. *Rumpitur* 1. *Inſtitut. Quibus modis teſtamenta infirmentur*. Tertio, rumpitur per revocationem, & mutationem, quæ pluribus poteſt fieri modis juxta dicta, & jura allegata ſupra *a n.*1. *ad* 33.

Teſtamentum deſtitui dicitur, quando nullus ex eo heres
exiſtit, *argum. leg. In quantitate* 73. *ff. ad leg. Falcidiam*, ibi 37
in principio: *Ne deſtituto teſtamento nihil conſequatur, & §. Poſteriore quoque* 2. *Inſtit. Quibus modis teſtamenta infirmentur*. Et id tripliciter contingere poteſt. Primo, ſi inſtitutus heres noluerit eſſe heres. Secundo, ſi inſtitutus heres, aut vivo teſtatore, poſt mortem ejus, antequam hereditatem adiret, deceſſerit. Tertio, ſi conditione ſub qua heres inſtitutus eſt, defectus ſit. In his enim caſibus paterfamilias inteſtatus moritur. Sic expreſſe habetur *in cit. §. Poſteriore quoque*; ubi ratio ſubjungitur: *Nam & prius teſtamentum non valet ruptum a poſteriore, & poſterius æque nullas habet vires, cum ex eo nemo heres extiterit*.

Revocari poſſunt non ſolum teſtamenta, ſed etiam aliæ ul-
timæ voluntates, videlicet legata, Codicilli, & donationes 38
mortis cauſa. *Communis*, per text. *in leg. Si quis* 22. *ff. de Legatis* 3. *in leg. Quod ſi* 4. *in l.* Translatio 6. *ff. de adimendis Legatis*, cum ſimilibus.

Et quidem Legata revocari poſſunt facto, verbis, & ſignis
intra, & extra teſtamentum, tacite & expreſſe; dummodo 39
concurrant eædem ſolemnitates, quæ ad eorum confectionem requiruntur, videlicet quinque teſtes. *Communis*, per claros textus *in toto ff. de adimendis Legatis, l. Nutu* 21. *ff. de legatis* 3. & §. *unic. Inſtitut. de adoptione Legatorum*, & quod requirantur, & ſufficiant quinque teſtes, habetur in *l. Si quis* 8. §.3. *Cod. de Codicillis*: Omnis enim res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, textu expreſſo *in cap. Omnis res* 1. *de Regul. juris in antiquis*.



40 Facto revocantur legata, quando ipſa ſerio ac conſulto delentur, cancellantur, aut calamo inducuntur. *Communis*, per expreſſos textus *in l. Quæ in teſtamento* 1. *& l. Proxime* 3. *ff. De his, quæ in teſtamento delentur*. Sic etiam facto revocantur legata, quando totum teſtamentum per legitimam confectionem alterius, aut per totalem cancellationem, vel deſtructionem, aut revocationem verbalem rumpitur, aut revocatur. *Communis, argum. §. Poſteriore quoque* 2. *Inſtit. Quibus modis teſtamenta infirmentur, l. Quæ in teſtamento* 1. *& leg. Proxime* 3. *ff. De his, quæ in teſtamento delentur, l. Poſteaquam* 1. §.8. *ff. Si tabulæ teſtamenti nullæ extabunt, l. Noſtram proviſionem* 30. *Cod. de teſtamentis*, cum ſimilibus. Rupto enim, ſeu invalido exiſtente teſtamento, legata profana non debentur, *l. Sæpiſſime* 1. *ff. de jure Codicillorum, l. Ex teſtamento* 29. *Cod. de fideicommiſſis*.

Confeſſione tamen poſterioris legati, vel Codicilli legatum,
41 aut Codicillus antecedens non revocatur, niſi in quantum eidem contrarius exiſtit. *Communis*, textu expreſſo in *leg. Cum proponatis* 3. *Cod. de Codicillis*. Vide ſupra *art.*4. *num.*16. ubi aſſignatur circa hoc ratio diſparitatis inter Codicillum, ſeu legatum, & teſtamentum.

42 Legata ſola nuda voluntate, ſignis, nutu, vel litteris etiam ad interrogationem alterius manifeſtata revocari poſſe, clare habetur *in l. Si quis* 3. §.11. *ff de adimendis legatis*. Dummodo tamen legans loqui poſſit, niſi ſuperveniens morbus ei impediat, textu expreſſo *in l. Nutu etiam* 21. *ff. de legatis* 3. ibi: *Nutu etiam relinquitur fideicommiſſum, dummodo is nutu relinquat, qui & loqui poteſt, niſi ſuperveniens morbus ei impedimento ſit*. Propter quæ ultima verba probabilius etiam infirmus morti proximus, & non amplius loqui potens ſolo nutu ad interrogationem alterius legata facere, & revocare poteſt; Covarruvias *in cap. Cum tibi* 13. *num.*3. *de teſtamentis*; Molina *diſp.*127. *num.*6. *& diſp.*212. *num.*1. & multi alii, Gloſſa *in leg. Si quis* 4. *verb. Vocabula, ff. de legatis* 3. *& l. Cum proponebatur* 64. *ff. de legatis* 2. Reiffenſtuel tamen *loco cit. num.*766. quamvis dicat hanc ſententiam non eſſe improbabilem, ſequitur tamen ut probabilem opinionem contrariam.

43 Tacite revocantur, vel potius revocata ipſo jure cenſentur legata, ſi teſtator vivus rem legatam alteri donaverit, textu expreſſo in *leg. Rem legatam* 18. *ff. de adimendis legatis.* Etiamſi talis donatio fuerit invalida, textu claro in *l. legatum* 24. *ff. de adimendis legatis*.

44 Item tacite ipſo jure revocata cenſentur legata, ſi teſtator nulla urgente neceſſitate, ſed ex mera voluntate titulo oneroſo illa alienet, vendat, ſeu commutet, *argum. cit. leg. Rem legatam*; Gloſſa *in l.* Lucius 22. *verb. Reliqui, ff. de legatis* 2. Gloſſa *in l. Qui* 3. *verb. Dedit, Cod. de legatis*. Per talem enim mere voluntariam alienationem rei legatæ clare patet, quod teſtator mutaverit circa id ſuam voluntatem, & voluerit revocare legatum. Unde nec reviviſcit legatum per donationem, vel alienationem revocatum, quamvis illud poſtea teſtator emptione, vel alia ratione iterum recuperet, *leg. Cum ſervus* 15. *ff. de adimendis legatis, leg.* Qui res 98. §.8. *ff. de*
45 *ſolutionibus*. Si vero rem legatam teſtator ex neceſſitate urgente alienaverit, ſeu hypothecaverit, non cenſetur revocatum legatum, niſi heres ſufficienter probet intentionem, & voluntatem teſtatoris fuiſſe tali alienatione, ſeu oppignoratione legatum adimere, ſeu revocare; §. *Si rem ſuam* 12. *Inſtitut. de legatis, leg. Fideicommiſſa* 11. §. *Si rem* 12. *ff. de legatis* 3. Gloſſa 1. *in cit. §. Si rem ſuam, Inſtitut. de legatis*, Gloſſa *in leg. Lucius* 22. *verbo Reliqui*, ff. *de legatis* 2.

46 Item tacite ipſo jure cenſetur revocatum legatum, ſi capitales, & graves inimicitiæ oriantur inter teſtatorem, & legatarium, non autem ſi ſolum leves; textu expreſſo *in leg. Si quis* 3. §.11. ff. *de adimendis legatis, leg. Si inimicitiæ* 9. ff. *de his, quæ ut indignis*. Et idem dicendum eſt, ſi legatarius teſtatori verbo, aut facto gravem irroget injuriam, aut gravem accuſationem, vel damnum attentet, textu expreſſo in citat. *leg. Si inimicitiæ* 9. ff. *de his, quæ ut indignis, & l. Filio* 31. §.2. ff. *de adimendis legatis*.

47 Si vero ante mortem in amicitiam redeant, reviviſcit iterum legatum, textu expreſſo *in l. Quod ſi* 4. *de adimendis legatis*.

48 Item ipſo jure revocatum, vel potius expiratum cenſetur legatum, ſi Legatarius ante teſtatorem, vel ante completam conditionem moriatur, aut ſi hereditas non adeatur; §. *Si peculium* 20. *Inſtitut. de legatis*; §. *Poſteriore quoque* 2. *Inſtitut. Quibus modis teſtamenta infirmentur, leg. Si habitatio* 9. ff. *Quando dies legati cedat, leg. In quantitate* 73. ff. *Ad legem Falcidiam, c. Raynaldus* 18. *de teſtamentis*, cum ſimilibus.

Quoad revocationem Codicillorum, ea proportionaliter
dicenda ſunt, quæ de legatis, cum legata extra teſtamentum 49
non niſi per Codicillos fiant; de revocatione autem donationis mortis cauſa, vide verb. *Donatio art.*3. *a n.*28. *ad* 31.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

Potiſſimum prius teſtamentum rumpitur per poſterius per- 1
fectum. De eo vero ſæpiſſime diſputari in Foro ſolet, 2
an poſterius teſtamentum rumpat prius teſtamentum, ſi priori
teſtamento adjecta ſit clauſula derogatoria; illa tamen haud
revocata fuit in poſteriori teſtamento. Affirmare videntur 3
*Carpzov. Juriſprud. Forenſ. part.*3. *conſtit.*5. *defin.* 19. *num.*5.
*Ludvvell. de ultim. volunt. cap.*1. *theſ.*4. Adde *Bachov. ad* §. 4
*Inſtit quot mod. teſtament. infirmetur*. At negant *Brunemann.*
*ad l.*22. *fer. per tot.* ff. *de legat.*3. *Vult. Conſil. Marpurg. vol.*2.
*conſil.*21. *n.*23. *Hilliger. in ſuo Donell. Enucleat. lib.*8. *cap.* 4.
*lit. E Sand. deciſ. Friſic. lib.*4. *tit.*1. *dec.*10.
Alii varie diſtinguere hic ſolent, ut videre eſt apud *Mantic.* 5
*de conjectur. ultim. volunt. lib.* 2. *tit.* 8. Confer etiam *Coccei*
*diſſertat. de clauſul. teſtament. cap.*2. Recte *Strick. in uſu mo-*
*dern. Pandect. lib.*28. *tit.*3. §.9. *Scilicet* (ait),, hic non tam
,, quæſtio juris, quam facti vertitur, quid Teſtator re vera
,, voluerit, & inde ex circumſtantiis judicandum, an ea po-
,, ſterior voluntas ſuſpicione quadam laboret, necne? De 6
,, jure ſane non præciſe requiritur, ut expreſſe revocatio
,, prioris fiat, nec hoc probari poteſt ex l. 22. ff. de legat. 3.
,, ubi agitur de caſu ſi quis in teſtamento ſibi legem præſ-
,, cripſit, & in eodem in fine ab ea recedere velit, quod lex
,, non aliter factum eſſe dici poſſit, quam ſi expreſſerit ſe
,, prioris voluntatis pœnitere. At hic quæſtio eſt de teſta-
,, mento poſteriori diverſo tempore condito, ubi ex ipſa
,, nova ordinatione mutatio voluntatis inducitur,,. Conſen-
tit etiam *Philipp. in uſ. practic. Inſtit. lib.*2. *Eclog.*66. At con-
ſule præ cæteris *Rot. in Barchinonen. Hæreditatis* 26. *Januarii*
1733. *fer. per tot. cor. Eminent. Creſcentio inter impreſſas dec.*
203. *quæ in materia hac magiſtralis eſt*.

## TESTIS.

### ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt illos, qui poſſunt, vel non eſſe teſtes, tum generaliter quoad omnia, tum ſpecialiter quoad certas perſonas, & cauſas.

Teſtes dicti ſunt, quaſi ſuperſtites, textu expreſſo in 1
*cap. Forus* 10. *de verborum ſignificatione*, ibi:,, Teſtes
,, antiquitus ſuperſtites dicebantur, eo quod ſuper cauſæ ſta-
,, tu proferebantur, nunc (parte ablata nominis) teſtes vo-
,, cantur. Unde teſtes generatim loquendo ſunt perſonæ, quæ 2
ad fidem alicujus rei faciendam adhibentur. *Ita in re Communis Doctorum*.
In teſtibus ſex præcipue ſunt attendenda, nempe conditio, 3
ſexus, vita, ætas dignitas, atque fortuna; ſic Gloſſa communiter recepta *in cap. In nomine Domini* 2. *de teſtibus, verb. Utiliſſimi*, ubi ad id dat ſequentes verſus.

*Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama,*
*Et fortuna, fides, in teſtibus iſta requires.*

Teſtes igitur ad hoc, ut ad teſtificandum poſſint admitti, 4
debent eſſe idonei, ſeu habiles, legitimi, & integri, ſeu integræ opinionis, ac famæ, *Communis*. Tales autem ſunt, & 5
habentur idonei, & legitimi, quicumque a teſtimonio dicendo per Canones, vel Leges non repelluntur. *Communis*, per textum *in l. Teſtimoniorum* 1. *de teſtibus*, ubi omnes illi pro teſtibus idoneis, habilibus, legitimis, aut integris agnoſcuntur, *quibus non interdicitur teſtimonium*: Unde qui nulla legitima exceptione teſtimonio repelli poſſunt, idonei teſtes dicuntur, & omni exceptione majores, *capit. Ex litteris* 1. *de* con-

*conſanguinitate, & affinitate*, juncta Gloſſa *ibidem verb. Majores*, ſic expreſſe dicente: *Illi dicuntur omni exceptione majores, qui repelli non poſſunt aliqua exceptione*.

6 E contra autem teſtes inidonei, ſeu inhabiles ad teſtificandum ſunt omnes illi, qui Jure prohibentur, ſive arcentur a 7 teſtimonio ferendo. *Ita in re communis*. Et ex iſtis aliqui in totum, ſive omnino, & generaliter prohibentur eſſe teſtes, & alii limitate tantum, ſcilicet vel pro certis perſonis, vel contra certas perſonas, vel in certis cauſis tantum; ut infra ſinguli diſtincte aſſignabuntur.

8 Et in primis generaliter, & abſolute inhabiles ad teſtificandum, tum in cauſis civilibus, quam criminalibus ſunt infantes, & impuberes, ideſt maſculi minores 14. annis, & feminæ minores annis 12. *l. teſtium fides* 3. §.5. & *l. Inviti* 19. ff. *de teſtibus*, juncta Gloſſa communiter recepta *ibidem verb. Sed nec pupillis*. Et hoc propter defectum, & infirmitatem Judicii, ut expreſſe dicetur *in cap. Infamis* 1. *cauſ.* 3. *quæſt.* 7. *Et Impubes, quia judicio caret*. Vide tamen *infra a n.*59.

9 Item inhabiles ad ferendum teſtimonium ſunt amentes, & furioſi: Iſti enim ſicut non poſſunt eſſe Judices, per text. *in cit. cap. Infamis*, ita etiam nequeunt eſſe teſtes, quia mente carent, §. *teſtes autem* 6. *Inſtitut. de teſtamentis ordinandis*, §. *Præterea* 1. *Inſtitut. Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum*, ibi: *Item Furioſi, quia mente carent*. Et concordant *l. In negotiis* 5. & *l. Furioſi* 40. ff. *de Regul. Juris*, & *cit. cap. Infamis* 1. *cauſ.* 3. *q.* 7. cum ſimilibus.

10 Item inhabiles ad id ſunt ſurdi, & muti ſimul a nativitate: Iſti enim animi ſui ſenſus exprimere nequeunt, & ideo etiam teſtamenta facere non poſſunt; §. *Item ſurdus* 3. *Inſtit. Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum*, *l. Qui in poteſtate* 6. ff. *Qui teſtamenta facere poſſunt*, & *l. Diſcretis* 10. *Cod. eod.* Tum quia teſtes viva voce deponere, eorumque dicta a Judice audiri debent; *l. Cum ab initio* 4. & *l. Vel negare* 5. ff. *teſtamenta quemadmodum aperiantur*, *leg. teſtium* 3. §. 1. *de* 11 *teſtibus*. Excipiuntur tamen qui ex accidenti ſurdi, & muti, ſcribere, aut certis, & indubitatis ſignis, ſeu nutibus cogitationes ſuas explicare poſſunt, *l. Sermo* 65. §. *Si pupillo*, ff. *Ad Senatus conſult. Trebellian.*

12 Item inhabiles regulariter ſunt cæci, quia ſolus auditus in teſtibus non ſufficit, ſed præſentia, & viſus requiritur, *cap. Teſtes* 15. *cauſ.* 3. *quæſt.* 9. *cap. Cum cauſ.* 32. *de teſtibus*, ibi: *Viſu, Auditu &c. leg. Teſtium* 18. *Cod. de teſtibus*. Qui autem non vident, præſentes non dicuntur, *leg. Coram Titio* 209. ff. *De verbor. ſignificat. leg.* 1. *in fine*; & ibi Bartolus, ff. *de Auctorit. & conſenſ. Tutor.* adeoque qui non vident, teſtes eſſe non poſſunt.

13 Item inhabiles ſunt ſervi, ſeu mancipia, *leg. Quoniam liberi* 1. *Cod. De teſtib. Authentic. de teſtibus* §. *Si vero titul.* 2. *collat.* 7. & *cap. Forus* 10. *de verb. ſignificat.* ubi etiam ratio redditur, quia nempe ſervus ſæpe metu Dominantis teſti- 14 monium ſupprimit veritatis. Poſſunt tamen ſervi, ſeu mancipia eſſe teſtes, quando non habetur alia probatio ad eruendam veritatem, *leg. Servi*, ff. *de teſtibus*, ibi: „ Servi reſponſo credendum eſt, cum alia probatio ad eruendam veritatem non eſt „. Et concordat *lex Cum probatio*, ff. *de pro-* 15 *bationibus*, & *cap. Si teſtes* §. *Servi* 4. *quæſt.* 3. Inſuper poſſunt ſervi, ſeu mancipia eſſe teſtes etiam in exceptis criminibus, quia in ipſis admittuntur teſtes etiam inhabiles, *cap. In fidei* 5. *c. Accuſatus* 8. *licet*, *de Hæreticis in* 6. Vide etiam *infra n.*23.

16 Item inhabiles ſunt ad teſtificandum, qui pretio ad id ſunt conducti, cum eo ipſo corrupti cenſeantur, ac proinde eorum Teſtimonium non valet, ſed a parte adverſa immo etiam officio Judicis rejici poteſt, *cap. Placuit* 1. *de teſtibus*, ibi: *Placuit Sancto Conventui, ut teſtes non conducantur pretio*, *cap. Sicut nobis* 9. *eodem cap. licet* 9. *de probationib.* ibi: *Objecit in teſtes prædictos, quod corrupti falſa dixiſſent*, *cap. Non ſane* 15. *cauſ.* 14. *q.* 5. *l. teſtium* 3. §. 5. ff. *de teſtibus* cum ſimilibus.

17 Item inhabiles ad teſtificandum, tam in cauſis Criminalibus, quam Civilibus ſunt Infames infamia Juris. *Communis*, per text. *in cap. teſtes* 2. *quæſt.* 7. *cap. Nulli* 3. *quæſt.* 4. *cap. Conſtituimus* 3. *quæſt.* 5. *cap. Præterea* 7. *de teſtibus cogendis*; *l. teſtium* 3. §. 5. ff. *de teſtibus*, ibi: „ Alii vero propter notam, & infamiam vitæ ſuæ admittendi non ſunt ad Teſtimonii fidem.

18 Item inhabiles ſunt ad teſtificandum in cauſis criminalibus criminaliter motis etiam infames infamia facti: In iſtis enim cauſis requiruntur probationes indubitatæ, & omni exceptione majores; *cap. Denique* 1. *de exceptionibus*, *cap. teſt.* 2. *quæſt.* 7. *leg. Sciant cuncti* 27. *Cod. de probationibus*, adeoque ad id non ſufficiunt teſtes infames infamia facti, quorum fama, & exiſtimatio, & conſequenter fides apud viros prudentes, & honeſtos graviter læſa eſt. *Communis*. In cauſis autem criminalibus civiliter agitatis, & in cauſis Civilibus 19 non gravioribus regulariter admittuntur ad teſtificandum tales infames infamia facti, quamvis eiſdem de fide non parum diminuatur. Gloſſa *in cap. teſtimonium* 54. *verſ. Emendatus, de teſtibus*; Abbas *ibidem num.* 6. Maſcard. *de probationib. conclus.* 1363. *num.* 59. & 65. Farinac. *de teſtibus quæſt.* 56. *num.* 100. & 115. *ac ſequent.* allegans alios, Engel *lib.* 2. *Decret. t.* 20. *n.* 16. Reiffen. *ib. n.* 49. & alii.

Etiam infames infamia Juris admittuntur ad teſtificandum 20 in variis caſibus, & ſignanter in criminibus exceptis, ut Hæreſis, Læſæ Majeſtatis, & hujuſmodi, quia in ipſis propter eorum enormitatem, ac maximam, quam Reipublicæ afferunt perniciem, admittuntur etiam teſtes inhabiles, *cap. In fidei* 5. & *cap. Accuſatus* 8. §. *licet*, *de Hæreticis in* 6.

Item quando veritas aliter haberi non poteſt, quam per 21 tales infames, *argument. l. Servi* 7. ff. *de teſtibus*, Abbas *in cap. teſtimonium* 54. *in* 7. *de teſtibus*, Felinus *ibidem num.* 11. Maſcard. *loc. citat. num.* 52. Farinac. *loc. cit. q.* 56. *n.* 50. & 55. cum aliis ibi allegatis.

Item quando infames rogati fuerunt ab utraque parte, ut eſ- 22 ſent teſtes; Tunc enim præſumitur ejus fides mutuo partium conſenſu approbata. Sic Gloſſa *in Authent. de teſtibus* §. *Et licet collat.* 7. Jaſon *in leg. Cunctos populos num.* 67. *Cod. de Summa Trinitat.* Baldus *in cap.* 2. *num.* 3. *de teſtibus*, Farinac. *loc. cit. quæſt.* 56. *num.* 92. Maſcard. *loc. citat. concluſ.* 1363. *n.* 53. & alii.

Item valet teſtimonium infamis, quando tempore dati dicti 23 teſtimonii communi opinione reputabatur bonæ famæ, ſicuti valet teſtimonium Servi communi opinione habiti ut liberi. *Comm.* per text. *in l. teſtes* 1. *C. de teſtam.*

Item inhabiles ad teſtificandum ſunt criminoſi, etiam non 24 infames, ideſt qui commiſerunt crimen grave, ſeu peccatum mortale non habens annexam infamiam Juris: Iſti enim criminoſi, ſive perſeverent in crimine, ſive jam fuerint emendati, repelluntur omnino a teſtimonio ferendo in cauſis criminalibus criminaliter motis; *cap. teſtimonium* 54. *de teſtibus* & Gloſſa *ibid. verb. Confeſſus*, *verb. Emendatus*, & *verb. Opinio*: Hoſtienſ. verb. *eodem*, Abbas *num.* 8. & 12. Felin. *num.* 24. & 31. Barboſa *num.* 1. Farinac. *loc. cit. quæſt.* 56. *num.* 135. Pirhing *loc. citat. num.* 22. Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 61. & alii plures, & concordat *cap. Super eo* 13. *de teſtibus*. Et ratio eſt, quia in iſtis cauſis requiruntur probationes indubitatæ, & omni exceptione majores; *l. Sciant cuncti* 25. *Cod. de probationibus*, *cap. teſtes* 2. *quæſt.* 7. *cap. Denique* 1. *de exceptionibus*, *cap. Super eo* 13. *de teſtibus*. adeoque ad id non ſufficiunt tales teſtes criminoſi cum ratione commiſſi gravis criminis eorum fides reddatur ſuſpecta.

In cauſis autem Civilibus admittuntur ad teſtimonium ta- 25 les criminoſi, ſi jam ſint emendati; ſecus vero, ſi nondum ſint emendati, *cap. teſtimonium* 54. *de teſtibus*, & ibi Gloſſa verb. *Emendatus*: Abbas *num.* 6 Barboſa *num.* 1. Farinacius *loc. cit. quæſt.* 56. *num.* 126. & 134. *ac ſequent.* Maſcard. *de probationibus conclus.* 465. *numer.* 2. & 6. Reiffenſtuel *loc. citat. num.* 58. Pirhing *loc. cit. num.* 20. & 21. & alii. Et ratio eſt, quia, licet digni ſint fide tales criminoſi jam emendati ex quo criminoſi poſt pœnitentiam non cenſeantur amplius mali, *cap. Ferrum* 18. *diſc.* 50. indigni tamen fide ſunt criminoſi nondum emendati, cum non ſit credendum contra alios; qui criminibus implicantur; *cap. Neganda* 1. *cauſ.* 3. *q.* 11.

Et hoc procedit de Jure Canonico quamvis tales criminoſi 26 de crimine nondum fuerint condemnati; Dummodo crimen ipſis objectum legitime probetur, textu expreſſo *in cap. Super eo* 13. *de teſtibus*, ibi: „ Reſpondemus, quod ſi etiam ante non ſint confeſſi de criminibus illis: Dummodo inde convincantur, in teſtimonium non debent admitti „. Et in ejus Summario ſic expreſſe dicitur; „ Crimen nunc probatum repellet teſtem, alias de illo crimine non damnatum.

De Jure Civili tamen requiritur, ut de crimine illo fuerint 27 antea judicialiter condemnati, *leg. teſtium* 3. §. 5. ff. *de teſtibus*, ibi; Quique Judicio publico damnatus erit, *leg. Athletas* 4. §. 4. ff. *De his, qui notantur infamia*; ibi; „ Calumniator ita demum notatur (*infamia*) ſi fuerit calumniæ cauſa damnatus, neque enim ſufficit calumniatum „. Ita Gloſſa *final. in cit. cap. Super eo*, & ibi Abbas *num.* 3. Felinus *num.* 3. Fari-



Farinac. *l. c. q.* 56. *n.* 129. Pirhing *l. c. n.* 19. Reiffen. *l. c. n.* 60. & alii.

28 Criminoſi jam emendati admittuntur pro teſtibus in cauſis etiam criminaliter motis in variis caſibus, & ſignanter in criminibus exceptis, ut de infamibus infamia Juris dictum eſt *ſupra numer.* 20. Item quando veritas aliter haberi non poteſt, quam per tales criminoſos, ut dictum eſt *ſupra num.* 21. Item quando tales criminoſi rogati fuerunt ab utraque parte, ut eſſent teſtes, ut dictum eſt *ſupra num.* 22. Item quando pars adverſa nihil oppoſuit contra teſtes criminoſos; quos ſciebat eſſe tales; Tunc enim cenſetur tacite conſenſiſſe in tales criminoſas perſonas, eaſque approbaſſe; adeoque poſtea, ſeu poſt factam eorum examinationem, nihil amplius opponere poteſt; *argument. leg. Si quis teſtibus* 17. *Cod. de teſtibus*; juncta Gloſſa *ibid. verb. Excipere*, Maſcard. *de probationibus concluſ.* 465. *n.* 22. Felin. *in cap. teſtimonium* 54. *n.* 3. *de teſtibus*, Pirhing *l. c. n.* 25. Reiffenſtuel *l. c. n.* 65. & alii.

29 Perjuri, ideſt qui falſum juramento confirmarunt, non poſſunt eſſe teſtes, neque in Criminalibus, *cap. Quicumque* 18. *cauſ.* 6. *quæſt.* 1. *cap. Parvuli* 14. *cauſ.* 22. *quæſt.* 5. *cap. Ex* 30 *parte* 7. juncta Gloſſa *ibid. verb. De Perjurio*, *de teſtibus*, & *cap. teſtimonium* 54. *eod.* Et hoc procedit, etiamſi jam fuerint emendati, & de perjurio pœnitentiam egerint, *cit. cap. teſtimonium* 54. *de teſtibus*, & ibi Gloſſa verb. *Perjurii*, & Abbas *ibidem num.* 7. Gloſſa *in cit. cap. Quicumque verb. teſtimonium*. Et ratio eſt, quia, qui ſemel pejeraverunt, præſumuntur iterum pejeraturi. Gloſſa *in citat. cap. Parvuli*, *verb. Cauſa*; *argument. cap. Non poteſt* 24. *cauſ.* 2. *quæſtion.* 7. ibi; „ Non poteſt erga homines eſſe fidelis qui Deo extiterit infidus.

31 Valet tamen teſtimonium perjuri in crimine Hæreſis. Ad hujus enim peſtiferi criminis probationem in Fidei favorem poteſt perjurus eſſe teſtis, deponendo tam contra ſe, quam contra complices, quod prius celaverat; Dummodo ex manifeſtis indiciis appareat, quod ipſe perjurus, non ex animi levitate, aut odio, ſed zelo Fidei Orthodoxæ id faciat, textu expreſſo *in cap. Accuſatus*, *de Hæreſi* 8. §. *licet*, *de Hæreticis in* 6. juncto ejus Summario ſic dicente; „ Teſtis in cauſa Hæreſis falſum deponens, licet perjurus ſit, probat dicendo contrarium; Dummodo tamen ex indiciis conſtet dictum non corruptionem, ſed veritatem continere.

32 Excommunicati vitandi nequeunt ad teſtimonium ferendum in Judicio admitti, quia ipſi inter infames reputantur, *cap. Illi qui* 3. *cap. Infames* 17. *cauſ.* 6. *quæſt.* 1. Et concordat textus *in cap. Veniens* 38. *in fine de teſtibus*, ubi decernitur, quod teſtes, de quorum Excommunicatione dubitatur, quia excommunicati dicuntur prius ad cautelam abſolvantur, quam ad Judiciale teſtimonium admittantur; *cap. Decernimus* 8. *de ſententia Excommun. in* 6. & *cap. Excommunicamus* 13. §. *Credentes*, *de Haereticis*, ubi excommunicati non ſolum non admittuntur ad teſtificandum, ſed etiam Judex Laicus ab Eccleſiaſtico compellitur per Cenſuras ad eos re- 33 pellendos. Immo excommunicati, neque poſſunt admitti ad teſtificandum contra alios excommunicatos. Sic Maſcardus *de probationib. vol.* 2. *concluſ.* 705. *num.* 4. Farinac. *q.* 56. *n.* 257. Pirhing *l. c. n.* 31. Reiffen. *l. c. n.* 43. & *ſequent.*

34 Poſſunt tamen dicti Excommunicati admitti ad teſtimonium in crimine Hæreſis, textu expreſſo *in cap. In Fidei favorem* 5. *de Haereticis in* 6. ibi; In Fidei favorem concedimus, ut in negotio Inquiſitionis hæreticæ pravitatis excommunicati, & participes, vel ſocii criminis ad teſtimonium 35 admittantur. Et generaliter poſſunt tales excommunicati eſſe teſtes in omni caſu, in quo teſtes infames ad teſtificandum admittuntur. Maſcard. *loc. cit. num.* 15. Farinac. *loc. cit. num.* 36 281. Pirhing *loc. cit. num.* 31. *in fine*, & alii. Item tales excommunicati poſſunt eſſe teſtes Inſtrumentarii, ſcilicet in contractibus, & Teſtamentis, præſertim in caſu, quo haberi non poſſint alii teſtes idonei non excommunicati. Maſcard. *l. cit. n.* 12. & 13. Pirhing *l. c. n.* 31. *in fine*, & alii.

37 Pauperes, & viles perſonæ nequeunt eſſe teſtes in cauſis criminalibus, *arg. l. Nonnulli* 10. ff. *de Accuſationibus*, ibi: *Nulli* prohibentur accuſare *propter paupertatem, ut ſunt, qui minus quam quinquaginta aureos habent*. Et ratio, eſt, quia in criminalibus cauſis requiruntur probationes indubitatæ, & teſtes omni ſuſpicione, & macula carentes, *l. Sciant cuncti* 25. *Cod. de probationibus*, *cap. Denique* 1. *de exceptionibus*, *cap. Teſtes* 2. *q.* 7. Id autem non reperitur in teſtibus pauperibus, & vilibus, cum ſemper eis poſſit opponi exceptio paupertatis, & vilitatis, ſeu plebeitatis, per text. *in l. Teſtium* 3. *in princip.* ff. *de teſtibus*, ibi; „ Teſtium fides diligenter examinanda eſt, ideoque in perſona eorum exploranda erit in primis conditio cujuſque. Utrum quis Decurio, an Plebejus ſit, & an honeſtæ, & inculpatæ vitæ . . . . an locuples, vel egens ſit, ut lucri cauſa quid facile admittat. Quæ Lex eſt canonizata in *cap. Si teſtes* §. *Teſtium fides* 4. *q.* 2. Et concordat *cap. in primis* §. *Sed & de perſonis* 2. *q.* 1. ibi; *Aut ne inopes ſint*, cum ſimilibus. Sic Farinac. *l. c. qu.* 57. *n.* 15. & 16. Maſcard. *de probationibus concluſ.* 1161. *num.* 11. & *ſeq.* Reiffenſt. *l. c. n.* 97. Pirhing. *l. c. n.* 77. & alii.

Item pauperes, & viles perſonæ non admittuntur tamquam 38 teſtes idonei in cauſis Civilibus arduis, & magni momenti. Sic Farinacius *cit. q.* 57. *n.* 26. & 27. iſtud exemplificans in cauſa unius hereditatis, vel majoris partis bonorum, *arg. l. Propter litem* §. 1. ff. *De Excuſat. tutor.* Pirhing *l. c. n.* 77. Reiffenſt. *l. c. n.* 98. Maſcard. *l. c. n.* 16. Pariſius *conſil.* 188. *nu.* 27. *vol.* 5. & alii. Et ratio eſt, quia cauſæ Civiles arduæ, & magni momenti æquiparantur cauſis Criminalibus, *arg. leg. l. Advocati*; *Cod. de Advocat. diverſ. Judic. ubi* Advocati patrimonia hominum defendentes dicuntur *laborantium ſpem, vitam, & poſteros defendere*, unde ſicut dictæ pauperes, & viles perſonæ nequeunt eſſe teſtes in cauſis Criminalibus, neque in Civilibus arduis & magni momenti.

In cauſis autem Civilibus, non adeo arduis & magnis, pau- 39 peres, & viles perſonæ, niſi aliunde ſuſpectæ ſint, non repelluntur a ferendo teſtimonio in Judiciis, prout colligitur *ex cap. Si quis teſtium* 8. *de Teſtibus*, juncta Gloſſa *ib. verb. Paupertate*, ubi ſtatuitur, quod Judex mittere debeat perſonas idoneas ad recipiendum teſtimonium eorum, qui *paupertate depreſſi* perſonaliter ad ipſum Judicem accedere nequeunt, adeoque pauperes, & viles non repelluntur a teſtificando. Et ratio eſt, quia non tam ex facultatibus, quam ex fide, & moribus teſtis idoneus æſtimatur, *arg.* §. *Suſpectum* 13. *Inſtit. de ſuſpectis Tutoribus, & Curatoribus*, Gloſſa *in leg. teſtium* 3. *in princ. verb. Egens*, ff. *de teſtibus*. Tum quia ſi aliter teneretur, nimis coarctaretur facultas probandi contra *l. Quoniam*, *Cod. de hered.*, cum multo plures ſint pauperes, quam divites. prout arguunt Farinac. *l. c. q.* 57. *n.* 13. Piring *l. c. n.* 76. Reiffenſt. *l. c. n.* 99. & alii.

Immo & in ceteris quoque caſibus admittuntur pauperes 40 ad teſtimonium, ſi ceteroquin ſint perſonæ honeſtæ, & neutiquam ſuſpectæ propter ſuam paupertatem, prout clare deſumitur *ex cit. cap. Si quis teſtium* 8. *de teſtibus*, & tenet Gloſſa *ib. verb. Paupertate*, & DD. *ib.* teſte Reiffen. *l. c. n.* 100. ac tenuit Rota apud Rubeum *p.* 12. *dec.* 57. *n.* 12. Auctoritate Baldi *in cit. c. Si quis teſtium n.* 5. intelligens etiam in cauſa ardua, qualis de facto erat illa, in qua Rotalis deciſio emanavit. Et hoc idem procedit quamvis pauper ſit vilis, ſi tantum ſit vilis, quia pauper. Rota *l. c.* Menochius *l.* 3. *de Arbitr. Jud. cauſ.* 96. *n.* 5. & cum pluribus aliis ibi allegatis Reiffenſtuel *l. c. n.* 100. & alii.

Feminæ regulariter poſſunt eſſe teſtes in cauſis Civilibus, 41 tam de Jure Canonico, quam Civili. *Sic Communis Doctorum*, teſte Pirhing *l. c. nu.* 66. Et quidem loquendo de Jure Civili habetur *in l. Ex eo* 18. ff. *de teſtibus*, *l. Qui Teſtamento* 20. §. *Mulier*, ff. *Qui teſtamenta facere poſſunt*. Et loquendo de Jure Canonico habetur *in cap. Mulieres* 2. *de Judiciis in* 6. & *c. Ex eo* 2. & ibi Gloſſa verb. *teſtimonium cauſ.* 15. *quæſt.* 3.

Et hoc procedit etiam in cauſa Matrimoniali, quamvis in- 42 ter cauſas Civiles graviſſima, & valde ardua cenſeatur. *Communis*, & colligitur aperte *ex c. Super eo* 22. *de teſtibus*, & *c. Videtur* 3. *Qui teſtimonium accuſare poſſunt*.

Dicitur autem notanter *Regulariter*, quia feminæ in ali- 43 quibus cauſis Civilibus nequeunt eſſe teſtes, & ſignanter in cauſis Feudalibus, textu claro *l.* 2. *Feud. tit.* 32. *Qui teſtes ſunt neceſſarii*, Maſcard. *concluſ.* 764. *n.* 2. Farinac. *q.* 59. *num.* 39. Pirhing *l. c. n.* 67. Reiffen. *l. c. n.* 89. & alii. Excipiuntur tamen Feminæ illuſtres, & habentes Feudum ſub ſe, quia tales poſſunt eſſe teſtes etiam in cauſis Feudalibus. Maſcard. *l. c. n.* 3. Farinac. *l. c. n.* 40. Pirhing *l. c. n.* 67. Reiffen. *l. c. n.* 89 & alii.

Neque feminæ poſſunt eſſes teſtes in Cauſis Civilibus ar- 45 duis, & magni momenti; In iſtis enim requiruntur teſtes magis idonei, quibus nihil prorſus vitii objici poſſit, quales non ſunt feminæ; *Nam*, ut expreſſe dicitur *in c. Forus* 10. *de verb. ſignif. in fine*: *Nam varium, & mutabile teſtimonium ſemper femina producit*. Ita Farinac. *c. q.* 59. *n.* 37. & 38. Piring *l. c. n.* 66. Reiffenſt. *l. c. n.* 90. & alii.

Item nequeunt feminæ eſſe teſtes in teſtamentis, textu ex- 46 preſſo

preſſo *in §.teſtes autem 6. Inſtit. de teſtamentis ordinandis* , & *l.Qui teſtamento* 20. *ff. Qui teſtamenta facere poſſunt* . Poſ-
47 ſunt tamen feminæ eſſe teſtes in Codicillis . Gloſſa *in l. Si qui* 8. *Cod. de Codicillis* , Tuſchus *litt. C. concluſ.*405. *n.* 1. Baldus *conſ.*283. *circa finem l.*3. Molina *diſp.*131. *n.*6. Piring *l.c. n.*74. ubi ex aliis dicit id eſſe verum , etiamſi omnes teſtes eſſent feminę ; Reiffen. *l.c. n.* 8. & *l.*3. *decr. tit.*26. *numer.*711. ubi teſtatur de communi aliorum . Vide verb. *teſtam. art.*4. *n.*6. Inſuper poſſunt feminæ eſſe teſtes etiam in
48 teſtamentis ad pias cauſas . Et id favore piæ cauſæ , & animæ teſtatoris ; Ancharanus *in cap. Cum eſses* 10. *n.*6. *de teſtam.*, Fagnan.*ib. n.*34. & *ſeq.* Card. Petra *t.*2. *Comment. ad Conſt.X. Innocen.III. ſect.*3. *n.*29. Reiffen. *l.*2. *decr. titul.*20. *n.*88. & alii . Vide verb. *teſtam. art.*2. *n.*21.

Feminæ de Jure Canonico nequeunt eſſe teſtes in cauſis
49 Criminalibus criminaliter motis *c.Mulierem* 17. juncta Gloſſa verb. *Nec teſtis cauſ.*33. *q.*5. *c.Forus* 10. juncta Gloſſa verb. *Mulier.*, *de verb. ſignif.* Et ita Maſcard. *concl.*762. *n.*1 Farin. *q.*59. *n.*1. & *plur. ſeq.* Pirhing *l.c. n.*69. ubi teſtatur de communi . Et ratio eſt , quia feminæ de ſua natura ſunt mutabiles , & inconſtantes , & ideo minus idoneæ reputantur a Sacris Canonibus , ut ſint teſtes in cauſis criminalibus criminaliter motis , in quibus agitur de graviſſimo præjudicio Reorum .

Notanter autem dicitur *in cauſis criminalibus criminaliter*
50 *motis* , quia in cauſis Criminalibus ſolum Civiliter motis , v.g. ad compenſationem damni illati , vel ad privationem Beneficii alicujus inhabilis , ſeu non Canonice electi , vel promoti etiam de Jure Canonico poſſunt feminæ eſſe teſtes , *c.Tam litteris* 33. & ibi ; Gloſſa verb. *Fæminas* , *de teſtibus* ; Pirhing *l.c. n.*70. Reiffenſt. *l.c. n.*91. & alii .

Item de Jure Canonico poſſunt feminæ eſſe teſtes, ſi aga-
51 tur de crimine per modum denunciationis , exceptionis vel *inquiſitionis*, ut clare conſtat *ex cap. Quoniam* 3. *de teſtibus*, ubi cum quædam crimina Epiphanii Presbyteri denunciata fuiſſent Papæ Gregorio , is mandavit Sabinio Defenſori Sardiniæ , ut tam *Mulieres* , cum quibus illa commiſiſſe aſſerebatur , quam alios de ea re conſcios Romam adduci curaret , ſeu ut ibi notant Hoſtienſis , & alii Canoniſtæ , eorum examen eo mitteret , ut ſic veritas aperiri poſſet . Sic Gloſſa *in cit. cap. Quoniam in principio* , Pirhing *l.c. n.*70. Reiffen. *l.c. n.*92. Farin. *c. q.*59. *n.*9. allegans plurimos alios .

52 Item de jure Canonico poſſunt feminæ eſſe teſtes etiam in crimine Hæreſis , Læſæ Majeſtatis , Simoniæ , & aliis exceptis criminibus ; *Communis* , per text. *c.In Fidei favorem* 5. *de hæreticis in* 6. *cap.tanta* 7. & *c.Per tuas* 32. *de Simonia* , cum ſimilibus .

53 Item de Jure Canonico poſſunt feminæ eſſe etiam in cauſis criminalibus , quando non poſſunt haberi aliæ probationes ; Vel quando agitur ad defenſionem alicujus , ſeu ad probandam ejus innocentiam ; & generaliter in omnibus illis caſis , in quibus de Jure Canonico poſſunt eſſe teſtes etiam perſonæ infames ; In ipſis poſſunt etiam , ac multo magis feminæ eſſe teſtes ; Gloſſa *in cit. cap.Mulierem* 17. *verb. Nec teſtis cauſ.*33. *q.*6. Reiffen. *l.c. n.*92. Pirhing *l.c. n.*77. Farin. *cit. q.*59. *n.*8. & 10. & *ſeq.* & alii paſſim . Unde vide dicta *ſupra a n.*20.

54 De Jure Civili poſſunt feminæ , dummodo non ſint crimi noſæ , aut infames , eſſe teſtes etiam in Cauſis Criminalibus criminaliter motis , *l.Ex eo* 18. *ff. de teſtibus*, & *l.Qui teſtamento* 20. *§.Mulier*, *ff. Qui teſtamenta facere poſſunt* . Ita Abbas *in cit. c.Quoniam* 3. *n.*2. *de teſtibus* , Clarus *in Practic. §.fin. q.*24. *n.*2. Maſcard. *l.c. concl.*762. *n.*11. Farinac. *cit. q.*59. *n.*17. Pirhing *l.c. n.*68. teſtans de Communi .

55 Dicitur autem notanter , *Dummodo non ſint criminoſæ, aut infames* , quia iſtæ , ut quæ corpore palam , ac ſine delectu quæſtum fecerunt , nec de Jure Civili poſſunt in cauſis Criminalibus criminaliter motis , eſſe teſtes ; *l.teſtium* 3. §.5. & ibi Gloſſa verb. *Quæ palam* , *ff. de teſtibus* .

56 Item neque de Jure Civili poſſunt feminæ eſſe teſtes in cauſis criminalibus valde gravibus , & arduis , ut cum agitur de pœna mortis inferendæ , tunc enim etiam tres feminæ conteſtes Reum non convincunt , & id propter exceptiones ex earum ſexu reſultantes , cum feminæ ſuapte natura ſint nimis mutabiles , fragiles , ac inconſtantes . Maſcard. *l. c. numer.*14. Farin. *l.c. n.*21. 23. & 26. Pirhing *loc. cit. num.*68. & alii .

57 Pupilli , ſeu impuberes regulariter in nulla cauſa , ſive Civili , ſive Criminali poſſunt eſſe teſtes , & hoc ob defectum , ſeu infirmitatem ſui Judicii , aut conſilii , textu claro *in l.teſtium* 3. §.5. & ibi Gloſſa verb. *Impubes* , & verb. *Lubricum* , *ff. de teſtibus* , *l.Inviti* 19. *ff. eodem cap.Infamis* 1. *cauſ.*3. *q.*7. ibi ; „ Et impubes , quia judicio caret „ . Unde 58
impuberes neque poſſunt eſſe teſtes in teſtamentis , textu expreſſo *in §. teſtes autem* 6. *Inſt. de teſtam. ordinandis* ; *leg. Hac conſultiſſima* 12. *Cod. teſtam.*

Dicitur autem notanter *Regulariter* , quia in variis caſibus 59
poſſunt impuberes eſſe teſtes . Et ſignanter pro Matrimonio contrahendo in locis recepti Concilii Tridentini *ſeſſ.*24. *c.*1. *de reform. Matrim.*; Duo enim teſtes præter Parochum ibi a Concilio requiſiti poſſunt etiam eſſe impuberes ; Dummodo ſint rationis compotes , & bene percipiant , quid agatur ; Concilium enim Tridentinum *l.c.* duos , vel tres ſimpliciter , & ſine ullius peculiaris qualitatis mentione ad valorem matrimonii requirit . Ubi autem lex non diſtinguit inter puberes , & impuberes , neque nos diſtinguere debemus , *cap.quia circa* 22. *de privil.* & *l.De pretio* 8. *ff. De Publiciana in rem actione* : Si enim illos voluiſſet puberes , expreſſiſſet ; quia , quod voluit , expreſſit , *arg. cap.Inter corporalia* 2. *de tranſlatione Epiſc. §.Sed neque iſtud*, *cap. Ad audientiam* 12. *de Decimis*, adeoque &c. Et ſic expreſſe tenent Barboſa *p.*2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg.*32. *n.*138. Sanchez *l.*3. *de Matrim. diſp.*41. *n.*4. & 5. Layman *l.*5. *theol. moral. tract.*10. *p.*2. *cap.*4. *n.*6. Reiffenſt. *l.*2. *Decr. tit.*20. *n.*74. & *l.*4. *tit.*3. *n.*103. & alii paſſim .

Item impubes factus pubes teſtificari poteſt de iis, quæ vi- 60
dit in impubertate ſua . Gloſſa *in l.Teſtium* 3. *verb. Impubes*, *ff. de teſtibus*, Farin. *q.*58. *n.*53. allegans alios , Speculator *tit. de teſte* §.1. *n.*35. aſſerens ita tenere omnes , Reiffen. *l. cit. n.*77. & ratio eſt , quia pubes factus non prohibetur ullo jure teſtificari de iis , quæ vidit tempore ſuæ impubertatis , adeoque debet admitti , *l. teſtimonium uſus* 1. §.1. *ff. de teſtibus*, ibi ; „ Adhiberi quoque teſtes poſſunt non ſolum in „ criminalibus cauſis , ſed etiam in pecuniariis litibus , ſicubi „ res poſtulat , & hi , quibus non interdicitur teſtimonium , „ nec ulla lege a dicendo teſtimonio excuſantur „ . Conceſſum enim intelligitur , quod expreſſe non prohibetur , uti habet gloſſa marginal. communiter recepta *in c.Inter corporalia* 2. *de translatione Epiſc. verb. Non invenitur* , *arg. l.Mutus* 43. §.1. *ff. De Procuratoribus* , & *c. l.Teſtimoniorum uſus* 1. §.1. *de teſtib.*

Item impuberes pubertati proximi poſſunt eſſe teſtes in 61
revelanda occiſione ſui Domini & ſimilibus , textu expreſſo *in l.Excipiuntur* 14. *ff. de S.C. Silaniano* , Farin. *c. q.*58. *n.*15. 16. & 28. cum aliis ibi citatis , Speculator *l.c. n.*34. Reiffen. *l.c. n.*76. & alii .

Item tales impuberes poſſunt eſſe teſtes in crimine læſæ 62
Majeſtatis . *Communis* , *arg l.Nullus* , *Cod. Ad legem Juliam Majeſtatis* . Item in crimine Hæreſis . *Communis* , per text. 63
in *c.In Fidei* 5. & *cap. Accuſatus* 8. *§.Licet de Hæretici in* 6. Item quando aliæ probationes haberi non poſſunt , ſeu veri- 64
tas aliter haberi non poteſt , quam per tales impuberes , per dicta a ſimili de infamibus *ſupra a n.*20. Vide ibi .

Puberes minores viginti annis non poſſunt regulariter eſſe 65
teſtes in cauſis criminalibus , Farin. *q.*57. *n.*10. & 23. Speculator *tit. de teſte* §.1. *n.*34. Pirhing *l.c.n.*75. Reiffenſt. *l.c. n.*80. & alii paſſim per clarum textum *in l.In teſtimonium* 20. *ff. de teſtibus* , & *in c teſtes* 3. *§. In teſtimonium cauſ.*4. *qu.*2. quo utroque in loco ſic præciſe ſtatuitur : „ In teſtimonium „ accuſator citare non debet eum , qui Judicio publico reus „ erit , aut qui minor viginti annis erit „ ubi Gloſſa *final.* iſtud recte intelligit in cauſa criminali , uti etiam non obſcure indicat ly *Accuſator* .

Dicitur autem notanter *Regulariter* , quia tales puberes mi- 66
nores viginti annis poſſunt eſſe teſtes in criminibus exceptis, & quando aliter veritas haberi non poteſt, cum in ſimilibus, ut dictum eſt *ſupra n.*62. poſſint eſſe teſtes etiam impuberes, adeoque a fortiori puberes licet minores viginti annis . Farinacius *q.*57. *n.*29. cum pluribus aliis ibi citatis , Alexander *conſ.*64. *n.*5. & 6. *l.*1 . Maſcard. de *probat. concl.* 1253. *n.*7. Reiffenſt. *l.c. n.*84. & alii paſſim .

Puberes majores viginti annis , quamvis adhuc ſint mino- 67
rennes , ſeu minores vigintiquinque annis poſſunt eſſe teſtes in cauſis criminalibus , prout colligitur clare a ſenſu contrario *ex cit. l.In teſtimonium* 20. *ff. de teſtibus* , & *c. cap.Teſtes* 3. *§.In teſtimonium cauſ.*4. *q.*2. Reiffen. *l. c. n.*83. Farinac. *q.*58. *n.*19. & 21. citans plurimos alios , & appellans hanc ſententiam veriſſimam , & magis communiter receptam , quamvis nonnulli ſentiant contrarium .



68 Puberes minores viginti annis poſſunt ordinarie eſſe teſtes in cauſis Civilibus . *Communis*. Et ratio eſt , quia tales puberes nullibi prohibentur eſſe teſtes in dictis cauſis Civilibus ; adeoque debent admitti per dicta , & Jura adducta *ſupra num.* 60.

69 Dicitur tamen notanter *Ordinarie* , quia tales puberes minores viginti annis nequeunt eſſe teſtes in cauſis Civilibus valde arduis , & magni momenti per dicta & Jura adducta *ſupra n.*38.

70 Parentes regulariter prohibentur ferre teſtimonium pro filiis , & e contra filii pro parentibus . *Commun.*, textu expreſſo *in l.Teſtis* 9. *ff. de teſtib.*, ibi: „ Teſtis idoneus pater filio, „ aut filius patri non eſt , l.Parentes 6. Cod. de teſtibus, ibi: „ Parentes , & liberi invicem adverſus ſe nec volentes ad „ teſtimonium admittendi ſunt „ . Et concordat *c. Si teſtes* 3. *§. teſtis idoneus* ; & *§.Parentes cauſ.*4. *q.*2. Et id propter naturalem affectionem , quam inter ſe gerunt , ob quam eorum teſtimonium redditur ſuſpectum .

71 Et hoc extenditur etiam ad omnes aſcendentes , & deſcendentes , tam in linea paterna , quam materna uſque in infinitum , quia dicti omnes quantum ad propoſitum veniunt appellatione parentis . *Communis* , textu expreſſo *in l.Appellatione* 51. *de verb. ſignif.* ibi „ Appellatione parentis non „ tantum pater , ſed etiam avus , & proavus , & deinceps „ omnes ſuperiores continentur , ſed & mater , & avia , & „ proavia .

72 Dicitur autem notanter *Regulariter* , quia plures ſunt caſus, in quibus valet teſtimonium patris , vel matris pro filio , & ſignanter in probanda filii ætate , quia parentes de ætate filiorum meliorem præ ceteris notitiam habent. *Communis* , per textum *in l.Etiam* 16. *ff. de probat.*, ibi : „ Etiam matris
73 „ profeſſio filiorum recipitur , ſed & Avi recipienda eſt. Talis autem teſtificatio parentum de ætate filiorum non facit ſemiplenam probationem , ſicut alterius teſtis extranei , ſi redundet in commodum filii cum alterius præjudicio , ſed ſolum præſumptionem aliquam , & leve indicium affert , niſi adminiculis adjuvetur , ut eſt v.g. liber patris , in quo ſcripta eſt ætas filii , & hujuſmodi , Maſcard. *de probat. concl.* 668. *n.*12. & *ſeq.* Farinac. *q.*54. *n.* 178. & *ſeq.* Pirhing *l.c. n.*34. Reiffenſt. *l.c. n.*103. & alii .

74 Item quando cauſa agitatur inter duos filios ; tunc enim parens poteſt eſſe teſtis pro uno contra alium , quia æqualis affectio , quam præſumitur habere erga omnes filios , tollit omnem ſuſpicionem , *arg. l. Non ſolum* 67. §.1. *ff. De ritu nuptiarum* , ibi ; „ Quia par affectionis cauſa ſuſpicionem „ fraudis amovet „ . Maſcard. *conſ.*1148. *n* 29. Farin. *q.*54. *n.*205. Pirhing *l.c. n.*34. Reiffenſt. *l.c. n.*107. & alii .

Item poſſunt parentes , aliique conſanguinei teſtes eſſe in
75 cauſa Matrimoniali filiorum , ubi agitur ſuper conſanguinitate , vel affinitate aliquorum , quia illi melius præ ceteris id ſcire præſumuntur , *c.Videtur* 3. *Qui Matrimonium accuſare poſſunt* , *c.Licet ex quadam* 47. *de teſtib.*, *cap.De parentela* 8. *cauſ.*35. *q.* 6.

76 Item parentes, aliique conſanguinei , aut affines utriuſque ſexus poſſunt eſſe teſtes, ubi agitur de Matrimonio inter æquales contrahendo , & dubitatur , an vir , & mulier ſibi invicem promiſerint , *c. cap.Videtur* 3. *qui Matrimonium accuſare poſſunt* , & *c.Super eo* 22. juncta Gloſſa verb. *Cum mater* , & Abbate *n.*8. ac Barboſa *ib. n.* 4. *de teſtibus q.*54. *num.* 191. Maſcardus *de probac. concl.* 1024. *n.* 23. cum pluribus aliis ibi citatis , Pirhing *loc. cit. n.*36. Reiffen. *l. c. num.*100. & alii .

77 Dicitur autem notanter *Inter æquales* , quia ſi magna adſit diſparitas inter contrahentes , ut ſi mulier longe ſuperet , & excedat virum nobilitate , honore , potentia , divitiis , et hujuſmodi , vel vir mulierem ; Tunc parentes , aliique conſanguinei, aut affines non cenſentur teſtes idonei, cum ob eorum affectionem , et conjunctionem ſanguinis, ſeu parentelæ ſemper præſtantiores , aut locupletiores nuptias ipſi præcipiant , adeoque reddantur ſuſpecti, ut expreſſe deciditur *in c. cap. Super eo* 22 *de teſtibus* , tenet ibi Gloſſa verb. *Cum Mater* , et Abbas *n.*8. ac Barboſa *n.*4. & 5. Pirhing *l.c. n.*36. Reiffen. *l. c. cit. n.*111. Menoch. *de Arbitr. Judic. l.*2 *cas.*102 *n.*6 & 7. & alii . Qui tamen recte concludunt tale teſtimonium eſſe relinquendum Judicis arbitrio , ut inſpecta qualitate perſonæ , et affectionis dijudicet, qualis fides ſit ipſi præſtanda , ut cum aliis etiam advertit Ventriglia *tom.* 1. *Annot.* 3. §. 3. *num.* 2. & *ſeq.*

78 Maritus pro Uxore, et contra Uxor pro Marito regulariter teſtis eſſe non poteſt . *Communis* , per text. *in cap.Si teſtes* 3. *§.Idonei cauſ.*4 *q.*2. juncta Gloſſa *ib. verb. Imperari* , & *leg. Etiam Jure* 3. *Cod. de teſtibus* , juncta Gloſſa *ib. verb. Etiam Jure verſ. quod in Viro* , & *Uxore* : Et id merito eſt ſtatutum propter magnam affectionem , quæ eſt , vel præſumitur inter conjuges , aliis relictis non inferioribus motivis . Et hoc pro- 79
pter eamdem rationem extenditur etiam ad Sponſam de futuro , & ad concubinam , atque Amaſiam . Maſcard. *concluſ.* 1429 *n.*4 & 5. Farin. *q.*54. *n.*215. Pirhing *l.c. n.*37. Reiffen. *l.cit. n.*114. & 115. & alii .

Conſanguinei , & affines illius , qui ipſos producit ut teſtes 80
pro ſe adverſus extraneos, non ſunt teſtes idonei : Ipſi enim ob naturalem affectionem erga ſuos conſanguineos , & affines redduntur nimis ſuſpecti . *Communis* , per text. *in l.Teſtium Fides* 3. *in princ. ff. De teſtib.*, & *capite Si teſtes* 3. *§. teſtium fides cauſ.*4. *q.*2. *c.Conſanguinei* 1. *cap.Accuſatores* 2. *c.Accuſatoribus* 3. & *c.Suſpectos* 4 *cauſ.*3 *q.*5. *c.Abſens per alium* 18. *cauſ.*3. *q.*9. cum ſimilibus .

Domeſtici ipſius producentis non ſunt teſtes idonei . *Com-* 81
*munis* , per textum expreſſum *in cit. l.Etiam Jure* 3. *Cod. de teſtibus* , ibi : „ Etiam Jure Civili domeſtici teſtimonii fides „ improbatur „ & concordat *cit.cap. Si teſtis* 3 *§.Etiam cauſ.* 4. *q.*2 ubi ipſiſſima tradita verba adducuntur , *l.teſtes eos* 24. „ *ff. De teſtibus* , ibi : „ Teſtes eos , quos accuſator de domo „ produxerit , interrogari non placuit „ . Et concordat *cit. c.Si teſtes §.teſtes* , ubi eademmet præciſa verba habentur, & *c.In litteris* 24. *de teſtibus* , juncto ejus Summario ſic præciſe „ dicente ; „ Non ſunt idonei teſtes , quos Actor de familia „ ſua produxit .

Supradictæ autem concluſiones de marito , & uxore , de 82
conſanguineis , & affinibus , & de Domeſticis , limitantur in variis caſibus , & ſignanter quando pars adverſa , contra quam ſupradicti teſtificantur , ſponte eos ad ferendum contra ſe teſtimonium admittit , ſive expreſſe , ſive tacite nihil contra eorum teſtimonium opponendo: Quiſquis enim poteſt renunciare favori pro ſe introducto *l.Si quis in conſcribendo* 29. *Cod. de pactis* , *c.Si diligenti* 12. *de Foro competenti*, *c. Si de terra* 6. *de privil.*; adeoque &c.

Item conſanguinei , affines , & domeſtici poſſunt eſſe teſtes 83
in caſibus , ubi veritas aliter, quam per ipſos haberi non poteſt , ut ſi agatur de commiſſis in domo , nemore , aut alio loco ſecreto , *c.Veniens* 38. *§. final. de teſtibus*, *c. Venerabilis* 11. juncta gloſſa *verb. Juramento*, *de teſtibus cogendis* , *cap. Si teſtes* 3. *§.Servi reſponſio* 4. *q.*2 *l.Conſenſu* 8. *§.*6. *verſ. Super plagis*, *Cod. de repudiis* , cum ſimilibus .

Item domeſtici poſſunt eſſe teſtes , quando ſunt domeſtici 84
utriuſque partis , ideſt tam ejus , pro quo , quam ejus, contra quem producuntur; Tunc enim ceſſat ratio ſuſpicionis ob parem affectionem erga utrumque . Gabriel *com. concl. l.*1 *de teſtibus concl.*10 *n.*68 Maſcard. *de probat. concl.*533 *n.*36 Farinac. *q.*55 *n.*92. Pirhing *l.c. n.*44 *verſ. Limitatur quinto* , & alii paſſim .

Item domeſtici poſſunt eſſe teſtes Inſtrumentarii , & Teſta- 85
mentarii ; cum enim ipſi adſint ab utraque parte rogati, cenſentur etiam ab utraque approbati , adeoque nequeunt amplius reprobari , ſub prætextu quod ſint domeſtici , *arg. leg. Si quis* 17 *Cod. de teſtibus* , Maſcard. *concl.*534 *num.*29 & 30 cum aliis ibi citatis, Farinac. *q.*55 *n.*83 Pirhing *l.c. n.*45 *verſ. Denique* ; Reiff. *l.c. n.*139. & alii .

Inimici teſtes eſſe non poſſunt contra eos , cum quibus ge- 86
runt inimicitiam . *Communis* , per claros textus *in l.Teſtium fides* 3. *in princ. ff. de teſtib.*, *Authent. de teſtib.*, *§.Si vero dicatur, Collat.*7 *c.Accuſatores* 2 & *c.Accuſat.* 3 *cauſ.*3 *q.*5 *c. Si teſtes* 3 *§. teſtium fides cauſ.*4 *q.*2 *cap.Cum oporteat* 19 *de accuſat.*, cum ſimilibus .

Immo inimici contra ſuos inimicos nequeunt eſſe teſtes , 87
neque in criminibus exceptis , ut Hæreſi , Simoniæ , Læſæ Majeſtatis , & hujuſmodi , *c.Per tuas* 32. *§.Nos vero* , *de Simonia* , juncta Gloſſa *ib. verb. Inimici tui capitales*, Menoch. *de Arbitr. Judic. l.*1 *q.*29 *n.*2 & 3. Maſcard. *concl.*901. *n.*2. Farin. *q.*53 *n.*5 *et ſeq.* Pirhing *l.c. n.*53. Reiffen. *l. c. n.* 133. & alii paſſim .

Parentes contra ſuos filios , & viciſſim filii contra ſuos pa- 88
rentes in Judicio teſtificari non poſſunt . *Communis* , textu expreſſo *in leg. Parentes* 6. *Cod. de teſtibus* , ibi ; „ Parentes , & „ liberi invicem adverſus ſe nec volentes ad teſtimonium ad- „ mittendi ſunt , & concordat per expreſſa eadem verba *cap.Si teſtes* 3. *cauſ.*4. *q.*2.

Parentum autem teſtimonium contra filios , & filiorum 89
contra

contra parentes admittitur in crimine læſæ Majeſtatis, Hære-
ſis, & aliis atrociſſimis exceptis criminibus. Clarus *in Pra-
ctic. Crimin. §. final. quæſt. 24. num. 22.* Farinac. *de Teſtibus
qu. 55. num. 173. & 174.* Maſcard. *concl. 463. num. 9. & 10.*
Pirhing *loc. cit. num. 65.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 149.* Gloſſa
*in cap. laudabilem 1. de controv. Infidelium, verb. Et Chriſtia-
ni*, quod pugnantes pro patria, & Fide pater in filium, & filius
in patrem inſurgere debeat, *argum. leg. Minime 35. ff. de Re-
ligioſis, & ſumptibus funerum*; Tum quia Filii naſcuntur pa-
triæ, ſeu Reipublicæ, *l. Sicuti liberorum 1. §. 15. ff. De ven-
tre in poſſeſſionem mittendo.* Et quidem magis quam parenti-
bus, ut inquit Gloſſa *in citat. l. Sicuti liberorum §. 15. vers.
Reipublicae* id probans *ex l. Poſtliminium 19. §. 7. de captivis,
& Poſtliminio*; & ſic Doctores paſſim, *arg. c. In fidei 5. de
Haeret. in 6.*
Liberti contra Patronos, & e contra Patroni contra liber-
90 tos non poſſunt eſſe teſtes, nec volentes, nec inviti. *Commu-
nis, cap. Epiſcopus 53. caus. 12. q. 2. cap. Si teſtes 3. §. Ne patro-
ni caus. 4. q. 2. & 3. l. libertorum 12. Cod. de teſtibus*, ibi: „ Li-
„ bertorum adverſus patronos illicitas, atque improbas vo-
„ ces pœnæ objectione præcludimus, atque ita, ut non ſo-
„ lummodo ſponte prodire non audeant, ſed ne vocati qui-
„ dem in Judicium venire cogantur. Exceptis tamen crimi-
91 nibus Hæreſis, Læſæ Majeſtatis, & aliis ſimilibus atrociſſimis
per dicta, & adducta Jura *n. antec.*
Judæi nequeunt in Judicio eſſe teſtes contra Chriſtianos.
92 *Communis*, textu expreſſo *in cap. Non poteſt 24. cauſ. 2. qu. 7.
& l. Quoniam 21. Cod. de Hæreticis*, cum ſimilibus.
Idem dicendum eſt de paganis, Hæreticis, & quibuſcum-
93 que aliis infidelibus. *Communis*, per text. *in cap. Pagani 24.
& cap. Si Hæreticus 26. caus. 2. qu. 7. cit. l. Quoniam 21. Cod.
de Hæreticis*, cum ſimilibus.
Prædictæ tamen duæ concluſiones limitantur in crimini-
94 bus exceptis, ut Hæreſis, læſæ Majeſtatis, & ſimilibus; ac in
caſibus, in quibus veritas aliter, quam per ipſos haberi non
poteſt. *Communis*, per textum *in cap. In fidei 5. & cap. Contra
Chriſtianos 13. de Hæreticis in 6.*
Poſſunt inſuper Judæi, aliique infideles in Inſtrumentis, con-
95 tractibus, & Teſtamentis eſſe teſtes ſaltem ſi alii commode
haberi non poſſint. *Communis*, textu expreſſo *in cit. l. Quo-
niam 21. in fine, Cod. de Hæreticis*, ibi: „ Cæterum teſtamen-
„ taria teſtimonia eorum, & quæ in ultimis elogiis, vel in
„ contractibus conſiſtunt propter utilitatem neceſſariis, uſus
„ eis ſine ulla diſtinctione permittimus, ne probationum
„ facultas anguſtetur.
96 Laici ordinarie non poſſunt eſſe teſtes contra Clericos, &
Religioſos in cauſa criminaliter mota. *Communis*, per claros
textus *in cap. Nullus Laicus 2. conſ. 2. qu. 7. cap. Beatus Petrus
5. cauſ. 6. quaeſt. 1. cap. De cetero 14. de teſtibus*, cum ſi-
milibus.
97 Nec valet objicere, quod Laici poſſunt Clericos, & Reli-
gioſos accuſare, & contra eos agere etiam in cauſa criminali,
ſaltem ſi ſuam, vel ſuorum injuriam proſequantur, ut expreſ-
ſe dicitur *in cit. cap. De cetero 14. de teſtibus*, adeoque poſſunt
etiam contra eos eſſe teſtes. Non valet, inquam, quia ultra
quam quod *in cit. cap. De cetero* ſtatim additur: „ Nec tunc
„ etiam ad teſtimonium, ſed ad accuſationem poſſunt ad-
„ mitti; Stat adhuc evidens diſparitas, quia teſtimonium dice-
re eſt majoris præjudicii, quam accuſare, quia Judex tenetur
ferre ſententiam ſecundum allegata, & probata per teſtes, non
autem ſecundum propoſitam accuſationem, *cap. Judicet 4.
caus. 3. quaest. 7. leg. Rem novam 14. Cod. de Judiciis*, cum
ſimilibus.
98 Dicitur autem in concluſione notanter *Ordinarie*, quia
ſecus eſt in criminibus exceptis, & Hereſis, Læſæ Majeſtatis,
Simoniæ, & hujuſmodi, quia in iſtis poſſunt Laici teſtificari
etiam contra Clericos, & Religioſos, ſi zelo juſtitiæ, & non
odii procedant. *Communis*, per text. *in cap. tanta 7. de Simo-
nia, cap. In fidei 5. de Haereticis in 6.* cum ſimilibus.
99 Item notanter dicitur, *In causa criminaliter mota*, quia in
cauſa criminali civiliter mota, ſicuti in cauſis civilibus poſ-
ſunt laici eſſe teſtes contra Clericos, & Religioſos, *argum.
cap. quoniam 3. cap. Ex part. 7. & cap. De cetero 14. de teſti-
bus.* Sic Abbas *in dict. cap. De cetero num. 6.* Barboſa *ibid.
num. 4.* argumento a ſenſu contrario deſumpto, Maſcard. *con-
clus. 1364. num. 44.* Farinacius *qu. 61. de testibus num. 120.* cum
pluribus aliis ibi allegatis, Pirhing *loco cit. n. 58.* Reiffenſt. *lo-
co cit. n. 164.* & alii.
100 Inſuper poſſunt laici eſſe teſtes contra Clericos, & Reli-
gioſos ob defectum teſtium Eccleſiaſticorum, quia verb. grat.
crimen a Clerico inter ſolos laicos commiſſum eſt, ut in Villa,
qui nulli reperiebantur Eccleſiaſtici. Et hoc ne alioquin cri-
mina Clericorum, & Religioſorum remaneant impunita, &
ipſis præbeatur anſa impune delinquendi; *argum. cap. Vene-
rabilis XI. de teſtibus cogendis*, ibi: *Ne pro defectu teſtium pe-
reat ſua Juſtitia.* Abbas *in cit. cap. de cetero num. 3.* Barboſa
*ibid. num. 4.* Maſcard. *l. c. n. 46.* Farinac. *l. c. n. 107.* Pirhing *l. c.
n. 58.* Reiffenſt. *l. c. n. 167.* & alii.
Clerici, & Religioſi non poſſunt eſſe teſtes contra Laicos 101
in cauſa criminaliter mota; *cap. Teſtimonium 9. cauſ. 11. qu. 1.*
juncta Gloſſa *ibid. verb. Recipiat*, & Archidiacon. *ibidem nu. 3.
argum. cit. cap. De cetero 14. de teſtibus*, Maſcard. *concluſ. 1358.
num. 62.* Pirhing *loco cit. num. 59.* Reiffenſt. *l. c. num. 168.* &
alii paſſim.
Et ubi agitur de imponenda Laico crimino ſo pœna ſangui- 102
nis, non poſſunt Clerici eſſe teſtes, nequidem in criminibus
exceptis. Gloſſa *in cap. Aliquantos 1. diſt. 50. verb. ad Sacer-
dotium*, Covarruv. *in Clementin. Si furioſus part. 2. §. 4. num. 5.*
Farinac. *cit. q. 61. num. 66. & 67.* Felin. *in cit. cap. De cetero
num. 1.* Maſcard. *concluſ. 1358. num. 62.* Pirhing *loco cit. nu. 59.*
Reiffenſt. *l. c. n. 150.* & alii.
Poſſunt tamen Clerici eſſe teſtes contra Laicos in cauſis 103
criminalibus civiliter motis, & in cauſis Civilibus. Archidia-
conus *in cit. cap. teſtimonium num. 1.* Abbas *in cit. cap. De
cetero 14. de teſtibus num. 1.* Felin. *ibid. num. 1.* Farinac. *citat.
quæſt. 61. num. 68. & ſequen.* Pirhing *l. c. n. 60.* Reiffenſt. *loc. cit.
n. 179.* & ipſo teſte alii paſſim, *arg. cap. quamquam 7. cauſ. 14.
qu. 2.*
Inſuper Clerici poſſunt eſſe teſtes contra Laicos, ubi ve- 104
ritas aliter haberi non poteſt, non ſolum in Civilibus, & Cri-
minalibus civiliter motis, ſed etiam in Criminalibus crimi-
naliter agitatis, dummodo non agatur de imponenda pœna
ſanguinis. Farinac. *cit. qu. 61. num. 71. & 72.* cum aliis ibi al-
legatis, Felinus *in cit. cap. De cetero num. 1. verſ. Fallit ſe-
cundo*, Alexander *conſil. 65. num. 7. lib. 7.* Pirhing *l. c. nu. 60.*
Reiffenſt. *l. c. num. 175.* & alii per textum *in cit. cap. Quam-
quam 2. caus. 14. qu. 2.* Et hoc ut ibi dicitur: *Ne veritas occul-
tetur, & malus ut bonus æſtimetur.*
In dictis tamen, & ſimilibus caſibus Clerici, & Religioſi 105
ad teſtificandum cogi non poſſunt per Judicem Laicum; Cle-
rici enim, & Religioſi ſunt omnino exempti a Juriſdictione
Fori Laicalis. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Nullus Judi-
cum 2. de Foro competenti* cum ſimilibus. Vide verb. *Juramen-
tum art. 2. n. 44.*
Unde ſi in defectu teſtium laicorum oportuerit Clericum 106
ferre teſtimonium, Epiſcopus ejus ad requiſitionem Judicis
ſæcularis debet per ſe, aut per alium examinare Clericum, &
ejus Judicialem depoſitionem ſub ſigillo ſuo tranſmittere ad
Judicem laicum, textu expreſſo *in cap. quamquam 2. cauſ. 14.
quaeſt. 2.* ubi ex Concilio Romano ſub Eugenio Papa ſtatui-
tur, quod in ſimilibus caſibus: „ Ne veritas occultetur, &
„ malus ut bonus æſtimetur, in providentia proprii Epiſcopi
„ ſit, ut aut coram ſe, & competentibus Judicibus, aut aliter
„ honorifice veritatem teſtificentur „. Ita Archidiaconus *in
cit. cap. quamquam n. 2.* Abbas *in cap. Cum nuncius n. 3.* & Fe-
linus *ibid. n. 3. de teſtibus*, Maſcard. *conclus. 364. n. 51.* Farinac.
*qu. 61. n. 83.* Pirhing *l. c. n. 60.* Reiffenſtuel *loco cit. nu. 177.* &
alii paſſim.
Immo plures præfatorum Doctorum volunt, quod in ſimi- 107
li caſu examen Clerici contra Laicum de licentia, & aſſenſu
Epiſcopi, ſi ita expedire judicaverit, poſſit etiam fieri per Ju-
dicem Sæcularem, quia, dicunt, de licentia Epiſcopi poteſt
Clericus coram Judice ſæculari teſtimonium ferre. Abbas,
Maſcard., Farinac. Pirhing locis cit., & alii. Ac favet textus
*in cap. Super prudentia 1. in fine caus. 14. qu. 2.* ibi; „ Sed ſi
„ caſu contractui eos interfuiſſe contigerit, jubente Epiſco-
„ po teſtimonium dicant, & *cit. cap. quamquam 2. ead. causa,
& qu.* ibi: *Aut aliter honorifice veritatem teſtificentur.* Et ad
id facit ſequens Decretum Sacræ Congregationis Immunitatis
relatum a D. Petro Andrea Riccio *in ſua Synopſi verb. Teſtis
num. 1.* his præciſis verbis: Clericus abſque licentia Epiſcopi
non poteſt Teſtimonium ferre etiam in cauſa Civili coram Ju-
dice Laico; ſed pro licentia nihil eſt ſolvendum. *In Aquila-
na 5. Maii 1637. lib. 3. Decretal. Paul. pag. 30.*
Qui tamen Riccius *in dicta ſua Synopſi verb. Facultas* 108
*examinandi Eccleſiaſticos & Exemptos* adducit ſequentia de-
cem & octo Decreta ejuſdem Sacræ Congregationis Immu-
nitatis, ibi.

1. At-



1. Attentis circumſtantiis particularibus temporum de
ordine Sanctiſſimi datur Eminentiſs. Legato facultas exami-
nandi pro quinque caſibus, qui poſſunt occurri etiam per
alium (modo ſit Clericus) omnes perſonas Eccleſiaſticas ut-
cumque privilegiatas, & ſpeciali nota dignas cum præſerva-
tione ab irregularitate pro hac vice tantum, & non tranſeat in
exemplum, modo crimina ſint gravia, & enormia, ſcilicet
contra quietem publicam. *Bononien. 8. Maii 1697. lib. 2. De-
cretal. Vallem. pag. 90.*
2. Si veritas pro defenſione Rei aliunde haberi non po-
teſt, datur Epiſcopo facultas, ut Clerici poſſint in Tribunali
Laico examinari in cauſa Criminali pro defenſione, præſtito
tamen prius juramento coram dicto Epiſcopo de ſervandis
expreſſis in praxi Genuenſi *cap. 35. num. 6.* ſcilicet ut articuli,
ſuper quibus deponent, non contineant Criminalitatem, infa-
miam, negativam, aut repulſam. Et cum diſpenſatione ab
incurſu irregularitatis. Et detur ſalvus conductus Clericis
examinandis. *Mediolan. 24. April. 1646. lib. 3. Decret. Paul.
pag. 379.*
3. Supplicante Carcerato a Curia Laica pro examine Sa-
cerdotis in ejus defenſam, injungitur Vicario Generali, ut eum
examinet, & poſtea communicet examen Curiæ ſæculari. *Fir-
mana 19. Julii 1673. lib. 1. Decretal. Altoviti p. 822.*
4. Ad hoc, ut Immunitas poſſit reintegrari, & juſtitia
adimpleatur, quando aliter, & aliunde non poteſt juſtificari,
an carceratio ſit facta in loco Immuni? Conceditur facultas
examinandi Fratres Ordinis Capuccinorum, *Præneſtina 7. Ju-
lii 1668. lib. 1. Decret. Altov. pag. 239.*
5. Sanctiſſimus concedit facultatem Ordinario examinan-
di Regulares, & Sæculares exemptos in cauſa proceſſus con-
tra Gubernatorem ob obſidionem poſitam Eccleſiis pro ca-
piendis confugitis cum ſolita præſervatione. *Narnien. 26. Ju-
lii 1672. lib. 1. Decret. Altov. pag. 719.*
6. Epiſcopo conceditur facultas examinandi Patentatos
Sanctæ Domus in cauſa extractionis. *Lauretana 1. Aprilis
1679. lib. 1. Decret. Altov. pag. 332.*
7. Archiepiſcopo conceditur facultas, ut mandet per
ſuos Judices examinari Equitem Chriſti ſuper intereſſe cujuſ-
dam laici, & deinde tradat parti copiam authenticam exami-
nis. *Neapolitana 16. Septembris 1625. lib. Script. Vet. p. 71.*
8. In cauſa mortis ex veneno ſecutæ Sanctiſſimus tribuit
facultatem examinandi coram Epiſcopo Medicum Sacerdo-
tem, & conſignandi examen Curiæ Sæculari. *Tropien. 30.
Martii 1694. lib. 1. Decretal. Valleman. pag. 114.*
9. Ut deveniatur in cognitionem furti, quatenus alii teſtes
haberi non poſſint, conceditur Vicario Generali facultas exa-
minandi Sacerdotem. *Mediolanen. 30. Julii 1678. lib. 2. De-
cret. Altoviti p. 1621.*
10. Epiſcopus cum facultate Sacr. Congregat. prævio ju-
ramento coram ſe præſtando ab Eccleſiaſticis concedit facul-
tatem Judici ſæculari examinandi, & iiſdem Eccleſiaſticis ſe
ſe ſubjiciendi examini coram eodem Judice, prævia declara-
tione facienda per Fiſcum utendi depoſitione citra pœnam
ſanguinis. *Oſtunen. 31. Maii 1704. lib. 3. Decret. Valleman.
pag. 584. Eugubina 9. Septemb. 1673. lib. 1. Decret. Altovit.
pag. 837.*
11. Ex Secretaria ſtatus juſſu Sanctiſſimi pro indaganda
veritate quoad rapinas, & furta patrata in Legationibus Fer-
rariæ &c. Datur Vicario Generali facultas examinandi mu-
lierem exiſtentem in Conſervatorio, ac etiam perquirendi in
Hoſpitali. *Faventina 6. Decemb. 1692. lib. 1. Decret. Vallem.
pag. 9.*
12. Datur Eminentiſſimo Legato facultas examinandi,
annuente Sanctiſſimo, etiam per alium (modo ſit Clericus)
in cauſa furti ſacrilegii Vaſorum Sacrorum facti a fratre laico,
Regulares Capuccinos, & cogendi etiam per cenſuras cum
præſervatione ab Irregularitate. *Ravennaten. 1. Octobr. 1678.
l. 2. Dec. Alt. p. 165.* Similis facultas conceditur etiam quoad
Monachos Caſſinenſes. *Bonon. 14. Januar. 1679. lib. 2. Decret.
Alt. p. 1699.*
13. Ad hoc, ut dilucidari poſſit delictum reſidentiæ, ſeu
oppoſitionis armis factæ contra Curiam Laicam Eminentiſs.
Legatus Urbini ex mandato Sanctiſſimi poteſt examinare Cle-
ricum, eumque cogere in caſu renitentiæ cum ſolita præſer-
vatione ab irregularitate. *Urbinaten. 27. Jan. 1674. lib. 1. De-
cret. Vallem. p. 101.*
14. Datur Eminentiſs. Archiepiſcopo facultas cogendi
Monachos Cæleſtinos non obſtantibus eorum privilegiis ad ſe
ſubjiciendum examini in Tribunali legationis, præſtito prius
juramento in Curia Eccleſ. de dicenda veritate: dummodo
agatur tantum judicio Civili. *Bononienſ. 30. Novembr. 1697.
lib. 2. Decret. Vallem. p. 122.*
15. Conceditur Gubernatori facultas examinandi Eccle-
ſiaſticos in cauſa furti lampadæ ſecuti in Sacra Æde Laureta-
na cum ſolita præſervatione ab irregularitate. *Lauretana 23.
Auguſti 1667. lib. 1. Decret. Alt. pag. 147.*
16. Jubente Sanctiſſimo datur Gubernatori facultas in cau-
ſas homicidii cujuſdam Canonici, ut poſſit examinare etiam
per alium (dummodo ſit Clericus) Perſonas Eccleſiaſticas,
& Notarium Vicarii Foranei, & in caſu renitentiæ, eos
cogendi, ac procedendi contra eaſdem, ſi culpabiles repe-
riantur, præmiſſa ſolita proteſtatione ad formam, *cap. Præ-
latis, de homicid. in 6.* ſicque Sanctiſſimus eos præſervat ab
omni Irregularitate. *Reatina 27. Decemb. 1682. lib. 1. Decret.
Vallem. pag. 14. Verulana 5. Decembris 1693. d. lib. pag. 91.
Maceraten. 16. Decembr. 1693., & 24. Aprilis 1694. Dict.
lib. pag. 11. & alibi.*
17. Annuente Sanctiſſimo in cauſa graſſationis datur Gu-
bernatori facultas examinandi etiam alium (dummodo ſit
Clericus) Fratrem Religioſum, qui parum diſtabat a loco
commiſſæ graſſationis. *Spoletana 22. Novemb. 1693. lib. 1.
Decret. Vallem. pag. 87.*
18. Conceditur Epiſcopo facultas impertiendi licentiam
examinandi Eccleſiaſticos in cauſa homicidii, quando ex alio-
rum depoſitione nequeunt haberi probationes ſufficientes ad
juſtitiam ſubminiſtrandam cum ſolida præſervatione, facta
proteſtatione ad tenorem *c. Prælatis, de homicid. in 6. Eu-
gubina 9. Septemb. 1673. lib. 1. Decret. Alt. p. 837.*
An Clerici, & Religioſi poſſint ſine licentia ſuorum reſ- 109
pective Superiorum valide, & licite eſſe teſtes in Teſtamen-
tis, Inſtrumentis, & contractibus Laicorum; Vide verb.
*Teſtamentum art. 1. n. 24., & 25.*
Nemo poteſt eſſe idoneus teſtis in propria cauſa. *Commu-* 110
*nis*, textu expreſſo *in l. Nullus 10. ff. de Teſtibus*, ibi: *Nul-
lus idoneus teſtis in re ſua intelligitur, l. Omnibus 10. C. eod.*
ibi: *Omnibus in re propria dicendi Teſtimonii facultatem Jure
ſubmoverunt, cap. Si teſtes 3. §. Nullus, & §. Omnibus
cauſ. 4. quæſt. 2. & 3.* ubi ambæ dictæ Leges canonizantur.
* Cum Gratiani Decretum, quantumvis pluries Romano-
rum Pontificum cura emendatum fuiſſe non ignoretur, vim,
ac pondus legis non habeat; quin immo inter omnes rece-
ptum ſit, quidquid in ipſo continetur, tantum auctoritatis
habere, quantum ex ſe habuiſſet, ſi nunquam in Gratiani
collectione inſertum foret: ut præ cæteris teſtatur SS. D. N.
Benedictus XIV. *lib. 7. de Synodo, cap. 15. num. 6.* hinc ſe-
quitur, quod prædictæ Leges nequeant dici canonizatæ, quæ
tantum ex corpore Juris Civilis deſumptæ ſunt. *
Advocati, & Procuratores nequeunt eſſe teſtes in cauſa, 111
cui patrocinium præſtiterunt. *Communis*, textu expreſſo *in
l. Mandari 25. ff. de teſtibus*, ibi: Mandari cavetur, ut
„ Præſides attendant, ne patroni in cauſa, cui patrocinium
„ præſtiterunt, Teſtimonium dicant, cap. Romanæ 3. de
„ Teſtibus in 6., ibi: In appellationis cauſa is, qui appellan-
„ tis Procurator, vel Advocatus in priori judicio fuerat,
„ non recipiatur in teſtem. Et concordant cap. Si teſtes 3. §.
„ Patroni cauſ. 4. quæſt. 2., & 3., & cap. Inſuper 6. in fine
„ de Teſtibus. Et id propter præſumptam actionem in illam
cauſam, cui patrocinium præſtiterunt.
Neque Judices poſſunt eſſe teſtes in cauſis, quas judica- 112
runt. *Communis*, per textum *in c. Dilecto 50. de teſtibus.*
Et ratio eſt eadem, quæ *n. antecedenti.* Tum quia Judex,
Actor, Reus, Teſtis diſtinctæ in Judicio perſonæ eſſe debent;
*cap. Nullus unquam 1. & cap. Nullus introducatur 2. cauſ. 4.
quæſt. 4. cap. Forus 10. §. In omni, de verbor. ſignificat.* cum
ſimilibus.
Dicta de Judicibus, Advocatis, & Procuratoribus dicen- 113
da ſunt etiam de Tutoribus, vel Curatoribus in cauſis ſuorum
Pupillorum, vel Minorum; item de Adminiſtratoribus,
Syndicis, & Actoribus, cum eadem ſit ratio eos repellendi
a Teſtimonio propter præſumptam affectionem ad negotium,
quod geſſerunt, quandoquidem commodum inde, vel ho-
norem ſaltem, aut gratiam conſequi poſſunt. *Communis*, per
„ text. in cit. l. Mandari 25. ff. de Teſtibus, ibi: Quod &
„ in executoribus negotiorum obſervandum eſt. Tum quia
„ ſupradicti omnes cenſerentur quodammodo eſſe teſtes in
„ propria cauſa, argum. l. Si quidem 1. §. In propria cauſa
„ 11. ff. Quando appellatum ſit, ubi ſic expreſſe habetur:
„ Propriam cauſam ab aliena quemadmodum diſcernimus, 114





„ &

„ & palam eſt eam eſſe propriam cauſam, cujus emolumen„ tum, vel damnum ſuo nomine pertinet „ Quæ ipſiſſima „ expreſſa verba habentur canonizata (* Vide ſupra nu„ mer. 110. *) in cap. Biduum 29. cauſ.2.q.6. §. Palam eſt, „ ibi: Palam eſt eam eſſe propriam cauſam, cujus emolu„ mentum, vel damnum ad aliquem ſuo nomine pertinet.

115 Proxeneta, ſeu Mediator inter contrahentes regulariter teſtis eſſe non poteſt in actu, ſeu negotio, in quo operam ſuam impendit, prælertim ſi propter hujuſmodi Officium aliquod ſalarium, ſeu emolumentum receperit, ut colligitur *ex cap. Mediatores* 1., & ibi Gloſſa verb. *Civiliter*, *de Teſtibus in 6.* & *Authentic. de Teſtibus* §. *Quoniam vero collat.* 7. *& cit. leg. Mandari* 25. *ff. de teſtibus*. Et ratio eſt, quia propenſus, & affectus præſumitur ad negotinm illud, cujus fuit mediator, perficiendum, confirmandum, & approbandum, tum ne ſalarium, aut emolumentum amittat, tum ne ei objiciatur (etiamſi ſalarium non receperit) quod non bene in eo negotio ſe geſſerit. Gloſſ. *in cit. Authent. De teſtibus* §. *Quoniam verb. Prohibitione*, Farinac. *quæſt.* 60. *numer.*206. *cum ſeq.* & alii ab ipſo ibi allegati, Pirhing *loc. cit. n.*95. & alii paſſim.

116 Dicitur autem notanter *Regulariter*, quia in aliquibus caſibus Mediator, ſeu Proxeneta teſtis eſſe poteſt, & ſignanter quod ambæ partes litigantes conſentiunt, ut Mediator ad teſtificandum admittatur, tunc enim etiam invitus compellitur eſſe teſtis. *Communis*, text. expreſſo *in cit. Authent. De Teſtibus* §. *Quoniam vero*, & ibi Gloſſa *verb. Legem*, & Gloſſa *in cit. capit. Mediatores* 1. *verb. Civiliter*, *de teſtibus in* 6.

117 Item Mediator, ſeu Proxeneta poteſt eſſe teſtis, quando aliter abſque ipſo veritas haberi non poteſt, tunc enim etiam invitus cogi poteſt ad teſtificandum in cauſis civilibus. Franc. *in cit. cap. Mediatores* 1. *numer.* 5. *de Teſtibus in* 6. Farinac. *loco cit. num.*417., *& ſeq.* Maſcard. *de probationib. concluſ.* 1039. *num.*16. Pirhing *loco cit. num.*96. *verſ. Excipitur ſecundo*, & alii paſſim.

118 Item Mediator poteſt eſſe teſtis favore Matrimonii. Maſcard. *loco cit. num.* 11. Farinacius *loco cit. num.* 442. Pirhing *loc. cit. n.*96. *verſ. Quinto*, & alii.

119 Prælatus, aliique Clerici poſſunt eſſe teſtes in cauſa Civili ſuæ Eccleſiæ; Dummodo non ſubſit alia rationabilis cauſa „ illos impediens „ in cap. Cum Nuncius 12. de Teſtibus, „ ibi: Non lateat prudentiam veſtram, quod Clerici non „ ſunt a ferendo teſtimonio ſuper negotio Eccleſiæ ſuæ (niſi „ alia rationabilis cauſa impediat) repellendi. Et concordat „ cap. Super prudentia 1. cauſ.14. q. 2. „ Et ratio eſt, quia Jura Eccleſiæ non ſunt Jura propria Clericorum, cum bona Eccleſiæ ſint bona Dei, & patrimonium Chriſti, *cap. Quia tua* 8. *& cap. Res Eccleſiæ* 26., *& cap. Nulli* 27. *cauſ.* 12. *quæſt.*1. cum ſimilibus. Et quod bona Eccleſiæ non ſint bona propria Clericorum, & conſequenter ipſi teſtificando de iis non ſint teſtes in propria cauſa, colligitur a ſimili de bonis Univerſitatis, quæ non ſunt ſingulorum, ſed Univerſitatis, „ ut expreſſe dicitur „ in leg. In tantum §.1. ff. de diviſione „ rerum, *ibi: Univerſitatis ſunt, non ſingulorum* .... „ ſi qua alia ſunt communia Civitatum, & leg. Sicut 7. §.1. „ ff. Quod cujuſcumque Univerſitatis nomine, ibi: Si quid „ Univerſitati debetur, ſingulis non debetur, nec quod de„ bet Univerſitas, ſinguli debent, & concordat lex Sed ſi „ 10. §.4. ff. de in jus vocando.

120 Et idem a fortiori dicendum eſt de Regularibus, qui ſine dubio teſtes idonei pro ſuo Monaſterio reputantur, cum in ipſis magis ceſſet præſumptio affectionis, ac ſuſpicio proprii intereſſe. *Communis*, per clarum textum *in cap. Inſuper* 6. *de Teſtibus*, ubi Summus Pontifex Eugenius III. expreſſe concedit Priori, & Fratribus SS. Trinitatis, ut liceat ipſis in cauſis propriæ Eccleſiæ teſtimonium ferre, ibi: *Inſuper ſtatuimus, ut liceat vobis in cauſis Eccleſiæ veſtræ ferre Teſtimonium*.

121 Canonici teſtes eſſe poſſunt eorum, quæ geſta ſunt in Capitulo, ut in Electionibus, & hujuſmodi, quæ ſecreto inter ipſos fieri ſolent, textu expreſſo *in cap. Veniens* 38. §. *final. de Teſtibus*, ubi id expreſſe ipſi conceditur, addita hac „ ratione: Quia quæ in Capitulo aguntur, non poſſunt fa„ cile, niſi per Canonicos ipſos probari: Et concordat cap. „ Cum dilectus 32. §. Nos attendentes, de election. cum „ ſimilibus.

122 Notanter autem in concluſione ſub num.119. fuit dictum: *Dummodo non ſubſit alia rationabilis cauſa illos impediens* *teſtificando*, quia in aliquibus caſibus Clerici tum Sæculares, tum Regulares impediuntur a teſtificando etiam in cauſa ſuæ Eccleſiæ ex aliqua rationabili cauſa, ut ex Excommunicatione, perjurio, infamia, aut alio gravi crimine, ut patet ex dictis ſupra de infamibus *a num.*27. de criminoſis *a num.* 24. de perjuris *a num.*29. de excommunicatis *a n.*32.

123 Item Clerici tum Sæculares, tum Regulares nequeunt eſſe teſtes in cauſa ſuæ Eccleſiæ, quando in eadem cauſa conſtituti ſunt Auctores, ut Procuratores, ſeu Reſponſales, qui nomine ipſius Eccleſiæ, ſeu Monaſterii cauſam exerceant, textu expreſſo *in cit. c. Inſuper* 6. *de Teſtibus*. Et ratio eſt, quia nemo poteſt ſimul eſſe Actor, & teſtis in eadem cauſa, *c. Nullius unquam* 1. *& c. Nullus introducatur* 2. *cauſ.* 4. *quæſt.*4. *cap. Forus* 10. §. *In omni, de verb. ſignificat.* cum ſimilibus.

124 Item Clerici nequeunt eſſe teſtes in cauſa ſuæ Eccleſiæ, quando commodum, ſeu utilitas inde proveniens eſt ſingulorum; tunc enim cenſerentur eſſe teſtes in re, & cauſa propria, in qua nemo teſtis idoneus reputatur, per jura adducta *ſupra num.*110. & Doct. citatos *infra n.*127.

125 Unde Canonicus nequit eſſe teſtis idoneus in cauſa ſuæ particularis Præbendæ, cum redditus ipſius, non ad Capitulum, ſed ad ſe ipſum ſolum ſpectent, ſicque in tali caſu eſſet teſtis in propria cauſa, quod eſt omnino prohibitum per dicta adducta jura *ſupra num.*110. & Doctores allegandos *num. ſequenti*.

126 Sic etiam ob eamdem rationem Epiſcopus, Abbas, Prælatus, ſeu Rector Eccleſiæ non Collegiatæ nequeunt eſſe teſtes in rebus ſpectantibus ad ſolam ſuam Menſam, ſeu Præbendam; Nam tales redditus immediate, & totaliter ipſis, & non Eccleſiæ proveniunt, ſicque cenſerentur eſſe teſtes, præſertim quoad fructus, in propria cauſa, quod penitus vetitum eſt per citata Jura. Maſcard. *de probationibus concluſ.*1364. *num.*29. Socinus *in Fallentiis Regul.* 408. *fall.* 4. Joann. Andr. *in addition. ad ſpeculatorem tit. de Teſte num.* 24. *verſ. Dominicalis*, Farinac. *quæſt.*60. *num.*462. Reiffenſtuel *loco cit. num.* 206. 207., *&* 208. cum pluribus aliis ibi allegatis, Pirhing. *loco cit. n.*102. & alii.

127 Item in cauſa Univerſitatis Sæcularis, vel alterius cujuſlibet poſſunt regulariter eſſe teſtes illi, qui ſunt de Univerſitate, vel Communitate, ut Cives pro ſua Civitate, Oppidani pro ſuo Oppido. *Communis*. Et ratio eſt, quia tales revera non ſunt teſtes in propria cauſa per adducta jura *ſupra num.* 119.

128 Hinc quando agitur de probatione confinium, admittuntur teſtes de Civitate, Oppido, ſeu Communitate, quia non teſtificantur in re propria, ſed in ea, quæ eſt Univerſi„ tatis, ſeu Communitatis „ cit. l. Intantum §.1. ff. de di„ viſione rerum, l. Sicut 7. §.1. ff. Quod cujuſcumque Uni„ verſitatis nomine, l. Sed ſi 10. §.4. ff. De in jus vocando. „ Et ſic Communis Doctorum teſte Maſcardo de probatio„ nibus concluſ. 395. num.9., & Reiffenſtuel *loco citato numer.* 215.

129 Dicitur autem notanter in Concluſione *Regulariter*, quia teſtes de Univerſitate poſſunt repelli in cauſis illis, ubi commodum inde reſultans tangit ſingulos eorum. Et ſignanter in lite ſuper nemore, vel paſcuis, ubi ſinguli de Communitate poſſunt ligna cædere, vel animalia ſua paſcere, quia tunc cenſerentur teſtificari ſinguli in ſua propria cauſa. Ita Jaſon *in l. Sed ſi* 10. §. *Patronum num.* 7. *ff. De in jus vocando*, Felinus *in cap. Inſuper* 6. *num.*5. *de teſtibus*, Menoch. *cap.*106. *num.*13. Farinac. *q.* 60. *num.* 495. *& ſeq.* Pirhing *loco citat. num.*20. Reiffenſtuel *loco cit. numer.* 219. Covarruv. *Practic. Quæſtion. c.*18. *n.*4. teſtans de communi.

130 Item quando agitur de prædio, aut vinea, cujus proprietas eſt quidem Univerſitatis, uſuſfructus, & utilitas pertinet ad ſingulos; Tunt enim teſtes de Univerſitate repelli poſſunt, quia cenſerentur teſtificari in propria cauſa. Felinus *in citat. cap. Inſuper num.*4. Baldus *in cap. Cum nuncius* 12. *numer.* 1. *de teſtibus*, Farinac. *cit. quæſt.*60. *num.*499. *&* 504. Pirhing *l.c.n.*102. Reiffenſt. *l.c.n.*220. & alii.

131 Item propter eamdem rationem repelli poſſunt teſtes de Univerſitate, quando, lite perdita, in ſingulos de Univerſitate imponenda eſt certa collecta. Felinus *in cit. cap. Inſuper num.*6. Baldus *ibid. num.*3. Menochius *cap.*106. *num.* 15. Farinac. *c. q.*60. *num.*505. *&* 507. Maſcard. *concl.* 1422. *numer.*5., *&* 6. Reiffenſtuel *loco cit. num.*221. & alii.





*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 DE infamibus quæſtio apud DD. vertitur, num abſolute, & in genere repellantur, an admittentur ſalvis exceptionibus?

2 De jure civili *infamia juris notati* indiſtincte a teſtimonio non repelluntur, ſed quidem tantum ſpecialiter enumerati in *L.*3. *ff. de Teſtib.* quales ſunt judicio publico damnati, qui pugnant cum beſtiis lucri cauſa, quæſtum corpore facientes, ad teſtimonium falſum dicendum pecunia corrupti; Sic etiam *in l.*15. *princ. ff. eod.* repelluntur ſpeciatim damnati repetundarum; porro damnati ob adulterium *l.* 18. *ff. eod.*, & ob carmen famoſum *l.*21. *ff. eod.* Præterea Senatu moti ob turpitudinem, nec reſtituti *l.*2. *ff. de ſenat.* quæ ſpecialis enumeratio argumento eſt, non omnes in genere infames excludi ſed cæteros quidem admitti, non tamen eſſe teſtes omni exceptione majores; *Umm. in Proceſſ. diſſ.*16. *num.*9. *Menoch. de Arbitr. Jud. quæſt. lib.*1. *q.*27.

3 At de jure canonico indiſtincte repelluntur *cap.* 54. *dict. titul. C.*15. *C.*6. *q.*1. adeo ut etiam Judex Teſtes infames nemine opponente repellere debeat.

4 *Infamia vero facti notati* nec jure civili, nec jure Canonico abſolute repelluntur; *Carpzov. Juriſprud. Forenſ. conſt.* 16. *de fin.*71. *numer.* 7. *Hann. ad Vveſembec. titul. de Teſt. num.* 3.

5 Poſtulat tamen aliquando rei conditio, ut Infames admittantur, ſi alii Teſtes deficiant, & per infames tantum veri-
6 tas haberi queat. Sed quantum tunc fides ipſis haberi queat exponit Juriſconſultus *in l.*21. §.2. *ff. dict. titul.* his verbis: *Si ea rei conditio ſit, ubi arenarium teſtem, vel ſimilem Perſonam admittere cogimur, ſine tormento teſtimonio ejus credendum non eſt*.

7 Ex qua lege generaliter Doctores inferunt: *Quibus caſibus Teſtis infamis jure permittente ad teſtimonium admittitur, fides ei ſine tormentis non habetur*. Faciunt etiam *l.*13. *C. dict. titul. & novell.*90. *cap.* 1.

8 Provocat huc etiam Pontifex *in c.*7. *c.*2. *qu.* 1. *in fine*, inquiens; *Multæ Leges ſanciunt, uti viliſſimis Teſtibus ſine corporali diſcuſſione credi non debeat*.

9 Hi autem textus conjunctim conſiderati oſtendunt, non abſolute Teſtes viliſſimos & infames torturæ eſſe ſubjiciendos, ſed ubi gravitas cauſæ hoc poſtulat, ut veritas abſque eis aliter haberi non poſſit, & tamen ſuſpicio falſi, vel corruptionis adſit, quod veritatem fateri nolint; ut adeoque
10 tormenta non fidem per ſe faciant, ſed tantum operentur, ut a ſuſpecto fides eo facilius erui poſſit; *Tabor. de Tortur.*
11 *c.*5. *num.*18., *& ſequent.* Quorſum potiſſimum pertinet, ſi teſtes vacillent, aut varient, de quibus tamen conſtat, quod facti notitiam habeant; *Carpzov. Proceſſ. crimin. quæſt.* 119. *n.*46. *& ſequent.*

## Articulus II.

Quoad ea, quæ concernunt teſtium numerum, teſtes conteſtes, teſtes ſingulares, teſtes de ſcientia, teſtes de credulitate, teſtes de auditu, teſtium productionem, juramentum, & examen, ac interrogatoria ſuggeſtiva.

1 REgulariter in qualibet cauſa ſive profana, vel Sæculari, ſive Civili ad legittimam probationem requiruntur, & ſufficiunt duo teſtes idonei, & omni exceptione majores; Niſi expreſſe per legem, aut Canonem plures in aliqua cauſa requirantur. *Communis*, per expreſſos textus *in cap.* 17. *n.*6. *Deuteronomiis*, ibi: *In ore duorum, aut trium teſtium peribit, qui interficietur*, *c.* 19. *n.* 15. *ejuſdem Deuteron.* ibi: *In ore duorum, aut trium, teſtium ſtabit omne verbum*; *Matth. c.*18. *num.* 16. ibi: *Ubi in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*; *cap. In omni* 4. *de Teſtibus*, ibi: *Ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum cap. Licet* 23. *eod.* ibi: *Juxta illud Dominicum: In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*, *cap. Si teſtes* 3. §. *Ubi numerus cauſ.* 4. *q.* 2. *&* 3. ibi: *Ubi numerus teſtium non adjicitur, etiam duo ſufficiunt; pluralis enim locutio duorum numero contenta eſt*, *leg. Ubi numerus* 12. *ff. De teſtibus*, ibi: *Ubi numerus teſtium non adjicitur, etiam duo ſufficient: pluralis enim locutio duorum numero contenta eſt*.

2 Dicitur autem notanter: *Niſi expreſſe per Legem, ſeu Canonem plures in aliqua cauſa requirantur*, quia in variis cauſis plures, quam duo teſtes requiruntur, tum de Jure Civili, tum de Jure Canonico.

3 Et quidem de Jure Civili in Teſtamentis requiruntur ſeptem teſtes *leg. hac conſultiſſima* 21. *Cod. de teſtamentis*; *l. heredes* 21. §. *In teſtamentis*, *ff. Qui teſtamenta facere poſſunt.* Et quinque teſtes in Codicillis; *l. Si quis* 8. §. 3. *Cod. de Codicillis*. Item quinque teſtes requiruntur in donatione facta cauſa mortis; *leg. Cum de mortis cauſa* 4. *Cod. de donationibus cauſa mortis.* Item aliæ plures ſunt cauſæ, in quibus plures, quam duo teſtes requiruntur, quæ brevitatis gratia relinquuntur videndæ apud Speculatorem, *titul. de teſte* §. *De numero teſtium n.* 1. Farinac. *tract. de teſtibus quæſ.* 63. *num.*223. qui plures hujuſmodi cauſas enumerant.

4 De Jure Canonico etiam in variis cauſis plures, quam duo requiruntur teſtes. Et ſignanter in purgatione Canonica Epiſcopi requiruntur teſtes duodecim; *cap. Omnibus* 19. *cauſa* 2. *q.* 4. & concordat *c. Nobilis* 1. *de purgatione Canonica*. Et in purgatione Presbyteri ſeptem, & in purgatione Diaconi tres requiruntur, *cap. Si legitimi* 12. *ead. cauſ.* 2. *& q.* 4. Item in cauſa divortii ob impotentiam viri ſeptem requiruntur teſtes ex parte utriuſque conjugis, qui jurent, quod invicem cohabitaverint, & nunquam copulam habere potuerit, *c. Requiſiviſti* 2. *cauſ.* 33. *q.* 1. *cap. Laudabilem* 5. *& cap. Litteræ* 7. *de Frigidis, & Maleficiatis*. Item ad condemnandum Epiſcopum teſtes 72. Presbyterum 44. Diaconum 27. & ad Subdiaconum, vel inferiorem Clericum Eccleſiæ Romanæ 7. requiruntur, *in cap. Præſul.* 2. *cauſ.* 2. *q.* 5. Unde *in cap. Licet* 23. *de teſtibus* expreſſe dicitur, quod *quædam ſint cauſæ, quæ plures quam duos exigant teſtes*. Quamvis tamen de conſuetudine hodie ad convincendam quamcumque perſonam in quacumque Dignitate conſtitutam ſufficiant duo teſtes idonei, & omni exceptione majores, Gratianus *in cit. cap. Præſul* 2. *cauſ.* 2. *q.* 4. §. *Ex præmiſſis*, *& cap. Nullam* 3. §. *Sed. hoc ead. cauſ. & q.* Clarus *in Practic. criminal. lib.* 5. §. *final. q.* 66. *n.* 5. Pirhing. *loc. cit. num.*8. Reiffenſtuel *loc. cit. n.*244. Farinac. *q.* 63. *de teſtibus n.* 224. citans alios, & communem.

5 Unus ſolus teſtis, cujuſcumque ſit dignitatis, non ſufficit ad legitimam probationem, ita ut nulla Judicialis controverſia teſtimonio unius hominis quamvis legitimo terminari poſſit. *Communis*, & habetur expreſſe tum de Jure Divino ex adductis teſtibus *ſupra n.* 1. & *ex c.* 17. *n.* 6. *Deuteronomii*; ibi: *Nemo occidatur uno contra ſe dicente teſtimonium*, *& ex ejuſdem cap.* 19. *n.*15. ibi: *Non ſtabit teſtis unus contra aliqua*. Tum de jure Canonico *cap. Veniens* 10. *de Teſtibus* ibi: *Nec unius teſtimonium ad condemnationem ſufficiat alicujus*; *cap. Licet* 23. *eod.* ibi: *Nulla eſt tamen cauſa, quæ unius teſtimonio quamvis legitimo terminetur*, *cap. Si teſtes* 3. §. *Juriſjurandi cauſ.* 4. *q.* 2. *&* 3. ibi: *Unius teſtis reſponſio omnino non audiatur, etiamſi præclaræ Curiæ honore præfulgeat*, *c. Admonere* 8. *cauſ.* 33. *q.* 2. ibi: *Nec Evangelium, nec ulla divina, humanaque Lex unius teſtimonio etiam idoneo quempiam condemnat, vel juſtificat*. Tum de jure Civili *L. Juriſjurandi* 9. *Cod. de Teſtibus*, ibi: *Manifeſte ſancimus, ut unius omnino teſtis reſponſio non audiatur, etiamſi præclaræ Curiæ honore præfulgeat*, juncto ejus Summario *ibidem*, ubi refert illud vulgatum; *vox unius, vox nullius*.

6 Dantur tamen plures caſus, in quibus etiam unius teſtimonium ad plenam fidem, & probationem faciendam ſufficit. Et ſignanter in quibuſdam cauſis non judicialibus, nec alteri præjudicialibus, ut quod talis infans ſit baptizatus, talis Clericus ſit ordinatus, talis pœnitens ſit confeſſus, talis moribundus ſigna pœnitentiæ dederit, talis excommunicatus ſit ab communicatione abſolutus, talis Eccleſia ſit conſecrata, & hujuſmodi, *arg. c. Cum itaque* 112. juncta Gloſſa *ibid. verb. Qui teſtimonio diſt.* 4. *de conſecrat.* Maſcard. *de probationibus vol.* 1. *q.* 11. *n.* 14. *& concluſ.* 103. Farinac. *q.* 63. *num.* 26. *&* 27. Pirhing *loc. citat. num.* 112. & alii paſſim Item in cauſis Judicialibus levioribus, in quibus non agitur de gravi præjudicio tertii, & in cauſis Summariis, in quibus de plano proceditur ſola facti veritate inſpecta. Maſcard. *cit. q.* 11. *num.* 19. Farinac. *cit. q.*63. *num.* 30. Maranta *de ordin. judic. part.* 4. *diſt.*9. *num.* 75. Gabriel *Commun. concluſ. lib.* 1. *de teſtibus concl.* 1. *num.* 22. *&* 41. Reiffenſtuel *loco cit. n.* 280. & alii communiter. Item quando agitur de evitando peccato, dummodo partis Jus non ſit acquiſitum, ut ſi ante contractum Matrimonium dubitetur de impedimento dirimente tunc enim ſufficit teſtis unicus id affirmans, ut patet ex *cap.*

*Super eo* 22. *de teſtibus*, *& cap.* 2. *de Sponſalibus*, Abbas *in cit. cap. Super eo num.* 7. Farin. *cit. q.* 63. *num.* 48. Sanchez *lib.* 1. *de Matrimon. diſp.* 71. *num.* 1. teſtans de communi. Item creditur publico Officiali jurato in his, quæ pertinent ad ſuum Officium, ut Nuncio, ſeu Apparitori aſſerenti citationem a ſe factam eſſe; Ponderatori publico circa menſurationem, ſeu ponderationem juſtam rerum ad ſe delatarum, Medico, Architecto, Agrimenſori, & hujuſmodi. *Communis.*

7 Teſtes quo ad probationem alii vocantur Teſtes conteſtes, & alii Teſtes ſingulares. *Teſtes conteſtes* ſunt illi, qui unum & idem ipſum factum teſtantur, ut quod viderint Petrum furantem talem rem, tali loco, & tempore, v. g. Candelabrum argenteum, tali die, in tali Eccleſia. *Teſtes ſingulares* e contra ſunt illi, qui teſtantur ſuper diverſis factis ita ut quilibet ſit ſingularis in ſuo dicto, & non concordet cum alio. *Sic in re Doctores communiter.*

8 Singularitas teſtium eſt triplex, nempe Obſtativa, Adminiculativa, & Diverſificativa. Sic Baldus *in cap. Licet cauſam num.* 11. *de probationibus*, Farinac. *de Teſtibus q.* 6. *n.*4. cum aliis ibi citatis, Pirhing. *loco cit. num.* 142. Reiffenſtuel *loco citat. num.* 285. & alii paſſim.

9 *Singularitas obſtativa*, ſeu *Adverſativa* eſt ea, quæ continet contrariam, ſeu repugnantem teſtium depoſitionem, ut ſi unus deponat talem homicidium, ſeu adulterium commiſſum eſſe in tali loco, & tali tempore, alter vero aſſerat commiſſum eſſe in alio loco, & alio tempore, ut patet de ſingularitate Obſtativa, ſeu Adverſativa duorum illorum impudicorum teſtium ſenum, *Daniel. cap.*13. quorum unus teſtabatur caſtam Suſannam commiſiſſe adulterium ſub Schino, & alter ſub Primo; repugnat enim, quod idem numero adulterium committatur, eodem tempore, in diverſis locis, ſeu ſub diverſis, & diſtinctis arboribus.

10 *Singularitas adminiculativa*, ſeu *cumulativa* eſt, ea quæ continet teſtium depoſitionem de actibus quidem diverſis, ſed tamen mutuo ſeſe adjuvantibus ad probandum id, de quo eſt quæſtio: ut ſi ad probandam controverſam poſſeſſionem agri, unus teſtis aſſerat, ſe vidiſſe illum arari a Populo, alter dicat ſe vidiſſe illum ab eodem Paulo ſeminari, & alter deponat ſe vidiſſe meſſem ab eodem Paulo ex eo colligi. Iſti enim teſtes, quamvis ſint ſingulares, quia deponunt de diverſis actibus poſſeſſoriis, uti ſunt arare, ſeminare, & meſſem colligere, tamen cum tendant ad eumdem finem probandi nempe poſſeſſionem illius agri habitam a Paulo, dictum unius teſtis coadjuvat dictum alterius, & ſic de aliis ſimilibus, ut cum ad probandum idem factum concurrunt diverſæ quidem teſtium depoſitiones mutuo tamen ſeſe adjuvantes, ut ſi unus teſtis deponat de facto a ſe viſo, alter de eodem a ſe audito, alter de fama ejuſdem, & hujuſmodi.

11 *Singularitas diverſificativa* eſt ea, quæ continet teſtium depoſitionem de actibus diverſis, quorum unus neque repugnat alteri, neque ipſius probationem coadjuvat, ut ſi unus teſtis aſſerat, quod Petrus ludens cum Paulo amiſit ſcuta centum tali die, & tali loco, & alter dicat, quod amiſit octoginta alio loco, & alio tempore; Tales enim teſtes non contrarii ſed diverſi, deponentes de diverſis actibus reputantur, cum non repugnet, quod Petrus ludens cum Paulo bis, & ter, & adhuc pluries, diverſas ſummas diverſo loco, & tempore amiſerit. Unde neque una depoſitio repugnat alteri, neque eadem adjuvat, ſed quælibet manet ſingularis in ſubſtantia objecti, & effectus, ac ſi altera depoſitio non fuiſſet facta.

12 Teſtes ſingulares ſingularitate *obſtativa* ſeu *adverſativa* nihil probant; *Communis*, & patet expreſſe *ex c.* 13. *Danielis* de adductis *ſupra n.* 9. duobus impudicis teſtibus Senibus accuſantibus caſtam Suſannam de adulterio, qui ex quo eſſent teſtes ſingulares ſingularitate *obſtativa*, ſeu *adverſativa*, ſuccubuerunt in probatione, & falſitatis convicti fuerunt. Unde melius eſt habere pro ſe unum ſolum teſtem alioquin idoneum, quam mille teſtes ſingulares ſingularitate obſtativa, cum iſti omnes nihil probent, & ille ſolus probet ſaltem ſemiplene.

13 Teſtes ſingulares *ſingularitate diverſificativa*, quamvis plene non probent, ſinguli tamen probant tantum, quantum unus, adeoque ex eorum depoſitione oritur ſaltem ſemiplena probatio. Prima pars, ſcilicet quod plene non probent, habetur clare ex *cap. Bonæ memoriæ* 23. *§. Contra de Electione*, ibi: *Cum etſi quilibet de ſe poſſet aſſerere, quod ad eum citatio minime perveniſſet, ſinguli tamen veſtrum eſſent in ſuo teſtimonio ſingulares.* Et ſic, ut explicat Gloſſa *ibidem verb. Singulares. Et ſic eſſet inſufficiens teſtimonium illorum.* Et concordat *cap. Cum Dilectus* 32. *§. Nos vero, de elect.* ibi: *Cum contra hoc eorum eſſet probatio inſufficiens, eo quod ſinguli eſſent in ſuis teſtimoniis ſingulares*, juncta Gloſſa *ibid. verb. Probatio, & cap. Licet cauſam* 9. *§. quamquam, de probationibus*, ibi: *Et quidem alii ſint in dicto ſui Teſtimonii ſingulares.* Secunda autem pars, ſcilicet, quod ſinguli probent tantum, quantum unus, adeoque ex eorum depoſitione oriatur ſaltem ſemiplena probatio, ſuadetur clara ratione, quia, cum eorum depoſitiones in nichilo ſint contrariæ, & repugnantes, ut patet ex dictis *ſub. n.*11. quælibet de ſe habere debet totum illum valorem, quem habet depoſitio unius teſtis ceteroquin idonei, & omni exceptione majoris, uti eſſe ſupponitur quilibet iſtorum in hoc caſu, adeoque ſemiplenam facit probationem, uti facit depoſitio unius teſtis legitimi, & omni exceptione majoris. Farinac. *cit. q.* 64. *n.*42. *&* 47. Reiffenſtuel *loc. cit. n.*294. *& ſeq.* Jaſon. *in l. Admonendi n.* 178. *de Jurejurand.* Caccialupus *ibid. n.* 91. 92. *&* 93. teſtans de commun.

Teſtes ſingulares *ſingularitate adminiculativa*, ſeu *cumulativa* probant in cauſis Civilibus idem factum genericum, continuum, ſeu ſucceſſivum. Ita Gloſſa *final. in l. Ob carmen, ff. de teſtibus*, Maſcard. *de probationibus concluſ.* 1205. *n.*24. *& ſeq.* Card. de Luca *tract. de dote diſp.* 144. *n.* 9. Farin. *cit. q.* 64. *n.*112. 130. 160. *&* 164. Pirhing *loc. c. num.*144. Reiffenſt. *loc. cit. n.*277. *& ſeq.* Felin. *in cap. Licet ex quadam n.*2. Bald. *ib. n.* 9. *de teſtibus*. Tuſchus *litt. T. concl.* 265. & alii paſſim. Et ratio eſt, quia, ut patet ex dictis *ſupra n.*10. tales teſtes quoad rem, & ſubſtantiam quæſtionis non cenſentur eſſe teſtes ſingulares, ſed potius conteſtes, per notabilem textum *in l. Qui ſententiam* 16. *Cod. de pœnis.* Tum quia licet adhuc poſſent dici teſtes ſingulares, & quod deponant de alio, & alio actu ſpecifico, nihilominus tales teſtes etiam ſingulares conjunguntur in dicto caſu ad plene probandum cum tendant ad eumdem finem, quamvis per diverſa media; *arg. cap. Cum dilectus* 3. juncto ejus Summario, & Abbat. *ibidem numer.* 7. *de ſucceſſionibus ab inteſtato.* 14

Quinimmo etiam in cauſis criminalibus, ſi teſtes plures teſtentur de diverſis actibus, ſeu indiciis ad eumdem omnino finem, & effectum tendentibus, ut ſi aliqui jurati deponant ſe vidiſſe Paulum egredientem e domo occiſi, alii teſtentur de fuga ipſius, & alii de fama publica, poterunt conjungi ad faciendam plenam probationem; Mynſing. *Cent.* 3. *obſerv.* 106. Pirhing *loc. c. num.* 144. *verſ. Quin etiam*, Layman *lib.* 3. *de Juſtitia tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 5. *verſ. Interim verum eſt, in fine*, dicens id colligi *ex l.* 3. *ff. de Teſtibus.* 15

Quamvis tamen in cauſis criminalibus criminaliter motis caute ſit procedendum ad Reos pœna ordinaria condemnandos per ſolas atteſtationes ſimilium teſtium, cum ad id requirantur probationes indubitatæ; *l. Sciant cuncti Cod. de probationib. cap. Teſtes* 2. *q.* 7. *& cap.* 1. *de exceptionibus*, & notant paſſim Doctores. 16

Teſtes quoad probationem alii dicuntur Teſtes de ſcientia, alii teſtes de credulitate, & alii teſtes de auditu. *Teſtes de ſcientia* dicuntur, & ſunt illi, qui deponunt ſe ſcire aliquid ita eſſe geſtum, eo quod proprio ſenſu corporeo, v. g. viſu, vel auditu, id perceperint, nempe viderint tale furtum fieri a Petro, audierint talem blaſphemiam proferri a Paulo, & hujuſmodi *Teſtes de credulitate* dicuntur, & ſunt illi, qui jurati deponunt ſe credere rem ita ſe habere. *Teſtes de auditu auditus*, ſeu *ex auditu alieno* dicuntur, & ſunt illi, qui jurati deponunt ſe ita audiviſſe narrari a viris fide dignis. *Sic in re Doctores communiter.* 17

Ordinarie loquendo ad legitimam facti probationem requiruntur *Teſtes de ſcientia. Communis.* Et ratio eſt quia de factis externis, & ſenſu perceptibilibus nequeunt Teſtes eſſe certi, niſi per aliquem proprium ſenſum corporeum; Certitudo autem de eo, quod teſtantur, eſt omnino neceſſaria ad legitimam probationem, cum teneantur reddere cauſam ſuæ ſcientiæ, ſeu teſtimonii ſui, quando deſuper interrogantur, prout a Judice interrogari debent; *cap. Cum cauſam* 37. juncta Gloſſa *ibid. verb. de cauſis, de teſtibus*, quam cauſam ſuæ ſcientiæ, ſeu ſui teſtimonii, ſi non reddiderint, non valebit eorum dictum, ſeu teſtimonium, ut pluribus juribus adductis notat Gloſſa *in cit. verb. de Cauſis*, & tenet *Communis Doctorum* per textum *in cap. Sicut nobis* 16. *de ſententia, & re judicata*, ibi: „ Verum quia teſtimonium „ ipſorum quaſi nude prolatum fuerat, cum de cauſis, quæ „ Judicem movere ſolent ad ſententiam proferendam, nihil „ dixerint &c. 18



19 Hinc ordinarie loquendo ad legitimam facti probationem non ſufficiunt *Teſtes de credulitate, & Teſtes de auditu alieno*, cum tales, ut notant paſſim Doctores; non dicantur vere, & proprie teſtes, ſed ſolum improprie.

20 Dicitur autem notanter *ordinarie loquendo*, quia in quibuſdam caſibus admittuntur ad probationem etiam [*Teſtes de credulitate*, & *teſtes de auditu alieno.* Et ſignanter *teſtes de credulitate*, admittuntur contra producentem. Item ad probandam Rei innocentiam, ut quod hominem occiderit ad neceſſariam ſui defenſionem. Item in iis, quæ difficilis probationis ſunt. Item quando concurrunt alia adminicula præſumptionis, vel indicia. Sic pariter admittuntur Teſtes de auditu alieno, ſi deponatur ſuper factis antiquis ætatem, & memoriam hominum actu viventium excedentibus. Item in iis, quæ facta ſunt tempore peſtis, cum in iis difficile reperiantur teſtes, qui de viſu, aut auditu proprio deponere poſſint. Item quando teſtimonium de auditu alieno eſt adminiculatum, ſeu conjunctum cum aliis conjecturis aut præſumptionibus, vel probationibus. Item in aliis caſibus, in quibus admittuntur teſtes de credulitate. *Sic in re Doctores communiter.*

21 Teſtes regulariter producendi ſunt poſt litem conteſtatam, & citata parte adverſa. *Communis.* Et quidem quo ad primam partem, textu expreſſo *in cap. Quoniam* 5. §. 1. *ut lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem*, ibi: „ Quoniam frequenter in dubium revocatur a multis: An lite non conteſtata teſtes recipi valeant? Auctoritate præſentium diximus declarandum regulariter verum eſſe, quod lite non conteſtata, non eſt ad receptionem teſtium procedendum „. Et quo ad ſecundam partem, textu expreſſo *in cap. In nomine Domini* 2. *de teſtibus, & in Authent. de Teſtibus §. Et hic vero, collat.* 7.

22 Dicitur tamen notanter *Regulariter*, quia dantur ſpeciales caſus, in quibus teſtes produci poſſunt etiam ante litem conteſtatam. Et ſignanter in cauſis Civilibus, cum adeſt periculum, ne teſtimonii facultas pereat, ſi timeatur de teſtium morte, vel abſentia diuturna, textu expreſſo *in c. cap. Quoiam* ſtatim poſt verba *n. antecedenti* adducta. ibi: „ Niſi forte „ de morte teſtium timeatur, vel abſentia diuturna, in quibus caſibus, cum civiliter eſt agendum, ne veritas occultetur, & probationis copia fortuitis caſibus ſubtrahatur, „ ſenes, & valetudinarii, & alii teſtes, de quibus ex aliqua rationabili cauſa timetur, etiam lite non conteſtata, ſunt procul dubio admittendi.

23 Item ſi Reus legitime citatus comparere noluerit, ſicque contumax fuerit, ſimulque periculum ſit in mora, tunc contra contumacem, etiam lite non conteſtata, poſſunt teſtes produci, et recipi, ac inſuper ſi de cauſa liquido conſtet, etiam ſententia definitiva ferri, textu expreſſo *in cit. cap. Quoniam §. Porro.*

24 Item etiam lite non conteſtata poſſunt produci, et recipi teſtes *ad perpetuam rei memoriam*, ne videlicet in poſterum probationis copia pereat, textu expreſſo *in cit. cap. Quoniam §. Sunt & alii*, juncto ejus Summario, et Gloſſa *ibid. verb. Publicatio, & cap. Significavit* 41. *de Teſtibus, & Authent. de Teſtibus §. Et hic vero collat.* 6.

25 Item etiam lite non conteſtata poſſunt produci, et recipi teſtes, quando agitur per viam inquiſitionis ſuper aliquibus exceſſibus; Vel teſtium publicatio imminet facienda, textu expreſſo *in cit. cap. Quoniam §. Sunt & alii.*

26 Item etiam lite non conteſtata poſſunt produci, et recipi teſtes in Judiciis ſummariis; Cum enim in iſtis procedatur ſimpliciter, ſummariter, ac de plano; non eſt neceſſario præmittenda litis conteſtatio. *Clementin. Sæpe contingit, de verbor. ſignificat.* Gloſſa communiter recepta *in cit. c. Quoniam* §. 1. *verb. Regulariter*, ubi plures enumerat ſpeciales caſus, in quibus ſummarie procedi poteſt, & lite non conteſtata poſſunt teſtes produci, et recipi:

27 In cauſis autem criminalibus criminaliter motis non poſſunt unquam produci, et recipi Teſtes, lite non conteſtata, pro inſtituenda futura accuſatione. *Sic* Gloſſa communiter recepta *in cit. cap. Quoniam §.* 1. *verb. Civiliter*, ubi ſic expreſſe habet: *Civiliter hoc ideo dicit, quia in criminalibus nunquam recipiuntur Teſtes, licet non conteſtata.* Et id deſumitur aperte *ex cit. cap. quoniam* §. 1. ibi: *In quibus caſibus, cum civiliter eſt agendum &c.* ergo ſecus, quando criminaliter eſt agendum: Exceptio enim unius firmat Regulam in contrarium in caſu non excepto, *l. Quiſitum §. Denique, ff. De fundo inſtructo, cap. Dominus* 32. *queſt.*7. *& cap.* 2. *De Conjug. leproſorum.* Et ratio efficax eſt, quia, cum in criminalibus cauſis criminaliter motis non agatur de ſolo intereſſe pecuniario, ut in Civilibus, ſed de graviſſimo præjudicio vitæ hominis, requiruntur in ipſis probationes ſtrictiſſimæ, et apertiſſimæ, ut dicit Gloſſa *in cit. cap. Quoniam* §. 1. *verb. Civiliter*, per textum *in cap. Epiphanium* 5. *q.* 6. *& leg. Ultim. Cod. de probationibus.*

Dicitur autem notanter *criminaliter motis*, quia ſecus eſt dicendum in cauſis Criminalibus ſolum *civiliter motis*, cum de ipſis ſit diſcurrendum ac de Cauſis mere Civilibus: Pariæ enim cenſentur, quod agatur mere civiliter, vel quod de crimine agatur civiliter. *arg. l. Ultim. ff. de privatis delictis*, et concordat *cit. cap. Quoniam* §. 1. ubi dicit indiſtincte; *Cum civiliter eſt agendum*, non diſtinquens de cauſis mere Civilibus, ac de Criminalibus *civiliter agitatis. Sic Doctores Communiter.* 28

Ordinarie tres ſolum teſtium productiones fieri, & admitti poſſunt, quarta vero nonniſi ex gravi cauſa, & cum ſolemnitate Legali admitti poteſt. *Communis*, textu expreſſo *in In cauſis* 15. *de Teſtibus* ibi: „ In cauſis Eccleſiaſticis, vel „ Civilibus ultra tertiam productionem non debent teſtes „ produci, niſi adhibita quadam ſolemnitate, quæ in legibus „ invenitur expreſſa „. Et concordat *Authent. de Teſtibus §. Quia vero collat.* 7. *& cap. Ultra tertiam* 55. *de Teſtibus*, ubi inſuper determinatur ſolemnitas Legalis obſervanda in quarta teſtium productione, ibi: „ Ultra tertiam productionem non debent Teſtes produci in cauſa: Niſi præſtito ab „ eo qui hoc poſtulat, juramento, quod neque per ſe, neque per alium teſtificata ſubtraxerit, vel fuerit percunctatus; neque per dolum, aut artem aliquam, quartam productionem expoſcat, ſed quia, quos deſiderat de novo producere, prius habere nequivit. 29

Ubi ut vides, dicta requiſita ſolemnitas Legalis in quarta productione teſtium importat juramentum ſuper tribus punctis judicialiter præſtandum. Primo, quod *teſtificata*, ideſt factas, ſive pro ſua, ſive pro contraria parte (ut explicat Gloſſa *in cit. cap. Ultra tertiam verb. teſtificata*) teſtium depoſitiones, *neque per ſe, neque per alium ſubtraxerit*, ideſt ſuppreſſerit, vel occultaverit, forſan advertens, quod ſibi non faveant. Secundo, quod nec dicta teſtificata *fuerit percunctatus*, ideſt non didicerit, aut exploraverit, cum de facili poſſet tunc oriri periculum, & præſumptio ſubornationis teſtium ſi iſti poſt jam percunctata, ſeu didicita teſtificata produci poſſent, *cap. Fraternitatis* 17. juncta Gloſſa *ibidem verb. Noviſſ. de teſtibus.* Tertio, quod *nec per dolum, aut artem aliquam, quartam productionem expoſcat*; ideſt quod non ad malitioſe protrahendam litem, donec *aliquis interim moriatur, vel ſe abſentes* (ut explicat Gloſſa *ibidem verb. Per dolum*) *ſed quia, quos deſiderat de novo producere, prius habere nequivit*, ut expreſſe habet textus *in cit. cap. Ultra tertiam & cit. Authent. de teſtibus §. Quia vero, Collation.* 4. *tit.* 2. *cap.* 4. 30

Qui teſtificata, ſeu depoſitiones teſtium nondum didicit, neque teſtibus producendis renunciavit, poteſt in eodem etiam Judicio, & ſuper eiſdem articulis, iterum eoſdem, vel alios teſtes producere. *Communis*, textu expreſſo *in c. Conſtituti* 46. *de teſtibus*, juncto ejus Summario, in quo ſic præciſe habetur: „ Qui teſtificata non didicit, nec renunciavit teſtibus producendis ſuper antiquis articulis, ſeu Capitulis, teſtes etiam alias productos producere poteſt „. Et ratio eſt clara, quia in tali caſu ceſſat periculum ſubornationis teſtium. 31

Poſt didicita autem teſtificata, ſeu didicitas teſtium productiones, aut poſt factam publicationem atteſtationum non poteſt pars ſuper eiſdem articulis, vel directe contrariis reproducere priores teſtes, neque alios novos producere. *Communis*, textu expreſſo *in cit. Authent. de teſtibus §. Quia vero c.* 4. *Collat.* 7. *tit.* 2. ibi: „ Illud tamen indubium eſt, „ quia & ſi ſemel producens teſtes, aut bis, aut teſtificationes tractaverit (*ideſt deſcripſerit, ut explicat ibi Gloſſa*) aut adverſario hoc faciente, ipſe diſputationem acceperit, & ex hoc didicerit teſtificata, non habebit omnino licentiam ullam ulterius uti teſtium productione „. Et concordat *citat. cap. Conſtitutis* 46. *de teſtibus*, ibi: *Cum nondum teſtificata didicerint*, ſumpto argumento a ſenſu contrario, & *cap. Ex tenore* 35. *de teſtibus*, ibi: „ Cum atteſtationes jam eſſent hinc inde ſolemniter publicatæ, locus productioni teſtium jam non erat, *juncta Gloſſa* Final. ibidem „ cap. Veniens 38. §. Pars autem, de Teſtibus „, ibi: „ Non lice- 32

„ licebat eidem, poſtquam teſtificata didicerat, ſuper eiſ„ dem articulis alios teſtes producere „. Et ratio eſt manifeſta, quia tunc ſubeſt præſumptum periculum ſubornationis teſtium, ideſt ne pars, quæ teſtes produxit, eos ſubornet, ac inſtruat, ut aliquid addant, vel demant, ſeu corrigant de proprie a ſe facta teſtificatione. *Clement. teſtibus* 2. *de teſtibus*, ibi: Teſtibus rite receptis, & eorum atteſtationibus „ publicatis, ſicuti non licet ſuper eiſdem, vel directe con„ trariis articulis, alios, vel eoſdem teſtes in principali cau„ ſa producere; ſic non debet in appellationis cauſa licere: „ Cum non minus in appellationibus, quam in principali cauſa ſubornatio ſit timenda.

33 Dantur tamen varii caſus, in quibus etiam poſt publicationem atteſtationum, aut didicita atteſtata, & inſuper etiam poſt concluſionem in cauſa poſſunt adhuc produci novi teſtes, aut reproduci priores, etiam ſuper eiſdem articulis, & admitti novæ probationes. Vide verb. *Probatio a n.* 66. *uſque in fin.* ubi id clare oſtenditur.

34 Teſtes e longinquo producendi ſunt ſumptibus ipſius producentis, ſeu ipſorum teſtimonium deſiderantis, qui tenetur proinde eis ſubminiſtrare competentes expenſas in veniendo, ſtando, & redeundo factas juxta conditionem, & qualitatem ipſorum. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Statutum* 11. §. *Pro ferendo*, *de Reſcriptis in* 6. ibi: „ Sed nec tunc, „ niſi a producente competentes vocato pro teſtimonio ve„ niendo, ſtando, & redeundo faciat miniſtrari expenſas, „ & leg. Quoniam libri 11. Cod. de Teſtibus „, ibi: „ Ta„ lis debet eſſe cautio judicantis, ut his (*ſcilicet teſtibus*) ven„ turis ad Judicium per accuſatorem, vel ab his, per quos „ fuerunt poſtulati, ſumptus competentes dari præcipiat, „ *quæ ipſiſſima verba repetuntur* in capit. *Si teſtes* 3. §. *Venturis cauſ.* 4. *q.* 2. & 3.

35 Inſuper producens teſtes de longinquo debet eis compenſare emolumenta, quibus teſtes ob abſentiam carere debent, ſeu operas ob id ab eis omiſſas. Et hoc ad ſervandos teſtes indemnes, ne videlicet teſtimonium ſit teſtificantibus damnoſum ex jactura talium emolumentorum, quia licet teſtimonium non debeat teſtibus eſſe lucro, non tamen debet ipſis eſſe nocumento. Farinac. *de teſtibus q.* 76. *n.* 271. & 272. Reiffenſt. *loc. cit. n.* 443. teſtans de veriori, & magis communi contra Gailum, & alios.

36 Pars adverſa, ſeu quicumque alius teſtium productione injuſte impediens, peccat graviter, & poteſt ob id excommunicari. *Communis*, textu expreſſo *in. cap. Conſtitutis* 45. *de teſtibus*, ibi: „ Cum quoſdam induxerint ad jurandum, „ ne adverſus Archiepiſcopum aliquid dicerent, & alios mi„ nis, & terroribus a teſtimonio perhibendo arcere nitantur. „ Nos ex Officio noſtro ſuper hoc providere volentes, man„ damus, ut generalem feras excommunicationis ſenten„ tiam in omnes, qui impedimentum aliquod ipſi M. præſta„ re præſumpſerint in teſtibus producendis. *juncto ejus Summario ſic dicente*: Excommunicari poſſunt, qui partem „ impediunt in teſtibus producendis.

37 Teſtes antequam deponant ſuum teſtimonium, debent jurare, alioquin eorum teſtimonium non valet, & nihil probat in Judicio. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Nuper nobis* 51. *de Teſtibus* ibi: *Nullius teſtimonio, quantumcumque Religioſus exiſtat; niſi juratus depoſuerit, in alterius prejudicium debet credi*. Et concordat *cap. Fraternitatis* 17. *cap. De Teſtibus* 29. *cap. Tuis* 39. *de Teſtibus*, *cap. Si Teſtes* 3. §. *Jurisjurandi cauſ.* 4. *q.* 2. & 3. *cap. Hortamur* 20. *cauſ.* 3. *q.* 9. *Item l. Jurisjurandi Cod. de teſtibus*, ibi: *Jurisjurandi religione teſtes priuſquam perhibeant teſtimonium, jam dudum arctari præcipimus*, & *l. teſtium* 18. ibi: *Cod. eod. Hique cum Sacramenti religione depoſuerint*.

38 Teſtium juramentum non eſt calumniæ, ſed *veritatis*, *ideſt de tota* veritate dicenda, quam noverunt circa rem illam ſuper qua depoſituri jurant. *Communis*, per text. *in c. Nullam damnationem* 3. *cauſ.* 2. *q.* 5. *c. Hortamur* 20. *cauſ.* 3. *q.* 9. *c. Non ſane* 15. *cauſ.* 15. *q.* 6. cum ſimilibus.

39 Juramentum teſtium debet eſſe perſonale, ac præſtari tactis Sacroſanctis Evangeliis. *Communis*, per text. *in cit. cap. Nullam damnationem* ibi: „ Et prius ad Sacra Chriſti qua„ tuor Evangelia Sacramenta præſtent, in cit. cap. Horta„ mur, ibi: „ Tactis Sacroſanctis Evangeliis, & Clem. 1. „ §. Porro, de Hereticis, ibi: Jurabunt ad Sancta Dei „ Evangelia corporaliter a ſe tacta.

40 Epiſcopi autem non jurant tactis corporaliter Sacris Evangeliis, ſed tantummodo iis coram ſe poſitis, & inſpectis tacto ſuo pectore jurant. *Authent. Sed Judex*, *Cod. de Epiſcop. & Cleric. & cap. Ultim.* juncta Gloſſa *ibidem verb. Per te ipſum*, *de juramento calumniæ*, Veſtrius *in practic. lib.* 6. *c.* 2. *n.* 7. Farinac. *q.* 74. *n.* 81. & 82. Pirhing. *loc. cit. n.* 121, & alii, id extendentes etiam ad alios Sacerdotes, aliaſque perſonas in Sacris conſtitutas juxta praxim, & conſuetudinem fere generalem.

41 Teſtes poſſunt interdum teſtificari de conſenſu partium etiam ſine juramento: Poteſt enim a partibus tale juramentum ipſis remitti. *Communis*, per textum *in c. Tuis quæſtionibus* 39. *de Teſtibus*, ibi: Teſtes producere abſque juramen„ ti depoſitione non poſſunt, niſi forte a parte remittatur „ adverſa.

42 Teſtes examinandi ſunt ab ipſomet Judice. *Auth. Ut defuncti*, *ſeu funera cap.* 2. *collat.* 5. *Novella* 60. & concordat *l. Teſtium* 3. *ff. de Legibus*. Et id ut poſſint a Judice terreri, & cogi juſtum teſtimonium ferre, ut dicitur *in cit. Auth.* ſeu *Novella*, & notat Gloſſ. communiter recepta *ibidem verb. teſtibus*.

43 Ob juſtam tamen cauſam, ut ſi Judex fuerit legitime impeditus, aut teſtes fuerint remote abſentes, ita ut difficulter ad Judicem accedere poſſint, poteſt Judex alteri perſonæ idoneæ eorum examen committere, *cit. Novella* 60. *c.* 2. *l. Judices* 18. *Cod. de Fide inſtrument. c. Conſtitutus* 3. §. *Præterea*, *de Fidejuſſor. c. Mulieres* 2. *de Judiciis in* 6.

44 Teſtes ſecreto, & ſingillatim ſeorſim ab aliis ſunt examinandi, & non plures ſimul; *c. Venerabili* 52. *de teſtibus*, juncta Gloſſa communiter recepta *ib. verb. Examinare*; *c. Inquiſitionis* 21. §. *tertiæ dubitationis*, *de accuſationib.* ibi: *Qui poſt juramentum interrogati ſecreto*, *l. Nullum* 15. *Cod. de teſtibus*.

45 Poteſt tamen, immo debet Judex adhibere Notarium, ſeu duos viros idoneos, qui teſtium depoſitiones conſcribant, *c. Quoniam* 11. *de probationib.*

46 Et inſuper in examine teſtium ſuper crimine Hæreſis præter Notarium adhiberi debent aliæ duæ religioſæ, & diſcretæ perſonæ textu expreſſo *in cap. Ut Officium* 11. §. *Verum quia*, *de Hereticis in* 6.

47 Examinatio teſtium ordinarie fit in loco Judicii, & ante prandium, dum teſtes adhuc ſunt jejuni, & melius ſibi præſentes exiſtunt, *c. Placuit* 1. *de teſtibus*, ibi: *Ac Nullus teſtimonium dicat*, *niſi jejunus*, quod tamen, ut notat Gloſſa communiter recepta, *ib. verb.* Jejunus: *Hoc de honeſtate dictum eſt non de neceſſitate*; per text. *in c. Honeſtum* 16. *cauſ.* 22. *q.* 6. „ ibi: Honeſtum etiam videtur, ut qui in ſanctis audet ju„ rare, hoc jejunus faciat cum omni honeſtate, & timore „ Dei.

48 Unde ſi opus ſit, aut expediens videatur, poteſt examinatio teſtium fieri etiam poſt prandium ipſis teſtibus non jejunis, ut conſtat de communi conſuetudine, & etiam extra locum Judicii, ubicumque expediens viſum fuerit. Gloſſa communiter recepta *in cit. c. Quoniam* 11. *verb. Tempora*, *de probationibus*. ibi: *in quo loco facta ſint*, Abbas *ibid. n.* 31. & alii paſſim id deſumentes ex ipſomet Textu dicti Canonis, dum ibi jubetur Notarius in actis Judicii ſcribere depoſitiones Teſtium *loca deſignando*, *& tempora*, *& perſonas*.

49 Perſonæ egregiæ, quando producuntur in teſtes, domi ſuæ examinari poſſunt, ac debent, text. expreſſo *in l. Ad perſonas* 15. *ff. de Jurejurando*, ibi: „ Ad perſonas egregias, eoſque „ qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad ju„ randum.

50 Inter *perſonas egregias* comprehenduntur Epiſcopi. *Auth. Sed Judex*, *Cod. De Epiſcop. & Cleric.* Immo etiam Presbyteri, et Diaconi, vel etiam alii Clerici. Abbas *in cap. Si qui teſtium* 8. *num.* 5. & 6. *de Teſtibus*, Pirhing *loc. cit. n.* 189. Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 505. Farinac. *de teſtibus q.* 77. *n.* 213. cum aliis ibi citatis; Item Perſonæ illuſtres, & in Dignitate conſtitutæ. Felin. *in c. cap. Si qui teſtium n.* 6. Farinac. *loc. cit. n.* 210. Pirhing. *loc. cit. n.* 189. Reiff. *l. c. n.* 505. Item Doctores *l. Medicos* 6. *Cod. de Profeſſoribus*, Gloſſa *in cit. l. Ad Perſonas* 15. *verb. Ad perſonas*, *ff. de Jurejurando*, Abbas *l. c. n.* 5. Farinac. *l. c. n.* 214. Pirhing. *cit. n.* 189. Reiffenſtuel *cit. n.* 505. Item Milites, ſeu Equeſtris ordinis perſonæ, Pirhing *cit. n.* 189. Reiffenſtuel *cit. num.* 505. Farinac. *loc. cit. n.* 223. cum aliis ibi allegatis.

51 Eodem privilegio gaudent etiam teſtes valetudinarii, & ſenes, vel debilitate confecti, aut paupertate depreſſi, ita ut coram Judice commode camparere nequeant propter virium imbecillitatem, vel quia cum honeſtæ perſonæ ſint, non ſine dedecore ſuo ad locum Judicii venire poſſunt; Unde etiam



etiam ad horum teſtimonium recipiendum debet Judex mittere perſonas idoneas, & diſcretas, textu expreſſo *in cap. Si quis teſtium* 8. *de Teſtibus*, ibi „ Si qui teſtium valetudina„ rii ſunt, & ſenes, vel debilitate confecti, ac paupertate „ depreſſi, ita quod non poſſint ad veſtram præſentiam ad„ duci, ad ipſos recipiendos mittatis perſonas idoneas, & di„ ſcretas, *juncto ejus Summario ſic dicente*: Judex mittere „ debet examinatorem diſcretum ad teſtes recipiendos, qui „ ad eum commode venire non poſſunt „, & concordat *cap. Mulieres* 2. *de Judiciis*, ubi idem de feminis ſtatuitur.

Quod autem dictum eſt *ſupra n.* 50. de perſonis egregiis,
52 v. g. Perſonis Illuſtribus, Doctoribus, Militibus &c. locum non habet in cauſis Criminalibus, quia in his magis decet, ut Perſonæ etiam egregiæ ad Judicem ſe conferant, quam Judex ad ipſas. Abbas *loc. cit. num.* 1. Felin. *loc. cit. n.* 2. Farinac. *loc. cit. n.* 235. & 238. Pirhing *loc. cit. num.* 190. & alii, per textus *in Authet. Apud eloquentiſſimum*, *Cod. de Fide inſtrumentor.* ibi: „ Sed hoc in Civilibus tantummodo „ cauſis, nam in Criminalibus teſtes apud Judices repræſen„ tandi ſunt, & cum res exegerit, tormentis ſubjiciendi „, juncta Gloſſa *in citat. cap. Mulieres*, *verb. Jure prohibente*, ibi: *Jure prohibente*, *ut in Criminali criminaliter intentata*. Et id ſupracitati Doctores extendunt etiam ad cauſas Civiles
53 valde arduas, quia cauſæ Civiles valde arduæ et magni momenti æquiparantur cauſis criminalibus, *arg. l. Advocati*, *Cod. de Advocat. diverſor. Judicior.*

In examinatione teſtium ultra interrogatoria generalia,
54 quæ eis fieri ſolent, nempe cujus ſint ætatis, & conditionis, an ſint conjuncti producenti, an inimici parti adverſæ, an ſubornati, an in cauſa controverſa intereſſe habent, & hujuſmodi, ſunt eis facienda interrogatoria ſpecialia circa cauſam controverſam, & ejus peculiares circumſtantias, quæ generatim ad decem reducuntur, prout habentur expreſſæ *in cap. Cum cauſam* 37. *de Teſtibus*, ibi: *De ſingulis circumſtantiis prudenter inquires*, *de cauſis videlicet*, *perſonis*, *loco*, *tempore*, *viſu*, *auditu*, *ſcientia*, *credulitate*, *fama*, *& certitudine*. Quæ decem particularia interrogatoria breviter a Gloſſa *ibidem verb. Tempore* ſequentibus verſiculis perſtringuntur.

„ Auditus, viſus, perſona, ſcientia, cauſa,
„ Fama, locus, tempus, ac certum, credulitaſque;
„ Dum Teſtes recipit, Judex hæc cuncta notabit.

In Teſtibus examinandis ſunt omnino evitanda interroga-
55 toria ſuggeſtiva, utpote in Jure expreſſe prohibita. Unde tenetur Judex ab ipſis abſtinere non ſolum quando tendunt in damnum Rei, ſed etiam quando tendunt in damnum Fiſci; Ita Farinac. *de teſtibus q.* 79. *num.* 78. Scaccia *lib.* 1. *de Judiciis qu.* 86. *num.* 8. & 40. Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 518. & ipſo teſte Communis aliorum, per clarum textum *in l. In Criminibus* 1. §. 21. *ff. de quæſtionibus*, ibi: „ Qui quæſtio„ nem habiturus eſt, non debet ſpecialiter interrogare, an „ Lucius Titius homicidium fecerit, ſed generaliter quis „ id fecerit, alterum enim magis ſuggerentis, quam requi„ rentis videtur.

56 Unde, ut vides, interrogatoria ſugeſtiva dicuntur, & ſunt ea, quæ ſiunt de aliquibus in ſpecie, ſive exprimendo ſpeciales perſonas, circumſtantias, & qualitates alicujus cauſæ Civilis, vel Criminalis, ſeu rei geſtæ, aut criminis commiſſi, ut ſi Judex interroget teſtem, an viderit, quod Paulus occiderit Petrum tali die, in tali loco, percutiendo ipſum baculo, vulnerando in capite &c. ſeu an viderit Cajum tali die furari Calicem in tali Sacello, furari equum in tali domo, tali die &c. hoc enim modo dicitur teſtis interrogari per ſuggeſtionem, ſuggerendo nempe, ſeu ipſi indicendo quid reſpondeat; ſcilicet: „ Ita vidi, quod Paulus occiderit „ Petrum tali die, & loco percutiendo ipſum baculo, & „ vulnerando in capite &c. *ſeu*: Vere vidi Cajum tali die „ furari Calicem in tali Sacello, furari equum in tali domo, „ tali die „, &c. Farinac. *tom.* 3. *Praxis Criminalis q.* 84. *n.* 91. & 92. Scaccia *lib.* 1. *de Judiciis cap.* 86. Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 516. & alii.

57 Duplex autem poteſt eſſe ſuggeſtio; una ſcilicet aperta, & palliata. *Suggeſtio aperta* dicitur, quando de ea aperte, ſeu clare conſtat ex ipſamet facta interrogatione, uti liquet in allatis exemplis. *Suggeſtio palliata* dicitur, quando tecto aliquo modo aperitur via reſpondendi, ſed de ea ex interrogatione non apparet; Et hoc dupliciter accidit; Primo quando nullo modo apparet, de qua re teſtis fuerit interrogatus, ut ſi in Actis ſcribatur: *Ad opportunam interrogationem reſpondit* &c. Sic enim libera datur via reſpondendi; Secundo quando interrogans prævenit teſtem in reſponſione, quaſi ſubtiliter ei indicando modum reſpondendi; ſeu quando interrogans prævenit Reum in reſponſione, ſi ipſemet Reus interrogetur, quaſi ſubtiliter ei indicendo modum evadendi. Farinac. *loc. cit. n.* 91. & 92. Scaccia *cit. cap.* 86. *n.* 8. & 40 cum aliis ibi citatis, & litteraliter Reiffenſtuel *loc. citat. num.* 517.

58 Confeſſio Rei per interrogationem ſuggeſtivam extorta, non præcedentibus ſignis, non ſufficit ad ipſum condamnandum, & omnia inde ſecuta ſunt penitus nulla, & invalida. Scaccia *lib.* 1. *de Judiciis c.* 86. *n.* 7. & 40. Farinac. *tom.* 3. *Prax. Crim. q.* 83. *n.* 84. cum pluribus aliis ibi allegatis Reiffenſtuel. *loc. c. n.* 521. Ludovicus de Ameno *in Pract. Crim. tit.* 19. §. 4. *n.* 17. & ipſo teſte alii communiter. Et ratio eſt, quia interrogationes ſuggeſtivæ ſunt omnino in Jure prohibitæ, *cit. in l. Crim.* 1 §. 21. *ff. de Quæſtionibus Quæ* autem *contra Jus ſiunt*, *debent utique pro infectis haberi*, textu expreſſo *in cap. Quæ contra Jus* 64. *de Regul. Jur. in* 6. & concordat *cap. Imperiali* 13. *cauſ.* 25. *q.* 2. & *l. Non dubium* 5. *Cod. de Legibus*.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 NUnc (ait Imperator Conſtantinus *in L.* 9. §. 15. *Cod. de Teſtib.*) *manifeſte ſancimus*, *ut unius omnino Teſtis reſponſio non audiatur etiamſi præclaræ Curiæ honore refulgeat*: Quod adeo Doctores extendunt, ut ne conſuetudine quidem, aut per ſummum Principem introduci poſſit, ut uni Teſti plene credatur. Confer *Umm. ad Proceſſ. diſput.* 16. *numer.* 42.

2 Juſta vero ratione evenire interdum poteſt, ut unico Teſti credatur; *Horn. diſſert. de Probat. per unic. Teſtes.* Quorſum in praxi recurri ſolet, quando perſona in officio publico conſtituta de illis teſtificatur, quæ egit ratione officii, vel coram ipſo geſta ſunt. Et ita credendum eſt Judici, ſi aſſerat teſtamentum coram ſe conditum fuiſſe, licet vel maxime juramentum non præſtet; *Carpzov. Juriſprud. Forenſ. p.* 1. *Conſt.* 16. *defin.* 27. *Philippi deciſ.* 44. *obſerv.* 3. *num.* 18.

3 Sic etiam Nuncio publico in iis, quæ ad officium ejus ſpectant, creditur, non item in illis, quæ extra officium ſunt. Adi *Mev. ad Jus Lubecenſ. lib.* 1. *tit.* 1. *artic.* 3. *num.* 17. veluti ſi teſtificetur de exequutione eorum, quæ ipſi ſunt commiſſa; *L.* 5. *C. de Exect. Tribut.* nequaquam vero de
4 facto Tertii. Idem quoque hodie locum habet quoad Actuarios, Secretarios &c. quum æque juratæ perſonæ ſint, ut fidem publicam in iis, quæ ad officia eorum ſpectant, habere debeant; *Philippi ad deciſ.* 38. *obſerv.* 3.

5 Natura quoque negotii admittit aliquando probationem per unum Teſtem, veluti ſi in ſummariiſſimo de præſentanea poſſeſſione agatur; *Brunemann. in L.* 91. *Cod. de Teſtib. Horn. diſſert. cap.* 3. *num.* 5.

6 Pro rei vero gravitate quandoque ne duo quidem Teſtes ſufficiunt, ut patet *ex L.* 18. *C. de Teſtib.* Diſponit hic Imperator, quod contra debitum in ſcriptis contractum Teſtes non facile audiendi ſint, qui ſolutionem probare velint. Quin potius qui exceptionem ſolutionis recte docere vult, producere debet vel quinque Teſtes idoneos, & ſummæ integræque opinionis, qui ſolutioni præſentes fuerint, vel per
7 apocham. Cæterum moribus non quinque amplius Teſtes requiruntur, ſed duo ſufficiunt; *Anton. Faber in Cod. lib.* 4. *tit.* 15. *defin.* 23. *num.* 12. & *ſequent. Gudelin. de Jur. noviſſim. lib.* 4. *cap.* 11. *Gronovvegen. de Leg. Abrog. ad dict. L.* 18. *num.* 2. *Sande lib.* 1. *tit.* 10. *defin.* 1.

8 Simile quid eſt in *L. ultim. C. Si certum petatur*, ubi cavetur, ut ſi debitum excedat 10. libras auri, hic Chirographum, & quietantia alias robur non habeant, niſi trium teſtium ſubſcriptione munita ſit. Sed moribus nec requiritur hæc trina teſtium ſubſcriptio; *Gudelin. loco mox citato*, *Gronovvegen. ad dict. L. ultim. vol.* 5. *deciſ.* 5. *num.* 8.

ARTI-

## Articulus III.

### Quoad teſtium exceptionem, ſeu reprobationem, coactionem, & obligationem.

1 Exceptiones, quæ teſtibus objici poſſunt, ſunt triplicis generis, ſcilicet contra perſonas teſtium, contra examen teſtium, & contra depoſitiones, ſeu dicta teſtium. Hiltorpius *in Proceſſ. Judicial. tit. 9. cap. 6.* Pirhing *l. c. n.* 239. Reiffenſt. *l. c. n.* 334. & alii.

2 Exceptio *contra Perſonas teſtium* fit opponendo ipſis, quod vel omnino, vel ſaltem reſpectu talis cauſæ inhabiles ſint ad ferendum Teſtimonium; Et qui ſint tales ſic inhabiles, abunde patet ex ſupradictis *art.* 1.

3 Exceptio *contra examen teſtium* fit opponendo, quod non ſit legitime factum, vel ex defectu Juriſdictionis, ſi nempe a Judice incompetente teſtes fuerint examinati, verb. grat. Clerici a Judice ſæculari ſine conſenſu proprii Superioris, vel quia teſtes producti, & recepti ſunt ante litem conteſtatam, aut parte adverſa non citata, aut poſt tertiam productionem non obſervata requiſita ſolemnitate legali, aut poſt didicita teſtificata, ſeu cognitas depoſitiones eorum, aut poſt concluſionem in cauſa, ſive renunciationem a partibus factam productioni teſtium; vel quia non jurati ſunt recepti, & examinati, aut non ſingillatim, & ſeorſim in ſecreto, ſed ſimul plures admiſſi, & hujuſmodi, de quibus exceptionibus ſatis conſtat ex ſupradictis *art.* 2.

4 Exceptio *contra depoſitiones, ſeu dicta teſtium* fit opponendo, quod depoſuerint contraria, ſive unus teſtis ſibi ipſi, ſive unus alteri contradicat. Vel quod depoſuerint ſingularia, vel ſine certa ſcientia, vel depoſuerint inveriſimilia, aut penitus falſa. Vel etiam quod depoſuerint per interrogatoria ſuggeſtiva ſibi facta, & hujuſmodi, de quibus plene conſtat ex dictis *ſupra art.* 2.

5 Exceptiones contra perſonas teſtium ſunt opponendæ ante publicationem atteſtationum, alioquin non valent, niſi in tribus caſibus. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Præſentium* 31. *de Teſtibus*, ubi aſſignantur dicti tres caſus. Primo ſcilicet:
„ *Si quis cum juramento firmaverit*, quod ad hoc ex malitia
„ non procedat. *Secundo*, ſi forſan ante publicationem id fue-
„ rit proteſtatus. *Tertio*, *quando quis* oſtendere poterit, quod
„ poſt publicationem didicerit, quod objicit in perſonas.

6 Exceptiones contra depoſitiones, ſeu dicta teſtium opponendæ ſunt poſt publicationem atteſtationum. *Communis*. Et ratio eſt clara, quia partes ante publicationem atteſtationum ignorant penitus, quid teſtes depoſuerint, ſicque neſciunt quid in eorum dictis, ſeu depoſitionibus ſit reprobandum, adeoque &c.

7 Et idem ſervata proportione dicendum venit de exceptionibus contra examen teſtium; Tales enim exceptiones, ut de ſe patet, nequeunt opponi, niſi quando examine illo teſtium producto altera pars cognoſcere potuit, iſtud, ſe non citata, aut alias illegitime fuiſſe attentatum, & factum. Sic præciſis verbis Reiffenſt. *l. c. n.* 539. & alii paſſim.

8 Nemo poteſt excipere contra, ſeu reprobare teſtes, quos induxit pro ſe, ſed tenetur eos admittere contra ſe, etiam in alio Judicio, niſi nova cauſa ſupervenerit. *Communis*, textu expreſſo *in l. Si quis teſtibus* 17. *Cod. de Teſtibus*, ibi: „ Si quis
„ teſtibus uſus fuerit, iidemque teſtes adverſus eum in alia
„ lite producantur, non licebit ei perſonas eorum excipere,
„ niſi oſtenderit inimicitias inter ſe, & illos poſtea emerſiſſe,
„ ex quibus teſtes repelli Leges præcipiunt; & concordat *cap. Si teſtes* 3. §. *Si quis teſtibus cauſ.* 4. *q.* 2. & 3. ubi repetuntur ipſiſſima præciſa verba.

9 Item poteſt quis excipere contra, & reprobare teſtem antea a ſe productum, non ſolum ex inimicitia poſtea inter ſe orta, ſed etiam ex quacumque nova cauſa de Jure ſufficiente ad aliquos teſtes repellendos, ut ſi poſtea teſtis ille factus ſit infamis, perjurus, & hujuſmodi. *Communis*, *argum. cit. l. Si quis teſtibus* 17. *Cod. de Teſtibus*, & *cit. cap. Si teſtes* 3. §. *Si quis teſtibus cauſ.* 4. *quæſt.* 2. & 3. Ubi enim eadem eſt ratio, ibi etiam eadem eſt legis diſpoſitio; *l. Ideo* 27. *ff. de legibus*, *l. Illud* 32. *ff. Ad legem Aquiliam*, & *cap. Inter corporalia* 2. *de translatione Epiſcopi*; Cum ratio legis ſit anima legis, *l. Cum ratio* 7. *De bonis damnatorum*.

10 Teſtes probatorii poſſunt reprobari per alios teſtes reprobatorios a parte adverſa productos, & etiam hi ipſi reprobatorii poſſunt reprobari per teſtes reprobatorios reprobatoriorum; Ultra vero, ideſt contra teſtes iſtos reprobatorios reprobatoriorum non eſt permiſſum alios teſtes reprobatorios producere. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Licet dilectus* 49. *de teſtibus*, juncto ejus Summario ſic expreſſe dicente: „ Te-
„ ſtes probatorios & reprobatorios probatoriorum reprobare
„ licet, ſed reprobatorios reprobatoriorum non licet „. Unde, ut vides, ad æqualitatem ſervandam in Judiciis, & ne veritas ſuccumbat, ac per falſos teſtes opprimatur, jure merito tam Actori, quam reo permittitur reprobare, tum teſtes probatorios ſuper principali negotio ab altera parte productos, tum etiam horum reprobatorios, & ne detur proceſſus in infinitum, ſtatuitur, quod in tertia productione teſtium priores teſtes reprobantium utrobique detur ſtatus, nec ultra ad quartam teſtium productionem contra tertios productos poſſit procedi, textu expreſſo *in cit. cap. Licet dilectus*, ibi:
„ Ne ſi producendi quartos contra tertios, & ſic deinceps
„ partibus licentia tribuatur, negotium diutius protelari con-
„ tingat.

11 Teſtes autem *probatorii* dicuntur, & ſunt illi, qui ſuper cauſa, ſeu negotio principali producuntur ad probationem illius; Teſtes reprobatorii vero dicuntur, & ſunt illi, qui ab altera parte producuntur ad reprobandum, ſeu refutandum perſonas; aut dicta illorum teſtium probatoriorum, probando ſcilicet per eos, quod teſtes illi probatorii ſint a Jure inhabiles, utpote ſervi, infames, & hujuſmodi, aut quod eorum depoſitio ſit contradictoria, falſa &c. & ſic ipſi nihil probent. *Teſtes reprobatorii reprobatoriorum* tandem dicuntur, & ſunt illi qui viciſſim producuntur ad reprobandum perſonas, aut dicta teſtium reprobatoriorum. *Sic in re Doctores communiter*, id deſumentes, *ex cit. cap. licet Dilectus* 49. *De teſtibus*; & ejus Summario, & *cap. Præſentium* 4. *de teſtibus in* 6. juncto pariter ejus Summario.

12 Quando teſtes legitime citati venire, aut teſtificari in cauſa Civili recuſant, tunc per Judicem ſive ordinarium, ſive Delegatum ad teſtificandum compelli poſſunt. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Cauſam* 1. *De teſtibus cogendis*, ibi:
„ Mandamus quatenus teſtes ab alterutra partium in ſuæ
„ aſſertionis teſtimonium invocatos, ne veritatem occultent,
„ diligentius moneas, & inducas; Si autem odio, vel gratia,
„ vel timore ſe ſubtrahant, eos ad ferendum teſtimonium
„ coram præfatis Judicibus, vel eorum nuncio, quem ad hoc
„ miſerint, Eccleſiaſtica diſtinctione compellas, juncto ejus Summario ſic dicente: *In cauſa Civili monendi, & inducendi teſtes ſunt ad teſtificandum. Et ſi ſe ſubtrahunt odio, gratia &c. compelluntur*, & concordant *cap. Cum ſuper* 2. *cap. Super eo* 3. *cap. Pervenit ad audientiam* 4. *cap. Pervenit ad nos* 5. *cap. Ceterum* 6. *eod. l. Temporibus* 1. §. 3. *ff. de inſpiciendo ventre*, cum ſimilibus.

13 De Jure Civili etiam in cauſis criminalibus cogi poſſunt teſtes Laici ad teſtificandum. Pirhing *lib.* 2. *decretal. tit.* 21. *numer.* 15. *in fin.* Reiffenſtuel *ibid. num.* 18. Sigiſmund. Scaccia *lib.* 2. *de Judiciis cap.* 10. *num.* 13. Julius Clarus *in Praxi Criminal. l.* 5. §. *final. quæſt.* 24. *num.* 21. teſtans ſic ſervari in Jure civili de communi conſuetudine, *argum. l. Si quando* 19. *Cod. De teſtibus*, juncta Gloſſa *ibid. verb. Cauſis*, cum ſimilibus, & *c. Super eo* 3. *in fine, de teſtibus cogendis*.

14 De Jure Canonico in Cauſis Criminalibus criminaliter motis teſtes etiam Laici ordinarie cogi non poſſunt ad teſtificandum. Sic Gloſſa *in cap. Super eo, verb. Paſſim*; *in cap. Pervenit ad nos, verb. Recuſant*, *in cap. Dilectorum, verb. Super criminibus*, *de teſtibus cogendis*, Pirhing *loco cit. num.* 11. cum Innocent. Abbate, Imola, & aliis ibi citatis, teſtans inſuper ſic ſentire alios Canoniſtas communiter, Reiffenſtuel *l. c. numer.* 20. Farinac. *Tractat. de teſtibus quæſt.* 78. *num.* 115. dicens hanc eſſe communem ſententiam Canoniſtarum per text. *in cap. Dilectorum* 10. *de teſtibus cogendis*, ibi: „ Teſtes qui fue-
„ rint nominati, præterquam ſuper criminibus (ſi ſe gratia,
„ odio, vel timore ſubtraxerint) per cenſuram Eccleſiaſticam
„ cogatis veritati teſtimonium perhibere, ubi, ut vides, expreſſe excipiuntur Cauſæ Criminales per verba: *Præterquam ſuper criminibus*.

15 Et a fortiori dicendum eſt, quod teſtes etiam Laici cogi non poſſunt ad teſtificandum de crimine occulto, & non notorio, quamvis forte duobus, vel tribus cognitum ſit, textu expreſſo *in cap. Super eo* 3. *de teſtibus cogendis*, ibi: „ Verum
„ ſi non eſt notorium, & is, qui convenitur, factum negave-
„ rit, teſtes, qui interfuerunt facto, monendi ſunt, non cogendi,
„ ad ferendum teſtimonium, & ſic tenent Jo. Andr. *in cit. cap. Dilectorum* 10. *numer.* 11. *verſ. In occultis*, *de teſtibus cogendis*, Layman *libr.* 3. *Theolog. moral. tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 9. Farinac. *quæſt.* 78. *num.* 121. cum aliis ibi allegatis, Reiffenſt. *l. c. n.* 22. Pirhing *l. c. n.* 12. ubi allegat Sanctum Thomam, & alios.



16 Item nec cogi poſſunt teſtes etiam Laici ad teſtificandum in cauſis criminalibus, quando ex tali depoſitione, ſeu teſtificatione imminet ipſis teſtibus grave periculum, verb. grat. capitalis inimicitiæ; Baldus *in citat. cap. Dilectorum num.* 6. & Felinus *ibid. num.* 3. Layman *l. c.* Pirhing *l. c.* Reiffenſtuel *l. c. num.* 23. Leſſius *lib.* 2. *de Juſtit. cap.* 30. *dub.* 6. *numer.* 50. Menochius *de Arbitrar. Judic. lib.* 2. *caſu* 487. *numer.* 3. & *ſequent*: & alii paſſim. Et ratio eſt, quia nemo poteſt cogi teſtificari in præjudicium ſuorum conſanguineorum, vel affinium, textu expreſſo *in l. Lege Julia* 4. *ff. De teſtibus*, quæ eſt canonizata *in cap. Si teſtes* 3. *cauſ.* 4. *quæſt.* 2. & 3. §. *lege Julia*; Et concordat *l. Parentes*, & *liberi* 6. *Cod. de teſtibus*, cum ſimilibus; ergo multo minus cogitur quis teſtificari in tam grave proprium præjudicium, ut eſt inimicitia capitalis.

17 Dantur tamen varii caſus, in quibus etiam de Jure Canonico cogi poſſunt teſtes ad teſtificandum etiam in cauſis criminalibus criminaliter motis. Et ſignanter quando veritas aliter haberi non poteſt, textu expreſſo *in cap. Pervenit ad nos* 5. *de teſtibus cogendis*, ibi „ Qui ... teſtificari recuſant, ſi aliter
„ veritas nequiverit elici, ad illud ſunt per cenſuram Eccleſia-
„ ſticam compellendi, juncto ejus Summario ſic habente: *Si res aliter probari non poteſt, & in cauſa criminali compellendi ſunt teſtes*. Et ſic Gloſſa *ibid. verb. Eccleſiaſticis*, Abbas *in cit. cap. Dilectorum num.* 6. Socinus *in Fallentiis Regul.* 417. *fallent.* 1. Farinac. *dict. quæſt.* 78. *num.* 121. cum plurimis aliis ibi citatis, Pirhing *l. cit. n.* 13. Reiffenſtuel *loc. citat. num.* 25. & alii.

18 Item compelli poſſunt teſtes ad teſtificandum etiam in Criminalibus, quando malitioſe ſe ſubtrahunt a ferendo teſtimonio timore adverſæ partis, aut gratia, vel odio aliquo; *cap. Super eo* 3. *de teſtibus cogendis*, juncto ejus Summario, in quo ſic dicitur: „ Teſtis, qui timore adverſæ partis ſe ſub-
„ trahit, teſtificari compellitur: Adde etiam in Criminali ſe-
„ cundum communem intellectum, cap. Cum contra 9. eod. ibi: „ Nos igitur reſpondemus, quod teſtes prædicti, ſi ſe
„ gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per Cenſuram Eccle-
„ ſiaſticam, debes appellatione remota compellere veritati
„ teſtimonium perhibere; juncto ejus Summario ſic dicente: *Teſtes, qui ſe ſubtrahunt, etiam in criminali cogendi ſunt*; Farinac. *q.* 78. *n.* 126. cum pluribus aliis ibi citatis, Pirhing *loc. citat. numer.* 14. Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 26. & alii paſſim.

19 Item Teſtes etiam in Criminalibus cogi poſſunt ad teſtificandum, quando pars adverſa malitioſe impedit eorum productionem; *cap. Pervenit ad audientiam* 4. *de teſtibus cogendis*, juncto ejus Summario ſic habente: „ Compelluntur teſtes
„ etiam in Criminali, quos accuſatus malitioſe accuſatori
„ ſubtrahit, Pirhing *l. c. n.* 14. cum aliis ibi allegatis, Reiffenſtuel *l. c. n.* 26. Farinac. *l. c.* & alii paſſim.

20 Item teſtes cogi poſſunt ad teſtificandum in Crimine Hæreſis, Læſæ Majeſtatis, Conjurationis, Simoniæ, & aliis ſimilibus atrocioribus delictis; *Communis* per claros textus *in cap. Si quis per capillum* 10. *cauſ.* 22. *quæſt.* 1. *cap. Venerabilis* 11. *de teſtibus cogendis*, juncto ejus Summario ſic habente: *Ad detegendam veritatem conjurationis coguntur ſocii, etiam jurati*, cum ſimilibus aliis.

21 Ad teſtificandum regulariter in nulla cauſa cogi poſſunt parentes, & liberi contra ſe invicem; imo illi neque volentes admittuntur; *Communis*, textu expreſſo *in l. Parentes* 6. *Cod. de teſtibus*, ibi: *Parentes*, & *liberi invicem adverſus ſe nec volentes ad teſtimonium admittendi ſunt*. Et concordat *cap. Si teſtes* 3. §. *Parentes cauſ.* 4. *q.* 2. & 3. ubi ipſiſſima verba repetuntur.

22 Item regulariter in nulla cauſa cogi poſſunt ad teſtificandum agnati, & cognati contra ſuos conſanguineos uſque ad tertium gradum incluſive; Colligitur aperte ex *l. lege Julia* 4. *ff. de teſtibus*, & *cap. Si teſtes* 3. §. *lege Julia cauſ.* 4. *quæſt.* 2. & 3. in quo utroque loco expreſſe cavetur, ne conſanguinei inviti cogantur adverſus ſe dicere teſtimonium uſque *ad Sobrinum*, & *Sobrinam*, *Sobrinove natum*, qui tertio gradu ab invicem diſtant, ut patet ex Arbore Conſanguinitatis.

23 Item regulariter in nulla cauſa cogi poſſunt ad teſtificandum contra ſe invicem Socer, & Socrus; Gener, & Nurus; Vitricus, & Noverca; Privignus, & Privigna; Patruus, & Amita; Avunculus, & Matertera; Maritus, & Uxor, & hujuſmodi affines; *cit. leg. lege Julia*, & *cit. cap. Si teſtes* 3. §. *lege Julia*, *cauſa* 4. *qu.* 2. & 3. juncta Gloſſa *ibid. verb. Imperari*, cum ſimilibus, Pirhing *l. cit. n.* 23. & alii communiter.



24 Item regulariter in nulla cauſa cogi poſſunt Liberti ad teſtificandum contra Patronos, nec Patroni contra ſuos Libertos, textu expreſſo *in cit. l. lege Julia*, & *citat. cap. Si teſtes* §. *Ne Liberto*, & §. *Ne Patroni*. Et concordat *leg. Libertorum* 12. *Cod. de teſtibus*, cum ſimilibus.

25 Item regulariter in nulla cauſa cogi poſſunt ad teſtificandum ſenes majores 70. annis, valetudinarii, Milites, & illi, qui cum Magiſtratu Reipublicæ cauſa abſunt, vel quibus venire non licet, textu expreſſo *in cit. cap. Teſtes* 3. §. *Inviti cauſ.* 4. *q.* 2. & 3. & *l. Inviti ff. de Teſtibus*, cum ſimilibus.

26 Notanter autem in concluſionibus *a num.* 20. dicitur *Regulariter*, quia ſupradicti privilegiati cogi poſſunt ad teſtificandum in aliquibus caſibus. Et ſignanter, quando veritas aliter quam per ipſos haberi non poteſt; *Communis* per textum *in cap. Pervenit ad nos* 5. *de teſtibus cogendis*, ibi: *Si aliter veritas nequiverit elici*, *cap. Venerabilis* 11. *eod.* ibi: *Ne pro defectu teſtium pereat ſua Juſtitia*, *cap. Quamquam* 2. *cauſ.* 14. *qu.* 2. ibi: *Ne veritas occultetur*, cum ſimilibus. Et ratio eſt clara, quia tunc favore eruendæ veritatis eorum privilegium ceſſat, cum publica utilitas, quæ in perhibendo teſtimonio veritati verſatur, merito præponderare debeat.

27 Item dicti privilegiati cogi poſſunt ad teſtificandum in crimine Leſæ Majeſtatis, Hæreſis, & aliis atrociſſimis exceptis criminibus; Farinac. *tract. de teſtibus quæſt.* 55. *numer.* 170. & *ſequent.* Pirhing *l. c. n.* 23. & alii communiter; Vide dicta *art.* 1. *a n.* 89.

28 Clerici autem, & Religioſi, ubi agitur de imponenda pœna ſanguinis, ne quidem cogi poſſunt ad teſtificandum in dictis criminibus exceptis propter periculum Irregularitatis, ut notat Reiffenſtuel *l. citat. num.* 37. & fuſius id probat *lib.* 2. *Decretal. tit.* 20. *a num.* 170. ſolvens contraria; Vide *art.* 1. *numer.* 102.

29 Clerici, ſi non adſint alii teſtes, cogi poſſunt ad perhibendum teſtimonium veritati, etiamſi cederet in aliquod damnum Eccleſiæ; Gloſſa unica *in cap. Cum unicus* 12. *de teſtibus*, Abbas *ibidem num.* 4. Reiffenſt. *l. cit. tit.* 21. *num.* 41. & alii paſſim. Et ratio eſt, quia in defectu probationum ceſſat omne privilegium, ne veritas occultetur, & injuſtitia foveatur, per Jura adducta *ſupra num.* 26. Iniquum enim eſſet Eccleſiam contra alium injuſte locupletari, aut manuteneri, atque etiam gravi alterius læſione veritatem opprimi.

30 Non obſtante juramento, quo teſtis juraverit, ſe nihil dicturum, neque depoſiturum in Judicio, poteſt is ad teſtificandum compelli; *Communis* textu expreſſo *in cap. Pervenit ad audientiam* 4. *de teſtibus cogendis*, juncta Gloſſa *ibidem verb. Juramento adſtrinxit*, *cap. Venerabilis* 11. *eodem*, juncto ejus Summario ſic dicente: *Ad detegendam veritatem conjurationis coguntur ſocii etiam jurati*. Et concordat *cap. Intimavit* 18. *de teſtibus*, ibi: „ Injungimus, ut .... eos qui ſunt jura-
„ mento adſtricti .... in teſtimonium recipere non poſtponas.
„ Item *cap. Conſtitutis* 45. *de teſtibus*, ibi: „ Illos autem, quos,
„ ut dictum eſt, juraſſe conſtiterit, quod contra Archiepiſco-
„ pum nihil dicerent, denuncies juramento hujuſmodi non
„ teneri, Item *cap. Olim* 26. *de accuſationibus*, ibi: *Juramentis, ſi qua de tacenda veritate Abbas extorſerit, relaxatis*.

31 Imo talis poteſt teſtificari nulla prævia dicti ſui juramenti abſolutione; Gloſſa *in citat. capite Venerabilis* 11. *verb. Abſolvant*, *de Teſtibus cogendis*, Abbas *ibidem num.* 3. Pirhing *lib.* 2. *Decretal. tit.* 21. *num.* 19. Reiffenſt. *ibidem num.* 45. Vallenſ. *ibidem num.* 3. Maſcard. *de probationibus quæſt.* 5. *proœmial. num.* 48. & 54. Farinac. *dict. quæſt.* 78. *num.* 150. & 151. Et ratio eſt, quia, cum tale juramentum ſit temerarium, & contra bonos mores præſtitum, ne ſcilicet veritas manifeſtetur, & juſta ſententia ſequatur, non eſt obligatorium, textu expreſſo *in cap. Non eſt obligatorium* 18. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum*. Unde abſque ullo periculo perjurii poteſt quis ipſi contravenire; *cap. Quanto* 18. *de Jurejurando*, juncto ejus Summario, in quo ſic habetur: *Jurans ſcienter illicitum non indiget abſolutione, ſed tenetur illud non obſervare*. *Cum*, ut dicitur *ibidem* in textu, *Cum juramentum, non ut eſſet iniquitatis vinculum, fuerit inſtitutum*. Et concordat *cit. cap. Conſtitutis* 45. *de Teſtibus* per textum adductum numero antecedenti, ubi, ut vides, poſteriora illa verba; *Denuncies juramento hujuſmodi non teneri*, aperte indicant, tale juramentum ipſo Jure fuiſſe invalidum, veluti contra bonos mores præſtitum, quia

quia ibi Pontifex non mandat ſuo Delegato, ut illos, qui ſic jurarunt, a ſuo juramento prius abſolvat, ſed ſolum ut denun-
32 ciet illos, tali ſuo facto juramento non teneri. Recte tamen monent ſupracitati Doctores, & alii, quod conſultius ſit abſolutionem ejusdem ad cautelam petere, vel ſaltem quod Judex prius declaret nullitatem ejus, *argum. cap. Veniens ad Apoſtolicam 38. in fine de teſtibus*, ibi; „ Ad cautelam abſolvatis „ eoſdem, ut vocati ad teſtimonium libere valeant pro utra„ que parte teſtari.

33 Teſtes quod non poſſint in præſtando juramentum uti reſtrictione mentali, ſeu amphibologia, aut æquivocatione? Vide verb. *Juramentum art. 1. a num. 13.* & verb. *Reſtrictio mentalis per tot.* & vide etiam aliqua ad rem ſub verb. *Reus*.

34 Obligatur teſtis ſub gravi peccato ex charitate, & ſponte ſua teſtimonium dicere, quando proximus in gravi neceſſitate de vita, fama, vel bonis fortunæ periclitatur, & malum, teſtificando, impediri poteſt; *Communiſſima Doctorum* in materia de Charitate; Tunc enim urget Charitas, ut innocenti, & ſic indigenti ſuccurramus.

35 Ex juſtitia autem Legali, ſeu ex Obedientia tenetur ſub gravi teſtimonium ferre ſolum, quando a Competente Judice legitime eſt citatus & interrogatus; *Sic Doctores communiter* cum S. Thoma *2. 2. quæſt. 70. art. 1. num. 2.* & Scoto *in 4. diſt. 15. quæſt. 3.* Et ratio eſt manifeſta, quia juſto legitimi Superioris præcepto in re gravi, uti eſt præceptum legitimi Judicis juridice interrogantis, & teſtimonium exigentis parendum eſt ſub mortali.

36 Tunc vero Judex juſte, ſive juridice exigit a teſtibus teſtimonium, quando hominis infamia, juſta accuſatio, vel denunciatio criminis cum ſemiplena probatione, vel aliis indiciis ſufficientibus ad teſtes examinandos præceſſerunt; Sic ex communi Leſſius *lib. 2. cap. 30. dub. 6.* Layman *Theolog. moral. lib. 3. tractat. 6. cap. 4. n. 8.* Sporer *tom. 2. tract. 5. in VIII. præcept. Decalog. cap. 4. ſect. 3. n. 51.* & alii paſſim.

37 Unde teſtis ſub mortali tenetur teſtimonium ferre in legitimo Judicio in ſequentibus caſibus. I. Si de Auctore delicti ſit ſaltem ſemiplene probatum, aut ſufficientia de hoc habeantur Indicia. II. Si procedatur via accuſationis, & poſſit crimen ſufficienter probari. III. Si Auctor laboret infamia criminis patrati; *Communis*; Et ratio eſt clara, quia niſi in his caſibus obligetur quis teſtimonium ferre, nihil prodeſſent Tribunalia Juſtitiæ cum maximo Reipublicæ, & particularium detrimento.

38 Non obligatur autem teſtis, etiam interrogante, & præcipiente Judice, teſtimonium ferre in ſequentibus caſibus. I. Si rem ſolum ex Confeſſione Sacramentali noverit, ut patet ex dictis ſub verb. *Juramentum artic. 1. num. 15.* II. Si criminis notitiam accepit ſub ſecreto naturali ad honeſtum finem, utpote Advocatus, Medicus, Chirurgus, Obſtetrix, Vir doctus, aut valde amicus &c. ad conſilium, auxilium, vel remedium adhibendum miſero criminoſo, alias ſecluderetur miſeris ſubſidium neceſſarium. Excipe tamen, ſi defectu teſtimonii immineret Communitati, aut privato aliquod grave, & notabile damnum, quia in tali caſu obligaretur ad teſtificandum, cum tunc non obligaret naturale Secretum. III. Si crimen eſt occultum, ita ut nulla publica de eo adſint indicia, quamvis forte duobus, vel tribus privatim cognitum eſſet; Niſi tamen crimen valde pernicioſum eſſet Reipublicæ, quia tunc teneretur illud teſtificari, cum bonum commune prævalere debeat particulari. IV. Si rem noverit a perſonis dubiæ, aut modicæ fidei, quia tunc poteſt ſe habere, ac ſi nihil ſciret. V. Si Auctor non laboret infamia, nec damnum timeatur poſtea. VI. Si notitiam delicti alteriuſve ſecreti per injuriam accepit, verb. grat. litteras aperiendo, vel hominem per vim cogendo, aut per ebrietatem ad id inducendo, tunc enim id teſtificari non tenetur, nec juſte poteſt cum injuria ſemel illata non ſit extendenda. VII. Si ſciat factum hominis, de quo interrogatur, a peccato & pœna alienum eſſe, ut ſi ex ignorantia hominem pro fera occidit, ſi rem alienam abſtulit ob juſtam compenſationem, vel graviſſima neceſſitate coactus, tunc enim non tenetur de eo teſtari, imo factum ſimpliciter negare poſt, ſicuti & ipſe Reus etiam addito juramento, quia interrogatio Judicis procedit ex præſumptione commiſſæ culpæ, ſeu de facto criminoſo, quale factum recte negat etiam juratus; Sicuti ex communi docent Leſſius *l. citat. cap. 31. dub. 3. num. 14.* Layman *l. cit. num. 9. verb. Si ſcias*, Sporer *loc. citat. numer. 52.* & alii paſſim. VIII. Si ex teſtificatione ſibi, vel ſuis notabile damnum immineat, non tenetur teſtari, niſi crimen Reipublicæ pernicioſum ſit, ut proditio & hujuſmodi, & alia ratione impediri non poſſit; Sic docent Navarr. *1. Manual. cap. 25. & in Canon. Inter* 11. *quæſt. 3.* Petrus Navarra *lib. 2. cap. 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 30. & 31.* Layman *lib. 3. tract. 6. cap. 4. & lib. 4. tract. 3. cap. 14.* Buſemb. *lib. 4. cap. 3. art. 4. dub. 6.* ſecutus a La Croix *lib. 4. num. 1514.* Sporer *l. citat. numer. 52.* Henno *tom. 2. tractat. 2. diſput. acceſſoria quæſt. 4. concluſ. 2.* Pontas verb. *Teſtis*, Merbeſius *tit. 1. Summæ Chriſt. par. 3. quæſt. 192.* & alii paſſim.

Unde in dictis caſibus, & quoties Judex non legitime inter- 39
rogat, licitum eſt teſtimonium recuſare, ſubterfugere, tergiverſari. Aut ſi neceſſario ſit reſpondendum, veritatem diſſimulare, aut aliqua licita amphibologia, vel reſtrictione mentali eludere, (a) juxta notata, & dicta ſub verb. *Juramentum art. 1. a num. 13.* verb. *Reſtrictio mentalis per tot.* & partim ſub verb. *Judex*, ac verb. *Reus*. Vide *ibi*.

Teſtis in pluribus peccat. Et ſignanter ſi affirmet, quod 40
ignorat; Item ſi veritatem, quam debebat celare, aperiat; Item ſi ſe occultet, ne interrogetur, caſu quo tenetur teſtari; Item ſi Judici juſte, & legitime interroganti ad rem non reſpondeat; Item ſi pretium pro dicenda veritate accipiat, ſicuti peccat Judex, ſi pretium accipiat pro ferenda ſententia juſta, cum nemo poſſit aliquid accipere pro eo, ad quod tenetur ex officio. Vide verb. *Judex a n. 53.*

Teſtis, qui ex malitia ſcienter falſum depoſuit, præter pœ- 41
nas perjurii, quas incurrit, tenetur etiam ad reſtitutionem totius damni inde ſequuti propter injuſtitiam commiſſam; *Communis*. Item tenetur talis malitioſus, & falſus teſtis revocare ſuum falſum teſtimonium cum pari ſuo damno, & periculo, etiam vitæ, ſi Reus a ſe injuſte pro tali teſtificatus, de ea periclitetur, & putetur revocando aliquid effecturus; *Communis*. In damno enim æquali potius habenda eſt ratio innocentis.

Si autem teſtis ex ignorantia invincibili, inadvertentia, aut 42
oblivione inculpabili falſum depoſuit, quamvis teneatur retractare id, quod dixit, & damnum impedire eo modo, quo poteſt, non tenetur tamen ex juſtitia ad reſtitutionem damni
illati, cum neque teneatur ex re accepta, neque ex injuſta ac- 43
ceptione, ſeu ex delicto, & vere injuſtitiam non commiſerit; Cajetanus *2. 2. quæſt. 70. art. 4.* Navarrus *in Manuali cap. 25. num. 40.* Sanchez *tom. 2. Conſil. moral. l. 6. cap. 5. dub. 7.* Buſemb. *l. citat.* Lezana *in Summa qq. Regular. verb. Teſtis Regularis n. 4.* Diana, Fagundez, Corduba & alii paſſim.

Item ad reſtitutionem non tenetur talis teſtis in caſu quo a 44
parte rei per ſuum falſum teſtimonium nihil effecerit, ſeu nullum damnum cauſaverit, ex quo per falſa teſtimonia aliorum jam tota cauſa damni fuerit poſita, ita ut Judex ex hoc teſtimonio nihil penitus fuerit motus; Leſſius *lib. 2. cap. 30. dub. 7.* Diana *part. 3. reſolut. 105.* Fagundez *in VIII. præcept. Decalog. lib. 8. cap. 42. numer. 3.* Buſemb. *l. c. circa finem* & alii.

Teſtis autem, qui falſum depoſuit, non ſcienter, nec ex no- 45
tabili negligentia, ſeu non ex culpa lata, ſed tantum ex culpa levi, licet non teneatur ad reſtitutionem totalis damni, tenetur tamen ad reſtitutionem partis juxta proportionem culpæ; Navarr. *loco citat. num. 40.* Sanchez *loc. cit. dub. 17.* Fagundez *l. c. n. 1.* Lezana *l. c. n. 4.* Sotus *lib. 5. de Juſtitia q. 7. art. 4.*

Alia ad rem, Vide verb. *Judex*, verb. *Juramentum*, verb. 46
*Reſtitutio*, verb. *Reſtrictio mentalis*, verb. *Reus*, & dicta hactenus ſub hoc verbo *Teſtis*.

Teſtes plures, ſed ſingulares quoad varios actus ſucceſſi- 47
vos, ex quibus unicum delictum conflatur, ſi non ad pœnam; ſufficientes decernuntur ad torturam pro eruenda veritate; Benedict. XIV. tom. 1. Conſtitut. 97. incipient. *Sacerdos in*
*æternum* §. 4. Teſtimonium Judicis omni exceptione majoris 48
in antiquis attendi debet; Idem Conſt. 76. incip. *Apoſtolicæ ſervitutis* §. 15.

Teſtis unicus non probat de jure; Idem tom. 2. Conſtitut. 49
28. incipient. *Poſtremo menſe* §. 55. Limita quando teſtis uni- 50
cus legitimis præſumptionibus, & validis conjecturis admini-
51 culatus eſt; Idem *ibidem* §. 55. Item limita, ut collatio Baptiſmi per unicum teſtem fide dignum probari poſſit; Idem *ibi-*
52 *dem* §. 31. Teſtes in judiciis Civilibus, & Canonicis admittuntur etiam mulieres; Idem *ibid.* §. 55.

53 Teſtes *habentes notam manum*, identitatem ſcripturæ autographæ non probant, niſi validis adminiculis fulciantur, ideſt comparentur cum aliis ejuſdem ſcriptis per peritos, qui de identitate characteris juxta eorum artis regulas judicium faciant, & hujuſmodi; Idem conſtitut. 26. incipient. *Poſtulatum*.
Teſtes examinati *turmatim* invalidam probationem in cauſis
54 Beatificationis ſeu Canonizationis conſtituunt, ſed de ſubſtantia examinis formalis eſt, ut ſinguli ſeorſim audiantur; Idem *ibidem*.

Teſtes pro electione ſepulturæ ſufficiunt duo; Sic expreſ-
55 ſe reſolvit *Sacra Congregat. Concil. in Neapolitana Electionis ſepulturæ 13. Februar. 666. lib. 25. Decretor. pag. 29. apud* Theſaur. *Reſolut. tom. 2. p. 304. in Cauſa Sorana Funerum* §. *Reda-*
56 *cta*, & ſæpe alibi. Nec requiritur, quod tales teſtes deponentes ſuper electione ſepulturæ recipiantur medio juramento per publicum Notarium, ut expreſſe ſtatuit *eadem Sacra Congregat. in Senogallien. Funerum die 19. Decembr. 1739.* ubi ad ſecundum ſic propoſitum dubium: *An teſtes ſuper electione ſepulturæ deponentes, recipi debeant medio juramento per publicum Notarium; ſive potius ſufficiat, eoſdem teſtes deponere oretenus cum juramento coram ipſomet Parocho, vel Vicario Foraneo?* Reſpondit: *Ad II. Negative ad primam partem, & affirmative ad ſecundam*; Ita apud Theſaurum Reſolutionum *tom. 9. part. 1. pag. 156.* in dicta *Senogallien. Funerum*.

57 Teſtes Synodales olim tum in Synodis Provincialibus, tum Diœceſanis eligebantur viri probatæ fidei, ut Diœceſim perluſtrarent exploraturi, an Synodalia ſtatuta cuſtodirentur, & omnia in futura Synodo fideliter referrent, quæ emendanda
58 deprehendiſſent. Differebant *a Periodentis*, ſeu Viſitatoribus, quia juriſdictione carebant. Valde utiles erant, & adhuc eſ-
59 ſent; Difficulter tamen idonei inveniuntur, qui velint tale munus ſuſcipere, adeoque fere ubique in deſuetudinem abjerunt, & in eorum locum ſuffecti ſunt Fiſcales Epiſcoporum, & Decani, hoc eſt Vicarii Foranei, qui utique, ſi doctrina, pietate, prudentia, & zelo præſtarent, ac munus ſuum diligenter obirent, Synodalium Teſtium defectum ſupplerent, & compenſarent; Sic pluribus ad rem erudite ſuo more adductis tradit Benedict. XIV. *de Synodo Diœceſana lib. 4. cap. 3. per tot.*

60 In teſtes aſſiſtentes Matrimonio contracto non præmiſſis debitis denuntiationibus, excommunicatio latæ ſententiæ decerni poteſt; Idem *ibid. lib. 7. cap. 69. n. 2.* Vide *tom. 5. verb. Matrimonium art. 2. ſub n. 1.*

61 Teſtes de auditu auditus, allati in Proceſſu Apoſtolico, conjungi non poſſunt in linea æqualis probationis, cum teſtibus de viſu extantibus in Proceſſu Ordinario in cauſis Beatificationis, & Canonizationis Sanctorum. Benedict. XIV. in
62 Appendice ad Tomum 4. ſui Bullarii pag. 2. Conſtitut. incip. *Cum ex relatione* §. 2. Vim tamen adminiculativam habere poſſunt, modo majorem, modo minorem, pro varia circumſtantiarum conditione. Idem *ibid.* §. 3.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 DEbent Teſtes produci coram Judice, cui fides eſt facienda, & quidem in Loco Judicii, quum major dicatur auctoritas præſentium Teſtium, quam Teſtimoniorum, *L. 3 §. 4 ff. de Teſtib.*

2 Nihilo tamen minus poteſt Judex interdum examen teſtium delegare, præſertim in civilibus; *Novell. 90 cap. 5. Auch. apud C. de Fide Inſtrum.*

3 Hinc ſponte ſua fluit, Notarios non aliter poſſe Teſtes per ſe examinare, quam ſi examen hoc a Judice delegatum ſit.
4 Et ita hoc examen privatum a Notario factum nullum eſt; *Beuſt ad l. 31 n. 212 ff. de Jurejuran. Carpzov. l. 3 Reſponſ. 87*
5 *n. 3 Grev. concluſ. 102. n. 1. & 9* atque adeo nihilominus modo probatio adhuc ſalva ſit, denuo a Judice juramento adſtringendi, & examinandi ſunt.

6 De cætero ubi non requiritur ſolemnis probatio, ſed ſufficit nuda demonſtratio, facilius depoſitio Teſtium coram Notario admittitur, uti communiter hodie in poſſeſſorio ſummariiſſimo fieri ſolet, ubi præſentes, vel quaſi demonſtraſſe ſufficit.

7 Pariter in proceſſu exequutivo ad probandam exceptionem incontinenti admitti poſſe examen Teſtium coram Notario citra delegationem, tenet *Carpzov. Juriſprud. Forenſ. p. 1 Conſt. 8 deſin. 30* quum judicium ſummarie peragatur.

## TESTIUM PRÆSENTIA QUOAD MATRIMONIA;

Vide verb. *Impedimenta Matrimonii art. 2 a n. 19 ad 113.*

## THALMUD HEBRÆORUM.

JUdæi dicti ſunt a Juda quarto Jacobi Patriarchæ filio: Un- 1
de Palæſtina Syriæ Regio utpote ab eis inhabitata, Judææ nomen obtinuit; Joann. Bohem. *de nation. mund. in Republ. Hebræor. cap. 3*; Card. Petra *tom. 3 Comment. in Conſt. 2. Innocentii IV. n. 1.* Et Hebræi dicti ſunt ab Heber abnepote Semi filii Noe, ut notant Tertull. *in Apol. cap. 18* & poſt plures Gonzal. *in cap. Judæi 5 n. 1 de Judæis*, Petra *l. c. nu. 1.* recte advertens, quod Sacri Canones tum antiqui, cum recentiores eos utroque nomine promiſcue appellant, & Joſephus *l. 1 Antiquit. Judaicarum*; Alii tamen autumant, Hebraicam gentem, & linguam fuiſſe cognominatam ex eo, quod cum ipſi Abraham de terra, & cognatione ſua egredi, & in terram Chanaam ingredi a Deo juſſo, ut eam terram iret, ſuperandus fuiſſet Euphrates, dictus ſit *Hebræus*, ideſt *Tranſitor*, & inde ejuſdem poſteri Hebræi fuerint appellati.

Thalmud Hæbræorum, ſeu Judæorum hebraice idem im- 2
portat, quod latine ſonat diſciplina, ſeu doctrina; Sic Decian. *l. 5 tract. crim. cap. 12* Card. Petra *tom. 3 Comment. in Conſtit. 2. Innocentii IV. n. 3* & alii. Sixtus autem Senenſis *l. 4 Bibl. Sanct.* dicit nomine Thalmud ſignificari ingens, ac vaſtum opus Iudaicarum Traditionum, in quo collecta ſunt Decreta omnia Rabinorum, Sammai, Hillel, Akiba, Joſeph, & filiorum Aſamonæi una cum aliis innumeris aliorum Magiſtrorum Statutis, ſententiis, & tam Divinarum, quam humanarum Legum expoſitionibus, quibus nunc tota Judæorum natio regitur. Ab aliis vero vocatur jus judaicum, tam Civile, quam Sacrum, doctrinale etiam, ac Pandectæ, & Digeſta; Sic Pignat. *tom. 5 conſult. 14 n. 10.*

Thalmud compilare cepit quidam Judas Simonis filius cir- 3
ca annum Chriſti 150 poſt ultimam Hieroſolymæ deſolationem, inde circa annum 300. auctum, & Thalmud Hieroſolymitanum appellatum a quodam R. Johanna. Poſtremo iterum compilatum fuit cum aliis additionibus circa annum 479 a R. R. Aſe, Jeſſe, & Hemai, quæ compilatio cum Babyloniæ contigerit, exinde Thalmud Babylonicum appellatum eſt, ut referunt Decianus *l. c. n. 3.* Cherubin. junior *ad Conſt. 20. Clementis VIII. ſchol. 2* Voiſin. *in proem. pugion. Fidei*
*pag. 57* Rota *l. c. n. 4* Unde Thalmud aliud eſt Hieroſolymita- 4
num, & aliud Babylonicum.

Pignatell. autem *loco cit. n. 10.* habet, quod Liber Thalmud 5
cœptus eſt anno a Domino Jeſu 100. ad umbilicum productus anno ejuſdem 400. ſed Ben-Majemon in compendium redegit Thalmud, & ſcripſit anno 1150, & habetur ſecundo loco poſt Biblia, et tantæ eſt auctoritatis, ut Thalmud.

Thalmud ſive Hieroſolymitanum, ſive Babylonicum, ultra 6
infinitas ineptias, abuſiones erroneas, et ſtultitias inauditas, continet tacite, vel expreſſe innumerabiles hæreſes, ſeu errores contra veteris, ac novæ Legis Scripturas, nec non contumelioſas impietates, et blaſphemias contra Deum, Sanctiſſimam Trinitatem, Salvatorem noſtrum, Beatiſſimam Virginem, Beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, alioſque Sanctos Dei, Sanctiſſimam Crucem, Sacramenta novæ Legis, ſacras Imagines, ſanctam Catholicam Eccleſiam, Sedem Apoſtolicam, Chriſtianam Religionem, ac Chriſtianos, ac plurima alia deliramenta, quæ videri poſſunt apud Sixtum Senenſem *libr. 2. tom. 1 Bibliothecæ Sacræ*, Iſidor. Epiſcop. Hiſpal. *lib. contra Judæos n. 49.* Marquard. *de Judæis p. 3 cap. 1 n. 49 inter Tract. magn. tom. 14* & plura ejuſdem libri capita affert Pignatell. *cit. t. 5 conſult. 14 n. 11* quæ referuntur ſub verb. *Hebræus a n. 38.*

Hujus impii, nefandique Thalmud fere infinita volu- 7
mina in tota Gallia reperta, fuerunt Pariſiis juſſu Gregorii IX. Summi Pontificis, & auxilio Regis Galliæ tunc S. Ludovi-
ci anno circiter 1239. igne combuſta. Hoc idem quo ad 8
combuſtionem Thalmudicorum voluminum ſtatuerunt Inno-
centius IV. Clemens IV. Honorius IV. & Joannes XXII. In 9
Italia quoque Julius III. anno 1553. cum Feſta Tabernaculorum

(a) Nota. Circa Teſtes in ordine ad dicendam veritatem Judici legitime interroganti, abſque ulla mentali reſtrictione, vide quæ Tom. 1. hujus Bibliothecæ verb. *Accuſatus*, poſt n. 43. adnotavimus.

rum a Judæis menſe Septembri celebrarentur, per omnes Urbes Thalmudica volumina inquiri, & comburi juſſit. Deinde Paulus IV. per Decretum Supremæ Inquiſitionis anno 1559. eorumdem Thalmudicorum voluminum perquiſitionem, & combuſtionem fieri mandavit, ſicque fecere Sanctus Pius V. anno 1566. & Gregorius XIII. ſtatuentes, ut ab Inquiſitoribus procedatur contra Judæos hujuſmodi volumi-
10 na retinentes. Et poſtremo Clemens VIII. Conſt. 20. incip. *Cum Hebræorum*, omnes præcedentes circa Thalmudicos libros prohibitiones approbans, omnibus tum Judæis, tum Chriſtianis eos retinere, aut quovis modo uti vetuit, etiam ſub prætextu expurgationis factæ, aut faciendæ, revocans quaſcumque licentias ad id obtentas a quibuſcumque etiam a Nunciis Apoſtolicis, aut de Latere Legatis, ac prohibens in futurum quibuſcumque concedere facultas eos retinendi, legendi, deferendi, emendi, vendendi, aut de novo excudendi. Iterum jubendo, ut infra duos menſes a die publicationis eos retinentes locorum Ordinariis, ſive Inquiſitoribus deferrent, ab his ſtatim comburendos, indicta contra tranſgreſſores Hebræos pœna amiſſionis librorum, publicationis bonorum, aliiſque gravioribus, etiam corporis afflictivis ar-
12 bitrio Ordinariorum, aut Inquiſitorum. Et contra Chriſtianos ultra præfatas pœnas Excommunicatione latæ ſententiæ etiam impoſita.

13 An autem Excommunicatio lata contra Chriſtianos legentes, aut retinentes libros Thalmudicos ſit reſervata Summo Pontifici; dubitant Doctores; Quoad Excommunicationem enim appoſitam per bullam Pii IV. *in Indice librorum prohibitorum* poſſunt abſolvi a proprio Confeſſario, ut recenſendo tenorem ipſius Excommunicationis ab altera impoſita in bulla Cœnæ Domini docent Suarez *de Fide diſp.* 20 *ſect.* 3 *n.* 39. Becanus *de Fide cap.* 15 *q.* 8 Delbene *de offic. Inquiſit. part.* 1. *dubit.* 46 *per. num.* 5, *& ſeq.* Bonacina *t.* 3 *de Cenſur. in Bulla Cœnæ diſp.* 1 *q.* 2 *punct.* 4 *n.* 2 Card. Petra *l.c. n.* 13 ubi ſubjungit, quod nec etiam poteſt dici, quod incurratur Excommunicatio lata in bulla Cœnæ, quia procedit contra legentes libros Hæreticorum, & ſic non comprehendit illos Judæorum, & firmat idem Delbene *dub.* 36 *in Corol. n.* 1 2, *&* 6. Bonacina *cit. diſp.* 1 *q.* 2 *punct.* 4 *n.* 21 Unde idem Petra recte concludit, quod cum in Coſtitutione Clementis VIII. *nulla* adſit reſervatio Cenſuræ, non videtur, quare poſſit dici reſervata; Sicque ſolum elicitur talis reſervatio quoad ferentes, vel auxilium præſtantes Hebræis, ut dictos libros habeant, quia, cum ex eadem Conſtitutione iſti incurrant pœnas fautorum Hæreticorum, proinde incurrunt etiam Excommunicationem contentam in Bulla Cœnæ. Hactenus erudite ſuo more Eminentiſſimus Petra *l.c. nu.* 13 *&* 14 Vide verb. *Libri prohibiti num.* 28.

### *Additio Noviſſima.*

LOnge a veritate aberrat Ferraris noſter in taxanda Thalmudis Epoca; præterquamquod Miſna cum Thalmud, itemque Thalmud utrumque Hieroſolymitanum cum Babylonio confundit. Quoniam vero meum non eſt nunc Cronologum, aut Hiſtoricum Litterarium agere Lectores remitto ad *Rabbinicas Bibliothecas* Bartolocci, & Wolfii. Illud autem, de quo Lectorem eumdem admonendum eſſe cenſeo, eſt, quod etſi Corpus thalmudicum multis, ac fere innumeris refertum ſit fabellis, nugis, contradictionibus, erroribus, vel etiam blaſphemiis, quarum ampliſſimum catalogum elaboravit prædictus Bartolocci *Tom.* 3. *a pag.* 359. *ad pag.* 663., ac propterea jure in illud animadverſum ſit, diriſque flammis devorandum traditum: negari tamen nequit, quin multa adhuc in eodem reſerventur divinarum ſcripturarum explanationi, rectæque earumdem intelligentiæ, perquam utilia, necnon antiquæ, genuinæque traditiones Iſraeliticæ gentis, tum argumenta adverſus Judæorum pervicaciam, & quod maxime eſt notandum; Catholicæ Eccleſiæ apologia adverſus hujus temporis hæreticos. Abſtinere omnino nequeo ab adducendis nonnullorum Clariſſimorum Virorum teſtimonia, & judicia de eodem Thalmud. Illuſtriſſimus Boſuetius in admirabili ſuo Opere, cui titulus: *Diſcours ſur l'hiſtoire univerſelle*, *part.* 2. hæc ſcripta reliquit: *Habent* (Judæi) *opus ab iis appellatum Thalmud, ideſt*, doctrina, *quod æquali cum ſacra ſcriptura veneratione proſequuntur. Antiquorum eorum Magiſtrorum tractatus, atque ſententias in unum collectas complectitur; & quamvis partes ſingulæ, quibus magnum hujuſmodi Opus conſtat, eadem minime potiantur antiquitate; poſteriores tamen; qui inibi referuntur, auctores, priora Eccleſiæ ſæcula attigere. Hac autem in collectione, inter innumeras, indecenteſque fabellas, quarum pleræque evulgatæ conſpiciuntur poſt Chriſti adventum, quædam occurrunt vetuſtiſſimarum traditionum lipſana hæbraicæ gentis, probationeſque, quibus facile redarguatur.* Idem eſt judicium quod de eodem Thalmud noviſſime efformavit Clar. Abbas Houtteville in egregio Opere adverſus Incredulos edito, *tom.* 1. *diſcours critique pag.* 148. *Generatim*, inquit, *de Thalmud loquendo, magnum hoc Opus reſidua quædam prætioſa continet veterum Judaicarum traditionum, a quibus adjutorium poſtulari poſſe recognoſco ad Sacrarum Scripturarum intellectum. . . . Neque aſſerere vereor, quia in ea Tractatuum, ſententiarumve caterva, quibus compactum eſt, talia reperiantur, ut ſi quis ea ſeligere apprime norit, invictiſſima ex iis elaborare poſſit argumenta pro Eccleſia cum Judæis diſceptaturus.* Præiverat Claudius Fleurii; *Diſcours ſur l'Hiſtoire Eccleſiaſtique*, V. *diſcours* §. V.

Heinc mirum non eſt, ſi Raymundus Martini dominicanæ familiæ ſec. XIII. ſplendidiſſimum ornamentum in Proemio eximii, ſingulariſque Operis *Pugionis fidei, n.* V. profiteatur; *Secundaria vero* (materia hujus Pugionis erit) *quædam traditiones, quas in Thalmud, & Midraſchim, ideſt Gloſſis, & traditionibus antiquorum Judæorum reperi, & tamquam Margaritas, quaſi de quodam maximo ſimario ſuſtuli non modice lætabundus.* Quod & fideliter præſtitit pius, doctuſque Vir maximo cum Eccleſiæ emolumento, adeo ut, omnes quotquot in poſterum Chriſtianam Religionem adverſus Judaicam perfidiam vindicare aggresſi ſunt; a Raymundo arma commodarint. Eamdem & ipſe Spartam ſecutus quantocius, nedum adverſus Judæos, verum etiam adverſus Eterodoxos hujus temporis, Eccleſiæ Catholicæ dogmata propugnabit thalmudicis, cæteriſque Judaicis traditionibus in cæno Rabbinicorum voluminum involutis V. C. Abbas D. Bernardus Poch.

## THEOLOGIA, THEOLOGUS.

THeologia eſt Divinarum rerum ex iis, quæ revelata ſunt, Sacra Doctrina; *Eſt in re communis.* 1

Theologia eſt quintuplex, ſcilicet Poſitiva, Aſcetica, Polemica, Scholaſtica, Moralis; *Sic Doctores Communiter.* 2

Theologia *Poſitiva* eſt, quæ in ſenſu Scripturæ, Traditionum, Decretorum Pontificiorum, & Definitionum Conciliorum explicando occupatur, uti eſt Theologia Sanctorum Patrum, & aliorum Sacræ Scripturæ, ac Sanctorum Canonum Interpretum, & ideo dicitur *Poſitiva*, quia ponit fundamenta pro coſtruendis argumentationibus Theologicis; ejus præcipua functio eſt interpretari Sacras Scripturas, Traditiones, ac Sacros Canones. 3

Theologia *Aſcetica*, ſeu *Myſtica*, aut *Affectiva* eſt, quæ non tam rationis diſcurſu, quam ſimplici mentis intuitu affectuoſe res divinas contemplatur, & ſapit, & ideo non ſolum intellectum illuminat, ſed præſertim voluntatem inflammat, & dicitur *Aſcetica*, quia potiſſimum docetur in Aſceteriis Religioſorum; ac ejus præcipua functio eſt tradere Doctrinas ad perfecte virtutes conſequendas neceſſarias, & docere veram pefectionem Chriſtianam. 4

Theologia *Polemica*, ſeu *Dogmatica*, aut *Theoretica* eſt, quæ Fidei dogmata, & Myſteria Fidelibus exponit, & contra Infideles defendit, & dicitur *Polemica* a quodam verbo Græco, quod bellum ſignificat, quia tractat controverſias, & docet modum defendendi veram Fidem, & expugnandi Hæreſes. Et ejus præcipua functio eſt proponere vera Fidei Myſteria fidelibus, ut confirmentur, & infideles convincere de erroribus, ut convertantur. 5

Theologia *Scholaſtica* eſt, quæ artificioſa methodo, et Syllogiſtice de rebus Divinis diſſerit ad differentiam Poſitivæ, quæ privata Sacrarum Scripturarum lectione, et exercitatione SS PP. comparatur. Et dicitur *Scholaſtica*, quia in Scholis traditur, et a Doctoribus Scholaſticis eſt inducta. Et ejus præcipua functio eſt deducere concluſiones certas ex principiis partim Fidei, et partim luminis naturalis. 6

Theologia *Moralis* eſt, quæ de rebus ad mores pertinentibus in ordine ad ſalutem concluſiones proponit, eaſque argumentis facilioribus declarat, et confirmat. Et dicitur *Moralis* quia Mores ad Fidei Chriſtianæ regulam ordinat; Et ejus præcipua functio eſt actus humanos, ſeu morales hominum dirigere, et ad id explicare, et reſolvere caſus conſcientiæ. 7

Theologia ratione ſubjecti, in quo recipitur, dividitur in 8
Theologiam Dei; in Theologiam Beatorum, et in Theologiam Viatorum. *Theologia Dei* eſt, quæ immediate innititur lumini ſupernaturali, increato, nempe intellectui Divino. *Theologia Beatorum* eſt, quæ innititur lumini ſupernaturali creato clare, et evidenter manifeſtativo, nempe viſioni beatificæ. *Theologia Viatorum* eſt, quæ innititur lumini ſupernaturali creato, ſed obſcuro, nempe Fidei. Theologia Dei eſt comprehenſiva, Theologia Beatorum eſt intuitiva, Theologia Viatorum eſt diſcurſiva.

Theologia ratione objecti, circa quod verſatur, dividitur
9 in Theologiam neceſſariorum, et in Theologiam contingentium. *Theologia neceſſariorum* eſt, quæ reſpicit veritates neceſſarias; ut Unitatem Dei in Eſſentia, Trinitatem in perſonis, Infinitatem in ſuis Attributis, ſeu unico verbo eſt, quæ reſpicit Deum ad intra. *Theologia contingentium* eſt, quæ reſpicit veritates contingentes, ut Creationem Mundi, Incarnationem Divini Verbi, Creaturas, quas Deus libere vel creat, & moderatur in ordine Naturæ; vel vocat, & juſtificat in ordine gratiæ; vel beatificat, & coronat in ordine gloriæ, ſeu unico verbo eſt, quæ reſpicit Deum ad extra.

Theologiæ objectum eſt omnis veritas aliquo modo ad
10 Deum pertinens, & deducibilis ex revelatis, reductive autem, & ultimate eſt ipſe Deus; Et hoc clare patet tum ex ipſius nomine: vocatur enim Theologia, ex quo ſit ſcientia, vel ſermo de Deo; & tum ex hoc, quod omnia, de quibus agitur in Theologia, directe, vel indirecte ipſum Deum reſpiciant.

Theologia Dei non eſt proprie ſcientia; Ad rationem
11 enim ſcientiæ requiritur diſcurſus, ſeu progreſſus a minus notis ad notiora; Deus autem omnia unico actu clariſſime intelligit. Theologia Beatorum de neceſſariis eſt ſcientia; Ha-
12 bet enim omnes conditiones ad ſcientiam requiſitas, & etiam diſcurſum, de quo majus eſt dubium, quia Beati ex Scoto prius ſaltem natura intelligunt quidditatem rei, quam proprie-
13 tates. Theologia Viatorum non eſt proprie ſcientia: Deficit enim ipſi evidentia, cum nitatur in Fide, quæ eſt obſcura; Poteſt tamen dici ſcientia lato modo, ſumendo ſcientiam pro cognitione ita certa, ut ipſius certitudo æquipolleat evidentiæ, ut habetur ex Scoto *q.* 3 *Prolog.*

14 Theologia in ſe, & in quocumque intellectu eſt ſapientia; ſepoſita tamen evidentia in intellectu Viatorum; Eſt enim cognitio rerum altiſſimarum, nempe Dei, & Divinorum, quæ habetur per rationes altiſſimas, ſcilicet per Fidem in intellectu Viatorum, per lumen gloriæ in intellectu Beatorum, & per eſſentiam Divinam in intellectu Dei; Quod eſt proprium Sapientiæ, quæ definitur, quod ſit notitia rerum Divinarum per altiſſimas cauſas.

16 Theologia Dei non eſt practica, ſed ſpeculativa; Ipſa enim non eſt regulativa, cum intellectus Dei nequeat regulare Divinam voluntatem, ex quo ipſa ſit ſumme recta, & regula omnium, nec poſſit habere malos actus, adeoque non eſt regulabilis, & conſequenter Dei Theologia nec eſt regu-
17 lativa, nec practica. Theologia autem beatorum, & Viatorum eſt practica: Operatur enim circa objectum ipſum diligendo, nec manet in ſola contemplatione Dei, ſed excitat voluntatem ad Deum amandum, & ſic dirigit praxim: Et hæc aliqualis breviter de Theologia perſtricta notitia ſufficiat. Reliqua de ea, tum Poſitiva, tum Aſcetica, tum Polemica, tum Scholaſtica, tum Morali relinquendo videnda apud ſuos reſpective Auctores, qui fuſe ad rem integra volumina ediderunt.

18 Hic juvat addere, quod in noſtro Minoritico Ordine primus omnium legitime Sacram Theologiam interpretatus eſt S. Antonius de Padua cum facultate ut ſequitur S. P. noſtri

Chariſſimo meo Fratri Antonio

*Frater Franciſcus in Chriſto ſalutem.*

Placet mihi, quod Sanctæ Teologiæ Litteras Fratribus interpreteris; ita tamen, ut neque in te, neque in ceteris (quod vehementer cupio) extinguatur ſanctæ orationis ſpiritus juxta Regulam, quam profitemur. Vale.

Recepta hac Seraphici S. Patris Patantali facultate primam Cathedram Scholaſticæ Doctrinæ aperuit S. noſter Antonius in noſtro Fratrum Minorum Ordine, eamque docuit in Alma ſtudiorum Matre Civitate Bononiæ, ac in aliis Galliæ, & Italiæ Civitatibus, & poſtremo in Civitate Paduæ, ubi glorioſum, ac miraculoſum vitæ ſuæ curſum complevit; & pro innumerabili miraculorum multitudine, nondum a ſuæ glorioſæ mortis tranſacto anno (quod mirum eſt) a Gregorio IX. plaudente Urbe, & Orbe in Civitate Spoleti (ubi tunc aderat Romana Curia) Sanctorum Faſtis omni cum ſolemnitate fuit adſcriptus. Sic P. Petrus Antonius de Venetiis in Viridario Seraphico italice conſcripto *tom.* 2 *c.* 2 *p.* 9 aliique apud Wadingum ad *annum* 1222. & habetur in Opuſculis ejuſdem S. P. Franciſci *tom.* 1 *Epiſtola tertia.*

Quo ad ea, quæ concernunt Theologum. Vide verb. *Canonicus art.* 9. *a num.* 1. *uſque ad numer.* 44. ubi abunde de omnibus. 19

## THESAURUS S. M. ECCLESIÆ.

Vide verb. *Indulgentia art.* 1. *a n.* 4.

## THESAURUS.

Vide verb. *Dominium art.* 3. *a n.* 26. *a n.* 45.

## THURIFICATIO.

THurificatio juxta formam Cæremonialis cum unico tantum Thuribulo eſt facienda. *S.C.R. in lucerina* 21 *Julii* 1618 apud Aldan. *in Compendio Canonicarum reſolutionum lib.* 1. *tit.* 9. *n.* 34. & Barboſ. *in Summ. Apoſtolic. dec. verb. Thurificatio n.* 1. Uſus enim duorum thuribulorum non probatur. *S.C.R. in Alexandrina* 15 *Martii* 1608 *in reſponſ. ad* 2. *dub. & in dict. Lucerina* apud Aldan. *l. c. n.* 36 & Barboſa *l. c. num.* 2. 1 2

Thurificationis munus eſt Diaconi, qui etiamſi ſit ex Dignitatibus, vel Canonicis, poſt incenſatum Epiſcopum, debet alios Prælatos, ſi adſint, Magiſtratum Sæcularem, Dignitates, & Canonicos incenſare; Manſionarios vero, & alios Capellanos, alius Capellanus, ſeu Magiſter Cæremoniarum pro Eccleſiæ conſuetudine incenſare debet. *S. C. in Lucen.* 10 *Julii* 1600 apud Aldanum *l.c. n.* 37. Barboſ. *loc. cit. num.* 3. 3

Thurificatio debetur Canonicis paratis ante Vicarium generalem. *S.C. Rit. in Egitanien.* 3 *Auguſti* 1602 *& in Tiburtina* 6. *Martii* 1610 apud Barboſ. *l.c. n.* 10 *& tract. de Canonicis c.* 18 *n.* 29. 4

Thurificatio debetur prius Canonicis Cathedralis, & Collegiatæ, quam Gubernatori, & Officialibus. *S.C.R. in Complen.* 28 *Januar.* 1612 apud Sellium *in Selectis Canonicis cap.* 16 *n.* 23 & Barboſa *l. c. n.* 11 Vide tamen *infra a numer.* 32. *ad* 39. 5

Finito Evangelio Miſſæ ſolemnis, cui aſſiſtit Epiſcopus cum Cappa, thurificandus eſt celebrans, non vero Epiſcopus. *S.C.R.* 4 *Auguſti* 1663 apud Pitonum *Conſt. ad Canonicos num.* 720. 6

Thurificatio in Eccleſia Collegiata exempta, præſente Epiſcopo cum Canonico Eccleſiæ Cathedralis, et Abbate cum Canonicis dictæ Eccleſiæ Collegiatæ, debetur primum Epiſcopo triplici ductu thuribuli, et poſt Epiſcopum immediate Canonico Cathedralis Eccleſiæ duplici ductu, deinde Abbati etiam duplici ductu. *S.C.R. in Alexandrina S. Petri in Bergolio* 7. *Februarii* 1604. apud Barboſa *l.c. n.* 12 *& tract. de Canonicis cap.* 34. *n.* 32. Et iterum in Decretis Generalibus 22. *Septemb.* 1659. §. 15. ibi: *Epiſcopus præterea trino ductu, & immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas* (*niſi celebret*) *pariter duplici, ac ſubinde Canonici, vel Monachi Abbatialis Eccleſiæ unico tantum ductu thurificentur.* Vide verb. *Abbas*, ubi dantur Decreta per extenſum. 7

Canonicis Collegiatæ thurificatio debetur ante Rectores, & Beneficiatos aliarum Eccleſiarum Parochialium, etiam quando in eorum propriis Eccleſiis ſimul Divinis interſunt, nec eſt hujuſmodi Cæremonia aliquo prætextu omittenda, ſi ex conſuetudine fieri ſolet. *Sacra Congr. Rituum in Calaguritana* 1 *Junii* 1601 Apud Aldan. *l.c. n.* 40 Barboſa *loco citat. num.* 23. 8

Turificatio debetur duplici ductu thuribuli Canonicis Collegiatæ; Clericis vero Parochialium Eccleſiarum unico ductu. *S. C.R. in Cæſaraugustana de Daroca* 19 *Januarii* 1613. apud Barboſ. *l.c. numer.* 14 *& tract. de Canonicis cap.* 18. *num.* 66. 9

Thurificatio debetur duplici ductu Portionariis, & aliis Benefi- 10

reficiatis, ſicut & Canonicis, quando tales Portionarli, & Beneficiati in reliquis omnibus, & per omnia æquiparantur Canonicis, & æqualiter incedunt in Proceſſionibus, & ſedent in æqualibus ſcamnis, non obſtante Cæremonialis Libro, qui intelligitur, quando non adſunt Presbyteri, qui ſunt omnino æquales Canonicis. S.C.R. in dicta Cæſarauguſtana de Daroca 21. Martii 1615. apud Barboſa l.c. n.25. & tract. de Canonicis cap.34 n.34.

11 Dignitatibus hinc inde diſtributis in choro debent incenſari eæ cum Canonicis ab una parte, deinde aliæ cum aliis Canonicis ab altera parte; Non vero omnes Dignitates ſimul ante omnes Canonicos. Sacr. C.R. apud Gavant. in Manal. Epiſcop. verb. Miſſa Conventualis in addit. n.3, apud Piton. Conſt. ad Canonicos n.123.

12 Aſſiſtentes Epiſcopo, licet ſint minus digni, ratione aſſiſtentiæ ante Dignitates thurificantur, & recipiunt pacem; S.C. Rit. in Brachar.19 Jun. 1608. apud Barboſa tract. de Canon. cap.33 n.15 & 16 & Piton. l.c.n. 140.

13 Archidiaconus, qui ſuſtinet baculum Epiſcopi, dum celebrat ſolemniter, thurificandus eſt immediate poſt Diaconos aſſiſtens; S.C. in dict. Brachar. 19 Jun.1608. apud Barb. tract. de Canonicis c.5. n.52 et c.33 n.22.

14 Aſſiſtens Presbyter, ſive Dignitas ſit, ſive Canonicus, thurificare debet Epiſcopum, non Diaconus Evangelii; S. Rit. Congreg. in Placentina 19. Maji 1607. apud Barboſ. tract. de Canonicis cap.33 n.17 & Pitonum l.c. n.207.

15 Thurificatio non debetur Epiſcopo a Canonico, vel Dignitate aſſiſtente genibus flexis, ſed ſtante; S. C. Rit. in Oſcenſi apud Barboſ. in Summ. l.c.n.4 et tract. de Canonicis Cap.33 n.29 & Aldan. l.c, n.38.

16 Thurificatio cum triplici ductu Thuribuli, unico tantum, & digniori, ideſt Epiſcopo convenit; S. C. Rit. in Vintimil. 11 Decemb. 1604 et in Civit. Ducal.11. Nov.1614 apud Barboſa l.c. n.5 et tract. de Canonicis Cap.34 n.26 & Piton. l. c. num.281.

17 In abſentia vero Epiſcopi thurificatio fieri debet Celebranti triplici ductu juxta Regulas Cæremonialis; S.C. Rit. in Patavina Plebis Sacci 9, Maji 1606 et in Comen.Valutiæ 30. Januarii 1616 apud Piton. l.c. n.281 & Barboſa l.c. n.6
18 Dignitatibus autem, & Canonicis Cathedralium in ſuis Eccleſiis duplici, cæteris vero de Choro unico ductu thurificatio debetur; Ead. S. C.R. in dict. Patavina, & Comenſi apud Piton. l.c. & Barboſa l.c. n.7

19 Unde thurificatio duplici ſolum ductu debetur Dignitatibus Cathedralium, niſi firmiter probetur immemorabilis, quod triplici ductu thurificentur, abſente Epiſcopo; S. C. Rit. in Caſertana 16 Septemb.1632 apud Barboſa l.c. n.8 & tract. de Canonicis c.34 n. 31

20 Thurificatio non debetur Canonicis ab Epiſcopo celebrante; S.C.R. in Vladiſtanien. 2. Martii 1613 apud Sellium in Selectis Canon. cap.16 n.22 Barboſa l. c. n.9

21 Thurificatio duplici, non autem triplici ductu debetur Vicario Generali ſedenti in Choro, licet ſupra Canonicos, & ſit Prælatus; S.C. Rit. in Nepeſina 14. Januar. 1617 apud Barboſa l.c. n.16 & tract. de Canonicis c.34 n.29

22 Turificatio debetur Magiſtratui poſt Canonicos æquis ductibus; S.C. Rit. in Interamn. 29 Junii 1660 & in Faventina eadem die & anno apud Aldan. l.c, n.41 Barboſa l. c, num.17 Nam Canonici ante Magiſtratum thurificandi ſunt, tam in Eccleſia Cathedrali, quam in aliis, in quibus ſimul convenerint, ubi talis eſt conſuetudo; S.R.C. in Narnien. 15 Junii 1605 apud Barboſa loc. c. n.17 & tract. de Canonicis cap.18 num. 75.

23 Thurificatio a Presbytero celebrante non eſt præſtanda Domino loci, nec aliis; S.C. Rit. in Calaguritana 5 Julii 1614 apud Aldan. l.c. n.42 & Barboſa l.c. n.18

24 Circa thurificationem autem Baronis Domini loci ſervanda eſt conſuetudo; S.R.C. in S.Agathæ 17 Novemb.1607 apud Sellium in Selectis Canonicis cap.56 n.58 & Barboſa in Summ. Apoſtol. dec.verb.Conſuetudo circa thurificationem n. 5.

25 Curatus, ſive rector Eccleſiæ Parochialis tamquam caput Eccleſiæ thurificandus eſt ante Dominum Loci; S. C. R. in Turritana 7 Auguſti 1610 apud Sellium l. c. cap.71 n.20 & Barboſa l.c. verb. Curatus n.12

26 Diaconus Evangelii debet thurificare Chorum, nec ab eo munere excuſatur ſub prætextu contrariæ conſuetudinis, Sac. Congr. Rit. in Alexandrina 15. Martii 1608 in reſp. ad dub. apud Aldan. l.c. tit.9 n.35 & Barboſa l. citat. verb. Diaconus num.4.

Diaconus debet incenſare Canonicos, & alios, non tamen Manſionarios; Sac.C. Rit. in Lucerina 20 Aprilis 1620 apud Aldan. l.c. n.34 & Barboſam l.c. n.3 27

Diaconus non debet dare pacem Laicis, nec Domino Loci; S.C.R. 5 Julii 1614. apud Gavan. in Rubricis Miſſalis p.2 tit.10 n.8. verſ.Ordo, & Barboſam l.c. n.6 28

Conſuetudo, ut Vicarius Generalis thurificetur ante Canonicos, ſervanda eſt, ſive qui thurificat, ſit Canonicus, ſive Acolythus; S.C.R. in Alexandrina 15 Martii 1608 apud Sellium l.c. cap.56 n.53 & Barboſam l.c. verb. Conſuetudo circa thurificationem n. 1 29

Conſuetudo loci, vel Eccleſiæ ſervanda eſt, ut Vicarius Generalis ſit thurificandus, & debeat accipere Candelam, Cinerem, Palmam, & adorare Crucem ante, vel poſt Capitulum; S.C.Rit. in Neocaſtr. 16 Januarii 1607 apud Sellium l.c. cap.56 n.54 Barboſa l.c. n.2 30

Conſuetudo, ut Manſionarii ab una parte thurificentur immediate poſt Canonicos ejuſdem partis, antequam thurificentur Dignitates, et Canonici, qui ſedent ab alia parte Chori, non eſt ſervanda; S.C.R. in Placentina 19 Maji 1607 in reſponſione ad dub.3 apud Sellium l.c. Cap.56 n. 57 et Barboſam l.c. n.4. 31

Conſuetudo, ut Gubernator thurificetur immediate poſt Epiſcopum, ſervanda eſt; S.C.R. in Alexandrina 15 Martii 1608 in reſponſ. ad dub.4 apud Sellium l.c. c.56 n.59 Barboſa l.c. n.6. 32

Conſuetudo incenſandi Gubernatores Civitatum Sedis Apoſtolicæ, qui ſunt Referendarii, et Prælati, et utuntur Rocheto, ante Canonicos poſt Epiſcopum, ſervanda eſt; S.C. Rit. in Cæſenat.7 Decembr.1601 apud Sellium l,c. c.56 n.60 et Barboſam l. c. n.7. 33

Conſuetudo, quod gubernator Status thurificetur, et habeat pacem ante Rectores, et Curatos Eccleſiarum, ſervanda eſt; S.C.R. in Gotian. in Sardinia 5 Julii 1615 apud Sellium l.c. c.56 n.61 Barboſ. l.c. n.8. 34

Conſuetudo laudabilis, quod Gubernator non thurificetur, nec oſculetur Librum Evangelii, nec habeat pacem immediate poſt Epiſcopum, ſervanda eſt; S.Cong. Rit. in Tullen.2 Auguſti 1603 apud Sellium loc. citat. n.62, Barboſam l. cit. numer.9. 35

Gubernator Protonotarius cum habitu Prælatitio, ideſt Rocheto, et Mantelletta, Divinis aſſiſtens thurificandus eſt ante Canonicos immediate poſt Epiſcopum; S.C.R. in Faventina 5 Julii 1603 apud Aldan. l.c. tit.16 n.64 et Barboſam l.c. verb. Gubernator n.10. 36

Gubernator digniſſimus, et perpetuus, thurificandus eſt immediate poſt Epiſcopum, et ante Canonicos, etiam paratos; S.C.R. in Alexandrina 15 Martii 1608 in reſponſ. ad dub. 4. apud Sellium l.c. cap.27 n.33 Barbosam l.c. verb. Gubernator n. 11. 37

Gubernator Civitatis etiam non Prælatus thurificandus eſt immediate poſt Canonicos aſſiſtentes ante alios Canonicos; abſente vero Epiſcopo, immediate poſt Vicarium Generalem; Sacra C.R. in Faventina 9 Maji 1606 & in Fanen. 1 Septemb.1607 apud Sell. l.c. cap.27 n.35 Barboſ. l. c. num.12. 38

Etiamſi Gubernator ſi uxoratus; Ead. S. C. in Faventina 17. Novemb.1607 apud Sell. l.c. cap.27 num.36 Barboſ. l.citat. num. 12. 39

Gubernator Civitatis thurificandus eſt duplici, & non triplici ductu Thuribuli; S.R.C. in Civitatis Ducalis 11 Novembris 1614 apud Sellium citat. cap.27 num.38 Barboſ. l. cit. num. 15. 40

Quoad turificationem triplicis ductus licet per Regulas Cæremonialis debeatur ſoli Epiſcopo, vel Celebranti; Nihilominus ſi adeſt immemorabilis conſuetudo, quod alii pariter thurificentur triplici ductu, ea omnino ſervari debet; S.C. Rit. in Caſertana 18 Septemb. 1632 apud Piton. Conſt. ad Canonicos n.957. 41

Dignitatibus in Choro non debetur thurificatio triplici; ſed duplici tantum ductu, non obſtante quod ibi amiſſis diſtributionibus, perſona, quæ habet Dignitatem, incederet cum Rocheto, & habitu Protonotarii, ut reſpondit S.C.R. contra Præpoſitum Eccleſiæ Inſulanæ 21 Martii 1699 apud Monacel. t.4 ſupplem. ad 2 tom. n.18. 42

Thurificatio cum triplici ductu, nec debetur Vicario Apoſtolico; S.C. Epiſc. in Melphien. 28 Auguſti 1589 apud eumdem n.19. 43

Neque primæ Dignitati Eccleſiæ Collegiatæ S. Mariæ in Coſmedin Urbis; Congregatio deputata trium Cardinalium 44



die 4. Septemb.1705 in reſponſ. ad dub.31 apud eumdem Monacell. l.c. n.20.

45 Thus, & Pax Domino Loci debet dari juxta formam libri Cæremonialis; S.C.R. in Strongol.4 Martii 1606.apud Sellium in Selectis Canon. c.17 numer.29. & Barbol. l. cit. verb. Pax num. 6.

46 Mulieribus non datur thus, & pax inter Miſſarum ſolemnia; S.C.R. in Pacen. 28 Januarii 1612 & in Lucerina 3 Junii 1617 Et an aliquando debeat dari; remittitur arbitrio Epiſcopi. Eadem S.C. in d.Pacen.28 Januarii 1612 apud Sell. l.c. n.11 et cap.51 num.17 Barboſ. l.c. verb. Mulier n.5 & verb. Pax n.8 Non debere autem dari niſi Regnis, et magnis Principiſſis, non obſtante conſuetudine contraria, decrevit eadem Congr. in Larinen. 9 Decem. 1702 apud Monacell. ſupplem. ad 3 tom. n.4.

47 Canonici, et Beneficiati, ac Magiſtratus in Veſperis quando aſſiſtunt Beneficiati cum Pluvialibus, thurificandi ſunt per aliquem ex dictis Beneficiatis aſſiſtentibus Pluviali indutis. S.C.R. in Turritana 5 Jul. 1631 apud Piton. Conſt. ad Canon. num.5V4.

48 Canonicus Locumtenens Epiſcopi debet in Choro ſedere in loco ſuæ receptionis in habitu Canonicali, nec ei competit Pacis, et Thuris honor ante Dignitates, et non lucratur diſtributiones, niſi ſedeat in ſuo Stallo cum habitu Canonicali. S.C.R. in Hidruntina 10 Novemb. 1612, apud Piton. l.c. n.264 et Barboſa tract. de Canon. c. 38 n.40.

49 Prior Collegiatæ, ſi in Cathedrali præſens fuerit ſimul cum illius Dignitatibus et Canonicis duplici ductu thurificandus eſt, quamvis nullam habeat præcedentiam ſupra Canonicos Cathedralis, S.C.R. in Tuſcanenſi 19 Auguſt.1619 apud Pitton. l.c. n.356 & Barboſa tract. De Canonicis cap.11 numer.8 & 9.

50 Tam Dignitates, quam Canonici a latere digniori Chori ſedentes prius thurificandi ſunt, quam Dignitates, & Canonici qui ſedent a latere Chori minus digno. Sac. Rit. Congreg. in Benevent.5. Dec. 1648.

51 In Feria VI. Paraſceves thurificanda ſunt Oblata; ſed poſt thurificationem Oblatorum, non eſt iterum thurificandum SS. Sacramentum, ob cujus tamen præſentiam non eſt omittenda thurificatio Crucis; ſed Crux, & Altare thurificanda ſunt eo prorſus modo, quo fit in aliis Miſſis, non omiſſis debitis genuflexionibus, tranſeundo ante SS. Sacramentum. Sac. Rit. Cong. in Panormit.5. Jul.1698.

52 Reliquia SS. Crucis non eſt incenſanda a celebrante genuflexo. Sac. Rit. Congr. in Brixien. 15. Septemb. 1536. ubi etiam ſtatuit, quod non eſt genuflectendum a Capitulo, & Clero proceſſionaliter tranſeuntibus ante Altare, in quo recondita eſt ipſa Reliquia SS. Crucis; Et quod poſt expoſitionem dictæ Reliquiæ SS. Crucis, vel poſt ejus delationem in Proceſſione, benedicendus eſt populus cum ipſa.

53 Thurificatio non debetur Laicis a Diacono Parato, vel Beneficiato, ſed a ſolo Clerico cotta induto, ut ſæpe reſolvit Sac. Congregat. Rit., & ſignanter in Pacen. 21. Mart. 1609. & in Calagurit. 5. Jul.1614. teſte Pignatell. tom. 1. conſult.7. num.30., & Urſaya t.2. diſceptat.7. num.12.

54 Diaconus miniſtrans thus Canonico celebranti, ut benedicat, debet dicere Benedicite Pater Reverende, & non Pater Reverendiſſime. Sacr. Congregat. Rit. 4. Apr. 1699. Si autem celebrans ſit Epiſcopus, debet dicere Pater Reverendiſſime ex Cæremon. Epiſcop. lib.1. cap. 23. Et nonnulla Cæremonialia Regularium relata a Franciſco Maggio in lib. de Offic. Chori opuſc.4. diſquiſit. 13. præſcribunt etiam Abbatibus, Generalibus, ſeu Præpoſitis pariter Generalibus in tali circumſtantia debere dici a Diacono Benedicite Pater Reverendiſſime. Sic eruditiſſimum P. Merati tom.1. part.2. tit. 4. num.19. Si vero Celebrans ſit Cardinalis, dicit Benedicite Pater Eminentiſſime, ut tradit dict. Merati loc. cit.14. n.26. Sicut celebrante Summo Pontifice Pater Beatiſſime.

55 Facta de more a Celebrante incenſatione Altaris, Diaconus incenſet ipſum Celebrantem triplici ductu. Si autem in Preſbyterio adſit Epiſcopus Diœceſanus, Diaconus ipſum incenſabit triplici ductu, & Celebrantem duplici; Et ſi adſit Legatus, vel alii Cardinales, ipſi triplici ductu, & Epiſcopus, ac Celebrans duplici thurificantur; Cæremon. Epiſcop. lib.1. cap.23. Cæremon. Ordinis Minor. part.3. cap.2. Bongiovanni in Silva Sacrar. Cæremoniar. lib.3. cap.11., & lib.9. c.2. Merati tom.1. part.2. tit.7. num.73. poſt Gavant. ibid. litt.C. & alii paſſim. Et ſi adſint Epiſcopi exteri, vel alii Prælati, honoris gratia thurificantur immediate poſt Celebrantem triplici ductu, ſicuti & triplici ductu incenſabitur ipſe Celebrans; Cæremon. Ord. Minor. loc. cit. Merati loc. cit. Bongiovanni loc. cit., & alii; Quod tamen intelligendum eſt in abſentia ſuprad. Digniorum.

Cum Diaconus acceſſerit ad incenſandum Chorum, ſi ibi exiſtat aliquis ex prædictis, incenſabit modo dicto num. antec. Et ſi nullus dignior ibi exiſtat, & adſit P. Generalis, thurificabit eum triplici ductu. At ſic etiam ſi abſente Generali, adſit Provincialis, & ita abſentibus Generali, & Provinciali Prælatus localis, qui, ſive alius Prælatus, præſente Præſule majori, duplici tantum ductu thurificabitur. Cæremon. Ord. Minor. par.3. c.2. Bongiovanni lib.3. cap.11., & alii. Incenſato Prælato, Diaconus incenſabit Cantores paratos duplici ductu, deinde incenſabit Patres ſingillatim in prima, & ſecunda parte Chori duplici ductu, ſicuti ex ſupra allatis Decretis ſingillatim ſunt duplici ductu incenſandi omnes Canonici; Alios autem Fratres unico tantum ductu incenſabit; Et omnes in Choro incenſandi, ſtantes extra Stallum ſe mutuo invitare debent modeſta capitis inclinatione ad thurificationem prius recipiendam, itaut quilibet alium ſibi immediate ſubſequentem ſic reverenter præmoneat. Cæremon. Epiſcop. lib.1. cap.23. Gavant. tom. 1. part. 2. titul. 7. Rub.10. litt. C. Merati ibid. num.71. Biſſus litt.I. num.81. §.3. Bauldry part. 3. cap.11. num.18. Cæremon. Ord. Minor. part.3. cap.2. p.4. c.6. & 7. Bongiovanni lib.3. c.11. & lib.9. c.2. & alii. 56

Diaconus procedens ad incenſandum Chorum debet incedere manibus junctis, & capite detecto ex parte Epiſtolæ; Cæremon. Ord. Minor. part.1. cap.4. part.2. cap. 9. & parte 3. cap.2. Bongiovanni lib.3. cap.11. & alii. Ac debet incenſationem abſolvere antequam Præfatio incipiatur, quia Celebranti debet aſſiſtere, vel ſtare retro poſt eum; Cæremon. Ordin. Minor. part.2. c.9. num.7., & part. 3. cap. 2. num.10. Bongiovanni lib.3. cap.11. & alii, ac Rubrica Miſſalis 7. num.11. ubi expreſſe habetur; Cum dicitur Præfatio, Diaconus, & Subdiaconus, ſtant retro Celebrantem, & paulo ante priuſquam dicatur Sanctus, accedunt ad Altare &c. Et in eadem Rubrica 7. num.10. ſtatuitur ſic: Cum reddit thuribulum Diacono, dicit, Accendat in nobis &c. & incenſatur ab eo; Deinde Diaconus incenſat Chorum. Unde ſtat clarum, quod incenſatio Chori facienda eſt immediate poſt incenſationem Altaris, & Celebrantis, antequam incipiatur Præfatio, & non tempore quo canitur ipſa Præfatio; Et ſi tanta ſit multitudo Clericorum, & Religioſorum, ut incenſatio finiri non poſſit, antequam Præfatio incipiatur, tunc ſufficit incenſare ſeparatim Prælatum, & omnes paratos, ac illos, qui ſunt in ſedibus ſuperioribus; Reliqui autem inferiores brevitatis gratia poterunt incenſari ſine mora, itaut incenſatio ſit antequam incipiatur Præfatio, ut ſalvetur diſpoſitio Rubricarum, ut docet Bongiovanni loco citat. ex Cæremon. Ord. Minor. loco cit., & alii, & non paulo ante priuſquam dicatur Sanctus, ut tradunt Corſettus tract.1. cap. 11. nu.21. Merati loc. cit. num.71. Biſſus loc. cit. §.7. Baldus loco citat. num. 18. 57

Si Altare, in quo canitur Miſſa, longius diſtet a Choro, thuriferarius pro Diacono ad ipſum incenſandum ſe conferet; Niſi in Choro Superior aliquis præcipuus adeſſet, aut Magnus Præſul; quia tunc convenientius id præſtare debebit Cæremoniarius comitatus a Thuriferario. Cæremonial. Ord. Min. part.2. cap.9. num.4. Bongiovanni loc. cit. Alcozer, & Bauldry part.2. cap. 9. art.1. & alii. 58

Imperator, & Reges ante Epiſcopum triplici ductu thurificantur. Cæremon. Epiſcop. lib.1. cap.23. Bongiovanni lib. 9. cap.2. & alii paſſim. Princeps Magnus non recognoſcens Superiorem, Proreges, & Gubernatores Regnorum, & Provinciarum thurificantur a primo aſſiſtente immediate poſt Epiſcopum triplici ductu. Cæremon. Epiſcop. loc. cit. Bongiovanni loco cit. Merati loc. cit. num.73. Flumara part.2. cap.3. & alii. 59

Domini locorum minorum, & Magiſtratus incenſari poterunt a Thuriferario duplici, vel unico ductu pro qualitate perſonarum; illi videlicet, quibus proprium ſcamnum ſeu ſedes ab aliis diſtincta parari ſolet, diſtincte incenſandi ſunt juxta laudabilem conſuetudinem in toto incenſationis ordine, & ritu ad pacem tam Laicorum, quam Clericorum conſervandam. Cæremon. Epiſcopor. lib.1. cap.23. Cæremon. Ord. Minor. par.2. cap.9. & par.3. cap.2. Bongiovanni lib.3. cap. 11. Caſtald. in Epitome part. 2. tract. 1. tit.7. Pollac. Aphoriſm. part.2. Cer.3. pag.128. Gavant. loc. citat. litt. C., & alii paſſim. 60

61 Et quod in ſimilibus incenſationibus ſervanda ſit laudabilis, & legitima conſuetudo, pluries decrevit *Sacr. Rit. Congreg.* ut refert Gapon. *diſcept.* 329. *a num.* 17., & ſignanter *in Caſertana* 18. *Septembris* 1632. quam referunt etiam, & ſequuntur Barboſa *in Summa Apoſtolicar. deciſion. collect.* 705. *num.* 8., *& de Canonicis cap.* 34. *num.* 31. *verſ. Supradicta; Panimol. deciſ.* 1. *annotat.* 13. *numer.* 29., & Pignatell. *tom.* 4. *conſult.* 4. *num.* 4. ubi ſequentem adducit congruam rationem; *quia quod non thurificetur triplici ductu, niſi Epiſcopus, & Celebrans, eſt ſolum ex regulis Cæremonialis, atque adeo de puro, atque mero jure Eccleſiaſtico; ergo conſuetudo thurificandi alios, etiam triplici ductu, poteſt illis prævalere.* Quod confirmat etiam Matthæuc. *in official. Cur. cap.* 28. *verb. Officialis quoad Juſpatronatus num.* 3. Et ſtatuit ead. *Sacra Congregatio in Aprutina* 6. *Octob.* 1696. *ad ſextum dubium*, ubi cum quæſitum fuiſſet; *An Magiſtratui Therami debeatur thurificatio duplici, vel unico ductu, & a quo ſit thurificandus?* Reſpondit; *Servetur ſolitum.*

62 Omnibus de more incenſatis, incenſandus eſt a thuriferario populus ter, primo in medio, deinde verſus latus Epiſtolæ, quod eſt dextrum populi, tertio verſus latus aliud cum honoris ſignificatione, & debitis reverentiis ante, & poſt. Cæremon. Ord. Minor. *part.* 2. *cap.* 9. *numer.* 5. Bongiovanni *lib.* 3. *cap.* 11. Gavant. *loc. cit. litt. D.*, & alii paſſim juxta Miſſalis Rubricam *tit.* 7. *n.* 10.

63 Quando Chorum incenſat thuriferarius, poteſt illum incenſare, vel in communi tranſeundo ante ſedilia, vel ſingillatim Patres, & alios ſuo ordine facie ad faciem, juxta laudabilem cujuſque Provinciæ conſuetudinem. Cærem. Ord. Minor. *part.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. Bongiovanni *lib.* 9. *cap.* 2., & alii.

64 Si in Presbyterio, vel in Choro, ubi benedicendum eſt incenſum, adſit Epiſcopus Diœceſanus, vel aliquis eo major, tunc ſpectat ad ipſum incenſum imponere, & benedicere, miniſtrante thuribulum primo ex Aſſiſtentibus cum debitis oſculis, & dicente *Benedicite Pater Reverendiſſime*, & ſi erit Cardinalis, *Pater Eminentiſſime*, & thurificatur triplici ductu, Celebrans vero duplici. Cæremon. Epiſcopor. *lib.* 1. *cap.* 23. Cæremon. Ord. Minor. *part.* 3. *cap.* 2. *num.* 5., *& p.* 4. *cap.* 7. *num.* 11. Bongiovanni *lib.* 3. *cap.* 11., *& lib.* 9. *cap.* 2. Gavant., & Merati *tom.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 3. *numer.* 15., & alii paſſim. Si autem ad Veſperas eſt præſens Generalis, aut Provincialis in ſua Provincia, ſeu Epiſcopus Diœceſanus, vel alius eo major, tunc expedit quod Celebrans incenſetur apud Altare, ſicut in Miſſa, triplici ductu in cornu Epiſtolæ, & inde revertatur ad Chorum, ubi fiet incenſatio de more ſecundum dignitatem, & ordinem omnium ibi exiſtentium. Cæremon. Ord. Minor. *part.* 3. *cap.* 3. *numer.* 6. *& part.* 4. *cap.* 7. *n.* 11. Bongiovanni *lib.* 9. *cap.* 2. & alii.

65 Quando ad Veſperas præter Altare majus aliud Altare, ſeu alia Altaria incenſanda ſunt, tunc facta incenſatione Altaris majoris, vel illius, ubi SS. Sacramentum aſſervatur (quod prius eſt incenſandum, quam Altare, ad quod Veſperæ fiunt, ut docent Gavant. *tom.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 3. *num.* 18., & Merati *ibid. num.* 15. ac alii) incenſantur alia Altaria; & peracta incenſatione Altarium omnium, quæ incenſanda ſunt, revertuntur omnes parati ad Chorum, & fit ibi de more incenſatio ſecundum modum, & ordinem prædictum; Pergendo autem de Choro ad Altaria, & redeundo de Altaribus ad Chorum, Celebrans cum Miniſtris incedere debent detecto capite ob reverentiam Cantici Evangelici *Magnificat.*; Cæremon. Ord. Minor. *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 5. Bongiovanni *lib.* 9. *cap.* 3. Bauldry *part.* 2. *cap.* 11. Merati *loc. cit. num.* 12. Caſtaldus *in Cæremon. Cleric. Regularium lib.* 2. *cap.* 20. Flumara in eod. Cæremon. *part.* 2. *cap.* 4. & alii plures.

66 Incenſatio (quæ omnibus dari debet, quia Chriſtus communicat omnibus odorem ſuum; Sanct. Thomas 3. *part. qu.* 83. *art.* 5. & quia quę facit Sacerdos, pertinent ad omnes; Durand. *cap.* 31. Item quia thurificatio repræſentat diffuſionem gratiarum ſpiritualium in capite, & ab eo ad membra; Idem *lib.* 4. *cap.* 4. Gavant. *tom.* 1. *part.* 2. *tital.* 7. *litt. C.*) ceſſare debet ad Veſperas antequam Celebrans dicat verſ. *Dominus vobiſcum.*, ex Cæremonial. Epiſcopor. *lib.* 2. *cap.* 3., & Cæremonial. Ord. Minor. *part.* 3. *cap.* 2. Bongiovanni *lib.* 9. *cap.* 2. Gavant. *tom.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 3. *num.* 20. Unde qui in Choro ſunt Cantores, vel Muſici, majori pauſa, ac graviori modulatione Canticum *Magnificat* præcinere debent, & Organiſta ſonum ſolemnius in longum protrahere, ut ante verſ. *Dominus vobiſcum*, & Orationem, incenſatio compleatur. Merati *tom.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 3. *num.* 16. Bongiovanni *loc. cit.* & alii paſſim.

Quando duo ſunt Thuriferarii, quiſque a parte ſua incenſat unum ex Aſſiſtentibus, & poſtea Cantores per ordinem duplici ductu; Sicque etiam quiſque ſuo thuribulo incenſat ſuam partem Chori, vel ſingillatim Patres, & alios ſuo ordine facie ad faciem cum debitis reverentiis ante, & poſt; vel in communi tranſeundo ante ſedilia, una ſimul egredientes ad planum Chori, ubi Ceroferarios per ordinem incenſabunt; Tantum ter populum, unuſquiſque a ſua parte, incipiendo in medio; & ultimo ſeipſos, peractis ſimul ante, & poſt incenſationem reverentiis, & genuflexionibus debitis; Cæremon. Ord. Minor. *part.* 3. *cap.* 2. *numer.* 1. Bongiovanni *lib.* 9. *cap.* 2. Gavant. in Epitom. *tract.* 1. *part.* 2. *tit.* 7. *numer.* 23., *& tract. ſecund. part.* 2. *tit.* 3., & alii. 67

Qui thurificat ſemper ſtare debet; Solus Summus Pontifex a genuflexo incenſatur. Cæremon. Epiſcopor. *lib.* 1. *cap.* 23. Bongiovanni *lib.* 9. *cap.* 2. & alii paſſim. 68

Hic juvat adducere reſponſionem S. Rit. Congregat. *in Oſtunen.* 24. *Novembris* 1703. ad ſequentia dubia. 69

I. An Duci Oſtuni liceat retinere Sedem cameralem coopertam ſerico villoſo rubeo, cum Genuflexorio tam in Cathedrali, quam in aliis Eccleſiis Sæcularibus, & Regularibus Civitatis extra Presbyterium, ſive abſente, ſive præſente Epiſcopo? Et quatenus affirmative. *Nihil de Sede fixa, & dentur Decreta.*

II. An idem liceat etiam ejus Fratribus? *Negative.*

III. An dicto Duci debeatur Thurificatio triplici ductu per aliquem Magiſtrum Cæremoniarum, ſive alium Presbyterum Cotta indutum? *Duplici ductu per alium Capellanum, ſive Acolythum.*

IV. An eadem debeatur etiam ejuſdem Fratribus? *Negative.*

V. An dicto Duci debeatur Pax cum Inſtrumento per aliquem Magiſtrum Cæremoniarum, ſive alium Presbyterum Cotta indutum? *Affirmative.*

VI. An eadem debeatur etiam Fratribus? *Affirmative.*

VII. An dicto Duci accedenti ad Eccleſiam Cathedralem, debeat obviam ire Procurator Capituli, ſive alius Canonicus ejuſdem nomine in habitu Canonicali, eidemque in janua Eccleſiæ porrigere Aſperſorium Aquæ Benedictæ?

VIII. An idem debeatur etiam Fratribus? *Ad VII., & VIII. Negative prout jacent.*

Repropoſita vero cauſa die 12. Julii 1704. per Card. Coloredum ſub ſequentibus duobus dubiis.

I. An Fratribus Ducis Oſtuni inſtantibus liceat retinere Sedem cameralem non fixam cum Genuflexorio inferioris ornatus, ac eſt illa, quæ juxta antiqua Decreta conceditur dicto Duci, tam in Cathedrali, quam in aliis Eccleſiis Sæcularibus, & Regularibus ejuſdem Civitatis, extra tamen Presbyterium, ſive præſente, ſive abſente Epiſcopo? Et quatenus affirmative.

II. An dictis Fratribus Ducis Oſtuni debeatur Thurificatio unico ductu per Cappellanum, ſive Acolythum Cotta indutum?

Sacra Congregatio tam in voce, quam in ſcriptis, Partibus informantibus auditis, Ad utrumque: *Nihil* reſpondendum cenſuit.

Iterum, & tertio repropoſita eadem cauſa die 4. April. 1705. ad inſtantiam Epiſcopi prætendentis denegare dictum Genuflexorium, Reſponſum fuit: *In deciſis*; videlicet: *Nihil de Sede fixa, & dentur Decreta*, quibus alias declaratum fuit, Domino Loci permitti poſſe Sedem cum Genuflexorio, & Tapeto; non tamen gradatam, neque fixam, ſed amovibilem, & extra Presbyterium; Sic refert D. Urſaya *tom.* 4. *part.* 2. *diſcept.* 4. *num.* 1. qui *ibidem numer.* 90. alias ejuſdem Sacræ Congregationis reſolutiones adducit præciſis his verbis:

*Mileten.* 26. *Aprilis* 1704. *Obtento ab A. C. adverſus Promotorem Fiſcalem Curiæ Epiſcopalis Mileten. per Alphonſum Toralba Baronem Calimeræ &c. Monitorio ſuper manutentione in poſſeſſione &c. detinendi in Parochiali dicti Caſtri Sedem; Stratum; & Genuflexorium, & recipiendi Aquam Benedictam &c. remiſſa &c. Cauſa &c. ad Sacr. Rit. Congr. ſuper infraſcriptis dubiis.*

*Primo*: An liceat Alphonſo Toralba Baroni Calimeræ retinere in Eccleſia Matrici, ſeu Parochiali dicti Loci pro audiendis Divinis, Sedem fixam extra Presbyterium, abſente, & non reſidente Epiſcopo? Vel potius amovibilem cum Scabello, Tapeto, Suppedantis, & Poſtergalibus in caſu &c.

*Secundo*: An eidem liceat retinere Genuflexorium cum Tapeto, & Pulvinaribus? & quatenus affirmative.

*Tertio*: An eædem prærogativæ, in utroque dubio recenſitæ, competant etiam Baroniſſæ ejus Matri in caſu &c.

*Ad primum*: Quoad Sedem fixam, Negative. Quoad amovibilem, & cameralem tantum Affirmative; In reliquis vero Negative.

*Ad ſecundum*: Affirmative, juxta Decreta in Larinen. 12. Septemb. 1699. in Oſtunen. 24. Novembris 1703.

*Ad tertium*: Negative.

*Toletana. Capitulum, & Canonici Metropolitanæ Eccleſiæ Toletanæ ad evitandos abuſus pomparum, & faſtus Nobilium ad dictam Eccleſiam confluentium, qui ſellas, ſtrata, & pulvinaria premittebant, decreverunt, alias nemini licere in poſterum ſupradictis commoditatibus, ſeu vanitatibus in dict. Eccleſia uti, exceptis dumtaxat Regalibus Perſonis, & Magnatibus. Quod Decretum fuit Litteris S. Pii V. confirmatum anno* 1571. *ex quo Decreto cum effectum eſſet, ut Nobiles retraxerint ſe a dicta Eccleſia; tandem dictum Capitulum, & Canonici ad revocandos Nobiles decreverunt ampliare, & extendere dictum Decretum ad omnes Titulares, & Magiſtratus, & Officiales, eorumque Uxores, Filios, & alios narratos in Libello ſupplici ipſius Capituli; quod cum per ſe facere nequirent, ex quo Decretum illud erat Auctoritate Apoſtolica confirmatum, ad Sacram Congregationem recurſum habuerunt, quæ reſpondit: Nihil, die* 28. *Martii* 1626.

70 In Choro thurificari debent omnes ſingillatim. Quod ſi tanta ſit multitudo Clericorum, ut incenſatio finiri non poſſit ante finem Præfationis, tunc ſufficit incenſare ſeparatim illos, qui ſunt in ſedibus ſuperioribus, & reliqui inferiores poterunt incenſari ſine mora, ita ut finita ſit incenſatio paulo antequam dicatur *Sanctus*; Merati *tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 70., *&* 71. Biſſus *litt. I.* §. 7. Bauldry *part.* 3. *artic.* 7. *num.* 18. Corſet. *tract.* 1. *cap.* 11. *numer.* 21. Gavant. *tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 7. *litt. C.* cum aliis ibi citatis. Et ad hoc facit Decretum *Sac. Rit. Congregat. in Placentina ad tertium dubium ſub die* 10. *Maii* 1607. Vide verb. *Reſolutiones Sacr. Congr.* *t.* 8., & verb. *Aſperſorium num.* 8.

71 Alia ad rem, Vide verb. *Eccleſia art.* 5. *a num.* 33. verb. *Gubernator a num.* 8. *ad* 15. & verb. *Magiſtratus num.* 3. *&* 9. & doctiſſimum P. Cajetanum Mariam Merati *in tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 72. *&* 73. ubi ait, quod ex Cæremoniali Epiſcopor. *lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 32. inter alia habetur; Quod ſi adſit Dominus loci Laicus, vel alius Princeps major, debeat incenſari ter, ſicut incenſatur Epiſcopus; Celebrans, Dignitates, & Canonici bis &c.

*Novæ Additiones ex aliena manu.*

1 SAnctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ in Tabernaculo
Altari reconditum thurificari non debet, ſed ſolum ei uni-
2 cum genu in tranſitu tum in reditu flectendum eſt ante illud,
dum thurificatur. At vero ſi fuerit ibidem expoſitum, in-
cenſatio illius debet a celebrante fieri genuflexo utroque po-
plite ſuper gradu ſuperiori ſuppedanei Altaris, *Gavanti in*
*Rubric. Miſſal. part.* 2. *tit.* 8. *numer.* 10. §. *Incenſat*. Et tunc
3 non incenſatur Crux, quæ imo adeſſe haud deberet in Alta-
ri; *Bauldry in Manual. Sacr. Cærem. part.* 2. *c.* 9. *articul.* 3.
*num.* 3., *& rurſus part.* 3. *cap.* 20. *num.* 6. Et celebrans in pri-
mo gradu ſuppedanei ſtans thurificatur; *Synodic. Diœceſ.*
*Benevent. part.* 1. *tit.* 29. *ſect.* 4. §. 2. *n.* 11.

*Ferrar. Biblioth. Tom. VII.*



## TITULUS.

TItulus Crucis D. N. Jeſu Chriſti inventus fuit Romæ in
Eccleſia Sanctæ Crucis in Hieruſalem die ultima menſis
Januarii 1492. Græcis, Hebraicis, & Latinis Characteribus
conſcriptus. Alexander VI. Conſtitut. 4. incip. *Admira-* 1
*bile.*

Titulus *Servus Servorum Dei*, quo utitur Papa in Bullis,
fuit primo inventus a S. Damaſo Papa.

Quidquid dicant alii id attribuentes Sancto Gregorio Ma-
gno. Vide verb. *Papa art.* 2. *num.* 35. Papa quare ſe vocet 2
tali Titulo? Vide *ibid. num.* 34.

Titulus *Eminentiſſimi*, & *Veſtræ Eminentiæ* cæpit dari 3
Cardinalibus anno 1630. ex Decreto Sacræ Congregationis
Rituum, confirmato ab Urbano VIII. die 10. Junii 1630. quo
ſtatuitur, quod talis Titulus a nemine præter quam ab Ec- 4
cleſiaſticis Romani Imperii Electoribus, ac Magno Magiſtro
Hoſpitalis Hieroſolymitani uſurpari poſſit, aut aliis attribui.
Vide verb. *Cardinales art.* 2. *num.* 13. ubi affertur ad litteram
tale Decretum.

Quod poſtea Innocentius X. Sanctione firmavit jubens om-
nes tali titulo contentos eſſe, quamvis ſint magni principes,
24. Apr. 1645.

Tituli Cardinales in aliis Civitatibus extra Romam olim 5
erant, qui erant tituli Parochiales & ſub Epiſcopi Juriſdictio-
ne erant. *Concil. Meldenſe cap.* 54., *& Concil. Roman.*
*ſub Leone IV.*

Tituli Cardinalitii Romæ erant olim Parochiæ. *Concil. Ro-* 6
*man. ſub Leone IV.*

Tituli Cardinalitii Eccleſiarum Romæ a Sixto V. fuerunt
præſcripti, & numerati Conſtitut. 55. incip. *Religioſa*. Quæ
affertur ad litteram ſub verb. *Cardinales art.* 5. *numer.* 43. 7
Vide *ibi*, ubi inſuper *ſub num.* 54. afferuntur, prout poſtea
fuerunt deſignati a Clemente VIII., & a Sacra Congregat. 8
Rit. approbati, ac a Paulo V. confirmati.

Cardinales in ſuis titulis circa ſuos Clericos uti poſſunt Cen-
ſuris, ut Excommunicatione, ſuſpenſione, & Interdicto;
*c. His quæ, de Majorit. & Obedient.*

Cardinales tenentur reſidere in ſuis titulis, alias ſi Romæ
non reſideant, & ſine Papæ diſpenſatione alibi degant, de- 9
ponendi ſunt, ut fuit depoſitus Cardinalis Anaſtaſius, quia
per quinque annos non reſederat in titulo Sancti Marcelli Ro-
mæ, *c. Ex geſtis, de Clericis non reſidentibus.* 10

Titulus *Meſſere* anno 1564. tribui ſolebat Nobilibus perſo-
nis. Rota *in Melevitana* 29. *Januarii* 1706. §. *Nec ex alio*,
*coram Caffarel.* Urſaya *Miſcellan.* 1. *litt. V. n.* 81.

Titulum honorificum ſibimet ipſi attribuere nimis abſo-
num eſt. Rota *in Salisburgen. Primogenituræ de Lodrono* 20. 11
*Febr.* 1713. §. *Certius*, *coram Anſaldo*, Urſaya *Miſcellan.* 2.
*litt. T. num.* 34.

Titulo *de Suor*, non *de Donne* vocari debent Moniales. 12
*Sacr. Congregat. Epiſcop., & Regul. in Toletana* 9. *Januar.*
1595. apud Joan. Mariam Novarr. verb. *Monialis numer.* 5.,
& Barboſ. *in Summ. Apoſtolic. deciſ. eadem verb. Monia-*
*lis num.* 10.

Titulum, Characterem, & Ordinem ſemper retinet Epi- 13
ſcopus, licet dimittat Eccleſiam. *Sacr. Congregat. Rit. in*
*Minerben.* 4. *Martii* 1601. apud Sell. *in Selectis Canonic. cap.*
3. *num.* 64., & Barboſa *loco cit. verb. Epiſcopus n.* 6.

Epiſcopus ordinans aliquem ſine legitimo Titulo tenetur 14
ſuſtentare Ordinatum, textu expreſſo *in capit. Si Epiſcopus*
37. *de Præbend. in* 6.

Quis, & quotuplex ſit legitimus Titulus pro Sacris Ordi- 15
nibus recipiendis; Vide verb. *Ordo art.* 2. *a num.* 47.

Ut quis poſſit ordinari Titulo Familiaritatis, quid requira-
tur; Vide verb. *Ordo art.* 3. *a num.* 29.

Titulus coloratus, an, & quando ſufficiat ad inducendum 16
valorem iis, quæ publici miniſtri faciunt præſertim in admi-
niſtratione Sacramentorum, & ſignanter Sacramenti Pœ- 17
nitentiæ; Vide verb. *Confeſſarius art.* 1. *a numer.* 33.
*ad* 42.

Quo ad ea, quæ concernunt titulum ad præſcriptionem 18
requiſitum, advertendum eſt, quod titulus poteſt eſſe, vel
verus, vel coloratus, vel apparens, vel præſumptus. Ti-
tulus *verus* eſt cum re ipſa exiſtit, uti ſi res ſit reipſa legiti-
ma hereditate acquiſita. Titulus *coloratus* eſt, cum interve- 19
nit talis titulus, ſed ob ignoratam cauſam fuit invalidus, ut
ſi hereditas ſit acquiſita a non potente propter aliquem occul-
tum Juris, vel facti defectum talem hereditatem relinquere.

Titulus *apparens*, ſeu exiſtimatus eſt, cum talis titulus reipſa non exiſtit, attamen bona fide putatur exiſtere, ut ſi quis prudenter exiſtimet talem hereditatem legitime a Patre ſuo relictam fuiſſe, cum tamen contra diſpoſitionem Legis ei obvenerit. Titulus *præſumptus* eſt, cum non ſcitur de ullo certo titulo, quo res incæpta ſit poſſideri; nihilominus prudenter præſumitur aliquis adfuiſſe ratione poſſeſſionis longiſſimi temporis, & hic etiam titulus ſufficit ad præſcriptionem; *l.4. Cod. de præſcriptione* 30. *vel* 40. *annorum*, *& c. Ad aures*, *de præſcriptionibus*.

20 Titulus verus non requiritur ad præſcribendum. *Communis*. Et ratio eſt evidens, quia ubi adeſt verus titulus rem poſſidendi, jam antecedenter ad præſcriptionem habetur dominium, cum nullus poſſit rem ſuam præſcribere.

21 Titulus coloratus ſufficit ad præſcribendum. *Communiſſima* per clara Jura *in tot. Titul. ff. & Cod. de Uſucapionib. Titul. pro Emptore*, *titul. pro herede*, *titul. Pro donato*, *titul. pro derelicto*, *titul. pro Legato*, *titul. pro Dote*, *& Inſtit. de uſucapionibus*.

22 Titulus etiam apparens, ſeu exiſtimatus, dummodo non ſit titulus pro Emptore, ſufficit ad præſcribendum, *leg. ſi exiſtimans* 48. *ff. De Uſurpationibus*, *& Uſucapionibus*, cum ſimilibus.

23 Cetera autem, quæ concernunt juſtum Titulum ad præſcriptionem requiſitum; Vide verb. *Præſcriptio* §.3. & *per tot.* ubi abunde de omnibus.

24 Titulus coloratus Beneficii dicitur, qui apparet, ſeu probabiliter videri poteſt eſſe juſtus, ut ſi collatio habetur ab eo, qui habet poteſtatem ordinariam conferendi, quamvis nunc adfuerit impedimentum legitimum validæ proviſionis. Unde ſi Petro v. g. conferatur Beneficium Pauli adhuc viventis, mortuo Paulo, Petrus habebit Titulum coloratum. Item ſi Beneficium prius conferatur Petro, & poſtea Paulo, Paulus habebit Titulum coloratum, quamvis de Jure Titulus verus ſit penes Petrum. Item ſi impetratum ſit Beneficium, non expreſſo ejus valore, quando id pro validitate impetrationem, & collationem ſequitur Titulus coloratus, & ſic de ſimilibus, ut notant paſſim Doctores.

25 Titulus Beneficii quando amittatur, & quando non. Vide verb. *Reſignatio Beneficii*.

26 Titulus antiquus Eccleſiæ mutari non poteſt a Confraternitate. *Sac. Rit. Congr.* 26. *Octob.* 1604.

27 Titulus alienus non poteſt aſſumi cum alterius præjudicio, alias ponitur aſſumens, ut pluribus adductis egregie ſuo more probat Eminentiſſimus Card. Petra *tom.* 2. *Commentar. ad Conſtitut.* 1. *Cæleſtini III.*

28 Capitulum Cathedralis non eſt ſalutandum a Concionatore cum titulo Reverendiſſimi neque in abſentia Epiſcopi. *Sacr. Congregat. Rit. in Capuana* 23. *Januar.* 1700. *in reſponſ. ad III.* apud Monacell. *tom.* 4. *ſupplement. ad* 1. *tom.* 20.

29 Titulares Epiſcopi nequeunt cogere Synodum Diæceſanam, niſi qui a ſuis Eccleſiis expulſi ſunt, aut in terris Chriſtianorum juriſdictionem exercent in determinatis locis. Benedict.
30 XIV. *de Synodo Diæceſana lib.* 2. *cap.* 4. *a num.* 2. *ad* 6. Epiſcopi Titulares non fuerunt admiſſi ad Concilium Romanum ſub Benedicto XIII. celebratum anno 1725. Idem *ibid. lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 3.

31 Fraudibus, quæ contingere poſſunt in aſſignatione tituli pro Sacris Ordinibus ſuſcipiendis, ſive in Beneficiis, & Patrimoniis fictitiis, ſive in Patrimoniis conditionaliter conſtitutis, cum pacto ut Clerici ad Sacros Ordines promoti, ſi aliunde acquirant, unde honeſte vivere poſſint, bona ſibi aſſignata in Patrimonium, eorumque uſufructum domino reſtituant, & relinquant, variis Decretis occurrit Sacra Congregatio Concilii, ut patet ex jam adductis *tom.* 5. *verb. Ordo art.* 2. *a num.* 90. *ad* 100., *& tom.* 6. *verb. Patrimonium a num.* 3. *ad* 44. quibus expreſſe definivit non ſolum non licere Clericis Patrimonium diſtrahere, ad cujus titulum fuerunt ordinati, ſed neque cum aliis bonis cujuſcumque generis, ſine expreſſa Epiſcopi licentia illud permutare, ut declaravit eadem *Sacr. Congregat. die* 20. *Julii* 1619. *lib.* 17. *Decretor. pag.* 17. *ibi*: *Patrimonium, ad cujus titulum aliquis eſt promotus, poſſe utique de licentia Epiſcopi permutari cum aliis bonis non minoris redditus, aut valoris, ſed debere Epiſcopum declarare, Bona ex permutatione acquiſita eſſe ſubrogata in locum prioris Patrimonii, itaut deinceps alienari nequeant, niſi ſervata forma a Concilio præſcripta*. Et die 6. *Martii* 1738. *lib.* 15. *Decretor. pag.* 667. Sacra &c. *cenſuit eum, qui de facto alienavit Patrimonium, ad cujus titulum fuerat ordinatus, nulla facta mentione, quod ad illius titulum promotus fuiſſet, in Cenſuras non incidiſſe, ſed alienationem, ut proponitur, factam, eſſe ipſo jure nullam*. Sic refert Benedict. XIV. *tom.* 2. *notific.* 6. ubi plurima erudite ſuo more ad rem tradit merito obſervanda, & alia ſimilia *de Synodo Diæceſana lib.* 7. *c.* 7. *n.* 1. *& ſequent.*

Si quis ordinandus ſit ad titulum Beneficii in aliena Diœceſi obtenti, & hoc perpetuam exigat reſidentiam, proventus reſpondere debent taxæ Diœceſis, in qua Beneficium erectum reperitur. Aliter reſpondere debent taxæ Diœceſis, in qua Clericus habet Domicilium. Idem *ibid. numer.* 2. ex Decret. Sacræ Congregationis Concil. *in Alatrina* 9. *Julii* 1708. *& in Romana*, *ſeu Sanctæ Agathæ Gothorum* 27. *Maii* 1713. & ex Conſtitutione Innocentii XIII. incip. *Apoſtolici Miniſterii*; ubi expreſſe habetur: *Cum etiam juxta memoratam Innocentii XII. Prædeceſſoris Conſtitutionem, ratione ac titulo Beneficii in aliena Diæceſi obtenti, non aliter liceat Ordines ab Epiſcopo ejuſdem Diæceſis ſuſcipere, quam ſi Beneficium ſit ejus redditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem, detractis oneribus, per ſe ſufficiat, Declaramus ſufficientiam hujuſmodi præfiniendam eſſe, non juxta taxam Synodalem, ſive morem pro promovendis ad Sacros Ordines, vigentem in loco prædicti Beneficii (niſi tamen illud continuam, & præciſam reſidentiam requirat) ſed juxta taxam, vel ea deficiente, juxta morem, in alio loco domicilii vigentem*. 32

Si Beneficium habeat annexum onus Miſſarum a Beneficiato per ſe, vel per alium celebrandarum, poterit Epiſcopus determinare, an inter proventus ſit numeranda, vel detrahenda ſtipes, reſpondens numero Miſſarum, ad quas celebrandas Clericus, ſive per ſe, ſive per alium tenetur ex lege Beneficii. Idem *ibidem a nu.* 3. *ad* 7. Vide *tom.* 5. *verb. Ordo*, *art.* 2. *a n.* 105. *ad n.* 110. 33

Titulus Beneficii, aut Patrimonii eſt neceſſarius etiam pro Ordinatione Græcorum; Nec loco Patrimonii poteſt Clericus Græcus aſſignare dotem ſuæ uxoris; Nec Ordinarius eam admittere. Idem tom. 1. Bullar. Conſtitut. 57. incip. *Etſi Paſtoralis* §. 7. 34

Benedictus XIV. Conſtitut. incip. *Maxima*, Portugalliæ, & Algarbiorum Regi, *ejuſque ſucceſſoribus* in perpetuum *Fideliſſimi* titulum aſſignavit. 35

*Novæ additiones ex aliena manu.*

Titulus *Inſignis* cuinam Eccleſiæ competat? Et quibus 1
competat titulus Capitularium? Vide unam itemque 2
alteram rem examinatam a Rota in *Theatina delectionis Titulorum* 18. *Martii* 1732. *coram bon. mem. Nunez*.

## TONSURA.

Tonſura ſit, nec ne Ordo, non eſt definitum. Benedictus XIV. Conſtit. incip. *Ad audientiam* §. 22. 1

Alia ad rem, vide verb. *Ordo*, *art.* 1. *a n.* 8. *ad* 15. *& art.* 2
2. *numer.* 1.

## TRADITIONES.

Traditio generatim ſumpta eſt doctrina ſucceſſive per tempora ab uno in alterum tranſmiſſa, ſive interim 1
ſcripta ſit, ſive non. *Sic in re communis Doctorum*. Tradi- 2
tio autem ſpeciatim, & prout moris eſt, magis ſtricte ſumpta, eſt doctrina non ſcripta a primo ſuo Auctore, ſeu ab exordio: licet poſtea ab aliis fuerit conſcripta, & per Codices ad nos tranſmiſſa. *Sic Doctores communiter*.

Traditio dividitur in Divinam, Apoſtolicam, & Eccleſiaſticam. Traditio *Divina*, ſeu *Verbum Dei non ſcriptum* eſt doctrina Fidei, & morum, non ſcripta in libris Canonicis, ſed ex ore Chriſti docentis immediate Apoſtolos procedens, vel a Spiritu Sancto iiſdem dictata, & ab eis viva voce Eccleſiæ tradita, & continua ſucceſſione in poſteros ad nos uſque tranſmiſſa, & in Eccleſia Catholica pro revelata a Deo ſemper habita, qualis traditio potiſſimum habetur circa materiam, & formam Sacramentorum, circa perpetuam Virginitatem B. M. Virginis, & hujuſmodi in Eccleſia Catholica perpetuo conſervata, licet in ſacra Scriptura expreſſe non habeantur. Traditio *Apoſtolica* licet interdum ſoleat confundi cum Divina, eo quod per Apoſtolos, ut 3



Chriſti Præcones, ſeu nomine Chriſti loquentes, viva voce fuerit Eccleſiæ tradita, ſeu promulgata, proprie tamen eſt illa, quæ ab Apoſtolis ex inſtinctu Spiritus Sancti primo viva voce profecta eſt, & ab ipſis ad nos uſque per Majores intermedios tranſmiſſa; quamvis in eorum Libris, & Epiſtolis non reperiatur expreſſa, uti eſt Jejunium Quadrageſimæ, Obſervatio diei Dominicæ loco Sabbati, & alia hujuſmodi. Traditio *Eccleſiaſtica* proprie eſt illa, quæ nec a Chriſto, neque ab Apoſtolis, ſed poſt Chriſti Aſcenſionem, & Apoſtolorum mortem, eſt ab Eccleſiæ auctoritate, aut praxi, aut Prælatis inchoata, & in populum fidelem introducta, uti eſt Conſecratio Eccleſiarum, & Altarium, abſtinentia a carnibus, ovis, & lacticiniis certis diebus, aliquorum Jejuniorum, & Feſtorum obſervantia, & alia hujuſmodi.

Præter Sacram Scripturam, ſeu Verbum Dei Scriptum
4 admittendæ, & obſervandæ ſunt Traditiones Apoſtolico-Divinæ, ſeu Verbum Dei non ſcriptum. *Communis Catholicorum* contra modernos Hæreticos, & habetur expreſſe ex 2. *ad Theſſalonicenſes* 2. ibi: *tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram*. Eſtque definitum in Concil. Trident. *Seſſ.* 4. *de Canonicis Scripturis*.

Traditiones Divinæ ſunt infallibiles Fidei Regulæ, ac Ver-
5 bum Dei ſcriptum. *Communis inter Catholicos* contra dictos modernos Hæreticos. Et ratio eſt, quia Verbum Dei ſcriptum non habet, quod ſit infallibilis Fidei Regula ex eo quod ſcriptum ſit, ſed ex eo quod a Deo procedat; ſed æque procedit a Deo verbum Dei non ſcriptum, ac ſcriptum, ergo &c. Scriptura enim confert ad memoriæ commoditatem, non vero ad rei veritatem: Unde Concilium Tridentinum *cit. ſeſſ.* 4. ſic expreſſe habet: „ Sacroſancta Synodus Traditiones, tum ad Fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas pari pietate, affectu, ac reverentia ſuſcipit, & veneratur „. Et S. Joannes Chryſoſtomus *in cit. Epiſt.* 2. *ad Theſſalonicenſes* 2. ſic dicit: „ Hinc patet, quod non omnia per Epiſtolam tradiderit, ſed multa etiam ſine litteris; eadem vero Fide digna ſunt tam illa, quam iſta „ quo pari ſenſu loquuntur ceteri alii Sancti Patres.

Traditiones pure Apoſtolicæ, & pure Eccleſiaſticæ, quam-
6 vis, ut de ſe patet, non habeant partem cum Traditionibus Divinis, ſeu Apoſtolico-Divinis auctoritatem, nihilominus ſunt ab omnibus obſervandæ, ſi ſint univerſales. Ita Catholici communiter, Concil. Colonienſ. II. *par.* 9. *cap.* 1. *cap. Si quis omnem* 2. *cauſ.* 1. *qu.* 7. Unde S. Auguſtinus *Epiſt.* 118 *cap.* 5. loquens de his traditionibus ſic expreſſe dicit: „ Si quid horum tota per Orbem frequentat Eccleſia.... quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt „. Immo tales Traditiones violans eſt anathema,
7 textu expreſſo *in citat. cap. Si quis omnem* 2. *cauſ.* 1. *quæſt.* 7. ibi: „ Si quis omnem Traditionem Eccleſiaſticam ſcriptam, vel non ſcriptam violat, anathema ſit.

## TRANSACTIO.

1 Tranſactio dupliciter ſumitur, ſcilicet late, ſeu minus proprie, & ſtricte, ſeu magis proprie. *Communis*.
2 Tranſactio late, ſeu minus proprie, ſumitur pro omni actu quo ab obligatione receditur, & quaſi tranſitur, ac negotium aliquod inter quoſdam componitur, ſive id fiat litis componendæ cauſa, ſive non. Et juxta hanc acceptionem omnis diſtractus, & etiam res judicata, Juſjurandum, ac quodlibet pactum nomine tranſactionis comprehenditur, *l. Hujus Edicti* 1. §. 3. *& l. Tres Fratres* 35. *ff. De pactis*, *l. Juſjurandum* 2. *ff. De Jurejurando*, *l. Tranſacta* 229. *ff. de verbor. Si-*
3 *gnificatione*. Tranſactio ſtricte, ſeu magis proprie ſumpta, eſt, *de re dubia*, *& controverſa*, *ſive lite incerta*, *& nec dum finita*, *non gratuita*, *ſed oneroſa inter partes conventio*, *ſeu pactio*, *vel compoſitio*. Deſumitur clare ex *l. Qui tranſigit.* 1. *ff. de Tranſactionibus*, ibi: *Qui tranſigit quaſi de re dubia*, *& lite incerta neque finita tranſigit*. Et concordant *l. Præſes* 12. *l. tranſactio* 38. *& l. Jubemus* 43. *Cod. eod.*

4 Unde ex data definitione colligitur tria requiri ad ſtrictam, & propriam Tranſactionem. Primo requiritur, ut dicta Tranſactio fiat de re dubia, ut ſic diſtinguatur a pacto, quod eſt de re certa, & indubitata, quæ per pactum ſubinde remittitur; Ad quod Gloſſa *in Rubrica de Tranſactionibus* ante *c. Sicut grave* 1. *eod.* hos duos affert vulgares verſiculos.

„ Incerta de re tranſactio dicitur eſſe,
„ Sed fiunt certæ pacta favore rei.

Hinc ſi tempore tranſactionis pars tranſigens certo cognoſcat, ſibi nullum in re, de qua tranſigitur, Jus competere, tunc non valet tranſactio inde ſequuta, & tenetur in Foro conſcientiæ reſtituere totum id, quod ob talem tranſactionem ab altera parte recepit, ſeu ei debitum non dedit, cum talis ſic tranſigens nullum habent juſtum titulum, vi cujus poſſit aliquid accipere, ut recedat ab actione, vel retineat id, de quo agitur, ut de ſe patet, & docet communiſſima Doctorum. Immo nedum in Foro interno, ſeu in Foro conſcientiæ, ſed etiam in Foro externo invalida eſt talis tranſactio; Vel ipſo Jure, ſi ſit Actor, qui ſic tranſigat, ſciens certo rem ad alteram partem ſpectare, uti conſtat ex *l. in Summa* 65. *ff. de condition. indebit.* Vel per exceptionem, ſeu replicationem doli, inſtante Actore, reſcindenda erit, ſi ſit Reus, qui ſic tranſegerit, ſciens certo rem ad Actorem pertinere, uti habetur ex *l. Sub prætextu* 19. *Cod. de tranſaction.* & docet Gloſſa *in c. Super eo* 6. *verb. Dato de tranſaction.* Abbas *ibid. in fine*, Molina *tract.* 2. *de Juſtitia diſp.* 555. *n.* 1. Pirhing. *lib.* 1. *Decretal. tit.* 36. *n.* 3. Reiffenſtuel *ibid. n.* 4. Engel *ibid. n.* 3. & alii paſſim. 5 6

Secundo ſequitur ad ſtrictam, & propriam tranſactionem, quod fiat ſuper lite incerta, & nec dum finita, quia ſi lis jam ſit per latam a Judice ſententiam finita, & nulla fuerit ſuper ipſa interpoſita appellatio, jam tranſiit in rem judicatam, ſicque non amplius locus eſt tranſactioni ſuper ea, cum non amplius lis ſit incerta, nam res judicata pro veritate accipitur, textu expreſſo *in l. Res judicata* 206. *ff. de Reg. Juris*, ibi: *Res judicata pro veritate accipitur*. Unde *in l. Eleganter* 23. §. 1. *ff. De Conditione indebiti*, recte ſtatuitur: *Si poſt rem judicatam quis tranſegerit, & ſolverit, repetere poterit, idcirco quia placuit tranſactionem nullius eſſe momenti*. Et concordat textus expreſſo *in l. Si cauſa* 32. *Cod. de tranſactionibus*. Nec tranſactio eſt de qualibet re dubia, ſed de re dubia propter litem jam motam, & nec dum finitam, vel ſaltem movendam, utpote quia controverſia, ſeu dubium inter partes ortum eſt, timetur quod lis poſſit in Judicio moveri, quamvis nondum ſit mota; tunc enim inter partes ad eam controverſiam dirimendam, & litem impediendam valide, & licite poſſunt antea inter ſe tranſigere, textu expreſſo *in l. Cum te* 2. *Cod. de tranſactionibus*. 7

Tertio requiritur ad ſtrictam, & propriam Tranſactionem, quod non fiat gratis, ſed oneroſe aliquo hinc inde dato, & retento, promiſſo, vel remiſſo, textu expreſſo *in leg. tranſactio* 36. *Cod. de tranſactionib.* ubi dicitur quod *tranſactio nullo dato* (pro eo quod remittitur) *retento*, *ſeu promiſſo*, *minime procedit*. Et in hoc differt a compoſitione amicabili, quæ gratis fit, nullo dato, aut retento, ſeu promiſſo, ſed per ipſam pars debiti gratis remittitur, & condonatur, *c. Super eo* 7. *de tranſactionibus*: Quamvis tamen compoſitio amicabilis in largiori ſignificatione interdum pro Tranſactione ſumatur, & e contra tranſactio pro amicabili compoſitione, ut colligitur ex *cap. Ex litteris* 6. *& cap. Veniens* 8. *de tranſactionib.* 8

Generatim, & univerſim loquendo tranſigere poſſunt omnes qui liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habent, eaſque aliis donare ſeu quovis alio modo alienare poſſunt, *arg. l. In re* 11. *Cod. Mandati*. Qui autem non poſſunt res alienare, neque circa illas tranſigere poſſunt. Tranſactio enim eſt ſpecies alienationis. *Extravagant. Ambitioſæ*, *de rebus Eccleſiaſt. non alienand.* Et ſic tenent *Doctores communiter*. 9

Item generatim, & univerſim loquendo poteſt fieri Tranſactio de omnibus rebus dubiis, & litibus incertis, de quibus id nullo Jure prohibitum reperitur; Conceſſum enim intelligitur quidquid expreſſe prohibitum non reperitur, *leg. Nec non* 28. §. 2. *ff. Ex quibus cauſis*, *l. teſtimonium* 1. §. 1. *ff. De teſtibus l. Mutus* 43. §. 1. *ff. De Procuratoribus*, Gloſſa marginal. communiter recepta *in cap. Inter corporalia* 2. *de tranſlatione Epiſcop. verb. Non invenitur.* E contra autem tranſactio fieri non poteſt ſuper iis, de quibus aliquo Jure prohibitum reperitur: Juri enim publico nequit derogari pacto privatorum, textu expreſſo *in l. Jus publicum* 38. *ff. de Pactis*, *cap. Si diligenti* 11. *de foro competenti*. Unde immerito *in cap. Quæ contra* 64. *de Reg. Jur. in* 6. dicitur expreſſe: *Quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*. 10

Hinc ſuper Matrimonio nequit fieri tranſactio, nec amica- 11
bilis compoſitio, utpote expreſſe prohibita *in capit. Ex parte*

11. *de tranſact.* juncta Gloſſa communiter recepta *ibidem verb. Sacramentum*, ibi: *Sic patet, quod in Matrimonio tran-*

12 *ſactio, ſeu compoſitio non habet locum*. Quamvis tamen fieri poſſit tranſactio, ſeu amicabilis compoſitio ſuper Sponſalibus de futuro, cum ea dependeant ex libero contrahentium aſſenſu, vel diſſenſu, nec ad id habeatur reſiſtentia Juris. *Communis*.

13 Item fieri nequit Tranſactio ſuper relictis in Teſtamento, vel Codicillo, niſi prius inſpectis cognitiſque verbis illius, textu expreſſo *in l. De his 6. ff. de tranſactionibus*, ibi: ,, De ,, his controverſiis, quæ ex teſtamento proficiſcuntur, ne- ,, que tranſigi, nec exquiri veritas aliter poteſt, quam in- ,, ſpectis, cognitiſque verbis teſtamenti ,, . Et concordat *lex Cum hi 8. §. 2. ff. eod. & leg. Omnibus 1. §. 1. ff. teſtamenta quemadmodum aperiantur*, ubi ad id requiritur inſuper auctoritas Judicis. Et ratio eſt quia tales tranſactiones ſunt captioſæ, cum poſſint heredes teſtamenta occultare, & facile Legatarios inducere, ut modico ſtatim ſibi dato contenti, magna relicta, ſive legata, inexpectato evenientia, & necdum certo ſcita, repudient, ut cavetur *in cit. l. Cum hi 8. ff. de tranſactionibus*, & ſic depereant cum non parvo boni publici præjudicio ultimæ defunctorum voluntates contra præſcriptum *l. Habeat unuſquiſque 1. Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis, l. Vel negare 6. ff. Teſtamenta quemadmodum aperiantur, capit. ultima voluntate 4. cauſ. 13. q. 2.* cum ſimilibus, ubi ſtatuitur, quod *ultima voluntas, ſeu diſpoſitio defuncti modis omnibus ſervari debeat*.

14 Item propter eandem rationem non valet tranſactio ſuper alimentis in ultima voluntate relictis, niſi fiat cauſa cognita, & auctoritate Judicis interveniente. *Communis*, textu expreſſo *in cit. l. Cum hi 8. ff. de tranſactionibus*, ibi: ,, Cum ,, hi quibus alimenta relicta erant, facile tranſigerent, con- ,, tenti modico præſenti, divus Marcus oratione in Senatu ,, recitata effecit, ne aliter alimentorum tranſactio rata eſſet, ,, quam ſi auctore Prætore facta; Solet igitur Prætor interve- ,, nire, & inter conſentientes arbitrari, an tranſactio, vel ,, quæ admitti debeat, ejuſdem Prætoris notio ob tranſactio- ,, nem erit, ſive habitatio, ſive veſtiarium, ſive de prædiis alimentum legabitur.

15 De quolibet crimine capitali (excepto adulterio) licitum eſt tranſigere, textu expreſſo *in leg. Tranſigere 18. C. de Tranſactionibus*, ibi: *Tranſigere, vel paciſci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non eſt*. Et ratio eſt, quia licitum eſt unicuique ſanguinem ſuum quovis modo redimere, corrumpendo etiam adverſarium, ut ab accuſatione deſiſtat, textu expreſſo *in leg. In capitalibus 1. de bonis eorum qui ſententiam*, ibi: ,, In capitalibus criminibus a Principibus decre- ,, tum eſt non nocere ei, qui adverſarium corrupit, ſed in his ,, demum, quæ pænam mortis continent, nam ignoſcen- ,, dum cenſuerunt ei, qui ſanguinem ſuum qualitercumque ,, redemptum voluerit.

16 De aliis autem criminibus, quæ pœnam ſanguinis non irrogant, non eſt licitum tranſigere, præterquam de crimine falſi, textu expreſſo *in cit l. Tranſigere 18. Cod. de Tranſactionibus*, ibi: *In aliis autem publicis criminibus, quæ ſanguinis pœnam non ingerunt, tranſigere non licet citra falſi accuſationem*, Et ratio eſt, quia hic ceſſat periculum capitis, & ſanguinis, & ideo tranſigentes excuſationem non merentur; tum quia id exigit bonum commune Reipublicæ, ne crimina maneant impunita. Unde merito *l. In omnibus cauſis 7. ff. de prævaricatione* ſtatuitur, quod in omnibus cauſis, præterquam in cauſa capitali, & ſanguinis, qui delatorem, ſeu accuſatorem corrupit, pro victo habeatur, ibi: *In omnibus cauſis, præterquam in ſanguine, qui delatorem corrupit, ex Senatus conſulto pro victo habetur*.

17 Tranſactio ſuper Beneficio Eccleſiaſtico, vel alia re ſpirituali, de qua ligatur, neque privato partium conſenſu, neque auctoritate Judicis Ordinarii fieri poteſt abſque labe Simoniæ interventu rei temporalis viciſſim datæ remiſſæ, vel promiſſæ; Bene tamen gratuita, & amicabilis compoſitio. *Communis*, textu expreſſo *in c. Super eo 7. de Tranſactionibus*, ibi: ,, Tranſigi ſuper re Sacra, & litigioſa non poteſt, ete- ,, nim res Sacræ, ut poſſideantur aliquo dato, vel remiſſo, ,, ſive promiſſo, ſpeciem credimus habere Simoniæ. Alias ,, ſi gratis, & amicabiliter inter ſe litigantes componant, ſa- ,, cris Canonibus nequaquam dicimus obviare. Et concordat *cap. Conſtitutus 4. eod & cap. Exhibita 9. de rerum permutat. c. Cum pridem 4. de pactis*. Pitonius *de controverſ. Patronor. allegat 100. n. 669. & ſequent.* cum aliis ibi allegatis.

Poteſt tamen ſuper ſpiritualibus fieri tranſactio abſque labe Simoniæ, ſi detur ſpirituale pro ſpirituali, ut decimæ litigioſæ pro parte per tranſactionem dividantur, aut Clerici pro Jure decimandi controverſo ſeſe obligent ad adminiſtranda Sacramenta, & hujuſmodi. *Communis, arg. c. Ad quæſtiones 6. juncto ejus Summario, de rerum permutat*. ubi habetur expreſſe, quod ſpiritualia poſſunt adinvicem permutari, adeo que poteſt etiam ſuper eiſdem tranſigi. 18

Tranſactio ſuper ſpirituali ſubjectione eſt Simoniaca, & conſequenter illicita, & nulla, ſi fiat dato, vel remiſſo aliquo temporali. *Communis*, textu expreſſo *in c. Præterea 10.* juncto ejus Summario *de Tranſactionibus*. 19

Neque poteſt abſque labe ſimoniæ fieri tranſactio ſuper Jurepatronatus, ſeu præſentandi ad Beneficia interventu rei temporalis, ac pretio æſtimabilis, *Communis*, textu expreſſo *in c. Præterea quando 9. de Tranſactionibus*: Et ratio eſt, quia res ſpiritualis non poteſt abſque Simonia dari, aut promitti pro re temporali, *cit. c. Super eo 7. de tranſactionibus*. Juſpatronatus autem, vel ſecundum ſe, & intrinſece eſt ſpirituale, ut tradit Gloſſa *in d. c. Præterea quando, verb. Simoniaca*, ibi: *Quia Juſpatronatus eſt ſpirituale*, vel ſaltem ſpirituali annexum, *c. Quanto 3. de Judiciis* juncta Gloſſa *ibid. verb. Connexa*; *Unde*, ut ibi dicit Gloſſa, *Spirituale cenſetur propter connexitatem*, & ideo non poteſt ſuper ipſo tranſigi interventu rei temporalis, ſine labe Simoniæ, cum ipſa non ſolum committatur in ſpiritualibus ſed etiam in ſpiritualibus annexis, *c. Si quis objecerit 7. cauſ. 1. q. 3.* quia de connexis idem eſt Judicium, *c. Tranſlato 3. de Conſtitutionibus*. Unde ob id Juſpatronatus per ſe vendi non poteſt, *c. De Jure 16. de Jurepatronat.* cum ſimilibus. 20

Prælatus, ſeu Rector Eccleſiæ nequit transſigere de rebus Eccleſiæ immobilibus, vel pretioſis abſque Solemnitatibus a jure requiſitis. Cum enim tranſactio ſit ſpecies alienationis, qua vel rem nobis competentem, aut quam credimus competere, dimittimus, *arg. l. Si quid 1. §. 6. & 9. ff. Si quid in fraudem*, nequit fieri ſuper dictis rebus, ſicut nequit fieri alienatio ſine ſolemnitatibus a Jure requiſitis. *Extravagant. Ambitioſæ de rebus Eccleſ. non alienandis*. 21

Poteſt tamen Prælatus, ſeu Rector Eccleſiæ tranſigere ſuper Juribus Eccleſiæ in præjudicium ſui ipſius, itaut tranſactio teneat pro toto tempore, quod Eccleſiam poſſidebit. Sic deſumitur ex *cap. Veniens 7. §. Mandamus, de tranſactionibus*, & notat Abbas *ibid. num. 1.* & Fagnan. *num. 2.*, *& communis aliorum*, teſte Reiffenſtuel *lib. 1. Decretal. tit. 36. num. 63.* Et ratio eſt, quia talis tranſactio eſt potius inter perſonas, quam inter Eccleſias, ſicque non realis, ſed mere perſonalis, quæ non tranſit ad Succeſſores, ut *ibi* innuit Pontifex: ,, Cum alias tranſactio inter perſonas facta po- ,, tius, quam inter Eccleſias videatur, ne pacta inter alios ,, acta, aliis obeſſe patiamur &c. ,, & habet Gloſſa *ibidem verb. Inter alios*. 22

Talis autem Tranſactio perſonalis ſuper rebus, ſeu Juribus Eccleſiæ fit realis, & obligat ſucceſſores, ſi fuerit a Papa ex certa ſcientia confirmata. Sic colligitur ex *cit. cap. Veniens 8. de tranſactionibus*, & habet expreſſe Gloſſa *ibid. verb. Confirmata* ex pluribus Juribus ibi adductis, & ſequitur Fagnan. *ibid. num. 3.* cum aliis ibi citatis, Reiffenſtuel *loc. cit. num. 64.* & alii paſſim; ac Rota *part. 4. Recent. deciſ. 31. num. 2.* Et ratio eſt, quia, ut argumentatur citata Gloſſa *ibid. verb. Confirmata*, Papa poteſt facere, ut Tranſactio, quæ nulla eſt, ſit aliqua, *arg. cap. ultim. cauſ. 16. queſt. 1. & cap. Cum Apoſtolicæ 7. De his, quæ fiunt a Prælato ſine conſenſu Capituli*, adeoque proſequitur dicta Gloſſa, multo magis poteſt efficere, ut ſit alia, nempe ut ex perſonali fiat realis, cum plus ſit de nihilo aliquid facere, quam de aliquo aliud, *arg. cap. Revera, de conſecrat. diſt. 2., & l. Rem in præſenti 1. in princip. Cod. de rei uxoriæ actione*. 23

Tranſactio ſemel bona fide, ac legitime celebrata, invita altera parte tranſigentium revocari, aut reſcindi non poteſt, *l. Cum te 5. Cod. De Tranſactionib. l. Poſtquam liti 4. Cod. De Pactis*. 24

Immo talis Tranſactio, ne quidem interveniente Reſcripto Principis, revocari valet, textu expreſſo *in l. Cauſas 16. Cod. de tranſactionibus*, ibi: ,, Cauſas, vel lites tranſa- ,, ctionibus legitimis finitas Imperiali Reſcripto reſuſcitari ,, non oportet. 25

Item nec talis Tranſactio reſcindi poteſt prætextu Inſtrumentorum de novo poſtea repertorum ad litem ſopitam pertinentium, textu expreſſo *in l. Sub prætextu 19. Cod. de Tranſ-* 26



*Tranſactionibus*, ibi: ,, Sub prætextu Inſtrumenti poſt reper- ,, ti tranſactionem bona fide finitam reſcindi Jura non patiun- ,, tur *Et concordat* leg. Sub prætextu 29. cod. eod. ibi: Sub ,, prætextu ſpecierum poſt repertarum generali tranſactione ,, finita reſcindi prohibent Jura, & cap. Sicut grave 1. de ,, tranſactionibus.

27 Dummodo tamen in ſupradictis nulla intervenerit fraus, aut dolus, quia ſi adverſarius per ſe, vel per alium alteri parti tranſigenti Inſtrumenta, quibus veritas cognoſci potuiſſet, dolo ſubtraxiſſet, ſicque defectu talium inſtrumentorum cum ſui præjudicio ad tranſigendum coegiſſet, tranſactio poſſet reſcindi actione doli mali competente parti innocenti, & deceptæ. *Communis* textu expreſſo *in cit. l. Sub prætextu 19. Cod. de Tranſactionib.* Fraus enim, & dolus nemini patrocinari debent, *cap. Ex litteris 2. de dolo & contumac. cap. Sedes 15. cap. Ex tenore 16. de Reſcriptis, cap. tuæ 12. de Clericis non reſident. l. In fundo, ff. de rei vindicat leg. Cum hi, ff. de Tranſactionibus leg. Legatarius, Cod. de Legatis*.

28 Unde ſi quis graviter lædat alterum in tranſactione, tenetur in Foro conſcientiæ ad reſtitutionem rei injuſte acceptæ, ſeu retentæ ut certum eſt apud omnes, & inſuper contra eum in Foro externo datur actio de dolo malo; & reſcinditur tranſactio, ſi dolus vere interveniſſe probatur. *Communis*, per text. *in l. De dolo 2. & Non poſſunt 3. Cod. de Dolo malo, l. Qui cum Tutoribus 9. §. 2. ff. de tranſactionibus*, cum ſimilibus, & juribus *num. antecedenti* allegatis.

29 Probabilius eſt, quod Tranſactio etiam bona fide hinc inde celebrata reſcindi poſſet ob læſionem ultra dimidium; Bartolus *in l. Si quis cum aliter 36. n. 4. ff. de verb. ſignificat & l. Rem majoris 2. n. 9. Cod. de reſcindend. vendit.* Abbas *in c. Cum cauſa 6. n. 7. & 8. de empt. vendit.* Engel *lib. 1. decretal. tit. 36. n. 14. &* Reiffenſtuel *ibid. n. 56.* Fachineus *lib. 2. Controverſ. cap. 6.* allegans Rotam Romanam *in 1. part. noviſſima deciſ. 102. n. 2.* & plures alios contra plures alios, & concluſio deſumitur *ex l. In ſumma 65. §. 1. ff. De condictione indebiti*, ubi propter immodicam læſionem, aut evidentem calumniam permittitur quis adverſus tranſactionem venire. Item *ex l. Si Supreſtite 5. Cod. De dolo malo*, ubi expreſſe ſtatuitur, quod filia emancipata, & cum patre bona fide tranſigens, ſi læſa eſt immodice, habeat actionem in factum contra patrem. Item ex *l. Rem majoris 2. Cod. de reſcindenda venditione*, ubi reſcinditur venditio, in qua intervenit læſio ultra dimidium, & de hoc datur ratio, quia iſtud *humanum eſt*, cum autem non ſit hoc minus humanum in tranſactione ob læſionem ultra dimidium, idem de ipſa concludendum eſt. Et concordat *cap. Cum cauſa 6. de emption. & vendition.* cum ſimilibus. Tum quia in Jure dolus ex propoſito, & dolus re ipſa æquiparantur, *arg. l. Si quis cum aliter 36. ff. de verbor. ſignificat*. ibi: *Idem eſt, etſi nullus dolus interceſſerit ſtipulantis, ſed ipſa res in ſe dolum habeat*, & tradunt Covarr. *in c. Quamvis part. 3. §. 4. n. 5. de Pactis in 6.* Gailus *lib. 2. Practic obſervat 147. n. 11.* Fachineus *lib. 12. Controverſ. cap. 6. §. Movet ſecundo*, citans alios, Reiffen. *loc. c. n. 58.* & alii. Atqui ex læſione ultra dimidium dolus re ipſa apparet, atque præſumitur, *l. Omnes 17. §. Lucius ff. Quæ in fraudem Creditor.* & notant citati Auctores cum communi, ergo ſicuti ob dolum ex propoſito reſcindi debet, tranſactio ex dictis *ſupra n. 27. & 28.* ita etiam reſcindi debet ob dolum re ipſa, ſive ob læſionem ultra dimidium; Et enim hoc conformius æquitati naturali, ne quis cum alterius jactura locupletetur, & Juſtitiæ commutativæ, quæ æqualitatem inter contrahentes deſiderat.

30 Eſt tamen vere probabilis etiam contraria ſententia, quam tenent Gloſſa *final. in cit. cap. Cum cauſa 6. de emption. & vendition.* Jaſon in *l. Si quis cum aliter 36. n. 33. & ſeq. de verbor. ſignificat.* & plures alii variis muniti Juribus, & ſignanter *l. Lucius 78. §. Ultim. ff. Ad S. C. Trebellianum*, ubi negatur reſciſſio Tranſactionis ſuper Fideicommiſſo factæ, quamvis ex Inſtrumentis poſtea appareat quadruplo plus in hereditate fuiſſe, & favent *l. Sub prætextu 19. & l. Sub prætextu 29. Cod. de Tranſactionibus, l. A Divo Pio 15. §. Pignora 3. ff. De re judicata*, & plures aliæ, quas affert, ſed tamen ſolvit Fachineus *lib. 2. Controverſ. Juris cap. 6.*

31 Afferuntur varia Decreta Sacræ Congregationis Immunitatis concernentia Tranſactionem inter Eccleſiaſticos, & Laicos, prout referuntur a D. Riccio *in ſua Synopſi, verb. Tranſactio*, ut infra. Tranſactio, ſeu Concordia inter utrumque Clerum, & Ducem, ac Conſiliarios Reipublicæ Sancti Marini pro Collectis certis contribuendis ab Eccleſiaſticis Reipublicæ in perpetuum pro nobis acquiſitis ab Eccleſiaſticis, & locis piis, non tamen primæ erectionis, nec pro Patrimoniis ad Ordines recipiendos aſſignatis confirmatur, dummodo exactio dd. Collectarum ab Eccleſiaſticis fiat per Deputatos Eccleſiaſticos. *Sac. Cong. Imm. in Feretrana 22. Septembris 1693. lib. 1. Decret. Vallem. pag. 76.*

Confirmatur, annuente Sanctiſſimo, concordia ſuper gabella carnis Civitatis Oſcen. facta inter Clerum, & Civitatem, modo accedat conſenſus Cleri Regularis, qui in concordia non interfuit. In hac concordia Eccleſiaſtici ſe obligabant ad emendas carnes in Macellis Civitatis cum certis limitationibus, & reſervationibus, & Civitas ſe obligabat ad ſolutionem certæ ſummæ quolibet anno augendæ, vel minuendæ juxta augumentum, vel diminutionem Eccleſiaſticorum in Civitate ſecundum Fidem Epiſcopi. *Sac. Cong. Immunit. in Oſcen. 22. April. 1692. lib. decret. Crim. pag. 122.* 32

Regularibus repugnantibus ſupraſcriptæ concordiæ Civitatis Oſcen. Epiſcopus præfigat terminum ad deducendum eorum difficultates in Sacra Congregatione. *Sacra Congreg. Immunit. in Oſcen. 2. Junii 1693. libr. 1. Decret. Valleman. pag. 50.* 33

Tandem concordia præfata approbatur juxta declarationem faciendam a D. Secretario, quæ præcipue tenebat ad explicanda aliqua loca dictæ Tranſactionis pro manutentione Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & exequi permittitur, etiam diſſentientibus aliquibus ex Regularibus. *Sacra Congr. Immun. in Oſcen. 25. Maii 1694. l. 1. Decret. Vallem. pag. 124.* 34

Non obſtante Tranſactione, & aliis contractibus factis per ſuperiorem, & Regulares cum Communitate pro ſolvendis oneribus laicis pro bonis acquiſitis, Archiepiſcopus tueatur Libertatem Eccleſiaſticam. *Sac. Congreg. Immun. in Taurinen. 14. Januarii 1698. lib. 4. Decretal. Vallem. pag. 133.* 35

Tranſactio facta ab Eccleſiaſtico de ſolvendis collectis Regiis, eſt caſſanda. *Sacra Cong. Immun. in Reatina 8. Auguſti 1702. lib. 3. Decretal. Vallem. pag. 435.* 36

Quo ad tranſactionem inter Communitatem, & Monaſterium Sanctimonialium Sacra Congr. decernit ſervandam eſſe primam tranſactionem anni 1671. approbatam a Clemente X, quæ eximit Monaſteria a Collectis ſuper bonis acquiſitis uſque ad illum annum. *Sacra Congr. Immun. in Nullius S. Angeli in Vado 14. Januar. 1698. lib. 2. Decretal. Valleman. pag. 133.* 37

Tranſactio ſuper rebus Eccleſiaſticis nequit fieri ſine Beneplacito Apoſtolico. *Communis*. Vide verb. *alienatio art. 4. num. 12.* Et ſi fiat cum reſervatione dicti Beneplaciti, revocari poteſt, adeſtque locus pœnitentiæ ante ipſius impetrationem. Rota *part. 1. recent. dec. 624. num. 12.* Card. de Luca *Benefic. diſc. 51. n. 5. & 6.* cum alii Pignatell. *tom. 1. conſult. 136. num. 4.* & aliis plures. 38

## *Novæ additiones ex aliena manu.*

JUre Romano tranſactio ſuper relictis in teſtamento non inſpectis tabulis facta vitioſa eſt, *L. 6. ff. de Tranſact.* 1

Diſquiri vero ſolet an tranſactio hæc moribus ſuſtineatur, ſi inſpectioni huic fuerit renunciatum, vel juramento ipſa tranſactio confirmata fuerit? 2

Simplicem renunciationem non ſufficere exiſtimant *Mantic. de Tacit. & Ambigu. lib. 1. tit. 2. num. 2. & ſequent. A Sande deciſ. Friſic. lib. 4. tit. 5. defin. 15.* ex ratione illa, quod juri prohibitivo renunciari haud poteſt. 3

At ſi acceſſerit juramentum, valere tranſactionem ex diſpoſitione juris canonici, tenet *Vinnius de Tranſact. cap. 5. n. 8.* eo quia poteſt juramentum hoc ſine peccato ſervari. 4

Cæterum pactum remiſſorium, ſeu gratuitum, quo renunciat quis omni illi quod ſibi in teſtamento relictum eſt, ſubſiſtere firmant *Lauterbach. in compend. jur. lib. 2. tit. 15. Borcholten. de Tranſact. cap. 5. n. 20.* ea adducta ratione quod ceſſat hic ratio illa prohibitiva tranſactionis, quod Homines modico incontinenti dato, inexpectato obvenientia facile repudiare ſolent; *L. 8. princip. ff. de tranſact.* Contrarius vero eſt *Strich. in uſ. modern. Pandect. lib. 2. tit. 15. §. 10.* Verum (inquit) ,, & hic forte exiſtimabit paciſcens parum ,, ſibi relictum eſſe; unde ad liberalem repudiationem exigui ,, lucri facile induci potuit, non idem forte facturus, ſi quan- ,, titatem relicti in teſtamento ſciviſſet. Nec quidquam ſtrin- ,, git Hunnii ratio, quod illa, quæ in teſtamento relicta, aut ,, inte- 5

6

„ integra acceptanda , aut integra repudianda . Hoc enim
„ in ipſa Hæreditate concedo , in Legato nego . Immo nec
„ legatum pro parte ſic accepto , ſed integrum ; partem
„ vero vi tranſactionis alteri cedo . Vix ergo ſine juramento
„ tale ſubſiſtet pactum

7 Pariter Jure Romano de alimentis in teſtamento relictis tranſigi haud poteſt , niſi auctore Prætore , *L.* 8. *prin. ff. de* 8 *tranſact.* & *L.* 8. *Cod. eod.* niſi melior reddatur conditio ali- 9 mentorum, *dict. l.* 8. §.6. At prohibitum haud eſſe pactum, quo alimenta futura gratis remittantur , tenent *Hunnius de tranſact. c.*3. *exercit.* 22. *Vinn. eod. tract. cap.* 6. *n. final.*

10 Sed & contradicit *Stryk. in uſ. modern. Pandect. libr.* 2. *dict. titul.* 15. §. 11. Adde *Coler. de Aliment. lib.* 2. *cap.* 8. 11 *n.* 48. *& ſeq.* Accedente vero juramento ſuſtineri & tranſactionem , ſentiunt *Bachov. hoc titul. de tranſact. cap.* 2. *n.*8. *Vinn. eod. tractat. cap.* 6. *n.* 16.

12 An & Decretum Judicis requiratur in ceſſione alimentorum ex contractu debitorum , vide apud *Rot. in Romana Ceſſionis* 11. *Junii* 1731. & in confirmatoria 8. *Decembris ejuſdem anni cor. clar. mem. Aldrov.*

13 Reliquum eſt , ut diſpiciatur , an tranſactio hodie involvat novationem . Affirmat *Anton. Faber in Codic. hoc. titul. de fin.* 2. At negat , & quidem rectius innixus in *l. final. Codic. de Novat. Strykius in uſ. modern. Pandect. dict. l.* 2. *dict. tit.* 15. §. 4.

14 Utilis vero eſt hæc obſervatio ; nam ſi tranſactioni haud ineſt novatio , non liberantur pignora , & fidejuſſores prioris 15 obligationis . Immo , & priſtina actione agi poteſt , recuſante altero implere tranſactionem ; *Stryk. ubi ſupra.*

## TRANSITUS.

1 **R**Egulares profeſſi non poſſunt ad aliam Religionem , etiam ſtrictiorem tranſire ſine licentia Sedis Apoſtolicæ . Monacell. *tom.* 2. *tit.* 16. *formul.* 3. *num.* 18. Donatus *Prax. rerum Regular. tom.*2. *part.* 2. *tract.* 5. *quæſt.*22. *num.* 11. & *Communis aliorum* ex praxi , & Stilo Curiæ , & quoad tranſitum ad alias Religiones edita eſt noviſſime a Benedict. XIII. Conſtit. incip. *Licet Sacra.* Vide verb. *Regulares art.*1. *num.* 61. ubi affertur ad litteram .

2 Regulares profeſſi tranſeuntes de licentia Sedis Apoſtolicæ ad laxiorem Religionem etiam ejuſdem Ordinis, tenentur in ſecunda Religione novum annum probationis peragere , & ibi Profeſſionem emittere . Sic *Sacra Cong. Concilii* , quæ apud Fagnan. *lib.* 3. *Decretal. in cap. Ad Apoſtolicam* 16. *de Regularibus num.*67. expreſſe reſpondit , *Tranſeuntem de licentia Sedis Apoſtolicæ ad laxiorem etiam ejuſdem Ordinis teneri in ſecunda Religione novum annum probationis peragere .*

3 Regularis profeſſus , qui habet Indultum Apoſtolicum tranſeundi ad aliam Religionem , non poteſt tranſire ad laxiorem . Concil. Tridentin. *cap.* 1. *ſeſſ.* 25. *de Regularibus*, & *Sacra Congr. Concilii in Cajetana Tranſitus* 4. *Mar.*1703. in qua Reſcriptum fuit: *Tranſitum ad laxiorem fuiſſe nullum, & Orator omnino intra menſem redeat ad ſuam Religionem* ; Sic apud Monacell. *tom.* 4. *ſupplement. ad* 2. *tom. n.*455.

4 Si tamen indultum ſit conceſſum tranſeundi ad quamcumque Religionem , in qua Regularis , & Clauſtralis Obſervantia vigeat tunc poteſt tranſire etiam ad laxiorem : Dummodo ſit Religio Clauſtralis, & Regularis, quia , cum Apoſtolicum Indultum limitaverit Religionem Clauſtralem , & Regularem , videtur noluiſſe limitare qualitatem Religionis circa arctitudinem majorem, vel minorem , alias id expreſſiſſet , *arg. c. Inter corporalia* 2. *de translation. Epiſcop. §. Sed neque iſtud* , *cap. Ad audientiam* 12. *de Decimis*, & *cap. Quia circa* 22. *de Privilegiis.* Sic recte notant Eminent. Petra *tom.* 5. *Commentar. ad Conſt.* 3. *Calliſti III. n.*9. referens, quod cum hujuſmodi Breve obtinuiſſet quidam Monachus Camaldulenſis generaliter ad aliam Religionem, ubi Regularis , & Clauſtralis Obſervantia vigeret, & inde tranſiiſſet ad laxiorem Canonicorum Regularium S. Auguſtini Congregationis Ultienſis , & diſputato dubio in Sacra Congregatione Concilii ex remiſſione facta per Sacram Pœnitentiariam , *Sac. Cong. in Taurinenſi Tranſitus* 6. *Auguſti* 1712. *reſcripſit Conſtare de validitate tranſitus* , nulla facta difficultate circa laxiorem qualitatem Canonicorum Regularium . Hæc ipſe .

5 Tranſitus Regularium Converſorum ad ſtatum Clericalem etiam in anno Novitiatus eſt prohibitus ; Unde non poteſt concedi niſi a Sede Apoſtolica : Habetur ex Decretis Clementis VIII. editis pro Inſtitutione Novitiorum in Monaſteriis deſignatis , vel deſignandis , Conſtitut. incip. *Cum ad Regularem n.* 23. ubi ſic expreſſe ſtatuitur : *Sed qui ad Converſorum habitum recepti fuerint , ad Clericorum ſtatum tranſire , etiam durante tempore probationis , non poſſunt.* Quæ Decreta Clementis VIII. confirmata fuerunt juſſu Urbani VIII. a Sacra Congreg. Conc. *in Decretis de Apoſtatis* , & *Ejectis* , & ita Card. Petra *tom.* 4. *Commentar. ad Conſtitut.* 8. *Eugenii IV. num.* 6. ubi expreſſe dicit , quod proinde hic tranſitus fieri non poteſt , niſi cum licentia Papæ , quamvis Jure antiquo id fieri potuerit cum licentia Superiorum Regularium ; Paſſerin. *de ſtatib. homin. tom.* 3. *q.* 189. *art.* 8. *n.*227. Donatus *Prax. rer. Regul. tom.*2. *tract.* 14. *quæſt.*14. recte dicens , quod optima ratione id factum eſt , ut juxta præceptum Apoſtoli 1. *ad Corinth. cap.* 7. *Unuſquiſque permaneat in ea vocatione , in qua vocatus eſt* , ut auferatur anſa , & occaſio ambitionis , qua ſolent homines altiora appetere non ſine murmure , & Prælatorum moleſtia .

Et a fortiori , ſi jam Profeſſionem emiſerint in ſtatu Lai- 6 corum , ſeu Converſorum , non poſſunt de ſola licentia Prælati Regularis, & Definitorii tranſire ad ſtatum Clericorum, ſed talis licentia obtineri debet a Sede Apoſtolica, quæ ad id ſolet expedire Brevia cum clauſula , *De licentia tamen ſuorum Superiorum*, quæ debet intelligi copulative de illa Generalis & Provincialis ſimul, prout expreſſe declaravit *Sacra Cong. Epiſcop. & Regul. de mandato Urbani VIII. die* 2. *Aug.* 1630. apud Peyrin. *de Prælat. quæſt.* 3. *cap.* 1. §. 6. *n.*149. nempe *clauſulam: De licentia Superiorum in Brevibus prædictis appoſitam , eſſe intelligendam de Generali Ordinis , & Provinciali Oblatorum hujuſmodi, ita ut pro eorumdem Brevium executione requiratur utriuſque licentia, & conſenſus .*

Et quod Laici , ſeu Converſi profeſſi non poſſint tranſire 7 ad ſtatum Clericalem de ſola licentia Prælati Regularis, clare habetur ex cit. Decret. Clementis VIII. per illa adducta verba : *Etiam durante tempore probationis , non poſſint*, quæ manifeſte indicant a fortiori ſic tranſire non poſſe poſt jam emiſſam Profeſſionem . Et id expreſſe decrevit Sac. Cong. Epiſcop. & Regular. ſub pœna ſuſpenſionis ab Officio Superioribus talem facultatem concedentibus, ut refert Nicolius *in Floſculis verb. Converſus n.* 3. his verbis : Superiores , qui contra Decretum Clementis VIII. ſuper receptione , & inſtitutione Novitiorum 19. Mart. 1603. ſub Conſtit. 82. incip. *Cum ad Regularem* , §. 23. tenoris ſubſequentis: *Qui ad converſorum habitum recepti fuerint, ad clericorum ſtatum tranſire etiam durante tempore probationis non poſſint* , dant eiſdem Converſis licentiam tranſeundi ad ſtatum Clericalem, ſuſpendi debent ab Officio ad tempus; Tranſeuntes vero reducendi ſunt ad Laicalem cum perpetua ſuſpenſione a ſuſceptis Ordinibus . Hæc ille adducens ad id Decretum *Sacra Cong. Epiſcop. & Regul. in una Minimorum* 14. *Febr.* 1620. & 26. *Jan.* 1646. Et ſic etiam *Ead. Sacra Congreg. Epiſc. & Regul. decrevit in una Auguſtinianorum* 23. *Jan.* 1631. apud d. Nicolium *loc. cit.* Item pro Congregatione Hiſpaniæ , Fratrum diſcalceatorum de Ordine SS. Trinitatis Redemptionis Captivor. id ſtatuit Alexander VII. Conſtitut. 138. incip. *Paſtoralis Officii.* Item pro Ordine Eremitarum S. Auguſtini Clemens X. Conſt. incip. *Exponi* , teſte Lantuſca *in Theatr. Regular. verb. Laici ſeu Converſi in ſupplement. ſub n.* 2. Et hoc probat praxis, & Stylus Curiæ, & ſignanter Sac. Cong. Concilii , quæ dignis de cauſis hanc licentiam concedit , ut conceſſit in una Ordinis S. Mariæ de Mercede *die* 16. *Jan.* 1700. cuidam Laico , ſeu Converſo , attento quod in Religione ſtudiis vacaſſet, ac ſe ad Clericorum munus idoneum reddidiſſet; Et aliis dignis de cauſis hanc licentiam denegat, ut denegavit in una Ordinis Prædicatorum Provinciæ Beticæ *die* 16. *Matii* 1700. cuidam alteri Religioſo Laico vix idoneo ad Divina peragenda, quamvis ipſe tranſitum exoptaret ob nimiam devotionem erga SS. Euchariſtiæ Sacramentum , eſſetque vitæ exemplaris , ac de Religione optime meritus. Sic refert Emin. Petra *cit. tom.*4. *Comment. ad Conſtit.* 8. *Eugenii IV. n.* 16.

Converſi , ſeu Laici ex Indulto Apoſtolico tranſeuntis ad 8 ſtatum Clericalem præcedentia initium ſumere debet a die Clericatus , non autem a die ſuſceptionis Habitus Converſorum. *Sacra Congreg. Epiſcop. & Regul. in una Minorum de Obſervantia* 26. *Februarii* 1649. apud Lantuſc. *in Theatr. Regul. verb. Præcedentia n.* 3. & *Sac. Congr. Concil. in una Minimorum Sancti Franciſci de Paula* 15. *Aprilis* 1684. apud Card. Petram *tom.* 4. *Comm entar. ad Conſtit.* 8. *Eugenii IV. ſub n.*17.



9 Tranſitus de ſtatu Clericali ad illum Converſorum juſta cauſa concurrere poteſt fieri cum ſola licentia Prælati Regularis , ſcilicet Provincialis , aut Generalis cum conſenſu Diſcretorum , vel alias prout cujuſque Ordinis ſtatuta præſcribunt ; Dummodo tranſiens in Ordinibus Sacris non ſit conſtitutus . Donatus *loco cit. quæſt.* 19. cum pluribus ibi citatis , Pellizzarius *in Manual. Regul. tom.* 1. *tract.* 3. *cap.*15. *ſect.* 3. *num.* 136. *Lezana in ſumma qu. Regular. par.* 1. *cap.* 22. *num.* 25. Murga *ad Conſtit.* 7. *Alexandri IV. num.* 153. Card. Petra *loco cit. num.* 16. ubi cum Sanchez *lib.* 6. *Moral. cap.* 7. *num.* 80. dicit , Prælatum Regularem hunc tranſitum non ſolum permittere , ſed etiam jubere poſſe ob punitionem delicti ; Quamvis tamen conſultius cenſeam in ſimilibus caſibus recurrendum eſſe pro providentia ad Sedem Apoſtolicam .

10 Quoad ea , quæ concernunt Affiliationes Regularium in aliis Conventibus , & tranſitus ad alienas Provincias . Vide verb. *Affiliatio per tot.*

11 Tranſitus de Ritu Græco ad Latinum , vel e contra , non permittitur abſque licentia Papæ . Card. Petra *tom.* 4. *Comment. ad Conſtit.* 17. *Eugenii IV. ſect.* 2. *n.* 12. , & *Communis aliorum* per Conſtitutionem 12. S. Pii V. incip. *Providentia.*

12 Facilius tamen permittitur tranſitus a Græco ad Latinum, & nunquam regulariter de Latino ad Græcum . Cardinal. Petra *loco c. num.* 13. cum Verricell. , & Dandino ibi citatis , teſtans de uſu Sac. Congreg. Supremæ Inquiſitionis .

13 Capitulo , Canonicis , & Parochis licitum non eſt aliquid exigere ratione tranſitus per eorum Parochiam , quando funus ducitur ab una Parochia ad Eccleſiam funeris ſitam in alia Parochia ; *Sacra Congregat. Concil. in Trojana Funerum* 7. & 21. *Maii* 1701. *ad* 4. *dub. Sacra Congreg. Epiſcopor.*, & *Regular. in Placentina* 14. *Novembr.* 1713. *ad* 2. *dub.* Ubi 14 etiam ſtatuit , quod occaſione funerationis cadaverum alterius Diœceſis , aut Parochiæ in Eccleſiis Regularium , poteſt proprius Parochus defuncti ad effectum deferendi proceſſionaliter cadaver ad dictas Eccleſias , libere tranſire per quaſcumque Diœceſes , & Parochias Stola , & Croce elevata , etiam inquiſitis earumdem Parochis . Vide verb. *Parochus art.*3. *n.*36, & *ſeq.*

15 Tranſitus Regularium de uno ad alium Ordinem concedi poteſt a Cardinali Summo Pœnitentiario , nedum a laxiore ad arctiorem , verum etiam ad æqualem ; & ab arctiori ad laxiorem , ob juſtas tamen , & graves reſpective ab eodem probandas , audito prius Superiore Ordinis a quo , & cum conſenſu Superioris Ordinis ad quem. Et pro majori tranſitus 16 firmitate , poteſt in his omnibus idem major Pœnitentiarius Statutis, & Privilegiis Apoſtolicis quomodolibet obſtantibus opportune derogare ; Benedict. XIV. tom. 2. Conſtit. 95. incip. *Paſtor bonus* §. 34.

Non poteſt tamen ipſum tranſitum concedere Summus 17 Pœnitentiarius a Religione Clauſtrali ad Ordines Hoſpitalarios , aut Militares, excepto Ordine S. Joannis de Deo, nec ad Ordinem S. Benedicti antiquioris obſervantiæ , aliaſque ſimiles Congregationes ; Idem *ib.* §. 35. Tranſitus autem ad Ordinem Hoſpitalarium S. Spiritus in Saxia ſpecialiter, & 18 omnimodo prohibetur ; Idem Conſtit. 15. incip. *Sæpe Romanorum* §. 5. confirmans ad id Conſtitutionem Benedict. XIII. incip. *Sacra* .

Concedere etiam poteſt Major Pœnitentiarius tranſitum ab 19 uno Monaſterio ad aliud , Monialibus tantum ultra montes exiſtentibus, legitima concurrente cauſa , in Signatura diſcutienda , & approbanda ; Committendo tamen facultatem 20 hujuſmodi tranſitus admittendi , & exequendi , arbitrio Ordinarii , clauſulis opportunis pro caſuum veritate ; Idem in cit. Conſtit. *Paſtor bonus* §. 36.

21 Tranſitus Regularium ab Ordine laxiore ad ſtrictiorem impediri non debet ſine cauſa . Idem tom. 2. Conſtit. incip. *Ex quo* . Si Superiores duorum Ordinum diſſentiant, Judi- 22 cium ad Sedem Apoſtolicam devolvitur , quæ concedere ſolet ſtrictum tranſitum cum derogatione ſuper conſenſu Superioris Ordinis laxioris . Idem *ibid.*

23 A Regularibus ſe prætendentibus Apoſtolica facultate translatos ad ſtatum Clericalem ſæcularem , vel ad Ordines , in quibus non vigeat Clauſtralis obſervantia , vel ad Ordines Militares , aut Hoſpitalarios ( ad quos non niſi perraro , & graviſſimis , rationabilibuſque de cauſis ſolet tranſitus concedi ) & actu degentibus extra clauſtra , debent Epiſcopi exquirere de veritate talis Indulti , & eos compellere adhibita etiam vi , ad ſibi hujuſmodi Indultum oſtendendum , atque inſimul , poſtquam illud perlegerint, diligenter expendere cauſas in ipſo Indulto contentas , & expreſſas , veræ ne, an falſæ ſint . Quod ſi illud Indultum commonſtrare , & tradere detrectaverint , adverſus ipſos , juris Ordine ſervato ſtatim procedere juxta facultatem ſibi attributam a Concilio Tridentino *cap.* 3. *ſeſſ.* 6. *de reformat.* Et ſi Indulti cauſas 24 minime veras eſſe compererint , non debent dubitare ſuper ejus ſubreptione , ſeu obreptione pronunciare , & adverſus Religioſum procedere extra clauſtra ſine facultate degentem . Idem tom. 2. Conſtitut. incipien. *Pontificia commendatione.*

Tranſitus a Ritu Laico ad Græcum eſt omnino interdictus. 25 Benedictus XIV. tom. 1. Conſtitut. 57. incip. *Etſi Paſtoralis* §. 2. Tranſitus vero a Ritu Græco ad Latinum permittitur 26 pueris de conſenſu Patris Græci & licentia Epiſcopi Latini. Idem *ibid.* Adultis autem laicis de licentia Epiſcopi Diœce- 27 ſani . Idem *ibid.*

Tranſitus a Ritu Græco ad Latinum prohibetur Commu- 28 nitatibus Italo-Græcorum , ſive Albanenſium abſque licentia Sedis Apoſtolicæ. Idem *ibid.* Item Eccleſiaſticis quibuſ- 29 cumque abſque ſimili licentia S. Sedis . Idem *ibid.* Tranſitus 30 a Ritu Græcorum Melchitarum ad Latinum , aut Maroniticum Ritum interdicitur . Idem Conſtitut. 87. incipien. *Demandatam* .

### *Novæ Additiones ex aliena manu .*

**G**Ravis hic ſe offert quæſtio , an tranſeunte Abbate ali- 1 cujus Monaſterii ad Religionem ſtrictioris obſervantiæ procedi ſtatim valeat ad electionem Succeſſoris in Prælaturam ?

In eam itum eſt ſententiam, non poſſe durante Novitiatu , 2 & ante profeſſionem novæ Religionis ; idque quia ad electionem Succeſſoris deveniri haud poteſt , priuſquam vacet Abbatia ; *cap. Nulla de conceſſ. Præbend.* Hæc autem minime vacat ante emiſſam ab Abbate profeſſionem in nova Religione . Durante enim Novitiatu non deſinit ille eſſe Abbas Monaſterii , a quo tranſiit, & ita quidem , ut ſi a Novitiatu egrederetur , fortaſſe quod perferre nequiret rigorem novæ Religionis , rediret ad Monaſterium , & ipſam etiam Abbatiam ; *Vvieſtner. in Decretal. lib.* 3. *tit.* 31. *num.* 133. *Donat. Prax. Regular. tom.*1. *part.*2. *tract.*5. *q.*52. *num.*1, & *plur. ſequent.* & rurſus *quæſt.* 55. *num.* 1, & 4. ubi quod durante Novitiatu in ſuſpenſo remanent jura omnia a priori Religione dependentia .

Non ignoro , eſſe , qui tenent ipſo ingreſſu in Novitiatum 3 ſtrictioris Religionis Abbatiam vacare per tacitam renunciationem . At opinio hæc aperte contradicit *cap.* 4. *de Regular. in* 6. ibi: *Beneficia illius , qui Religionem ingreditur, non eſt intra probationis annum alicui conferendum , niſi ipſius accedat aſſenſus .* Hinc enim manifeſtum redditur , ſolo ingreſſu in Novitiatum non induci renunciationem Beneficii , quum alias citra aſſenſum fas eſſet conferre Beneficium illud. Confer *Vvieſtner in Decretal. lib.*3. *tit.* 31. *num.*155. qui & aliam reddit rationem , quod ex diſpoſitione Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de Regular.* non aliter teneat quælibet renunciatio emiſſa a Novitio , niſi facta ſit intra duos menſes ante profeſſionem . Sed dubito an diſpoſitio hæc locum ſibi vindicare queat quoad Regulares tranſeuntes ad aliam Religionem .

## TRANSLATIO.

**T**Ranslato Feſto , in cujus die conceditur Indulgentia , 1 non transfertur etiam Indulgentia , niſi ex conceſſione ſpeciali. *Sac. Congreg. Rit.* 10. *Junii* 1690.

Feſtum duplex occurens ante Octavam non privilegiatam 2 non eſt transferendum poſt Octavam , ſed infra eamdem celebrandum prima die non impedita. *Sac. Congrg. Rit.* 30. *Septemb.* 1679.

Feſtum ſemiduplex occurrens in Feſto duplici infra Octa- 3 vam non privilegiatam non eſt transferendum poſt illam , quando dies immediate ſequens alio Feſto duplici , vel ſemiduplici , impedita non fuerit , ſed faciendum tunc eſt Officium

ficium die immediate ſequenti, *Sac. Rit. Cong.* 30. *Septembris* 1679.
4 Officium ſemiduplex occurrens in Dominica infra Octa-
vam nonprivilegiatam non erat olim celebrandum in feria
ſecunda ſequenti licet non impedita, ſi adeſſet reponendum
aliud Feſtum altioris ritus. *Sac. Rituum Congreg.* 1. *Maii*
1681. Secus tamen hodie propter poſterius Decretum rela-
tum infra *ſub num.* 19. *&* 20.
5 Non eſt transferendum in diem immediate ſequentem Fe-
ſtum illud, ante cujus translationem habentur reponenda
alia Officia prius translata ejuſdem ritus, non obſtante De-
creto edito *die* 30. *Septembris* 1679. Quoad vero Feſtum ſe-
miduplex in Dominica infra Octavam occurrens, omnino ſer-
vanda eſt Rubrica generalis Breviarii de Translatione Feſto-
rum *n.* 5. *Sacra Congr. Rit.* 22. *Decemb.* 1696. Vide tamen
Reſolutiones Sacræ Congreg. *tom.* 8. ubi afferuntur contra-
ria recentiora Decreta, & ſerva ut ibi.
6 In reſponſione duorum, vel plurium Feſtorum ritum ha-
bentium eumdem, & die occurrentium diverſa, attendatur
prioritas translationis, niſi attendenda ſit major Dignitas.
*Sac. Rit. Cong.* 13. *Junii* 1682.
7 Si plura ſint transferenda Feſta, quæ eadem die occur-
runt, & quibus non convenit ratio majoris Dignitatis, at-
tendatur in eorum repoſitione major apparatus, vel populi
concurſus, ex quo vocatur etiam major ſolemnitas, ſuppoſi-
tos tamen, quod ſint ejuſdem ritus. *Sac. Rit. Cong.* 20. *Ju-
lii* 1686.
8 Officium particulare alicujus Diœceſis, vel Religionis,
quod occurrit die 25. Februarii, eſt tranferendum in anno
Biſſextili ad primam diem non impeditam; Dummodo ſit du-
plex primæ Claſſis. *Sac. Rit. Congreg.* 7. *Septemb.* 1680.
9 Si occurrerint, vel fuerint transferenda duo Feſta ejuſdem
ritus, quæ unica die occurrebant, quorum unum ſit univer-
ſale, & alterum particulare alicujus Diœceſis, vel Religio-
nis, prius fiat de univerſali, deinde de particulari, niſi ob-
ſtet ratio majoris dignitatis. *Sacra Rit. Congr.* 27. *Septem-
bris* 1698.
10 Si ſimul ſint transferenda Feſta S. Marci Evangeliſtæ, &
SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, prius reponatur Fe-
ſtum S. Marci, deinde Feſtum Apoſtolorum. *Sac. Rit. Con-
greg.* 18. *Septemb.* 1666.
11 Si ſimul transferenda ſint Feſta S. Joſephi, & Annuncia-
tionis B. M. V. prius reponatur Annunciationis Feſtum,
deinde S. Joſephi, non obſtante Decreto edito in contra-
rium *ſub die* 12. *Junii* 1602. *Sacra Congregatio Rituum*
14. *Junii* 1602.
12 Si Feſtum Annunciationis B. M. V. occurrerit in feria
ſexta in Paraſceve, vel Sabbatho Sancto, transfertur ejus
Officium una cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi
ab operibus ſervilibus ad Feriam ſecundam poſt Dominicam
in Albis, protracto ad aliam diem Feſto in ea occurrente,
niſi fuerit duplex primæ Claſſis. *Sacra Rituum Congregat.*
11. *Martii* 1690. Vide tamen verb. *Reſolutiones Sacrarum
Congregationum tom.* 8. ubi dantur ad id quædam notabilia.
13 Si Feſtum S. Confeſſoris transferantur in proxime ſequen-
tem diem, in Hymno *Iſte Confeſſor &c.* nulla ſit mutatio
Verſiculi, ſed dicitur *Meruit beatas*. Dummodo primæ Ve-
ſperæ non ſint impeditæ. *Sac. Rit. Cong.* 13. *Januarii* 1683.
14 Translato autem Feſto S. Confeſſoris ultra ſequentem diem,
in Hymno *Iſte Confeſſor* facienda eſt mutatio Verſiculi, di-
cendo *Meruit ſupremos*. *Sacra Rit. Congr.* 14. *Junii* 1692.
15 Officium Nominis B. M. Virginis occurrens in Feſto Exal-
tationis Sanctæ Crucis, vel in alio altioris ritus, aut Digni-
tatis, transferatur, non vero omittatur. *Sacra Rit. Congr.*
20. *Julii* 1686.
16 Si in die Commemorationis omnium Fidelium Defuncto-
rum occurrerit Dominica, vel alicubi Feſtum de præcepto
diei Dominico æquale, officium cum Miſſa Defunctorum
transferatur in ſequentem diem etiam Feſto duplici impedi-
tam. *Sacra Rit. Cong.* 5. *Octob.* 1687.
17 Feſta duplicia, & ſemiduplicia translata præferenda ſunt
Officiis ſemel in hebdomada conceſſis, ita ut Feſtum duplex,
ſeu Semiduplex etiam translatum, nec non dies Octavæ ſit
dies impeditus reſpectu talium Officiorum. *Sacr. Cong. Rit.*
8. *Feb.* 1699. *&* 20. *Martii* 1706. Vide *Reſolut. Sacrarum
Congregationum*, ubi affertur Decr. ad litteram.
18 Officia Sanctorum, quæ alicubi ſuperſunt de menſe De-
cembris alias transferri poterant in annum ſequentem ex
Decreto *S. Rit. Congr.* 7. *Decembris* 1680. At nunc id veti-
tum eſt ex Decreto ejuſdem *Sac. Rit. Congr. die* 26. *Novem-
bris* 1735. *&* 8. *Martii* 1738. Vide *Reſolutiones Sacrorum
Congregationum*, ubi affertur Decretum ad litteram.
Officium Semiduplex in Dominica infra Octavam non 19
privilegiatam occurrens tantum habet Juris in feria ſecunda
immediate ſequenti non impedita, ut non cedat duplici pri-
mæ Claſſis translato. *Sac. Rit. Cong.* 16. *Septemb.* 1702.
Pluribus Feſtis ejuſdem ritus translatis, Officium de primo 20
translato recitandum eſt, etiamſi ultimo translatum poſſet in
diem immediate ſequentem transferri, non obſtante quocum-
que alio Decreto in contrarium. Semiduplex tamen occur-
rens in Dominica infra Octavam non privilegiatam celebran-
dum eſt ante quodcumque prius translatum etiam 1. Claſſis
feria 2. immediate ſequenti, alio Feſto occurrente non impe-
dita. *Sac. Rit. Congr.* 16. *Septemb.* 1702.
Alia ad rem. Vide verb. *Feſtum Octavæ*, verb. *Officium* 21
*Divinum*, *Reſolutiones Sacrarum Congregationum*, Rubr. *De
Translatione Feſtorum*.
Monialis translata ad aliud Monaſterium, niſi aliud diſpo- 22
nat Sacra Congregatio, relinquit dotem primo, ſolvitque
novam ſecundo. Sic pluries decrevit *Sac. Epiſcop. Congr.* Vi-
de verb. *Monialis art.* 2. *n.* 50. ubi dantur Decreta.
An Monialis translata, vel Regularis translatus poſſit ſe- 23
cum deferre ad Monaſterium, *ad quod*, vel debeat relinque-
re Monaſterio *a quo* bona quæ habet, Vide d. verb. *Monia-
lis art.* 2. *n.* 51. & verb. *Affiliatio Religioſorum*.
Quoad ea, quæ concernunt translationem Epiſcopi de 24
una ad aliam Eccleſiam. Vide verb. *Epiſcopus art.* 3. *a
n.* 40. *ad* 46.
Quoad ea, quæ concernunt translationem Conventuum. 25
Vide verb. *Conventus art.* 1. *n.* 11. *&* 12.
Quoad ea, quæ concernunt translationem Immaginum, 26
& Reliquiarum. Vide verb. *Imagines*, & verb. *Veneratio
Sanctorum*.

## TREBELLIANICA.

Vide verb. *Imagines*, & verb. *Veneratio Sanctorum*.

## TREGUA.

TRegua eſt ſecuritas perſonis, & rebus ad tempus præ- 1
ſtita bello, vel diſcordia, ſeu lite nondum finita. *Sic
in re Communis*. Unde Treguæ in jure Civili vocantur alio 2
nomine *Induciæ* (vulgo Armiſtitium) quia Tregua proprie
dicta nihil aliud eſt, quam Induciæ belli, cum ſcilicet inter
hoſtes ad breve tempus convenit, ne ſe invicem armis laceſ-
ſant, textu expreſſo *in l. Poſtliminium* 29. §. 1. *ff. De Ca-
ptivis*, *& poſtliminio reverſis*, ibi: *Induciæ ſunt, cum in
breve, & in præſens tempus convenit, ne invicem ſe laceſ-
ſant*. Pax autem ad differentiam Træguæ eſt totalis, & per- 3
petua diſcordiæ, ſeu litis, aut belli peremptio voluntarie
inter litigantes facta: Non enim Pax quæritur, ut bellum
excitetur, ſed bellum geritur, ut pax acquiratur, *c. Noli*, 3.
*cauſ.* 23. *q.* 1.
Tregua eſt duplex, ſcilicet Conventionalis, & Canonica, 4
ſeu Legalis. Sic Gloſſa communiter recepta *in c. Treguas* 1.
*verb. Frangere*, *de Tregua*, *& Pace*.
Tregua *Conventionalis* eſt illa, quæ ex libera litigantium 5
voluntate initur, & ex conventione formam, & modum
recipit, ſicuti quilibet alius contractus; *l. Depoſitum* 1. §. 6.
*ff. Depoſiti*, *c. Contractus* 86. *de Reg. Jur. in* 6. Unde hæ Tre-
guæ, ſeu Induciæ conventionales inter gentium Jura nume-
rantur, *c. Jus gentium* 9. *diſt.* 1. Omnium enim gentium uſu,
& conſenſu ſecundum naturalem æquitatem conſtitutum eſt,
ut etiam hoſti fides data ſervanda ſit, *c. Nullis* 3. *cauſ.* 23.
*q.* 1. Dummodo is quoque ex ſua parte fidem ſervet, *c. Per-
venit* 2. *de Jurejurando c.* 2. *cauſ.* 28. *q.* 2.
Tregua *Canonica*, ſeu *Legalis* eſt illa, quæ per Canonem, 6
ſeu Legem conſtituta eſt, de qua ſit mentio *in c. Tregua* 1.
*& c. Innovamus* 2. *de Tregua*, & *pace*.
Unde *in cit. cap. Treguas* aſſignantur dies, in quibus ſervan- 7
dæ ſunt Treguæ præciſis his verbis; *Treguas a quarta Feria
poſt occaſum ſolis uſque ad ſecundam feriam in ortu ſolis ab ad-
ventu Domini uſque ad Octavas Epiphaniæ, & a Septuageſima
uſque ad Octavas Paſchæ ab omnibus inviolabilites obſervari
præcipimus*. Et inſuper ſtatuuntur graviſſimæ pœnæ contra 8
eas violantes ibi: „ Si quis autem Treguas frangere præſum-
„ pſerit, poſt tertiam admonitionem (*ſi non ſatisfacerit*)
„ ſuus Epiſcopus ſententiam Excommunicationis dictet in
„ eum, & ſcriptam vicinis Epiſcopis annuntient, quorum
„ nullus excommunicatum in communione recipiat, immo
„ ſcriptam ſententiam quiſque confirmet.
Et *in cit. c. Innovamus* 2. *de tregua*, aſſignantur perſonæ,
9 quæ gaudent Tregua, ſeu ſecuritate perpetua, ita ut belli
Duces, & milites eas moleſtare non poſſint, ibi „ Innova-
„ mus, ut Presbyteri, Monachi, Converſi, Peregrini,
„ Ruſtici euntes, vel redeuntes, vel in agricultura exiſten-
„ tes, & animalia, quibus arant, & ſemina portant ad agrum,
„ congrua ſecuritate lætentur.
At vero iſti duo Canones non ſunt uſu recepti, nec proin-
10 de hodie tenet, ut notant Gloſſa *in cit. c.* Treguas *verb. Fran-
gere*, Abbas, Innoc. & alii Expoſitores communiter.
An autem, quando, & quibus de cauſis inita Pax, &
11 Tregua cum hoſtibus frangi poſſit, eique bellum indici, vel
non? Vide verb. *Bellum per tot.* ubi cuncta, quæ Bellum
concernunt in quinque diſtinctis articulis fuſe diſcutiuntur.

## TRIBUTUM.

Vide verb. *Gabella*.

## TRIDENTINI CONCILII DECRETA.

*Suppplementa Auctoris e II. Editione.*

1 TRidentini Concilii Decreta enunciantur, & impleri Ju-
bentur circa Juriſdictionem Epiſcoporum in omnes ani-
marum curam gerentes, & in Eccleſias, quibus adnexa eſt
hujuſmodi cura. Benedictus XIV. tom. 2. Conſtit. 1. incip.
2 *Quamvis* & Conſtit. 33. incip. *Inter multa*. Item ſuper ele-
ctione dignioris inter approbatos ad animarum curam. Idem
Conſtit. 4. incip. *Reditæ Nobis*.
3 Item ſuper juriſdictione Epiſcoporum in Regulares extra
Clauſtra degentes. Idem Conſtit. 7. incip. *Pontificia Com-
4 mendatione*. Item ſuper Ordinationibus Regularium, & ſu-
per abolitione privilegiorum recipiendi Ordines a quocum-
que vel extra tempora. Idem Conſtit. 27. incip. *Impoſitæ
5 Nobis*. Item de non recipiendis Regularium recurſibus ad-
verſus Profeſſionis validitatem (poſt elapſum a die Profeſ-
ſionis quinquennium; vel ſi reclamantes extra Clauſtra de-
6 gunt, aut Habitum dimiſerint. Et de forma ſervanda in
hujuſmodi judiciis. Idem Conſtitut. 47. incip. *Si datam*.
Vide ſupra ad verb. *Profeſſio Regularis*. Idem de Confeſſariis
7 Extraordinariis bis, aut ter in anno exhibendis Religioſarum
mulierum Communitatibus. Idem Conſtit. incp. *Paſtoralis
Curiæ*.
8 Item de abſtinentia Clericorum a luxu, conviviis, choreis,
9 aleis. Idem Conſtit. 45. incip. *Inter cetera*. Item de coercen-
dis iis, qui mulieres cogunt ad ingrediendam Religionem.
10 Idem Conſtit. 47. incip. *Si datam*. Idem ſuper facultatibus
Epiſcoporum circa ea, quæ obſervari debeant, aut evitari
in celebratione Miſſæ. Idem Conſtit. incip. *Accepimus*.
11 Item ſuper reſidentia Epiſcoporum, & ſuper eorum abſentiæ
cauſis. Idem Conſtit. 18. incip. *Ad univerſæ*.
12 Item de non ordinandis ſine cauſa Epiſcopis Titularibus,
& de his, quæ hujuſmodi Epiſcopis permittuntur. Idem
Conſtit. 36. incip. *Cum a Nobis*. Item de reſervatione Cau-
13 ſarum criminalium judicio Epiſcopi, ſeu Ordinarii, excluſis
Archidiaconis, Decanis, aliiſque inferioribus. idem Conſtit.
40. incip. *Cauſarum*.

## TRISAGIUM.

1 TRiſagium, quo tres perſonæ Divinæ laudantur his verbis
*Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus & Immortalis mi-
ſerere noſtri*, e Cœlo adductus eſt, cum puer e Terra elevatus
Conſtantinopoli, & in Cœlum raptus per unam horam, deſ-
cendit poſtea illud recitans.
2 Cum enim Orbis pene univerſus ſta horribili, & longo Ter-
ræmotu quateretur, ut anno 446. in ſola Conſtantinopolitana
Urbe ſubverſa fuerint omnia magnificentiora ædificia & quin-
gentæ ſeptem Turres, ut ex Marcellino refert Berninus *tom.* 1.
*Hiſtor. omnium Hæreſum cap.* 6. *de geſtis tempore* Felicis *III.*
aſſerens, quæ ſcribit Nicephorus *lib.* 14. *c.* 46. nempe; „ Theo-
„ doſius imperabat, & Terræmotus magnus, & admirandus
„ extitit, qui priores magnitudine, celeritate, & temporis diu-
„ turnitate facile ſuperavit, & non ex intervallo, ſed motu
„ continuo omnia concuſſit, idque per Orbem fere univer- 3
„ ſum „. *Hac de cauſa, ne vivi ſepelirentur*, antequam in-
terirent, Imperator Theodoſius cum ſuis Magnatibus, Pro-
clus Epiſcopus cum ſuo Clero, Civeſque omnes extra Urbem
ſe receperunt, & brachiis extenſis ad Cœlum verſus, ut ſcri-
bit Nicephorus *loco citat. obteſtabantur Deum, ut propitius eis
eſſet, & ab imminenti calamitate Orbem liberaret*: Tuncque 4
Infantulus toto populo ſpectante in Cœlum per unam horam
raptus eſt, indeque reverſus nuntiavit Epiſcopo, ac Impera-
tori, aliiſque inibi exiſtentibus audiſſe Angelos ante Thronum
Dei hoc Divinum canentes Triſagium: *Sanctus Deus*, *Sanctus
Fortis*, *Sanctus & Immortalis miſerere noſtri*, ſibique manda-
tum fuiſſe, ut eam laudationem populo indicaret: Quę ubi 5
Proclus intellexit, ſubjungit Nicephorus *loco citat. ſtatim ad
eum modum pſallere juſſit, &* Terræmotus *ſtatim etiam conſti-
tit*, *omninoque quievit*, & ut ſcribit Felix III. Summus Pon-
tifex *Epiſtol.* 3. Quam laudationem ubi populi incæperant, Ci- 6
vitatem receperunt, Deoque per hujuſmodi laudem propitio
facto, & ab imminenti ira ſunt liberati, & exinde, ut proſe-
quitur *loco citato*, Nicephorus, „ Imperator Theodoſius, &
„ Pulcheria tanto miraculo perculſi Conſtitutione Imperiali
„ confeſtim, ut per Orbem omnem Hymnus Divinus iſte
„ concineretur, decreverunt, & eo tempore Eccleſia Chriſti
„ eum acceptum, non quolibet tantum die uſurpat, ſed etiam
„ cujuslibet carminis, & laudis Dei initio ante omnia pleno
„ ore præmittit.

## TUTELA, TUTOR, CURA, CURATOR.

TUtela eſt vis, ac poteſtas in capite libero ad tuendum 1
eum, qui propter ætatem ſuam ſponte ſe defendere
nequit, Jure Civili data, ac permiſſa. Sic textus expreſſus
*in l. Tutela* 1. *de tutelis*, *& in* §. *Eſt autem tutela* 1. *Inſtitut. de
tutelis*.
Tutores autem ſunt, qui eam vim, ac poteſtatem habent, 2
exque re ipſa nomen acceperunt. Itaque appellantur Tuto-
res, quaſi *tutores*, atque Defenſores; Sicuti Æditui dicuntur,
qui Ædes tuentur. Sic textus expreſſus *in cit. l. tutela* §. 1. *&
in* §. *tutores autem ſunt* 2. *Inſtit. de tutelis*.
Tutela dividitur potiſſimum in teſtamentariam, legitimam, 3
& Dativam. *Sic communis Doctorum*. Tutela *teſtamentaria* 4
eſt quæ conſtituitur a parentibus in teſtamento, vel in Codi-
cillis teſtamento confirmatis, liberis ſuis impuberibus in ſua
poteſtate exiſtentibus; §. *Permiſſum eſt* 3. *Inſtit. de tutelis*,
*leg. Lege duodecim* 1. *ff. de teſtamentar. tutela*, *l. teſtamento* 3.
*ff. eod.* tutela *legitima* eſt, quæ a lege inducitur in favorem 5
Pupillorum, non extantibus tutoribus teſtamentariis; Quando
etenim non adſint tutores ex teſtamento relicti, adſunt tamen
conſanguinei, tunc Jure ſtatutum eſt, ut qui proximior con-
ſanguineus eſt Pupillo, ille ſit illius tutor legitimus; *l. legiti-
mæ tutelæ* 1. *ff. de legitimis tutoribus*, *leg. Inteſtato* 6. *leg. Si
plures* 9. *ff. eod.* & concordat *Inſtit. de legitima Agnatorum tu-
tela*, & §. *Cum autem* 7. *Inſtitut. de capitis deminutione*. Tu-
tela *Dativa* eſt actus legitimus, per quem non extantibus te-
ſtamentariis, neque legitimis tutoribus, ad petitionem Ma- 6
tris, vel aliorum proximiorum conſanguineorum ejuſdem
Pupilli, datur eidem tutor a Judice, vel Magiſtratu, *l. Dativus*
7. *ff. Rem Pupilli ſalvam fore*, *l. Generaliter* 52. *Cod. de Epiſcop.
& Clericis*, *l. Nemo* 5. *Cod. de legitima tutela*, *l. Sive Procon-
ſul* 1. *cum ſimilibus*, *ff. de tutoribus*, *& Curatoribus Datis*, *l.
Matris* 1. *ff. Qui petant tutores*, cum ſimilibus.
Unde juxta dictam tutelæ diviſionem tutores alii ſunt te-
ſtamentarii, alii legitimi, & alii Dativi, *arg. citatis juribus*, 7
cum ſimilibus.
Tutela finitur, poſtquam impuberes conſecuti ſunt puber- 8
tatem; ſeu Pupilli, & Pupillæ remanent ſub tutela, donec
impuberes exiſtant; Facti autem puberes a tutela liberantur,
textu expreſſo *in Inſtitut. Quibus modis tutela finitur*, *in prin-
cipio*, ibi: *Pupilli*, *Pupillæque, cum puberes eſſe cæperint, a
tutela liberantur*. Et concordat *lex Niſi* 4. *in princip. ff. de tu-
tela*, *& rationib. diſtrahend. l. Si Curatores* 1. *Cod. quando tu-
tores, & Curatores eſſe deſinant*, cum ſimilibus; Rota *par.* 4. *re-
cent. tom.* 1. *deciſ.* 588. *n.* 6. *par.* 15. *dec.* 255. *num.* 1. *deciſ.* 377.
*n.* 43.
Pubertas autem habetur in maſculis anno 14. completo & 9

12. in feminis, textu expreſſo *in citat. Inſtit. Quibus modis tutela finitur, in princip.* ibi: „ Pubertatem in maſculis poſt decimum quartum annum completum illico initium accipere diſpoſuimus, antiquitatis normam in feminis bene poſitam in ſuo ordine relinquentes, ut poſt duodecim annos completos viri potentes eſſe credantur „. Et concordat *lex A qua ætate 5. ff. Qui teſtamenta facere poſſunt, lex Minoribus 2. ff. de vulgari, & pupillari ſubſtit. lex Indecorum 3. Cod. Quando tutores, & Curatores eſſe deſinant*; Rota *par. 4. recent. t. 1. dec. 583. n. 5. par. 15. dec. 155. n. 9.*

10 Tutela finita, incipit cura, ſeu curatio, aut curatela, quæ de Jure communi Cæſareo durat uſque ad annos 25. completos, tam in maſculis, quam in feminis, textu expreſſo *in Inſtitutis de Curatoribus in principio*, ibi: „ Maſculi quidem puberes, & feminæ, viri potentes uſque ad vigeſimum quintum annum completum Curatores accipiunt, quia licet puberes ſint, adhuc tamen ejus ætatis ſunt, ut ſua negotia tueri non poſſint, *l.* Hoc Edictum 1. ff. de Minoribus §. 2. & 3. ibi: „ Apparet Minoribus annis viginti quinque eam opem polliceri, nam poſt hoc tempus compleri virilem vigorem conſtat. Et ideo hodie in hanc uſque ætatem adoleſcentes Curatorum auxilio reguntur, nec ante rei ſuæ adminiſtratio eis committi debebit, quamvis bene rem ſuam gerentibus.

11 Dicitur autem notanter *De Jure communi Cæſareo*, quia ſi per municipale ſtatutum, ſeu Principis alicujus ſupremi ſit taxata minor ætas, verb. grat. ad annum vigeſimum in maſculis, & ad annum decimum octavum in feminis, tunc eo elapſo Minor liberatur a cura, ut tradunt communiter Doctores.

12 Sicuti etiam finitur cura ante dictum tempus, ſi Minor veniam ætatis a Principe impetravit, textu expreſſo *in l. Omnes adoleſcentes 2. Cod. De his qui veniam ætatis impetraverunt.*

13 Curator vero is eſt, qui præpoſitus eſt alicui, quique poteſtatem habet adminiſtrandi bona ejus, qui, vel ob ætatem, vel ob mentis, corporiſque vitium ſuis rebus ſupereſſe non poteſt. *Ita in re communis* per claros textus „ in §. Sed & mente „ captis 4. Inſtit. de Curatoribus leg. His, qui 12. ff. de tutoribus, & Curatoribus datis ab his &c. leg. Sed & aliis 2. ff. „ de Curatoribus furioſo, & aliis.

14 Tutores, & Curatores differunt inter ſe. Primo, quia tutores dantur principaliter perſonæ, ſecundario rebus, ut patet per Jura adducta *ſupra num. 1. & 2.* juncta *l. Quia perſonæ 14. ff. de teſtamentaria tutela, & §. Certæ autem, Inſtit. Qui teſtamento tutores dari*. Curatores autem vel rebus tantum, vel principaliter rebus & non niſi ſecundario perſonæ, ſaltem regulariter loquendo per textum *in l. In copulandis 8. Cod. de nuptiis*, ibi: „ Nec curatoris, qui ſolam rei familiaris „ ſuſtinet adminiſtrationem, Marianus Socinus *conſil. 97. numer. 6. lib. 1.* Roſignol. *de tutor. & Curator. contract. 17. prænotion. 28. num. 1.* & alii. Dicitur autem notanter *Saltem regulariter loquendo*, quia Curatores amentibus, & furioſis æque principaliter dantur perſonis, ſicuti tutores Pupillis, & Impuberibus, textu expreſſo *in l. Conſilio 6. ff. De curatoribus furioſo, & aliis extra Minores dandis*, ibi: *Conſilio, & opera curatoris tueri debet non ſolum patrimonium, ſed & corpus, ac ſalus furioſi*: Iſti enim quamvis fuerint ætate adulti, in dirigendis tamen ſe ipſis rebuſque ſuis ſunt tamquam Pupilli, ipſiſque in judicio æquales, ac inſuper inferiores ſaltem illis, qui ſeptennium exceſſerint, adeoque etiam quo ad perſonam indigent Tutore, ſicuti Pupilli; Montanus *de tutor. & Curator. cap. 29. num. 9.* Decius *in l. Quo tutela §. nemo num. 4. ff. de Regul. Juris*, Roſignol. *l. c. n. 2.* & alii.

15 Secundo differunt, quia tutores regulariter dantur Impuberibus per Jura adducta ſupra *num. 8. & 9.* & iis ad ſummum, qui impuberibus comparantur per *cit. l. Conſilio*, & dicta *num. antecedenti*; Curatores vero dantur puberibus uſque ad 25. annum ſecundum Jus commune Cæſareum per Jura adducta *ſupra num. 10.* vel uſque ad 20. in maſculis, & 18. in feminis ſecundum aliqua ſtatuta municipalia, ſeu ad minorem ætatem ſecundum veniam impetratam a Principe; per dicta *ſupra numer. 11. & 12.* Decius *in citat. l. Quo tutela §. Nemo. ff. de Regul. Jur. & l. Curator, ff. de tutoribus & curator. datis ab his &c.* Roſignol. *l. c. n. 8.* & alii paſſim.

16 Tertio differunt, quia tutores certæ rei, & cauſæ dari non poſſunt, per text. *in §. Certæ autem rei 4. Inſtitut. Qui teſtamento tutores dari poſſunt, l. Certarum rerum 12. & l. ſequent. ff. de teſtamentaria tutela*: Curatores autem & certis rebus, & determinatis cauſis dari poſſunt per text. *in §. Item inviti 2. de tutoribus*, ibi: *Curator enim & ad certam cauſam dari poteſt.* Pontius *in tit. de curatoribus num. 4.* Angelus *in §. Certæ autem rei 4. Inſtitut. Qui teſtamento tutores dari poſſunt*, Roſignol. *l. c. num. 12.* & alii alias enumerantes differentias, quæ tamquam minus ſcitu neceſſariæ, brevitatis gratia apud ipſos, alioſque Legiſtas videndæ relinquuntur.

17 Stante conſuetudine omnium fere Regionum finita tutela, tutor tamquam curator perſeverat uſque ad 25. annum, Montanus *de tutor. & curator. cap. 37. num. 86.* Antonius Gailus *lib. 2. practic. Obſervat. 96. num. 1.* Roſignol. *l. citat. part. 2. contract. 17. prænot. 1. n. 18. & prænot. 2. n. 1.* & alii.

18 Non poteſt tamen, qui fuit tutor, compelli ordinarie loquendo, ad perſeverandum, ſi noluerit, in curatione, & adminiſtratione bonorum ejuſdem puberis, per text. *in l. a tutoribus 33. §. 1. ff. De adminiſtrat. tutor.* Æquitas enim non poſtulat, ut qui diu in onere tutelæ permanſerit, ulteriori onere prægravetur.

19 Item nec pupillus tenetur ſtare ejuſdem tutoris curæ, niſi forte teſtator aliter diſpoſuerit, quod nempe perſeveret ſub cura tutoris, donec pervenerit ad 25. annum, per text. *in l. Si tutor 9. ff. de tutel. & rationib. diſtrahend. l. tutor. 28. & l. Maximeque 29 ff. de adminiſtrat. tutor. & curator.*

20 Tutor Dativus perveniente altero ex fratribus ad Majoritatem, ceſſat quo ad omnes fratres, & factus Major fit tutor aliorum fratrum impuberum. Exiſtente enim tutore legitimo, ceſſat tutor Dativus, cum hic detur ſolum non extantibus teſtamentariis, nec legitimis tutoribus, per Jura adducta *ſupra num. 6.* Rota *part. 2. recent. deciſ. 306. num. 2. & par. 3. dec. 60. n. 4.* Roſignol. *l. c. prænot. 3. n. 3.* cum pluribus ibi ad id adductis.

21 Non ſic autem tutor teſtamentarius, quia hic altero ex Fratribus perveniente ad Majoritatem, non ceſſat eſſe tutor quo ad alios fratres impuberes. Exiſtente enim tutore teſtamentario, non eſt locus legitimo tutori cum tutor teſtamentarius cuicumque alteri præferatur, & tutor legitimus ſubintret ſolum in defectum tutoris teſtamentarii, per Jura adducta *ſupra num. 5.* Rota *part. 5. tom. 2. deciſ. 435. num. 4. part. 13. deciſ. 34. num. 4.* Montanus *de tutorib. & Curatoribus cap. 27. n. 97.* Roſignol. *l. c. n. 4.* & alii.

22 Judex pro dando tutore debet habere Juriſdictionem in pupillum, cui dandus eſt, & in eum, qui dari debet, textu expreſſo *in l. Neque a Præſide 5. Cod. Qui dare tutores, vel Curatores poſſunt.*

23 Tutor proprie, & in rigore conſtituendus eſt per Judicem habitationis pupilli, quamvis ejus bona alibi extent. Tutor enim datur principaliter pro perſona pupilli, per Jura adducta *ſupra num. 1. 2. & 14.* quæ perſona utpote principalior trahit ad ſe etiam bona, quamvis alibi exiſtentia, cum tutela legitime collata extendatur ad omnia bona ubicumque exiſtentia, per text. *in §. Datus 17. Inſtitut. de excuſationibus tutorum, l. Propter litem 21. §. 2. ff. De Excuſationib. l. Magis puto 5. §. 12. ff. De rebus eorum, qui ſub tutela, vel Cura ſunt*; Rota *par. 5. recent. tom. 1. deciſ. 177. num. 27. & 29. & part. 9. tom. 1. deciſ. 12. num. 26. 27. & 28.* Angelus Aretin. *Inſtitut. de Legitim. Agnat. tut. num. 3. verſ. Quæro ſi tale*, Marianus Socinus *conſil. 97. num. 6.* & *conſil. 248. num. 2. lib. 1.* Alexander *conſil. 44. num. 17. lib 5.* Roſignol. *loco citat. part. 1. contract. 17. praenot. 17. num. 11.* & alii. 24 Si autem adminiſtratio dictorum bonorum impugnetur a Judice loci, in quo ſita ſunt bona, tunc quidem, ne bona pupilli in deterius abeant, conſtitui poteſt a dicto Judice loci bonorum Curator; Et ratio eſt, quia quotieſcumqee tutor legitime datus, eſt impeditus, ſeu abſens, poteſt alius ſubſtitui, ut docet Rota *part. 2. diverſar. deciſ. 89. num. 6. & part. 13. recent. deciſ. 108. num. 3. & part. 15. deciſ. 107.* Montanus *de tutorib. cap. 24. per tot.* Paulus Chriſtinus *deciſ. 150. per tot. volum. 3.* & alii; Atqui extante impugnatore, ſeu contradictore quoad tutorem datum a Judice habitationis pro adminiſtratione bonorum alibi exiſtentium, talis tutor in ordine ad dictam adminiſtrationem talium bonorum intelligitur impeditus, & eſt abſens; ergo ſaltem in ordine ad eadem poterit conſtitui Curator, & quidem per Judicem talis loci, ne etiam alius, ſi fuerit datus a Judice habitationis pupilli, per ſimilem impugnationem, ſeu contradictionem impediatur, & interim bona pupilli in tali loco exiſtentia in deterius abeant. Et quamvis talis *in l. Pupillo 27. ff. de tutorib. & Curatorib. datis ab his, & l. unica Cod. Ubi petantur tutores, & Curatores*, exprimatur communi nomine tutoris, proprie tamen non eſt niſi Curator, cum non detur perſonæ, ſed rebus, *argument. citatis Juribus ſupra num. 14.* ut recte notat Roſignolus *loco citat. num. 10.* & alii. Vide Rotam



tam *part. 9. recent. tom. 1. deciſ. 12. num. 44. & 45.* ubi declarat textum *in citat. l. unica Cod. Ubi petantur Tutores.*

25 Si pupillus ſit Clericus, Tutor eſt per Judicem Eccleſiaſticum conſtituendus; Joannes Faber *Inſtitut. De Attiliano tutore num. 4. in fine*, Sperellus *deciſ. 1. num. 4.* Franciſcus Ripa *in cap. 2. num. 10. de Judiciis*, Marianus Socinus *in l. Si quis Clericus num. 23. in fine ff. de Foro competent.* Montanus *de tutoribus cap. 4. num. 25. & 28.* Diana *part. 1. tract. 2. reſolut. 95.* Bellettus *Diſquiſit. Cleric. part. 1. tit. de favore Cleric. perſonali §. 6. num. 15.* Anguianus *de Legibus part. 1. lib. 2. controverſ. 23. num. 69.* Roſignol. *loco citat. num. 12.* & alii paſſim. Et ratio eſt clara, quia tutor datur principaliter perſonæ, & nonniſi ſecundario rebus, per Jura citata *ſupra num. 14.* Atqui perſona Clerici non eſt ſubdita Judici Laico; *cap. Bene quidem 1. diſt. 96. cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ 10. de Conſtitutionibus cap. Cum Laicis 12. de rebus Eccleſiæ alienandis, vel non*, cum ſimilibus; ergo non poteſt per Judicem Laicum conſtitui tutor pupillo Clerico.

26 Neque per Judicem Laicum poteſt dari Clerico tutor Clericus, ſeu Eccleſiaſticus; Adhuc enim Laicus diceretur exercere Juriſdictionem, quam nec habet, nec habere poteſt in pupillum Clericum. Decius *conſil. 150. numer. 9.* Montanus *de tutor., & curator. cap. 7. num. 27.* Roſignol *loc. cit. num. 26.* & alii.

27 Poteſt tamen a Judice Eccleſiaſtico dari pupillo Clerico tutor Laicus. Sic in ſimilibus Gloſſa *in cap. Bene quidem 1. diſtin. 96. verb. Præter*: Archidiaconus *in cap. Clericum cujuslibet 11. quæſt. 1.* Federicus de Senis *conſil. 126.*, & alii tenentes, quod Epiſcopus cauſas Civiles Clericor. poſſit delegare Laicis, uti ex Gloſſ. *in cap. Decernimus 2. de Judiciis verb. Non præſumant., arg. cit. cap. Delegat. num. 38.* & in terminis docent Montanus *de tutor, & curator. cap. 4. num. 31.* Roſignol. *loc. cit. num. 28.* & alii; Et ratio eſt, quia tutor Laicus ſic deputatus a Judice Eccleſiaſtico exercet munus tutelæ non ex propria, ſed ex Judicis Eccleſiaſtici conſtituentis auctoritate, ſicque fundamentaliter ex Officio Eccleſiaſtico, adeoque ſine repugnantia dari poteſt a Judice Eccleſiaſtico pupillo Clerico tutor Laicus, ſicuti Laicus poteſt eſſe Procurator Clerici, & Syndicis Eccleſiæ, per taxtum *in cap. 1. de Procurator. & cap. 1 De Syndic.*

28 Extantibus ex eodem patre pluribus pupillis, quorum alii ſint Laici, & alii Eccleſiaſtici, quamvis una Doctorum ſententia velit in tali caſu dandum eſſe Tutorem pro omnibus a Judice Eccleſiaſtico, & altera teneat dandum eſſe pro omnibus a Judice Laico; Placet tamen ſententia media docens unum tutorem pro Clericis dandum eſſe a Judice Eccleſiaſtico, & alterum pro Laicis dandum eſſe a Judice Laico; Niſi forte uterque Judex concurrat ad unum, & eumdem conſtituendum, qui utraque auctoritate reſpective regat. Et ratio eſt, quia, ſicut Judex Laicus nullam habet Juriſdictionem in perſonam Eccleſiaſticam, *cap. Bene quidem 1. diſt. 96. cap. Eccleſia S. Mariæ 10. de Conſtitutionibus, cap. cap. Cum Laicis 12. de rebus Eccleſiæ alienandis, vel non*, cum ſimilibus; Ita nec Judex Eccleſiaſticus in perſonam, & cauſam mere Laicalem, *cap. Licet 10., & cap. Ex tenore 11. de Foro competente*, cum ſimilibus.

29 Curator, ſi æque principaliter dandus ſit perſonæ, puta furioſi, amentis, ſicuti tutores pupillis principaliter quo ad perſonam, tunc dandus eſt a Judice, ſub cujus Juriſdictione eſt perſona, & ſic ſi fuerit Clericus a Judice Eccleſiaſtico per dicta *ſupra num. 25.* Vel ſi perſona fuerit Laicalis ſub uno Territorio, & bona ejus ſub alio, Tutor dandus erit a Judice territorii, ſeu habitationis, ſub cujus poteſtate eſt perſona per dicta *ſupra num. 23.* cum limitatione adducta *ibid. num. 24.*

30 Si perſona ratione ſtatus ſit ſub uno Judice, ſcilicet Clericus ſub poteſtate Eccl., & bona ejus ſint ſub poteſtate Laicali, & Curator dandus ſit tantum bonis, tunc dari debet a Judice Laico, ſub cujus Juriſdictione ſunt eadem bona. Et ratio patet a contrario ſenſu ex dictis *ſupra num. 25.* quod nempe pupillo Clerico dandus ſit Tutor a Judice Eccleſiaſtico, quia principaliter datur perſonæ, & non niſi ſecundario rebus adeoque a contrario ſenſu, cum in noſtro caſu Curator dandus erit a Laico, ſub cujus Juriſdictione ſunt bona; Decius *conſil. 150. n. 3., & 7.* Ripa *in cap. 2. n. 10. de Judiciis*, Marianus Socinus *in cap. Si quis Clericus num. 23. de Foro competent.* Alexander *conſil. 44. num. 17. lib. 5.* Roſignol. *loc. cit. prænot. 28. num. 5.* & alii.

31 Si Curator dandus ſit, non ſolum rebus, ſed rebus ſimul, & perſonæ, licet principaliter rebus, & non niſi ſecundario perſonæ, tunc probabilius dandus eſt a Judice ſub cujus poteſtate eſt perſona: Et ratio eſt, quia licet perſona ſub illo munere non veniat, niſi ſecundario, ipſa tamen non poteſt cadere ſub poteſtate Laicali, ſi fuerit Eccleſiaſtica, per Jura adducta *ſupra ſub num. 25.* Nec ſub alio Judice Laico, in cujus Territorio non degit, quamvis fuerit perſona Laicalis, cum Judex non habeat Juriſdictionem in perſonam degentem extra ſuum Territorium, ſeu Provinciam, *cap. Romana 5. de ſentent. Excommunicationis, cap. Ut animarum 2. de Conſtitutionibus in 6. l. Neque a Præſide 5. Cod. Qui dare Tutores, vel Curatores poſſunt, l. Unica, Cod. Ubi petantur Tutores, & Curatores*, cum ſimilibus, adeoque in tali caſu dandus erit Curator ab illo Judice, ſub cujus Juriſdictione eſt perſona, cui dandus eſt. Sic expreſſe Roſignolus *loco citato numer. 7.*, & alii.

32 Parentes poſſunt Teſtamento filiis ſuis impuberibus, ſive maſculini, ſive feminini ſexus Tutores conſtituere, ſi modo in poteſtate ſua ſint, textu expreſſo *in l. Lege duodecim 1. ff. De Teſtamentaria tutela*, ibi: *Lege duodecim tabularum permiſſum eſt parentibus liberis ſuis, ſive feminini ſive maſculini ſexus, ſi modo in poteſtate ſint, tutores teſtamento dare*, & concordat *§. Permiſſum eſt 3. Inſtitut. de tutelis*, cum ſimilibus.

33 Pater etiamſi fuerit Minor 25. annis poteſt filiis ſuis dare teſtamento tutorem, ſi perpenſo conſilio id præſtet; Et ratio eſt, quia tales filii ita ſunt ſub ejus patria poteſtate, ac ſi ipſe eſſet major 25. annis, unde ſicuti pater major 25. annis poteſt tutorem dare filiis ſub ſua patria poteſtate exiſtentibus per Jura mox adducta, ita etiam pater minor 25. annis, dummodo perpenſo conſilio id præſtet. Angelus Aretinus *in §. Furioſus num. 2. Inſtit. Qui teſtamento Tutores dare poſſunt*, Montanus *de Tutoribus, & Curatorib. cap. . num. 5.* Romanus *ſingul. 70. incip. Adultus*, Joan. Guttierez. *de Tutor., & Curator. part. 1. cap. 3. num. 11.* Roſignol *loc. cit. prænot. 5. num. 2.* & alii.

34 Si autem pater fuerit adhuc ipſe ſub patria poteſtate, quamvis fuerit major 25. annis, non poteſt filiis ſuis Tutorem dare. Exiſtente enim patre ſub patria poteſtate, ſunt ſub eadem etiam ipſius filii, & ſic nepotes ex filio reſpectu Avi, per text. *in l. Nam Civium, ff. Qui ſunt ſui, vel alieni Juris, leg. Si maritus, Cod. de patria poteſtate*, cum ſimilibus. Pater autem poteſt ſolum tutorem dare filiis exiſtentibus ſub ſua poteſtate ex *cit. l. Lege duodecim 1. ff. de teſtamentaria tutela*, ibi: *Si modo in poteſtate ſunt*, cum ſimilibus, adeoque pater adhuc exiſtens ſub patria poteſtate, cum ſui filii non ſint ſub ejus poteſtate, ſed ſub poteſtate Avi, non poteſt eis teſtamento tutorem conſtituere; Montanus *de tutor., & curator. cap. 3. num. 47.* Carolus Philippus Corneus *conſil. 129. num. 9., & 10. vol. 1.* Roſignol *loc. cit. prænot. 5. num. 6.*, & alii.

35 Poteſt pater, ſuperſtite matre, filiis ſuis impuberibus tutorem dare, ipſa matre excluſa. Habetur clare „ ex Authent. Matri, & Aviæ, eod. Quando mulier tutelæ Officio fungi poſſit, ibi: Matri, & Aviæ ſecundum ordinem tutelam etiam ante agnatos ſubire permittimus . . . ſolis teſtamentariis tutoribus eas præcedentibus Legitimis, & Dativis poſtpoſitis: Defuncti namque voluntatem præponi volumus, Rota part. 4. recent. tom. 2. deciſ. 435. num. 10.

36 Mater qua Mater eſt, non poteſt filiis teſtamento tutorem conſtituere, *leg. Mater 4. Cod. de teſtamentaria Tutela, leg. Pater 4. ff. de confirmando tutore*, Montanus *de tutor., & Curator. cap. 8. num. 38., & cap. 24. num. 18.* Marianus Socinus *conſil. 59. num. 29. lib. 3.* Angelus Aretinus *in tractat. de teſtament. verb. tutoris autem* Sanfelicius *deciſ. 206. numer. 3.* Decius *in leg. Quo tutela num. 2. ff. de Regul. Jur.*, & alii. Et ratio eſt, quia Jura permittunt parentibus teſtamento conſtituere tutores filiis, & nepotibus, ſi illos habeant in poteſtate, textu expreſſo „ in l. Lege duodecim 1. ff. de teſtamentaria tutela, l. Ut ne 1. §. 1. ff. de confirmando tutore §. Permiſſum 3. Inſtit. de tutelis „. Mater autem qua talis eſt, non habet liberos in poteſtate §. Ceteri 3. Inſtit. de Heredum qualitate, & differentia, & §. Feminæ 10. Inſtitut. de Adoptionib. adeoque mater qua mater eſt, non non poteſt filiis teſtamento tutorem conſtituere.

37 Dicitur autem notanter *Mater qua Mater eſt*, quia ſi Mater in teſtamento filium Heredem inſtituat, & ſimul tutorem ei conſtituat, erit recte conſtitutus tutor, & a Judice

cum inquiſitione confirmandus ,, l. Mater 4. Cod. de teſtamentaria tutela , ibi : Mater teſtamento filiis tutores dare non poteſt , niſi eos heredes inſtituerit , leg. Pater 4. ff. de teſtamentaria tutela , ibi : Pater herede inſtituto filio , vel exheredato , tutorem dare poteſt , Mater autem non niſi inſtituto quaſi in rem potius , quam in perſonam tutorem dare videatur , ſed & inquiri in eum , qui matris teſtamento datus eſt tutor , oportebit .

38 Item quilibet extraneus , ſi impuberem Heredem inſtituat, tutorem ei conſtituere poteſt , a Judice cum inquiſitione confirmandum , *l. Si patronus* 4. *& l. tutores* 5. *ff. de confirmando tutore* .

39 Item Patronus , ſi Liberum Heredem inſtituat , poteſt ei tutorem conſtituere ; a Judice probabilius cum inquiſitione confirmandum , *leg. Si Patronus* 4. *ff. de confirmando tutore* ; Quinimmo plurimi Doctores citati , & ſecuti a Doctiſſimo Roſignolo *l. c. contract.* 17. *diſq.*2. §.86. *num.* 5. docent poſſe Patronum tutorem conſtituere ſuo Liberto , ſive ipſum Heredem inſtituerit , ſive non inſtituerit .

40 Pater poteſt in teſtamento dare tutorem filiis ſuis quemcumque ſibi beneviſum ; Unde licet femina ſit incapax a Jure per textum *in l. Feminæ* 18. *ff. de tutelis* , *l. Tutelam* 1. *Cod. Quando mulier tutelæ Officio* , tamen ex voluntate teſtatoris poteſt tutelam exercere per text. *in l. Liberto* 31. §. 6. *ff. de negotiis geſtis* , ibi : *Quamquam Mater filii negotia ſecundum patris voluntatem pietatis fiducia geret* , & ibi Doctores , quos allegat , & ſequitur Rota *part.*2. *recent. tom.*2. *deciſ.*435. *num.*6. ubi *num.* 17. , *&* 18. ſubjungit , quod licet femina non poſſit eſſe tutrix ob imminentiam litium ; Hoc tamen non procedit in tutrice data a teſtatore , cum ejus fides videatur approbata a teſtatore , veriſimiliter non ignorante litium occaſionem .

41 Si pater in ſuo teſtamento conſtituit tutorem filiis, & filiabus , tutela extenditur etiam ad poſthumos , & poſthumas , ,, textu expreſſo ,, in §. Si quis filiabus 5. Inſtit. Qui teſtamento Tutores dari poſſunt , l. Si quis filiabus 5. ff. de teſtamentaria tutela , cum ſimilibus .

42 Si pater in teſtamento conſtituit tutorem pro filiis tutela extenditur etiam ad filias ; textu expreſſo *in l. Si quis ita* 16. *ff. de teſtamentaria tutela*, cum ſimilibus .

43 Si pater in teſtamento conſtituit tutorem filio , & plures habuerit , tutela extenditur ad omnes ejuſdem filios, textu expreſſo *in cit. l. Si quis ita* 16. §.1. , cum ſimilibus .

44 Si pater filiis ſuis teſtamento tutores dederit, cenſetur & nepotibus conſuluiſſe , modo illi in poteſtate patris non ſint relapſuri ; Secus ſi filiis , retento proprio nomine filiorum , ,, textu expreſſo ,, in §. Si filiabus 5. Inſt. Qui teſtamento ,, tutores dare poſſunt , ibi : Quod ſi nepotes ſint , an appellatione filiorum , & ipſi tutores dati ſint ? dicendum eſt , ut & ipſis quoque dati videantur , ſi modo liberos dixerit , ceterum ſi filios non continebuntur , aliter enim filii , aliter nepotes appellantur , & ſic expreſſe concordat etiam l. quid ſi 6. ff. de teſtamentaria tutela .

45 Pater filiis ſub patria poteſtate non exiſtentibus , ſed mancipatis , non poteſt conſtituere tutorem ſimpliciter , cum ad ,, id requiratur patria poteſtas ex ., §. Permiſſum 3. Inſt. de Tutelis , l. Lege duodecim 1. ff. de teſtamentaria tutela , l. Ut ne 1. §.5. ff. de confirmando tutore ,, ſed ſolum poteſt ipſis tutorem conſtituere a Judice confirmandum , & quidem ſine inquiſitione , textu expreſſo ,, in §. Sed , & ſi 5. ff. de tutelis , ibi : Sed , & ſi emancipato filio tutor a patre datus fuerit teſtamento , confirmandus eſt ex ſententia Præſidis omnimodo , ideſt ſine inquiſitione .

46 Pater nequit filio ſuo naturali , & illegitimo dare tutorem teſtamento , niſi vel illum heredem inſtituat , vel aliquid eidem relinquat , textu expreſſo *in l. Naturali filio* 7. *ff. de confirmando tutore* , ibi : *Naturali filio , cui nihil relictum eſt , tutor fruſtra datur a patre , nec ſine inquiſitione confirmatur* . Et ratio inter alias eſt , quia ad conſtituendum tutorem teſtamento filiis requiritur patria poteſtas , ex citatis Juribus *ſupra num.* 43. Filius autem naturalis , & illegitimus non eſt in poteſtate patris,textu expreſſo *in §. Si adverſus* 12. *& §. Aliquando* 13. *Inſt. de Nuptiis* .

47 Regulariter in teſtamento dari nequit tutor quoad exercitium tutelæ , qui non attigerit 25. annum ſuæ ætatis , textu ,, expreſſo ,, in §. Item major 13. Inſt. de excuſat. tutorum, ,, ibi : Minores autem 25. annis olim quidem excuſabantur , noſtra autem conſtitutione prohibentur ad tutelam vel Curam aſpirare , adeo ut nec excuſatione opus ſit , & §. Furioſus 2. Inſt. Qui teſtamento tutores , *ibi :* Furioſus , vel minor 25. annis tutor teſtamento datus , tutor tunc erit , cum compos mentis , aut major 25. annis tutor fuerit factus .

Filius familias , non obſtante , quod ſit ſub patria poteſtate , ſi habeat ceteras conditiones ad hoc requiſitas , non interdicitur a munere tutelæ , textu expreſſo ,, in princ. Inſtit. Qui teſtamento tutores dari poſſunt , ibi : Dari autem tutor poteſt teſtamento , non ſolum pater familias , ſed etiam filius familias . Et concordat *l.* Filius familias 9. ff. de his , qui ſui , vel alieni Juris ſunt , ibi : Filius familias in publicis cauſis loco patris familias habetur , veluti ſi Magiſtratum gerat , vel tutor detur . 48

Servus durante ſervili ſua conditione , nequit teſtamento ,, tutor conſtitui , textu expreſſo ,, in l. In ſervili 7. Cod. ,, Qui dare tutores , vel Curatores poſſunt . Et concordat *l.* Qui tutelam 38. §. 1. ff. de teſtamentaria tutela , & §. Sed , & ſervus 1. Inſt.Qui teſtamento tutores dari poſſunt . Si autem ſervus conſtituatur tutor a proprio Domino cum ſcientia ſervitutis , nec intelligitur actu prævio liberari a ſervitute , & ſic recte tutor conſtitutus , textu expreſſo ,, in cit. §. Sed, & Servus 1. Inſt. Qui teſtamento tutores &c. ,, Si vero ſit Servus alienus , ſolum cum liber erit, habebitur verus tutor, ,, textu expreſſo ,, in cit. §. Sed, & Servus , & in cit. l. Qui tutelam 28. §.1. ff. de teſtamentaria tutela 49 50 51

Epiſcopi , & Monachi nequeunt eſſe tutores teſtamentarii, ,, textu expreſſo ,, in Authent. de Sanctiſſimis Epiſcopis, ſeu Novella 123. cap.5. , ibi : Deo autem amabiles Epiſcopos, & Monachos ex nulla Lege Tutores , aut Curatores cujuſcumque perſonæ fieri permittimus . Rota par. 4. recent. ,, tom.2. deciſ. 116. n.16. , & p.16. deciſ.252. n,19. 52

Immo neque Sacerdotes , aliique Clerici in Sacris conſtituti poſſunt eſſe tutores teſtamentarii . Bartolus *in Authent. c.*5. *num.*1. Abbas *in cap. Non eo minus num.*15. *de Immun. Eccleſ.* Bertrandus *conſ.*116. *part.*2. *lib.*2. Alciatus *præſumpt.* 18. *Reg.* 3. Guttierez *de Tutor. part.*1. *cap.*1. *num.*39. Carolus de Graſſis *de effectibus Cleric. cap.*16. *a num.*1. *uſque ad* 16. Roſign. *loc. cit. prænot.* 6. *num.*14. cum plurimis aliis ibi allegatis , & colligitur etiam *ex cit. Authent. cap.*5. ubi licet Sacerdotibus, Diaconis , & Subdiaconis videatur concedi facultas ad tutelam , hæc tamen facultas reſtringitur ad tutelam Legitimam , ut ipſiuſmet verba indicant , & Interpretes paſſim intelligunt . 53

Sacerdotes igitur , aliique Clerici ſæculares , licet non poſſint eſſe tutores teſtamentarii , poſſunt tamen eſſe tutores ,, Legitimi , cit. Authent. ſeu Novella 123. cap. 5. , ibi : Presbyteros autem , & Diaconos , & Subdiaconos Jure , & Lege cognationis tutelam , aut Curam ſuſcipere hereditatis permittimus proprio , & ſolo gradu cognationis ad tutelam , & Curam vocatis , hujuſmodi ſuſcipere adminiſtrationem permittimus . Et concordat c. Pervenit ultim. diſt.86. ,, & tenent paſſim Doctores ; Et ratio cur Clericis ſæcularibus permittitur tutela legitima , non autem teſtamentaria , eſt ſtricta Lex agnationis , cognationis , & ſanguinis, quæ adeo indicta eſt humanis cordibus , ut vix videatur poſſe avelli , & ideo ex benigna Jurium Indulgentia permittitur eis tutela Legitima , & non teſtamentaria , in qua non viget ſic ſtrictum vinculum ſanguinis . 54

Epiſcopi autem , & Monachi neque poſſunt eſſe Tutores Legitimi , ut patet *ex cit. Authent.* , *ſeu Novella* 123. *cap.* 5. per verba adducta *ſupra num.*52. Et ratio eſt , quia Epiſcopalis cura adeo gravis , & urgens eſt , & ſtricta erga Deum , ut excludat omnimodam Curam temporalem , & cum ſit in ordine ad Deum , & ad bona ſpiritualia , prævalere debet cuicumque temporali : Et Monachi ex vi proprii Inſtituti intelliguntur Sæculo mortui , & ſoli Deo vivere , unde nullatenus decet eos externis publicis curis implicari , *c. Monachis* 35. *cauſ.*16. *q.*1. 55

Qui habet bona indiviſa cum pupillis , poteſt eorumdem eſſe Tutor Teſtamentarius , ſi Teſtator noverit talem indiviſionem : Teſtator enim ipſum eligens cum plena cognitione talis indiviſionis , videtur abſolute fidere ejus perſonæ, ipſiuſque fidem totaliter approbare per text. *in leg. Tres Tutores* 55. §. *final. ff. de adminiſtratione Tutor.* Unde Teſtamentarii ,, Tutores ſatisdare non coguntur ,, Inſtitut. De ſatiſdatione ,, Tutorum in principio , ibi : Nam Tutores teſtamento dati ſatisdare non coguntur , quia fides eorum , & diligentia ab ipſo teſtatore approbata eſt . 56

Item Creditor , & debitor poteſt Teſtamento tutor conſtitui , ſi *teſtator plenam cognitionem* habuerit de tali Credito, ,, & debito ,, arg. dictis , & allegatis Juribus numer. antecedenti . 57



58 Civis alterius Civitatis poteſt *conſtitui* tutor teſtamentarius ,, pupillorum alibi degentium , textu expreſſo ,, in l. Quæro 32. ff. De teſtamentaria tutela , ibi : Quæro an , non ejuſdem Civitatis Cives teſtamento quis tutores dare poſſit : Paulus reſpondit poſſe .

59 Mutus nequit eſſe tutor , textu expreſſo ,, in leg. tutela 1. §.22. ff. De tutelis , ibi : Mutus tutor dari non poteſt , quoniam Auctoritatem præbere non poteſt, leg. Agnato 10. ff. De Legitimis tutoribus, ibi: Surdus, & mutus nec Legitimi tutores eſſe poſſunt , cum nec teſtamento , nec alio modo utiliter dari poſſint .

60 Item nec ſurdus poteſt eſſe tutor , textu expreſſo ,, in cit. leg. tutela 1. §.3. ff. De tutelis , ibi : Surdum non poſſe dari tutorem plerique , & Pomponius lib. 69. ad Edictum probant , quia non tantum loqui , ſed audire tutor debet , & citat. leg. Agnato , per verba numer. antecedenti adducta .

61 Item Furioſus durante furore , & amens durante amentia nequit eſſe tutor , text. expreſſo ,, in §. Furioſus 2. Inſtitut. ,, Qui teſtamento tutores dari poſſunt , & leg. Furioſus 11. ff. De tutelis .

62 Item Prodigus tutor eſſe non poteſt ,, leg. His qui 12. §.2. ff. De tutoribus , & Curatoribus datis ab his , & arg. leg. Nemo 5. Cod. De Legitima tutela .

63 Feminæ , quamvis de Jure nequeant ordinarie eſſe Tutrices , poſſunt tamen ex voluntate teſtatoris tutelam exercere per dicta , & Jura adducta *ſupra n.*40.

64 Si maritus in teſtamento Uxorem tutricem filiorum *conſtituerit* etiam in caſu ſecundarum nuptiarum , non eſt neceſſe, quod eadem uxor renunciet ſecundis nuptiis : Quamvis enim Mater tranſiens ad ſecundas nuptias, ipſo jure privetur tutela filiorum prioris Matrimonii, per text. *in Authent. Sacramentum , Cod. Quando mulier tutelæ Officio* , *l. Si pater* 3. *Cod. eod. l. Lex quæ tutores* , §. *Lex enim* , *Cod. de adminiſtr. tutor. & Authent. Ut ſine prohibitione verſ. propterea igitur, Collat.* 7. tamen dicta jura procedunt ſolummodo , vel quoad tutelam Legitimam , vel quando aliter non eſt diſpoſitum a teſtatore , qui poteſt quamcumque legem juri non repugnantem pupillis , & rebus ſuis ſtatuere , cum proviſio hominis ceſſare faciat proviſionem Legis , *l. final. Cod. de pact. convent. l. Et habes* , §. *Cum quis* , *ff. De Precario* . Ubi patet de tutore , qui ex diſpoſitione Legis ſatiſdare tenetur rem pupilli ſalvam fore finita tutela , per text. *in princip. Inſt. de Satiſdatione tutorum* , *& l. Sciendum* 1. *l. In dubium* 3. *Cod. de tutore , qui ſatis non dedit* , cum ſimilibus ; tamen ad hoc onus non tenetur , quando a teſtatore fuit liberatus , ut communiter tradunt Doctores per text. *in cit. Juribus* , cum ſimilibus .

65 Secus autem eſt dicendum , ſi maritus ſimpliciter eam conſtituerit tutricem teſtamentariam , quia talis ſimplex diſpoſitio ſine ullo adjecto intelligitur facta ſecundum diſpoſitionem juris ; jus autem diſponit , quod mulier , ut valide ſuſcipiat tutelam teneatur renunciare ſecundis nuptiis , ex Senatus conſulto Vellejano , textu expreſſo *in l. ſi pater* 3. *Cod. Quando mulier tutelæ Officio* , & quod ſi tranſeat ad ſecundas Nuptias ipſo jure privetur tutela filiorum prioris Matrimonii , ut *ex cit. Juribus in principio num. Antecedentis* .

66 Tutela Legitima competit proximiori pupilli, text. expreſſo in §. *Cum autem* 7. *Inſtitut. de capitis deminutione, l. legitimæ tu-*
67 *telæ* 1. *ff. de Legitimis tutoribus*, cum ſimilibus . Et ſi plures fuerint in eodem gradu, omnes debent admitti ad ipſam tutelam, textu expreſſo *in leg. Si plures* 9. *ff. de Legitimis tutoribus* .

68 Mater in tutela filiorum impuberum non præfertur Avo paterno . Colligitur aperte *ex §. Permiſſum eſt* 3. *Inſtitut. de tutelis*, *ex leg. Lege duodecim* 1. *leg. Si hereditas* 10. §.2. *ff. De teſtamentaria tutela* , ubi habetur , quod Avus paternus mortuo filio , & adhuc ſuperſtite Nuru , poteſt teſtamento dare nepotibus ex eodem filio , & Nuru tutorem , etiam ad excluſionem ejuſdem Nurus ; adeoque exiſtente Avo paterno ſimul cum Nuru Matre filiorum impuberum , Avus ipſe paternus erit præferendus ; Cum enim hic poſſit dare alium tutorem ad excluſionem ejuſdem Nurus a tali tutela , a fortiori poterit ipſemet dictam tutelam exercere ipſa Nuru excluſa .

69 Præfertur tamen mater in tutela filiorum Avo materno . Sic tacite videtur ſentire Gloſſa *in Authent. Matri, & Aviæ verſ. Item quid ſit* , *Cod. quando mulier tutelæ Officio* , ubi dicit , quod *ſi fuerint Mater , & Avus , præponitur Avus paternus* ; Unde cum in ſuppoſitionem talis præpoſitionis indeſinitæ , quod *fuerint Mater , & Avus* limitet prælationem ſolum in favorem Avi paterni , videtur ipſam prælationem denegare Avo materno . Et hoc ſuadet aperta ratio , quia in tantum conceditur prælatio Avo paterno , & denegatur materno , quia majora ſubſtant onera illi, quam iſti. Ille enim per prius in concurſu cum matre tenetur nepotes alere , & neptes dotare , iſte vero , ſcilicet maternus, niſi per poſterius ad matrem ; Et inſuper in illo ſalvatur ratio agnationis, reſpectu cujus major ſolicitudo , & cura præſumitur , in iſto vero nequaquam , cum ſit alterius agnationis . Unde jura videntur magis fidere Aſcendentibus per virilem ſexum, quam Aſcendentibus per femineum . Sic expreſſe Roſignolus *loc. cit. prænot.*10. *num.*15. & alii .

Item Mater præfertur Aviæ ſive paternæ , ſive maternæ; 70 Et ratio eſt clara , quia ceteris paribus ille præferendus eſt in munere Tutelæ , qui proximior eſt in gradu aſcendentis , & linea , *arg. §. Cum autem* 7. *Inſtitut. de capitis deminutione* , *leg. Legitimæ tutelæ* 1. *ff. De Legitimis tutoribus* , cum ſimilibus , ubi ſtatuitur , quod tutela Legitima competat proximiori pupilli : Atqui Mater comparative ad Aviam , ſive maternam proximior eſt in linea , & gradu aſcendentis ; ergo eſt ipſa præferenda . Nec valet dicere , quod ſicuti Matri præfertur Avus paternus , ita etiam debeat ipſi præferri Avia paterna . Non valet , inquam , quia in ordine ad tutelam diverſa eſt omnino ratio de Avia , ac de Avo paterno in ordine ad Matrem : perpenſius enim conſilium , & ſalubrius judicium conſideratur in Avo paterno comparative ad Matrem , ac conſideretur in Avia paterna comparative ad eandem Matrem in ordine ad adminiſtrationem pupillorum , ac eorumdem ſubſtantiæ ; Tum quia feminæ non admittuntur ad tutelam , *leg. Femina* 18. *ff. De tutelis* , *l. tutelam* 1. *Cod. Quando mulier tutelæ Officio* , cum ſimilibus . Et ſolum ex ſpeciali privilegio eſt id conceſſum Matri,& Aviæ . *Authen. Ut liceat Matri , & Aviæ* , *& Authent. Matri , & Aviæ, Cod. Quando mulier tutelæ Officio* . Privilegium autem in 71 ordine ad eaſdem intelligendum eſt cum ordine ſucceſſivo ad normam aliorum tutorum Legitimorum , inter quos præferuntur ſemper proximiores in gradu, §. *Cum autem* 7. *Inſtitut. de capitis deminutione , leg. Legitimæ tutelæ* 1. *ff. De Legitimis tutoribus* , cum ſimilibus , adeoque cum Mater comparative ad Aviam , ſive paternam , ſive maternam proximior ſit in linea , & gradu aſcendentis , debet omnino præferri . Sic docent Montanus *de tutoribus , & Curatorib. cap.*15. *n.*6. Menochius *de Arbitrar. Judic. lib.*2. *cent.*3. *caſu* 150. *num.*3. Marcus Antonius Sabellius *in Summ. diverſ. tractat. in verb. tutela numer.*8. *verſ. Quod tutela Legitima* , Corneus *conſil.* 274. *num.*1. *l.*3. Roſignolus *loc. cit. numer.* 9. , *&* 10. , & alii .

Avia paterna præſertim in Italia præferenda eſt maternæ; 72 Sicut enim Avus paternus , non obſtante identitate gradus , & ſexus præfertur materno in munere tutelæ , ita etiam Avia paterna præferenda eſt maternæ , ut ſervetur ordo ; Quamvis enim *in Novella* 118. *Juſtiniani Imperatoris* , ſit ſublatum antiquum Jus Agnatorum , & ſit novum jus conditum , quod nempe tam agnati , quam cognati , qui proximi ſunt , & idonei ad Tutelam , ut heredes redes , ita , & tutores eſſe debeant ; Tamen per univerſam fere Italiam ex juribus municipalibus , & conſuetudinariis agnati etiam quoad ſucceſſionem præferuntur cognatis , quibus ſtantibus videtur ibi adhuc vigere jus antiquum , quod ſcilicet prælatio detur agnatis . Sic teſtantur , & tenent Mynſingerius *Inſtitut. de Legitim. agnator. ſucceſſion.* Montanus *de Tutorib.* , *& Curator. cap.*15. *num.*46. Roſignol. *loc. cit. num.*13. 61. , *&* 28. ac alii plures .

Non exiſtente Avia paterna , nec materna , admittenda 73 eſt ad tutelam Proavia , *arg. Authen . Ut liceat Matri , & Aviæ , & Authent. Ut Matri , & Aviæ , Cod. Quando mulier tutelæ Officio* . Proavia enim proprie venit nomine Aviæ , per text. *in l. Appellatione* 51. *ff. de verbor. ſignificat.* , ibi : *Appellatione parentis non tantum Pater, ſed etiam Avus , & proavus , & deinceps omnes ſuperiores continentur, ſed & Mater , & Avia , & Proavia* . Sic Bartolus *in leg. Si quis ſub conditione num.*16. *ff. de Teſtamentaria tutel.* Joannes Guttierez *de tutor. , & Curator. part.*1. *cap.*8. *num.*17. Roſign. *loc. cit. num.* 14. & alii paſſim .

In concurſu Avi materni cum Avia materna præfertur Avus; 74 In omnibus enim aliis , ceteris paribus , maſculi præferuntur femi-

feminis, ut patet in concurſu patris, & matris, in concurſu Avi paterni, & Aviæ maternæ, in concurſu fratrum, & Sororum, quia in maſculis conſideratur perpenſus conſilium, & ſalubrius judicium, quam in feminis, quoad adminiſtrationem pupillorum, eorumque ſubſtantiæ. Bartolus *in l. Si quis ſub conditione num.9. ff. de Teſtamentaria tutela*, Montanus *de tutoribus, & Curator. cap.* 15. *numer.* 47. Decius *conſil.* 188. *numer.* 1., & 2. Roſignol. *loc. citat. numer.* 16. & alii.

75 Mater etiam tantum naturalis præfertur in omnibus caſibus, in quibus præfertur Mater Legitima. Sic Gloſſa communiter recepta *in Authent. Matri, & Aviæ verb. Matri, Cod. Quando mulier Tutelæ Officio*, per clarum text. *in Novella 94. cap.1. in fine, & l. Si pater* 3. *Cod. Quando mulier Tutelæ Officio*.

76 In concurſu Patris, & Matris naturalis præfertur Mater, Mater enim naturalis ſemper eſt certa, & Jura cognationis ſemper cum filiis retinet, & ſicut filii naturales, & etiam ſpurii ſuccedunt Matri, per text. *in leg. Modeſtinus, l. Hac parte, l. Spurius, ff. Unde cognati*, ita etiam Mater eiſdem filiis ſuccedit, per text. *in cit. l. Hac parte, & l. Spurius, ff. Unde cognati*. Unde quoad Matrem pro legitimis habentur, *leg. Si ſuſpecta* 29. §. 1. *ff. de Inofficioſo Teſtamento*. Adeoque, cum hæc non verificentur reſpectu Patris naturalis, ſtat quod ipſi ſit præferenda naturalis Mater, Bartolus *in Authentic. Matri, & Aviæ num.3. Cod. Quando mulier Tutelæ Officio*; Montanus *de Tutor. & Curator. cap.15. num.25. & ſeq.* Angelus *de Legitima patron. Tutela num.6.* Roſignol. *l. c. n.20.* & alii.

77 Excipe tamen in caſu, quo filii naturales eſſent a Patre legitimati, quia tunc debet præferri Pater, cum filii legitimati, nedum per ſubſequens Matrimonium, ſed etiam per Reſcriptum Principis habeantur tamquam veri legitimi, adeoque ſicuti Pater præfertur reſpectu filiorum Legitimorum, ita etiam reſpectu Legitimatorum. *Communis*.

78 In concurſu Matris, & Aviæ cum Fratre majori Filiorum, & Nepotum ordine ſucceſſivo præferuntur Mater, & Avia, textu expreſſo *in cit. Authent. Matri, & Aviæ, Cod. Quando mulier Tutelæ Officio*, ibi: *Matri, & Aviæ ſecundum ordinem tutelam etiam ante agnatos ſubire permittimus*.

79 Item Mater, & Avia præferuntur etiam Patruis. Decius *in cap. Ex parte, de appellatione, & conſil.* 16. Gualdus *de Caut. ultim. voluntat. Tit. de Tutorib. Cautel.*1. Roſignol. *loc. citat. numer.* 23., & alii per text. *in cit. Authent. Matri, & Aviæ*.

80 Comparando Fratres utrinque conjunctos cum Patruis etiam ex parte Patris, præferuntur Fratres, ſi fuerint majores. *Communis*. Conſanguinei enim proximiores præferuntur remotioribus, textu expreſſo *in §. Cum autem 7. Inſtitut. de Capitis deminutione, l. Legitimæ Tutelæ 1. ff. de Legitimis tutoribus*, cum ſimilibus.

81 Frater utrinque conjunctus in tutela Fratrum ſuorum impuberum præfertur Fratri ex uno tantum latere conjuncto: in Fratre enim utrinque conjuncto præſumitur major propenſio, & affectio intenſior erga Fratres, & ſic etiam major ſollicitudo, ac cura, quam ſit in alio Fratre ex uno tantum latere conjuncto, adeoque eſt præferendus. Baldus *in l. de emancipatis, Cod. de Legitim. heredib.* Stephanus Gratianus *diſceptat. Forenſ. cap.*671. *num.*19. Roſignol. *loc. cit. num.* 25., & alii.

82 Concurrentibus duobus Fratribus utrinque conjunctis, & habilibus, uterque æque primo admittendus eſt ad tutelam, etiamſi unus reſpectu alterius ſit minoris ætatis; Cum enim omnes ſint in eodem gradu, & capaces adminiſtrationis tutelæ reſpectu impuberum, & æquale Jus habeat ſuccedendi, ſic etiam æqualiter debent ad dictam tutelam admitti, per text. *in l. Si plures, ff. De legitimis tutoribus*, ibi: *Et ſi eodem gradu plures ſint, omnes tutelam nanciſcuntur*.

83 Concurrentibus agnatis, & cognatis ſecundum modernam diſpoſitionem Juris communis admittuntur ad tutelam proximiores in gradu, nulla habita ratione cognationis, & agnatio-
84 nis, textu expreſſo *in Novella* 118. *cap.*5. Secundum autem conſuetudinem, & Jura municipalia totius fere Italiæ præferuntur agnati Cognatis. Mynſingerius *Inſt. de legitima agnatorum ſucceſſione*, Montanus *de tutor. & Curator. cap.*15. *n.*48. Roſignol. *l.c. n.*28 & alii. Vide *ſupra n.*72.

85 Tutor, ſicuti & Curator cum primum, Judicis auctoritate interveniente, bonorum adminiſtrationem ſuſcepit, Inventarium conficere debet, textu expreſſo *in l. tutor 7. ff. de adminiſtratione tutorum, & Curatorum, & l. tutores vel Curatores* 24. *Cod. eod.*

86 Talis Inventarii confectio debet præcedere adminiſtrationem, exceptis tamen aliquibus caſibus neceſſitatis, & ſignanter caſu, quo res aliqua non admitteret dilationem, ex quo poſſet ſtatim periclitari, cujuſmodi ſunt fructus, & alia ſimilia, quæ ſunt obnoxia corruptioni, *cit. l. tutor 7. ff. de adminiſtrat. tutor. & Curator. in princip.* ibi: *Nihil itaque gerere ante Inventarium factum eum oportet, niſi id, quod dilationem nec modicam expectare poſſit*, & concordat *l. Veteris Juris* 13. §.1. *Cod. Arbitrium tutelæ*.

87 Non tenetur tamen tutor Inventarium conficere caſu, quo teſtator id ei remiſerit, aut vetuerit; Montanus *de tutor. & Curator. c.32. regul.5. n.26.* Julius Clarus *in §. teſtamentum q.66.* Baldus *in l. Cum tale §. titius, ff. de condit. & demonſtr.* Jaſon. *in l. Nemo poſt n.65. & ſeq. ff. de Legatis* 1. Sebaſtia. Mantic. *de Inventar. cap.*1. *n.*44. Practic. Papienſ. *in forma reddit. ration. tutor. gloſſ. n.*15. Roſignol. *l.c. p.2. contract.17. prænot.5. n.22.* & alii per text. *in l. Veteris Juris* 13. §.1. *Cod. Arbitrium tutelæ*, ibi: *Niſi teſtatores, qui ſubſtantiam tranſmittunt, ſpecialiter Inventarium conſcribi vetuerint*: Tunc enim præſumenda eſt regulata teſtatoris diſpoſitio; Vel quia per hoc præſumitur conſulere utilitati pupillorum, per text. *in l. Nec in ea in fin. ff. de Adult.* Vel ne forte ſecreta patrimonii ſui pandantur, *l. Quod plerumque 2. Cod. de alimentis pupillo præſtandis*.

88 Curatores iis omnibus dari poſſunt, qui ſuis rebus ſupereſſe non poſſunt, textu expreſſo *in §. Sed et mente captis 4. Inſtit. de Curatoribus, l. His qui 12. ff. de tutoribus, & Curatoribus datis ab his, l. Sed & aliis 2. ff. de Curatoribus furioſo, & aliis*.

89 Generaliter loquendo Curatores dantur Minoribus, qui exceſſerunt annum 14. nec pervenerunt ad 25. *Inſtit. de Cur. in princip. Inſtit. Quibus modis tutela finitur in princip. l. Niſi 4. in princip. ff. de tutel. & rationib. diſtrahend. l. Si Curatores 1. Cod. Quando Tutoes, & Curatores eſſe deſinant*.

90 Curatores dari poſſunt furioſis, & mente captis, etiam ſi exceſſerint 25. ſuæ ætatis annum; §. *Furioſi 3. & §. Sed & mente captis 4. Inſt. de Curatorib. l. Lege duodecim 1. ff. de Curatorib. furioſo, & aliis, l. de creationibus 27. Cod. de Epiſcopali audientia*.

91 Si Filius familias inciderit in amentiam, & furorem, licet fuerit emancipatus, Pater erit ejus Legitimus Curator, *leg. Cum furioſus 7. Cod. De curatore furioſi*, ibi: *Qui enim talis affectus extraneus inveniatur, ut vincat paternum? Vel cui alii credendum eſt res liberorum gubernandas, parentibus derelictis*.

92 Si pater factus fuerit furioſus, & amens, conſtituendus eſt ejus Tutor filius ætate major, *l. Lege duodecim 1. ff. de Curatoribus furioſo, & aliis, leg. his, qui 12. ff. de Tutoribus & Curatoribus furioſo, & aliis*.

93 Item ſi mater facta fuerit furioſa, & amens, eſt ei dandus filius Curator, textu expreſſo *in cit. l. Furioſæ 4. de Curatoribus furioſo, & aliis*, ibi: *Furioſæ matris Curatio ad filium pertinet. Pietas enim parentibus, etſi inæqualis eſt eorum poteſtas, æqua* (ſeu æqualis) *debebitur*.

94 Curatores dari poſſunt prodigis, *l. Lege duodecim 1. ff. de Curatoribus furioſo, & aliis, l. Dabimuſque §. Sed æquiſſimus,*
*ff. de privileg. credit.* Et ad dandos tales Curatores ſufficit, 95
quod prodigiorum conjuncti habentes notitiam de eorum prodigalitate, eos petant; *l. De tutela 7. cod. de in integrum re-*
*ſtit. minor.* Immo etiam nemine petente, poteſt Judex ex 96
Officio, ſi notorie conſtet de prodigalitate, Curatorem dare tali prodigo; quia prodigus æquiparatur furioſo, *cit. leg. lege duodecim 1. ff. de curatoribus furioſo, & aliis, l. Fulcinius 7. §.9. 10. 11. & 12. ff. Quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur*, cum ſimilibus.

97 Curator dari poteſt aſſiduo Luſori; Ipſe enim æquiparatur prodigo, cum bona ſua inordinate exponat fortunæ alearum, aliorumque ludorum periculis. Unde Jura adducta de prodigo faciunt etiam pro aſſiduo Luſore: Decius *in cap. ultim. in fine; de Judiciis*, Pinellus ad *l.4. & ultim. cod. De bonis matern.* Montanus *de tutor. et curator. cap.28 n.49. cum ſeq.* Roſignol. *l.c. p.1. contract.17. prænot.27. n.67.* & alii.

98 Item Curator dari poteſt feminæ prodige, & luxurioſe viventi; *l. Et mulieri 15. ff. de curator. furioſo, et aliis*, & faciunt Jura adducta de prodigis.

99 Maſculo tamen luxurioſe viventi non interdicitur adminiſtratio. Speculator *in tit. de Actore* §.1. Albericus, & Cumanus *in l. Is cui bonis, ff. de verbor. ſignificat.* Felinus, & Decius *in cap. Perſonalis, de Judiciis* Jaſon *in l.4. §. Sed eo quod meretrici, ff. de condict. ob turpem cauſam*; Roſignol. *loco cit. n.71.* & alii; Jura enim plus deferunt feminæ luxurianti, quam maſculo, *l. Lucius 9. ff. de Jure Fiſci*, ubi Fiſcus aufert a femina fornicaria id, quod ab Amaſi recepit ob copiam factam ſui corporis, nec tamen in aliquo damnat maſculum cum ipſa congredientem, & facit textus Evangelicus *Joan.8. n.4.* ubi fit a Scribis, & Phariſæis fortis inſtantia pro condemnatione, & punitione feminæ adulteræ, & nulla penitus de viro adultero, ibi: „ Magiſter hæc mulier
„ modo deprehenſa eſt in adulterio. In lege autem Moyſes
100 „ mandavit nobis hujuſmodi lapidare „. Si autem maſculus, nedum luxurioſe, ſed & prodige viveret, poſſet ei dari Curator uti prodigo per Jura adducta *ſupra n.94. et ſeq.*



101 Maritus non poteſt dari Curator uxori ſuæ, textu expreſſo *in l. Virum 14. ff. de curatorib. furioſo, et aliis*, ibi: „ Virum Uxori mente captæ Curatorem dari non oportet, *l.* „ Maritus 2. Cod. Qui dare tutores, vel Curatores poſſunt, „ *ibi*: Maritus, etſi rebus Uxoris ſuæ debeat affectionem, „ tamen Curator ei creari non poteſt.

102 Curatores dari poſſunt captivis quantumvis majoribus, textu expreſſo *in l. Mutuo 6. ff. de Tutelis*, §.4. *in fine*, ibi: *Immo curator ſubſtantiæ dari debet, ne in medio pereat*.

103 Item propter eamdem rationem poſſunt dari Curatores abſentibus, *arg. cit. l. Mutuo §.4.* Alexander *conſil.4. n.4. lib.2. et conſil.221. n.5. lib.6.* Decius *conſil.275. n.4.* Angelus *conſil.* 193. *Mortuo debitore*, Roſignol. *l.c. n.73.* & alii.

104 Item Curatores dari poſſunt mutis & ſurdis, textu expreſſo *in §. Sed et mente captis 4. Inſtit. de curat., l. Nec mandante 8. §.3. ff. de tutor., et curator. datis, l. cui eorum §. In curatoribus*, ff. *de poſtulando, leg. vel Surdo*, ff. *de privileg. credit.*

105 Curatores, & Tutores regulariter tenentur ſatiſdare, ſeu idoneam fidejuſſionem præſtare, Res minorum, & pupillorum ſalvas fore, textu expreſſo *in princip. Inſtit. de ſatiſdatione tutorum, et curatorum, l. et De die 8.* ff. *Qui ſatisdare cogantur*, §.4. & concordat *tot. tit.* ff. *Rem Pupilli, vel adoleſcentis ſalvam fore*, cum ſimilibus.

106 Excipiuntur tamen tutores teſtamentarii, textu expreſſo *in cit. Inſtit. de ſatisdatione tutorum, et curatorum in princip.* „ ibi: „ Nam tutores teſtamento dati ſatisdari non coguntur, „ quia fides eorum, & diligentia ab ipſo teſtatore approbata eſt.

107 Item variis aliis relictis apud Juriſtas videndis excipiuntur etiam tutores, & Curatores dati ex inquiſitione, textu expreſſo *in cit. Inſtit. de ſatisdatione tutor., et curator. in princip.* ibi: „ Item ex inquiſitione tutores, vel curatores dati ſatiſdatione non onerantur, quia idonei electi ſunt.

108 Tutores, & Curatores tenentur adminiſtrare bona Pupillorum, & Minorum tali cura, & diligentia, qualem providus Paterfamilias propriis bonis adhibere ſolet, textu expreſſo *in l. A tutoribus* 33. ff. *de adminiſtratione tutor. et curator.* „ ibi: „ A tutoribus, & curatoribus pupillorum eadem diligentia exigenda eſt circa adminiſtrationem rerum pupillarium, quam Paterfamilias rebus ſuis ex bona fide præbere debet.

109 Tutores, & Curatores tenentur operam dare, ut ex bonis immobilibus ab ipſis adminiſtratis fructus conſueti proveniant, bona mobilia minus utilia vendere, pecuniam non otioſam relinquere, ſed eam inutilem, & tutam prædiorum emptionem, & in annuos redditus ad pupillorum, & Minorum emolumentum convertere; Quibus culpabili eorum incuria neglectis, obligantur ad reſtitutionem totius intereſſe, textu expreſſo *in l. Tutor 7. §.1.* ff. *de adminiſtratione, et periculo tutor. et curator.* ibi: „ Si tutor ceſſaverit in diſtractione earum rerum, quæ tempore depereunt, ſuum periculum facit; Debuit enim confeſtim Officio ſuo fungi „. Et *ibid.* „ §.3. expreſſe habetur: „ Si poſt depoſitionem pecuniæ „ comparare prædia tutores neglexerunt, incipient in uſuras „ conveniri; Quamquam enim a Prætore cogi eos oportet ad „ comparandum, tamen ſi ceſſent, etiam uſuris plectendi „ ſunt, tarditatis gratia, niſi ſi per eos factum non eſt, quominus compararent „. Et concordat *l. tutor. 13. l. Si tutor 15. minoris 25. l. Ob fœnus 49.* ff. *eod. l. tutores vel curatores 24. cod. De adminiſtratione tutor. vel curator.* cum ſimilibus.

110 Ad nullum tamen intereſſe tenentur tutores, & Curatores, ſi factis debitis diligentiis pro implicanda in prædiis, ſeu annuis redditibus Pupillorum, ſeu Minorum pecunia, nulla eis certa, & tuta occaſio affulgeat, textu expreſſo in *l. Si pecuniam 3. cod. de uſuris pupillaribus*, ibi: „ Si pecuniam pupillarem neque idoneis hominibus credere, neque in emptionem poſſeſſionum convertere potuiſti, non ignorabit Judex „ uſuras ejus a te exigi non oportere „ *l. cum plures 12. §. fin.* ff. *adminiſtrat. et pericul. tutor*, ibi: „ Si tutor pecuniam pupillarem credere non potuit, quod non erat, cui crederet, „ pupillo vacabit.

111 Salarium pro tutela accipere interdictum eſt tutoribus, præterquam ſi eis a Judice conſtitutum ſit, *l. A tutoribus 33. §.3.* ff. *de adminiſtr. tutor. l. Qui negotiationem 58. §.4* ff. *eodem* & docet Gloſſa *in l. In eos 9.* ff. *de tutelis*, Layman *l.3. tract. 4. cap.9. n.2. verſ. tutor ſicuti*, & alii paſſim dicentes, quod Officium Tutoris de Jure debeat eſſe gratuitum.

112 Nihilominus tamen non interdicitur Judici, quin interveniente cauſa poſſit tutoribus congruum Salarium, juxta qualitatem cauſæ, laboris, & negotiorum gerendorum, & hujuſmodi aſſignare, *arg. cit. l. A Tutoribus 33 §.3 ff. de adminiſtrat. tutor.* ibi: *Niſi ab eo, qui eum dat, certum ſalarium ei conſtitutum eſt*. Et ibi Gloſſa, & Doctores, Bartolus *in l. In eis 9. ff. de tutelis, & in l. Athletæ §. Tutela*, ff. *de excuſat. tutor.* Cavalcanus *de tutore & curatore n.*310. Corduba a Lara *in l. Si quis a liberis §. Si mater n.73.* ff. *de liberis agnoſcend.* Surdus *de aliment. tit.6. q.14. n.7.* Roſignol. *l. c. p.2. contract.17. prænot.20. n.2.* & alii paſſim: Immo in variis Regionibus ex diſpoſitione Jurium municipalium ibidem vigentium aſſignantur Tutoribus, & Curatoribus certæ por-
tiones. Quinimmo Curator hereditatis jacentis habet Jus Hy- 113
pothecæ in bonis ejuſdem hæreditatis pro ſuo ſalario cum prælatione quo ad omnes alios Creditores hereditatis licet anteriores. Mart. Medic. *dec. 19 per tot.* Merlinus *de pignorib. l.3. q.5 n.30* Roſignol. *l.c. p.1. Contract.17. prænot.27. n.28.* & alii.

114 Si tutores, & Curatores ab initio aſſumptæ tutelæ, & Curæ ſalarium non petierint, nec de illo proteſtati fuerint, & poſtea illud petant, non eſt decernendum a Judice pro præterito, ſed tantum pro futuro. Socinus *conſ. 196 col. ultim. l.2* Joann. Guttierez *de tutor. & Curat. p.3 cap.2. n.4.* Federic. de Senis *conſil.118 n.2* Alexander *conſil.109 n.1 & ſeq. lib.6* Caſtrenſis *conſ.346 lib.2* Roſignol. *l.c. p.2 contract. 17. prænot.20 n.13* & alii.

115 Non poſſunt autem tutores, & Curatores ſibi ipſis ſalarium conſtituere, cum ſolum ſit ipſis permiſſum illud petere auctoritate, & arbitrio Judicis, *arg. cit. l. A tutoribus 33. §.3.* ff. *de Adminiſtrat. tutor. & curat.* ibi: *Niſi ab eo, qui eum dat, certum ſalarium ei conſtitutum eſt*, Roſign. *l.c. p.2 contract. 17 prænot.20. numer.* 10. cum aliis ibi citatis, & alii paſſim.

116 An, & quando Pupilli, & Minores poſſint ſine auctoritate tutorum, & Curatorum contractus celebrare? Et an ſi aliquos ſic celebraverint, obligentur ad illos, tum civiliter, tum naturaliter, ſeu tam in Foro externo, quam in Foro interno, ſeu conſcientiæ? Vide verb. *Contractus, a n.27 ad* 35 & verb. *Mutuum n.* 20.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 PLura tametſi hic habeat *Auctor*, plura nihilominus eſſent addenda. Sed præ auguſtis limitibus additionum
2 vix tria adnotabimus. Primum eſt, quod tempus tutelæ a Lege præfinitum ad ultimum uſque momentum durat, ideoque non admittitur anticipata terminatio, quamvis ad breve tempus prætenſa. Confer Rot. *in Imolen. tutelæ ſuper 1. dub. 13 Junii 1735* & in confirmatoria *3 Jun. 1736 coram Eminentiſſimo Buſſio*.

3 Alterum eſt, quod tutor cogi haud poteſt a Pupillo ad rationes adminiſtratæ tutelæ reddendas, ſi ipſe Pupillus effectus major, eum ab hac rationum redditione liberaverit.
4 Idque procedit etiamſi liberatio hæc facta fuerit abſque exhibitione computorum, diſpunctione partitarum, & reliquatus, quia liberatio hoc modo facienda reſpicit ipſam redditionem rationis, non item locum ſibi vindicat in caſu, in quo tutor liberatur ab ipſa redditione rationis. Conſule pariter *Rot. in Ferentina Redditionis rationis 23 Jun. 1728 cor. clar. mem. Millino*, ubi quod tutor, ſeu quivis alius Adminiſtrator
5 non poteſt liberari hoc modo quoad futuram adminiſtrationem, ne detur occaſio peccandi, poteſt vero quoad adminiſtrationem præteritam, ſecluſo præſertim dolo.

Ter-

6 Terti um demum eſt, quod tutor haud poteſt reportare cesſiones contra Pupillum, & ita quidem ut ſi quas reporta-
7 verit, eæ cedant beneficio ipſius Pupilli. Intellige vero, ſi agatur de cesſionibus a tutore reportatis mala fide, eo ſcilicet animo, ut lucrum faceret contra Pupillum, ut ſunt ceſſiones concernentes jura litigioſa, vel minori pretio comparata. Confer idem Supremum Tribunal *in Romana Cenſuum* 27. *Junii* 1738. §. *Nec obſtat*, *cor. clar. mem. Tanar.* inter impreſſas *dec.* 120. *n.* 6.

---

# V

# VACANS SEDES.

*Additio ex Auctore.*

1 VAcante Sede Apoſtolica Major Pœnitentiarius, ſeu ejus Officiales facere, et expedire poſſunt quæcumque ad Forum conſcientiæ pertinent. Ideo abſolvere, ſeu abſolvi mandare in dicto conſcientiæ Foro poſſunt ab iis quoque Cenſuris, a quibus alias vivente Pontifice adempta etiam Majori Pœnitentiario, et Penitentiariæ Officio abſolvendi facultas reperitur. Hac tamen lege, quod in hujuſmodi Cen-
2 ſuris, ad tempus dumtaxat, et cum reincidentia in eaſdem, ſervatis alias ſervandis, abſolutio concedatur; Itaut qui fuerint abſoluti, ad novum Pontificem intra terminum pro locorum diſtantia definiendum, recurrere pro eadem cauſa teneantur; Neque liceat Penitentiario Majori, ejuſque Officialibus præfinitum terminum poſt Pontificis electionem ampliare, vel prorogare; Benedict. XIV. t. 1. Conſt. 95. incip. *Paſtor bonus* §. 51. qui a §. 52. *ad* 55. proſequitur declarare facultates Sede Vacante Majori Penitentiario competentes,
3 „ *ibi* §. 52. „ Præterea concedimus, ut ſi quando aliquod „ gravius Animæ periculum immineat, cui celeriter occurrendum videatur, re in Signatura diligenter examinata, et „ Majori quoque Penitentiario, ſi in Conclavi degat, pro „ materiæ gravitate conſulto, et approbante, diſpenſare, „ aut diſpenſari mandare pro eodem Foro conſcientiæ valeant; ſuper illis etiam, ſuper quibus alias vivente Pontifice inhibita ſit Majori Penitentiario, & Penitentiariæ diſpenſandi facultas; Ita tamen, ut Oratores, ſicuti ſuperius dictum eſt, ad novum Pontificem poſt ejus electionem ſimiliter debeant recurrere; aliiſque appoſitis clauſulis pro caſus natura neceſſariis, & opportunis.
4 „ Pro Foro vero externo, eadem Sede Apoſtolica vacante, eorum Officium penitus conquieſcat, itaut a quibuſcumque matrimonialibus, & aliis diſpenſationibus, & abſolutionibus, ac declarationibus, nec non quibuſvis aliis „ expeditionibus forum fori mixtim, vel ſeparatim quomodolibet reſpicientibus omnino abſtineant.
5 „ Attamen concedimus, ut dicta Sede vacante, pro Foro externo facere, & expedire valeant, quæ ad Regularium, & præſertim Apoſtatarum, & fugitivorum remedium, in ſuperioribus facultatibus conceſſa ſunt. Nec non „ ut Monialibus Confeſſarios extra Ordinem valeant deputare, ſi eos ex aliqua rationabili cauſa petierint, pro earum libitu inter approbatos ab Ordinario ad audiendas „ Monialium Confeſſiones, eligendos.
6 Et demum, ut illos, qui in aliquam Cenſuram Sedi Apoſtolicæ reſervatam, etiam ob violatam Eccleſiaſticam Libertatem, vel Immunitatem publice incurrerint, vel incurriſſe declarati fuerint, et vere, ac ſincere poenitentes, et „ novi Pontificis, ad quem poſt electionem recurrere debebunt, mandatis obtemperare parati, beneficium abſolutionis ſibi ulterius non differri enixe deprecentur, abſolvere „ cum reincidentia, quemadmodum in ſuperioribus dictum „ eſt, vel abſolvi mandare poſſint.
7 Vacante Sede Apoſtolica, proceſſio Generalis Corporis Chriſti celebrari debet apud Vaticanam Baſilicam; Idem Conſt. 122. incip. *Paſtoralis ſollicitudinis* §. 3. ubi §. *ſeq.* præſcribit etiam Ritum, quo ibi celebranda eſt dicta proceſſio.
8 Reliqua, Vide verb. *Sedes vacans*.

Vacent Eccleſiæ, Beneficia etc. per promotionem alicujus ad Cardinalatum, niſi a Papa concedatur Retentio; Sixtus V Conſt. 79. incip. *Sanctiſſimum*. 2
Vacant præceptoriæ Militiæ S. Joannis Hieroſolymitani, quando Milites, ſeu Equites fiunt Epiſcopi; Gregorius XIII. Conſt. 82. incip. *Controverſia*. 3
Vacare cenſentur loca Montium vacabilia per aſſumptionem ad Cardinalatum; Urbanus VIII. in Appendic. Conſtit. 38. incip. *Decet*. 4
Vacare non intelliguntur Officia Romanæ Curiæ per mortem vacabilia ob aſſumptionem ad Epiſcopatum, Commendam etc. ſed per aſſumptionem ſolum ad Cardinalatum; Urbanus VIII. in cit. Conſt. incip. *Decet*, revocans quoad hoc Conſt. 79. Sixti V. incip. *Sanctiſſimus*. 5
Quoad Beneficiorum vacationem ipſo Jure; Vide verb. *Beneficia art.* 7. *per tot.* 6
Quod ad collationem, et proviſionem beneficiorum vacantium; Vide verb. *Beneficia art.* 3. 4. & 5. *per tot.* 7

## VACATIO, VACARE.

1 VAcatio per mortem, et per renunciationem non ſunt eædem, nec eoſdem effectus cauſant; *cap. Suſceptum*, *de Reſcriptis in* 6.

*Additio ex Auctore.*

Vacatio Beneficiorum inducitur per ſolemnem Profesſionis emisſionem, Benedict. XIV. tom. 2. Conſt. 25. incip. *Ex quo*, ubi ſic expreſſe declarat: *Denique de beneficiorum vacatione, in jure ſtatutum habemus, eam non induci per ſolum ingreſſum in Religionem, ſed per profesſionem Regularem dumtaxat, quemadmodum videre eſt in cap. beneficium, de Regular. in* 6. Et quidem pro eo tempore, quod inter ingreſſum in Ordinem Regularem, et Profesſionem ſolemnem intercedit, debet Epiſcopus quoad beneficia curata id ipſum agere, quod alius præſtare conſuevit, quum Parochus aliquo impedimento detinetur, ne animarum curam exercere valeat; quoad beneficia vero Choralia, relictis tyroni religioſo, qui Choro intereſſe nequit, ipſius beneficii fructibus, de diſtributionibus ita ſtatuet, ut jura præſcribunt, juxta opinionem in praxi receptam, de qua agit *Suarez de Religione tom.* 3. *l.* 5 *cap.* 16. *n.* 12. Quinimmo ſi quis forte Religionem ingreſſurus, beneficium ſuum dimitteret (quo caſu poteſt Epiſcopus *per Conſtitutionem LVIII. S. Pii V.* hujuſmodi renunciationem admittere vel etiam ſi tempore Novitiatus hujuſmodi dimiſſionem expleret, ſervatis omnibus, quæ ex præſcripto Sacri Tridentini Concilii *cap.* 16 *ſeſſ.* 25. *de Regularibus*, tam in bonorum temporalium, quam in Beneficiorum Eccleſiaſticorum renunciationibus ſervari debent, nihilominus omnia in ſuſpenſo remanere deberent; neque poſſet Epiſcopus ad beneficii ſic dimiſſi collationem devenire, niſi poſt factam a dimittente ſolemnem Profeſſionem; uti late oſtendit doctus, & in hoc toto rerum genere expertiſſimus Scriptor, bon. mem. Joannes Baptiſta Riganti, *in ſuo Commentario ad Regulas Cancellariæ tom.* 3. *Regul.* 46. *a n.* 11. *ad finem*. Non 8 9 11
vero inducitur dicta Beneficiorum vacatio per votorum ſimplicium emiſſionem in Societate Jeſu, tranſacto probationis biennio; Idem *ibid.* Decretum eſt autem in Congregatione 12
Generali quinta ipſius Societatis, ut quilibet, expleto biennio, beneficia Eccleſiaſtica dimittat; Idem *ibid.* ſic expreſſe proſequens: Qua in re olim dubitatum eſt, an Vota ſimpli- 13
cia, quæ a Clericis Regularibus Societatis Jeſu, poſt biennium probationis emittuntur, hujuſmodi beneficiorum vacationem inducerent? Sed negativa Sententia communiter recepta fuit, ut obſervat laudatus Riganti *l.c. n.* 30. & *ſeq.* & monet Pitonius *diſcept.* 126 *n.* 11 & *ſeq.* Quamvis in Congre- 14
gatione quinta Generali ipſius Societatis *Canone* 19. ſtatutum fuerit, ut qui Societati nomen dederit, expleto biennio, antequam Vota ſimplicia emittat, Eccleſiaſtica beneficia dimittere



15 tere debeat; quo caſu hujuſmodi Beneficia, ſi minus propter Profeſſionem, at propter renunciationem, vacare intelliguntur; ut notant Sanchez *ad præcepta Decalogi lib. VII. cap.* 4. *n.* 7. Pellizarius *in Manuali t.* 1. *tract.* 3. *cap.* 4 *n.* 52 cum aliis, quos citant præfati Rigant. *l.c. n.* 32. & Piton. *num.* 13 Hæc ille.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 IN addit. ad *verb. Beneficium art.* 7. diſſeruimus de vaca-
2 tionibus beneficiorum ipſo jure. Res modo poſtulat, ut agamus de caſibus, in quibus Beneficia haud vacant ipſo jure, ſed per Judicis ſententiam.
3 Ex ſimplici Homicidio Beneficia non vacant ipſo jure.
4 Quin nec ex Fratricidio vacant ipſo jure Beneficia; *Rouſſeaud de la Combe in ſua Juriſprudentia Canonica verbo vacatio ſect.* 2. *num.* 1.
5 Nec ex Concubinatu vacant ipſo jure beneficia, ſed privationem præcedere debet trina canonica monitio, ex *Concilio Tridentino ſeſſ.* 25. *cap.* 14. *de Reform.* de quo Rota *in Ratisbonen. Parochialis* 13 *Junii* 1718. §. *Et demum*, *cor. bon. mem. Foſcar.* & *in Placen. Parochiæ* 9. *Decembris* 1743. §. 9 *coram bon. mem. Lan.* & 15 *Junii* 1744. §. 8. *cor. clar. mem. Millin.*
6 Idemque tradit de Adulterio *Rouſſeaud de la Combe in ſua Juriſprudentia Canonic. verb. vacatio ſect.* 2. *n.* 4.
7 Vide & alios caſus apud eumdem *l.c. n.* 5 & *plur. ſequent.*
8 Hic vero non eſt prætereundum, quod in quibus caſibus vacatio beneficiorum inducitur ipſe jure, Collator qui ejus notitiam habuit tenetur illa intra ſex menſes conferre, alias de-
9 volvitur ipſa collatio ad immediatum Superiorem. At in caſibus, in quibus ſententia requiritur pro vacatione beneficiorum, currit Collatori ſub pœna devolutionis idem tempus ſex menſium a die, quo ſententia illa nacta eſt auctoritatem rei judicatæ. Interim non prohibetur beneficiarius reſignare beneficium; *Idem Auctor ubi ſupra n.* 8.

## VAGUS, VAGABUNDUS.

1 VAgus, ſeu Vagabundus proprie dicitur ille, qui certam, & conſtantem ſedem habitationis nullibi habet. Item qui poſt relictum corpore, & animo priſtinum domicilium, iter facit, quærens ubi domicilium figat; *Sic in re Doctores communiter*, per text. *in leg. Ejus, qui manumiſit* §. *Celſus* ff. *Ad municipalem*.
2 Vagi, ſeu vagabundi, qui certum domicilium, vel habitationem non habent, ſortiuntur Forum, ubi reperiuntur; Alias enim nullibi pro delicto, aut contractu poſſent conveniri, contra ea, quæ notantur *in l. Hæres abſens*, ubi Bartolus *n.* 5. ff. *de Judiciis*. Sic Fagnanus *lib.* 2 *Decret. in c. licet* 20 *de Foro competenti n.* 26 cum pluribus aliis ibi citatis, Reiffenſt. *lib.* 2 *Decret. tit.* 2. *n.* 46 cum aliis ibi allegatis, per text. *in l.* 1. *Cod. Ubi quis de Curiali*, & *leg.* 1. *Codic. Ubi de Criminibus*.
3 Unde Parochus proprius vagorum in ordine ad Matrimonium eſt Parochus illius loci, ubi vagi actu verſantur; Vide verba *Impedimenta matrimonii art.* 2. *a n.* 86 *ad* 89. & verb. *lex art.* 3. *a n.* 46 *ad* 48.
4 Poſſe vagos inire Matrimonium apud quemcumque Parochum, etiamſi alteruter tantum ſit vagus, docent Sanchez *lib.* 3 *d.* 25 *n.* 24 Pontius *l.* 5 *cap.* 14 §. 1. Layman *lib.* 5. *tra.* 9. *p.* 2 *c.* 4 Gutierez, Leander, Tambur. Boſſius, Dicaſtill. Gobat. Barboſ. Kugler, Krimer citati, & ſecuti a La Croix *l.* 6. *p.* 3. *n.* 750. ubi teſtatur hanc eſſe communem ſententiam, & ſic decrevit *S. C. Conc. die* 28 *Aug.* 1607 apud Aldan. *in Compendio Canon. Reſol. l.* 1 *tit.* 78 *n.* 1 & Barboſam *in Sum. Apoſtolic. dec. verb. vagus n.* 1. his verbis: Vagus ducens Uxorem in aliquo loco, ubi eſt vere domicilium mulieris, poteſt contrahere in alio loco, ubi voluerit, cum omnes poſſint eſſe Parochi vagi, quamvis adſit parochus mulieris, quia tunc eſt vere parochus vagi alius in alio loco, ubi reperitur vagus.
5 An vagi, ſeu vagabundi obligentur Legibus, & conſuetudinibus locorum, per quæ tranſeunt, vel in quibus hoſpitantur? Vide verb. *lex art.* 3 *a n.* 46 *ad* 48.
6 Vagi, ſeu vagabundi ubi ſint ſepeliendi? Vide verb. *Sepultura n.* 22.
7 Vagi poſſunt abſolvi a commiſſis alibi, etiamſi in loco patratorum criminum eſſent reſervata, ſi hic non ſint reſervata, quia cum iſti nullum habeant domicilium, adſtringuntur ſolum Legibus Epiſcopi, ubi confitentur. Barboſa *p.* 3. *de Offic. & poteſtat. Epiſcopor. allegat.* 52. *numer.* 16. & alii communiter.

## VANAGLORIA.

Vide verb. *Superbia num.* 8.

## VANA OBSERVANTIA.

Vide verb. *Superſtitio n.* 45.

## VASA SACRA.

VAſa Sacra benedicendi facultatem habent Abbates Pontificalia exercentes, etiam Regulares; non tamen 1
pro Eccleſiis extraneis. Vide verb. *Abbas num.* 31. §. 18. & *in declaratione Sacræ Congregation. Rit. data ad* §. *Decimum octavum*, & *verb. Benedictio, art.* 1. *n.* 20. & 21.
Prælati Regulares, nempe Generales, Provinciales, Priores, Rectores, Præpoſiti, Guardiani, aliique omnes Superiores locales quocumque nomine nuncupentur, quamvis non poſſint benedicere Sacra vaſa, in quibus intervenit unctio Sacri Chriſmatis, poſſunt tamen benedicere alia Sacra Vaſa, & ornamenta, ſeu paramenta pro uſu ſuarum tantummodo Eccleſiarum. Vide dict. verb. *Benedictio a numer.* 19. *ad* 21. ubi dantur ad id varia Decreta. 2
Unde caute legendi ſunt Doctores, qui apud La Croix *lib.* 6. 3
*part.* 2. *num.* 353. & apud alios, dicunt Superiores Ordinum Mendicantium adhuc id poſſe etiam pro extraneis, ubi eſt uſus, quamvis aſſerant bona fide id facere paſſim, permittentibus, & ſæpe ad eos remittentibus Epiſcopis. Epiſcopi 4
enim non poſſunt abſque ſpeciali licentia hanc Sacrorum paramentorum Benedictionem aliis delegare, ut ſæpius decrevit *Sacr. Rit. Congregat.* & ſignanter *die* 14. *Novembr.* 1615. apud Gavant. *in Manuali Epiſcop. verb. Benedictio num.* 5. & teſtantur Averſa *quæſt.* 11. *ſect.* 13. §. *Sexto*, La Croix *loco citat. num.* 253. & alii paſſim.
Neque Benedictio Sacrorum paramentorum, & vaſorum Eccleſiaſticorum poteſt fieri ab inferioribus Prælatis Jure 5
proprio, licet habeant Territorium ſeparatum, & Juriſdictionem, niſi habeant ea, quæ ſunt Ordinis, ut decrevit *Sacra Congregat. Rit. in Nullius* 21. *Auguſti* 1601. apud Barboſ. *lib.* 3. *Juris Eccleſ. univerſ. cap.* 3. *num.* 31. & *in Summ. Apoſtol. decif. verb. Benedicere*, *Benedictio num.* 9. Ubi nu- 6
*mer.* 15. refert, quod Benedictio paramentorum, & vaſorum Eccleſiaſticorum, in quibus non adhibetur ſacra unctio, diverſis Abbatibus, Decanis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis conceſſa fuit per Sacram Rit. Congregat. & ſignanter *in Aquilejen.* 20. *Aprilis* 1599. *in Elven.* 17. *Maii* 1600. *in Lamoren. in Polonia* 15. *Novembr.* 1603. *in Laudunen.* 29. *Januar.* 1605. *in Aquilejenſi* 24. *Aprilis* 1610. *in Auguſtana* 12. *April.* 1614. *in Lucion.* & *Gneſnen* 4. *Septembris* 1612.
Protonotarii ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ, ſeu Sacræ Con- 7
gregationis licentia, nulla poſſunt benedicere vaſa, paramenta, ſeu ornamenta Eccleſiaſtica. *Sacr. Congregat. Rit.* 17. *Jul.* 1627. apud Gavant. *in Manual. Epiſcop. verb. Benedictio numer.* 7. & Barboſ. *in Summ. Apoſtolic. dec. verb. Protonotarius Titularis n.* 14.
Vaſa Sacra, ſcilicet Calix, Patena, Ciborium, Corporale, 8
dum in iis actu continetur Corpus, vel Sanguis Chriſti, a nemine præter Sacerdotem, & Diaconum ſine gravi culpa tangi poſſunt. Colligitur *ex cap. Non oportet* 26. & *cap. Non oportet* 38. *diſt.* 23. & docent Paludanus *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 1. *art.* 4. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſput.* 81. *ſect.* 6. Layman *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 18. Tamburin. *lib.* 1. *de Sacrific. cap.* 2. §. 1. Quarti *Comment. in Rubric. Miſſalis p.* 2. *tit.* 1. *dub.* 6. *verſ. Certum eſt*; La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *numer.* 360. Sporer *tom.* 3. *part.* 2. *cap.* 6. *ſect.* 2. *numer.* 403. ubi teſtatur de communi contra Ochagaviam, & Gobat negantes id eſſe mortale.
Vaſa Sacra vacua extra Sacrificium licite poſſunt tangi 9
ab omnibus Clericis, etiam ſola prima tonſura initiatis; Suarez, Tamburin. Quarti, Sporer *loco citat.* La Croix *loc. cit. num.* 357. & alii apud Gobat *tract.* 3. *a num.* 329. contra Filliucium, & alios id negantes de Clericis ſola prima tonſura

10 ſura initiatis. Acolythi miniſtrantes licite etiam in Sacrificio tangere poſſunt Vaſa Sacra vacua per expreſſam conceſſionem Martini Papæ *in cap. Non liceat penult. diſt.* 23.

11 Omnes Religioſi etiam laici Ordinum Mendicantium, & communicantium in eorum privilegiis præſertim deputati ad ſervitium Miſſarum, & Sacriſtiæ, poſſunt licite tangere vaſa ſacra, & lavare Corporalia ob expreſſum privilegium conceſſum Minoribus a Caliſto III. & Sixto IV. ut refert Calarub. *in Compendio privileg. Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium, & non Mendicantium, verb. Corporalia n.* 1. *&* 2. *& verb. Ornamenta Eccleſiaſtica n.* 3. *&* 6.

12 Laici, & feminæ, etiam Moniales abſque neceſſitate, vel rationabili cauſa nuda manu tangentes vaſa Sacra, peccant venialiter, ut cum Suarez, Coninch. Azorio, Sanchez tradit Layman *loco citat. num.* 19. & tenet Quarti *loco cit. verſ. Secunda ſententia*, Paſqual. *quæſt.* 328. *num.* 4. la Croix *loco citat. num.* 558. & de communiſſima teſtatur Sporer *loco citat. num.* 405. per text. *in cap. Sacratas* 25. *diſt.* 23. *& cap. In Sancta* 40. *diſt.* 1. *de conſecrat.*

13 Immo Tamburinus *Opuſc. de Sacrificio lib.* 1. *cap.* 2. §. 1. *num.* 7. Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 3. Fagundez *Præcepto* 1. *lib.* 3. *cap.* 21. Bartholomæus ab Angelo *Dialogo* 5. §. 321. & multi alii recentiores, quos citat Sanchez *lib.* 2. *Decalogi cap.* 43. *num.* 27. ſuſtinent, laicos, & feminas tangendo vaſa ſacra, ſecluſo contemptu, nequidem peccare venialiter, quia Canones id prohibentes poſſunt intelligi de conſilio, & ob majorem decentiam, nec videntur continere præceptum: Et ſi ad id accedat aliqua rationabilis cauſa, nullo modo peccare laicos & feminas tangendo vaſa ſacra, Corporalia, & alia hujuſmodi, tenent etiam Quarti *loco citato vers. Colligitur quinto*, cum aliis ibi citatis, Layman *loco citato num.* 19. Sanchez *loc. cit.* Gobat *loco cit.* Henriq. & plurimi alii.

14 Hinc Moniales Sacriſtanæ poſſunt licite tangere Calices, Corporalia, & hujuſmodi. In ipſis enim adeſt rationabilis cauſa ſupradicta tangendi, cum ratione ſui Officii debeant Calices, Patenas, Corporalia, & ſimilia præparare, miniſtrare, mutare, & hujuſmodi; quæ ſine tactu præſtare non poſſunt. Paſqualig. *de Sacrific. novæ Leg. quæſt.* 839. *num.* 9. cum Quintanadven. & Suarez ibi citatis; D. Cajetanus de Alexandris *in Confeſſario Monialium cap.* 11. §. 5. *quæſt.* 12. & alii paſſim, docetque praxis; Cum enim Moniales gaudeant privilegiis Regularium, & laici Regulares, præſertim deputati ad ſervitium Miſſarum, & Sacriſtiæ ex privilegio conceſſo laicis Fratrum Minorum a Caliſto III. & Sixto IV. ut dictum eſt *ſupra num.* 11. poſſint tangere vaſa ſacra, Corporalia, & Purificatoria lavare, poterunt id etiam Moniales Sacriſtanæ, cum in ipſis adſit etiam par rationabilis ratio. (a)

15 Adhibere Sacra Vaſa, Corporalia, Purificatoria, & hujuſmodi ad uſum profanum, verb. grat. in communi menſa, ad convivium, ad nares purgandas, & hujuſmodi, eſt peccatum mortale; Id enim præſefert gravem contemptum, & irreverentiam; Unde Jure ipſo naturali prohibitum eſt, ac etiam Jure Eccleſiaſtico *in cap. In ſancta* 40. *cap. Veſtimenta* 41. *diſt.* 1. *de conſecrat. & cap.* 26. 27. 29. 31. *& ſequent. diſt.* 23. & docent Layman *loco citat. num.* 19. *verſ. Dico quarto*, Quarti *loco citat. verſ. Certum eſt primum*, Suarez *loco citat. diſput.* 81. *ſect.* 8. §. *Quarto addendum*, & alii communiter.

16 Immo ſacra vaſa convertens ad uſus profanos, ſi eſt laicus, excommunicatur, & ſi ſit Eccleſiaſticus, etiam ab Officio deponitur. Concil. Bracharen. 3. *cap.* 2. & facit ad hoc etiam Concilium, quod dicitur Apoſtolor. *cap.* 12. *& cap. Ad hæc* 4. *de Religioſis domibus*, Concil. Mediolanenſ. 1. *part.* 2. *titul. de Eccleſiis*.

17 Vaſa ſacra convertens ad proprios uſus, vel alienans, Officio privatur, infamis fit, excommunicatur, & tenetur ad reſtitutionem; Concil. Toletan. 17. *c.* 4.

18 Vaſa Sacra, vel alia Eccleſiaſtica Judæis vendens, eſt in pœnitentia relegandus, & Judæi ipſa ementes conveniendi ſunt a Judice, & ad reſtitutionem eorum ſtatim compellendi. Gregorius I. *lib.* 1. *Epiſtol.* 66. apud Paravicinum *Polyanthea Sacror. Canonum verb. Vaſa n.* 8.

19 Alia ad rem; Vide verb. *Calix*, verb. *Paramenta Sacra*, verb. *Veſtis*.

(a) Doctrina ſub 13. & 14. aliqua moderatione indiget.

## VATICANA BASILICA.

*Additio Auctoris e II. Editione.*

Vaticanæ Baſilicæ prærogativa eſt, ut in ea benedican-
tur Pallia, quæ a Romano Pontifice Patriarchis, & Ar- 1
chiepiſcopis mittuntur. Benedict. XIV. tom. 2. Conſtitut. 60.
incipient. *Rerum Eccleſiaſticarum*. Et in eadem aſſervantur
prope Corpus Beati Petri. Idem *ibidem* Ipſius Baſilicæ Al- 2
tariſtæ injungitur cura Arculæ ab eodem Pontifice donatæ, & 3
in qua ipſa Pallia aſſervantur. Idem *ibidem* Vaticanæ Baſili-
cæ Archipresbyter Dimiſſorias litteras Clericis ſuæ Baſilicæ 4
addictis dare, & Sacramentum Confirmationis adminiſtrare
poteſt. Idem Conſtit. 36. incip. *Cum a Nobis*.

Fontis Baptiſmalis Benedictionis in Baſilica Vaticana pera-
gendæ, debent per ſe, vel per alios intereſſe Rectores Eccle- 5
ſiarum illi ſubjectarum. Idem Conſtit. incip. *Ad honoran-
dum* §. 9.

Vaticanæ Baſilicæ Clero conceſſum eſt a Clem. XI. ut de
ſingulis Sanctis Pontificibus Romanis Officia propria recitent. 6
Idem Conſtitut. 54. incipient. *Poſtquam intelleximus* §. 50. In
Vaticaca Baſilica celebrari debent Beatificationes, & Cano- 7
nizationes. Idem tom. 1. Conſtitut. 36. incipient. *Ad Sepul-
cra Apoſtolorum* §. 4. Et ipſius Vaticanæ Baſilicæ Sacrario
certæ præſtationes aſſeruntur occaſione Beatificationum, &
Canonizationum juxta Decretum Alexandri VII. confirma-
tum in dict. Conſtitutione *Ad ſepulcra* §. 5. Quod Decretum 8
hic ad litteram ſubnectitur prout traditur ab eodem Benedi-
cto XIV. *de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Cano-
nizatione lib.* 1. *cap.* 46. §. 5. *num.* 31. ibi: Sanctiſſimus Dominus Noſter Alexander divina providentia Papa VII. prout Summum tum Dignitate, tum pietate Pontificem decet ob ſingularem ſuam Decoris Domus Dei dilectionem præ cæteris ſolicitus, ut Baſilica Vaticana, quo par eſt tantæ molis, ſacræ etiam Supellectilis nitore reſplendeat, Sacriſtiæ ejuſdem Baſilicæ Sacras Veſtes, & ſane ornatiſſimas, in Canonizatione Sancti Thomæ de Villanova adhibitas præcipua ſua munificentia, & in Baſilicam ipſam Vaticanam religione elargitus fuit: Volenſque præterea in futurum Sacriſtiæ ejuſdem indigentiis identidem religioſe conſulere, mandavit, ne in poſterum Secretarius pro tempore Congregationis Sac. Rituum Decreta Beatificationum, & Canonizationum, quæ ab ipſa Congregatione in fine Cauſarum eduntur, in Acta Sacræ Congregationis referat, neque evulget, aut ſub quovis prætextu Procuratoribus, & Poſtulatoribus Cauſarum, vel aliis quibuſcumque conſignet, niſi docto, ſe Sacriſtis Majoribus præfatæ Baſilicæ conſignaſſe Sacram Supellectilem veri valoris Aureorum mille pro Canonizando, quingentorum vero ſimilium pro Beatificando; nempe in tot Planetis, Stolis, Manipulis, ac Burſis Corporalium, vel Albis, & Amictibus ad uſum Miſſarum privatarum, quæ dietim in dicta Baſilica celebrantur, aut in tot Palliis, & Altarium Linteaminibus pariter ad ſimilem uſum adhibendis. Et prædictis quidem arbitrio Sacriſtarum Majorum præſtandis; quorum proinde curæ Sanctitas ſua demandavit, quæ magis pro tempore Eccleſiæ ſervitium exiget, Procuratoribus Cauſarum indicare, Secretarium vero Sacræ Congregationis, & Sacriſtas prædictos admonere, & quod eadem feſtine impleantur, invigilare. Ne autem hujuſmodi Decreti ignorantia præſumi poſſit, idem in Acta Sacræ Congregationis referri juſſit; prout Chirographum, ſeu verius ſupplicem libellum manu Sanctitatis Suæ firmatum ibidem inferri voluit.

Die 27. Septembris 1659.

Quia vero magna erat Poſtulatorum moleſtia in comparan-
dis Supellectilibus ad normam Decreti Alexandri VII. eodem 9
annuente Pontifice, prædicto facilior modus eſt ſubrogatus; ſolvendi videlicet Aureos quingentos in Beatificatione, & Aureos mille in Canonizatione Canonicis Baſilicæ Æditui, qui eos fideliter erogant in comparandam ipſam Supellectilem neceſſariam, nec non Capitulo reddunt rationes expenſarum. Ideo in ejuſdem Baſilicæ Sacrario ad perpetuam rei memoriam erectus eſt lapis, in quo hæc verba leguntur.





ALEXANDRO VII. Pont. Max.

Quod ſingulari ejus munificentia Vatic. Baſil.
Sacra Supellectile abundanter ſit inſtructa
Ad illamq; conſervandam, & augendam Apoſtolico
Decreto
Perpetuo duraturum ſubſidium ſit attributum;
Beneficii magnitudinem referentes,
Ac poſteritati teſtantes
Poſt Anniverſaria Sacra Solemni Ritu inſtituta
Grati animi Monimentum
Canonici Poſuere.

## VECTIGAL.

Vide verb. *Gabellæ*.

## VENATIO, VENATOR.

1 Venatio, qualis, & quando ſit Clericis, & Religioſis ſpecialiter interdicta, & qualis aliquando ſit eis conceſſa? Vide verb. *Clericus art.* 6. *a num.* 6. *ad* 38. Et adde, quod cum Epiſcopus Sarnen. ſuo Clero venationem prohibuiſſet ſub pœna Suſpenſionis latæ ſententiæ; Recurrente autem eodem Clero ad Sacram Congregationem Concilii; Ipſa 21. *Aprilis* 1703. reſcripſit, Pœnam Suſpenſionis latæ ſententiæ mutari in pecuniariam; Idemque reſolvit circa ludum. Sic refert Urſaya *Inſtitut. Crimin. lib.* 2. *titul.* 10. §. 4. *n.* 113.

2 Venatio, ſeu piſcatio poteſt ex juſta cauſa a Principe, vel Republica ſub pœna prohiberi etiam in locis publicis. *Communis*, patetque ex fere omnium Regionum praxi, quidquid in contrarium ſcripſerint aliqui dicentes, hujuſmodi venationem, aut piſcationem, utpote Jure naturæ, aut Jure gentium licitam, non poſſe a Principe, vel Republica prohiberi; Et ratio noſtræ concluſionis eſt clara, quia cum ex juſta cauſa poſſit Princeps, vel Reſpublica aliquid ex bonis particularium exigere, a fortiori poterit loca publica eorum uſibus deputata aliis elocare, aut etiam interdicere, ubi id exigat juſta cauſa, aut bonum commune.

3 Immo prudentiſſime agunt Principes, vel Reſpublicæ, ſi ne majoribus tributis gravetur populus, elocent fluvios communes, aut certa loca venationis idonea. Item ſi prohibeant venationem tempore, quo animalia ſunt gravida, ne extirpentur; aut tempore, quo nives ſunt copioſæ; ne quaſi omnia capiantur cum publico detrimento. Item ſi prohibeant, ne fiat piſcatio cum lumine nocte, aut cum certis quibuſdam inſtrumentis, quibus etiam minutiſſimi piſces concluduntur, aut ne fiat piſcatio per infectionem fluminis, aut eſcis venenatis cum fere omnium piſcium extinctione in maximum boni communis detrimentum. *Sic Doctores communiter*.

4 Item poteſt Princeps venationem prohibere in certis locis, & certorum animalium ad ſolam ipſius, vel alicujus Perſonæ benemeritæ recreationem: Cum enim ipſe pro publico bono communi vigilet, ac laboret, juſtum eſt, ut populus ex publico ei honeſtas recreationes, & convenientem ſuo faſtigio apparatum concedat, & inſuper Princeps habeat, unde compenſet Perſonas, quæ pro Reipublicæ defenſione, ac conſervatione ſtrenue laborarunt, aut fortiter dimicarunt. *Communis*.

5 Venantes, & piſcantes contra Jus, & prohibitionem Principis peccant graviter, vel leviter, juxta magis, vel minus notabilem contraventionem, & damnificationem: Si enim Jus, & facultas certa venandi, ſeu piſcandi notabiliter lædatur, impediatur, aut diminuatur, & grave nocumentum Commutati, ſeu alicui tertio, qui Jus venandi, aut piſcandi conduxit, inferatur, tunc peccatur mortaliter: At vero ſi venatio, aut piſcatio prohibita, non ſit graviter injurioſa Reipublicæ, nec alicui tertio, qui eam conduxerit, tunc niſi concurrant aliæ circumſtantiæ rem aggravantes, erit ſolum peccatum veniale, ut notant paſſim Doctores.

6 Tales venantes, & piſcantes contra Jus, & prohibitionem Principis ultra peccatum quod incurrunt, tenentur ad compenſandum damnum inde ſecutum. *Communis Doctorum* uno ore aſſerentium, quod ſi quis ſobolem ferarum notabiliter extinxit, ſi ut piſces caperet, fluvium cum gravi detrimento Reipublicæ, aut Conductoris venenatis eſcis infecit, is omnino teneatur damnum illatum compenſare, & lucrum inde ſperatum reſarcire.



Idem pariter eſt dicendum, quando aliquis privatus Jus 7
privativum quo ad alios habet ad venationem, aut piſcationem in aliquo loco: Cum enim de Jure civili poſſit quilibet Jus venandi, aucupandi, aut piſcandi in loco ad ſe ſpectante, præſertim ſpeciali ſepe, aut muro clauſo ſibi reſervare, aliiſque interdicere, textu expreſſo *in leg. Item ſi fundi* 9. §. 5. *ff. De uſufructu*; ibi: *Aucupiorum quoque, & venationum reditum Cajus ait lib.* 8. *Juris Civilis ad fructuarium pertinere, ergo & piſcationum*; *Et* §. *Feræ* 12. *Inſtitut. de rerum diviſione*, ibi: *Plane qui alienum fundum ingreditur venandi, aut aucupandi gratia, poteſt a Domino, ſi is præviderit, prohiberi, ne ingrediatur*, ſequitur, quod peccet contra Juſtitiam, & teneatur damnum illatum compenſare, ſeu lucrum inde
ſperatum reſarcire, qui Domino notabiliter invito ibi venatur,
aucupatur, aut piſcatur. Quamvis tamen ſpectato ſolo Jure 8
naturali talis venatio videatur licita, præſertim in prædiis apertis, omnibuſque patentibus, ubi fieri poteſt ſine detrimento ipſorum prædiorum Domini, cum feræ non ſint fructus fundi, nec ad fundum, aut fundi Dominum pertineant, nam feræ paſſim vagantes nullius ſunt, & *leg. Poſſeſſio* 1. §. 2. *de acquirend. poſſeſſion. &* §. *Feræ* 12. *Inſtitut. de rerum diviſione*, dicuntur fieri primo occupantis, adeoque de Jure naturæ videtur, quod non poſſit aliquis privatus venationem prohibere in ſuis prædiis apertis, omnibuſque patentibus, nullumque ob id detrimentum patientibus, ut recte La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 256. & cum aliis Cardinal. de Lugo *tom.* 1. *diſputat.* 6. *ſect.* 6. *num.* 54. dicens, quod Jura numero antecedenti adducta intelligenda ſunt, quod poſſit privatus venationem ſibi reſervare, & aliis interdicere in ſuo fundo, quando is eſt ſepe, vel muro circumdatus, vel talis propter aliquas circumſtantias, ut Domino liceat ingreſſum aliis impedire, ut ſi ſit vinea, vel hortus, in quam ob fructuum cuſtodiam poſſit Dominus prohibere aliis ingreſſum, vel propter damnum, quod ex libero aliorum tranſitu imminere poſſit ſegeti, vel arboribus; Non autem quando fundus apertus eſt, omnibuſque quo ad tranſitum, & alia, patens ſine ullo Domini detrimento.

Immo ſi in fundo aliquo etiam ſepe clauſo ſibi a Domino 9
quo ad venationem reſervato, aliiſque interdicto ita multiplicarentur animalia, ut vicinis gravia afferrent nocumenta, poſſet ibidem neglecta tanquam irrationabili, & injuſta ejus prohibitione, venatio licite exerceri; Quinimo teneretur ipſemet fundi Dominus ad damnorum inde aliis obvenientium reparationem, cum eſſet vere cauſa illorum. Qui enim occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur, *cap. Si culpa* 9. *de injuriis, & damno, l. Qui occidit, ad* 30. §. 3. *ff. Ad Legem Aquiliam*.

Sic etiam Principes tenentur ad reſtitutionem, ſi vel pro- 10
hibendo, ne ſubditi feras arceant, ſeu abigant a frugibus, vel nimis multiplicando animalia, gravia afferant ipſis ſubditis nocumenta.

Item ſi Principes venando notabiliter proterant ſata, grana 11
excutiant, vineas & ſepes lædant, aliaque ſimilia gravia nocumenta ſubditis afferant, tenentur ad hujuſmodi damnorum compenſationem. *Communis*.

Et a fortiori tenentur ad reſtitutionem privati venatores 12
venantes cum notabili detrimento proximi, verb. grat. deſtruendo ſemina, conculcando ſegetes, excutiendo grana, devaſtando vineas, ſepes, & hujuſmodi gravia nocumenta proximo afferendo. *Communis*.

Licitum eſt quælibet animalia ferina, & ſilveſtria nondum 13
ab aliquo comprehenſa proſequi, & capere, ita ut ſtatim fiant capientis, ubicumque capiantur. Idem eſt de illis, quæ ex Domini poteſtate elapſa, in priſtinam libertatem redierunt. *Communis*, textu expreſſo *in* §. *Feræ* 12. *Inſtitut. de rerum diviſione, & Poſſeſſione* 1. *ff. De acquirenda poſſeſſione*.

Capientes autem animalia in Leporariis, vivariis, ſtagnis, 14
ſilvis non amplis, & circumdatis, non acquirunt eorum dominium, ſed tenentur ea reſtituere, cum adhuc habeant Dominum. *Communis*.

Ita etiam animalia domeſtica, ſeu naturaliter manſueta, ſi- 15
cut ferina manſuefacta, quandiu redire ſolent, non ſunt primo occupantis, etiamſi longe aberraverint, ſed ſunt Domino comparenti reſtituenda. *Communis*, per text. *in* §. *Pavonum* 15. *&* §. *Gallinarum* 16. *Inſtit. de rer. diviſion.*

Feram, aut avem letaliter vulnerans, & eam inſequens mo- 16
raliter

raliter certo capturus acquirit ipſius dominium, & conſequenter, ſi ab aliquo capiatur, eſt reſtituenda, quia tali vulnere letali jam cenſetur ipſum cæpiſſe. *Communis*.

17 Si vero fera, aut avis ſit ita leviter vulnerata, ut adhuc fugere poſſit, tunc ſi alius eam fugientem capiat, eſt ipſius capientis, quia naturalem libertatem non amiſit. *Communis*.

18 Si autem dubium foret, an qui vulneravit, ratione talis vulneris eſſet capturus, nec deſiiſſet proſequi feram vulneratam, tunc de æquitate eſſet dividenda inter vulnerantem, & capientem tanquam duas concauſas acquiſitionis feræ ſecundum proportionem concauſalitatis; Layman *lib.* 3. *de Juſtitia tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 12. Henno *tom.* 2. *de Juſtitia, & Jure tract.* 2. *diſp.* 4. *q.* 1. *concl.* 1. *reſolut.* 2. Sporer, & alii paſſim.

19 Eadem ratione ſi quis animal vagum inſequatur, & illud in retia alterius incidat, tunc uterque habet Jus illud capiendi, unus, quia retibus ſuis deprehenſum eſt, alius quia ſua opera, & induſtria incidit: Unde de æquitate eſt inter ipſos dividendum ſecundum proportionem concauſalitatis.

20 Si piſcis reperiatur ita inextricabiliter implexus in retibus alicujus piſcatoris, ut nullatenus poſſit evadere, acquiritur ſtatim ejus dominium; Unde ſi alter ex ejus retibus ipſum eripiat, tenetur ad reſtitutionem. Secus autem eſt dicendum, ſi piſcis adhuc poterat ſe eripere ex illis retibus, quia tunc fiet prius apprehendentis, eo quod defectu ſufficientis apprehenſionis nondum piſcator cenſebatur illius dominus. De æquitate tamen eſt piſcatori aliquid dandum juxta proportionem induſtriæ, & probabilitatis prædæ capiendæ. *Comm.*

21 Venatio, & piſcatio ſi fiant ſolum recreationis gratia, non cenſentur ex ſe prohibita die Feſto, niſi addantur opera ſervilia; Ipſa enim non ſunt de ſe ſervilia, ſed potius liberalia, & communia ſervis, & Dominis. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 5. *quæſt. unica punct.* 2. *num.* 23. Reiffenſtuel *Theologiæ moral.*
22 *tract. X. diſt.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 16. Azorius, & alii. Dicitur autem notanter *Niſi addantur opera ſervilia*, quia revera venatio, & piſcatio non licent, ſi in ipſis concurrant alia opera ſervilia, pro ut accidere ſolet in venationibus clamoroſis cum canibus, & apparatu inſtitutis, ac in piſcationibus operoſis, & multi laboris, non recreationis, ſed lucri gratia exercitis, *argument. cap. Quid prodeſt* 22. *& cap. An putatis* 13. *diſt.* 86. ubi ex verbis Sancti Ambroſii damnatur venatio diebus pœnitentiæ, & jejunii exercita, ibi: „ Quid prodeſt jejunare viſceribus, & luxuriari venatibus? & in„ citat. cap. An putatis; *ſic expreſſe*: An putatis illum jeju„ nare fratres, qui primo diluculo non ad Eccleſiam vigilat, „ non beatorum Martyrum loca ſancta perquirit, ſed ſur„ gens congregat ſervulos, diſponit retia, canes producit, „ ſaltus, ſilvaſque perluſtrat, ſervulos, inquam, ſecum „ pertrahit, fortaſſe magis ad Eccleſiam feſtinantes, & vo„ luptatibus peccata accumulat aliena, neſciens ſe reum fu„ turum, tam de ſuo delicto, quam de perditione ſervorum „. Unde ſi Sanctus Ambroſius tanta dicit de venantibus diebus jejunii, quid diceret de profanantibus dies Feſtos tali exercitio?

23 Permittitur tamen tanquam licita die Feſto piſcatio certorum piſcium raro, & certis ſolum anni temporibus occurrere, & apparere ſolitorum, ut Halecia, & hujuſmodi, textu expreſſo *in cap. Licet Feriis*, 3. ibi: *Indulgemus, ut liceat Parochianis veſtris diebus Dominicis, & aliis Feſtis, præterquam in Majoribus anni ſolemnitatibus, ſi Halecia terræ ſe inclinaverint, eorum captioni, ingruente neceſſitate, intendere, ita quod poſt factam capturam Eccleſiis circumpoſitis & Chriſti pauperibus congruam faciant portionem*.

24 Rigoroſe loquendo non eſt venandum tempore Quadrageſimæ. Sic expreſſe reſpondit Nicolaus *l. Ad conſulta Bulgarorum cap.* 34. & concordat *citat. cap. Quod prodeſt* 12. *& cap. An putatis* 13. *diſt.* 86. Hic tamen rigor videtur abiiſſe in deſuetudinem. Unde la Croix *lib.* 2. *num.* 258. inſuper dicit, quod ſi abſit ſcandalum, poteſt venator, vel auceps in Quadrageſima capere feras, vel aves, & vendere in Terris Hæreticorum. (a)

25 Venatores ſolent ſe induere communiter veſte viridi ad hoc ut propter aſpectum viroris, quem beſtiæ naturaliter diligunt, minus venatorum inſidias expaveſcant.

(a) Nota. Caveat vero, ne ita errorem hæreticorum probare videatur, & ne contemptui orthodoxæ Eccleſiæ diſciplinam exponat.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

DUo noviſſime de hac materia edidit opuſcula *Ickſtatt*. Alterum *de eo quod jure naturali circa venationem juris eſt*; Alterum *de eo quod jure publico univerſali & particulari Imperii Romani circa venationes juris eſt*. Quinque hoc conſtat capitibus. Primum eſt *de majeſtatico & territoriali circa venationes jure*. Secundum *de regali venationis jure, & quidem in Fundis Civitatis publicis*. Tertium *de regali venationis jure in Fundis privatis*. Quartum *de regali venationis jure in territorio alieno*. Quintum *de regali venationis jure ſubordinato, ſive landſaſſico*. Meo judicio in duobus hiſce opuſculis pro dignitate Auctor hic de hac materia agit. Eum igitur conſule, ubi res ita poſtulat.

## VENDITIO.

1 *CLerici beneficiati prohibentur unico actu vendere commodum, ſeu utilitatem percipiendi fructus Beneficii quoad vixerint, vel per longum tempus, recepta pecunia in ea ſumma, de qua conventum eſt inter contrahentes, ſive pecunia illa tota ſimul ſolvatur, ſive per plures ſolutiones. Id vero vetitum ſub excommunicatione, & aliis pœnis contra alienantes bona Eccleſiaſtica inflictis; & contractus omnes ita celebrandos in futurum irritat, & annullat Benedictus XIV. Conſtit. 29. Tom.I. Bullar. incip. *Univerſalis Eccleſiæ*.

2 In contractu emptionis & venditionis, ſi fiat pactum, quo venditor, quandocumque voluerit rem venditam redimere, obligetur in vi ejuſdem pacti plus dare, quam receperit in venditione, contractus eſt injuſtus. *De Synodo Diœc. lib.* 7. *c.* 51. §. 4.

3 Si venditio fiat cum pacto redimendi intra certum tempus, quo elapſo non ſit amplius locus retrovenditioni; iſte contractus ſapit uſuram, ex eo quia videtur inducere naturam pignoris. *Ibid.* *

Alia vide verb. *Emptio*.

## VENENUM.

1 COmponens venenum hominis necandi gratia, reus eſt homicidii, morte ſequuta, *l. Capitulum* 28. §. 9. *ff. de pœnis*, Corrad. *in praxi diſpenſat. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 20. Urſaya *Inſtitut. Criminal. lib.* 2. *tit.* 5. *num.* 77., & alii communiter.

2 Item reus eſt homicidii venenum vendens, vel apud ſe retinens, hominis necandi gratia, morte ſequuta. Urſaya *loco cit.* & alii per text. *in cit. l. Capitalium*.

3 Et a fortiori homicidii reus eſt ipſum venenum propinans, & mandans propinari ad dictum malum finem. *Communiſſima*, per text. *in cit. l. Capitalium*. Plus eſt enim homines
4 veneno, quam gladio, & ſica occidere, textu expreſſo *in l. Plus eſt C. de maleficis*, ubi: *Plus eſt hominem extinguere veneno, quam uccidere gladio*.

5 Homicidium veneno commiſſum punitur pœna ultimi ſupplicii, per text. *in cit. leg. Capitulum* 28. §. 9. *ff. de pœnis*; Immo reus tanquam aſſaſſinus trucidari debet malleo in capite. Cavalcant. *de Brach. Reg. part.* 4. *n.* 57. Guazzin. *ad defenſ.* 43. *cap.* 4. *num.* 8. Urſaya *loc. cit. n.* 89. & alii.

6 Venenum porrigens conjugatæ, vel conjugato ad facilitandum Matrimonium cum conjuge ſuperſtite, puniendus eſt pœna mortis; Cenſal. *deciſ Janſenſ.* 10. *num.* 36. *& ſeq.* ubi refert, quod fuit ſuſpenſus Juvenis, qui placentam venenatam tradi fecerat Patri Amaſiæ, ad hoc ut poſt necem patris eamdem Amaſiam duceret; & Rainald. *tom.* 3. *cap.* 31. §. 4. *num.* 10. *& ſeq.* ubi quod ita practicatum fuit in Urbe *de anno* 1768. *in Firmana Uxoricidii*; Quodque ita practicari deberet, etiamſi non ſequatur mors, refert, & tenet etiam Urſaya *loc. cit. n.* 93. 94. *&* 95.

7 Homicidium committens veneno, non gaudet immunitate Eccleſiaſtica. *Sacra Cong. Concilii ſub die* 3. *Decemb.* 1632. apud Barboſa *in Summ. Apoſtol. dec. verb. Homicida num.* 7. & ſæpius *Sacra Cong. Immunitatis*; & colligitur ex noviſſima Conſtitutione Benedicti XIII. incip. *Ex quo* §. 6. ubi immunitate Eccleſiaſtica privantur interficientes proximum ſuum animo præmeditato, ac deliberato; Qualitas enim veneni ſemper præſupponit præmeditationem, ut ex aliis recte do-



cet Urſaya *loc. cit. n.* 86. vide ipſum *loc. cit. lib.* 2. *tit.* 5. *a num* 74. ubi multa habet ad rem.

8 Alia ad rem; Vide verb. *Homicidium*, verb. *Immunitas*, verb. *Maritus*, verb. *Mater*, verb. *Uxor*.

## VENERABILE SACRAMENTUM.

Vide verb. *Euchariſtia*, verb. *Miſſa*, verb. *Proceſſio*, verb. *Sacramentum*, verb. *Sacrificium*, verb. *Tabernaculum*.

## VENERATIO SANCTORUM.

1 PRo Sancto aliquem venerari non licet ſine licentia Papæ, etiamſi in vita feciſſet Miracula. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Audivimus* 1. *de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum*, ibi: *Illum ergo non præſumatis de cetero colere, cum etiamſi per eum Miracula fierent, non liceret vobis pro Sancto abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ venerari*.

2 Sanctus igitur proprie, & ſtricte captus, & veneratione dignus eſt omnis, & ſolus ille, qui rite *Canonizatus*, ideſt per Pontificem *Albo*, ſeu numero, & Catalogo aliorum Sanctorum publice, ſolemniter, ac canonice adſcriptus tamquam Sanctus declaratus, & definitus eſt, addito ſtatuto, ut ab omnibus pro tali habeatur, atque colatur. *Sic in re Doctores Communiter*.

3 Item Beatus proprie, & ſtricte captus eſt omnis, & ſolus ille, qui ex ſpeciali conceſſione Summi Pontificis ab aliqua Provincia, Religione, vel Loco tamquam in Cœlis exiſtens cultu aliquo publico, v. g. recitatione Divini Officii, celebratione Miſſæ, expoſitione publica ejuſdem Reliquiarum ad normam conceſſionis Pontificiæ coli, & venerari poteſt; *Ita in re pariter Doctores communiter*.

4 Unde Canonizatio proprie, & ſtricte ſumpta eſt publicum Sedis Apoſtolicæ judicium, & expreſſa definitio de Sanctitate & gloria alicujus, qui ſolemni Cæremoniarum pompa Sanctorum Catalogo adſcribitur, & publicæ totius Militantis Eccleſiæ venerationi proponitur, eique honores Sanctis debiti decernuntur; *Eſt in re Communis*.

5 Beneficatio vero proprie, & ſtricte ſumpta eſt legitima Pontificis conceſſio alicui certo Regno, Provinciæ, Religioni vel Loco facta, ut aliquis tamquam cum Chriſto in Cœlis regnans Cultu aliquo publico, ut recitatione Divini Officii, Celebratione Miſſæ, expoſitione publica ejuſdem Reliquiarum, ad normam Pontificiæ conceſſionis venerari, ac invocari poſſit; *Eſt in re Communis*.

6 Duplex eſt tam Canonizatio, quam Beatificatio, una ſcili-
7 cet formalis, & altera æquipollens. Canonizatio formalis eſt illa, quæ expletur a Summo Pontifice ſervata forma judiciali, prolataque ſententia cum omnibus conſuetis Cæremoniis, ſeu
8 ſolemnitatibus. Canonizatio æquipollens eſt, cum Summus Pontifex aliquem Dei ſervum in antiqua cultus poſſeſſione exiſtentem, fama Virtutum, & Miraculorum celebrem, nulla prolata ſententia, nec ſervato ordine judiciali, omiſſiſque conſuetis cæremoniis, ac ſolemnitatibus, coli jubet in univerſa Eccleſia, tali determinato die per Officii, & Miſſæ recitationem, & celebrationem; Sic rectiſſime omni genere virtutum, ac diſciplinarum undequaque Eminentiſſimus Cardinalis de Lambertinis, deinde meritiſſimus, ac vigilantiſſimus Summus Pontifex in ſuo nemini impari, omnibus ſuppari Clariſſimo opere *de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione lib.* 1. *cap.* 41. *n.* 1. ubi *a* §. 1. *ad* 10. *per totum caput* varias recenſet æquipollentes Canonizationes peractas a Summis Pontificibus, ut Sancti Romualdi a Clemente VIII. Sancti Norberti ab Urbano VIII. & Clemente X. Sancti Brunonis a Clemente X. Sancti Petri Nolaſci ab Alexandro VII. & Clemente X. Sancti Raymundi Nonnati ab Innocentio XI. Sanctorum Joannis de Matha, & Felicis de Valois ab Innocentio XII. Sanctæ Margaritæ Scotorum Reginæ ab Innocentio XII. Sancti Stephani Hungariæ Regis ab Innocentio XI. Sancti Wenceslai Ducis Bohemiæ a Benedicto XIII. Sancti Gregorii VII. ab eodem Benedicto XIII. * Adde ex §. 11. *ejuſdem Capitis, ac Libri editionis Romanæ* 1747. S. Gertrudem Islebienſem Virginem a Clemente XII. æquipollenter Canonizatam. *

9 Beatificatio formalis eſt illa, in qua prævia formalis diſcuſſione Virtutum, aut Martyrii, & Miraculorum, Summus Pontifex indulget, ut Servus Dei Beatus appelletur, atque in determinato aliquo Regno, Provincia, Religione, aut loco colatur, & ut plurimum quidem cultu Officii, ac Miſſæ in
ejus honorem. Beatificatio æquipollens eſt illa, in qua rata 10
habita fama Virtutum, aut Martyrii, & Miraculorum Summus Pontifex approbat Sententiam latam a Judice Ordinario vel Delegato ſuper Cultu immemorabili, ac caſu excepto a Decretis Urbani VIII. Idem qui ſupra *loco citat. capit.* 42. *numer.* 8.

11 Beatificatio, & Canonizatio non differunt eſſentialiter, ſed ſolum accidentaliter; Quamvis enim nonnulli apud Pignatell. *tom.* 4. *conſ.* 53. *n.* 1. velint Canonizationem eſſentialiter, & ſecundum propriam rationem intrinſecam diſtingui a Beatificatione; Ipſe tamen Pignatellus *ibidem n.* 2. talem opinionem reprobans ſic expreſſe habet: At vero hæc doctrina non eſt a Sede Apoſtolica; ideoque non video quomodo ſubſiſtat: Beatificatio enim univoce convenit cum Canonizatione, ſcilicet in nomine, cum Beatificatio ſit etiam Canonizatio, quamvis particularis, ut breviter, ſed optime dicit Pegna *de Cultu, & veneratione Sanct.* Turrianus *in* 2. 2. *D. Thomas diſp.* 16. *dub.* 2. *&* 3. Card. Thuſch. verb. *Canonizare* Contelorus *de Canonizatione Sanctorum c.* 2. *n.* 4. & alii. Ac etiam ratione ſubſtantiæ. Nam & Beatus poteſt invocari, Aræ poſſunt Deo dicari in ejus memoriam, Miſſa, Laudes, & preces in Officio Divino ei dicuntur, dies Feſtus in ejus memoriam celebratur, pingitur cum radiis in ſignum Gloriæ, qua fruitur in Cœlis, ejus Reliquiæ exponuntur in Eccleſiis ad venerationem, Qui omnes ſunt honores eſſentiales Sanctorum Canonizatorum, teſte Bellarmino *to.* 2. *controv.* 4. *lib.* 1. *c.* 7. Hæc ad litteram Pignatell. *loc. cit.*

12 Et revera, quod Beatificatio, & Canonizatio non differant eſſentialiter, clare patet ex quo utraque fiat maturitate maxima, & cauſa pleniſſime diſcuſſa, ac cognita, precibus præmiſſis, & Spiritus Sancti aſſiſtentia enixe implorata, & utraque ſit ultimum, & completum judicium, quod vir Dei ſit in gloria; cum Beatificatio non peragatur, niſi prius mature diſcuſſis Virtutibus in gradu heroico, & Miraculis tum in vita, tum poſt mortem patratis, quibus Sanctitas Beatificandi hominis a Deo manifeſtatur, illiſque legitime verificatis, Pontifex inſtinctu Spiritus Sancti factus certus de illius Sanctitate, & exiſtentia in Gloria, devenit ad illius Beatificationem, expediendo ad id ipſius Beatificationis Diploma, ſeu Breve. Immo per Beatificationem etiam ut talis toti Eccleſiæ proponitur, & ideo ubique a Fidelibus, Beatus certo abſque formidine in Gloria creditur, & ad gratias impetrandas invocatur, quamvis uni ſoli Regno, aut Provinciæ, aut Civitati, aut Religioni Officio, ac Miſſa colendus permittatur: Nequit enim alicubi dubitari de Sanctitate, & Gloria tam Beati, quam Canonizati, cum judicium Pontificis, ex quo fiat ex aſſiſtentia Spiritus Sancti, ſit infallibile, ſive declaret aliquem eſſe Beatum, ſive expreſſe definiat eſſe Sanctum; Sicque ubique Fideles omnes cognoſcunt per actum Beatificationis, & Canonizationis Animam Beatificati, & Canonizati eſſe in Gloria; Hac tamen differentia ſervata, quod per Canonizationem id credunt, ut per formam expreſſe definitivam, & pronunciativam; per Beatificationem vero, ut per formam conceſſivam, & implicite definitivam. Sic Arriaga *tom.* 4. *Theol. diſp.* 7. *ſect.* 4. Trellench *in Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 9. *dub.* 5. *n.* 3. Matthæucci *in Practica Theologo-Canonica ad cauſas Beatificationum, & Canonizationum in quæſtione proœmiali cap. Unic. n.* 9. *& in opere dogmatica controverſ.* 7. *cap.* 5. *n.* 21. & alii.

13 Nec obſtat, quod pro Canonazatione novum fiat examen, quia tale novum examen non fit de Virtutibus Viri Dei, neque de Miraculis in vita, aut ante Beatificationem patratis, quibus probata fuit ſanctitas vitæ, & infallibilis exiſtentia ſervi Dei in Gloria, ſed fit ſolum novum examen de continuatione Miraculorum poſt beatificationem a Deo ad interceſſionem Beati patratorum, ut ea certum teſtimonium perhibeant, etiam voluntatis divinæ, quod Beatus publico cultu Officii, & Miſſæ in tota Eccleſia colendus decernatur, ut patet ex Conſtitutione 2. Gregor. IX. incip. *Mira* §. 7. edita pro Canonizatione S. P. N. Franciſci, ibi: „ Sane licet „ ejus vita tam Sancta, tam ſtrenua, & præclara ſibi ſufficeret ad obtinendum conſortium Eccleſiæ Triumphantis, „ quia tamen Militans, quæ ſolummodo videt in facie, non „ præſumit, auctoritate propria judicare .... vitam ejus „ ſibi fuiſſe acceptam, & ipſius memoriam eſſe a Militante „ Eccleſia venerandam, multis & præclaris Miraculis declaravit.

14 Nec

14 Nec etiam officit, quod Pontifices in Bulla Beatificationis uti ſoleant ſolum verbis, *Concedimus*, *Indulgemus*, *Impartimur*, in Bullis vero Canonizationis utantur verbis explicitis *Declaramus*, *Definimus*, *Decernimus*, *& Mandamus*, quia ut recte dicunt Trullench. *loc. cit.* Matthæucc. *loc. cit. n.* 21. & alii, Pontifices tam per Beatificationem, quam per Canonizationem declarant Servum Dei eſſe in Gloria, per Canonizationem quidem in forma explicite definitiva, & pronunciativa, per Beatificationem vero in forma indultiva, conceſſiva, & implicite definitiva; Unde Contelorus *de Canonizatione Sanctorum cap.* 2. *num.* 4. aliis allegatis tradit *Beatificationem in effectu aliud non eſſe quam particularem quamdam Canonizationem minori apparatu celebratam*, ut ait Fagundez apud Dianam coordinat. *tom.* 3. *reſolut.* 9. *numer.* 2. Sicque apparet, quod Beatificatio, & Canonizatio non differant inter ſe eſſentialiter, ſed ſolum accidentaliter, quatenus Cultui per Beatificationem indulto, ut nempe Beatus recitatione Officii, & celebratione Miſſæ colatur ſolum in aliquo certo Regno, Provincia, Civitate, & Religione cum nonnullis aliis limitationibus in Brevi Beatificationis exprimi ſolitis, ac in Decretis Sacræ Congregationis Rit. infra *ſub n.* 43. adducendis, expreſſis.

35 Hinc plurimi Claſſici Doctores tenent, quod ſit de Fide, quod Papa non poſſit errare, non ſolum in Canonizatione, ſed etiam in Beatificatione. Vide verb. *Papa art.* 2. *a n.* 49. *ad* 57.

36 De facto ſolus Papa poteſt aliquem *Canonizare* vel *Beatificare*. Hoſtienſ. *in cap. Audivimus* 1. *de Reliquiis*, *& veneratione Sanctorum n.* 23. *verb. Abſque auctoritate*, & *ibid.* Joann. Andreas *n.* 6. Cardinal. *in* 2. *notabil.* Innocent. *num.* 2 Abbas *in* 2. *notabil.* Barboſ. *n.* 3. Fagnan. *n.* 20. Turrecremata *in cap.* 11. *n.* 22. *de conſecrat. diſt.* 3. Sanctus Antonin. *in Summa part.* 3. *tit.* 22. *cap.* 5. *n.* 5. §. 5. Cardin. Bellarmin. *de Sanctor. Beatitud. tom.* 2. *part.* 2. *l.* 1. *c.* 8. Matthæucc. *in cit. Practica Theologo Canonica quæſt. proœmial. cap. Unic. n.* 2. Reiffenſtuel. *lib.* 3. *Decret. tit.* 45. *n.* 6. Pirhing. *ib. n.* 3. Eminentiſſimus de Lambertinis deinde Beatiſſimus Summus Pontifex nomine *Benedictus* re in Ævum *Benedicendus loc. cit. cap.* 10. & alii communiter, *arg. in cit. cap. Audivimus* 1. *de Reliquiis*, *& Veneration. Sanctor.* ibi: *Cum etiamſi per eum Miracula fierent, non liceret vobis ipſum pro Sancto abſque auctoritate Eccleſiæ Romanæ venerari*, & concordat *cap. Ex eo* 2. *cod. & cap. Venerabili* 52. *de Teſtibus.* Et ratio eſt, quia hæc eſt una de majoribus cauſis, quæ inter Chriſtianos proponi poſſit, ut de ſe patet, & omnes fatentur; Majores autem cauſæ ad Sedem Apoſtolicam ſpectant, *cap. Majores* 3 *de Baptiſmo*, eique ſpecialiter reſervantur, *cap. Niſi* 3. *& c. Quod translationem* 4. *de Officio Legati*, adeoque &c. Tum quia ſicut opera, quæ Sanctitati alicujus teſtimonium perhibent, Fidei innituntur, ut patet de Miraculis, juxta illud *Matth. cap.* 17. *n.* 19. ibi: *Si habueritis fidem ſicut granum Sinapis, dicetis huic Monti tranſi hinc illuc, & tranſibit., & nihil impoſſibile erit vobis*, ita ad illum pertinet Sanctos Canonizare, ad quem pertinet quæſtiones Fidei determinare, qualis eſt ſolus Papa *capit. Quoties* 21. *cauſ.* 24. *quæſt.* 1. cum ſimilibus.

37 Quamvis enim antiquitus ante introductionem ſolemnis, qui nunc ſervatur, ritus *Canonizandi*, plurimi Sancti (ut patet de Apoſtolis omnibus, de variis Martyribus Stephano, Laurentio, Sixto, Vincentio, Fabiano & Sebaſtiano, Joanne & Paulo, Coſma & Damiano, Gervaſio & Protaſio, pluribuſque aliis; De Confeſſoribus Silveſtro, Antonio Abbate, Paulo primo Eremita, Martino, Nicolao, & Gregorio Magno, Auguſtino, Ambroſio, Hieronymo, Nazianzeno, Baſilio, Athanaſio, Cyrillo, Chryſoſtomo, Hilarione, multiſque aliis, de Maria Magdalena, & Martha, ac de Virginibus Agnete, Agatha, Lucia, Cæcilia, Catharina, Anaſtaſia, & pluribus aliis) poſt felicem eorum obitum communi Epiſcoporum, & populorum conſenſu tales declararentur, & colerentur; hoc tamen ſemper de auctoritate expreſſa, vel tacita Summi Pontificis id non contradicentis, ſed tacite approbantis, ut docent Gonzal. *in cap. Audivimus ſub num.* 7. *de Reliquiis, & veneratione Sanctor.* Garcias *de Canonizatione* §. 5. *pag.* 91. Gravina *de Catholic. præſcript. tom.* 4. *quæſt.* 5. *de Canonizatione Sanctor. pag.* 321. Dominicus a Sanctiſſima Trinitate *tom.* 3. *de Eccleſia militante in Bibliotheca maxima Pontificia tom.* 10. *pag.* 487. Rabaud. *Exercit. Theolog. t.* 2. *exercit.* 3. *cap.* 1. *pag.* 138. Azorius *Inſtitut. moral. tom.* 2. *lib.* 5. *c.* 7. Bellarmin. *loc. c. cap.* 8. *in fine*, Layman. *lib.* 4. *tract.* 7. *c.* 5. *n.* 1. Reiffenſtuel *loc. c. n.* 7. Matthæucc. *l. c. n.* 1. *&* 2. Lambertin. *l. c. lib.* 1. *cap.* 6. *ſub n.* 9. ubi egregie more ſuo id probat pluribus aliis adductis.

18 Et a tempore Alexandri III. uſque in præſens poteſtas tum *Canonizandi*, tum *Beatificandi* ſoli Romano Pontifici privative quo ad omnes alios fuit reſervata *cap. Audivimus* 1. *de Reliquiis*, *& veneratione Sanctorum*, ubi dictus Alexander III. Summus Pontifex, ut patet ex ejuſdem verbis adductis *ſupra n.* 16. inhibuit, ne quis in poſterum pro Sancto venerari inciperet abſque Romani Pontificis expreſſa approbatione. Bellarmin. *loc. cit. c.* 8. Matthæucc. *loc. c. n.* 5. Gravina *in Continuatione ſecundæ partis Catholic. præſcript. tom.* 4. *pag.* 200. §. *Merito vero Alexander*, Vvaneſpen. *Juris Eccleſiaſtici univerſ. part.* 1. *tit.* 22. *c.* 7. *n.* 14. & pluribus aliis adductis, Lambertin. *l. c. cap.* 10. *a n.* 7. *uſque in finem*; Quamvis tamen Gonzal. Victon. Bivarius, Godefridus, Henſchenius, Daniel Papebrochius, & alii apud ipſum *l. c. n.* 5, non improbabiliter cenſeant talem Legem, ſeu reſervationem eſſe multo antiquiorem Alexandro III. cum *in dicto cap. Audimus*, id de novo non ſtatuat ſed quaſi jam conſtitutum commemoret, & talis loquendi forma Decretum non faciat, ſed factum, & vulgo notum ſupponat, ut videntur innuere verba ipſius Decretalis adducta *ſupra n.* 16.

19 Hinc non certo conſtat, quiſnam fuerit primus Summus Pontifex, qui ſolemniter Canonizationem Sanctorum celebraverit? Nam multi tenent, quod prima Canonizatio ſolemniter celebrata fuerit a Leone III. anno 804. qui in Civitate Vverdunenſi ſolemniter inter Sanctos Sanctum Svvibertum ejuſdem Civitatis Epiſcopum retulerit. Sic ex quadam Epiſtola Sancti Ludgeri Epiſcopi Monaſterienſis relata a Cardinali Baronio *in Annalibus ad dictum annum* 804. *n.* 2. *& ſeq.* inter alios Cardinalis Bellarminus *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 8. *de Sanctor. Beatitudine*, ubi ſic expreſſe habet: *Primus enim Pontifex (ni fallor) qui Sanctos legatur canonizaſſe, videtur fuiſſe Leo Papa III. de quo ſic ſcribit Sanctus Ludgerus in Epiſtola de miraculis Sancti Svviberti cap.* 9. *in* 2. *tom. Surii*; Tandem devota inſtantia Caroli (Magni) & Hildebaldi Archipræſulis Colonienſis venit a Colonia idem Papa Vverdam, & ibi poſt alias ſolemnitates Sanctum Svvibertum ſolemniter Catalogo Sanctorum Confeſſorum adſcripſit pridie Nonas Septembris; *Hanc primam legi ſolemnem Canonizationem, ante quam fortaſſe fuerunt etiam aliæ, ſed non mihi conſtat.* Angelus Rocca *de Canonizatione Sanctor. cap.* 5. §. *Ego vero*, Marcus *in ſuo Vocabulario Eccleſiaſtico verb. Canonizatio*, Franciſcus Victon. *in ſuo Tractatu gallice conſcripto de Canonizatione Sanctor. cap.* 10. *per totum*, Phæbeus Archiepiſcopus Tarſenſis *in ſua diſſertat. impreſſa poſt Acta Canonizationis Sancti Petri de Alcantara, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis*, Gonzal. *in cap. Audivimus ſub. n.* 7. *Reliquiis & veneratione Sanctor.* Card. de Lauræa *in* 3. *lib. ſentent tom.* 3. *diſp.* 6. *art.* 3. *n.* 47. Cornelius a Lapide *in Comment. ad cap.* 44. *Eccleſiaſt.* §. *Triplex hæc gloria*, Caſalius *de veteribus Eccleſiæ Ritibus cap.* 70. §. *de prædictis*, Rabaudi *exercit. Theolog. tom.* 2. *exercit.* 3. *cap.* 1. *de Eccleſia* §. *At poteſtatem*, Marcheſius *de capite viſibilis Eccleſiæ tom.* 9. *Bibliothecæ maximæ Pontificiæ pag.* 737. §. *A Romano*.

20 Alii autem multi defendunt contrarium, docentes, quod illa Epiſtola Sancti Lugderi, quæ eſt potiſſimum fundamentum, ob quod ſupra allati Doctores primam ſolemnem peractam Canonizationem Sancti Svviberti adſcribunt Leoni III. eſt commentitia; Sic Pater Joannes Morinus *in Commentario de adminiſtratione Sacramenti Pænitentiæ lib.* 10. *c.* 20. ubi hæc habet: „ Confixa Epiſtola ante forſan trecentos annos, „ aut, ut maxime ante quadringentos nomine Sancti Lugderi „ ab aliquo Vverdenſi Monacho in ſui Monaſterii commodum, & gloriam ... Deinde Sancti Svviberti in Sanctorum Catalogum relationem eodem modo, & ordine „ enarrat, quo nunc, & ab annis quadringentis celebrari „ ſolet. Certum eſt autem hanc celebrationem cæpiſſe trecentis poſt Leonem III. annis & amplius. Primus quem „ perhibent antiqua documenta ſolemniter a Pontificibus „ Canonizatum fuiſſe, eſt Hugo Carthuſianus, & Gratianopolitanus Epiſcopus; Secundus eſt Sanctus Bernardus. Sed „ conſidera quæ Epiſtolæ, ſive Bullæ Pontificum de iſtorum „ Sanctorum Canonizatione referunt, & ea comparata cum iis, „ quæ Auctor ille de Sancti Svviberti Canonizatione ſcribit deprehendeſque cæremonias hodiernas a Leone III. „ multo diligentius, & copioſius, quam ab Innocentio II. „ aut Alexandro III. fuiſſe obſervatas. Quod argumentum „ certum eſt, iſtius Epiſtolæ auctorem poſt annum 1200. „ ſcripſiſſe. Ante Innocentium II. & Alexandrum III. ſimplex admodum erat Canonizationis ritus, ut ex Petro „ Damiano conſtat in fine vitæ Sancti Romualdi, teſtaturque Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 1027. Obtinebatur ab iis, quibus curæ erat illa Canonizatio, a Sede „ Apoſtolica facultas Altare ſupra Corpus Defuncti erigendi: Eo erecto, peracta erat Canonizationis ſolemnitas. „ Poſt illud tempus ceremoniæ ſanctæ illius actionis paulatim „ factæ ſunt auguſtiores „. Demum poſt alias adductas rationes concludit Morinus: *Multa ſunt alia ejuſdem criminis argumenta, quæ longum eſſet perſequi, Und que enim rimoſa eſt Hiſtoria iſta, & fabellis veritati aſſutis fatiſcit*; Legi poſſunt etiam Henſchenius ad diem 26. Menſis Martii *in Commentario prævio ad vitam Sancti Ludgeri*, & Cointius *in Annalibus Eccleſiæ Francorum ad annum* 805. ubi non pauca adverſus eam Sancti Luggeri Epiſtolam, quam ſuppoſititiam eſſe cenſent, annotarunt, Item Joſeph Maria Sanfelicius Apoſtolicæ Sedis olim Nuncius ad Tractum Rheni *in ſua Epiſtola quam ediderunt Continuatores Bollandiani ad diem* 26. *Martii pag.* 640. Lucas d' Acheri, & Joannes Mabillon. *in Actis Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti*, *& in præfatione ad ſæculum quintum* §. 6. *n.* 100. Pagi *in Critica Hiſtorico-Chronologica in univerſos Annales Cardinalis Baronii tom.* 3. *ad annum Chriſti* 754. *num.* 7. ubi ſic habet: *Cumque hæc de Sancti Svviberti Canonizatione commenta nunc manifeſta ſint, iis refellendis diutius non immorabor.* Alter Pagi *in vita Sancti Stephani II. alias III. ad num.* 14. Continuatores Bollandiani *ad diem* 26 *Martii in vita Sancti Ludgeri* §. 8. Quibus conſentit idem Lambertin. *loc. c. lib.* 1. *c.* 7. *ſub n.* 13. & expreſſe Graveſon. *in celeberrima ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica tom.* 4. *part.* 1. *colloq.* 1. *pag.* 299. *primæ impreſſionis Romæ*, ubi ex aliis expreſſe dicit: *Primum exemplum ſolemnis Canonizationis factæ a Romano Pontifice, contigiſſe dumtaxat anno nonageſimo tertio, quando videlicet Joannes XV. Pontifex Maximus ſolemni Canonizationis ritu Udalricum Epiſcopum Auguſtanum publicis Sanctorum Faſtis adſcripſit.* Item Mabillonius præfatione in ſæculum quintum Benedictinum, quod eſt Eccleſiæ decimum, ſic habet: *Hoc primum indubitatæ Fidei monumentum de ſolemni per Romanum Pontificem Canonizatione invenimus Diploma Joannis XV. qui in frequenti Epiſcoporum Conventu ad preces Lintuphi Epiſc. Auguſtani Udalricum ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum in Sanctorum Album retulit*; Sic etiam Papebrochius *diſſert.* 20. *in Conatu Chronico-Hiſtorico de ſolemnium Canonizationum initiis, a que progreſſibus*, & alii plures validis, & ſatis convincentibus fundamentis id oſtendentes.

31 In Canonizatione non ſemper obſervatus fuit idem ritus, & forma ſolemnitatis, quæ ſolet obſervari noſtris hiſce diebus, ſed fuit varia pro varietate temporum, & Pontificum cum enim pendeat ab arbitrio ipſorum Pontificum, poteſt augeri, minui, prout ipſi judicaverint expedire, & temporum circumſtantiis congruere, ut notant Contelorus *de Canonizatione Sanctorum cap.* 3. *n.* 5. Matthæucc. *l. cit. n.* 3. idem Lambertin. *lib.* 1. *cap.* 36. *per tot*, ubi per varios §. aſſignat ſolemnia Canonizationis, tum quoad ritum antiquiorem, tum quo ad ritum moderniorem merito ibi legendum, admirandum, & venerandum.

32 Item nec ſemper fuit obſervatus idem ritus, & forma in Beatificatione, uti videre eſt *in cit. nunquam ſatis commendato, ſemperque amplius commendabili Opere de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione dicti Eminentiſſimi de Lambertinis, deinde undequaque meritiſſimi Summi Pontificis Benedicti XIV.* & ſignanter *lib.* 1. *cap.* 13. *&* 20. *ac* 24. ubi *n.* 1, *&* 2. inſuper aſſerit, quod ſolemnitas Beatificationis, quæ fit in Baſilica Vaticana per publicationem potiſſimum Brevis Apoſtolici inter Miſſarum ſolemnia initium duxit ab Alexandro VII. in Beatificatione Beati, nunc Sancti

33 Franciſci Saleſii. Et *ibid. num.* 3. ſubjungit, quod ſolemnitas Beatificationis in Baſilica Vaticana peragendæ conſiſtit potiſſimum in actibus ſequentibus; hoc eſt primo in publicatione Indulgentiæ ab omnibus utriuſque ſexus Fidelibus confeſſis, Sacra Communione refectis lucrifaciendæ, qui in Baſilica Principis Apoſtolorum, aut Miſſæ ſolemni pro Beatificatione canendæ interefuerint, aut Beatificationis die eamdem Vaticanam Baſilicam viſitabunt: ſecundo in præſentia tum Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum, nec non Conſultorum Sacrorum Rituum Congregationis, cum Cardinalis Archipresbyteri Baſilicæ Vaticanæ, & Canonicorum, & Cleri ejuſdem Eccleſiæ; tertio in exhibitione Brevis Apoſtolici, quæ fit a Poſtulatore Cauſæ Cardinali Præfecto Sacræ Congregationis, qui Poſtulatorem remittit ad Cardinalem Archipresbyterum Vaticanæ Baſilicæ pro facultate illud in Baſilica publicandi: quarto in publica lectione Brevis; quinto in ſolemni cantu Hymni: Te Deum laudamus, qui ab Epiſcopo Miſſam ſolemnem celebraturo intonatur: ſexto in detectione imaginum Servi Dei, quæ prius velo coopertæ erant, tum ſuper Altari, tum ad faciem Templi: ſeptimo in omnium adſtantium veneratione: octavo in recitatione Collectæ, quæ fit ab Epiſcopo Miſſam celebraturo in honorem Beati: nono in thuriſ datione Imagini Beati, quæ ab eodem fit Epiſcopo trino ductu: ultimo in celebratione Solemnis Miſſæ, tum vero in acceſſu Summi Pontificis ad Baſilicam Vaticanam ipſa die poſt Veſperas ad Immaginem Beati colendam.

24 Tam ad Beatificationem, quam ad Canonizationem duo copulative requiruntur, ſcilicet excellentia Virtutum in gradu heroico, & Miracula, ita ut nec excellentia Virtutum ſine Miraculis, nec Miracula ſine Virtutibus ſufficiant; Sic expreſſe habetur in Conſtitut. Innocentii III, edita pro Canonizatione Sancti Homoboni incip. *Quia pietas*, ibi: „ Licet autem juxta teſtimonium veritatis, ſola finalis perſeverantia exigatur ad ſanctitatem animæ in Eccleſia triumphante, quoniam, qui perſeveraverit uſque in finem hic „ ſalvus erit; duo tamen, virtus videlicet morum, & virtus „ ſignorum, opera ſcilicet in vita, & Miraculorum ſigna „ poſt mortem, ut quis reputetur Sanctus in Militanti Eccleſia requiruntur: nam quia frequenter Angelus Satanæ ſe „ in lucis Angelum transfigurat, & quidam faciunt opera ſua „ bona, ut videantur ab hominibus, quidam etiam coruſcant „ Miraculis, quorum tamen vita merito reprobatur, ſicut de „ Magis legitur Pharaonis, & etiam Antichriſto, qui electos „ etiam, ſi fieri poteſt, inducet ſuis Miraculis in errorem, ob „ id nec opera ſufficiunt ſola, nec ſigna; Sed cum, illis præcedentibus, iſta ſuccedant, verum nobis præbent indicium „ Sanctitatis, nec immerito nos ad illius venerationem inducunt, quem Dominus ſuis oſtendit Miraculis venerandum. „ Hæc autem duo ex verbis Evangelii plenius leguntur, ubi „ de Apoſtolis loquens ait... Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis: In eo namque, quod ait, cooperante, eos operatos eſſe demonſtrans; & in eo, quod ſequitur, ſequentibus ſignis, eos exponens, immo Dominum „ in eorum Miraculis claruiſſe. Hoc etiam Dominus uſque „ hodie operatur in Sanctis & potentiam ſuam ſignis evidentibus manifeſtat, dum vivorum curat ægritudines ad „ memoriam mortuorum, & eos plus eſſe poſt mortem, & „ felicius vivere mortuos qui in Domino moriuntur, quam „ qui vivunt in Mundo, demonſtrat „. Et in Conſt. 4. Gregorii IX. edita pro Canonizatione mei Sancti Antonii de Padua incip. *Cum dicat Dominus*, ibi: „ Licet ad hoc, ut aliquis „ Sanctus ſit apud Dominum in Eccleſia Triumphante, ſola ſufficiat finalis perſeverantia juxta illud Apocalypſis 2. „ Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ: „ Ad hoc tamen ut Sanctus habeatur apud homines in Eccleſia Militante, duo ſunt neceſſaria virtus morum, & veritas „ ſignorum, merita videlicet & Miracula, ut hæc & illa ſibi ad invicem conteſtentur, cum nec merita ſine Miraculis, „ nec Miracula ſine meritis plene ſufficiunt ad perhibendum „ inter homines teſtimonium Sanctitatis „. Et ſic docent Fagnanus *in cit. cap. Venerabilis* 52. *num.* 2. *de Teſtibus*, *& in cit. cap. Audivimus* 1. *de Reliquiis*, *& veneratione Sanctor. num.* 3. & ibi Innocentius *num.* 1. Joannes Andreas *numer.* 4. Ancharanus *num.* 5. Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 9. teſtans de communi, & Lambertin. *loc. cit. lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 5. *a num.* 1. *uſque ad* 7. *& cod. lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 7. *&* 17. refellens illos, qui ſolas virtutes expoſcunt aut ſola Miracula.

25 Miracula non ſolum in vita, ſed præcipue poſt obitum patrata, ſunt neceſſaria ad Beatificationem, & Canonizationem alicujus. Sic Gloſſa communiter recepta, *in c. Unic. de Reliquiis*, *& veneratione Sanctorum in* 6. *verb. Sedis*, Maſcard. *de probationib. concluſ.* 216. *n.* 42. Reiffenſt. *loc. citat. n.* 10. Lambertin. *loc. cit.* & alii paſſim.

26 In cauſis procedentibus per viam non cultus, bina ſaltem Miracula requiruntur, atque ſufficiunt, etiamſi ſint ſolum tertii generis pro obtinenda Beatificatione formali, & bina, quæ poſt eam ſupervenerint, ſufficiunt pro Canonizatione; &, in

cauſis,

cauſis, quæ procedunt per viam Caſus excepti, ſeu cultus immemorabilis bina ſufficiunt Miracula, quæ poſt indultam Venerationem ſuperveniunt; Sic expreſſe Lambertin. *loco cit. lib.* 1. *c.* 32. *n.* 3. *& ſeq.* referens ita deciſum fuiſſe *a Sacrorum Rituum Congregatione Generali in Cauſa S. Joannis de Capiſtrano die* 13. *Junii* 1677. Item *in Cauſa Sanctæ Catharinæ de Bononia die* 17. *Maii* 1707. Item *in Cauſa S. Stanislai Societatis Jeſu die* 13. *Nov.* 1714. Item *in cauſa S. Agnetis Virginis Ordinis Prædicatorum die* 12. *Martii* 1726. Et idem tenet *lib.* 4. *part.* 1. *c.* 6. *n.* 4. *&* 5. ubi teſtatur de praxi Sedis Apoſtolicæ, uti etiam de tali praxi teſtatur Matthæucci *loc. cit. tit.* 3. *cap.* 8. §. 2. *n.* 23. dicens, quod Sedes Apoſtolica plures in ordine Beatorum, & Sanctorum conſcripſit ſolis duobus tertii generis Miraculis verificatis, idque dicit notum eſſe ex Decretis Sacræ Congregationis in Regiſtro videndis, inquam praxim concurrunt ſcribentes apud Martam *de Canonizatione part.* 4. *cap.* 7. *num.* 88. & tenent Doctores paſſim.

* Nunc autem ſervanda ſunt Decreta SS. D. N. Benedicti Papa XIV. alterum quidem ſub die 23. Aprilis 1741. emanatum, in quo ſtatuitur, ut in Cauſis Beatorum per viam Cultus immemorabilis, aut indulti procedentibus, in poſterum non duo, ut antea, ſed quatuor ad eorum Canonizationem probari debeant miracula: in cauſis autem procedentibus per viam non cultus, ubi virtutes, aut martyrium ex teſtibus de auditu fuerint probatæ, non duo miracula ut antea, ſed quatuor omnino ad eorum Beatificationem obtinendam, debeant approbari: alterum vero die 17. Julii 1754. editum in quo declaratur, pro obtinenda formali beatificatione, ſi teſtes de auditu a videntibus in Proceſſu Apoſtolico excepti conjungantur cum teſtibus de viſu in Proceſſu ordinario exceptis, ſufficere debere duo miracula, ſi vero cum teſtibus de viſu in Proceſſu ordinario exceptis non conjungantur niſi teſtes de auditu in Proceſſu Apoſtolico exceptis, tunc tria miracula requiri ante Beatificationem data, & approbata. *

27 In Beatificatione, & Canonizatione Martyrum non ſolet fieri tam exacta, & ſtricta inquiſitio de probitate Vitæ, & Miraculis tempore vitæ peractis, ac fit in Beatificatione, & Canonizatione Confeſſorum, ſed præcipue de Miraculis poſt mortem, & de cauſa, ob quam paſſi ſunt, indagatur. Hoſtienſis *in cit. cap. Audivimus* 1. *num.* 3. *de Reliquiis, & Veneratione Sanctor.* Fagnan. *ibid. n.* 16. Auguſtin. Triumph. *de poteſtate Eccleſ. q.* 16. *art.* 3. Maſcard. *loc. cit. n.* 9. Reiffenſt. *loco cit. n.* 11. & alii, *arg. cap. Baptiſmi vicem* 34. *& c. Catechumenum* 37. *de conſecrat.* & ad id ſatis clare facit generalis illa promiſſio Chriſti *Matthæi* 10. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.*

28 Quamvis enim antiquitus nomen Martyris, & Confeſſoris promiſcue ſumeretur, ſicque idem eſſent Martyres, & Confeſſores, ut tradunt paſſim Scriptores, ſignanter Petrus Galeſinus *in Notis ad ſuum Martyrologium* 17. *Kal. Februar.* ubi inquit: *Certum atque exploratum omnibus eſt .... Martyris, & Confeſſoris nomen olim ſynonymum fuiſſe*; Franciſcus Amatus Pouget *in ſuis Catholicis Inſtitutionibus t.* 1. *pag.* 913. ibi: *Olim Confeſſores Chriſti dicebantur ii ſolum, qui cum teſtimonium perhibuiſſent veritati cum carceris, exilii, rei familiaris, ſuppliciorum, ipſiuſque vitæ periculo, non tamen morti traditi fuerant; Confeſſores autem dicebantur propter glorioſam, & publicam nominis Chriſti Confeſſionem; Martyres quoque appellabantur propter exhibitum veritati teſtimonium*; Baronius *in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem* 2. *Januarii*: ibi: *Ne quid lateat, ſciendum eſt, diverſa admodum ſignificatione a præſentis temporis uſu hanc vocem* (ſcilicet Confeſſoris) *a majoribus uſurpatam; Illi enim neminem eo nomine appellabant, niſi eum, qui Chriſti Fidem interpellatus coram Fidei hoſtibus confeſſus eſſet*; Lambertin. *loc. cit. liber* 1. *cap.* 2. *ſub. n.* 6. ibi: *Proprie Confeſſores olim dicebantur illi, qui Chriſtum palam, & coram tyrannis, ſeu Fidei hoſtibus confeſſi, quolibet tormentorum, poenæ genere affecti, ſuperſtites tranquillam mortem obibant.* Et infra *num.* 7. ſic ſubjungit: *Martyres tandem erant illi, qui pro veræ Fidei defenſione moriebantur, aut qui atrociſſima tulerant pro Fide tormenta; licet fuerint ſuperſtites, & in pace quieverint*, teſte Divo Thoma 2. 2. *quæſt.* 124. *art.* 4. *ad quartum*, Unde ut notat ipſe, veri Martyres etiam aliquando Confeſſores dicti ſunt.

29 Progreſſu tamen temporis, ut etiam hodie ſervatur, Eccleſia conſuevit diſtincte nomen Martyris, & Confeſſoris uſurpare; Illos ſcilicet appellando Confeſſores, qui ſancta, ac laudabili vita vixerunt, & ſancto demum fine naturali morte in pace quieverunt, ac in Sanctorum numerum ſunt relati, quatenus per virtutum opera ſunt Deum confeſſi. Unde Ordo Cluniacenſis *in præfatione ad vitam Sancti Geraldi* ſic expreſſe habet; *Cum igitur Confeſſor a confitendo vocetur, Geraldus tanto rectius Confeſſor dici poteſt, quanto juſtioribus factis Deum eſt confeſſus.* Et Egebertus Epiſcopus Eboracenſis *in Excerpt. cap.* 28. ait: *Sancti Patres, quos Confeſſores nuncupavimus, ideſt Epiſcopi, Presbyteri, qui in Caſtitate ſervierunt Domino*; Lambertin. *loc. cit. num.* 6. Matthæucc. *loc. cit. tit.* 4. *cap.* 1. *num.* 3. & alii communiter, atque Eccleſiaſtica praxis: Et illos appellando Martyres, non ſolum qui violentam mortem, ſeu cruciatus lætales voluntarie perpeſſi ſunt, ſed etiam illos, qui a perſecutoribus noſtræ Fidei comprehenſi, varie vexati, in carcerem, vel in exilium miſſi, & ærumnis confecti uſque in finem perſeverantes propter Fidei, aliarumque ſupernaturalium virtutum confeſſionem mortem naturalem ſubierunt. Vide verb. *Martyrium.*

Noſtris hiſce temporibus, niſi habeatur Apoſtolica diſpen- 30
ſatio non procedit Sac. Congreg. Rit. in Cauſis Servorum Dei ad effectum Canonizationis, ſeu Beatificationis, aut declarationis Martyrii, niſi elapſis quinquaginta annis ab obitu illorum; Sic expreſſe ſtatuunt Decreta juſſu Urbani VIII edita §. *Sanctitas ſua*, ibi: „Sanctitas Sua expreſſe prohibuit Sacræ Rituum Congregationi, ne deinceps procedat in Cauſis Servorum Dei ad effectum Canonizationis, ſeu Beatificationis, aut Declarationis Martyrii, niſi lapſis quinquaginta annis ab obitu illius, quinimo etiam lapſis quinquaginta annis de ſimilibus Proceſſibus, tam factis, quam faciendis agi vetuit, niſi habita prius, & expreſſe obtenta licentia a Sanctitate Sua, vel ejus Succeſſoribus. Sub Decreto hujuſmodi vult comprehendi etiam Cauſas, in quibus modo reperiuntur expeditæ litteræ Remiſſoriales, & Compulſoriales, ac omnes aliæ nunc pendentes, quæ adhuc expectant perfectionem ſuam, & complementum a facto futuro finalis determinationis. Quod ut firmius obſervetur, inſuper jubet, ut, ſi Memoriale ſuper hoc directum Congregationi porrigatur cum Reſcripto Sanctitatis ſuæ, ut aliqua ex hujuſmodi Cauſis ad præfatos effectus examinetur, nullum ſortiatur effectum, niſi in eodem Reſcripto ſpecialis prædictæ prohibitionis derogatio reperiatur.

Talis autem prohibitio non impedit, quod infra ſpatium 31
dictorum quinquaginta annorum poſſint confici Proceſſus per Ordinarios, vel per Delegatos Apoſtolicos, & in Sacra Rit. Congregatione diſcuti de eorum validitate, ne labente dicto temporis curſu pereant oculati, & meliores teſtes, ſicque occaſione hujuſmodi dilationis pereant etiam probationes, ut expreſſe habetur in ſupradictis Urbani VIII. Decretis §. *Verum*, ibi: „Verum, ne pereant hujuſmodi dilationis occaſione probationes, permittit Sanctitas Sua, non habita ratione dictorum quinquaginta annorum, ut agi poſſit de prædictis Proceſſibus, ſive de aliis auctoritate Ordinaria fabricatis, vel fabricandis ad effectum deliberandi, an per Sedem Apoſtolicam debeant concedi Litteræ Remiſſoriales in genere; quibus obtentis, & fabricatis ſuper eis Proceſſibus, ſervatis ſervandis, illiſque Sacræ Rituum Congregationi præſentatis, permittit pariter Sanctitas ſua, ut in Sacra Congregatione diſcutiatur de eorum validitate, ac etiam de relevantia in ordine, & ad effectum tantum cognoſcendi, an ſit procedendum ad Proceſſus in ſpecie; & Proceſſibus in ſpecie completis, & Sac. Congregationi delatis, videatur tantum de illorum validitate: quibus definitis, iidem Proceſſus per Secretarium claudantur, & obſignentur ſigillo Sacræ Congregationis, non aperiendi, donec veniat plenitudo temporis dictorum quinquaginta annorum: quo completo, nullo modo de eis agi poſſit, niſi expreſſe mandetur a Summo Pontifice„. Unde, ut vides, ſupradicta prohibitio reſtricta eſt, ne conſtructis Proceſſibus ab Ordinariis, ſeu a Delegatis Apoſtolicis actu procedatur in ſacra Congregatione ad ulteriora in Cauſa, in examine Virtutum, & Miraculorum, vel Declarationis Martyrii, niſi elapſis dictis quinquaginta annis, aut niſi interveniat Pontificia diſpenſatio.

Quæ quidem diſpenſatio ſupra complementum dictorum 32
quinquaginta annorum ſolet interdum ob juſtas cauſas a Romano Pontifice concedi, ut ſæpius conceſſam eſſe conſtat, & ſignanter *in Cauſa Pollocen. Martyris Joſaphat ab ipſomet Urbano VIII.* Ut habetur *ex Decreto edito die* 27. *Jan.* 1629. Item *in Cauſa Gebennen. Sancti Franciſci de Sales ab Alexandro VII.* Ut *ex Decreto edito* 20. *Januar.* 1659. Item *in Cauſa Limana Sanctæ Roſæ a dicto Alexandro VII.* Ut *ex Decreto edito die* 26. *Septemb.* 1664. Item *in Cauſa Japonen. Martyrii Servorum Dei Angeli Orſucci Caroli Spinulæ, & Sociorum a Clemente IX.* Ut *ex Decreto edito die* 6. *Junii* 1669. Item *in Cauſa Neritonen. Servi Dei Joſephi a Cupertino a Clemente XI. Ut ex Decreto edito die* 9. *Maji* 1711.

33 Sine dicta autem Pontificia diſpenſatione eſt omnino ſervanda ſupradicta Lex ab Urbano VIII. conſtituta de lapſu quinquaginta annorum ab obitu Servi Dei, antequam proponi poſſit dubium de Virtutibus, aut de Martyrio; de qua quidem Conſtitutione, ut ſcribit dictus Lambertin. *loc. cit. lib.* 2. *cap. ultim. num.* 7. *in fine*, ſic habetur *in Vita Venerabilis Servi Dei Dominici a Jeſu Maria* ſcripta a P. Philippo a Sanctiſſima Trinitate *lib.* 7. *cap.* 11. *La cagione di tal Coſtituzione è, che niſſuno vive così puramente, e ſantamente, che alcuna volta non cada in qualche imperfezione, ſecondo quel detto.* Septies in die cadit Juſtus. *Queſti difetti, benchè minimi, molte volte reſtano a memoria, e poſſono diminuire la divozione, e forſe alcune volte del tutto torla, ſe foſſero propoſti per Santi, e per eſſere venerati quelli, ne' quali comparvero alcuni difetti; eſſendo che volgarmente i Fedeli ſtimano, che i Santi foſſero del tutto irreprenſibili*: Quod etiam confirmatur a Patre Nicolao Lanciſio *tom.* 2. *Opuſcul. Spiritual.* 19. *de vitandis judiciis temerariis, cap.* 6. *numer.* 74. *pag.* 644.

34 Ut plene percipiatur, quinam Cultus, ſeu Adoratio debeatur Sanctis, ac Beatis, advertendum eſt, quod Adoratio eſt actus, quo quis alteri ſe ſubmittit in recognitionem ſuæ
35 excellentiæ. *Eſt in re Communis.* Et hæc Adoratio, ſeu *Cultus* alia eſt mere civilis, & politica, & alia Sacra, ſeu Religioſa. Adoratio *mere Civilis*, ſeu *Politica* eſt illa, quæ exhiberi ſolet Regibus, & Principibus ſupremis propter excellentiam ſui ſtatus, ſeu poteſtatis humanæ, quam præ aliis habent, uti paſſim in Sacra Scriptura leguntur quidam adoraſſe ſuos Reges, ut David 1. *Regum cap.* 20. *Cadens pronus in terram adoravit tertio*, Jonatham. *Et* 1. *Paralippomen. cap.* 29. *numer.* 20. *Benedixit omnis Eccleſia Domino Deo Patrum ſuorum, & inclinaverunt ſe, & adoraverunt Deum, & deinde Regem*; ubi, ut vides, eadem vox Adorationis tribuitur Deo, & Regi, licet Deo Cultus Latriæ, & Regi ſolus Cultus Civilis, ac Politicus competeret. Adoratio *Sacra*, ſeu *Religioſa* eſt illa, quæ exhibetur alicubi ob excellentiam ſuam Sacram, & ſupernaturalem, uti eſt Adoratio, quæ exhibetur Deo, & B. Mariæ Virgini, ac Sanctis omnibus, & Beatis.

36 Adorationis Sacræ, ſeu Religioſæ tres ſunt ſpecies, nempe Latria, Hyperdulia, & Dulia. *Communis Theologorum.*
37 Adoratio, ſeu Cultus Latriæ eſt illa, quæ ſoli Deo debetur, ac exhibetur propter ſummam incertam, ac infinitam ſuam
38 excellentiam. *Communis.* Adoratio, ſeu Cultus *Hyperduliæ* eſt illa, quæ B. Mariæ Virgini debetur, ac exhibetur ob excellentiam Maternitatis Dei, & alia excellentiſſima dona, ac ſpecialiſſimam ejus Sanctitatem ceteris ſupereminentem.
39 *Communis.* Adoratio, ſeu cultus *Duliæ* eſt illa, quæ debetur, ac exhibetur Sanctis ob ſupernaturalem excellentiam ſuæ Sanctitatis, & Gloriæ. *Communis.*

40 Dicta triplex adoratio, ſeu Cultus alia eſt *abſoluta* conveniens ſoli rei intellectuali, quæ per ſe honorabilis, atque adorabilis eſt ob perfectionem, atque excellentiam ſibi intrinſecam, qualis Adoratio, ſeu Cultus convenit, ac debetur Deo, Beatæ Mariæ Virgini, & Sanctis per ſe abſolute venerabilibus. Et alia eſt *Reſpectiva* conveniens rebus non intellectualibus, & ratione carentibus, quæ non coluntur per ſe ob perfectionem, atque excellentiam ſibi intrinſecam, ſed propter aliud, ſeu ob reſpectum ad aliud, qualis Adoratio, ſeu cultus convenit, ac debetur Cruci, ſacris Reliquiis, Imaginibus, Veſtibus, ac ſimilibus ratione carentibus, cum eorum Veneratio, ſeu Adoratio, vel Cultus non ſiſtat in illis, ſed referatur ad Prototypum, cujus ſunt Imagines, aut quod repræſentant. *Communis, inter Catholicos*, & clare habetur ex Concilio Tridentin. *ſeſſ.* 25. *in Decreto de invocatione Sanctorum.*

41 Cultus alius eſt publicus, alius privatus. Cultus *publicus* eſt, qui fit nomine Eccleſiæ, vel tanquam inſtitutus ab ea, ſive deinde publico in loco, ſive in occulto fiat. Non enim dicitur, ſeu appellatur *publicus*, vel ſolemnis, eo quod publice, & coram aliis exhibeatur, ſed quia defertur nomine Eccleſiæ, vel tanquam inſtitutus ab ipſa. Cultus *privatus* eſt, qui non exhibetur nomine Eccleſiæ, nec tanquam inſtitutus ab ipſa, ſed fit ex privata devotione colentis; ſive deinde talis Cultus fiat privatim in loco occulto, ſive in loco publico videntibus aliis, Scacchus *de Notis, & ſignis Sanctit. ſect.* 10. *cap.* 1. *verſ. Ex hoc*, Hurtad. *in reſolution. de vero Martyrio reſolution.* 43. §. 11. *per totum*, Reifſenſtuel *loco cit. num.* 16. Paſqualig. *in Addition. ad Laurer. de Franch. titul. de Cultu erga non Canonizatos n.* 1222. Layman. *in theol. moral. lib.* 4. *titul.* 7. *cap.* 5. *num.* 14. Del Bene *de Inquiſit. part.* 2. *dub.* 234. *ſect.* 7. *ſub. n.* 1. Molpheſ. *conſil.* 45. *n.* 20. Bonacina *tom.* 2. *diſput.* 3. *quæſt.* 1. *punct.* 2. *n.* 2. cum Bellarmin. Sanchez, & aliis ibi citatis. Matthæucc. *citat. quæſt. proœmial. cap. unic. n.* 25. & *ſeq.* Lambertin. *loc. cit. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 7. & alii contra Contelorum *de Canonizatione Sanctor. cap.* 22. *n.* 7. Barboſa *allegat.* 97. *n.* 13. Caſtellin. *de certitudine Gloriæ Sanctorum cap.* 2. *punct.* 23. *&* 24. & alios non improbabiliter volentes, quod etiam dici debeat Cultus publicus, qui fit in loco publico, ſeu coram aliis.

Cultu publico coli poſſunt omnes Sancti, & Beati, ideſt 42
omnes, qui jam ſunt *Canonizati*, vel ſaltem *Beatificati*. *Communis. inter Catholicos*; cum hac tamen differentia, quod, qui jam ſunt Canonizati, poſſunt coli ubique, & quovis Duliæ cultu publico. Qui vero ſunt ſolum *Beatificati*, & nondum *Canonizati* non poſſunt coli, niſi in illo loco, & illo cultu publico, quem conceſſit Summus Pontifex, cum in Beatificatione non quivis publicus Cultus, ſed aliqui ſoli determinati concedantur. Unde attendenda ſunt Brevia Conceſſionum.

Et inſuper circa Beatos nondum Canonizatos attendendum 43
eſt etiam Decretum ſuper Cultu Beatis adhuc non Canonizatis præſtando a Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria habita coram Sanctiſſimo Domino noſtro Alexandro VIII. emanatum.

Ad aures Eminentiſſimorum Patrum Congregationis Sacrorum Rituum plures devenerunt, qui patrantur, indultorum exceſſus in materia præſtationis Cultus Beatis adhuc non Canonizatis. Quamobrem eos eliminare, ac, ne in futurum inducantur, providere ſtudentes ad infraſcripta devenerunt Decreta &c.

I. Quod eorumdem Beatorum Imagines etiam non principaliter, & uti ſupplices appoſitæ, ſimulacra, Picturæ, Tabellæ, aut Scripturæ eorum præclara geſta repræſentantes, aut referentes in Eccleſiis, Sacrariis, & Oratoriis quibuſcumque, & præſertim in quibus Miſſæ Sacrificium, vel alia Divina Officia peraguntur, inconſulta Sede Apoſtolica, nullo pacto exponantur.

II. Quod ubi Indultum fuerit per Sedem Apoſtolicam, Imagines, Simulacra, pictaſque Tabellas in Eccleſiis poni, & coli poſſe, in pariete tantum, non autem ſuper Altari, collocandi facultas tributa cenſeatur.

III. Quod ſi conceſſa fuerit per eamdem Sedem Apoſtolicam Altarium erectio, non tamen ob id Miſſam, & Officium de prædictis Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præſumatur; etenim ſpecifica, & expreſſa conceſſio ſuper his procedere debet.

IV. Ubi in uno loco Cultus fuerit conceſſum, non extendatur, inconſulto Pontifice ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate.

V. In locis, ubi Beatos prædictos ab omnibus coli permiſſum fuit, non inde publica Officii recitatio permiſſa cenſeatur, ſed tantummodo privata, nec ſatisfactoria præcepto recitationis, niſi quo ad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſerit.

VI. Miſſæ pariter, quæ fuerint indultæ certis perſonis nempe Presbyteris Regularibus, vel ſæcularibus alicujus loci, vel Monaſterii, ſeu Presbyteris alicujus Eccleſiæ ſervitio præcipue addictis, a confluentibus Sacerdotibus quavis Dignitate etiam Cardinalatus inſignitis, minime celebrentur.

VII. Dies Feſti in Beatorum eorumdem memoriam non celebrentur, niſi ſpeciali Indulto Apoſtolico proviſum fuerit.

VIII. Eorumdem nomina in Kalendariis non apponantur, niſi illius tantum loci, earumque Perſonarum, in quo, & a quibus Cultus cum Officio, & Miſſa celebretur.

IX. In quibuſvis Eccleſiaſticis precibus, etiam in Oratoriis

toriis privatis recitandis particularia eorumdem ſuffragia non apponantur, vel recitentur.

X. Publicis in precibus præter indultas, & a Sede Apoſtolica approbata, iidem Beati non invocentur.

XI. Eorumdem Reliquiæ in Proceſſionibus minime circumferantur.

Sacra tamen Congregatio præſentibus Declaratione, & Juſſione removere non intendit Cultum Beatis per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel temporis centum annorum metam excendentis ſcientiam, ac tolerantiam Sedis Apoſtolicæ, aut Ordinariorum hactenus præſtitum, ac ceteris modo, & forma ab eo tempore eis exhibitum. Verum, ſi a centum annis circa Cultus hujuſmodi aliqua ex parte conſtiterit auctus, & extenſus, eo caſu Sacra eadem Congregatio eumdem in priſtinum reduci jubet; prout quemvis Cultum extra caſus prædictos ad expreſſa tantum verbaliter in Apoſtolicis Indultis omnino revocari mandat ſub pœnis &c.

Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe, ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum Natalitia cum Octavis celebrentur, & aliis quibuſcumque a Sacra Congregatione hactenus emanatis, quæ præſenti Decreto renovantur.

His autem Sanctiſſimo relatis, & in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria habita coram Sanctitate ſua per Eminentiſ. & Reverendiſ. D. Cardinalem Sacchettum accurate perlectis, mature diſcuſſis, Sanctitas ſua ea approbavit, & pro omnimoda eorumdem obſervatione mandavit typis imprimi, ad valvas affigi, & publicari, ut, elapſo tempore ſex menſium a die publicationis eorumdem, omnes, & ſingulos afficiant, & arctent, ac ſi omnibus, & ſingulis eadem exhibita, vel perſonaliter præſentata, intimata, ſeu notificata fuiſſent. Indulſitque Locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apoſtolicæ poſſint immo debeant Sæculares & Regulares quoſcumque, quamtumvis exemptos, etiam Societatis Jeſu, S. Antonii Viennen. & S. Joannis Jeroſolymitani, ac reliquos omnes ſpeciali expreſſione indigentes etiam ſub Cenſuris compellere.

Cumque aliqui nulli ſubdantur Epiſcopo, qui eos, ſi exceſſerint, coercere valeant: eo caſu a Sedis Apoſtolicæ Nuntiis, ſi aderint; ſin minus ab Archiepiſcopis, in quorum Provinciis, vel ab Epiſcopis Romano tantum Pontifici ſubjectis, intra, vel prope quorum Diœceſis limites eorum Eccleſiæ, vel Monaſteria ſita fuerint, tamquam a Sede Apoſtolica Delegatis ad hujuſmodi Decretorum obſervationem prædicti omnino cogantur.

## DECLARATIO DECRETI

### Super Cultus Beatis adhuc non Canonizatis, præſtando.

*Allatis Sacrorum ad Rituum Congregationem dubiis circa obſervationem, & intelligentiam Decreti ſuper cultu Beatis adhuc non Canonizatis præſtando editi die* 27. *Septem.* 1656. *& publicati* 3. *Februarii præſentis anni* 1660.

*Primo: An, ubi indultum fuerit, ut Miſſa de aliquo Beato celebretur, liceat ejus Imaginem, & ſimulacrum ſuper Altari exponere, nec non Votivas Tabellas ibi appendere?*

*Secundo: An* §. Dies Feſti in Beatorum honorem non celebrentur: *entendatur ad Feſta Devotionis.*

*Tertio: An Indulta recitandi Officium cum Octava, vel ſine Octava, & celebrandi Miſſam de Beatis, fuerint revocata per dictum Decretum Sacræ Congregationis?*

*Quarto: An in Eccleſiis, in quibus Officium, & Miſſa de Beatis recitari, ac reſpective celebrari poſſunt, liceat eorum Reliquias exponere?*

*Quinto: An Epiſcopi Regutares, qui ex indulto Sedis Apoſtolicæ gaudent Privilegiis ſuæ Religionis, de quibus ſunt capaces pro eorum conditione, poſſint de Beatis ſuæ Religionis recitare Officium, & in propriis Cathedralibus Miſſam celebrare, & Altare de Beatis prædictis erigere.*

Sacrorum Rituum Congregatio reſpondit.

*Ad primam affirmative.*

*Ad ſecundum negative.*

*Ad tertium pariter negative.*

*Ad quartum affirmative.*

*Ad quintum negative.*

*Die* 17. *Aprilis* 1660.

44 Qui cum fama Sanctitatis, aut inſignis pietatis obierunt; & nondum ſunt nec *Canonizati*, nec *Beatificati*, poſſunt quidem licite invocari, venerari, ac coli *Cultu privato*, at non *Cultu publico Communis, arg. c. Audivimus* 1. *& cap. Cum ex* 2. *de Reliquiis, & Veneratione Sanctor.* Ubi prohibetur aliquem publice venerari pro Sancto abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate; Unde a ſenſu contrario privatus honor, & cultus permittitur.

45 Circa autem Cultum, & Venerationem talium virorum cum fama Sanctitatis defunctorum eorumque Imagines, & Miracula, revelationes &c. attendendæ ſunt duæ celeberrimæ Conſtitutiones Urbani VIII. quæ hic per extenſum, tanquam ſcitu maxime neceſſariæ afferuntur, & prima, quæ eſt 39. inter Conſtitut. ejuſdem Pontificis eſt, ut ſequitur.

,, Sanctiſſimus D. N. ſolicite animadvertens abuſus, qui
,, irrepſerunt, & quotidie irripere non ceſſant in colendis qui-
,, buſdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione
,, defunctis, qui, etſi neque Canonizationis, neque Beatifi-
,, cationis honore inſigniti ſint ab Apoſtolica Sede, eorum
,, tamen Imagines in Oratoriis, atque Eccleſiis, aliiſque locis
,, publicis, ac etiam privatis cum laureolis, aut radiis, ſeu
,, ſplendoribus proponuntur, miracula, & revelationes,
,, aliaque beneficia a Deo per eorum interceſſiones accepta
,, in libris rerum ab ipſis geſtarum enarrantur, & ad illorum
,, ſepulcra Tabellæ, Imagines, & res aliæ ad beneficia acce-
,, pta teſtificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur.
,, §. 1. Volenſque proinde hujuſmodi abuſibus pro debi-
,, to Officii Paſtoralis occurrere, etiam cum Illuſtriſs. & Re-
,, verendiſs. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravita-
,, tem in univerſa Reipublica Chriſtiana Generalibus Inqui-
,, ſitoribus communicata, & mature conſiderata, ac diſcuſſa
,, declaravit, ſtatuit, & decrevit, ne quorumvis hominum
,, cum Sanctitatis, ſeu Martyrii fama (quantacumque illa
,, ſit) defunctorum Imagines, aliaque prædicta, & quodcum-
,, que aliud, Venerationem, & Cultum præſeferens, & indi-
,, cans in Oratoriis, aut locis publicis, ſeu privatis, vel Eccle-
,, ſiis tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuſcumque
,, Religionis, Ordinis, Inſtituti, Congregationis, aut Socie-
,, tatis apponantur, antequam ab Apoſtolica Sede canonizen-
,, tur, aut Beati declarentur, & (ſi quæ appoſitæ ſunt) amo-
,, veantur, prout eas ſtatim amoveri mandavit.
,, §. 2. Ac pariter inprimi de cetero inhibuit libros eo-
,, rumdem hominum, qui Sanctitatis, ſive Martyrii fama,
,, vel opinione (ut præfertur) celebres e vita migraverint,
,, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcumque benefi-
,, cia tanquam eorum interceſſionibus a Deo accepta conti-
,, nentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarii,
,, qui in iis recognoſcendis, Theologos, alioſque pios, ac
,, doctos viros in conſilium adhibeat: & ne deinceps fraus, aut
,, error, aut aliquid novum, aut inordinatum in re tam gra-
,, vi committatur, negotium inſtructum ad Sedem Apoſtoli-
,, cam tranſmittat, ejuſque reſponſum expectet. Revelatio-
,, nes vero, & miracula, aliaque beneficia ſupradicta, quæ
,, in libris horum hominum vitam, & geſta continentibus,
,, hactenus ſine recognitione, atque approbatione hujuſmo-
,, di impreſſa ſunt, nullo modo approbata cenſeri vult, man-
,, datque ſua Sanctitas.
,, §. 3. Ad horum hominum ſepulcra vetuit etiam, ac in-
,, hibuit Tabellas, atque Imagines ex cera, aut argento ſeu ex
,, alia quacumque materia tam pictas, quam fictas, atque
,, exculptas appendi, aut affigi, lampades ſive alia quæcum-
,, que lumina accendi ſine recognitione ab Ordinario omni-
,, no, prout ſupra, facienda, Sedique Apoſtolicæ referenda, ac
,, probanda.
,, §. 4. Declarans, quod per ſupraſcripta præjudicare in
,, aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem
,, Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis cur-
,, ſum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum ſcripta, vel
,, longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtoli-
,, cæ, vel Ordinarii coluntur.
,, §. 5. Ut autem præmiſſa diligentius obſerventur, uni-
,, verſis, ac ſingulis tam Ordinariis, quam hæreticæ privita-
,, tis Inquiſitoribus diſtricte præcipit, ut in ſua quiſque Diœ-
,, ceſi, vel Provincia ſedulo pervigilent, ne ſine approba-
,, tionibus prædictis Imagines cum memoratis ſignis expo-
,, nantur, aut Miracula, revelationes, ac beneficia prædicta
,, publicentur, aliave contra ſuperius diſpoſita fiant.
,, §. 6. Tranſgreſſores vero, ſi Regulares fuerint, priva-
,, tionis ſuorum Officiorum, ac vocis active, & paſſivæ,

nec



,, nec non & ſuſpenſionis a Divinis, ſi vero Clerici Sæcula-
,, res, privationis pariter ſuorum Officiorum, Suſpenſionis a
,, Divinis & ab adminiſtratione Sacramentorum, executio-
,, neque ſuorum Ordinum reſpective, aliiſque arbitrio præ-
,, dictorum Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum pro modo culpæ
,, infligendis pœnis plectendo.
,, §. 7. Qui autem libros impreſſerint, aut Imagines pin-
,, xerint ſculpſerint, ſeu quoquo modo effinxerint, vel for-
,, maverint, cæterique Artifices circa præmiſſa qualitercum-
,, que delinquentes, prædicta omnia amittant, & inſuper pe-
,, cuniariis, aliiſque etiam corporalibus pœnis juxta crimi-
,, nis gravitatem, eorumdem Ordinariorum, ſeu Inquiſito-
,, rum arbitrio afficiantur.
,, §. 8. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus.
,, §. 9. Et ne præmiſſorum ignorantia poſſit ab aliquo
,, prætendi, voluit, ut Decretum hujuſmodi ſeu illius exem-
,, plum ad Valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Urbis,
,, ac in acie Campi Floræ affixum omnes perinde arctet, at-
,, que afficiat, ac ſi unicuique perſonaliter intimatum fuiſſet.
,, 10. Quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis,
,, manu Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus Perſo-
,, næ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem
,, prorſus fides habeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi fo-
,, rent exhibitæ, vel oſtenſæ.

J. Antonius Thomaſius S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis Not.

*Anno* 1625. *Indictione* 8. *Pont. Sanctiſs. D. N. D. Urbani Divina providentia Papæ VIII. Anno ejus* 2. *die vero* 4. *menſis Aprilis, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Baſilicæ Princip. Apoſt. de Urbe, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Brandimartem Latinum Sanctiſs. D. N. Papæ Curſorem.*

*Octavius Spada Mag. Curſ.*

*Sequitur Declaratio præinſertæ prohibitionis.*

,, Poſtmodum vero idem Sanctiſs. D. N. a quibuſdam
,, revocari in dubium accepit, an Tabellas, & Imagines,
,, quas in poſterum offerri contigerit, recipere, & antea ob-
,, latas conſervare liceret, Sanctitas ſua, quæ tantummodo
,, voluit, occurrendo abuſibus qui irripere videbantur, cer-
,, tiorem parare viam ad eorum in terris gloriam quorum
,, Sanctimoniam Divinæ Clementiæ placuerit, admirandis
,, operibus illuſtrare: re prius cum Illuſtriſs. & Reveren-
,, diſs. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Ge-
,, neralibus Inquiſitoribus communicata, præſenti Decreto
,, declaravit; Quod ſicut nunquam prohibitum, nec ſuæ in-
,, tentione fuit prohibere oblationem, receptionemque Ta-
,, bellarum, & Imaginum hujuſmodi, ita, ut nulli deinceps
,, hæſitationi locus relinquatur, ſtatuit in præſentiarum, & de-
,, cernit, ut quoties ad aliquam Eccleſiam, aut Oratorium,
,, locumve alium publicum ſecularem, ſeu regularem Tabel-
,, las, & Imagines, aliudve ſimile quiſquam detulerit, ac in-
,, terceſſione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adſcri-
,, ptorum, quamvis cum Martyrii, vel Sanctitatis fama demor-
,, tuorum, optata ſe impetraviſſe dixerit, liceat Eccleſiaſti-
,, cis perſonis Eccleſiarum, locorumve prædictorum curæ
,, Præpoſitis Tabellas, & Imagines, ſive pictas, ſive ex qua-
,, vis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ
,, fidem facientia ſimul cum deferentis, aliorumque, qui
,, conſcii fuerint, atteſtationibus accipere, atque approban-
,, tibus Ordinariis, ad quos referre ſtatim omnia teneantur,
,, in ſecreto aliquo, ſeorſim ab Eccleſia, loco cuſtodire, ibi-
,, dem jam amotam collocare, aſſervare, ut ſi quando Domi-
,, nus talium virorum merita Beatificationis, ſeu Canoniza-
,, tionis honore in terris decorare voluerit, extent hujuſmodi
,, Sanctitatis qualeſcumque probationes Apoſtolicæ Sedis ju-
,, dicio tunc examinandæ, contrariis quibuſcumque non ob-
,, ſtantibus.

*Anno* 1625. *Indictione VIII. Pon. Sanctiſs. D. N. D. Urbani Divina providentia Papæ VIII, an.* 2. *die vero* 30. *Octobris ſupradictæ litteræ, ſive Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Princip. Apoſt. Urbis, ac in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Brandimartem Latinum Sanctiſs. D. N. Papæ Curſorem.*

47 Altera ejuſdem Pontificis Conſtitutio, quæ eſt 134. in ordine, eſt ſequens.

,, Cæleſtis Hieruſalem Cives, quorum glorioſis natalitiis
,, Sancta lætatur Mater Eccleſia, ſicut hujus Sanctæ Sedis
,, *Apoſtolicæ miniſterio a piis utriuſque ſexus Chriſtifideli-*
,, *bus venerantur in terris, ita Romanum decet Pontificem*
,, *Militantis* Eccleſiæ regimini *providentia* præpoſitum pro
,, ſuo præcipuo honoris Domus Dei *zelo invigilare*, ne quid
,, in Perſonarum cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opi-
,, nione defunctarum memoriam ſive Cultum inconſulta
,, S. Sede predicta innovetur.
,, §. 1. Alias ſiquidem Nos ſolicite animadvertentes abu-
,, ſus, qui irrepſerant, & irrepere non ceſſant in colendis qui-
,, buſdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione
,, defunctis, qui, etſi neque Canonizationis, neque Beatifi-
,, cationis honore inſigniti eſſent ab eadem Sede, eorum
,, tamen Imagines in Oratoriis, atque in Eccleſiis, aliiſque
,, locis publicis, atque etiam privatis cum laureolis, aut ra-
,, diis, ſeu ſplendoribus proponebantur, Miracula, & Revela-
,, tiones, aliaque beneficia a Deo per eorum interceſſiones
,, accepta in libris rerum ab ipſis geſtarum enarrabantur, &
,, ad illorum ſepulcra Tabellæ, Imagines, & res aliæ ad be-
,, neficia accepta teſtificanda, & lampades, & alia lumina ap-
,, ponebantur: Volenteſque proinde hujuſmodi abuſibus pro
,, debito Officii Paſtoralis occurrere, re etiam cum Venerabi-
,, libus fratribus Noſtris S. R. E. Cardinal. contra hæreticam
,, pravitatem in univerſa Republica Chriſtiana generalibus
,, Inquiſitoribus ab eadem Sede ſpecialiter deputatis commu-
,, nicata, & mature conſiderata, ac diſcuſſa: de eorumdem
,, Cardinalium Conſilio ſub die 13. Martii 1625. declaravi-
,, mus, ſtatuimus, & decrevimus, ne quorumvis hominum
,, cum Sanctitatis, ſeu Martyrii fama (quantacumque illa eſ-
,, ſet) defunctorum Imagines, aliaque præfata, & quodcum-
,, que aliud Venerationem, & Cultum præſeferens, & indi-
,, cans in Oratoriis aut locis publicis, ſeu privatis, vel Eccle-
,, ſiis, tam ſæcularibus, quam Regularibus cujuſcumque Reli-
,, gionis, Ordinis, Inſtituti, Congregationis, aut Societatis ap-
,, ponerentur, antequam ab Apoſtolica Sede canonizarentur,
,, aut Beati declararentur, & ſi quæ appoſitæ eſſent) amove-
,, rentur, prout eas ſtatim amoveri mandavimus. Ac pariter
,, imprimi de cetero inhibuimus libros eorumdem homi-
,, num, quo Sanctitatis, ſive Martyrii fama, vel opinione, ut
,, præfertur, celebres e vita migraviſſent, geſta, Miracula, vel
,, revelationes, ſeu quæcumque beneficia, tanquam eorum
,, interceſſionibus a Deo acceptas continentes, ſine recogni-
,, tione, & approbatione Ordinarii, qui in iis recognoſcendis
,, Theologos, alioſque pios, ac doctos viros in conſilium adhi-
,, beret: & ne deinceps fraus, aut aliquid novi, & inordinati
,, in re tam gravi committetur, negotium inſtructum ad Se-
,, dem Apoſtolicam tranſmitteret, ejuſque reſponſum expe-
,, ctaret: Revelationes vero, & Miracula, aliaque beneficia
,, ſupradicta, quæ in libris horum hominum vitam, geſtaque
,, continentibus eatenus ſine recognitione, atque approbatio-
,, ne hujuſmodi impreſſa erant, nullo modo approbata cenſeri
,, voluimus, mandavimuſque. Ad horum hominum ſepulcra
,, vetuimus etiam, ac inhibuimus Tabellas, atque Imagines ex
,, cera, aut argento, ſeu ex alia quacumque materia, tam
,, pictas, quam fictas, atque exculptas appendi, ſeu affigi,
,, & lampades, ſive alia quæcumque lumina accendi ſine re-
,, cognitione ab Ordinario omnino, prout ſupra, facienda, Se-
,, dique Apoſtolicæ referenda, ac probanda. Declarantes,
,, quod per ſupraſcripta præjudicare in aliquo noluimus, ne-
,, que intendimus iis, qui aut per communem Eccleſiæ con-
,, ſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Pa-
,, trum, virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi tempo-
,, ris ſcientia, ac tolerantia præfatæ Sedis Apoſtolicæ, vel
,, Ordinarii celebrantur. Cumque poſtea die 2. Octobr. ejuſ-
,, dem anni 1625. a quibuſdam revocari in dubium accepiſ-
,, ſemus, an Tabellas, & Imagines, quas in poſterum offerri
,, contingeret, recipere, & antea oblatas conſervare liceret:
,, Nos, qui tantummodo voluimus, occurrendo abuſibus, qui
,, irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in
,, terris gloriam, quorum Sanctimoniam Divinæ Clementiæ
,, placuerit admirandis operibus illuſtrare: re prius cum eiſ-
,, dem Cardinalibus communicata, de ſimili eorum conſilio
,, declaravimus, quod ſicut nunquam prohibuimus, nec in-
,, tentionis noſtræ fuit prohibere oblationem, receptionem-
,, que Tabellarum, & Imaginum hujuſmodi, ita ut deinceps
,, nulli dubitationi locus relinqueretur, ſtatuimus, & decre-
,, vimus, ut quoties ad aliquam Eccleſiam, aut Oratorium,
,, locumve alium publicum Sæcularem, ſeu Regularem Ta-
,, bellas, & Imagines, aliudve ſimile quiſpiam deferret, ac
,, interceſſione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adſcri-





pto-

,, ptorum , quamvis cum *Martyrii*, *aut Sanctitatis fama*
,, demortuorum , optata ſe impetraviſſe diceret, liceret Ec-
,, cleſiaſticis perſonis Eccleſiarum locorumve prædictorum
,, *curæ præpoſitis Tabellas*, & Imagines , ſive pictas ,ſive ex
,, quavis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gra-
,, tiæ fidem facientia ſimul cum deferentis , aliorumque, qui
,, conſcii fuiſſent, *atteſtationibus recipere*, atque approbanti-
,, bus Ordinariis , ad quos referre ſtatim omnia tenerentur, in
,, ſecreto aliquo , ſeorſim ab Eccleſia , loco , cuſtodire , ibi-
,, demque jam amota collocare , & aſſervare , ut ſi quando
,, Dominus talium virorum merita Beatificationis , ſeu Ca-
,, nonizationis honore in terris decorare voluiſſet, extarent
,, hujuſmodi Sanctitatis qualeſcumque probationes Apoſtoli-
,, cæ Sedis judicio tunc examinandæ . Demum vero, ut ejuſ-
,, modi Decreta obſervarentur indubie , ac omnimodam ſor-
,, tirentur executionem cum eiſdem Cardinalibus re pariter
,, communicata , deque eorumdem conſilio præmiſſis addidi-
,, mus , ſtatuimus , decrevimus , atque declaravimus , ne ex
,, tunc deinceps quiſpiam Ordinariorum , aut ab Apoſtolica
,, Sede ad hoc ſpecialiter delegatorum ſuper alicujus utriuſ-
,, que ſexus cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione
,, defuncti Miraculis, Revelationibus, aliiſve hujuſmodi San-
,, ctitatem redolens ex integro informationes quoquo modo
,, reciperet, aut Proceſſum inſtrueret , vel hucuſque receptas
,, *informationes* , *inſtructumve Proceſſum ulterius* proſeque-
,, retur , niſi poſtulator prius per legitimas juridice ſuſceptas
,, probationes circa Perſonam ejus,de cujus miraculis , reve-
,, lationibus aliiſque rebus geſtis Sanctitatem præſeferentibus
,, ageretur , præſcriptam in præfato noſtro Decreto formam
,, omnino ſervatam extitiſſe docuerit , & niſi poſtea ſucceſſi-
,, ve idem Ordinarius , aut ab Apoſtolica Sede ad hoc ſpe-
,, cialiter delegatus , diligenti præhabita diſquiſitione circa
,, eamdem Perſonam, ſupracitato Decreto nullatenus contra-
,, ventum eſſe , rite pronunciaverit : *Utque* id inviolabiliter
,, obſervetur , ſtatuimus inſuper ac decrevimus , ne tranſmiſſi
,, ad *Urbem* undecumque *hujuſmodi* Proceſſus a Congrega-
,, tionis Sacrorum Rituum Secretario , minuſve Sanctæ Fidei
,, Promotore quomodolibet aperiantur , niſi prius in Sacro-
,, rum Rituum Congregatione , alio ſejunctim oblato au-
,, thentico Proceſſu , ex eo Ordinarium , aut ab Apoſtolica
,, Sede ſpecialiter Delegatum rite , ac recte , ut præmittitur,
,, cognoviſſe ac pronunciaſſe prælibato Decreto nequaquam
,, contrafactum eſſe plene conſtiterit, ac deinde a Nobis ju-
,, *dicialiter aperiendi* eos *Proceſſus facultas* indulta fuiſſet.
,, Inſuper longiſſimum tempus , illiuſve immemorabilem cur-
,, ſum , de quo in prædicto decreto , intelligi declaravimus
,, eſſe *tempus centum annorum metam excedens* : Deque
,, his , atque infraſcriptis omnibus , quæ in his Decretis diſ-
,, poſita, & ordinata ſunt , aliqua ſuboriente difficultate, Or-
,, dinariis locorum , & *Delegatis Apoſtolicis* quibuslibet om-
,, nem omnino interpretandi facultatem ademimus, utque Se-
,, dem Apoſtolicam deſuper conſulerent , ab eaque reſpon-
,, ſum expectarent , *mandavimus* eiſdem,& *alias* , *prout* in
,, Decretis deſuper editis plenius continetur .
,, §. 2. Quare inviolabili Decretorum prædictorum obſer-
,, *vationi* , *quantum cum Domino poſſumus* , *conſulere vo-*
,, lentes , motu proprio , & ex certa ſcientia,ac mera delibe-
,, ratione noſtris , deque Apoſtol. poteſtatis plenitudine De-
,, creta prędicta cum *omnibus* , & *ſingulis in eis contentis* ,
,, tenore præſentium perpetuo approbamus, & confirmamus,
,, illiſque inviolabilis Apoſt.firmitatis robur adjicimus , om-
,, niaque,& ſingula Decreta *hujuſmodi* ab *omnibus*, ad quos
,, ſpectat , & in futurum quomodolibet ſpectabit , obſervari
,, omnino præcipimus ſub pœna nullitatis quarumcumque In-
,, formationum , Proceſſuum , ac *Interpretationis* aliter,quam
,, prævia ſupraſcripta præcognitione inſtructorum, eorumque
,, admiſſionis , publicationis , aut interpretationis , ita ut ea-
,, rumdem Informationum receptiones, Proceſſuumve inſtru-
,, ctiones , nec non eorum admiſſiones , ac publicationes &
,, interpretationes habeantur pro non receptis,non inſtructis,
,, non admiſſis , non publicatis, interpretatis , eorumque am-
,, plius ratio aliqua nullatenus alicubi unquam haberi de-
,, beat.
,, §. 3. Decernentes,præſentes Litteras , & in eis conten-
,, ta quæcumque , etiam ex eo , quod quicumque in præmiſ-
,, ſis , ſeu eorum aliquo intereſſe habentes , ſeu quomodoli-
,, bet habere prætendentes , ad præmiſſa vocati,& auditi,mi-
,, *nuſque cauſæ* , propter quas eædem præſentes emanarint ,
,, adductæ , verificatæ , ſeu alias ſufficienter , aut etiam nul-
,, *latenus juſtificatæ fuerint* , *nullo unquam tempore de ſub-*
,, reptionis , obreptionis , nullitatis , aut invaliditatis vitio ,
,, ſeu intentionis noſtræ aut alio quovis defectu , etiam quan-
,, *tumvis magno* , *inexcogitato*,& ſubſtantiali , ſive etiam ex
,, eo quod in præmiſſis , ſeu eorum aliquo ſolemnitates , &
,, quævis alia ſervanda , & adimplenda , ſervata , & adim-
,, *pleta non fuerint* , *aut ex quovis* alio capite a jure, vel fa-
,, cto aut ſtatuto , vel conſuetudine aliqua reſultante , ſeu
,, etiam enormis , enormiſſimæ, & totalis læſionis , aut quo-
,, cumque alio colore, etiam in corpore juris clauſo , ſeu oc-
,, caſione , vel cauſa , etiam quantumvis juſta , rationabili,&
,, privilegiata, etiam tali , quæ ad effectum validitatis præ-
,, miſſorum neceſſario exprimenda foret : aut quod de vo-
,, luntate noſtra hujuſmodi , & aliis ſuperius expreſſis , ſeu
,, relatis nihil ullibi appareret , ſeu aliter probari poſſet,no-
,, *tari* , *impugnari* , *invalidari*, *retractari* , *in jus* , vel contro-
,, *verſiam* revocari , aut ad terminos juris reduci , vel ad-
,, verſus illas reſtitutionis in integrum , aperitionis oris , re-
,, *ductionis ad viam* , & *terminos juris*, aut aliud quodcum-
,, que juris , facti , gratiæ , vel juſtitiæ remedium impetrari,
,, ſeu quomodolibet concedi , aut impetrato , vel conceſſo
,, quempiam uti , *ſeu ſe juvare in Judicio* , vel extra poſſe ,
,, neque ipſas præſentes ſub quibuſvis ſimilium , vel diſſimi-
,, lium gratiarum revocationibus , ſuſpenſionibus , limitatio-
,, *nibus* , *aut aliis contrariis* diſpoſitionibus pro tempore quo-
,, modolibet faciendis comprehendi , ſed ſemper ab illis ex-
,, ceptas , perpetuoque validas , firmas , & efficaces exiſte-
,, re , & fore , ſuoſque *plenarios*, & *integros* effectus ſortiri,
,, & obtinere , ac per omnes & ſingulos , ad quos ſpectat , &
,, quomodolibet ſpectabit in futurum , inviolabiliter ob-
,, ſervari .
,, §. 4. Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus , & ſin-
,, gulis per quoſcumque Judices ordinarios , & delegatos ,
,, etiam cauſarum *Palatii Apoſtolici Auditores* , & S. R. E.
,, Cardinales , etiam de Latere Legatos , & Nuncios , &
,, alios quavis auctoritate & poteſtate fulgentes , in quavis
,, cauſa , & inſtantia ſublata eis , & eorum cuilibet quavis
,, aliter judicandi , & interpretandi facultate , & auctoritate,
,, ubique judicari , & definiri debere : irritum quoque , &
,, inane , ſi ſecus ſuper his a quoquam *quavis* auctoritate ,
,, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari .
,, §. 5. Quo circa Venerabilibus Fratribus Patriarchis ,
,, Primatibus , *Archiepiſcopis* , *Epiſcopis* , & *aliis locorum*
,, Ordinariis , nec non dilectis filiis noſtris,& Apoſtolicę Se-
,, dis Nuncii , ac hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ubilibet
,, exiſtentibus per Apoſtolica ſcripta mandamus , ut ſtatim ,
,, atque præſentes Litteræ noſtræ ad eorum , & cujusli-
,, libet eorum notitiam pervenerint , in ſua quiſque reſpe-
,, ctive Diœceſi , vel Provincia ſedulo pervigilet , ne ſine
,, approbationibus prædictis , Imagines cum memoratis ſignis
,, exponantur , aut Miracula , revelationes , ac beneficia
,, prædicta publicentur, aliave contra ſuperius diſpoſita fiant:
,, tranſgreſſores vero , ſi Regulares fuerint , privationis ſuo-
,, rum Officiorum , ac vocis activæ , & paſſivæ , nec non
,, Suſpenſionis a Divinis ; ſi vero Clerici Sæculares , priva-
,, tionis pariter ſuorum Officiorum , ſuſpenſionis a Divinis ,
,, & ab adminiſtratione Sacramentorum , exequutioneque
,, ſuorum Ordinum reſpective, aliiſque arbitrio prędictorum
,, Ordinariorum , ſeu Inquiſitorum pro modo culpæ infligen-
,, dis pœnis plectendo : Qui autem libros impreſſerint , aut
,, Imagines pinxerint , ſculpſerint , ſeu quoquo modo affixe-
,, rint , vel formaverint , ceterique Artifices circa præmiſſa
,, qualitercumque delinquentes , prædicta omnia amittant,&
,, inſuper pecuniariis , aliiſque etiam corporalibus pœnis ju-
,, xta criminis gravitatem , eorumdem Ordinariorum , ſeu
,, Inquiſitorum arbitrio afficiantur; Contradictores quoslibet,
,, & rebelles , ac præmiſſis non parentes , per ſententias,Cen-
,, ſuras , & pœnas Eccleſiaſticas , aliaque opportuna juris , &
,, facti remedia , omni, & quacumque appellatione, recurſu,
,, & reclamatione remotis compeſcendo , invocato etiam ad
,, hoc, ſi *opus fuerit*,*auxilio brachii Sæcularis* .
,, §. 6. Non obſtantibus , quatenus opus ſit rec. mem. Bo-
,, nifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris Noſtri de una , &
,, in Concilio generali edita de *duabus* dietis , ceteriſque in
,, contrarium facientibus quibuſcumque .
,, §. 7. Ut autem præſentes,& in eis contenta quæcumque
,, ad omnium notitiam deducantur , & ne aliquis de eis igno-
,, rantiam prætendere poſſit , volumus pariter, & mandamus,
,, quod eædem præſentes per aliquem , ſeu aliquos ex Cur-
ſori-



,, ſoribus noſtris ad Eccleſiæ Lateranen. & Baſilicæ Principis
,, Apoſtolorum de Urbe,necnon Cancellariæ Apoſtolicæ val-
,, vas , ac in acie Campi *Floræ* affigantur , & publicentur, &
,, cum inde amovebuntur earundem exempla in eiſdem locis
,, affixa dimittantur , quæ ſic publicatæ , & affixæ poſt duos
,, menſes a die publicationis computandos, omnes , & ſingu-
,, los , quos concernunt , perinde afficiant , & arctent , ac ſi
,, unicuique illorum perſonaliter intimatæ , & notificatæ
,, fuiſſent .
,, §. 8. Quodque illarum tranſumptis impreſſis,ſigillo ali-
,, cujus perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ muni-
,, tis , & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis eadem
,, prorſus fides adhibeatur , quæ præſentibus adhiberetur , ſi
,, forent exhibitæ , vel oſtenſæ .
,, Dat. Romæ apud S.Mariam Majorem ſub Annulo Piſ-
,, catoris die 5. Julii 1634. Pontificatus Noſtri anno unde-
,, cimo .
*Anno* 1634. *Indictione ſecunda Pontificatus SS. D.N.N.*
*Urbani divina providentia Papæ VIII. an.* 11. *die ve-*
*ro* 5. *Septembris ſupradictæ litteræ* , *ſive Decretum af-*
*fixum* , *& publicatum fuit ad Valvas Baſilicarum San-*
*cti Joannis in Laterano*, *& Principis Apoſtolorum Ur-*
*bis* , *ac in acie Campi Floræ* , *ut moris eſt* , *per me*
*Alexandrum Latinum prælibati Sanct. D. N. Papæ*
*Curſ.*
*Pro D. Mag. Curſ. Dominicus Mag. Curſ.*
48 Attendenda ſunt inſuper Decreta ad id edita de expreſſo
mandato Urbani VIII.& alia edita juſſu Innocentii XI. quæ
ad litteram referuntur a Lambert. *cit. lib.* 2. *in Appendice*
*a pag.* 578. *ad pag.* 602. & brevitatis gratia apud ipſum vi-
denda relinquuntur .
49 Affertur Decretum Sacræ Congregationis Rituum ſuper
immemorabili .
*Sacra Rituum Congregatio juſſu Sanctiſs. D.N. decrevit im-*
*memorabilem probatam ſuper Cultu* , *& Veneratione alicujus*
*Sancti non Canonizati* , *nec Beatificati* , *non ſuffragari ad effe-*
*ctum* , *quod de illo poſſit concedi Miſſa* , *vel Officium* , *ſed in*
*ſpecie* , *& in illo loco eſſe probandam immemorabilem quoad*
*Cultum cum Miſſa* , *& Officio*, *& ita in poſterum ſervari man-*
*davit die* 20. *Novembris* 1628.
50 Adducitur Decretum ejuſdem Sacræ Congregationis ſer-
vandum in recipiendis informationibus pro cauſis Beatifica-
tionum, & Canonizationum Servorum Dei .
*Cum in tota Eccleſiæ gubernatione nihil majus* , *nihil ſit au-*
*guſtius Beatificatione* , *& Canonizatione Sanctorum* , *utpote*
*homines jam demortuos* , *etiam cum fama Sanctitatis* , *ac Mi-*
*raculorum* , *declarare pro Sanctis* , *eoſque uti tales colendos*,*&*
*venerandos decernere* ;
*Sacra Rituum Congregatio* , *ut res hæc plane ampliſſima* ,
*atque graviſſima rite* , *ſancteque conficiatur* , *prohibet omni-*
*bus* , *& ſingulis perſonis Eccleſiaſticis tam Secularibus*, *quam*
*Regularibus* , *etiam Sancti Joannis* Hieroſolymitani , *Societa-*
*tis Jeſu* , *vel aliorum quantumvis ſpeciali nota dignorum* ; *ne*
*audeant ipſi per ſe* , *aut per alios capere informationes ſuper*
*ſanctitate* , *aut Miraculis alicujus Defuncti* , *neque ullo modo*
*exquirere* , *aut obtinere ad hunc effectum extrajudiciales te-*
*ſtificationes* , *aut ſubſcriptiones ſub pœnis arbitrio Sacr. Con-*
*gregationis infligendis* . *Quod ſi Superiori*,*Sacriſtæ* , *ſeu alteri*
*Officiali illius Eccleſiæ* , *in qua requieſcit Corpus ipſiuſmet De-*
*functi* , *vel alterius etiam Eccleſiæ* , *fuerint revelata aliqua*
*Miracula* , *ſeu Propheti e dona* , *poſſint ea recipere ſub ſigillo*
*Secreti ab ipſis tantum relatoribus* , *in quorum gratiam conti-*
*giſſe narrabitur* . *Teneantur tamen quam primum commode po-*
*terunt eadem deferre* , *vel obſignata tranſmittere Epiſcopo lo-*
*ci cum expreſſa declaratione* , *quod revelationes ſic ut ſupra re-*
*ceptæ non faciant aliquem probationis gradum* , *etiam cujuſvis*
*longiſſimi temporis curſu* .
*Quod Decretum* , *cum fuerit ad notitiam Sanctiſſ. D. N.*
*Urbani Papæ VIII. deductum* , *Sanctitas ſua illud approbavit* ,
*ac imprimi* , *& ubique publicari mandavit* . *Die* 12. *Martii*
1631.
51 Circa Cultum , & Venerationem Reliquiarum Sanctorum,
& Beatorum eſt idem ferme dicendum , ac de Cultu , & ve-
neratione ipſorum Sanctorum , & Beatorum dictum eſt *ſupra*
*an.* 41.
52 Per Reliquias autem Sanctorum , & Beatorum intelligun-
tur quantum ad propoſitum , eorumdem Corpora,& Corpo-
ris partes etiam minimæ , nempe Caput , manus , digiti,den-
tes,Oſſa , capilli,cineres , pulveres . Item eorum veſtes,pan-
ni , vela , quibus in vita uſi ſunt,vel quibus eorum Corpora,
aut partes eorum poſt mortem fuerunt involuta . Item inſtru-
menta pœnarum , & mortificationum, quibus in vita uteban-
tur , & hujuſmodi . *Communis* .
Reliquiæ noviter inventæ , aut productæ , ad hoc ut coli 53
poſſint cultu publico , debent prius eſſe legitime recognitæ ,
& approbatæ . *Commun.* per text. *in cap. Cum ex eo* 2. *de Re-*
*liquiis* , *& veneratione Sanctorum* . Et Concil. Tridentin.
*ſeſſ.* 25. *de invocatione* , *veneratione*, *& Reliquiis Sanctorum*;
ubi expreſſe ſtatuitur : *Nulla etiam admittenda miracula no-*
*va* , *nec novas Reliquias recipiendas* , *niſi eodem recognoſcen-*
*te* , *& approbante Epiſcopo* . Ubi ut vides , Reliquiæ tam 54
*Beatorum* , quam *Sanctorum* de novo inventæ , non ſolum a
Papa, ſed etiam ab Epiſcopo recognoſci , & approbari poſ-
ſunt . Fagnan. *citat. cap. Cum ex eo num.* 6. Barboſ. *in Concil.*
*Tridentin. loc. citat. num.* 9. *&* 10. *& part.* 3. *de Offic. &*
*poteſt. Epiſcop. allegat.* 97. *num.* 10. cum pluribus aliis ibi ci-
tatis , Reinffenſtuel *loc. citat. num.* 27.& alii paſſim; Quam-
vis enim textus *in citat. cap. Cum ex eo* , dicat : *Niſi prius*
*auctoritate Romani Pontificis ſint approbatæ* ; Tamen id debet
intelligi de noviter inventis Reliquiis alicujus nondum *Cano-*
*nizati* nec *Beatificati* , uti cum aliis ſolide probat *ibid. a nu.* 5.
Reiffenſtuel *l. citat. numer.* 27. *&* 28. & alii .
Immo Reliquiæ a Papa jam approbatæ etiam ab Epiſcopo 55
loci adhuc ſunt recognoſcendæ non quidem ut denuo ab ipſo
approbentur , ſed ſolum ut videat , an revera Romæ fuerint
approbatæ , & an fraus aliqua ſubſit , antequam publicæ ve-
nerationi exponantur . Sixtus V. Conſtitut. 88. incipient. *Do-*
*minus* . *Sacra Congregat. Rit.* 19. *Octobr.* 1691. Et hoc etiam 56
pro Reliquiis exponendis in Eccleſiis Regularium , ut deci-
ſum fuiſſe *in una Viterbien.* 26. *Junii* 1927. refert Sellius *in*
*Select. Canonic. cap.* 3. *n.*11.Barboſ.*in Concil. Tridentin.ſeſſ.*
25. *n.*11.
Ad hoc autem ut Epiſcopus rite approbet alicujus jam *Ca-* 57
*nonizati* , aut *Beatificati* Reliquias noviter inventas Romæ
nondum approbatas , neceſſe eſt , ut *adhibitis in conſilium*
*Theologis* , *& aliis piis viris* , *ea faciat* , *quæ veritati* , *&*
*pietati conſentanea judicaverit* , ut expreſſe ſtatuit Concil.
Tridentin. *loc. citat.* & recte obſervant Barboſa *ibidem nu-*
*mer.* 13. *& citat. allegat.* 97. *num.* 17. cum pluribus ibi ci-
tatis , Sanchez *in decalog. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 43. *numer.* 15.
Azorius *part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 8. *quæſt.* 8. Reiffenſtuel *l. citat.*
*num.* 27. & alii paſſim . Et ſi aliquod circa id emerſerit gra- 58
ve dubium , nihil inconſulto Summo Pontifice novum , aut
in Eccleſia hactenus inuſitatum eſt decernendum , textu ex-
preſſo *in Conc. Trid. l.c. in fine* .
Epiſcopus approbare non poteſt in ordine ad Cultum publi- 59
cum Reliquias alicujus cum fama Sanctitatis defuncti & non-
dum *Canonizati* , nec *Beatificati* : Hoc enim ſpectat ad Ro-
manum Pontificem . *Communis* , textu expreſſo *in citat. cap.*
*Cum ex eo* 2.*de Reliquiis* , *& Veneratione Sanctorum* ibi : *In-*
*ventas de novo Reliquias nemo publice venerari præſumat niſi*
*prius auctoritate Romani Pontificis ſint approbatæ* . Nec ob-
ſtat textus Concilii Tridentini allat. *ſupra numer.* 53. quia de-
bet intelligi de ſolis noviter inventis Reliquiis jam *Canoniza-*
*torum* , vel *Beatificatorum* , & allatus textus *citat. cap. Cum*
*ex eo* intelligendus eſt de noviter inventis ſeu productis Re-
liquiis alicujus cum fama Sanctitatis defuncti , & nondum
*Canonizati* , nec *Beatificati*,uti cum aliis recte docet Fagnan.
*in cit. c.Cum ex eo a n.*5.Barboſ. *cit. allegat.* 97. *n.* 11. cum
aliis ibi citatis,Reiffen. *l.c. n.*28.& alii .
Cultu privato poſſunt coli Reliquiæ quæcumque , tam an- 60
tiquæ , quam novæ , non ſolum *Canonizatorum* , *& Beatifi-*
*catorum* , ſed etiam cum fama Sanctitatis defunctorum quam-
vis a nemine recognitæ , & approbatæ fuerint . *Communis ar-*
*gument. citat. cap. Cum ex eo*, ubi ſolum prohibetur publicus
cultus , & Veneratio , adeoque a ſenſu contrario conceſſus
intelligitur Cultus privatus,& Veneratio Servorum Dei non-
dum *Canonizatorum* , nec *Beatificatorum* .
Reliquiæ antiquæ habendæ ſunt in ea veneratione , in qua 61
hactenus fuerunt . *Sacr. Congregat. Concil.* apud Bonacinam
*in primum decalogi præceptum diſput.* 3. *quæſt.* 1. *punct.*4.*nu-*
*mer.*4.*verſ. Dixi* , Barboſam *cit. allegat.*97. *n.*11.*& in Sum-*
*ma Apoſtolic. dec. verb.Reliquiæ Sanctorum n.*4.
Quoad Reliquias eſt attendendum noviſſimum Edictum 62
emanatum pro veneratione Reliquiarum &c. Vide verb.
*Agnus Dei* , ubi affertur ad litteram .
Reliquiæ non ſunt incenſandæ , niſi cum incenſantur Ob- 63
lata . *Sacr. Congregat. Rit. in Lucana* 10. *April.* 1602. apud
Bar-

Barboſ. *in Summa l.c. n.10.* & Sell. *in Select. Canonic. cap.58. num.3.*

64 Corpora Sanctorum, & inſignes eorum Reliquiæ non poſſunt transferri de Civitate ad Civitatem, nec de Eccleſia ad Eccleſiam, inconſulta Sede Apoſtolica, Lambertin. *loc. c. l.4 p.2 c.21 a n.10 ad 19* ubi *ſub n.13* dicit, ſic reſpondiſſe S.C. *Conc. tom.6 memorabilium p.733.* in Archiv. ibi enim ſic legitur: *An qui tranſtulerunt Corpus Sanctæ Chriſtinæ virginis, & Martyris, inciderint in pœnam Excommunicationis; Sanctiſſimus Dominus Noſter reſpondit, transferentes non eſſe excommunicatos, ſed tamen obtinuit hodie ex Stylo talem translationem non eſſe faciendam, inconſulta Sede Apoſtolica.* Et infra *a n.14* refert exempla variarum ſimilium Translationum factarum ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, & ſignanter Translationis Oſſium, & Reliquiarum Sancti Thomæ Aquinatis, translationis Capitis Beatæ Nymphæ Virginis, & Martyris, & translationis Capitis S.Guillelmi Ducis Aquitaniæ. translationis brachii S.Conradi Placentini, translationis brachii Sancti Bernardi.

65 Item tranferri non poſſunt de loco ad locum Corpora, neque Reliquiæ Beatorum nondum Canonizatorum, nec fieri poteſt mutatio Capſæ, in qua eorum Oſſa recondita ſunt, niſi accedente Summi Pontificis, aut Sac. Congregationis Rituum auctoritate; d.Lambert. *l c. c.21 a n.6 ad 9.* ubi refert varia exempla ſimilium translationum factarum ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, & ſignanter Translationis Beati, nunc Sancti Laurentii Juſtiniani. translationis Beati, nunc Sancti Joannis a Cruce; translationis Beati Ferdinandi III. Regis Caſtellæ, & Legionis.

66 Item ſine licentia Papæ, aut Sacræ Congregationis Rituum transferri non poſſunt de loco ad locum Corpora Servorum Dei nondum Beatificatorum, nec Canonizatorum, in quorum Beatificationis, & Canonizationis Cauſis Sedes Apoſtolica jam manum appoſuit. Idem Lambertinus *l. c. cap.21. a n. 1. ad 5.* ubi refert varia exempla ſimilium translationum factarum ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, & ſignanter Translationis Corporis Venerabilis Servæ Dei, nunc Beatæ Hyacinthæ de Mareſcottis, translationis Servi Dei, nunc Sancti Joannis Franciſci Regis, translationis Servi Dei, nunc Sancti Camilli de Lellis, Translationis Servi Dei Caroli a Setia.

67 Translatio autem Corporum Servorum Dei nondum Canonizatorum, nec Beatificatorum, in quorum Cauſis non fuit adhuc ſignata *Commiſſio*, ſeu Sedes Apoſtolica nondum manum appoſuit, poteſt fieri de licentia Epiſcopi, ſeu Ordinarii. Idem Lambertin. *l.c. n.4.* & alii paſſim.

68 Reliquiæ Sanctorum vendi non poſſunt. *Communis*, per text. *in cit. c.Cum ex eo 2. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum, & l.Nemo 3. Cod. de Sacroſanctis Eccleſ.* Res enim Sacræ, quales ſunt Reliquiæ non ſunt in dominio alicujus, nec pretii æſtimationem recipiunt, *l.Sacra 9. in fine, ff. de rerum diviſione.* Et quod Reliquiæ nullius ſint in bonis, expreſſe decrevit *S.C.R. in Senogallien. Montis Bodii 23. Jun. 1610.* apud Barboſ. *in Summa l.c. n.5.* & Sellium *l.c. cap.58. num.4.* adeoque vendi non poſſunt; Tum quia Spiritualia, & ſpiritualibus annexa vendi non poſſunt ſine labe Simoniæ, *cap.Querelam 15. de Simonia, c.De Jure 16. de Jurepatron.* Gloſſa communiter recepta *in capit.Cum ex eo, verb.venales*, adeoque &c.

69 Furtiva ſubtractio SS.Corporum, vel Reliquiarum etiam devotionis cauſa facta, eſt peccatum Sacrilegii, niſi eſſent in locis Infidelium condita. Reliquiæ enim ſunt Res Sacræ. Sic Turrecremata *in c.Corpora Sanctorum 37. de conſecr. diſt.1 in reſponſ. ad 3.* Pirhing *l.3 Decr. tit.45 n.12 in fine*, Reiffenſtuel *l.c. n.33.* Ferrand, *Diſquiſ.Reliq. l.1 c.8 art.2* Lambert. *l.cit. l.4 p.2 cap.25 n.21* per text. *in c.Quiſquis 17 q.4.*

70 Reliquiæ in Altari pro ejus conſecratione locandæ debent eſſe Sanctorum ab Eccleſia approbatorum. *S.C. Epiſc. & Regul.13 Septemb. 1593.* apud Gavant. *in Manual. Epiſ. verb. Altare n.12.* Barboſ. *in Summa l. c. n.4.*

71 Corpora Sanctorum nondum Canonizatorum non poſſunt poni ſub Altari, *S.C. Epiſc. & Regul. 10 Jun. 1586.* apud Gavant. *l.c. verb. Reliquiæ Sanctor. n.12.*

72 Quando exponuntur Reliquiæ, ultra lampadem, debent continuo ardere in Altari duo lumina, alias non exponantur. *S.R. Cong. 22. Jan.* 1701.

73 Reliquia Sancti, ad hoc ut de eo poſſit celebrari Officium, debet eſſe inſignis, ſcilicet Caput, Brachium, Crus, vel ea pars Corporis, in qua paſſus eſt Martyr; dummodo ſit integra, & non parva, & ſit ex Sanctis approbatis, & poſitis in Martyrologio, & *tunc celebratur* Officium ſub *ritu duplicis* Minoris, et recitatur Symbolum in Miſſa. *Sacr. R. Congr. 8. April.* 1628.

74 Officium de Reliquia inſigni celebrandum eſt ſolum in Eccleſia, ubi eſt Reliquia; Et ſi talis Eccleſia ſit Cathedralis, non propterea aliæ Eccleſiæ debent ſe in hoc conformare cum illa. *S.R. Congr. in Calaguritana* 1. *Septemb.* 1611 *et in Conchen. 12.Mart.* 1619.

75 Si vero Reliquia non ſit inſignis, non licet, nec eſt alterandum Officium, ſed recitandum prout in Breviario Romano. *S.R. Cong. in viterb.* 1 *Sept.* 1612.

76 De Sancto, cujus habetur Corpus vel inſignis Reliquia, non poteſt fieri Officium, niſi conſtet de identitate, et niſi reperiatur in Martyrologio Romano: Reliquiæ vero a locorum Ordinariis approbatæ poſſunt exponi ad Fidelium venerationem. *S.R.C. 19. Octob.* 1691.

77 Feſtum, quod in aliqua Eccleſia celebratur ratione Corporis, vel inſignis Reliquiæ, non habet Octavam, niſi ſpecialiter concedatur a Sede Apoſtolica. *Sacr. Rit. Congregat.12. Aug.*1613.

78 Qui recitat Officium de Sancto, de quo habet inſignem Reliquiam in propria Eccleſia, ſi celebret eo die in alia Eccleſia, debet omittere *Credo*. *Sacr. Rit. Congregati 2. Decembr.* 1684.

79 In illis Eccleſiis, in quibus Officium, & Miſſa de Beatis recitari, & reſpective celebrari poſſunt, licet eorum Reliquias exponere, Imagines, vel Simulacra ſuper Altari collocare, ac votivas Tabellas ibidem appendere. *Sac. Rit. Congregat. 17. Apr.*1660.

80 In Miſſis de Beatis non debet dici *Credo*, niſi adſit Reliquia. *S.R.C.22. Jul.*1664.

81 Reliquiam deferre in Proceſſionibus pertinet ad priorem Conventus, unde Reliquia ſumitur, ſed Regulares non parati debent in proceſſione cedere digniorem locum Clero Sæculari. *S. Rit. C. in Senog. Montis Bodii 25. Sept.*1605. & 19. *Apr.*1608 & 23. *Jan.*1610.

82 Reliquiæ non in Monaſteriis Monialium, ſed in exterioribus Eccleſiis aſſervari debent. *S. C. Epiſc. & Regul. in Faventina 7. Mart.*1617.

83 Reliquiarum Sanctorum Patronorum Civitatis clavis una concedi poteſt Magiſtratui Sæculari ejuſdem Civitatis. *S.C.R. 8. Maji* 1604. apud Barboſ. *in Summa l.c. n.9.* Et *S.C. Epiſc. in Civitatis Caſtellanæ 6. Apr.* 1696. apud Monac. *t.1. tit.5. form.2. n.39.* ubi etiam de aliis Laicis.

84 Reliquia modica jam facta alienabilis, alicui Eccleſiæ, vel Oratorio donari poteſt. *S.R.C. in Aſten. 8. Jul.*1602. Alias enim non poſſet alienari ſine beneplacito Sedis Apoſtolicæ, Barboſa *l. c. n.6. & 7.* cum Marco Antonio Genuenſi, Maranta, & Ricciul. ibi citatis.

85 Reliquias falſas exponere ad venerationem eſt peccatum Superſtitionis. La Croix cum Buſembaum *l.3. p.1. n.8. verſ. Superſtitionem*, & alii paſſim.

86 Reliquiæ, & Oſſa Sanctorum radi non poſſunt, ut raſura detur cum potu infirmis. *S.C. Epiſc. & Regul.17. Decemb.* 1691. apud Gavant. *l.c. n.33.* Immo Reliquiæ Sanctorum (præſertim inſignes) neque portari poſſunt ad Ægrotos. Concil. Provinc. Mediolanen. V. apud Gavant. *loc. citat.*

87 In Altari, in quo eſt expoſitum SS. Sacramentum, non poſſunt exponi Reliquiæ Sanctorum. Sic in Inſtructione edita de mandato Clementis XI. *die 20. Jan.*1705. §.2. *ibi: Sopra l'Altare non vi ſi ponghino Reliquie de' ſanti, o ſtatue de medeſimi.* Vide verb. *Euchariſtia ſub n.64.*

88 In Tabernaculo, ubi aſſervatur SS.Sacramentum, non ſunt retinendæ Reliquiæ, nec Vaſa Sacrorum Oleorum, nec aliud: *S.C.R. 22. Febr.*1593.

89 Ad evitandas diſſenſiones, & contentiones inter aliqua totius Ordinis Fratrum Minorum membra circa ſolemnitates, picturas, & inſcriptiones Religioſorum, noviter Beatificatorum, & Canonizatorum, in Capitulo Generali Victoriæ celebrato die 23. Maji 1694. ſub titulo *Pro utraque Familia a n.41. ad 46.* provide fuit ſtatutum ut infra.

90 ,, Non ſine juſto animi angore perpendit Diffinitorium ,, Generale, quanta in pluribus Provinciis evenerint ſcandala poſt novam aliquam Canonizationem ſervi Dei, qua ,, Altiſſimus Ordinem noſtrum dignatus eſt decorare, cujus ,, occaſione elapſis annis, vel ratione ſolemnizandi Canoni- ,, zationis feſtum, vel etiam Sancti imprimendi, vel ejus ,, imaginem, ſive ſculptam, ſive pictam cum aliqua intitu- ,, latione, inſcriptione, narrativa, aut rethorica, compoſitio-



,, ne vulgandi, vel de eo prædicandi, vel Canonizationis ,, Proceſſionem faciendi, vel aliud quidpiam in ea ſolemni- ,, tate peragendi, lites, & diſſenſiones inter aliqua totius cor- ,, poris Obſervantiæ membra in variis Provinciis exortæ, ,, Fratrum turbationes, publica jurgia, mendacia utrinque ,, forte vulgata, libri & ſcripturæ a temerariis Auctoribus, ,, tam proprio, quam alieno nomine, abſque legitima li- ,, centia impreſſi, plus damni, quam ædificationis apud Chri- ,, ſtifideles conciliavere.

91 ,, Volens itaque Diffinitorium Generale talibus in poſte- ,, rum diſſonantiis, ſecundum Deum providere, conſulto, ,, & mature decernit, quod ſi ſervus Dei, de quo agatur ,, cauſa Beatificationis, vel Canonizationis apud S.Sedem, ,, aut qui a Summo Pontifice fuerit Beatificatus, vel Canoni- ,, zatus, ſit ex Obſervantia, & mortuus ſit filius alicujus ,, Provinciæ, vel Cuſtodiæ Obſervantis tam in actis cau- ,, ſæ, quam in picturis, ſculpturis, elogiis, & foliis, ac lo- ,, cis quibuſcumque, exprimatur quod ex Reformatis Ultra- ,, montanæ Familiæ explicetur, quod eſt ſtrictioris Obſervan- ,, tiæ, vel Minorum Obſervantium Reformatorum. Sin au- ,, tem fuerit ex Diſcalceatis, vel Recollectis Provinciis hu- ,, jus Ciſmontanæ Familiæ dicatur Ordinis Minorum Obſer- ,, vantium Diſcalceatorum, vel Recollectorum, quod etiam ,, addatur, ſi dicatur ſtrictioris Obſervantiæ, ita ut nunquam ,, particularis ſtatus, in quo mortuus eſt Sanctus, ſive ſit Ob- ,, ſervantiæ, ſive Reformatorum, ſive Diſcalceatorum, ſi- ,, ve Recollectorum taceatur, aut ſtatus cum ſtatu confunda- ,, tur.

92 ,, Solemnitas feſti Beatificationis, ac Canonizationis Ser- ,, vi Dei ad totum corpus Obſervantiæ pertinentis, & pro- ,, ceſſio in ea fieri conſueta, prius fiat a Conventu illius ,, membri, cujus ſervus Dei, dum viveret portio fuerat, vi- ,, delicet Reformatorum, ſi mortuus eſt Reformatus, Ob- ,, ſervantium, ſi Obſervans, Diſcalceatorum, aut Recol- ,, lectorum, ſi Diſcalceatus, vel Recollectus, in Cœlum

93 ,, migraverit. Et ſi plures fuerint ejuſdem membri Conven- ,, tus, prius fiat a principaliori, deinde liberum ſit ceteris ,, etiam alterius membri, etiam eodem tempore cum aliis ,, Conventibus (non tamen cum principaliori prædicto membro, ad quod Sanctus immediate pertinet) eam celebrare ,, ſolemnitatem.

94 ,, Ad Proceſſionem autem, quæ a principaliori prædicto ,, Conventu fiet, aliorum Conventuum Communitates con- ,, currere teneantur, & ſub privatione Officii, vociſque ,, activæ, & paſſivæ per triennium, Prælati cum ſuis fami- ,, liis omnino conveniant.

95 ,, Si vero in loco non extiterit Conventus, immediatioris ,, Inſtituti illius novi Sancti, ſolemnitas, & proceſſio, cui ,, omnes alii in loco, vel Civitate coexiſtentes Conventus ,, intereſſe, ſub iiſdem pœnis teneantur, fiat primo in Con- ,, ventu Ordinis antiquiori, ex quocumque membro Obſer- ,, vantiæ ſit, dummodo in omnibus Imaginibus, libris, & ,, foliis exprimatur cujus membri de corpore Obſervantiæ ,, Sanctus ille, vel Beatus in ſua pretioſa morte filius fuerit.

96 Quæ omnia pro illorum majori firmitate, & perpetua obſervantia, ut refert Urſaya *tom.1. p.2. diſcept.20. n.79.* fuerunt ſpecifice confirmata a S.R. Congregatione ſequenti Decreto: *Sacra Rituum Congregatio ſupraſcriptum ſtatutum benigne confirmavit, & contra ejuſdem transgreſſores ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ procedi poſſe decrevit.*
*Die 9. Decemb.* 1713.

G. Card. Carpineus Præfectus.

*N. M. Tedeſchi Epiſcopus Liparitanus*

*Sac.Rit. Congr. Pro-ſecretar.*

97 Alia ad rem. Vide verb. *Imago*, verb. *Miraculum*, verb. *Sanctitas, Sancti*, & in *tom.8.* inter *Decreta* Sacr. Coongreg. decret. ſub *num.598.* ubi decernitur, quod Reliquiæ Sanctorum, quæ deferuntur in Proceſſionibus per Civitates, & oppida, non debent deferri ſub Baldachino.

98 Addendum eſt ſequens Decretum quoad cultum Coronæ ferræ, quæ in Collegiata Eccleſia S.Joannis Baptiſtæ Modoetiæ Mediolanen. Diœceſis aſſervatur.

,, Cum Modoetiæ in Eccleſia Collegiata S. Joannis Bapti- ,, ſtæ ab antiquiſſimo tempore inter cæteras Sanctorum Reli- ,, quias Corona Ferrea, uno ex Clavis Domini Noſtri Jeſu ,, Chriſti, ut pie creditur, in laminam, ſive circulum compa- ,, cto exornata aſſervaretur: Cumque Anno 1687. D. Tan- ,, credinus Viſitator cultum eidem Coronæ antea præſtitum, ,, quouſque a clar. mem. D.Card. Vicecomite tunc Mediol. ,, Archiepiſcopo, aliter decerneretur, Decreto ſuſpenderit; ,, idem vero Cardinalis Archiepiſcopus rei gravitate per- ,, penſa anno 1688. recurſum ad Apoſtolicam Sedem habendum eſſe, ab eaque deciſionem expoſtulandam edixerit; ,, Modoetienſes vero actis nonnullis in Curia Archiepiſco- ,, pali tunc peractis uſque modo ſiluerint, ac ſolummodo ,, tribus ab hinc annis Sacr. Rituum Congregationi pro præ- ,, dicta Deciſione ſupplicaverint: Hinc audito prius R.P.D. ,, Calcho Epiſcopo Lucano, tunc Vicario Capitulari Mediol. ,, deinde vero Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardi- ,, nali Odeſcalco moderno Archiepiſcopo Mediolani, ac po- ,, ſtremo, tam in voce quam in ſcriptis R.P.D. Proſpero de ,, Lambertinis Fidei Promotore. Eminentiſſimus, & Reve- ,, rendiſſimus D. Cardinalis Ptolomæus infraſcripta dubia ,, declaranda propoſuit, videlicet.

,, Primum. An Capitulo Collegiatæ S. Joannis Baptiſtæ ,, Modoetiæ liceat Coronam Ferream, de qua agitur, retine- ,, re intus Crucem, in qua fuit repoſita inſimul cum aliis re- ,, liquiis, & publicæ Venerationi exponere? & quatenus ne- ,, gative.

,, Secundum. An ſaltem eidem Capitulo liceat dictam ,, Coronam Ferream exponere in altari Majori, & proceſ- ,, ſionaliter deferre, prout olim practicabatur, in caſu &c.

,, Et ſacra eadem Congregatio re mature diſcuſſa, viſiſ- ,, que eorum juribus, reſpondendum cenſuit.

,, Ad primum *Affirmative*.

,, Ad ſecundum proviſum in primo, & ita declaravit Die ,, ſeptima Aug.1717.

,, Et facta deinde per me Secretarium de prædictis San- ,, ctiſſimo D.N. relatione, Sanctitas ſua benigne annuit. Die ,, 10. ejuſdem menſis, & anni 1717.

99 Nomina Sanctorum ſepulcris impreſſa, propria cenſeri debent. Benedict.XIV. in Appendice Conſt. incip. *Soror Imelda* §. 7.

100 Nomina quædam appellativa, *Juſti*, videlicet, *Candidi*, *Victoris*, & ſimilium, Sanctis ſine proprio nomine repertis, ignotis, ſive baptizatis, quorum corpora a Catecumbis, ſeu Cœmeteriis extrahuntur, recte imponuntur. Idem *ibid.* §.3.

## VESTIS.

1 Femina non poteſt uti veſte virili, nec vir veſte feminea, & hoc ſi fiat ſine prava intentione, periculo ſcandali, & libidinis, erit tantum peccatum veniale; alias mortale. Vide verb. *Habitus num.50.* (Vide etiam notam ibidem appoſitam.)

2 Sæculares utentes veſtibus Religioſis ignominioſe in ludis, vel in laſciviis, peccant mortaliter, & incurrunt graves pœnas, & poſſunt puniri per Judices Sæculares. Vide d. verb. *Habitus n.17.*

3 Unde Concilium Mediolanenſe 1. *p.2. tit. de Clericorum veſtitu* expreſſe ſtatuit, quod induentes veſtes Religioſorum ad Maſcheras gravi pœna puniantur, & etiam illi, qui eas commodant.

4 Et Urſaya *Inſt. Crim. lib.2. tit.6. n.112* cum aliis ibi citatis obſervat, quod verbum *Maſchera* derivat a dictione *Maſcha*, quæ apud Longobardos ſignificat Lacedæmones, & Lamias, exinde inferendo ſolum nomen Maſcheræ horridum, & pernicioſum eſſe.

5 Hinc locorum Ordinarii, aliique Prælati regulares non debent dare licentiam, nec permittere, quod Moniales tempore Bacchanalium, recreationis gratia, proprias religioſas veſtes dimittant, & aſſumant alienas Maſcheras, *Sac. Congreg. Epiſcop. & Regul. in Ferrar. 27.April.*1664.

6 Veſtes Sacræ non poſſunt amplius converti in uſus profanos, quia ſemel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum, textu expreſſo *in cap.Semel 51. de Reg. Juris in 6.* & concordat *cap.Quæ ſemel* 4. *cap.19. q.3.*

7 Nec ad alios uſus, quam quibus dedicatæ ſunt, transferri debent, *cap. veſtimenta 42. & cap. Ad nuptiarum 43. de conſecr. diſt.1.*

8 Veſtes Sacræ, cum fuerint vetuſtate conſumptæ, incendio dandæ ſunt, & Cineres in Baptiſterio, vel alio loco abdito, & honeſto concedi debent, *cap.Altaris palla 37. de conſecr. diſtinct.1.*

9 Clerici quibus veſtibus uti debeant? Vide verb. *Clericus art.1. a n.13. uſque in finem.*

10 Veſtis Clericorum uſque ad annum 500. nullatenus diſtincta erat a veſtibus Laicorum. Urſaya *in Miſcellaneo 2. litt.* V. *numer.*24. ex Thomaſſino *de veteri, & nova Eccleſiæ diſciplina*.

11 Quæ ſint veſtes neceſſariæ pro celebratione Miſſæ? Vide verb. *Miſſa art.*10.

12 Quis poſſit illas benedicere? Vide verb. *Benedictio art.*1. *a n.*17. *ad* 21. & Verb. *Vaſa Sacra n.*2. *&* 3.

13 Illicitum eſt uti veſtibus infidelium, quæ alium uſum non habent, quam quod ſint ſigna falſæ Religionis, ſeu falſi Cultus. At vero licitum eſt uti Infidelium veſtibus, quæ alium aliquem uſum habent, quam profitendæ falſæ Religionis, aut falſi Cultus, præſertim ſi ſubſit juſta cauſa, v.g. ad evitandum aliquod grave periculum, ad eludendos hoſtes, ad obtinendam victoriam, vel propter defectum alterius veſtimenti, & hujuſmodi. (a) *Communis*, cum S. Thoma 2.2. *q.*169. *art.*2. *ad* 3. ubi ſic expreſſe dicit: *Poteſt tamen quandoque hoc fieri ſine peccato propter aliquam neceſſitatem, vel cauſa ſe occultandi ab hoſtibus, vel propter defectum alterius veſtimenti, vel propter aliquid aliud hujuſmodi*. Et ad id faciunt duo ſequentes verſiculi relati a Gloſſa *in cap. Clericus* 5. *de vita, & honeſtate Clericor. verb. Relaxaverint*, ibi:

*Tutius ut peterem Laici ſub imagine Romam,*
*Fas fuit, ut ſinerem luxuriare comam.*

14 Afferuntur alii notabiles verſiculi quoad veſtem, relati ex aliis ab Urſaya *in Miſcellaneo* 2. *litt. V. n.* 26. ibi:

*Vir bene veſtitus pro veſtibus eſſe peritus*
*Creditur a mille, quamvis idiota ſit ille.*
*Si careas veſte, nec ſis veſtitus honeſte,*
*Nullius es laudis, quamvis ſcias omne quod audis.*

15 Quidam Theologus, qui prius humiliter indutus, male fuerat receptus in ſuo Monaſterio, rediens deinde cum pretioſa Cappa, ſplendide receptus, & honorifice tractatus fuit, qui poſtea in Capitulo multas gratias egit Cappæ ſuæ. Fagnan. *in c. Epiſcopalia n.* 32. *de privil.* Urſaya *Miſcellan.*2. *litt. C. n.* 33.

16 Alia ad rem. Vide verb. *Benedictio*, verb. *Clericus*, verb. *Habitus*, verb. *Femina*, verb. *Miſſa*, & verb. *Paramenta*.

17 Affertur noviſſimum Edictum, quo ſub certis pœnis præcipitur Cadavera Eccleſiaſticorum in funeralibus Officiis exponi induta Sacris veſtibus eorum Ordini congruentibus, & cadavera quorumcumque etiam Nobilium, & Magnatum deferri ad Eccleſiam cum feretro præcedente Cruce, non autem cum rhedis aliiſve vehiculis.

„ Gaſparo per la Miſericordia di Dio Veſcovo di Sabina della S.R.C. Card. di Carpegna, della Santità di noſtro Signore Vicario Generale ec. „

„ Avendo la Santità di noſtro Signore ſotto li 9. del proſſimo paſſato meſe fatto alcune proviſioni circa le Proceſſioni de' Funerali, e l'eſpoſizioni di Gadaveri nelle Chieſe, quali di nuovo conferma, e volendo, che in tutta la Funzione delli detti Funerali, ed Eſequie ſi oſſervi puntualmente il Rito di queſta Santa Romana Chieſa, ordina a tutti i R.R. Parochi, Superiori delle Chieſe Secolari, e Regolari, ed in qualſivoglia modo privilegiati, Sagreſtani, ed altri a chi ſpetta, di non permettere, che li Cadaveri degli Eccleſiaſtici Secolari, particolarmente de' Sacerdoti come anche de' Diaconi, e Subdiaconi ſi traſportino dalle proprie Caſe alle Chieſe, ovvero in queſte ſi eſponghino veſtiti di qualunque altro abito ſia di compagnie, o Religioni, ma con le veſti Sacre ſecondo il loro Ordine in conformità della diſpoſizione del Rituale Romano *tit. de Exequiis* ſotto pena alli ſuddetti della perdita di tutti gli emolumenti funerali, ed altre a noſtro arbitrio „.

„ Di più ordina la Santità ſua, che nel traſportare dalle Caſe alle Chieſe li Cadaveri di tutte le perſone di qualſivoglia ſtato, grado, e condizione, anche titolate, o ſia di giorno, o di notte con la dovuta licenza, ſi oſſervi parimente la diſpoſizione del detto Rituale Romano *nel tit. ſuddetto §. Conſtituto tempore*; che ſi portino proceſſionalmente con la Croce avanti *Parocho præcedente feretrum cum luminibus*, e però proibiſce di traſportarli in qualſivoglia altra maniera, particolarmente dentro li Cocchj, o Carrozze, ſotto pena alli Eredi in caſo di contravenzione di Scudi 500. da applicarſi in opere pie, ed al Parroco, ſe ciò permetterà, della perdita delli emolumenti, che ſe li devono, ed altre a noſtro arbitrio. Dato queſto di 4. Febbraro 1705.

Catechumeni non ante, ſed poſt Baptiſmum veſte candida 18
ſunt induendi, *c. Poſt Baptiſmum* 91. *& c. Accepiſti* 92. *diſt.*4. *de Conſec.* Et ſic expreſſe ſtatuit Bened. XIII. in Conc. Rom. tit.26. *de Baptiſmo c.*2.

Veſtis talaris uſus an, quibus, & ſub qua pœna præcipi 19
valeat ab Epiſcopis? Quamvis enim Sacrum Concil. Tridentinum *ſeſſ.*14. *cap.*6. *de Reformat.* verbis expreſſis non injunxerit Eccleſiaſticis perſonis uſum veſtis talaris, ſed ſolum juſſerit deferri habitum *eorum Ordini & Dignitati congruentem, & juxta Epiſcopi ordinationem ac Mandatum*; Nihilominus *Sacr. Congregat. Concil.* rata ſemper habere conſuevit Epiſcoporum Decreta de uſu Veſtis talaris; Et præſertim *in Hortana* 8. *Julii* 1690. ubi propoſito dubio „ An Edictum, „ ſeu præceptum Epiſcopi ſuſtineatur? *Reſcriptum fuit*, Se„ cretario, ad mentem, quæ ſic explicata fuit; ſuſtineri „ Edictum, Sacerdotes teneri ſemper incedere in habitu ta„ lari, & Clericos maxime in functionibus Eccleſiaſticis; „ & quoad pœnas Epiſcopus moderate procedat, *ut in* lib. „ 40. Decretor. pag.435. Rurſus in Ortunen. Synodi 6. Jul. „ 1697. ad VII. dub. Reſpondit, ſervandum eſſe Decretum „ proxime relatum in Hortana, ut in lib. 47. Decret. poſt „ pag.294. Sic quoque in Melevitana Synodi 4. Junii 1707. „ ad XXVII. dub. prodiit Reſcriptum „ Conſtitutionem „ Synodalem ſuſtineri cum licentia tamen gratis danda, ut in „ lib.57. Decretal. pag. 205. Itidemque in Ruben. Habitus „ talaris, dubium hoc, An Edictum ſuper delatione habitus „ talaris in Eccleſiis, illarumque ingreſſu, & egreſſu ſuſti„ neatur? Ita reſolutum fuit; ſuſtineri moderatis pœnis ar„ bitrio Eminentiſſimi Præfecti, qui ſic declaravit; Nos ad „ mentem ejuſdem Sacræ Congr. Nobis expreſſam, declara„ mus a ſuprad. Edicto Epiſcopi delendas eſſe contra inobe„ dientes, videlicet quoad Sacerdotes pœnam ſuſpenſionis „ ipſo facto incurrendæ; Quoad Clericos, pœnam quod „ non poſſent promoveri ad Ordines Sacros, nec admitti ad „ Beneficia, quamvis de jurepatronatus; & quoad Sacri„ ſtas, pœnam ſuſpenſionis; & reſpective quoad Clericos, „ pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ. Et loco prædicta„ rum pœnarum mulctandos eſſe in quinque libris ceræ albæ „ laboratæ, & in ſubſidium ſuſpenſionis, & interdicti fe„ rendæ ſententiæ reſpective; ut in lib.58. Decret. pag.288. „ Recentius vero in Sorana Edicti 20. Maii 1719. reſcriptum „ fuit, Servandum eſſe Edictum ut in lib.69. Decret. p.291. Et denique *in Marſicen.* cum Epiſcopus ſimile promulgaſſet Edictum; ſed dum Clerici ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem eſſent promovendi, exigeret ab eis jusjurandum de Edicto

(a) Veſtes infidelium, aut nationales ſunt, vel Religionis diſtinctivæ, vel denique falſæ Religionis proteſtativæ. Nulli dubium, quem primi generis veſtes adhiberi queant, ſemota quacumque culpa, quemadmodum inconcuſſum eſt apud Theologos omnes, ſi unum vel alterum excipias, numquam licere uti veſtibus tertii generis, cum in ſe falſæ Religionis profeſſionem includatur. Moveri dumtaxat poſſet controverſia de veſtibus ad ſecundum genus ſpectantibus. Diſceptarunt olim Theologi, uti videre licet apud Cardinalem de Lugo in *Tractatu de Fide*, *quæſt.*14. *ſect.*5. Enim hodie extra controverſiæ aleam eſt poſitum, illicitum prorſus eſſe talibus veſtibus uti, quacumque ex cauſa, niſi forte in Theatris, aliiſque ſpectaculis.

Ita concludit Bened. XIV. *De Syn. Dioec.* L. XIII. Cap.20. *num.*25. *Si quod adſit*, inquit, *indumenti genus, quod ex forma, uſu, aliiſve adhærentibus circumſtantiis, habeatur veluti teſſera, ſive nota, quæ Religionem a Religione ſecernat, numquam eo uti licebit*. Ratio intrinſeca eſt, quia hæc important ſimulationem Religionis, quæ mendacium includit. Mendacium porro ſemper eſt malum, nec unquam cohoneſtari poteſt, & a fortiori cum de Fide agitur. Hac doctrina corrigenda eſt Ferraris ſententia ſub hoc numero explicata, ubi perperam adducitur S. Thomæ patrocinium, qui in loco citato loquitur de veſtibus mulierum.



cto obſervando „ Sacra Congregation. die 15. Decembris „ 1631. Reſcripſit: Servetur Edictum Epiſcopi, ſed non „ exigatur præſtatio Juramenti. Et in Salernitana Edictorum „ 27. Septembris 1732. ad 3. dub. An Dignitates, & Cano„ nici Cathedralis cogi poſſint ad incedendum in habitu ta„ lari uſque ad occaſum ſolis excepta tamen occaſione eun„ di ad loca ruralia; & quatenus affirmative? Reſpondit: „ Affirmative. Et conſimiliter reſpondit Sacra Congregation. „ Epiſcopor., & Regular. die 1. Octob. 1728. in Monopo„ litana „ approbando hujuſmodi Edictum ab Epiſcopo la„ tum. Sic expreſſe apud „ Tomum quintum Theſauri Re„ ſolutionum Sacræ Congregation. Concilii in Salernitana „ Edictorum.

20 Et apud Urſayam *tom.*5. *part.*2. *diſceptat.* 18. *numer.* 98. habetur hęc celebris reſolutio *Sacræ Congregat. Epiſcop., & Regular. in Callien. Synodi* 20. *Januar.* 1720. in qua multa fuerunt reſoluta dubia; & ad rem dicta die 20. Januarii 1720. fuit Epiſcopo Callienſi ſcripta Epiſtola vulgari idomate inter alia continens, ut ſequitur „ Che precetti a tutti gli Eccleſia„ ſtici di dover veſtire con abiti lunghi fino a' piedi, quando „ celebrano la Santa Meſſa, o intervengono nelle Sagre fun„ zioni ſolamente, tanto di eſtate, come d'inverno, ſotto „ pena di ſei giorni di carcere formale per ciaſcheduna vol„ ta, che ſi contravenga, e quando vi foſſero recidivi, poſ„ ſa eſtendere detta pena anche fino a dieci giorni; Tolle„ rando però, che quando non intervenga a dette Funzioni Ec„ cleſiaſtiche, poſſano uſare Abiti più corti, purchè ſieno „ decenti e modeſti, e che proibiſca a' Chierici poter uſare „ Abiti ſecolareſchi, con Manicone, e Saccoccie alla mo„ da, ſotto pena di due libre di cera bianca lavorata per cia„ ſcheduna volta.

21 Affertur lepida obſervatio de veſte talari, ratione cujus multi ſine Abbatia paſſim vocantur Abbates, teſte Lubin. de „ Abbat. Ital. in Monit. ad Lectorem, §. de Abbatum nu„ mero, ſequentibus verbis, His vero noviſſimis tempori„ bus, tum curialium vanitate, tum adulatione amicorum, „ & plebis ignorantia infinitus evaſit, ut ſtultorum, ſic Ab„ batum numerus, adeout homo talari veſte indutus, ab om„ nibus Abbas æſtimetur, & appelletur, qui fatuorum mo„ re ſibi blandiens, de vano titulo gloriatur, & ex ſo„ lius familiæ nomine nova, ſed chimerica creditur Ab„ batia. Indeque in Urbe lepide diſtinguuntur Abbates in duas ſpecies, quarum una creatur a Dataria, alia vero a Sartoribus, qui eo ipſo, quod alicui habitum Eccleſiaſticum faciunt, dicuntur ei dare titulum, ſe faciendi vocare Abbatem: Quapropter ſan. memor. Innocentius XI. cuidam nobili Romano petenti Eccleſiaſticum Beneficium, eo prætextu, ut poſſet denominari Abbas, ſerio reſpondit, non eſſe opus ad dictum effectum obtinere aliquod Beneficium, ex quo ſatis erit, habitum deferre Eccleſiaſticum; Sic expreſſe refert, & ſequitur Urſaya *lib.*3. *Inſtit. Crim. tit.* 4. *numer.* 5., *&* 6. improbans cum aliis, quod jam omnes Presbyteri ratione ſolius veſtis vocentur Abbates.

22 Sacræ veſtes cujuſque dignitatis, ſeu Ordinis geſtandæ ſunt a Clericis Synodo intereſſentibus, ut ex antiquis Synodorum Conſtitutionibus, & more moderno erudite tradit Benedictus XIV. *De Synodo Diœceſana lib.* 3. *cap.* 11.
23 *numer.* 1. 2., *&* 3. Et in primis Epiſcopus in Congregationibus anteſynodalibus in ædibus Epiſcopalibus fieri ſolitis præſidet indutus habitu Prælatitio, Rocchetto ſcilicet, & Mozzetta; Cum ad Eccleſiam accedit Synodum incæpturus, aut proſecuturus incedit indutus Cappa; priuſquam preces recitet, quæ cujuſque ſeſſionis initio dicendæ ſunt, præter ſuperpelliceum, amictum, & ſtolam, induit Pluviale rubeum. In ſolemni ſupplicatione, ſeu Proceſſione, quæ cum univerſo Clero in Synodi initio, & fine per Urbem inſtitui ſolet, pergit indutus alba, ſtola, Pluviali rubeo, Mitram pretioſam, & Paſtoralem baculum deferens, & has eaſdem veſtes in Seſſionibus Synodalibus retinet. Idem *loc. cit. numer.*3. *ex Cæremoniali Epiſcop. lib.*1. *cap.*31., & Gavant. *in*
24 *praxi Synodi Diœceſanæ cap.*13. Secunda autem die Synodi recitat conſuetas preces Defunctorum in Pluviali nigro; & tertia die aſſiſtit Miſſæ cum Stola, & Pluviali albo. Idem *lib.* 6. *c.*1. *numer.*4.

25 Pallium vero nec Archiepiſcopus, nec Epiſcopus jus Pallii habens, geſtare poſſunt extra Eccleſiam, & extra Miſſarum ſolemnia. Idem *lib.*3. *cap.*11. *num.* 4. Vide tradita *in tom.*1. *verb. Archiepiſcopus art.*3. *numer.* 23. *ad* 25. Nec in
26 omnibus Miſſis; ſed Archiepiſcopus eo uti poteſt dum ſolemnem Miſſam celebrat in Synodo Provinciali. Idem *ibid. num.* 6. & expreſſe *Cæremonial. Epiſcop. lib.*1. *cap.* 31., ibi: *Cantabitur Miſſa de Spiritu Sancto ſolemniter per Archiepiſcopum,*
*qui in ea utetur Pallio*. Et de facto in Conciliis Provincia- 27
libus Pallio uſos fuiſſe S. Carolum Borromæum Mediolani, & Benedictum XIII. dum erat Archiepiſcopus Beneventi, tradit Card. Petra *tom.*5. *in Conſt.*3. *Pii II. ſect. unica nu.*32. Vide d. *tom.*1. *verb. Archiepiſcopus art.* 3. *numer.* 27. In
Miſſa autem ſolemniter celebranda in Synodo Diœceſana, 28
nec Archiepiſcopus, nec Epiſcopus Pallii uſum habens, poteſt ipſo uti, ut indubitanter aſſerit idem Benedict. XIV. *cit. lib.*4. *cap.* 11. *numer.* 6. dicens expreſſe, quod Pallii uſus pro die Synodi Diœceſanæ nuſquam reperitur; Archiepiſcopo, aut Epiſcopo uſum Pallii habenti conceſſus. Unde Gavant. *in praxi Diœceſanæ Synodi cap.* 13. *ſatis* appoſite ſcripſit: *Habitus Epiſcopi in Miſſa Synodali erit Pontificalis, & coloris rubei. Si celebrat ſolemniter, aſſumit omnia paramenta uſque ad Pallium excluſive*. Quod etiam notavit
Pax Jordan. *tom.* 2. *lib.* 8. *titul.* 2. *numer.* 92. Epiſcopus 29
etſi Miſſam in Synodo non celebret, omnia habere debet Pontificalia ornamenta, eique aſſiſtunt Diaconus, & Subdiaconus cum Dalmaticis; Idem *ibid. num.*9. Qui tamen *lib.*5. *cap.*1. *num.*3. vult, quod Epiſcopus per ſeipſum Miſſam
celebret, ut illi imponit recens Pontificale, quod prodiit 30
auctoritate Clementis VIII. ubi Epiſcopo, & non alteri dicitur: *Paratur in Sede, celebrat Miſſam de Spiritu Sancto*.
Nec ſatis eſt, ut Epiſcopus Miſſam privatam faciat, ſed om- 31
nino decet, ut ſolemni, & Pontificiali ritu celebret. Siqui- 32
dem S. Carolus Borromæus, in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. *part.*2. *titul. Quæ pertinent ad Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium pag.* 152. dies enumerans, quibus Epiſcopus *Patrum monimentis, & veteri, eoque comprobato rituum, cæremoniarumque Romanorum Codice*, Sacra Myſteria ſolemni celebritate, & Pontificio apparatu perficere debet, primam quoque Diœceſanæ Synodi diem inter illas recenſet. Sic ille expreſſis verbis.

Vicarius Generalis in Synodo Diœceſana, ſi Protonotarius 33
ſit Apoſtolicus, utitur veſtibus hujus muneris, Rochetto ſcilicet, & Mantelletta. Et ſi ea careat prærogativa, utitur veſtibus quibus per Urbem incedere ſolet. Si autem ſit de gremio Capituli, in Miſſa, & ſolemni ſupplicatione utitur veſtibus Canonicalibus. In ſeſſionibus vero Synodalibus, illis depoſitis, proprias aſſumit. Idem *ib. num.*7. ex Gavanto *cit. c.*13. *num.*11. *&* 12.

Dignitates Cathedralis, Epiſcopo ſolemniter celebranti aſ- 34
ſiſtunt indutæ Pluviali; Canonici Presbyteri Caſula; Diaconi, & Subdiaconi Dalmaticis, ubi juxta Tridentini Decretum *ſeſſ.*24. *cap.* 12. *de reformat.* ſit facta Præbendarum diviſio. Ubi autem ea diviſio nondum eſt facta, omnes Canonici uti ſolent Pluviali. Idem *ibid. numer.* 8. ex Gavant. *loc.*
*citat. numer. ſecundo* Coadjutores Canonicorum Eccleſiæ 35
Cathedralis utuntur veſtibus, quibus in Choro uti conſueve-
runt. Vicarii Foranei, & Archipresbyteri, ſeu Præpoſiti 36
rurales in aliquibus Diœceſibus, aut Pluviale, aut aliud ornamentum aſſumunt quo a cæteris diſtinguantur; In aliis autem nullum obtinent ſpeciale Inſigne. Parochi quoque alicu-
bi præter ſuperpelliceum, ſeu Cottam, geſtant Capuccium, 37
alibi Stolam. Cœteri de Clero utuntur duntaxat ſuperpelli-
ceo. Idem *ibid. num.*8. ex Gavant. *cit. cap.*13. Recte tamen 38
cum ipſo concludens, ſtandum eſſe in his omnibus locorum conſuetudini.

Si Epiſcopus in Synodo Miſſam privatim, vel nullatenus 39
celebret (quod tamen juxta ſupra tradita, improbatur) Canonici Cathedralis utuntur dumtaxat veſtibus Choralibus. Et ei intereſſenti ut debet Synodo omnibus ornato Pontificiis inſignibus, aſſiſtunt Diaconus, & Subdiaconus cum Dalmaticis, perinde ac ſi Miſſam celebranti inſervirent, ut præſcribitur in Pontificali Romano; Idem *ibid. num.* 9. Gavant.
& Pax Jordan. *loc. cit.* Dignitates, & Canonici Cathedralium 40
habentes per Apoſtolicum privilegium uſus Pontificalium, in Synodo, dum Epiſcopus Miſſam celebrat, Proceſſio peragitur, & Synodales ſeſſiones habentur, poſſunt uti ſola Mitra cum Veſtibus aliorum Canonicorum propriis, non vero cum aliis indumentis Pontificalibus; Cum enim Præpoſitus Collegiatæ Sanctæ Agathæ Civitatis Cremonæ vellet Cremonenſi Synodo intereſſe indutus Pontificalibus ornamentis, quorum uſum illi cœteroquin competere nullus dubitabat, eique opponeret Epiſcopus, propoſito dubio in Sacra Congregatione Concilii; *An Præpoſitus S. Agathæ poſſit ultra uſum Mitræ in*

*in Cathedrali, & actionibus Synodalibus uti baculo, aliiſque*
*Pontificalibus ex laminis aureis, cum ſeparato genuflexorio,*
*& Sede occaſione celebrationis Miſſæ in Synodo?* Sacra Con-
gregatio die 5. Aprilis 1720. Reſpondit, *Negative, excepto*
*uſu Mitræ ſimplicis in actibus Synodalibus tantum*. Iterumque
cauſa propoſita die 4. Auguſti 1733. *Sacra Congregatio ſtetit*
*in deciſis*, excepta qualitate Mitræ, quam dixit poſſe a Præ-
poſito geſtari aurifriſiatam. Idem *ibid. num.* 11., & 12. ubi
ſubjungit, quod credere fas eſt, ideo quoad hoc Sacram Con-
gregationem ſententiam mutaſſe, quia deprehenſum fuit Præ-
poſitum exemptum eſſe ab Epiſcopi juriſdictione. Cæteri
41 quippe Mitræ uſum ſibi a Sede Apoſtolica conceſſum haben-
tes, ſi Epiſcopi juriſdictioni ſubjaceant, in Epiſcopali Synodo
Mitram ſimplicem dumtaxat, & non aurifriſiatam geſtare
permituntur, juxta apertam deciſionem Clementis IV. in cap.
*Ut Apoſtolicæ, de privileg. in 6.*, ibi: *De Fratrum noſtrorum*
*conſilio, præſenti Decreto ſtatuimus, ut Abbates, & alii, qui-*
*bus Mitræ uſus eſt ab eadem Sede conceſſus; Exempti quidem*
*in Provincialibus Conciliis, & Epiſcopalibus Synodis (quibus*
*nonnulli eorum intereſſe tenentur) Mitris tantummodo aurifri-*
*ſiatis, non tamen aureas, vel argenteas laminas, aut gemmam*
*habentibus, uti poſſint. Non exempti vero ſimplicibus, & al-*
*bis, ac planis utantur. In aliis vero locis exemptis, & non*
*exemptis, Mitris liceat illis uti, prout conceſſa eis ab eadem*
*Sede Indulta permittunt.* Unde Canonici, & alii, qui nobi-
liori Mitra in aliis actibus, & functionibus Eccleſiaſticis ex
privilegio utuntur, ſi eamdem in Synodo deferre geſtiant,
concludenter probare debent, id etiam honoris ſibi ſpecialiter,
& expreſſe, et quidem poſt Clementem IV. fuiſſe a Sede
Apoſtolica conceſſum.
42 Veſtis Clericorum ſtatui conveniens eſt Talaris. Hinc fere
omnia celebrata Concilia poſt Tridentinum Clericos coege-
runt ad geſtandam veſtem talarem, et quidem nigri coloris;
In Concilio Provinciali Mediolanenſi 1. *part.* 2. Sanctus Caro-
lus Borromæus de Clericorum Veſtitu loquens ait (*Part.* 1.
*Act. Eccleſiaſt. Mediolanenſ. pag.* 18.) *In omni veſtitu color*
*tantum niger adhibeatur.... externa veſtis ſimplex, & ta-*
*laris eſt.* In Concilio Mediolanenſi anni 1570. *tit. de vita, &*
*honeſtat. Clericor. cap.* 3. (*tom.* 10. *collect. Hard. col.* 1195.)
jubentur Clerici majorum Creditum, cum in publicam pro-
43 deunt geſtare *veſtem talarem*. Concilium Remenſe anni 1583.
*tit. de Clericis in genere num.* 8. (*ibid. col.* 1292.) *Veſte Eccle-*
*ſiaſtica, eaque talari, ac decenti utantur omnes Clerici.* Con-
cilium Burdigalenſe ejuſdem anni *tit.* 1. *ſect.* 21. (*ibid. col.*
1359.) *cap.* 2. *Veſtes eorum ſint talares*: Quodque notabilius
eſt, Concilium Provinciale Narbonenſe *anni* 1602. *cap.* 41.
(*tom.* 11. *collect. Hard. col.* 44.) Clericos etiam noctu ince-
dentes ad deferendam veſtem talarem coegit: Noctu ince-
dentes, ex rationabili cauſa, togas talares deferent. Conci-
liis Provincialibus concinunt innumeræ Synodi Diæceſanæ
congeſtæ a Genetto *Theolog. moral. tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 9.,
*& in Appendic. ad Synodum Fulginatenſem Epiſcopi Bapti-*
44 *ſtelli pag.* 172., *& ſequent.* Unde Sacrorum Canonum rigo-
rem non augent, ſed emolliunt Synodales Conſtitutiones,
quæ obligationem deferendi veſtem talarem a pluribus Con-
ciliis omnibus Clericis generatim impoſitam, ad ſolos limi-
tant Clericos majorum Ordinum, aut Eccleſiaſticum Bene-
45 ficium poſſidentes. Et majori adhuc indulgentia lenitum
reputari debet Epiſcopale Edictum, ſolos compellens Sa-
cerdotes ad eam ſaltem induendam, cum Eccleſiam ingredi-
untur Sacris operaturi, cujuſmodi eſt illud quod promulga-
vit Benedict. XIV. uti Archiepiſcopus in Diœceſi Bononien-
ſi. Sic idem expreſſis verbis *loco cit. lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 3.,
46 & 4. Qui *ibidem num.* 1. teſtatur quod Eccleſiaſtici omnes,
qui adverſus conſimiles ſanctiones uti nimio rigore conſper-
ſas dictitantes provocarunt ad Sacram Congregationem Con-
cilii, ſemper ſuccubuerunt, uti videre eſt in Notificatione
71., & in Epiſtola Paſtorali bon. mem. Cardinalis Lanfredi-
ni *edit. in Civitate Æſina* 1740. *pag.* 187. *& ſeq.*
47 Et quidem merito ſuccubuerunt reclamantes contra tam ju-
ſtas ſanctiones; immo ſevere puniri deberent qui veſtes pro-
prio non congruentes Ordini deferunt, contra expreſſum
Decretum Concilii Tridentini *ſeſſ.* 42. *cap.* 6. *de reformat.*, ibi:
*Quia vero, etſi Habitus non faciat Monachum, oportet tamen*
*Clericos veſtes proprio congruentes Ordini ſemper deferre, ut*
*per decentiam Habitus extrinſece, morum honeſtatem intrin-*
*ſecus oſtendant &c.* Unde contra Eccleſiaſticos in hoc delin-
quentes jam dixerat S. Bernardus *de conſideration. ad Eugeni-*
*um III. lib.* 3. *cap.* 4. *At forma hæc veſtium deformitatis men-*
*tium, & morum indicium eſt. Quid ſibi vult, quod Clerici*
*aliud eſſe, aliud videri volunt? Id quidem minus caſtum,*
*minuſque ſincerum. Nempe Habitu milites, quæſtu Clericos,*
*actu neutrum exhibent, nam neque pugnant ut milites, neque*
*ut Clerici evangelizant*, & contra alios magis, adhuc in forma
veſtium delinquentes S. Hieronymus ſcripſit *ad Euſtochium*
*Epiſtola* 22. *Tales cum videris, ſponſos magis exiſtimato, quam*
*Clericos*.

## VIATICUM.

Viatici nomine apud Profanos ſcriptores intelligitur cibus, 1
& pecunia, quæ in viam, ſeu iter peragendum præ-
paratur. Unde apud Plautum teſte eruditiſſimo Patre Gobat
*tom.* 1. *tract.* 4. *num.* 180. dicitur Viaticus is, qui ſibi proſpe-
xit de rebus neceſſariis profeſſioni. Viatici enim nomen ve- 2
nit a voce *Via*, & ſumit annominationem a Cibariis, quæ a
Viatoribus ad iter agendum præparantur. Hinc a Sacris Scri-
ptoribus Divina Euchariſtia identidem nuncupatur *Viaticum*.
S. Thomas 3. *p. q.* 73. *art.* 4. *in corpore*, ibi: *In quantum ſci-* 3
*licet hoc Sacramentum eſt præfigurativum fruitionis Dei, quæ*
*erit in Patria, ſecundum hoc dicitur Viaticum, quia hic præ-*
*bet nobis viam illuc perveniendi*; Et ſic expreſſe vocat ipſum
Concilium Carthaginenſe relat. *in cap. Is qui* 8. *cap.* 26. *q.* 6.
& Concilium Nicænum relat. *in cap. De his eadem cauſa, &*
*quæſtione*, ubi ſtatuit: *Ut ſi forte quis recedat ex corpore, ne-*
*ceſſario vitæ non defraudetur Viatico*.
Tenetur ægrotus in mortis periculo conſtitutus, tum Jure 4
Eccleſiaſtico, tum Divino, Sacrum Viaticum ſumere, quam-
vis non ſit jejunus. *Communis*. Sumere Euchariſtiam per
*modum Viatici* eſt ipſam ſumere eo tempore, quo pro mortis 5
periculo obligat præceptum: Vaſqu. *tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 214.
*numer.* 17. Hurtad. *de Euchar. diſp.* 10. *diff.* 2. Gob. *loc. cit.*
*num.* 181. & alii.
Et licet ægrotus ſit jejunus, recte adhibetur adhuc formu- 6
la *Accipe Viaticum &c.* cum non minus ſumat Euchariſtiam
per *modum Viatici* ægrotus jejunus, ac non jejunus, ex quo
Viaticum ſit præparatio pro via ad cœleſtem patriam brevi
aggredienda, tam a jejuno, quam a non jejuno: Viatici
enim nomen ex dictis *ſupra num.* 2. *&* 3. venit a voce *Via*,
& ſumit annominationem a cibariis, quæ a Viatoribus ad iter
agendum præparantur.
Qui mane communicaverit ex devotione, ſi ſuperveniat 7
periculum mortis, an teneatur eadem die per modum Viati-
ci communicare? Vide verb. *Eucariſtia num.* 36.
In eadem infirmitate, etſi non teneatur, poteſt tamen 8
ægrotus poſt 6. 7. vel 8. dies repetere Viaticum non jejunus;
Dummodo nequeat jejunus ſumere, & periculum mortis re-
currat. Vide *ibid. num.* 37. Immo, ut habet Urſaya *in Mi-*
*ſcellaneo* 1. *litt. V. numer.* 28. Viaticum poteſt dari infirmo
duobus diebus continuis. Card. Brancat. *de Sacro Viatico in*
*extremo vitæ periculo extantibus exhibendo* ſequutus a Coro-
nello *in Bibliotheca univerſali litt. B. numer.* 2807. *fol.* 1037.
ubi quod ita practicavit Philipp. IV. Hiſpaniarum Rex.
Viaticum dari debet etiam in die Paraſceves, ſed nulla- 9
tenus ipſa poteſt ſanis præberi Euchariſtia. *Sacra Rituum Con-*
*gregat.* 19. *Febr.* 1622.
Alia ad rem, Vide verb. *Euchariſtia*, verb. *Infirmus*, 10
verb. *Moribus*.

### *Supplementa Auctoris e III. Editione.*

Viaticum Corporis Chriſti non eſt ad infirmos deferen- 11
dum, qui cum illud ſumere impediantur, adorationis
vel deoſculationis cauſa ad ſe deferri expoſtulant. Benedict.
XIV. Conſtitut. incip. *Cum, ut recte*, §. 12., & 13. Et id
jam nos tradidimus in tomo terzo verb. *Euchariſtia*, *nu-*
*mer.* 50.
* Morituro impotenti Euchariſtiam ſub ſpecie panis de-
glutire, non poteſt Sacramentum adminiſtrari ſub ſpecie vi-
ni, neque ſub ſpecie panis intincti in vino conſecrato, ſed
omnino linquendus eſt non refectus ſacra Communione, cum
præceptum Viatici non obliget, niſi cum miniſtrari poteſt ri-
tu ab Eccleſia non prohibito, iſte vero ritus ab Eccleſia Lati-
na omnino prohibetur. Viciſſim autem licite adminiſtratur
ſub ſpecie panis vino, vel aqua non conſecrata madefacti ut
faci-



facilius deglutiatur. Bened. XIV. *de Sacrif. Miſſ. lib.* 3. *cap.*
19. §. 6. *
11 Conſtitutio *Unigenitus* tantam ſibi vindicat auctoritatem,
& obſequium, ut eidem publice refragantibus, veluti noto-
riis, ac publicis peccatoribus, denegandum ſit ſanctiſſi-
mum Viaticum. Bened. XIV. Conſt. incip. *Ex omnibus* §. 3.
Publici autem, atque notorii ſunt refractarii, in caſu, de
quo agitur, quicumque per ſententiam a Judice competente
prolatam, rei declarati ſunt, eo nomine, quod debitam
prædictæ Conſtitutioni *Unigenitus* venerationem, obſequium,
& obedientiam contumaciter denegaverint: Quicumque e-
tiam hujuſmodi confeſſi ſunt: Ac præterea illi qui, quamvis
nec a Judice condemnati, neque reatum ſuum in judicio
confeſſi fuerint, nihilominus, vel eo tempore, quo ſacrum
ipſum Viaticum ſuſcepturi ſunt, propriam inobedientiam,
& contumaciam adverſus Conſtitutionem *Unigenitus* ſponte
profitentur, vel in ante actæ vitæ decurſu aliquid evidenter
commiſiſſe noſcuntur, manifeſte oppoſitum venerationi, ob-
ſequio, & obedientiæ, eidem Conſtitutioni debitæ, in eo-
que facto moraliter perſeverare, quod ita vulgo cognitum
eſt, ut publicum ſcandalum inde exortum, non adhuc
ceſſaverit. Sunt verba præciſæ dictæ Conſtitutionis *ſub*
§. *quarto*.
12 In re autem dubia, quam regulam ſequi debeant Sacramen-
torum Miniſtri, tradit Pontifex *ibid.* §. 8. *&* 9. his verbis. Hoc ita-
que primum advertere debent, an ſcilicet ei, qui extremum
Viaticum poſtulat, quum antea ad ſacram menſam accede-
ret, Paſchali præſertim tempore, a loci illius Parocho, ubi
degebat, Euchariſtica Communio adminiſtrata fuerit; ſi
enim hæc illi in vita non fuerit denegata, argumento id erit,
aut hominem illum ab omni labe immunem, aut ſaltem non
vere notorium peccatorem reputatum fuiſſe; indeque ſeque-
tur, Sacrum Viaticum eidem in exitu vitę publice poſtulan-
ti denegari non poſſe; Niſi forte, poſtquam olim ab Eucha-
riſticam menſam admiſſus fuit, & ante id tempus, quo po-
ſtrema Sacramenta requirit, aliquid commiſiſſe noſcatur,
quo publici, & notorii peccatoris notam, juxta præmiſſa,
contraxerit.
13 Ubi autem ex hac facti ſpecie certum ipſis non ſuppetat
fundamentum, cui inſiſtere valeant, aliunde vero validæ
adverſus ægrotum præſumptiones, & indicia gravia, & ur-
gentia militant, ob quæ obortum ſibi ſcrupulum rationabili-
ter deponere nequeant; in his rerum circumſtantiis, opor-
tet eos, remotis arbitris, ægrotum alloqui, eique cum omni
lenitate, & manſuetudine, non tamquam diſputantes, eum-
que convincere volentes, oſtendere, quę, & qualia ſint in-
dicia, quæ ſuſpectum reddunt ipſius vitæ tenorem; rogan-
tes eum, & obſecrantes, ut reſipiſcat, in eo ſaltem tempo-
ris articulo, a quo æterna ipſius ſalutis ſors pendet; eidem
præterea demonſtrantes, quod quamvis ipſi parati ſint San-
ctiſſimum Corporis Chriſti Viaticum ei miniſtrare, non ideo
tamen tutus ipſe erit ante tribunal Chriſti, ſed potius novi,
& horrendi criminis reum ſe conſtituet, ex quo judicium ſi-
bi manducavit, & bibit: Cæterum ſe non alia de cauſa Sa-
cramentum Corporis Chriſti eidem miniſtraturos, niſi, ut
Eccleſiæ jubenti obtemperent, quæ præter eam quam habet
curam, ut ſcandala publica antevertat, pro ſua etiam pie-
tate, ægroti ipſius infamiam præcavere ſtudet, licet pecca-
torem in conſpectu Domini reputet, non tamen in proprio
Tribunali publicum, atque notorium peccatorem agnoſcit.
Hæc ille §. 8. *&* 9. citatæ Conſtitutioni merito integraliter
perlegendæ, & obſervandæ, quam idcirco ad litteram hic
ſubnectimus.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardinal., ac Archiep.,
& Epiſcopis Regni Galliarum in noviſſimis Comi-
tiis Cleri Gallicani congregatis, Salutem,
& Apoſtolicam Benedictionem.

*Ex omnibus Chriſtiani Orbis regionibus, ad quas impoſita*
*imbecillitati noſtræ paſtoralis cura protenditur, quum*
*multa ſæpe ad nos deferantur, quæ animum noſtrum pro om-*
*nium, ſingularumque Eccleſiarum ſtatu ſolicitum, & anxium*
*habeant, vix tamen aliunde Nobis majores perturbationis,*
*atque doloris cauſæ acciderunt, quam ex graviſſimis contro-*
*verſiarum, & diſſentionum incommodis, quibus, florentiſſi-*
*mum iſtud Regnum, & Catholicam Gallorum nationem aliquot*
*ab hinc annis jactari cognovimus. Neque ſane deſtitimus hoc*
*toto perturbationum veſtrarum tempore Deum Optimum Ma-*
*ximum enixe rogare, ac interpoſitis etiam aliorum precibus*
*orare, atque obſecrare, ut ipſe, qui Deus pacis eſt, veram,*
*ſolidamque tranquillitatem turbatis Eccleſiis veſtris reddere*
*dignaretur. Sæpe etiam, datis ad cariſſimum in Chriſto Fili-*
*um noſtrum Ludovicum Galliarum Regem Chriſtianiſſimum*
*Apoſtolicis litteris, illius opem, & brachium ad Eccleſiaſticæ*
*pacis tutelam, atque præſidium imploravimus. Iis autem, qui*
*ad Nos, & ad Sedem Apoſtolicam de rebus iſtis recurſum*
*habuerunt, ea ſemper reſponſa dedimus, quibus Nos prom-*
*ptos, paratoſque declaravimus, pro pace Eccleſiæ Gallicanæ,*
*quam ſincera, & conſtanti dilectione proſequimur, quidquid*
*Nobis vitæ ſupereſſe poſſet libenter impendere, atque omnia*
*quæ Nobis agenda proponerentur, & aggredi, & urgere,*
*dummodo ejuſmodi conſilia eſſent, quæ ad revellendum malo-*
*rum germen apta, & idonea dignoſcerentur, & quorum exe-*
*cutio cum ſpe proſperi eventus ſuſcipienda, & ad intentum fi-*
*nem utiliter proceſſura videretur.*
*Gravem, atque diuturnam de rebus veſtris ſollicitudinem,*
*qua hactenus affecti fuimus, non parum ſublevarunt litteræ e*
*Gallicani Cleri Comitiis die* 31. *Octobris elapſi anni ad Nos ſcri-*
*ptæ, quas quidem legentes, veſtram, venerabiles fratres,*
*firmitatem, atque conſtantiam, veſtram perſeximus perfectam*
*conſenſionem in cuſtodiendo veræ ſanæque doctrinæ depoſito, &*
*in retinenda, quam ſemper majores veſtri profeſſi ſunt, erga*
*Apoſtolicam B. Petri Sedem, Catholicæ unitatis centrum, ob-*
*ſervantia & veneratione. Neque enim ullam inter vos diſ-*
*ſenſionem vigere comperimus, quoad canonicas regulas, &*
*principia, ſed ſciſſuras tantummodo eſſe inter vos, in deli-*
*gendis, ſtatuendiſque mediis, quibus utendum neceſſario eſt,*
*ut eadem communia principia in uſum deducantur. Quod*
*quamvis optandum fuiſſet longe abeſſe a conventu Veſtro, haud*
*tamen mirum videri debet, ſcientibus, id alias inter ſacros*
*Antiſtites, & doctrina, & morum ſanctitate conſpicuos, in*
*graviſſimarum rerum tractatione eveniſſe. In magnam autem*
*præconceptæ conſolationis noſtræ acceſſionem ſeſe obtulit eximia*
*Chriſtianiſſimi Regis pietas, & religio, cum hereditario ipſius*
*in hanc Apoſtolicam Sedem obſequio conjuncta, quæ non in*
*recentioribus tantummodo illius litteris, quas die* 19. *Decem-*
*bris ejuſdem elapſi anni, prædictam Cleri epiſtolam huc mit-*
*tens, ad nos dedit, ſed in cæteris quoque omnibus ab eo con-*
*ſcriptis præclare enituit: in quibus teſtari poſſumus, atque*
*debemus, Nos ſemper illius regii animi ſenſus eos plane de-*
*prehendiſſe, qui maxime decebant orthodoxum Principem, &*
*vera in Deum religione, & ſincera erga Romanam Sedem pie-*
*tate præditum, eumdemque pacis, atque concordiæ in ſuis re-*
*gnis reſtituendæ, & conſervandæ amantiſſimum.*
*Tanta eſt profecto in Eccleſia Dei auctoritas Apoſtolicæ*
*Conſtitutionis, quæ incipit* Unigenitus, *eademque ſibi tam ſin-*
*ceram venerationem, obſequium, & obedientiam ubique ſalu-*
*tis æternæ diſcrimine, a debita erga ipſam ſubjectione ſeſe ſub-*
*ducere, aut eidem ullo modo refragari. Hinc porro conſequi-*
*tur, ut in ea, qua exorta eſt, controverſia, utrum hujuſmo-*
*di refractariis Sanctiſſimum Corporis Chriſti Viaticum expeten-*
*tibus denegari debeat, ſine ulla hæſitatione reſpondendum ſit,*
*quoties prædictæ Conſtitutioni publice, & notorie refractarii*
*ſint, denegandum eis eſſe; ex generali nimirum regula, quæ*
*vetat publicum, atque notorium peccatorem ad Euchariſticæ*
*Communionis participationem admitti, ſive eam publice, ſive*
*privatim requirat.*
*Publici autem, atque notororii ſunt refractarii, in caſu,*
*de quo agitur, quicumque per ſententiam a Judice competente*
*prolatam rei declarati ſunt, eo nomine, quod debitam præ-*
*dictæ Conſtitutioni* Unigenitus *venerationem, obſequium, &*
*obedientiam contumaciter denegaverint; quicumque etiam hu-*
*juſmodi contumaciæ raos ſe in judicio confeſſi ſunt; ac præte-*
*rea illi, qui quamvis nec a Judice condemnati, neque reatum*
*ſuum in Judicio confeſſi fuerint, nihilominus, vel eo tempore,*
*quo ſacrum ipſum Viaticum ſuſcepturi ſunt propriam inobedien-*
*tiam, & contumaciam adverſus Conſtitutionem* Unigenitus
*ſponte profitentur, vel in anteactæ vitæ decurſu aliquid evi-*
*denter commiſiſſe noſcuntur, manifeſte oppoſitum venerationi,*
*obſequio, & obedientiæ eidem Conſtitutioni debitæ, in eoque*
*facto moraliter perſeverare, quod ita vulgo cognitum eſt, ut*
*publicum ſcandalum inde exortum, non adhuc ceſſaverit: in*
*his enim caſibus eadem omnino adeſt moralis certitudo, quæ*
*habetur de iis factis, ſuper quibus judex ſententiam tulit, vel*
*ſal-*

*ſaltem alia ſuppetit moralis certitudo prædicta ſimilis, & æquipollens.*

*In quo tamen præ oculis habenda eſt differentia, quæ intercedit inter notorium illud, quo merum aliquod factum deprehenditur, cujus facti reatus in ipſa ſola externa actione conſiſtit, ut eſt notorietas uſurarii, aut concubinarii, & aliud notorii genus, quo externa illa facta notari contingit, quorum reatus ab interna etiam animi diſpoſitione plurimum pendet; de quo quidem notorii genere nunc agitur. Alterum enim illud gravibus ſane probationibus evinci debet, ſed alterum gravioribus, certioribuſque argumentis probari oportebit.*

*Ea vero, quam ſupra innuimus, certitudo minime adeſſe dicenda eſt in aliis Caſibus, in quibus crimen innititur conjecturis, præſumptionibus, incertiſque vocibus, quæ originem ſuam plerumque debent hominibus, aut malo animo affectis, aut qui præjudicatis opinionibus, vel partium ſtudiis ducuntur; quibus dum fidem habetur, ſatis compertum eſt, tum præteritorum temporum, tum ætatis noſtræ experientia, quot modis homines errare, & falli, ac in tranſverſum agi contingat.*

*Quia vero nonnulli animarum Paſtores, Eccleſiæque Miniſtri, pietate, & zelo commendati, hujuſmodi conjecturis, & præſumptionibus deferentes, dum ad ſacrum Viaticum aliquibus miniſtrandum advocantur, animo auxii hærent, verentes ne id ſine propriæ conſcientiæ periculo adminiſtrare non poſſit, certam ſubnectimus agendi regulam, quam ſequantur.*

*Hoc itaque primum animadvertere debent, an ſcilicet ei, qui extremum Viaticum poſtulat, quum antea ad ſacram menſam accederet, Paſchali præſertim tempore a loci illius Parocho ubi degebat, Euchariſtica Communio adminiſtrata fuerit: ſi enim hæc illi in vita non fuerint denegata, argumento id erit, aut hominem illum ab omni labe immunem, aut ſaltem non vere notorium peccatorem reputatum fuiſſe, in exitu vitæ publice poſtulanti denegari non poſſe; niſi forte, poſtquam olim ad Euchariſticam menſam admiſſus fuit, & ante id tempus quo poſtrema Sacramenta requirit, aliquid commiſiſſe noſcatur, quo publici, & notorii peccatoris notam, juxta præmiſſa contraxerit.*

*Ubi autem ex hac facti ſpecie certum ipſis non ſuppetat fundamentum, cui inſiſtere valeant; aliunde vero validæ adverſus ægrotum præſumptiones, & indicia gravia, & urgentia militent, ob quæ obortum ſibi ſcrupulum rationabiliter deponere nequeant in his rerum circumſtantiis, oportet eos remotis arbitris, ægrotantem alloqui, eique cum omni lenitate, & manſuetudine, non tamquam diſputantes, eumque convincere volentes, oſtendere, quæ, & qualia ſint indicia, quæ ſuſpectum reddunt ipſius vitæ tenorem, rogantes eum, & obſecrantes, ut reſipiſcat, in eo ſaltem temporis articulo, a quo æterna ipſius ſalutis ſors pendet; eidemque præterea demonſtrantes quod, quamvis ipſi parati ſint Sanctiſſimum Corporis Chriſti Viaticum ei miniſtrare, ac etiam reipſa illud ei miniſtrent, non ideo tamen tutus in ſe erit ante tribunal Chriſti, ſed potius novi, & horrendi criminis reum ſe conſtituet, ex quo judicium ſibi manducavit, & bibit, cæterum ſe non alia de cauſa Sacramentum Corporis Chriſti eidem miniſtraturos, niſi ut Eccleſiæ jubenti obtemperent; quæ præter eam, quam habet, curam, ut ſcandala publica antevertat, pro ſua etiam pietate, ægroti ipſius infamiam præcavere ſtudet, & idcirco eum a ſacra menſa non repellit, dum ipſum, licet peccatorem in conſpectu Domini reputet, non tamen in proprio tribunali publicum, atque notorium peccatorem agnoſcit.*

*Hanc itaque judicandi, agendique normam oportet vos, venerabiles fratres utpote Noſtro, & Apoſtolicæ ſedis judicio prolatam, inferioribus animarum Paſtoribus, ceteriſque Presbyteris per civitates, & Diæceſes veſtras Sacramenta legitime adminiſtrantibus, ſequendam, & obſervandam proponere. Quod quidem judicium ſuper vigentibus controverſiis a Nobis interpoſitum, & Eccleſiaſticis regulis nititur, & Conciliorum olim in ipſis Galliarum regionibus habitorum decretis, & gravium ipſius nationis veſtræ Theologorum ſententiis fulcitur. Ut igitur vobis laudi fuit, illuſtrium prædeceſſorum veſtrorum exempla ſequendo, promotas iſtic controverſias, ſubortaque dubia ad Nos, & Apoſtolicam Sedem deferre, certamque hinc regulam ad revocandam, tuendamque Eccleſiarum veſtrarum pacem expoſcere, ita nunc officii veſtri partes, veſtraque ſimul apud Deum, & Eccleſiam merita cumulabitis, ſi ſupraſcriptam agendi methodum ab iis, ad quos pertinet in occurrentibus caſibus omnino ſervari curabitis. Quod Nos a Fraternitatibus veſtris eo fidentius expectamus, Nobiſque pollicemur, quo magis ipſi conſcii ſumus; nihil diligentiæ, aut ſtudii a Nobis prætermiſſum fuiſſe, ſive in perpendendis, ac diſcutiendis articulis, quos Epiſcopi in præfatis Cleri Comitiis adunati, licet non unanimi ſententia, propoſuerunt, deſumendiſque ex ipſa eorum diſcrepantia notionibus, ad rem penitus percipiendam, rectoque judicio definiendam opportunis, ſive in legendis, ponderandiſque ſententiis ſcripto exaratis a venerabilibus Fratribus noſtris hujus S. R. E. Cardinalibus, quorum hac de re conſilia exquiſivimus; ſive in cæteris omnibus exequendis, atque præſtandis, per quæ divini luminis adjutorium quod interim flagrantiſſimis vocis implorare non prætermiſimus promereri poſſemus.*

*Neque vero dubitamus, quin cariſſimus quoque in Chriſto filius noſter Rex Chriſtianiſſimus, poſtquam ſuſceptum a vobis conſilium non ſolum probavit, ſed etiam, ut ſupra innuimus, ſuis ad Nos datis litteris fovere, & adjuvare non recuſavit: pro ſua perſpecta in Deum, & Eccleſiam religione, ac pietate validam Fraternitatibus veſtris opem præbere ſtudeat, quo tam vobis, quam inferioribus Eccleſiæ Miniſtris, liberum, & integrum ſit, ad ſuperius deſcriptam agendi normam ſacrorum Myſteriorum adminiſtrationem moderari. Qua quidem fiducia freti, Nos hic ſermonem minime habendum exiſtimavimus de reliquis Fratrum veſtrorum articulis reſpicientibus Epiſcopalia jura circa eorumdem Sacramentorum participationem concedendam, vel denegandam, & varias ſuper hac re obortas controverſias, ſed potius cum ipſo Chriſtianiſſimo Rege per alias litteras noſtras agendum duximus, ut is Sacra Epiſcopatus jura, ſua animi magnitudine, ac præſtanti virtute, tueatur. Quod ipſum, & proprio, & majorum ſuorum more, facturum certo confidimus: ut nobiliſſimæ Galliarum Eccleſiæ, illius regio favore noſtris, veſtriſque ſtudiis obſecundante, ſuum priſtinum decorem retinuiſſe, & perturbatam ad tempus tranquillitatem cito recuperaſſe lætentur. In cujus optatiſſimi eventus auſpicium Fraternitatibus veſtris, cunctiſque populis Paſtorali curæ veſtræ concreditis Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die decima ſexta Octobris MDCCLVI. Pontificatus noſtri anno decimo ſeptimo.

### *Novæ additiones ex aliena manu.*

Juxta Rituale Romanum Pauli V. *tit. de Commun. Infirm.* non poteſt Viaticum miniſtrari de novo, niſi infirmus per *aliquot* dies ſupervivat. 1

Quæſtionis propterea eſt, quot dies debeant intercedere? 2 Sunt qui tenent, ſufficere quod intercedant duo dies, ea adducta ratione quod numerus pluralis contentus eſt duobus. At dictionem *aliquot* importare majorem numerum dierum, 3 & ſaltem quatuor, tenet *Romaguer. ad Synod. Gerund. lib. 3. tit. 17. cap. 28. num. 38.*

## VICARIUS APOSTOLICUS.

Pro Vicario Apoſtolico non intelligitur hic Eminentiſſimus Cardinalis Vicarius Urbis, cui competunt ampliſſimæ facultates ex conceſſione variorum Summorum Pontificum, & ſignanter Pauli II. Conſtit. incip. *Licet Eccleſiarum*, Julii II. Conſtit. incip. *Decet*, Paulii III. Conſtit. incip. *Licet*, Clementis X. Conſtit. incip. *Supremo*, Innocentii XIII. Conſtit. incip. *Quamvis Eccleſiarum*; & noviſſime Benedicti XIII. *in ſuo Motu proprio expedito ſextodecimo Kalendas Septembris anno* 1724. *Pontificatus anno primo*; ubi, ut obſervat, & refert Eminentiſſimus Cardinal Petra *tom. 5. Comment. in Conſtitut. 1. Pauli II. num. 61.* amplas facultates a Clemnte X. Eminentiſſimo Urbis Vicario conceſſas, & ab Innocentio XII. reſtrictas ampliavit ad terminos primævæ conceſſionis Clementis X. Unde de iſto non eſt hic ſermo, ſed de illo Vicar. Apoſtolico, qui interdum mittitur a Summo Pontifice cum Brevi, vel a Sacra Congregatione Epiſcop. & Regularium ex aliqua legitima cauſa cum Litteris ejuſdem, cum facultate adminiſtrandi totam Juriſdictionem Epiſcopalem, aliquibus tamen exceptis caſibus in particulari; Et hic Vicarius Apoſtolicus mitti ſolet aliquando Sede Epiſcopali plena, & aliquando Sede vacante. 1

Talis Vicarius Apoſtolicus poteſt ibi ea omnia facere, quæ 2 poteſt



poteſt Epiſcopus, exceptis Pontificalibus; ſicque Juriſdictio Vicarii Apoſtolici eſt eadem, ac Epiſcopi, *cap. Quoniam 19. diſt. 61. cap. Is cui, de electian. in 6.*

3 Vicario Apoſtolico ultra poteſtatem ordinariæ Juriſdictionis ſibi traditæ concedi ſolent multæ aliæ facultates pro temporum, locorum, ac perſonarum diverſa exigentia; Unde diligenter attendendum eſt Breve Pontificium, & animadvertendæ Litteræ Sacræ Congregationis, ſi ab ipſa ſit miſſus, ac deputatus; Signanter autem ſolet ei concedi, ut poſſit exequi Litteras Apoſtolicas Epiſcopo, vel ejus Vicario directas æque, ac ſi dirigerentur ipſimet Vicario Apoſtolico; Sic declaravit etiam in caſu dubio *Sacr. Congregation. Epiſcop. in una Aſſiſien.* 10. *Maii* 1593., *& in una Biſinianen.* 18. *Maii* 1632.

4 Vicarius Apoſtolicus poteſt viſitare Diœceſim, & ſi cum ipſo viſitet etiam Epiſcopus, non poteſt Epiſcopus ſe ingerere in viſitatione, ſed ſolum in exercitio Pontificalium, ſi non ſit ei interdictum; Nec poſſunt Epiſcopus, & Vicarius Apoſtolicus ſimul ducere ſecum plus quam quinque perſonas, ut, ne Clerus eo caſu duplicibus expenſis gravetur, ſtatuit. *Sacr. Congregation. Epiſcop. in una Cajacen.* 20. *Aprilis* 1601. *in Conſentinen.* 19. *Novembris* 1652., *& in Biſinianen.* 23. *Auguſti* 1652.

5 Ad Vicarium Apoſtolicum ſolum ſine interventu Epiſcopi ſpectat facere Concurſum, ſicut, & Synodum, & declarare magis idoneum, quia Epiſcopus non habet, niſi adminiſtrationem Ordinis, niſi ſit ipſi interdicta etiam iſta adminiſtratio. *Sacr. Congregat. Epiſcop. in Licien.* 9. *Junii* 1608., *& in Biſinianen.* 16. *Maii* 1653.

6 Poteſt, immo debet Vicarius Apoſtolicus invigilare ſuper manutentione introituum Menſæ Epiſcopalis, cum ad ipſum hoc ſpectet. *Sacr. Congregation. Epiſcopor. in una Tranen.* 7. 7. *Junii* 1652. Non tamen poteſt ſe intromittere in reditibus
7 Menſæ, niſi in quantum ſibi debetur pro ſuis proviſionibus, & intereſſe, & non in aliis. *Sac. Congregat. Epiſcop. in Caputaquen.* 8. *Octobris* 1585. *& in Lancianen.* 17. *Novembris* 1646.

8 Neque poteſt Dimiſſorias ad Ordines concedere, cum hæc facultas illi in ſpecie auferri ſoleat in Brevi, ut pluries cenſuit *Sacr. Congregation. Epiſcop.*, & ſignanter *in Tranen.* 9. *Junii* 1745. *& in Ugentinen.* 8. *Octobris* 1655. Neque poteſt Vica-
9 rius Apoſtolicus concedere Dimiſſorias ſubditis Nullius, ſed ipſis concedendæ ſunt ab Epiſcopo viciniori. *Sacr. Congreg. Epiſcop. in una Nullius* 9. *Aug.* 1604., & antea ſæpiſſime, ut refert Nicolius *in Floſcul. verb. Dimiſſoriæ num.* 4.

10 Neque poteſt Beneficia conferre, niſi ſpecialiter ſibi in Brevi fuerit conceſſum, ſed hoc ſpectat ad Epiſcopum in ſuis menſibus de jure ordinario. *Sacr. Congregat. Epiſcop. in Tarentina* 3. *Decembris* 1586. Si autem Epiſcopus reperiretur ſuſpenſus a Juriſdictione, & haberet præſervatum Jus con-
11 ferendi Beneficia, non poſſet ex approbatis in concurſu Parochialis Digniorem præeligere, ſed hoc pertineret ad Vicarium Apoſtolicum, ut præter Decreta, quæ referuntur a Fagnano *in cap. Illa, Ne Sede vacante num.* 30., *& ſequent.* declaravit *Sacr. Congregat. Concilii in Sorana* 12. *Decembris* 1699. apud Monacell. *part. 1. tit. 4. formul. 16. n. 3.*

12 Neque poteſt proceſſare, & punire Vicarium Epiſcopi ſine ſpeciali licentia, & conceſſione Sacræ Congregationis, ut declaravit *Sacr. Congregat. Epiſcop. in Larinen.* 15. *Decemb.* 1587., *& in Aſſiſien.* 21. *Junii* 1588. Neque a fortiori poteſt ſe intromittere Vicarius Apoſtolicus in Cauſis perſonam
13 Epiſcopi concernentibus, ſive in Civilibus, ſive in Criminalibus, ſive in mixtis, niſi ſuper his ſpecialiter illi concedatur a Summo Pontifice, vel a Sacra Congregatione. Sic cenſuit *Sacr. Congregat. Epiſcop. in una Cajacen.* 20. *Aprilis* 1640.

14 Et a contrario neque Epiſcopus ullam habet Juriſdictionem, & auctoritatem in vicarium Apoſtolicum, ita ut, ſi ipſe delinquit, nec informationes capere poſſit contra ipſum, nequidem Officio finito; Et multo minus poterit Edictio aliquo ipſius honorem deturpare, ut declaravit *Sacr. Congr. Epiſcop. in una Theanen.* 20. *Martii* 1612., *& in Monopolitana* 16. *Octobris* 1627.

15 Item neque poteſt Epiſcopus tenere Vicarium Generalem tempore, quo adeſt Vicarius Apoſtolicus, nec aliquo modo ſe intromittere valet in negotiis Juriſdictionem tangentibus. Immo neque poteſt exequi litteras Apoſtolicas ſibi directas ſub nomine Dignitatis, ut declaravit *Ead. Sac. Cong. Epiſ. in Nolana* 27. *Septemb.* 1641.

Vicarius Apoſtolicus non poteſt compellere Canonico ad 16 deducendum illum a Palatio ad Eccleſiam, & ab Eccleſia ad Palatium, quia hoc eſt proprium privilegium Epiſcopi. *Eadem Sac. Congregat. Epiſc. ſub die* 28. *Auguſti* 15 9. *fol.* 268. §. 10.

Neque poteſt prætendere, ut ſibi ter detur incenſum in- 17 ter Miſſarum ſolemnia, neque in principio Miſſæ, poſt Evangelium, & in Offertorio, ſed ſemel tantum dari debet in Offertorio, & non amplius. Et tunc ſi Epiſcopus eſt præſens; bis ducto Thuribulo; ſi abſens, ter ducto. *Sac. Congreg. Epiſc. in Cajetana* 14. *Januar.* 1595.

Neque poteſt prætendere, ut ſibi deferatur oſculandus Li- 18 ber Evangelii; niſi ſit Epiſcopus, quia hoc eſt privilegium ſolis Epiſcopis conceſſum. *Sacr. Congr. Epiſc.* 28. *Aug.* 1589.

Neque poteſt habere duos Clericos cum Cottis, quando 19 celebrat, ut ipſi inſerviant, etiamſi ſit Protonotarius Apoſtolicus; & nec quatuor candelas accenſas in Altari tenere, niſi hoc fieret propter ibi Feſtivitatem currentem. *Sac. Rit. Congr.* 7. *Auguſti* 1627.

Neque poteſt facere functiones Epiſcopales abſente, vel 20 impedito Epiſcopo, ſed hoc ſpectare primam Dignitatem, & ſucceſſive ad alios ſeniores de Capitulo, declaravit *Sacra Rit. Congr. in Brundusina* 5. *Febr.* 1614. *in Alatrina* 22. *Januar.* 1618. *in Algaren. & in alia Brundusina* 20. *Dec.* 1625.

Neque poteſt Miſſas ſolemnes cantare, SS. Sacramentum, 21 aut Sacras Reliquias paratus deferre, nec aliis functionibus Eccleſiaſticis ſe immiſcere, ſed tantum præeſſe, ut omnia ſuo ordine recte fiant. *S. Congreg. Epiſcop. c. in Saſſaren.* 14. *Aprilis* 1592. *in Biſinianen.* 16. *Maii* 1600. *in Spoletana* 22. *Decemb.* 1611. *in Ortonen.* 19. *Septemb.* 1627.

Vicarius Apoſtolicus deputatus a Papa durare ſolet abſque 22 controverſia etiam Sede Apoſtolica vacante. *Sacr. Congreg. Epiſc. in Licien.* 17. *Nov.* 1590. *eodem anno in Caſtillanetana.*

Immo ſi Vicarius Epiſcopi mortui fuerat miſſus a Papa, 23 vel a Sacra Congregatione, non poteſt per Capitulum, Sede vacante, expelli, & novus Vicarius Capitularis eligi. *Sacra Congregat. Epiſcop. in Aquilana* 4. *Auguſti* 1578.

Solet tamen ex abundantia Sacra Congregatio, occurren- 24 te caſu vacationis, prohibere Capitulis, ut non procedant ad electionem Vicarii Capitularis. *Sac. Congr. Epiſc. in Spoletana* 2. *Aprilis* 1591. *in Licien.* 22. *Decembr.* 1683. *in Biſianen.* 2. *Auguſti* 1647.

Vicarius Apoſtolicus miſſus, Sede vacante, poteſt expe- 25 dire Litteras, quæ Vicariis Epiſcopalibus dirigi ſolent, ac dare Dimiſſorias poſt annum, & infra annum arctatis, ſi eſſet Vicarius Capitularis, niſi hoc ei ſpecialiter ſit prohibitum. *Sac. Congr. Epiſc. in Aquilana* 22. *Sept.* 1628.

Vicarius Apoſtolicus tenetur reſidere in Diœceſi, ad quam 26 regendam miſſus fuit, nec poteſt ab ea ad longum tempus diſcedere, & alium ſubſtituere abſque prævia licentia Sacræ Congregationis Epiſc. ut *ead. Sac. Congr. declaravit in Spoletana* 19. *Junii* 1647.

Quod habet locum, etiamſi ſit vocatus ab aliquo Princi- 27 pe, nam neque tunc poteſt. *Sac. Congr. Epiſcop. in Meſſanen.* 27. *Maii* 1603. Neque poteſt dicta licentia diſcedere, etiam 28 ſi ſit acceſſurus ad Urbem. *Sacra Congr. Epiſcop. in Reatina* 22. *Decembris* 1600.

Vicarius Apoſtolicus debet habere in Choro, ſi non ſit Ca- 29 nonicus, præcedentiam ſupra omnes, & ideo ſedere debet in digniori ſede, non tamen in ſolio Epiſcopali. *Sacr. Congr. Epiſcop. in Cajetana* 22. *Januarii* 1595. Quod ſi dignior Sedes 30 Chori eſſet occupata, tunc Dignitates, & Canonici deſcendere debent inferius uno gradu, relinquendo majorem ipſi Vicario. *Sacra Congreg. Epiſc. in Licien.* 14. *Aug.* 1590.

Vicarius Apoſtolicus debet habere ſalarium ſcutorum du- 31 centorum monetæ Romanæ pro ſingulis annis ab Epiſcopo, vel a Menſa Epiſcopali Sede vacante, niſi in Brevi Pontificio aliter exprimeretur, & inſuper Scuta quinquaginta ejuſdem monetæ pro acceſſu, & totidem pro receſſu; Aliquando tamen taxatur minus, vel plus ſecundum locorum diſtantiam, *Sacr. Congr. Epiſcop. in Caputaquen.* 20. *Septemb.* 1580. *in Cajacen.* 27. *Februarii* 1603. & pluries alibi. Quod ſalarium non 32 incipit currere a data Brevis, ſed a die poſſeſſionis, & ingreſſus in Civitatem, quando capit Juriſdictionem exercere; Et ratio eſt, quia pro Viatico dantur ſibi expenſæ acceſſus, ut dixit *Ead. Sacr. Congreg. Epiſcopor. in Brundusina* 10. *Junii* 1611. *in Cajacen.* 23. *Novembris* 1640.

Si autem deputaretur Vicarius Apoſtolicus aliquis in eadem 33 Civitate reſidens, non poſſet iſte prætendere expenſas acceſſus

ceſſus, neque receſſus, ſi ab ea revera non recederet. *Sacr. Congreg. Epiſcop. in Biſinianen.* 14. *Junii* 1645. *in Triventina*
34 2. *Martii* 1646. Neque poteſt, uſquequo diſcedat, Summam taxatam pro receſſu prætendere, *Sac. Congr. Epiſcop. in Cajacen.* 23. *Novembr.* 1640.

35 Si vero Epiſcopatus habet tenues redditus, & detracta proviſione prædicta, non poſſet Epiſcopus cum reſiduo decenter ſuſtentari, deberet fieri nova taxatio, & diminui prædicta proviſio habita ratione paupertatis Epiſcopi. *Sac. Congregat. Epiſcop. in una nullius Altamuræ* 7. *Decembr.* 1604.
36 *et in alia* 2. *Auguſti* 1647. Quæ moderatio poteſt, immo debet fieri ad Scuta centum quinquaginta, & aliquando ad centum pro prædicta ratione paupertatis, & tenuitatis redditūum Epiſcopalium, *Sacr. Congr. Epiſcop. in Ferentina* 1653. *in Cotronen.* 3. *Octobr. ejuſdem anni.*

37 Si aſsignata proviſio ipſi retardetur, poteſt ipſe Vicarius auctoritate Apoſtolica fructus menſæ Epiſcopalis ſequeſtrare, quouſque ſatisfactionem recipiat. *Sacr. Congr. Epiſcop. in Cajacen.* 25. *Novemb.* 1600. *in Theanen.* 17. *Sept.* 1602.

38 Vicarius Apoſtolicus ultra proviſionem prædictam una cum acceſſu, & receſſu debet habere ſolita emolumenta Vicariatus, & honoraria pro Decretis; Non tamen habere debet, nec recipere poteſt emolumenta, quæ proveniunt ex ſigillo: Illa enim ſpectant ad Epiſcopum, ſive ad Menſam. *Sac. Congr. Epiſcop. in Aquilana* 24. *Octobris* 1585. *in Thean.* 21. *Auguſti* 1615.

39 A ſententiis Vicarii Apoſtolici appellatur ad Metropolitanum, non ad Papam, ut declaravit *Sacra Congr. Epiſcop. facto verbo cum Sanctiſſimo Papa Gregorio XIII. in una Salernitana* 7. *Julii* 1580. *et in Caputaquen.* 22. *Aprilis* 1686.

40 Vicarius Apoſtolicus non poteſt abſolvere a Cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis ſub quocumque prætextu, & cauſa. *Sacr. Congr. Immunit. in Coſentina* 10. *Maii* 1633. *lib.* 2. *Decr. Paul. pag.* 156.

41 Non habet auctoritatem extrahendi confugitos, nec res a loco immuni, & homicidam a ſe extractum tenetur reſtituere Eccleſiæ. *Sac. Congr. Immun. in Nolana* 2. *Apr.* 1695. *lib.* 1. *Decr. Vall. pag.* 180.

42 Vicario Apoſtolico prohibetur concedere terminum, & recurſum in cauſis violatæ Immunitatis. *Sacr. Congr. Immun. in Licien.* 26. *Junii* 1692. *lib.* 1. *Decr. Paul. pag.* 143.

43 Acriter monetur Vicarius Apoſtolicus Reatinus ob commiſſionem cauſæ violatæ Immunitatis, & Libertatis datam Archipresbytero N. commoranti in Regno ſub motivo, quod in Regno nequeant exequi Decreta emanata a Judicibus in ſtatu Eccleſiaſtico exiſtentibus abſque *Exequatur* Regio. *Sac. Congr. Immunit. in Reatina* 8. *Auguſti* 1702. *lib.* 3. *Decr. Valiem. pag.* 435.

44 Reprehenditur, quia permiſit Curiæ Laicali extrahere Cadaver ab Eccleſia pro recognitione Corporis delicti. *Sacr. Congr. Immun. in Sorena* 13. *Januarii* 1699. *lib.* 1. *Decr. Vallem. pag.* 197.

45 Item quia requiſitus tenuit procedere contra violatores Immunitatis Eccleſiaſticæ. *Sacr. Congr. Immun. in S. Agathæ Gothorum* 10. *Februarii dicti Anni*, *& lib. pag.* 203.

46 Eidem præcipitur, ut incumbat carcerationi complicis homicidii facti in Eccleſia. *Sacra Congr. Immun. in Eadem* 5. *Maii d. Anni*, *& lib. pag.* 219.

47 Eidem datur facultas extrahendi, & aſſecurandi res ad Menſam Epiſcopalem pertinentes exiſtentes in locis immunibus. *Sacr. Congr. Immun. in Hyeracen.* 19. *Febr.* 1694. *lib.* 1. *Decr. Vallem. p.* 172.

48 Item datur facultas perquirendi, & extrahendi ex Palatio Epiſcopi res ſpectantes ad Epiſcopum, exceptis Sacris Supellectilibus. *Sacra Congr. Immun. in Nolana eadem die ib.*

49 Cum facultate Apoſtolica poteſt conſignare Curiæ Laicali res, & acta corporis delicti cum ſolita præſervatione. *Sacra Congreg. Immun. in Imolen.* 30. *Novemb.* 1695. *lib.* 1. *Decret. Kal. pag.* 23.

50 Vicarius Apoſtolicus, ſicuti ſolet mitti propter plures, & diverſas juſtas cauſas, ita propter plures, & diverſas juſtas
51 cauſas ſolet removeri. Cauſæ autem præcipuæ, propter quas ſolet mitti, ſeu deputari, ſunt ſequentes. Primo ſi Epiſcopus male gubernet. Secundo ſi ſit ſordidus. Tertio ſi ſit ſenex. Quarto ſi ſit ſuſpenſus a Juriſdictione. Quinto ſi non expedivit Bullas per multos annos. Sexto ſi ſit moroſus in penſione ſolvenda. Septimo ſi ſit proceſſandus. Octavo ſi ſit vocatus ad Urbem. Nono ſi non reſideat. Decimo ſi non vult recipere Vicarium miſſum ab Urbe. Undecimo ſi moriatur morte violenta. Duodecimo ſi Capitulum in electione Vicarii Capitularis non concordavit. Tertiodecimo ſi Capitulum eligit indoctum. Quartodecimo ſi Vicarius Capitularis vocetur ad Urbem. Quintodecimo ſi Eccleſia diu vacavit. Sextodecimo ſi intereſſe Cameræ Apoſtolicæ ita requirit. Decimoſeptimo ſi negligit Epiſcopus exequi Decreta Viſitationis Apoſtolicæ. Decimoctavo propter utilitatem Eccleſiæ. Decimonono propter aliquos graviſſimos reſpectus. Vigeſimo propter inhabilitatem, vel impedimentum Epiſcopi.

Cauſæ vero, propter quas Vicarius Apoſtolicus ſolet re- 52
moveri, ſunt præſertim ſequentes. Primo ſi Epiſcopus non ſit ſolvendo. Secundo ſi Eccleſia fuit proviſa de Paſtore. Tertio ſi Epiſcopo reſtituatur Juriſdictio. Quarto ſi ipſe Vicarius pecuniam indebite extorqueat. Quinto quando non defendit Immunitatem. Sexto quando in ipſo detegitur aliqua infamia prius ignorata. Septimo ſi damnatus ſit, ex quo converſetur cum bannitis. Octavo ſi filios baſtardos habeat prius ignoratos. Nono ſi illicite negotietur. Decimo ſi ſit exoſus populo, & Clero. Undecimo propter intereſſe Camerale. Duodecimo ſi contra prohibitionem expreſſam Sacræ Congregationis practicam cum Monialibus habeat. Sic doctiſſimus Pellegrinus *in praxi Dicariorum part.* 1. *ſect.* 6. ubi omnes ſupradictas cauſas tum deputationis, tum remotionis aſſignat, afferens pro omnibus Decreta Sacræ Congregationis, & inſuper formulam deputationis per extenſum.

Vicario Apoſtolico in omnibus Eccleſiis, & Eccleſiaſticis 53
functionibus debentur tantum illæ prærogativæ, quibus gaudent Vicari Generales Epiſcopi, & titulus Illuſtriſſimi Vicario Apoſtolico non debetur. *S.R. Congr. in Spoletana* 12. *Auguſt.* 1684. *& in Imol. eod. die & anno.*

Vicarius Apoſtolicus a Pontifice per ſe immediate, vel 54
per Sacram Congregationem Epiſcop. & Regul. Eccleſiæ vacanti, vel plenæ præficitur, triplici de cauſa, nempe, vel quia timetur de nimium diuturna Sedis vacatione, vel quia Epiſcopus ob ſenectutem, aut adverſam valetudinem inhabilis effectus eſt ad Eccleſiam regendam, vel quia ab ejuſdem Eccleſiæ adminiſtratione ſuſpenſus vel remotus fuit; Benedict.
XIV. *de Synodo Dioeceſana l.* 2. *cap.* 9. *n.* 7. Ejus facultas mo- 55
do amplior, modo ſtrictior eſt; cum pro Sacræ Congregationis libito aliquando amplietur, & aliquando limitetur, prout
exigunt rerum circumſtantiæ, in quibus conſtituitur; unde 56
ne erret in miniſterio, debet facultates ſibi conceſſas accura-
te perpendere; Idem *ib. n.* 7. Poteſt & debet ſine Epiſcopo 57
Eccleſiæ, cui præfectus eſt, celebrare Synodum diæceſanam. Idem *ib.* Vide *ſupra n.* 5. ubi quod ad Vicarium Apoſtolicum ſolum ſine interventu Epiſcopi ſpectat facere concurſum, ſicut & Synodum, & declarare magis idoneum; ut declaravit *S.C. Epiſc. & Regul. in Lycien.* 9. *Junii* 1608. *&*
*in Biſinianen.* 16. *Maji* 1653. Et *n.* 51. *&* 52. ubi viginti aſſi- 58
gnantur diverſæ juſtæ cauſæ propter quas ſolet mitti Vicarius Apoſtolicus, & duodecim propter quas ſolet removeri.

Vicarii Apoſtolici Indiarium Orientalium non habentes 59
Epiſcopum cum futura ſucceſſione, tenentur aſſumere Vicarium Generalem. Bened. XIV. Conſt. incip. *Ex ſublimi* §. 1.
Et idem aſſumpto Vicario Generali conceduntur omnes, & 60
ſingulæ facultates competentes Vicariis Capitularibus Cathe-
dralium, Sede vacante: Eidemque poſt Apoſtolici Vicarii 61
obitum conceditur uſus, & exercitium earum facultatum, quibus gaudebat, dum viveret, defunctus Apoſtolicus Vicarius Epiſcopi, iis dumtaxat exceptis, quæ requirunt Ordinem, & Characterem Epiſcopalem, vel non ſine unctione Sacrorum Oleorum exercentur; & quandocumque neceſſitas urgeat, eidem conceditur facultas conſecrandi Calices, Patenas, & Altaria portatilia, cum Sacris Oleis omnino ab Epiſcopo benedictis. Idem *ibid.* §. 3.

Vicarii Apoſtolici per quaſcumque rationes conſtituti, qui 62
Epiſcopi non ſunt, tenentur ſibi Pro-Vicarium eligere; Idem Conſtit. *Quam ex Sublimi*, §. 2.

Alia de Vicariis Apoſtolicis in Anglia conſtitutis; Vide 63
tom. 5. verb. *Miſſionarii.*

*Novæ additiones ex aliena manu.*

Mitti ſolet Vicarius Apoſtolicus, tum Sede Epiſcopali 1
vacante, tum Sede Epiſcopali plena. Priori caſu exe- 2
qui poteſt litteras, quæ dirigi ſolent Vicariis Epiſcoporum, concedere dimiſſorias poſt annum, & intra annum arctatis, ac ſi eſset Vicarius Capitularis, niſi ei ſpecialiter prohibeatur; *Vulp. in Prax. For. Eccleſ. cap.* 7. *n.* 15. *Marchett. in Prax. Vicar. Capitul. p.* 2. *tit.* 15. *n.* 64. *Baſſ. de Vicar. Apoſt.*
3 *tit.* 2. *n.* 1. *Panimoll. dec.* 1. *adnot.* 6. *n.* 9. Tum conferre beneficia liberæ Collationis; *Marchett. in Prax. Vicar. Capitul.*
4 *p.* 2. *tit.* 32. *n.* 15. *Baſſ. de Vicar. Apoſt. tit.* 2. *n.* 1. Solet vero, ut plurimum in Brevi, vel literis facultas hæc concedendi literas dimiſſorias, & conferendi Beneficia limitari; *Monacel. part.* 2. *tit.* 16. *form.* 8. *in princip. & rurſus in adnot. ſub n.* 3. *in fin. & præterea form.* 9.

5 Item poteſt concedere monitoria pro revelatione, & contra non revelantes devenire ad excommunicationem; *Marchett. in Prax. Vicar. Cap. p.* 2. *tit.* 22. *n.* 7. *Baſſ. de Vicar. Apoſt. tit.* 2. *n.* 5.

6 Poteſt præterea eligere Concionatores; *Baſſi de Vicar. Apoſtol. tit.* 7. *n.* 6.

7 De eo vero eſt diſſenſio, an poſſit erigere Beneficia cum reſervatione juriſpatronatus, Vide DD. apud *Baſs. de Vicar. Apoſtol. tit.* 2. *n.* 10.

8 Convenit vero inter omnes, quod poſſit alieno Epiſcopo ad formam Concilii Tridentini *ſeſs.* 6. *cap.* 5. impertiri licentiam exercendi Pontificalia, tum conferendi Ordines non ſolum Subditis Diœceſis neceſſariis requiſitis ſuffultis, ſed etiam ſubjectis eidem Epiſcopo Ordinanti, imo etiam aliis aliunde cum dimiſſoriis ſuorum Ordinariorum confluentibus; *Priviter. in Manual. Antiſt. pot.* 86. *per tot. Baſs. de Vicar. Apoſtol. tit.* 2. *num.* 11.

9 Ad differentiam Vicarii Epiſcopi, tum Capituli, Vicarius Apoſtolicus utitur proprio ſigillo, ac titulo Vicarii Apoſtolici, & aliis decoratur honoribus hujuſmodi Vicariis concedi ſolitis ad inſtar Præſulum; *Pignatell. Conſult. canon. t.* 9. *conſult.* 159. *num.* 10. *& ſeq. Leuren. de Vicar. cap.* 5. *q.* 599. *num.* 2.

10 De Vicario Apoſtolico Sede plena diſſerit Auctor, ſed vide etiam de eo *Baſs. d. tract. tit.* 3. *& per tot.*

## VICARIUS CAPITULARIS.

### Articulus I.

Quoad ea, quæ concernunt ejus electionem, qualitatem, initium, & finem ſuæ Juriſdictionis.

1 Vicarius Capitularis eſt eligendus a Capitulo infra octo dies poſt mortem Epiſcopi, alias electio devolvitur ad Metropolitanum. *Communis*, textu expreſſo in Concilio Tridentino *ſeſs.* 23. *de reform. cap.* 16. ibi: *Item Officialem, ſeu Vicarium infra octo dies poſt mortem Epiſcopi conſtituere, vel exiſtentem confirmare omnino teneatur, qui ſaltem in Jure Canonico ſit Doctor, vel Licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus; Si ſecus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujuſmodi devolvatur.*

2 Et ſi Eccleſia ipſa fuerit Metropolitana, aut exempta, & Capitulum intra octo dies Vicarium Capitularem non elegerit, tunc electio Vicarii Capitularis pro Metropolitana devolvitur ad antiquiorem ex Epiſcopis Suffraganeis, & pro Eccleſia exempta devolvitur ad Epiſcopum propinquiorem; *Communis*, textu expreſſo in ipſo Concilio Tridentino *loc. c.* ibi: *Et ſi Eccleſia ipſa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior Epiſcopus ex ſuffraganeis in Metropolitana, & propinquior Epiſcopus in exempta Œconomum, & Vicarium idoneos poſſit conſtituere.*

3 Ante Concilium Tridentinum tamen de Jure communi non tenebatur Capitulum Vicarium conſtituere, Sede vacante, ſed poterat per ſe ipſum Juriſdictionem exercere. Abbas *in cap. Irrefragabili n.* 2. *de Officio Ordinarii*, Felin. *in c. Cum olim n.* 9. *de majorit. & obedient.* Fagnan. *in c. His, quæ, eod. tit. n.* 16. Pellegrin. *in praxi Vicariorum p.* 1. *ſect.* 4. *ſubſect.* 1 *n.* 5. & alii paſſim.

4 Capitulum non poteſt cogi ad creandum Vicarium intra pauciores dies quam octo, ſed poteſt gaudere termino a Sacro Concilio ſibi dato. Vide verb. *Capitulum art.* 3. *n.* 29.

5 Et infra illos dies, antequam Vicarium conſtituat, exercitium Juriſdictionis ſpectat ad totum Capitulum in ſolidum, non autem ad primam Dignitatem. Vide *ibid. n.* 30.

6 Capitulum nedum poteſt eligere Vicarium Capitularem poſt mortem Epiſcopi, ſed etiam quando Eccleſia vacat per tranſlationem Epiſcopi ad aliam Eccleſiam, Vide *ib. n.* 31.

Et Eccleſia vacat per tranſlationem Epiſcopi ſtatim, ac ha- 7
bita fuit notitia, etiam ex teſtimonio, ſeu documento Secretarii Sacri Collegii, quod Epiſcopus a ſuæ Eccleſiæ vinculo abſolutus fuit in Conſiſtorio Sanctitatis Suæ etiam ante expeditionem Litterarum Apoſtolicarum, vel adeptam poſſeſſionem ſecundæ Eccleſiæ; tunc enim Capitulum poteſt, & debet Sedem vacantem publicare, & Vicarium juxta Concilii Tridentini præſcriptum eligere. Vide *ib. n.* 31.

Sic etiam Capitulum poteſt conſtituere Vicarium in caſu, 8
quo Epiſcopus efficiatur captivus ab hoſtibus Catholicæ Fidei. Vide *ib. n.* 32.

Item Sedes vacat, ſi Epiſcopus ingrediatur aliquam Reli- 9
gionem; & tunc Capitulum poteſt eligere Vicarium Capitularem. Vide *ib. n.* 33.

Item vacat Sedes per renunciationem. Vide *ibid. num.* 34. 10
Similiter vacat Sedes per depoſitionem, vel relegationem. 11
Vide *ib. n.* 35.

Non poteſt tamen Capitulum conſtituere Vicarium in caſu, 12
quo Epiſcopus ſit excommunicatus, vel ſuſpenſus; Vel in caſu, quo, Epiſcopo in remotis degente, Vicarius Generalis ab ipſo relictus moriatur, vel a Principe Sæculari ejiciatur a Diœceſi, quia tunc recurrendum eſset ad Sedem Apoſtolicam pro proviſione. Vide *ib. n.* 36.

Capitulum non poteſt devenire ad electionem Vicarii Ca- 13
pitularis ante certam notitiam vacationis. Vide *ib. n.* 37.

Capitulum neque poſt devenire ad electionem Vicarii 14
Capitularis poteſt habitam notitiam mortis, vel tranſlationis Epiſcopi, quando Vicarius Epiſcopi defuncti, vel tranſlati miſsus fuerat a Papa, vel a Sacra Congregatione Epiſcoporum. Vide *ib. n.* 38.

Electio Vicarii Capitularis debet fieri, Capitulo more ſo- 15
lito capitulariter congregato, et per ſecreta ſuffragia, alioquin nulla eſt. Vide *ib. n.* 39.

Capitulum non poteſt eligere in Vicarium Capitularem, 16
niſi unum tantum; et ſi eligat plures, electio devolvitur ad Metropolitanum; Si tamen plures ſucceſſive eligit, primo electus debet continuare; Dummodo habeat requiſita. Vide *ibid. n.* 40.

Poteſt tamen Capitulum duos Vicarius conſtituere, ut al- 17
ternis menſibus Vicariatus munere fungantur, ſi legitimam habeat ad id conſuetudinem ab immemorabili ſervatam ſine interruptione, et electi ſint præditi omnibus qualitatibus, quas Tridentinum requirit. Vide *ib. n.* 41.

Facta ſemel per Capitulum electione Vicarii Capitularis, 18
non poteſt illum ad libitum revocare, et novum conſtituere. Vide *ib. n.* 42.

Si tamen adeſſet juſta cauſa illum revocandi, debet prius 19
habere licentiam a Sacra Congregation. Epiſcop. Vide *ibid. num* 43.

Immo non poteſt per Capitulum revocari Vicarius Capi- 20
tularis, etiamſi ſit electus cum clauſula, quod poſſit revocari ex cauſis ſibi benevisis. Vide *ib. n.* 44.

Plures ſunt cauſæ, propter quas ſolet Sacra Congregatio 21
Epiſcoporum facultatem concedere removendi Vicarium Capitularem, ut indignum; et tales cauſæ aſſignantur *ibidem num.* 45.

A Capitulo pro electione Vicarii Capitularis non debent 22
vocari Canonici abſentes, niſi commode fieri poſſit. Nec ita abſentes poſſunt mittere, aut conſtituere Procuratorem ad ferendum in electione ſuffragium. Vide *ib. n.* 46.

Si tamen adſit conſuetudo legitime præſcripta admittendi 23
in electione Canonicos abſentes per Procuratorem, talis conſuetudo eſſet intelligenda, & reſtringenda ad abſentes ſolummodo intra Provinciam, & ibidem detentos aliquo legitimo impedimento de tempore actualis electionis Vicarii. Vide *ib. n.* 47.

Et ſi e contra adeſſet conſuetudo non vocandi quoquomo- 24
do abſentes a Civitate, ſervanda eſſet. Et tanta eſt vis conſuetudinis, quod a Capitulo pro electione Vicarii, præter Canonicos, vocandi ſunt etiam illi, qui de Jure non ſunt de Capitulo, ut Portionarii, aliique Beneficiati Eccleſiæ, ſi adſit conſuetudo legitime præſcripta illos vocandi. Vide *ib. n.* 48.

Si autem conſuetudo non ſit pacifica, & legitime præ- 25
ſcripta, ſed ſolum pauci actus efferantur, in quibus ii, qui non ſunt de corpore Capituli, fuerint admiſſi ad ſuffragium ferendum, tunc Capitulum poteſt illos excludere. Vide *ib. n.* 49.



Capi-

26 Capitulum debet pro Vicario Capitulari eligere unum, qui ſit de gremio Capituli, ſi adſit idoneus. Vide *ib. n.*50.

27 Et qui ſit Doctor, alias electio eſſet nulla. Vide *ibidem num.*51.

28 Nec ſufficit, quod ſit Magiſter in Sacra Thologia, ſed debet eſſe ſaltem Doctor in Jure Canonico. Vide *ibidem num.*52.

29 Nec etiam ſufficit, quod ſit Doctoratus a perſona privata, ſed in aliqua Univerſitate. Vide *ib. n.* 53.

30 Habilis tamen non Doctor tolerari poteſt, ſi Doctor haberi non poſſit. Vide *ib. n.*54.

31 Debet tamen Vicarius non Doctor eligere ſibi Conſultorem beneviſum, qui ſit Doctor, & in rebus Legalibus, & arduis peritus, a quo poſſit dirigi. Vide *ib. n.*55.

32 Si Capitulum eligat aliquem non Doctorem, quando adeſt Doctor, ex quo talis electio ſit nulla, tunc electio devolvitur ad Metropolitanum. Vide *ib. n.*56.

33 In caſu tamen, quo Vicarius deputatus per Metropolitanum ob malam electionem Capituli, vel ob ejus negligentiam, decederet, tunc poſſet Capitulum novum eligere Vicarium infra octo dies, ut prius. Vide *ib. n.*57.

34 Capitulum non poteſt in electioee, ſeu deputatione Vicarii apponere reſtrictivam, ut Vicarius Capitularis non poſſit procedere contra aliquem Capitularem abſque conſenſu Capituli. Vide *ib. n.*58.

35 Vel ſine adjunctis; *Ibid. n.*59.

36 Nec poteſt apponere in electione conditionem, ut participet Capitulum de emolumentis ex Officio Vicariatus provenientibus. Vide. *ib. n.*60.

37 Nec poteſt Capitulum reſervare ſibi facultatem ſignandi ſupplicationes. diſtribuendi conciones, vel habendi ſuperintendentiam Seminarii. Vide *ib. n.*61.

38 Vel faciendi gratiam condemnatis ab ipſo Vicario, vel cognoſcendi de cauſis ſuſpicionis ipſius Vicarii, ac Judicem non ſuſpectum partibus deputandi, vel cum alia quacumque reſtrictione inſolita. Quod ſi Vicarius Capitularis electus fuerit cum hujuſmodi reſtrictionibus, poterit nihilominus libere uti ſua Juriſdictione abſque ullo reſpectu ſupradictarum conditionum. Vide *ib. n.*62. verb. *Ordo art.*3. *n.*43.

39 Capitulum enim poſt electionem Vicarii nullam exercere poteſt Juriſdictionem, quia poſt electionem tota Juriſdictio Epiſcopalis tranſit ad Vicarium Capitularem privative quoad Capitulum, non cumulative. Vide *ib. n.*63. verb. *Ordo ar.*3. *num.*42.

40 Unde ſubſtitutio facienda propter abſentiam Vicarii ſpectat ad ipſum Vicarium, & non ad capitulum. Vide *n.* 64.

41 Vicarius capitularis poteſt eſſe Canonicus ejuſdem Eccleſiæ, qui in eadem Civitate, & Eccleſia curam quoque gerit animarum. *S. Cong. Epiſcop. in Ortonen.*19. *Martii* 1619. &
42 19. *Julii ejuſd. anni*. Ubi etiam fuit declaratum, quod contrariæ deciſiones, nempe quod Parochus nequeat eligi in Vicarium capitularem, intelliguntur de Parocho rurali. Sic refert deciſionem ad litteram Barboſa *de Canonicis*, *& Dignitatibus cap.*42. *n.* 38.

43 Vicarius capitularis eligi debet ætatis ſaltem 25. annorum, ſi haberi poſſit, alias permittitur poſſe eligi in ætate 23. annorum ſi ſit idoneus, ſed non ſemper expedit. *Sac. Congreg. Concil. die* 11. *Auguſti* 1618. apud Barboſ. *in Concil. Trident. ſeſs.*23. *de reform. cap.*16. *n.*19. *& in Summa Apoſtol. deciſ. verb. Vicarius Capitularis Sede vacante n.*8. & Sellium *in Select. Canon. c.*19 *n.*44.

44 In electione vicarii capitularis ſunt præferendæ Dignitates, & Canonici, quatenus ſint idonei, Canonico coadjutori, ut reſpondit *S.C. Concil.*14. *April.*1685. *lib.*35. *fol.*37. apud Monacell. *tom.*2. *tit.*16. *form,*10. *ſub n.*13.

45 Si electio non concludatur in tempore a Concilio Tridentino præſcripto *c.*16. *ſeſs.*24. *de reform.* fit devolutio ad formam Conciliaris Decreti, tam in caſu negligentiæ, quam in caſu diſſenſionis. *S.C. Conc. in Aquilana* 10. *Octob.* 1605. *lib.*28. *fol.*195. apud Monacell. *l.c.*

46 Si in electione duo Canonici Doctores habuerint vota paria, neuter eſt vicarius legitimus, & electio propterea, tranſacto octiduo, devolvitur ad Metropolitanum, juxta diſpoſitionem Concilii, ut reſpondit *S.C. Conc. in vercellen.* 12. *Mart.* 1611. *lib.*117. *fol.*769. apud Monac. *l.c.*

47 Si Eccleſia ſuffraganea vacans careat Capitulo, electio, ſeu deputatio vicarii pro illius adminiſtratione ſpectat ad capitulum Metropolitanæ Paſtore carentis, non autem ad antiquiorem Epiſcopum Suffraganeum, non obſtante Synodo Provinciali, ut declaravit *S. C. Conc.*28. *Aug.*1683. *confirmata* 14. *April.* 1685. *l.*35. *fol.* 195. apud Monac. *l.c.*

48 S autem Eccleſia Cathedralis carens capitulo, non ſit ſuffraganea, ſed exempta, & Sanctæ Sedi immediate ſubjecta, uti eſt Eccleſia, ſeu Epiſcopatus Portuenſis prope Almam Urbem, tunc videtur quod deputatio vicarii Capitularis in caſu vacationis Sedis non pertineat ad propinquiorem Epiſcopum, juxta diſpoſitionem Concilii Tridentini *ſeſs.*24. *de reform. cap.*16. Sed conſulenda ſit Sancta Sedes, quia Epiſcopo viciniori devolvitur electio ſecundum diſpoſitionem Concilii in caſu negligentiæ capituli; at quando Eccleſia capitulo caret, caſus eſt omiſſus a concilio. Sic præciſis verbis Monac. *l.c. n.*13. *in fine*, teſtans inſuper, quod quoties occurrit vacatio in dicta Cathedrali, ſeu Epiſcopatu Portuenſi, Epiſcopus vicinior non ſe ingerit in deputatione vicarii, ſed Eccleſia remanet ſub regimine Eminentiſſimi Urbis vicarii, quia eſt in diſtrictu Urbis, uſque dum novus Epiſcopus Eccleſiæ poſſeſſionem capiat.

49 Vicarius capitularis debet provideri de competenti Salario. *S.C. Conc. in una ventimilien.*15. *Octobris* 1601. apud Barboſ. *in ſumma l.c. n.*13. *& de Canon. & Dignitatibus cap.*42. *numer.*35. & apud Pellegrinum *l.c. ſub ſect.*1. *n.*30. Quod poteſt eſſe ad rationem Scutorum quatuor pro ſingulis menſibus, ut declaravit *ead. S.C. in una Caſalen.*21. *Auguſt.* 1654. Non tamen debet eſſe majus eo, quod habebat vicarius Epiſcopi defuncti. *Ead. S.C. in ventimilien.* 15. *Januarii* 1602. apud Pellegrin. *l.c.* Attendenda tamen eſt circa ſupradicta omnia legitima locorum conſuetudo, *arg. cap. Cum tanto* 11. *de conſuetudine*.

50 An Vivarius Capitularis lucretur diſtributiones quotidianas, ſi choro propter ſuum munus non interſit? Variant Doctores. Affirmativam enim ſententiam defendunt Pellegrinus *l.c. n.*31. Garcias, Gonzalez, Pavin. Covarruv. & alii ab ipſo citati dicentes non currere paritatem de Vicario Epiſcopi, quia ideo ipſe non intereſſendo Choro, non lucratur diſtributiones, quia ſervit Epiſcopo, & non Eccleſiæ, ut ſervit vicarius Capitularis, ſicuti notat Rota *dec.*222. *nu.*5. *part.*2. *diverſar.* Negativam autem ſuſtinent Monacell. *tom.*3. *titul.*1. *form.*41. *n.*5. Moneta *de diſtribution. p.*2. *q.*11. *n.*83. *& ſeq.* Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. part.*3. *alleg.*54. *nu.*165. *verſ. Qui dum a Choro abſens eſt*, *et de Canonicis*, *et Dignitatibus cap.*42. *n.*39. & alii plures. Ut autem concilientur Doctores, dicendum eſt ſtandum eſſe legitimis locorum conſuetudinibus, ut ibi Vicarius Capitularis abſens a choro lucretur diſtributiones, ubi adeſt legitima conſuetudo eas lucrandi; & ibi non lucretur, ubi adeſt legitima conſuetudo eas non lucrandi, *arg. cit. c. Cum tanto* 11. *de conſuetudine*; Et ſic tenent Rota *cit. dec.*222. *n.*6. *p.*2. *diverſ.* Barboſa *l.c.* Quaranta *in Summa Bullar. verb. Capitulum Sede vacante, verſ. Octavo dubitatur*, Proſper Auguſt. *in addit. ad d. Quarant. l.cit. n.*8. *in fine*, Rebuff. *tit. de vicario Epiſcop. n.*5. & ipſe Pellegrinus *l.c. n.*31. *in fine*, cum aliis ibi allegatis.

51 Si Vicarius Capitularis, ubi adeſt conſuetudo intereſſendi choro pro lucrandis diſtributionibus, voluerit ipſas lucrari, debet intereſſe cum ſolita veſte Canonicali, & ſedere in loco proprio ſui Canonicatus neminem antiquiorem præcedendo. Rota *in Lucana Beneficii* 18. *Decembris* 1579. *coram Seraphino*, & eadem Rota *dec.*288. *n.*2. *part.*2. *recent.* apud Barboſ. *cit. alleg.*54. *n.*166. & Pellegrin. *l.c. n.*34. & ſic tenent cum ipſis plures alii Doctores.

52 Si vero noluerit diſtributiones lucrari, debet præcedere omnes; excepta prima Dignitate poſt Pontificalem. Sic reſcriptum fuiſſe a *Sacra Congregatione in una Aſſiſienſi de menſe Auguſti* 1630. dum ipſe eſſet Aſſiſii, teſtatur Nicolius *in Floſcul. verb. vicarius Capitularis n.*67. & refert etiam Pellegrin. *l.c. n.*34. & alii.

53 Vicarius Capitularis non poteſt occupare Sedem Archidiaconi in Eccleſia, ſed ſedere debet in alia Sede portatili. *Sac. Congr. Rit. in Nucerina* 10. *April.*1601. apud Pellegrin. *loco cit. n.*34. & Barboſa *de Canonicis, & Dignitatibus c.* 42. *numer.*42.

54 Archidiaconus, ſeu alia Dignitas major poſt Pontificalem præfertur Vicario Capitulari, etiamſi dictus vicarius non ſit Canonicus. Barboſ. *cit. c.*42. *n.*41. *& cit. alleg.*54. *n.*167. cum aliis ibi citatis.

55 Vicarius ſemel ac Canonice eſt electus, durat toto tempore vacationis Eccleſiæ. Quamvis enim Barboſa *in Summa Apoſtol. dec. loco c. n.*7. *& tract. de Canonicis l.c. nu.*44. *& in Trid. cit. ſeſſ.*24. *cap.*16. *n.*14. referat *S.C. ſub die* 17.



*Jun.* 1617. decreviſſe poſſe Capitulum eligere vicarium cum clauſula, quod non duret niſi per annum; Tamen Nicolius *in Floſculis verb. vicarius Capitularis ſub n.*59. refert ſæpius a Sacra Congr. Epiſc. deciſum fuiſſe non poſſe capitulum eligere vicarium capitularem ad certum tempus, ſed pro toto tempore vacationis Eccleſiæ. Sic dicta *Sac. Congr. in Potentina* 7. *Maji* 1604. 30. *Aug.*1641. 3. *Martii* 1647. 14. *Febr.* 1648. *& in Sutrina* 21. *Novembr.*1653. Quod & melius eſſe teſtatur etiam ipſe Barboſa *in c. aap.*44. *n.*44. *& cit. ſeſſ.* 24. *cap.*16. *n.*14. referens ita reſcripſiſſe *S.C. Epiſc. Epiſcopo Cajetano ſub die* 28. *Octob.* 1587. Et ſic expreſſe tenet Monacel. *tom.*1. *tit.*1. *form.*2 *n.*14 cum Fagnano, & aliis ibi citatis, adductis inſuper aliis decretis.

56 Unde Vicarii Capitularis juriſdictio ceſſat ſolum poſt poſſeſſionem realem captam a novo Epiſcopo; Sedes enim Epiſcopalis intelligitur ſemper vacare uſquequo Litteræ Apoſtolicæ Prælati proviſi de illa Eccleſia, cujus Sedes vacabat, non fuerint præſentatæ Capitulo, nec interim poteſt Epiſcopus noviter proviſus Epiſcopatum miniſtrare. *Extravagant. Injunctæ* 2. *de electione*; Unde Vicarius Capitularis poteſt continuare exercitium ſuæ Juriſdictionis, donec novus Epiſcopus adeptus fuerit realem Epiſcopatus poſſeſſionem. Quaranta *in Summa Bullar. verb. Capitulum Sede vacante num.*13. *verſ.* 13. *Dubitatur*; Flaminius Pariſius *de Reſignat. lib.* 8. *quæſt.* 5. *num.* 33. Rebuffus *in Traxi Benefic. tit. de Simonia in Reſignat. num.*11. Henriq. *conſ.* 29. *num.*4. Aloyſius Riccius *in Traxi Fori Eccleſ. deciſ.*376. *in prima edition. reſolution.* 500. *in ſecunda edition.* Stephanus Gratian. *diſceptat. forenſ. cap.* 27. Pellegrin. *loco cit. ſubſect.* 6. *num.* 1. *&* 2. cum pluribus ibi citatis, Barboſa *cit. allegat.* 54. *num.* 161. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellar. gloſſa* 15. §. 2. *num.* 88. ubi refert fuiſſe concluſum validam eſſe quamdam collationem Canonicatus in menſe Ordinario vacantis factum a Capitulo Burgenſi, ſpreto Epiſcopo jam promoto, & habente expeditas litteras ſuæ proviſionis, qui tamen nondum illas oſtenderat, nec præſentaverat.

57 Terminatur autem Vicarii Capitularis Juriſdictio, cum mittitur Vicarius Apoſtolicus a Papa, vel a Sacra Congregatione Epiſcoporum, quod fit, ſi Eccleſia diu vacaverit, ut cenſuit *Sacr. Congr. Epiſcop. in una Aleriana* 28. *Junii* 1649. præſertim ſi ſubditi in adminiſtratione Juſtitiæ aliquod inconveniens experiantur. *Eadem Sacra Congreg. in Ugentina* 17. *Septemb.*1655.

58 Item ceſſat Juriſdictio Vicarii Capitularis, quando removetur a Sacra Congregatione, vel vocatur ad Urbem pro juſtificandis rebus, de quibus fuit inculpatus. *Sacra Congreg. Epiſcop. in Spoletana* 13. *Novembr.* 1600. *in Aſten.* 30. *Septembris* 1650. *& in Monopolitana* 2. *Maii* 1653.

59 Quod hactenus dictum eſt de Vicario Capitulari Cathedralis, locum habet ſervata proportione in Vicario Capitulari Collegiatæ exemptæ, & nullius Diæceſis; Capitulum enim Collegiatæ, quæ nullius Diæceſis eſt, & ſubditur proprio Prælato, ordinariam, & quaſi Epiſcopalem Juriſdictionem habente, vacante Sede dicti ſui Prælati, debet eligere Vicarium Capitularem eodem modo, & eiſdem legibus, Capitulis Cathedralium præſcriptis a Sacro Concilio Tridenti-
60 no *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 16. *Communis*. Cum hac tamen differentia, quod Vicarius Capitularis dictæ Collegiatæ exemptæ, & Nullius, non debet neceſſario eſſe Doctor, aut Licentiatus in Jure Canonico, ſicuti tenetur eſſe Vicarius Capituralis Cathedralis; Sic expreſſe declaravit Sacra Congregatio Concilii ad dict. *cap.* 16. *die* 12. *Septemb.* 1585. apud
61 Garciam *de Beneficiis tom.* 1. *part.* 5. *cap.* 7. *num.*20. & apud Pellegrinum *loco cit. ſect.* 5. *num.* 5. Non poſſe autem eligi Vicarium Capitularem per Clerum Eccleſiæ exemptæ Abbatia vacante, decrevit *Sacr. Congr. Concil. in Anglonen.* 30. *Januarii* 1717. ut refert Card. Petra *tom.* 5. *Comment. ad Conſtit. IV.* Caliſti III. *ſect.*3. *n.*10.

62 Affertur noviſſima reſolutio ſacræ Congregationis Concilii quoad varia dubia de Vicario Capitulari in ipſa propoſita, ut ſequitur.

*I. An poſſit Capitulum Sede Vacante, poſt electum Vicarium in Spiritualibus, & temporalibus, deputare alium toties quoties ſibi placuerit ad aliquid faciendum in exercitio Juriſdictionis tranſlatæ, ipſam juriſdictionem reaſſumendo?*

*II. An poſſit Capitulum per ſeipſum dare ſubditis Chartas teſtimoniales, vel Reverendas ad Ordines ſuſ-*



*cipiendos, vel debeant dari per Vicarium Generalem Capitularem?*

*III. An poſſit Capitulum in deputatione Vicarii Capitularis dare juriſdictionem limitatam, & poſſit in hoc caſu attendi conſuetudo Regni Luſitaniæ? & quatenus affirmative.*

*IV. An poſſit reſervatam juriſdictionem alicui alteri committere, vel illam debeat per ſeipſum exercere?*

*V. An poſſit Capitulum dare ſubditis atteſtationes de vita, & moribus per ſcipſum, vel debeant dari a Vicario Capitulari?*

*VI. An poſſit Capitulum jubere Vicario Capitulari, ut det tales atteſtationes, vel debeat pendere ab arbitrio Vicarii Capitularis?*

*VII. An in concurſu Parochialium debeat intervenire arbitrium Vicarii Capitularis, vel debeat pendere ab arbitrio Capitulari, facto concurſu in præſentia Capituli, vel in abſentia, & an debeat attendi conſuetudo Regni in caſu &c.*

*Sacra Congreg. Concil. in Elven. Juriſdictionis* 1. *Decembr.* 1736. Reſpondit: *Ad I. Negative. Ad II. Negative quoad primam partem, & affirmative quoad ſecundam. Ad III. Negative. Ad IV. Proviſum in tertio. Ad V. Negative quoad primam partem, & affirmative quoad ſecundam. Ad VI. Negative. Ad VII. Affirmative quoad primam partem ad formam juris; In reliquis negative.*

### *Novæ Additiones ex aliena manu.*

Pacifica haud eſt opinio *Auctoris num.* 60. quod & Capi- 1
tulum Collegiatæ Eccleſiæ defuncto Prælato *Nullius* debeat conſtituere Vicarium Capitularem; Juriſdictionem enim remanere penes Capitulum, nec teneri ipſum conſtituere Vicarium Capitularem, ſentiunt *Fagnan. in cap. His quæ num.* 77. *de Major. & obedient.* ubi quod ita reſolvit Sacr. Congregat. Concilii interpres, *Leuren. de Vicar. tract.* 3. *cap.* 4. *q.*541. *per tot.*

Capitulum vero Cathedralis, vel Metropolitanæ Eccleſiæ non teneri in electione hac Vicarii Capitularis ſervare formam *cap. Quia propter*, *de elect.* communis ſententia eſt, ut 2
rejecto *Freſc. de Viſitat. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 32. firmant *Pirhing ad titul. Decretal. de Offic. Vicar. num.* 77. *Pignatell. conſult. canonic. tom.* 8. *conſult.* 34. *numer.* 9. *&* 11. *Garc. de Benefic. part.* 5. *cap.* 7. *num.* 21. *Leuren. de Vicar. tract.* 3. *c.*4. *q.*550. *n.*1.

Hinc fit, quod neceſſe haud ſit, ut hæc Vicarii Capitularis electio fiat per ſuffragia ſecreta; *Leuren. de Vicar. tract.* 3. *c.*4. *q.*55. *n.*2. 3

Debet vero concurrere major pars ſuffragiorum, & quidem collegialiter præſtitorum, ut valida ſit electio Vicarii
Capitularis. Quocirca electio Vicarii Capitularis facta a 4
minori parte Capituli, minime valida evadit per ſubſcri- 5
ptionem litterarum patentium factam a majori parte ejuſdem Capituli, quum non ſufficiat conſenſus poſtea datus a ſingulis; *Pignatell. conſult. canon. tom.* 1. *conſult.* 23. *num.*7. *Leuren. de Vicar. tract.* 3. *cap.* 4. *q.*552. *per tot.*

Coram quo, & quomodo proponenda ſit nullitas electio-
nis Vicarii Capitularis, vide apud *Leuren. de Vicar. tract.* 3. 6
*c.*4. *q.*554. *per. tot.*

## Articulus II.

### Quod ea, quæ Vicarius Capitularis facere poteſt, vel non.

Vicarius Capitularis, ſicuti Capitulum, Sede vacante, 1
ſuccedit Epiſcopo in his, quæ illi competunt de Jure communi, non vero in his, quæ ſunt de Jure ſpeciali, ſive Delegato. *Communis*, per text. *in cap. Eam te* 7. *de Reſcriptis*, *cap. Cum olim* 14. *de Majoritat. & Obedient.* cum ſimilibus: in Vicarium enim Capitularem Canonice electum transfertur tota Juriſdictio Capituli, & Jurisdictio Vicarii Capitularis in ſupradictis eadem eſt, quæ fuit Epiſcopi. *Sacra Congregat. Epiſcopor. in Reatina* 21. *Novembr.* 1603. apud Nicolium *in Floſculis verb. Vicarius Capitularis n.*68.

2 Vicarius Capitularis poteſt concedere Dimiſſorias ad Ordines infra annum a die vacationis Sedis arctatis ratione Beneficii recepti, vel recipiendi, ut colligitur clare ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. cap.* 10. *de reformat.* & pluries declaravit expreſſe *Sacr. Congregat.* & ſignanter *in Neapolitana* 12. *Januar.* 1604. *& in Alerina* 24. *Jan.* 1653.

3 Et aliquando conceditur facultas Vicario Capitulari, ut etiam infra annum a die vacationis Sedis Epiſcopalis poſſit concedere Dimiſſorias ad Ordines, cum voto tamen pleni Capituli, ubi pro ſervitio Eccleſiæ id neceſſarium eſſe fuerit judicatum, pro ut *a Sacr. Cong. Epiſc.* conceſſa fuit *Vicario Capitulari Antuerpienſis Eccleſiæ* 15. *Mart.* 1598.

4 Arctati ratione *Beneficii recepti* dicuntur illi, qui obtinent aliquod Beneficium requirens ſervitium perſonale, ratione cujus de Jure, conſuetudine, privilegio, ſtatuto Eccleſiæ, vel fundatione infra annum teneatur ſe promoveri facere ad illum Ordinem, quem requirit tale Beneficium, Barboſa *ad Trident. citat. ſeſſ. 7. cap.* 10. *num.* 16. cum pluribus ibi citatis, Monacell. *tom.* 3. *tit.* 2. *formul.* 3. *n.* 2. & alii paſſim.

5 Arctati autem ratione *Beneficii recipiendi* dicuntur illi, qui habent Jus, ſeu ſunt vocati, aut præſentati ad aliquod Beneficium vacans, ſeu Capellaniam, quæ requirit actu certum Ordinem, quo illi carent. Barboſa *l. cit. num.* 17. cum aliis ibi allegatis, Monacell. *l. cit. num.* 2. & quod præſentati ad Beneficia dicantur arctati, expreſſe declaravit *Sacr. Congr. Epiſcopor. in Squillacen.* 3. *Januar.* 1594. apud Nicolium *l. citat. n.* 70. *verſ. Præſentati*, & Monacell. *tom.* 1. *titul.* 1. *formul.* 2. *num.* 22.

6 Poſt annum vero a die vacationis Sedis Epiſcopalis poteſt Vicarius Capitularis Dimiſſorias ad Ordines quibuſcumque ſuis ſubditis etiam non arctatis concedere. Colligitur clare ex Concilio Tridentino *cit. ſeſſ. 7. cap.* 10. & expreſſe declaravit *Sac. Congr. ejuſd. Concil.* apud Garciam *de Beneficiis par.* 5. *cap.* 7. *num.* 93. & Pellegrinum *l. c. ſubſection.* 2. *num.* 5. & *Sacr. Congr. Epiſcopor. in Neapolitana* 12. *Januar.* 1604. *& in Aleriana* 24. *Jan.* 1653. apud Nicolium *l. c. n.* 70. ubi declaravit, concedere Dimiſſorias poſt annum ſpectare ad Vicarium Capitularem, & non ad Capitulum.

7 Poteſt Vicarius Capitularis etiam ante lapſum anni concedere licentiam extero Epiſcopo exercendi Pontificalia in Eccleſiis Diœceſis, & Ordines conferendi Clericis exteris habentibus litteras ſuorum Epiſcoporum, non tamen Clericis ſubditis vacantis Sedis. *Sacr. Congr. Concil. in Brixien.* 16. *Maii* 1705. Barboſa *de Canonicis, & Dignitat. cap.* 42. *num.* 124. Quaranta *in Summa Bullar. verb. Capitulum Sede vacante quæſt.* 11. Navarr. *conſil.* 27. *de temporis Ordinat.* Molfeſius *in Summa tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 28. Piaſec. *part.* 1. *cap. nu.* 13. *pag.* 39. Marcus Anton. Gennenſ. *in praxi Archiepiſc. Neapolitan. c.* 87. *n.* 33. Marchin. *par.* 6. *c.* 3. *n.* 16. Fornar. *de Ordine c.* 5. *n.* 8. *verſ. Quarto nota*, & alii.

8 Poteſt Vicarius ante lapſum anni obtinenti facultatem a Sede Apoſtolica de ſuſcipiendo Ordines cum licentia ſui Ordinarii, hanc licentiam ſubordinatam concedere. Navarr. *conſil.* 29. *de temporibus Ordinat.* Piaſec. *l. c.* Barboſa *l. c. n.* 123. & alii.

9 Poteſt Vicarius Capitularis dare licentiam Epiſcopo extero confirmandi, Eccleſias conſecrandi, reconciliandi, et alia ad uſum Pontificalium ſpectantia exercendi in ſua Juriſdictione. *Sacr. Congr. Epiſcop. in Nepeſina* 15. *Decembris* 1603. apud Nicol. *l. c. n.* 3. et Pellegrinum *l. c. ſubſection.* 2. *n.* 6.

10 Et ipſemet Vicarius poteſt Eccleſiam non conſecratam reconciliare. *Sacr. Congr. Rit. in Hidruntina* 15. *Decemb.* 1632. apud Bonfadin. *in Theſaur. Eccleſ. deciſ. reſol.* 51. *n.* 23. et Barboſ. *in Summa Collectan.* 712. *n.* 4.

11 Poteſt Vicarius Capitularis Diœceſim viſitare per ſe, vel per alium, et in viſitatione Decreta facere, dummodo ſit lapſus annus a poſtrema viſitatione, nec faciat novitates. *Sac. Cong. Epiſcop. in* Lancianen. 10. *Jun.* 1629. *& Pampilonen.* 3. *Februar. eodem anno in Materanen.* 10. *Decemb.* 1604. cum famulatu, et comitatu ſolito a Conc. Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 3. *de reformat.* præſcripto. *Sacr. Congregat. Conc. in Limana* 10. *Maii* 1629.

12 Item poteſt Diœceſanam Synodum congregare, elapſo anno ab altera Synodo ultimo celebrata. Sic deciſum fuiſſe a *Sacr. Congr. Concil.* referunt Garcias *de Benefic. part.* 9. *cap.* 2. *n.* 8. Card. Petra *tom.* 5. *Comment. ad Conſt.* 4. *Caliſti III. ſect.* 2. *n.* 113. et alii plures. Vide verb. *Synodus n.* 11.

13 Et eo tempore, quo Synodum celebrat, poteſt eligere Examinatores Synodales, extra vero illam non poteſt, ſed uti debet electis antea. *S. Congr. Epiſc. in Neapolitana* 12. *Jan.* 1604.

14 Item Concurſum ad Parochiales vacantes tempore Sedis vacantis facere poteſt, ut poterat Epiſcopus, ſervata forma Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 23. *cap.* 18. *de reformat.* magis idoneum eligere, et approbationem ad Sanctiſſimum Dominum ejuſque Eminentiſſimum Datarium mittere pro confirmatione electionis. *Sacr. Congr. Epiſc. in Ravennaten.* 3. *Februar.* 1604.

15 Poteſt executioni demandare litteras Epiſcopo per Sacram Congregationem directas, et ab illo non executas. *S. Cong. Epiſc. & Regul. die* 10. *Apr.* 1615.

16 Vicarius Capitularis poteſt abſolvere a Cenſuris, et diſpenſare in Irregularitatibus ex delictis occultis Sedi Apoſtolicæ reſervatis provenientibus, in quibus eſt id conceſſum Epiſcopis a Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 6. Sic *Sac. Congr. Concil.* 3. *Decembr.* 1632. apud Barboſam *de Canonicis, & Dignitatibus c.* 42. *n.* 62. *in fine*, *& in Summa Apoſtolic. decis. collectan.* 717. *n.* 5. et Pellegrinum *l. citat. ſubſection.* 2. *num.* 22.

17 Item poteſt Vicarius idoneos Parochialibus vacantibus deputare, donec de Rectore proviſum ſit, et proponere Edicta ad concurſum. *Sacr. Congr. Concil.* apud Aldan. *in compendio canonic. reſolut. lib.* 1. *tit.* 43. *num.* 46. & Barboſ. *in Summa loc. cit. num.* 6. & Pellegrinum *loc. citat. numer.* 25. Vide *ſupra n.* 14.

18 Item poteſt ſibi ſubſtituere Vicarium ad modicum tempus propter ejus abſentiam, vel infirmitatem; Hoc enim ſpectat ad ipſum, & non ad Capitulum. *Sacr. Congr. Concil.* apud Pellegrin. *l. c. n.* 26. & apud Barboſ. *in Summa l. c. n.* 9. Vide verb. *Capitulum art.* 3. *n.* 64.

19 Item poteſt ſine Adjunctis procedere, ſi Epiſcopus, dum vivebat, auctoritatem habebat procedendi ſine illis; Si vero Epiſcopus hoc privilegio non gaudebat, ita nec Vicarius Capitularis. *Sacr. Congregat. Concil.* apud Barboſ. *in Summa l. c. n.* 7. Garciam *de Benefic. part.* 5. *c.* 7. *n.* 32. & Pellegrin. *l. c. num.* 27.

20 Item poteſt cognoſcere cauſas Matrimoniales. *Sac. Congr. Conc.* 30. *Maii* 1602.

21 Item poteſt viſitare Moniales non exemptas, exemptas vero non poteſt; Barboſ. *lib.* 1. *Juris Eccleſiaſt. univerſ. cap.* 32. *n.* 71. Garcias *l. c. cap.* 7. *n.* 45. Pellegrin. *loc. citat. num.* 23. & alii paſſim.

22 Moniales tamen exemptas poteſt viſitare in iis, in quibus datur Epiſcopis facultas perpetua viſitandi tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis; Talis enim delegatio, cum ſit facta Epiſcopis in perpetuum, eſt pars Juriſdictionis ordinariæ, & ſic tranſit ad Vicarios Capitulares; Barboſa *de Canonic. & Dignitatibus cap.* 42. *num.* 107. *& lib.* 1. *Jur. Eccleſ. univerſ. cap.* 32. *num.* 31. *in fine*, Molina *de Juſtitia tract.* 5. *diſput.* 11. *n.* 8. Pellegrin. *l. c. n.* 24. & alii paſſim.

23 Vicarius Capitularis poteſt conferre illa Beneficia, quorum collatio ſpectabat ad Epiſcopum per devolutionem ob negligentiam inferioris. Abbas *in cap.* 2. *num.* 1. *Ne Sede vacante*, Quaranta *in Summa Bullar. quæſt.* 10. Pellegrin. *loc. cit. n.* 30. & alii.

24 Item poteſt in Beneficiorum permutationibus auctoritatem interponere, & conſenſum præſtare, quando collatio partim ſpectat ad Capitulum, & partim ad Epiſcopum; non autem in aliis caſibus. Garcias *de Beneficiis part.* 11. *cap.* 4. *a numer.* 75. Barboſa *libr* 1. *Jur. Eccleſiaſtic. cap.* 32. *numer.* 97. Quaranta *l. c. qu.* 10. Diana *part.* 8. *tract.* 5. *reſolut.* 19. Pellegrin. *l. c. n.* 31. & alii.

25 Item poteſt unire Beneficia in omnibus caſibus, in quibus poteſt Epiſcopus; Dummodo nihil præjudicetur Juri Epiſcopali. Garcias *de benefic. part.* 12. *cap.* 2. *num.* 67. *&* 68. Zerola *prax. Epiſcop. part.* 1. *verb. Unio* §. 11. *& part.* 2. *verb. Capitulum* §. 4. Quaranta *l. c. q.* 9. *verſ. Quæ concluſio*, Pellegrin. *l. c. n.* 32. & alii.

26 Item poteſt commendare Eccleſias ad tempus donec provideantur. Barboſa *cit. lib.* 1. *cap.* 32. *n.* 94. Molina *de Juſtitia, tract.* 3. *diſp.* 11. *n.* 11. *verſ. Licet.* Zerola *loc. cit. part.* 1. *verb. Capitulum* §. *Ad quintum*, Rebuff. *in praxi Benefic. tit. de devolut. n.* 77. *&* 80. Pellegrin. *loc cit. n.* 34. & alii.

27 Item poteſt dare licentiam ædificandi Eccleſiam, & ut acquiratur Juſpatronatus. Pellegrin. *loc. cit. nu.* 35. Lambertin. *de Jure patronat. lib.* 1. *part.* 1. *q.* 5. *art.* 9. Pavinus *de poteſtat. Capit. Sede vacante part.* 5. *q.* 1. *nu.* 5. Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. par.* 3. *allegat.* 70. *nu.* 32. Garcias *de Benefic. part.* 5. *cap.* 8. *n.* 79. & alii.





28 Item poteſt diſpenſare cum illegitimis etiam ex damnato coitu ad Minores Ordines, & ad Beneficium ſimplex cum cauſa. Barboſa *lib.* 1. *Juris Eccleſ. cap.* 32. *n.* 81.; *& part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 45. *numer.* 25. Quaranta *in ſumma Bullar. verb. Capitulum Sede vacante quæſt.* 9. *verſ. Secundo quæro*; Navarr. *conſil.* 31. quod incipit: *Ad Capitulum, de temporibus Ordinat. in antiq.*, *& conſil.* 7. *de filiis Presbyter. in novis*, & alii.

29 Item poteſt ſuſpendere, excommunicare, interdicere, privare, & abſolvere, *cap. His quæ in fine, de Majorit. & Obedient. cap. unic. eod. in* 6. Pellegrin. *loc. cit. num.* 40. Rebuff. *loc. cit. tit. de devolut. num.* 63., & alii apud Dianam *part.* 8. *tract.* 4. *reſolut.* 11. Vide *ſupra num.* 16. ubi fuit concluſum; poſſe Vicarium Capitularem abſolvere ab omnibus Cenſuris, & diſpenſare in omnibus Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, a quibus poteſt Epiſcopus vigore facultatis Concil. Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.*

30 Unde poteſt Monitoria ad finem revelationis concedere, quia eſt actus Juriſdictionis neceſſariæ, ut eſt excommunicationis promulgandæ facultas. Sic declaravit *Sac. Congreg. Concilii* 26. *Octobris* 1590. apud Pellegrin. *loc. cit. num.* 56. & tenent Doctores communiter.

31 Item poteſt gratiam facere ſubditis, ipſiſque remittere pœnas per Epiſcopum mortuum impoſitas, cum hoc ſit de Juriſdictione ordinaria. Riccius *tom.* 1. *Prax. Fori Eccleſiaſtic. reſolut.* 302. Novarius *in Summa Bullar. tit. de Capitul. Sede vacante num.* 12. Marcell. Vulp. *in Prax. Eccleſ. cap.* 44. *numer.* 27. *loc. cit. num.* 64. Alii tamen apud ipſum *loco cit. num.* 64. ſentiunt contrarium. Unde vide verb. *Pœna art.* 1. *num.* 64. ubi affertur decretum Sac. Congr. Concilii, & tene ſicut ibi.

32 Item diſpenſare poteſt in Interſtitiis, ſicuti poteſt Epiſcopus; virtute Concilii Trident. *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 11. 13. *&* 14. ex cauſis ibi expreſſis. Sic declaraſſe *Sacram Congregationem Concilii* teſtantur Marcell. Vulp. *loco cit. cap.* 44. *num.* 27. Pellegrin. *loco cit. num.* 47. & alii. Vide verb. *Interſtitia numer.* 12.

33 Item poteſt ſtatuta facere, quæ totam Diœceſim obligent etiam tempore Epiſcoporum Succeſſorum, donec revocentur. Pavinus *de poteſtete Capitul. Sede vacante part.* 1. *qu.* 6. Marcell. Vulp. *cit. cap.* 44. *num.* 16. Zerola *loco cit. verb. Capitulum* §. 15. Quaranta *loco cit. verſ. Quæro ſecundo*, Pellegrin. *loco cit. num.* 42. & alii.

34 Poteſt compellere Religioſos, qui fuerunt executores Teſtamentarii, ad reddendas rationes adminiſtrationis. Pavinus *loco cit. q.* 7. *num.* 6. Azorius *Inſtitut. moral. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 39. *ſub q.* 6. Barboſa *part.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 82. *numer.* 35. Pellegrin. *loco cit. num.* 44., & alii.

35 Item poteſt eligere rationes ab Adminiſtratoribus piorum locorum; Quaranta *loco cit. verſ. Septimo*, Pellegrin. *loco cit. num.* 45. Zerola *loco cit. part.* 2. *verb. Capitulum* §. 9. & alii paſſim.

36 Item poteſt approbare Confeſſarios pro Sacramentalibus Confeſſionibus excipiendis. *Communis.*

37 Item poteſt Matrimonio celebrando aſſiſtere, & alteri Sacerdoti aſſiſtendi licentiam concedere. *Communis.*

38 Item poteſt licentiam concedere, ut Novitiis per duos menſes ante Profeſſionem poſſint diſponete de ſuis bonis, & donationem, vel ceſſionem facere cuicumque voluerint ſecundum formam Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *de Regularibus cap.* 16. *Communis.*

39 Tandem Vicarius Capitularis poteſt exercere omnem Juriſdictionem competentem Epiſcopo de Jure communi ordinario, non autem de Jure ſpeciali, ſive Delegato; Succedit enim vice Capituli in totam Juriſdictionem Epiſcopi, & poteſt omnia facere, quæ ſunt Juriſdictionis Ordinariæ, niſi expreſſe prohibita reperiantur, *cap. His quæ* 11. *cap. Cum olim* 14. *de Majoritat. & Obedient. cap. Unic. eod. in* 6. *cap. Ad abolendam, de Hæreticis cap. Penultim. & cap. Ultim. de ſupplenda negligentia Prælator.* cum ſimilibus. Et ſic tenent Doctores paſſim.

40 An autem Vicarius Capitularis poſſit totam dictam Juriſdictionem exercere etiam in illis caſibus, in quibus Vicarius Epiſcopi non poſſet ſine ſpeciali mandato: ſeu an totam prædictam Juriſdictionem Epiſcopi tranſeuntem Sede vacante in Capitulum poſſit Vicarius Capitularis exercere ſine ſpeciali mandato ipſius Capituli, etiam in his, quæ ſpeciale mandatum requirunt? Variant Doctores. Affirmativam enim ſententiam tenent Guttierez *Canonic. quæſt. lib.* 1. *c.* 11. *n.* 10. *verſ. Id quod hodie*, Genuenſ. *in praxi Archiepiſcop. Neapolitan. cap.* 86. *n.* 5. Molina *de Juſtitia tract.* 5. *diſp.* 11. *n.* 4. Nicolaus Garcias *de Benefic. part.* 5. *cap.* 7. *n.* 28. Diana *part.* 6. *tract* 7. *reſol.* 41. *in princip. verſ. Secundo videtur*, Et ratio eſt, quia cum Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 16. arctet Capitulum ad eligendum infra octo dies Vicarium, qui totam Juriſdictionem exerceat, non videtur neceſſaria alia ſpecialis commiſſio, & impartitio ſpecialis mandati; Maxime quia per declarationes Sacræ Congregationis Capitulum poſt electionem Vicarii nullam exercere poſſit Juriſdictionem, cum poſt electionem tota Juriſdictio Epiſcopalis tranſeat in Vicarium Capitularem privative quoad Capitulum, non cumulative. *Sac. Cong. Epiſcop. in Hydruntina* 1. *Octobris* 1655. *& in alia Neritonen.* 17. *Septembris ejuſdem anni.* Et Juriſdictio Vicarii Capitularis eadem ſit in his, quæ ſunt Juris communis, quæ fuit Epiſcopi, *Sac. Congreg. Epiſcop. in Reatina* 21. *Novemb.* 1603. Negativam autem ſententiam, nempe non poſſe Vicarium Capitularem facere omnia ea, quæ ſpeciale mandatum requirun, ſi illud non habeant, nec veniunt vigore Mandati generalis; ſeu in Vicarium Capitularem non traſire ea; quæ requirunt ſpeciale mandatum, docent Pellegrinus *loc. cit. ſub ſection.* 2. *n.* 67. & alii apud ipſum, Barboſa *in Summa collectan.* 717. *n.* 13. ubi ex Decreto *Sac. Congr. Concilii* dicit, quod Vicarius Capitularis deputatus cum generali commiſſione, non habet facultatem faciendi illa, quæ indigent ſpeciali delegatione, Fagnanus *in cap. A nobis* 21. *num.* 49. *de ſententia excommunicat.* dicens ſic ſæpius reſpondiſſe Sacram Congregationem Concilii, Piaſec. *in praxi Epiſcop. part.* 2. *c.* 1. *n.* 18. referens ſic declaraſſe *Sacram Congregationem Concilii die* 5. *Decemb.* 1632. *in una Camenecen.* in qua dubitatum fuerat pro parte dicti Epiſcopi Camenecen. *An facultas competens Epiſcopis vigore Concilii Tridentini cap.* 5. *ſeſſ.* 24. *de reform. transferatur in Vicarium Capitularem Sede vacante?* Et *Sac. Cong. Cardinal. Concilii Tridentini Interpretum inhærendo declarationibus alias factis reſpondit eam facultatem transferri in Vicarium Capitularem Sede Epiſcopali vacante; Dummodo talis facultas ſpecialiter per Capitulum eidem Vicario tributa fuerit.* Et ita etiam tenuit Rota in *Maurinenſi Penſionis* 25. Junii 1626. *coram D. Pirovano in fine*, & *in Burgen. Canonicatus coram D. Gypſio Addit. ad Garciam de Benef. part.* 5. *cap.* 7. *num.* 29. *verſ. Sed poſtea.* Et ratio eſt, quia Concilium Tridentinum nihil diſpoſuit de hoc, ſed ſolum arctavit Capitulum ad conſtituendum Vicarium infra octo dies, & nihil aliud ſancivit; Unde caſus omiſſus remanet in diſpoſitione Juris Communis, quando Lex nova nihil diſponit; Ante autem Concilium Tridentinum in Vicarium Capitularem non tranſibat major poteſtas, quam in Vicarium Epiſcopi, ut tradunt Pavinus *de poteſtate Capituli Sede vacante q.* 10. 2. *part. n.* 17 Mandoſ. *in Regul.* 24. *Cancellar. q.* 6. *num.* 10. Sbroz *de Vicar. Epiſcop. lib.* 2. *q.* 4. *n.* 5. Quaranta *in Summa Bullar. Verb. Capitulum Sede Vacante quæſt.* 2. *num.* 15. *verſ. Circa quam commiſſionem*: ergo ut concludit Pellegrin. *loc. cit. n.* 47. ceſſat omnis dubietas, cum etiam accedant prædictæ declarationes Sacræ Congregationis Concilii, & Rotæ Romanæ deciſiones; Unde niſi praxis ſit in contrarium, non eſt ab hac opinione recedendum; in praxi autem ſervari, quod quotieſcumque eligitur Vicarius Capitularis, a Capitulo detur illi omnis facultas, quam Capitulum habet, & dare poteſt, etiam in his, quæ ſpeciale mandatum requirunt, fatentur non pauci; adeoque in hoc ſervanda eſt praxis, & legitima conſuetudo cujuſque Diœceſis, ac Provinciæ, *arg. cap. Cum tanto* 11. *de conſuetudine.* Vide verb. *Juriſdictio n.* 18. ubi concluſum fuit, Juriſdictionem Vicarii Capitularis eſſe ordinariam.

41 Non poteſt Vicarius Capitularis infra annum a die vacationis Sedis Epiſcopalis concedere Dimiſſorias ad Ordines non arctatis, textu expreſſo in Concilio Tridentin. *ſeſſ.* 7. *cap.* 10. *de reform.*

42 Immo neque poteſt infra dictum annum Dimiſſorias concedere non arctatis ad primam Tonſuram. Barboſa *ad Concil. Trid. cit. ſeſſ.* 7. *cap.* 10. *n.* 2. Quaranta *loc. cit. verb. Capitulum Sede vacante verſ. Decimo quæro*; Garcias *de Beneficiis part.* 5. *cap.* 7. *n.* 95. Moneta *de commutat. ult. volunt. c.* 10. *n.* 173. Riccius *deciſ.* 175. *n.* 2. *part.* 4. Card. de Luca *ſupra Concil. diſcurſ.* 31. *num.* 32. Ventriglia *in praxi par.* 2. *annotat.* 15. §. 1. *num.* 32. Pellegrin. *loc. c. ſub ſection.* 3. *n.* 4. Majol. *de Irregular. lib.* 4. *c.* 2. *num.* 3. Monac. *tom.* 3. *tit.* 2. *formul.* 3. *n.* 3. *& ſeq.* ubi recedendo a contraria ſententia,

quam tenuerat *tom. 1. tit. 1. formul. 2. n. 23.* ſolide probat
43 hanc noſtram ſententiam, & ſic tenent plures alii. Poteſt tamen dimiſſorias ad primam Tonſuram concedere iis, qui ſunt præſentati a Patronis Laicis ad Beneficia Juriſpatronatus ipſorum, ut ſic illa obtinere valeant, qui tales præſentati ad dicta Beneficia dicuntur arctati, ut declaravit *Sac. Cong. Concilii in Squillacen. 3. Januarii* 1694. & tenent ſupracitati Doctores, & alii paſſim.

44 Neque poteſt Vicarius Capitularis infra dictum annum concedere Dimiſſorias ad Ordines, etiamſi Capitulum habeat Territorium diſtinctum & exemptum, & pacifice poſſideat ab immemorabili, & in eo Juriſdictionem ordinariam habeat. Riccius *in Deciſ. Curiæ Epiſcopal. deciſ.* 184. *part.* 4. Quaranta *loc. cit. verſ. Decimo quæro*, Barboſ. *ſupra Concil. citat. ſeſſ. 7. cap.* 10. *num.* 14. Pellegr. *loc. cit. n. 6.* & alii.

45 Vicarius Capitularis concedens infra dictum annum Dimiſſorias non arctatis incidit in pœnam Interdicti, juxta diſpoſitionem Concilii Trid. *cit. ſeſſ. 7. cap.* 10. & non in pœnam Suſpenſionis per annum juxta *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. Barboſa *ſupra Concil. cit. ſeſſ. 7. cap.* 10. *num.* 18. Molina *de Juſtitia tract.* 5. *diſp.* 11. *nu.* 4. Fraciſc. Leo *in Theſauro Fori Eccleſ. part.* 3. *cap.* 8. *n.* 48. & alii. Ita quod non prohibeatur concedere alias Dimiſſorias. Rota *in Burgenſi Canonicatus* 17. *Octobris*, *& 28. Novembris* 1586. *coram Gypſio*.

46 Et dicta pœna incurritur a Vicario Capitulari, quamvis is cui conceſſit Dimiſſoriam, uſus non fuerit, quia actus jam fuit conſummatus quoad Vicarium concedentem, cum per ipſum non ſteterit ſic deciſum fuiſſe *a Sac. Congr. Concilii* referunt Garcias *de Benefic. part. 5. cap. 7. n. 92. in addition.* Barboſa *ſupra Concil. cit. ſeſſ. 7. cap.* 10. *n.* 19. Marchin. *de Sacrament. Ordinis tract.* 1. *part. 6. cap. 3. num.* 15 Pellegrin. *loc. cit. num.* 4.

47 Sic ordinati cum Dimiſſoriis Vicarii Capitularis infra annum a die vacationis Sedis Epiſcopalis, ſi in Minoribus Ordinibus conſtituti fuerint, nullo privilegio Clericali præſertim in Criminalibus gaudent; Et ſi in Majoribus remanent ſuſpenſi ab Executione Ordinum ad beneplacitum futuri Epiſcopi, textu expreſſo *in cit. ſeſſ. 7. cap. 10. n.* 20., *& leg. 1. Juris Eccleſiaſtic. Univerſ. cap.* 32. *n.* 131. ubi ex Marchin. *cit. part. 6. cap. 3. num.* 13. ſubdit dictam pœnam privationis privilegii Clericalis hodie non incurri, niſi poſt Judicis declarationem, juxta Conſtitutionem SS. D. N. Urbani VIII. contra male promotos.

48 Non poſſe Vicarium Capitularem infra annum dictæ vacationis concedere licentiam Epiſcopo extero commoranti in Diœceſi, ut ordinet Regulares etiam prævio examine per ipſum Vicarium facto, tenent Barboſa *ſupra Concil. cit. ſeſſ.* 7. *cap.* 10. *n.* 3. *& tract. de Canonicis, & Dignitatibus cap.* 42. *num.* 121. *& lib. 1. Juris Eccleſ. cap.* 32. *n.* 121. Raguc. *de voce Canon. part.* 39. *num.* 4. At rectius contarium docent Navarr. *conſil.* 27. *de Temporibus Ordinat.* Quaranta *loc. cit. verb. Capitulum Sede vacante q.* 11. Genuenſ. *in prax Archiepiſcop. Neapolitan. cap.* 87. *n.* 33. Piaſec. *in Prax. Epiſcop. part. 1. cap. 1. n.* 13. & alii.

49 Licet non poſſit nunc Vicarius Capitularis Dimiſſorias ad Ordines concedere infra annum non arctatis, ex nova diſpoſitione Concilii Trid. *ſeſſ. 7. cap.* 10. *& ſeſſ.* 23. *cap.* 10. *de reform.* Poterat tamen ante Concilium de Jure communi illas concedere indiſtincte arctatis, & non arctatis, *c. Cum nullus 3. de temporibus Ordinat. in 6.*

50 Dimiſſoriæ a Vicario Capitulari, ſive poſt annum a die vacationis in caſu permiſſo rite, & recte conceſſæ non expirant per ingreſſum novi Epiſcopi, quia gratia ſemel obtenta, non expirat morte concedentis, *cap. Si ſuper gratia 9. de Officio Delegati in 6. cap. Si cui 36. de præbend. in 6.* Et ſic tenent paſſim Doctores recte notantes, quod licet de Jure tales Dimiſſoriæ non expirent, poteſt tamen novus Epiſcopus illas per Edictum revocare, ſicuti & omnes alias ab Epiſcopo prædeceſſore conceſſas ſimiliter annullare.

51 Quamvis Vicarius Capitularis nequeat infra dictum annum Dimiſſorias ad Ordines concedere non arctatis, poteſt tamen expedire intra dictum annum illas Dimiſſorias, quas Epiſcopus defunctus nominatim conceſſerat ante obitum, & morte preveniente non expedierat. *Sacra Congr. Concilii in Mexicana Litterarum Dimiſſorialium* 24. *Aprilis* 1700. apud
52 Monacell. *tom. 1. tit. 4. formul. 5. numer.* 2. Talis enim conceſſio Dimiſſorialium eſt gratia, quæ non expirat morte concedentis per Jura adducta *num. antecedenti*.

53 Vicarius Capitularis non poteſt concedere Indulgentias. Card. Petra *t. 3. Commentar. ad Conſtitut. 16. Alexandri IV. num.* 28. ubi dicit, quod in hanc ſententiam videtur fuiſſe *Sac. Cong. Conc. ſub die* 13. *Novembris* 1688. ibi: *Dubium Indulgentiarum. Quæritur, An Vicarius Capitularis, Sede Epiſcopali vacante, facultatem habeat concedendi Indulgentias quas ceteroquin concedere poteſt Epiſcopus vivens; Sacra Cong.* Reſpondit, *Vicarius ſe abſtineat*. Et ſic tenent Archidiaconus *in cap. 1. de Pænit. & remiſſionibus in 6.* Cardinal. *in cap. Accedentibus* 12. *de exceſſibus Prælator.* Fagnan. *ibid. n.* 7. Sotus *in 4. diſt. 21. q. 1. art.* 4. Lavorius *de Indulgentiis part. 2. cap. 11, n.* 52. Pax Jordan. *tom. 1. lib. 5. tit. 16. n.* 27. Bonacina *tom. 1. diſp. 6. de Indulgent. q. 1. punct. 3. num.* 23. Monacell. *tom. 4. ſuplement. ad 3. tom. num.* 64. ubi dicit, quod poſſet Vicarius Capituli accuſari tempore Sedis vacantis ipſum conceſſiſſe Indulgentias, quas Epiſcopus vivens concedere conſuevit, nam talem poteſtatem Vicarium Sedis vacantis non habere conſtat ex declaratione *Sac. Cong. Conc.* 13. *Novembris* 1688. quæ dubio propoſitio reſpondit: *Abſtineat*. Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſtat. Epiſcopi alleg.* 88. *numer.* 21. cum Navarr. Selu. Cordub. Ledeſma, Torreblanca, Henriq. Suarez, Reginald. Sanctarell. Rhedo, & aliis, contra Silveſtrum, Lazarium, Zerolam, Aloyſium Riccium, Azorium, & alios, & etiam contra ipſum Barboſam *libr. 1. Juris Eccleſiaſtic. capit. 32. numer. 91. & tractat. de Canonicis, & Dignitatibus cap. 42. num.* 91. Et ratio noſtra eſt, quia licet concedere Indulgentias ſit actus Juriſdictionis, eſt tamen actus reſervatus Dignitatis Epiſcopali, cum ſit de Majoribus; *cap. Accedentibus 12. de exceſſibus Prælatorum*, ubi Fagnan. *num.* 17. cum pluribus ibi citatis, adeo ut etiam Auctores contrarii fateantur tutius eſſe, quod Capitulum, ſeu Vicarius committat alicui Epiſcopo, ut indulgentias concedat nomine ipſius Capituli.

54 Vicarius Capitularis, Sede vacante nequit quidquam innovare in præjudicium Eccleſiæ, aut Epiſcopi. *Communis*, textu expreſſo *in c. Novit ille 1. Ne Sede vacante.*

55 Neque poteſt conſumere, aut aliquo modo in proprios, vel alienos uſus convertere bona, Sede vacante, Eccleſiæ relicta, aut eo tempore collecta; Et ſi ſecus fecerit, tam ipſe, quam quilibet alius id faciens remanet ſuſpenſus ab Officio, & beneficio, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, ſtatutis, conſuetudinibus, textu expreſſo *in capit. Quia ſæpe 40. de electi on. in 6.*

56 Neque poteſt conferre Beneficia ſpectantia ad ſolam collationem Epiſcopi, textu expreſſo *in cap. Illa 2. Ne Sede vacante.*

57 Et hoc etiamſi collatio ſpectaret ad Epiſcopum cum conſenſu, vel conſilio Capituli, quia adhuc Capitulum, Sede vacante, conferre non poteſt, *cap. Unico §. Cum vero, Ne Sede vacante in 6.*

58 Poteſt tamen conferre Beneficia illa, quorum collatio ſpectat ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul, textu expreſſo *in cap. Unico §. Ne Sede Vacante in 6.*

59 Neque poteſt ſupprimere Beneficium, & unire Capitulo. Sic declaraſſe *Sac. Cong. Concilii ſuper cap. 15. de reform. ſeſſ.* 24. refert Pellegrinus *loc. cit. ſubſect. 3. num.* 21.

60 Neque poteſt donationem Juriſpatronatus confirmare, nam in illa debet neceſſario intervenire Epiſcopi conſenſus, Rota apud Farinac. *deciſ.* 257. *n. 1. part. 2. recent. dec.* 576. *p. 1. recent.* Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 303. *n.* 10. *cum ſeq.* Lambertin. *de Jurepatronat. lib. 1. part. 2. q. 1. artic. 2. numer 3. & art. 4. per tot.* Pellegrin. *loc. cit. n.* 22. & alii.

61 Neque poteſt ſubſtituere novos Examinatores in locum Examinatorum abſentium, aut defunctorum, ſed curare debet, ut elapſo anno alii in locum demortuorum eligantur in Synodo, alioquin pro legitimis non habebuntur, qui ſupererunt. *Sac. Cong. Conc.* apud Garciam *de Benefic. in addit. p. 5. c. 2. n.* 78. & Barboſa *in Summa Apoſtolic. dec. collectan.* 717. *n.* 14. & Pellegrinum *loc. cit. n.* 24.

62 Neque poteſt exequi Commiſſiones Apoſtolicas in *forma dignum*, & alias directas Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali intuitu Officii, vel ſub nomine Dignitatis. *Sac. Concil. 2. Aug.* 1631. apud Barboſ. *loc. cit. num.* 11.

63 Neque poteſt expedire diſpenſationes Matrimoniales directas Epiſcopo, & ejus Vicario Generali. *Sac. Cong. Concilii 24. Maii* 1721. apud Barboſam *loc. cit. n.* 12.

64 Neque poteſt cognoſcere cauſas confugientium ad Eccleſiam, vel ab illa extractorum. *Sac. Cong. Immun. 15. Februarii* 1633. apud Barboſam *loc. cit. n.* 15.

Neque



65 Neque prohibere poteſt, ne quis, Sede vacante, promoveatur ad Ordines. *S. Cong. Epiſcop. in Siracuſana 13. Martii* 1604.

66 Neque poteſt licentiam concedere erigendi nova Monaſteria, & Conventus. *Sacra Congregat. Epiſcoporum 19. Februar.* 1633.

67 Neque poteſt ſuſpendere, & iterum examinare Confeſſarios Regulares ab Epiſcopo defuncto examinatos, & ſimpliciter approbatos abſque præfixione temporis, vel ad tempus nondum elapſum, propter privilegium, quod habent a Clemente IV. ut ſæpius declaravit *Sacra Congr. Conc.* Pellegrin. *loc. cit. n.* 31. & alii paſſim. Vide verb. *Approbatio art. 1. a n. 54 ad* 58. ubi affertur dictum privilegium, & dantur citata Decreta.

68 Neque poteſt, neque debet expedire cauſas, quæ patiuntur dilationem imminente proviſione Eccleſiæ, niſi fuerint ſibi ſpecialiter delegatæ, ſed relinquere expeditionem novo Epiſcopo. Sic declaravit *Sacr. Congreg. Epiſcop. in Neapolitana 17. Maii* 1594. *& in Narnien. 15. Maii* 1601. *& 21. Maii ejuſdem anni*, Sic pariter debet tali tempore imminentiæ novi Epiſcopi abſtinere a dandis Dimiſſoriis, ſeu teſtimonialibus ad Ordines. *Sacr. Congregat. Epiſcopor. in Brixien. 20. Novembris* 1654.

69 Adducitur noviſſima reſolutio Sacræ Congregat. Concilii quoad aliqua dubia de Vicario Capitulari in ipſa propoſita, ut ſequitur.

I. *An Vicario Capitulari Turritano liceat procedere in cauſis Canonicorum Eccleſiæ Metropolitanæ, tam in Communi, quam in particulari, non obſtante illius ſuſpicione, ſeu recuſatione per eoſdem Canonicos, ſeu Capitulum allegata in caſu &c.*

II. *An competat Capitulo Metropolitano Turritano facultas recipiendi recuſationes Vicarii Capitularis per Diœceſanos Turritanos propoſitas, ſeu proponendas, & reſpective deputandi Arbitros pro admittendis, ſeu rejiciendis cauſis earumdem recuſationum in caſu.*

III. *An præfato Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ licitum fuerit recipere ſuſpiciones, ſeu recuſationes ejuſdem Vicarii coram ipſo propoſitas per Rev. D. Antonium Murgiam Rectorem Eccleſiæ Parochialis de Oſſi; & Rev. P. Antonium Franciſcum Serram Plebanum Eccleſiæ Parochialis de Oſilo in caſu &c.*

IV. *An Cenſuræ relaxatæ per eundem d. Vicarium Capitularem adverſus Archipresbyterum, Decanum, & Canonicum antiquiorem prædictæ Eccleſiæ ſuſtineatur in caſu &c.*

*Sacra Congregatione Concilii in Turritana* 16. *Decembr.* 1724. Reſpondit.

*Ad* I. *Affirmative*. *Ad* II. *&* III. *Affirmative* *Ad* IV. *Negative*.

Et repropoſita cauſa ſub dubio: *An, & in qua parte ſit ſtandum vel recedendum a deciſis* 15. *Decembris* 1724. *Ead. Sac. Congr. die 13. Januarii* 1725. Reſpondit, *Ad* I. *&* II. *in deciſis*. *Ad* III. *recedendum a deciſis*. *Ad* IV. *in deciſis*.

70 Vicarius Capitularis, Sede vacante, tueri debet Jura Eccleſiæ pro exemptione fructuum ſpectantium ad Menſam Epiſcopalem. *Sac. Cong. Immun. in Liparina 8. Junii* 1626. *lib. 1. Decret. Paul. pag.* 2.

71 Poteſt, & debet procedere pro defenſione Immunitatis, & Juriſdictionis Eccleſiaſticæ. *Sacra Congreg. Immunit. in Regien. 8. April.* 1642. *lib. 3. Decret. Paul. pag.* 173. *in Mediolanen. 16. Aprilis* 1632. *lib. 2. Decret. Paul. pag.* 124.

72 Non habet tamen facultatem, quam habet Epiſcopus in Caſibus Bullæ Gregorii XIV. ſuper Immunitate, ideoque cognitio ſpectat ad Epiſcopum viciniorem. *Sacr. Congr. Immunit. in Vercellen. 9. Novembr.* 1650. *lib. 4. Decret. Pauluc. pag.* 125.

73 Vicarius Capitularis non habet facultatem, quæ competit Epiſcopo quo ad Caſus Bullæ Greg. Unde jubetur reſtituere Eccleſiæ Reum homicidii prætenſi exceptuati a ſe extractum, & datur ei facultas denuo extrahendi ad formam Bullæ, & ſubjungitur, ut denuo conficiat Proceſſum, ac tranſmittat. *Sac. Cong. Immun. In Calaritana 30. Septemb.* 1698. *lib. 2. Decret. Vallem. pag.* 178.

74 Non poteſt cognoſcere ſuper extractione, & violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ, ſed hoc ſpectat ad Epiſcopum viciniorem. *Sacr. Gongr. Immunit. in Regien. 19. Novemb.* 1641. *lib. 3. Decr. Paul. pag.* 161.

75 Et in prædictis delinquens jubetur accedere ad Urbem. *Sacra Congreg. Immun. in una S. Severini 29. Aprilis* 1704. *lib. 3. Decr. Vallemani pag.* 577.

76 Etiam jubetur reſtituere Reum prætenſi homicidii exceptuati, quem extraxerat vigore Litterarum ejectionis. *Sacra Congreg. Immunit. in Firmana 10. Maii* 1693. *lib. 1. Decret. Vallem. pag.* 45.

77 Vicario Capitulari non licet dare licentiam viſitandi loca Immunia. *Sacra Congr. Immunit. in Bobien 2. Martii* 1700. *lib. 2. Decret. Vallem. pag.* 275.

78 Quare Vicarius Capitularis monetur quia dederit Curiæ Laicæ licentiam exhumandi Cadaver loco immuni pro facienda recognitione. *Sacra Congr. Immun. in Spoletana 11. Maii* 1633. *lib. 3. Decret. Alt. pag.* 176.

79 Cum Vicarius Capitularis, & Pro-Vicarius ordinaverint extractionem prætenſi Rei Aſſaſſinii, qui poſtea per d. Vicarium Capitularem prævia declaratione, quod non deberet frui immunitate Eccleſiaſtica, traditus fuerat Curiæ ſæculari, a qua damnatur in pœnam ultimi ſupplicii; Sacra Congreg. cenſuit tam Vicarium, quam Pro-Vicarium, & alios Cooperatores eſſe incurſos in Cenſuras, & concedit facultatem Epiſcopo abſolvendi omnes coram Capitulo in forma conſueta, facta Eccleſiæ læſæ competenti Eleemoſyna arbitrio Epiſcopi, & inhabilitatis ab Officio Vicariatus, & Pro-Vicariatus arbitrio Sacr. Congreg., nec non monitis de Irregularitate incurſa. *Sac. Congr. Immunit. in Mantuana 18. Martii* 1680. *lib. Decret. Mart. pag.* 62.

80 Vicarius Capitularis, qui cum Curia Laica perquiſivit, & extraxit confugitos ab Eccleſia, non ſolum non eſt executus ſuas partes hujuſmodi violationes impediendo, ſed etiam animum dedit violatoribus, vocatur ad Urbem, & agitur cum Secretario Sac. Congreg. Epiſc. pro proviſione alterius Vicarii, *Sacra Congr. Immun. in Acerren. 31. Julii* 1674. *lib. 1. Decret. Altov. pag.* 974.

81 Vicarius Capitularis extrahere faciens ab Eccleſia Curſorem Curiæ Archiepiſcopalis, mandet reſtitui, & acriter moneatur, reficiat carcerato damna paſſa, & conſulat conſcientiæ ſuæ. *Sacra Congregat. Immunit. in Salernitana 22. Januarii* 1652. *lib. Decret. Grim. pag.* 80.

82 Idem Vicarius abſolvens Cenſuratum talem a ſe declaratum ob violatam immunitatem, reintegret Cenſuras, & conſulat conſcientiæ ſuæ. *Sacr. Congr. Immun. in Squillacen. 9. Maji* 1676. *lib. 1. Decret. Alt. pag.* 1243.

83 Injungitur Vicario Capitulari, ut declaret abſolutionem a ſe datam eſſe nullam, & agitur cum Secretario Sac. Congr. Epiſc. ut deputet alium Vicarium. *Sac. Congr. Immun. in Aquilana 14. Novembr.* 1614. *lib. Decret. Rocci pag.* 434.

84 Cum facultate tamen Sacræ Congreg. poteſt abſolvere a Cenſuris ob violatam Immunitatem *Sac. Congreg. Immun. in Vercellen. 30. Julii* 1695. *lib. 1. Decr. Vallem. pag.* 206.

85 Non debet impedire confugium. *Sac. Cong. Immun. in Terracinen. 18. Novemb.* 1664. *lib. Decret. Rocci pag.* 599.

86 Aliquando jubetur reſtituere pecuniam ſibi erogatam pro excarceratione Sacerdotis. *Sac. Congr. Immun. in Oritana 22. Aprilis* 1698. *lib. 2. Decret. Vallem. pag.* 149.

87 Aliquando ei injungitur, ut mandet nulliter extractum reſtitui, & deinde extrahat ad formam Bullæ, conficiat Proceſſum, & tranſmittat. *Sac. Cong. Immun. in Tropien. 27. Januar.* 1665. *lib. Decret. Rocci pag.* 117.

88 Vicarius Capitularis Acherontiæ contra Ordines Sanctiſſimi, & Sacræ Congreg. obediens Litteris Regiis de accedendo Neapolim, declaratur ſuſpenſus a Divinis, privatur Vicariatu, & inhabilitatur ad hujuſmodi Officia, & ei præcipitur, ut diſcedat ab Urbe; & Decretum præfatum notificatur tam Nuncio, quam Capitulo per Litteras, quæ ad futuram rei memoriam retineantur in Actis Nunciaturæ, & Curiæ Eccleſiaſticæ Acherontinæ, & ſi non juſtificaverit allatam legitimam excuſationem, inhabilitandus eſt etiam ad Beneficia. *Sacr. Congr. Immun. in Acherontina 5. & 13. Julii* 1633. *lib. 2. Decret Paul. pag.* 160.

89 Vicarius Capitularis, ſeu Capitulum Sede vacante non poteſt conferre Beneficia de Jurepatronatus, quando ex lege fundationis conferri debent uni ex conſanguineis, affinibus, concivibus, ſeu perſonis ex certa familia, loco, ſeu Collegio, quia tunc ſicuti non poteſt Sede vacante ſe ingerere in collatione Beneficiorum liberæ collationis etiam devoluta, cum collatio Beneficiorum in tali caſu, etſi jure devoluto, ſit

ſem-

ſemper liberalitas, & gratia, ſeu gratificatio erga perſonam arbitrio conferentis eligendam, ſicque non neceſſaria, ſed libera, dum potius uni quam alteri Beneficium conferre poteſt, quæ eſt una ex rationibus, ob quas Vicarius Capitularis, ſeu Capitulum Sede vacante non poteſt conferre Beneficia ad ordinariam Epiſcopi collationem ſpectantia *ex cap. Illas* 2. *Ne Sede vacante*; Ita ſequitur quod data hujuſmodi Beneficiorum devolutione, collatio ex tali jure non ſpectat ad Vicarium Capitularem ſed ad Sedem Apoſtolicam vigore Regulę ſecundæ Cancellariæ. Sic Rota *in Cremonen. Præpoſituræ* 5. *Apr.* 1683. §. *Hoc poſito, coram Urſino*, ac ita *in una Calaritana Beneficii* fuit in Curia judicatum per binas ſententias conformes *de anno* 1687. *a R.P.D. De Aſte, &* 1688. *a R.P.D. de Effectibus*, apud Rigant. *tom.* 1. *in Regul.* 2. *Cancellariæ* §.3. *n.* 154. *&* 155. ubi ad id ſecum adducit Wames *conſil.*260. *n.* 3. Fermoſin. de *Capitul. Sede vacante quæſt.* 33. *num.*5. *& ſeq.* Lotter. *de re Beneficiar. lib.* 2. *quæſt.* 1. *n.*21. Gonzal. *ad Regul.* 8. *gloſſ.* 9. §. 1. *n.*75. *&* 77. Marchet. *de Vicar. Capitul. tit.* 32. *n.*45. *& ſequent.* ac alios.

90 Sic etiam quando Teſtator in fundatione Beneficii jus illud conferendi relinquit Epiſcopo pro tempore exiſtenti, cum in tali caſu agatur de jure ſpeciali, & accidentali, & non de jure proveniente, vel ab ordinaria Epiſcopi poteſtate, vel a juris diſpoſitione, non poteſt tale jus tranſire in Vicarium Capitularem, ut diſtinguunt Felin. & cæteri Interpretes, *in cap. Cum olim, de Majoritat. & obedient.* Roman. *conſ.*506 *num.*14. Sbroz *de offic. Vicar. lib.*2. *qu.*30. *num.*3. *& quæſt.* 188. *num.* 6. Garcias *de Benefic. par.*5. *cap.*7. *num.*39. & alii. Et ad id facit reſolutio Sac. Congr. Concil. *in Cluſina die* 10
91 *Martii* 1 56. Hinc Beneficii collatio a Vicario Capitulari expleta Titulum coloratum non tribuit. Rigant. *tom.*3. *in Regul.*36. *Cancellar. num.*122. ubi ad id varios adducit Doctores, & Rot. *in Segobien. Canonicatus* 11. *Aprilis* 1704. §. *Altera, coram Scot.* confirmat 9. *Maii* 1705. *coram Anſald.*

92 Vicarius Capitular juriſdictionem Epiſcopalem ad Capitulum devolutam, independenter ab ipſo Capitulo exercet. Benedict. XIV. *de Synodo Diœceſ. lib.* 2. *n.* 1. Vide *tom.* 2. verb. *Capitulum art.* 3. *n.* 63. *& ſequent.* & ſupra *art.*1. *nu-*
93 *mer.*3. Vicarius Capitularis poteſt ſua auctoritate ordinaria conficere proceſſus ſuper fama virtutum, & miraculorum Servorum Dei; quos conficere potuiſſet Epiſcopus. Idem *Ibid. num.*2. *& de Canonizat. Sanctor. lib.* 2. *par.*2. *num.* 2.
94 Immo ab ipſamet Sede Apoſtolica ad Vicarium Capitularem quandoque diriguntur Litteræ Remiſſoriales pro conficiendis proceſſibus Apoſtolicis ſuper virtutibus, & miraculis tum eorumdem Servorum Dei, tum etiam eorum, qui jam in Beatorum Album ſunt relati. Idem *ibid. num.*2, *& cit. lib.*2.
95 *cap.*45. *num.*17. Quamobrem *cit. num.*2. ingenue fatetur nondum hactenus percipere potuiſſe, cur Dataria Apoſtolica diſpenſationes, quæ ex mente Tridentini *ſeſſ.*22. *de reformat. cap.*5. extra Curiam committendæ ſunt Ordinariis locorum, in quibus degunt illas impetrantes, numquam conſueverit committere Vicariis Capitularibus, quamvis eaſdem com-
96 mittere ſoleat Vicariis Generalibus. Plura alia de Vicario Capitulari. Vide *tom.*2. *verb. Capitulum art.*3. & ſupra, ubi abunde de omnibus, & inſuper in dict. *tom.* 2. *verb. Con-*
97 *cilium art.*2. *a num.*7. *ad* 9. Ubi quod Synodus Provincialis non a Vicario Capitulari Metropolitanæ vacantis, ſed ab antiquiori Epiſcopo ſuffraganeo eſt indicenda ex Decreto *Sa-*
98 *cræ Congregationis Concilii in Taraconenſi* 13. *Maii* 1604. Et quod abſente, vel impedito, ſeu mortuo Archiepiſcopo convocanda eſt Synodus Provincialis ab antiquiore Epiſcopo exempto, quamvis antiquiore, ex Decreto *ejuſdem Congregationis in Burgen. die* 17. *Aprilis* 1649.

99 Alia de Vicario Capitulari, vide verb. *Capitulum*, & verb. *Ordo*.

100 Vicarius Capitularis, loco defuncti Epiſcopi, in Miſſa nominari non debet; Benedict. XIV Conſtitut. incip. *Ex quo*
101 *primum* §. 20. Vicarius Capitularis in locis Miſſionum, ubi reſident Epiſcopi, a Capitulo, vel Parochis, juxta veterem conſuetudinem, eligi debet ſtatim ab obitu Epiſcopi; Idem Conſtit. incip. *Quam ex ſublimi* §.3. Si vero nullum adſit Capitulum, nec Parochorum numerus, a quibus electio perficiatur Vicarius Generalis defuncti Epiſcopi, Pontificis auctoritate conſtituitur Vicarius Capitularis. Idem *ibid.* §. 4. Et Doctoratus neceſſitas tollitur, dummodo alia requiſita in eligendo concurrant.

102 Vicariis Capitularibus per Regnum Neapolitanum, & Vicariis Generalibus ægrotantium Prælatorum ejuſdem Regni, quæ cura circa Spolia ſit commiſſa, & demandata; Vide ſupra verb. *Spolia*.

Vicariis Capitularibus in Regno Neapolitano prohibetur 103
conceſſio Litterarum dimiſſorialium pro prima Clericali Tonſura aliiſque Ordinibus, etiamſi annus a die vacationis Eccleſiarum elapſus ſit, abſque ſpeciali facultate Sac. Congregationis. Clemens XI *part.*3. *Bull. Epiſt.*2. *&* 3. *Sacr. Congr. Epiſcop. & Regul.*

*Novæ Additiones ex aliena manu.*

Num Capitulum eligendo Vicarium Capitularem poſſit 1
aliqua reſervare a ſe ipſo exercenda? Affirmant *Pirhing. ad titul. de offic. Vicar. num.*78. *Pignatell. Conſultat. Canon. tom.*9. *conſult.* 59. *num.* 4. *Ventrigl. in Prax. For. Eccleſ. tom.*2. *Adnot.* 15. §. 2. *num.*18. *Ragucc. de Voc. Canon. qu.* 40. *num.*14.

Tradunt vero Auctores hujus affirmativæ ſententiæ, quod 2
ſi reſervatio concernat ea, quæ ſunt voluntariæ Juriſdictionis minime repugnat, ut ipſa exerceantur ab ipſo Capitulo; contra vero ſi reſervata ſint illa, quæ ſpectant ad Juriſdictionem contentioſam, debeant hæc a Capitulo alteri delegari.

Negativam vero ſententiam tenent *Fagnan. in cap. His,* 3
*quæ numer.* 72. *de major. & obed. Leuren. de Vicar. tract.*3. *cap.*5. *qu.*565. *num.*2.

Quod ſi Capitulum haud poteſt aliqua ſibi reſervare Vica- 4
rium Capitularem eligendo, multo minus poteſt quidquam ad ſe avocare poſtquam jam Vicarium Capitularem elegit; *Leuren. ubi ſupra qu.*567. *num.*2.

Ex his etiam patet vera reſolutio ad quæſtionem, de qua 5
agit Auctor *num.*40. an ſcilicet poſſit Vicarius Capitularis vigore ſuæ electionis exercere ea, quæ ſpeciale mandatum Epiſcopi requirerent reſpectu Vicarii Generalis. Si enim Capitulum nil ſibi poteſt reſervare eligendo Vicarium Capitularem, non eſt quod Vicarius Capitularis opus habeat ullo ſpeciali mandato, ſed ut primum electus eſt poteſt ea etiam exercere, quæ Vicarius Generalis nonniſi ſpeciali mandato exercere valet; *Leuren. loco citato qu.* 568. *n.* 2., ubi rationem differentiæ tradit.

# VICARIUS FORANEUS.

Vicarius Foraneus dicitur ille, qui in certa parte Diœ- 1
ceſis extra Civitatem Sedis Epiſcopalis, vel in Oppidis per Epiſcopum conſtituitur, ut ibi Juriſdictionem quamdam exerceat; *cap. Romana* 1. *de Officio Ordinarii in* 6., & ibi Gloſſa verb. *Foraneos*, & alia Gloſſa *in Clementin. Etſi principalis* 2. *de Reſcriptis verb. Foraneo*. Et dicitur *Foraneus*
quia foris, ſeu extra locum, in quo Sedes Epiſcopalis repe- 2
ritur, Epiſcopi vices agit juxta traditam ſibi poteſtatem; Gloſſa *in cit. cap. Romana* 1. *de Officio Ordinarii in* 6 *verb. Foraneos*; & alia Gloſſa *in cit. Clement. Etſi principalis* 2. *de Reſcriptis in caſu verb. Nota*.

Epiſcopus tenetur Vicarios Foraneos in Diœceſi conſtitue- 3
re, *Concil. Mediolan.* 1. *part.* 2. *tit. de Vicariis Foraneis, Sacra Congreg. Epiſcop. in Trojana* 27. *Martii* 1590. *&* 10. *Mar-*
*tii* 1667. Et ad hoc munus Vicarii Foranei eligi, & conſtitui 4
debent Archipresbyteri, & Præpoſiti locorum, vel alii in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti; Sin minus eligi debent Rectores Eccleſiarum Parochialium Diœceſis, quantum poſſibile erit. *Concil. Mediolan.* 1. *loco citat.*

Vicarii Foranei amoveri poſſunt arbitrio Epiſcopi, quotieſ- 5
cumque voluerit, & puniri poſſunt, ſi male ſe geſſerint in Officio ſibi demandato. *Concil. Mediolan.* 1. *loc. cit.*

Juriſdictio Vicariorum Foraneorum eſt omnino limitata, 6
cum concedatur ſolum pro certa parte Diœceſis, & limitatis locis, ac ſolum pro certis, & limitatis cauſis Civilibus ibidem occurrentibus uſque ad certam, & limitatam ſummam, v. gr. quinque ſcutorum plus minuſve, prout libuerit, ne partes pro qualibet levi re cogantur ſemper ſe conferre ad Civitatem, & comparere coram Vicario Generali. *Sac. Cong. Epiſc. in Trojanen.* 27. *Martii* 1590.

In Criminalibus autem non poſſunt ordinarie ſe intromit- 7
tere, niſi informationes capiendo, & formando proceſſum informativum, ad effectum illum tranſmittendi ad Vicarium Generalem cum relatione totius facti; *Sac. Congr. Epiſcop. in Motubenſi* 9. *junii* 1592.



Poteſt tamen ab Epiſcopo eis concedi, ut ſe intromittant
8 in omnes cauſas Cleri alicujus Oppidi, ſeu ſui limitati Vicariatus, tam Civiles, quam Criminales, & mixtas, exceptis iis, pro quibus pœna corporis afflictiva eſt imponenda. *Sac. Congr. Epiſcop. in Tarentina pro Oppido Martinæ* 7. *Julii* 1567.

Ad Vicarium Foraneum, & non ad Archipersbyterum,
9 ſive Curatum, niſi ipſo Vicario abſente, ſpectat dare licentiam laborandi die Feſto, & contravenientes mulctare. *Sac. Congr. Epiſcop. in Cerentina* 2. *Auguſti* 1594. *& in Materanea*
10 18. *Novembris* 1597. Et talis licentia in ſcriptis, concedi debet, & non oretenus, *Ead. S. Congreg.* 21. *Auguſti* 1615.

Pœna pro tranſgreſſione Feſtorum debet eſſe moderata, &
11 ſi fuerit exorbitans, reduci debet ad arbitrium Ordinarii, & reliquum, ſi fuerit exactum, reſtitui. *S. Congr. Epiſcop. in Ravennatenſi* 16. *Januarii* 1601. *in Belliçaſtrenſi* 1. *Septem*
12 *bris* 1603. *& in Cornetana* 12. *Decembr.* 1624. Neque debet excedere 5. vel 6. Julios in loca pia diſtribuendos, de ducta tertia parte Executoribus, licet quis deprehenſus fuerit in fraganti poſt publicatum Edictum. *S. Cong. Epiſc. in Tarracinenſi* 14. *Decembris* 1595. Et tertiam partem pœnæ, ſeu
13 mulctæ, quæ a violatoribus Feſtorum exigitur, deberi Vicariis Foraneis, tenet Pellegrinus *Part.* 1. *ſect* 7. *de Vicario, Foraneo ſubſection. unica n.* 6. dicens, quod ubique ſervatur quod pœnæ prædictæ applicentur Vicariis Foraneis, & eorum Executoribus, & quod ſic cenſuit *S. Congr. Epiſcop. in Theanen.* 5. *Februar.* 1591. At hodie attendenda eſt Taxa Innocentiana §. *Le pene e molte*, ubi ſtatuitur, quod applicentur uſui locorum piorum.

14 Vicarius Foraneus ratione ſui Vicariatus nullam habet precedentiam in Choro, ſeſſionibus, & proceſſionibus, & aliis actibus, & functionibus Eccleſiaſticis ſupra alios Parochos, Canonicos, & Presbyteros ipſo antiquiores, & digniores, ſed debet ipſe Vicarius ſtare, ſedere, & incedere in loco ſuæ receptionis, & Dignitatis, ac ſi non eſſet Vicarius Foraneus, tam cum Cotta, quam ſine illa, non obſtante quacunque ordinatione Epiſcopi in contrarium præterquam in Congregationibus, quæ demandato Epiſcopi ſingulis menſibus fiunt, in quibus tamquam Epiſcopi Delegatus præcedere debet omnibus, non tamen in Proceſſionibus, Miſſa, & aliis, quæ fiunt ante Congregationem *S. Con. Rit. in Brunduſina* 17. *Novembr.* 1600. *in Oritana, & Catan. ead. die, & anno, in Marſicen. Spoletana, & Bononien.* 11. *Aprilis* 1601. *in Regien.* 2. *Martii* 1602. *in Tropien.* 25. *Januarii* 1603. *in Neocaſtren.* 12. *Aprilis* 1607. *in Comen. Valevaciæ* 19. *Martii* 1611. *in Nucerina* 25. *Junii* 1611. *in Siracuſana* 7. *Julii* 1612. *in Hydruntina Soleti* 2. *Martii* 1613. *in Mediolanen. Cerbettæ* 3. *Decembris* 1616. *in Campana terræ Aulettæ* 12. *Martii* 1618. *in Meſſanen. Terræ Caſtri* 7. *Septembris* 1618. *in Spoletana Terræ Caſciæ* 23. *Martii* 1619. *in Salernitana* 27. *Martii* 1628. *in Neritonen.* 22. *Decembris* 1629. *& in Tranen.* 9.
15 *Aprilis* 1633. & ſæpiſſime alibi. Etiam quacumque conſuetudine contraria non obſtante. *Ead. S. Rit. Congr. in Siracuſana* 8. *Junii* 1630.

16 Vicarius Foraneus debet in proceſſionibus, & Choro uti Cotta, ſicut alii Presbyteri, nec ratione ſui Officii debet ante alios habere Thuris, & Pacis honorem. *Eadem S. Congr. Rit. in Tranen.* 24. *Septembris* 1605.

17 Vicarii Foranei reſidere debent in locis, ubi conſtituti fuerint, vel in alio non multum diſtanti. *Sac. Cong. in Trojanen.* 12. *Decemb.* 1646.

Locus autem debet eſſe, equidem numeroſus.

18 Vicariis Foraneis non licet mulctare Clericos, vel Presbyteros, qui non veniunt ad Horas Canonicas ultra ſolitum punctum amiſſionis diſtributionum quotidianarum. *S. Congr. Rit. in Brunduſina* 4. *Martii* 1606.

19 Neque poſſunt Vicarii Foranei contra uſum, & conſuetudinem Eccleſiæ prohibere Canonicis, ne Capitulum faciant ſine ſua licentia. *S. Cong. Rit. in Orien. Cœliæ* 16. *Dec.* 1605. *& ead. S. Cong.* 16. *Decemb.* 1616.

20 Vicarius Foraneus, ſi ſit Canonicus, non debet habere majorem portionem ex funeralibus, quam ſi eſſet ſimplex Canonicus. *S. Cong. Rit. in Bononien. Caſtri Joannis* 7. *Octobris* 1617.

21 Vicarii Foranei, vel alii Rectores non tenentur quidquam ſolvere, aut dare Curſoribus, aut aliis Epiſcopi Miniſtris per Diœceſim diſcurrentibus, ſed tantum miniſtrare debent cubile, & lumen, & ſi victum eis præbeant, ab Epiſcopo repetere poſſunt, *S. Cong. Epiſcop. in Licien.* 5. *Febr.* 1501. *& in Balneoreg.* 6. *Auguſt.* 1602.

Epiſcopus in ſua Diœceſi concedere debet facultatem 22
etiam Vicariis Foraneis, & Archipresbyteris, ut de conſilio Medicorum impertiri poſſint indigentibus licentiam veſcendi cibis vetitis, quæ detur omnino gratis, ita ut nec pro ſcriptura quidquam accipere liceat. *Sac. Cong. Epiſcop.* 20. *Auguſti* 1595.

Non debet Epiſcopus prohibere Parocho, ne celebret Of- 23
ficium Mortuorum ſine interventu Vicarii Foranei. *Sac. Congreg. Epiſcop. in Cremen.* 10. *Junii* 1603

Attenta diſpoſitione Tridentini *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *de reform.* 24
non poteſt Epiſcopus delegare facultatem Vicariis Foraneis, ſed tantum Vicariis Generalibus concedendi Litteras Monitoriales pro rebus deperditis, ſeu ſubtractis. *S. Congr. Concilii* 25. *Junii* 1653. Et antea *ead. S. Congr.* 8. *Feb.* 1590. declaravit non licere Epiſcopo hanc facultatem alteri, quam Vicario Generali delegare, neque ſpecialiter, apud Paſcuc. *tit. de Vicario*, & Pittonum *Conſtit. ad Epiſcopos n.* 1206.

Epiſcopus præter Vicarium Foraneum non debet retinere 25
in locis Diœceſis alios Patentatos. *S. Cong. Epiſcop. in Ferentina* 4. *Auguſti* 1690. apud Monacell. *part.* 1. *tit.* 1. *formul.* 6. *num.* 2.

Vicariis Foraneis obedire debent omnes Curati, & alii 26
Clerici, cujuſcumque dignitatis ſint, alias per Epiſcopum puniri poſſunt. *Concil. Mediolanenſ.* 1. *part.* 2. *tit. de Vicariis Foraneis*.

Vicarii Foranei habent facultatem in unum congregandi ſe- 27
mel in menſe Presbyteros ſuæ Regionis, ſeu loci, ut conferant inter ſe ſuper difficultatibus Parochiarum, & curis Animarum. *Concil. Mediolanenſ. l. c.*

Eorum Officium eſt inquirere de vita, & moribus Cleri- 28
corum, an Parochi, & Presbyteri ſui Vicariatus habeant libros, quos habere debent, an obſervent Decreta Synodalia, an eorum incuria Divinus Cultus aliquid detrimenti patiatur? & de his omnibus ad Epiſcopum relationem facere. *Concilii Mediolanenſ. loc. cit.*

Tenentur ſignificare Epiſcopo Curatos non reſidentes in 29
ſua Regione. *Conc. Mediolanen.* 1. *part.* 2. *tit. de Reſidentia*.

Vicarius Foraneus dependet a Vicario Generali, niſi ſpe- 30
cialiter ab Epiſcopo juſta de cauſa aliquando ab ejus Juriſdictione eximatur, *Communis*.

Non permittat Epiſcopus Vicarium Foraneum retinere 31
nonniſi unum Notarium. *S. Cong. Immun. in Spoletana* 16. *April.* 1652. *lib.* 4. *Decr. Paul. pag.* 181.

Vicarii Foranei non habent facultatem extrahendi confugi- 32
tos. *S. Congr. Immun, in Spoletana* 29. *Maii* 1629. *libr.* 1. *Decret. Paul. pag.* 139.

Quare quoad extractionem Sacerdotis, & Clerici factam 33
a Vicario Foraneo, Sacra Congr. injungit Epiſcopo reintegrari Eccleſiam, & d. Vicarius conſulat conſcientiæ ſuæ. *S. Cong. Immunit. in Theanen.* 19. *Februarii* 1704. *lib.* 3. *Decret. Vallem. pag.* 558.

Vicarius Foraneus ob datam licentiam extrahendi ab Ec- 34
cleſia pro facienda recognitione corporis delicti contrahit excommunicationem *S. Cong. Immun. in Urbevetana* 31. *Auguſti* 1695. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 213.

Idem contrahit Irregularitem, & pro diſpenſatione remitti- 35
titur ad Sac. Cong. Concilii. *Sac. Cong. Immun. ibid.*

Aliquando tamen conceditur eidem facultas extrahendi a 36
locis immunibus ad ſex menſes, & pro arbitrio Epiſcopi, ita *tamen ut extracti ducantur ad carceres* Curiæ Eccleſiaſticæ. *Sac. Cong. Immun. in Camerinen.* 12. *Novembr.* 1630. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 64.

Vicarii Foranei dicuntur illi, qui in certa parte Diœceſis 37
extra Civitatem Sedis Epiſcopalis, vel in Oppidis per Epiſcopum conſtituuntur, ut ibi juriſdictionem quamdam exer-
ceant; *cap. Romana* 1. *de Offic. Ordinarii in* 6. Et ab ipſis ap- 38
pellari poteſt ad Epiſcopum. Bened. XIV. *de Syn. D. lib.*3.
*cap.* 3. *num.* 5. Antiquiſſimi ſunt, & origo eorum ad Chore- 39
piſcopis enim ſuffecti ſunt Archipresbyteri, Archidiaconi,
& Decani rurales. Idem *ibid. num.* 7. Vide *de Chorepiſcopis* 40
*tom.* 3. *verb. Epiſcopus art.* 1. *n.* 36. *ad* 41. ubi qui ipſi fue-
rint, quod eorum Officium, & quare ab Eccleſia ſublati? 41
Vicarii Foranei in Italia etiam ante S. Carolum Borromæum 42
eſſe cœperunt, ut in aliis locis. Idem *ibid. num.* 8. contra aliquos aliter ſentientes; Sed minorem in Italia obtinent ju-
riſdictionem. Idem *ibid. num.*9. Si Parochi ſint, Synodo 43
Diœce-

44 Diœceſanæ intervenire debent. Si non ſint, tenentur, ſi Epiſcopus eos vocet, idque expediat, quoniam ab iſtis tamquam oculatis teſtibus melius, quam a Vicario Generali certior fieri poterit de iis, quæ in remotis Diœceſis partibus occurrunt, & aliquam fortaſſe Sanctionem expoſcunt. Idem *ibid. num.* 10.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 A Vicario Foraneo diſtingui debet is, qui extra Urbem cum aliqua delegatione univerſitatis cauſarum ab Epi-
2 copo conſtituitur. Ille enim nec in Perſonam, nec in dignitate conſtitutus cenſetur, nec præcedentiam ratione officii ſupra alios Presbyteros obtinet; *Monacell. in Formul. Legal. pract. part.* 1. *tit.* 1. *num.* 2. *& ſequent. Schmier. Juriſprud. Canon. Civil. lib.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *ſect.* 4. *in ſupplement.*
3 *q.* 1. *num.* 3. ubi quod ſolet deputari pro levibus dumtaxat & modicis cauſis.
4 Hic vero majorem dicitur habere prærogativam, & juriſ-
5 dictionem. Quinimmo ſi deputatus ſit ad univerſitatem cauſarum perinde ac ille qui reſidet in Urbe, dici poterit Vicarius Generalis, & ſic in dignitate conſtitutus capaxque delegationis Apoſtolicæ; & id quia Vicarium Generalem non facit qualitas loci, ſed generalitas cauſarum; *Sbrozz. de Vicar. Epiſcop. lib.* 1. *q.* 20. *n.* 11. *Schmier loco mox citato*, ubi quod „ Si reſcriptum aliquod Pontificium ad Vicarium „ Generalem dirigatur in materia gratioſa, erit in arbitrio Im„ petrantis cuinam illud præſentare velit, poteritque electus „ ab Impetrante Vicarium ad exequutione privative pro„ cedere.

## VICARIUS GENERALIS EPISCOPI.

### ARTICULUS I.

### Quoad ea, quæ concernunt ejus eſſe, conſtitutionem, & Juriſdictionem.

1 VIcarii Generalis nomine intelligitur ille, qui conſtitutus eſt ab Epiſcopo cum Generali poteſtate, ut ejus vices gerat in eodem loco, in quo ipſe Sedem habet, ac Jus dicere ſolet, ita ut cenſeatur idem eſſe Auditorium utriuſque, *cap. Non putamus* 2. *de conſuetudine in* 6. Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 54. *n.* 127. cum plurimis ibi citatis, Reiffenſtuel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 28. *num.* 16. & alii plures. Vide *infra num.* 9.

2 Vicarius Generalis Epiſcopi in Jure appellatur etiam Officialis, *cap. Cum in generali* 3. *de Officio Vicarii in* 6. ibi: *Officialis, aut Vicarius Generalis Epiſcopi*, & concordat *cap. Cum nullus* 3. *de temporibus ordinat. in* 6. ubi ille ipſe, qui antea dicebatur *officialis Epiſcopi*, paucis interjectis lineis vocatur ipſius in ſpiritualibus *Vicarius Generalis*.

3 Epiſcopus poteſt conſtituere Vicarium Generalem abſque conſenſu, vel conſilio Capituli. *Communis*. Sic approbante praxi, & conſuetudine univerſali, quæ in talibus eſt ſervanda. *Cap. Ea noſcitur* 6. *de his, quæ fiunt a Prælatis ſine conſenſu Capituli.*

4 Immo Epiſcopus non tantum poteſt, ſed etiam ordinarie tenetur Vicarium Generalem conſtituere. Abbas *in capit. Quoniam* 14. *n.* 3. *de Officio Ordinarii*, Reiffenſtuel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 28. *n.* 65. Bald. *in l. Aliquando n.* 1. *in quarta oppoſitione, ff. de offic. Proconſ.* Lancellot. *Inſt. Canonic. lib.* 1. *tit. de offic. Vicar. in Gloſſa verb. Non poteſt*, Covarruv. *lib.* 3. *variar. reſolut. cap.* 20. *n.* 4. & plures alii quos allegat Barboſ. *de Offic. & poteſt. Epiſcopor. part.* 3. *allegat.* 54. *n.* 125. & Pellegrin. *Part.* 1. *ſect.* 2. *de Vicario Generali Epiſcop. ſub ſect.* 5. *n.* 1. per text. *in cap. Volumus* 2. *& cap. Quia in quibuſdam* 4. *diſt.* 89. *cap. In nova* 16. *q.* 1. *cap. Quoniam* 14. *cap Inter cetera* 15. *de officio Judicis Ordinarii.*

5 Dicitur autem notanter *Ordinarie*, quia ſi Epiſcopus velit cauſas per ſe tractare, ſitque peritus Juriſta, & per ſe ſufficiens ad eas ſe ſolo expediendas, præſertim ſi Epiſcopatus non ſit amplus, cogi non poteſt ad conſtituendum Vicarium Generalem, ut pluries tenuit Rota, & ſignanter *in Calagurritana Fructuum* 18. *Martii coram Cavalerio, in Valven. & Sulmonen. Præeminentiarum* 18. *Junii* 1694. *coram Emerix Decano, & in eadem Valven. coram eodem Emerix* 11. *Martii* 1695. & quod Epiſcopus non poſſit coarctari ad retinendum Vicarium, expreſſe declaravit *Sacr. Congr. Concilii* 11. *Februarii* 1696. approbando dictum votum Rotæ editum 18. *Junii* 1694. *&* 11. *Martii* 1695. *coram d. Emerix in Valven. Præeminentiarum* apud Monacell. *part.* 1. *tit.* 1. *formul.* 1. *n.* 6. & apud Piton. *Conſtitut. ad Epiſcopos n.* 1954. & tenent Doctores plurimi allegati a Barboſa *l. c. n.* 125. a Pellegrino *l. c. n.* 5. Reiffenſtuel *l. c. n.* 66. aliique paſſim.

6 Secus vero foret, ſi Epiſcopus non eſſet peritus Juriſta vel ob vaſtitatem Epiſcopatus, & ingentem cauſarum molem, aut ob aliam cauſam non eſſet ſufficiens per ſe ipſum ſolum ad omnia commode expedienda, quia tunc, ut dictat ipſamet ratio naturalis, teneretur Epiſcopus Vicarium Generalem conſtituere, ut ſæpe Sacra Congregatio diverſis temporibus præcipere conſuevit, alioquin mittitur illi ab Urbe, vel aliunde Vicarius pro tali Officio exercendo, vel cum Brevi Apoſtolico, vel cum Litteris Sacræ Congregationis, vel cum Patente Epiſcopi, quia fuit ad hoc compulſus, ut referunt Nicolius *in Floſc. verb. Vicarius Generalis ſub n.* 39. Pellegrin. *loc. c. n.* 8. & alii.

7 Qui inſuper notant, quod talis Vicarius miſſus ab Urbe ſupradictis modis, eſt vere Vicarius Apoſtolicus, & Juriſdictionem habet privative quoad Epiſcopum, nec Epiſcopus illum removere poteſt. *Sac. Cong. Epiſcop. in una Civitatis Caſtellanæ* 2. *Aprilis* 1591. *in Mediolanen.* 8. *Februarii* 1594. *in Savonen.* 17. *Septembr.* 1605. *in Biſinianen.* 18. *Martii* 1632. *in Motulen.* 5. *Auguſti* 1650.

8 Epiſcopus poteſt etiam binos Vicarios Generales æque principales, ſeu in ſolidum conſtituere, maxime ſi Diœceſis ſit multum ampla, ut ſic expeditioni cauſarum facilius conſulatur, cum facilius expediantur cauſæ per plures, quam per unum, *cap. Quoniam, de officio Ordinarii, cap. Ad hæc, de officio Archidiaconi, cap.* 1. *De celebratione Miſſarum, Clementin. Et ſi principalis, & ibi Gloſſa verb. Principalis*, ac Cardinalis, & Imola *de Reſcriptis, cap. Prudentiam*; ubi Abbas *num.* 10. *de Officio Delegati*, Ugolin. *de Officio, & poteſt. Epiſcopi cap.* 4. §. 6. *num.* 4. Barboſa *citat. allegat.* 54. *numer.* 126. Rebuffus *in praxi Benefic. titul. Forma Vicarius numer.* 203. Zerola *in prax. Epiſcop. part.* 1. *verb. Vicarius numer.* 1. Sbroz *libr.* 1. *quæſt.* 50. *num.* 4. Reiffenſtuel *loc. cit.*
9 *num.* 67. Pellegrin. *l. citat. num.* 10. & alii. Notantes tamen quod eos conſtituere debet in eodem loco, ubi Sedem habet; Nam Generalis Vicarius dicitur ille, qui conſtitutus eſt ab Epiſcopo cum Generali poteſtate, ut ejus vices gerat in eodem loco, in quo ipſe Sedem habet, ac Jus dicere ſolet, ita ut cenſeatur idem eſſe Auditorium utriuſque, *cap. Non putamus* 2. *de conſuetudine in* 6. Bartolus *in l.* 1. *in fine, ff. Qui & a Quo appelletur*, Maranta *de Ordine Jud. part.* 1. *diſput.* 5. *num.* 8. Sbroz *libr.* 1. *quæſt.* 28. *num.* 7. *& quæſt.* 69. *num.* 2. Pellegrin. *l. c. num.* 11. Reiffenſtuel *l. c. num.* 16. Barboſa *cit. allegat.* 54. *num.* 127. cum pluribus ibi allegatis.

10 Ampliatur prædicta concluſio, ut poſſit Epiſcopus plures habere Vicarios Generales, ſi ita ſervetur de conſuetudine. *Sacr. Congregat. in Lancianen.* 24. *Mart.* 1599. *&* 21. *Febr.* 1614. apud Quarant. *verb. Capitulum Sede vacante*, Nicol. *in Floſculis verb. Vicarius Generalis num.* 40. & Pellegrinum *l. c. n.* 12.

11 Et a fortiori ſi habeat plures Civitates, ſeu Diœceſes unitas, nam tunc debet in unaquaque tenere ſuum Vicarium Generalem. *Sacr. Congregat. Epiſcop. in Sutrina* 7. *Jun.* 1594. apud Nicolium *l. c. ſub num.* 40. Pellegrinum *l. c. num.* 13. Pitton. *Conſtitut. ad Epiſcopos num.* 1919. quamvis ipſe fortaſſe inadvertenter ex Paſcuc. referat dictum Decretum *de anno* 1694. 7. *Jun.*

12 Et præſertim ſi dictæ Eccleſiæ, ſeu Diœceſes unitæ inter ſe multum diſtent, quia ſi una ab altera notabiliter diſtet, debet Epiſcopus Vicarium Generalem in Diœceſi, in qua non reſidet, deputare, ut reſpondit *Sacr. Congregat. Concil. in Gerunden. & Cariaten.* 2. *Octobr.* 1706. in qua diſtantia triginta Millarium notabilis ad hunc effectum reputata fuit, ut habetur apud Monacell. *in Appendic. ad part.* 2. *Deciſion.* 4. *in fine*, & apud Pittonum *l. c. n.* 2156.

13 Quam tamen Rota *die* 5. *Maii* 1660. *in Valven. Præeminentiarum coram Taja deciſ.* 1. *num.* 2. inter impreſſas apud Monacell. *in Appendic. ad part.* 2. & refert etiam Pitton. *l. cit. num.* 1325. expreſſe tenuerit, quod poſſit Epiſcopus duarum Eccleſiarum unitarum in uno tantum Epiſcopatu Vicarium Generalem conſtituere, ad quem accedere tenentur ſubditi





utriuſque Diœceſis, quod & confirmat eadem Rota *in eadem Valven.* 18. *Jun.* 1694. *coram Emerix deciſ.* 3. *num.* 1. apud Monacell. *l. c.* ubi dicit, quod id tradit Cardinal. *in Clementin.* 2. *quæſt.* 2. *de Reſcriptis*, Sbroz *de Offic. Vicar. lib.* 1. *par.* 1. §. 2. *ſect.* 2. *ſubſect.* 5. *num.* 5. Melphiten. *ad Gratian. diſceptat.* 655. *num.* 4. Cardinal. de Luca *de Juriſdiction. diſc.* 22. *num.* 10. & *de Præeminent. diſc.* 7. *num.* 21. Poſth. *de manutent. Obſervat.* 53. *num.* 9. Barboſa *de Offic. & poteſtat. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 54. *num.* 129. *& ſequen.* Frances *de Eccleſiis Cathedralibus cap.* 8. *num.* 378. *&* 384. Rota *deciſ.* 418. *num.* 3. *coram Cavalerio, & deciſ.* 2138. *num.* 12. *& ſequen.* & ſignanter *num.* 16. *coram Coccino*. Et ratio eſt quia licet duæ ſint materiales Eccleſiæ, formaliter tamen ratione unionis habentur pro unica, *cap. Primo, Ne Sede vacante, cap. Sicut unire, de exceſſibus Prælator.* Innocent. *in cap. Novit in fine, de Offic. Legat.* Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellar. gloſſ.* 5. §. 7. *num.* 29. Rota *deciſ.* 477. *num.* 2. *coram Remboldo*. Hæc Rota *l. c. num.* 1. ubi *num.* 2. ſic ſubjungit: „ Immo „ quod plus eſt, poteſt etiam nullum habere Vicarium, & „ negotia explere per ſemetipſum, ut *in dicta deciſ.* 418. *numer.* 19. *coram Cavalerio*. Et *ibidem num.* 3. ſic addit: „ Po„ teſt enim Epiſcopus in quacunque parte ſuæ Diœceſis „ Tribunal erigere, & ſubditorum cauſas cognoſcere; cap. „ cum Epiſcopus, ibique Doctores de Officio Ordinarii in 6. Mandoſ. *conſil.* 27. *num.* Bertachin. *de Epiſcop. part.* 5. *lib.* 4. *quæſt.* 38. *num.* 6. „ Nec ſic per indirectum cogi debet alibi, „ quam in loco ſuæ reſidentiæ, vel conſueto Vicarium reti„ nere, vel mittere contra mentem Sacri Concilii Triden„ tini „ *ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 6. ibi: „ In ejus domo, „ aut conſueto Tribunali procedere teneatur; Nec applican„ tur auctoritates, & Decreta Sacræ Congregationis Conci„ lii in contrarium allata, quia intelligenda, ac recipienda „ ſunt, prout etiam pleraque loquuntur in caſu, quo ſubſit „ conſuetudo retinendi diſtinctum Tribunal, ac Vicarium „ in utraque Diœceſi, aut maxima ſit inter unam, & alteram „ diſtantia locorum „.

14 Et idem iterum confirmavit eadem Rota *in eadem Valven.* 11. *Mart.* 1695. *coram eodem Emerix Decano deciſ.* 4. *num.* 1. 2. *&* 3. apud Monacell. *l. c.* ibi: „ Quo enim ad ſecundum „ certum eſt, quod duæ Eccleſiæ vigore unionis etiam æque „ principalis exiſtentes ſub uno Epiſcopo (quidquid ſit reſ„ pectu ipſarum Eccleſiarum, quæ conſervant ſingula ſuam „ eſſentiam, præeminentias, ac privilegia ſecundum aucto„ ritates in contrarium allegatas) reſpectu Epiſcopi habentur „ pro unica cap. 1. Ne Sede vacante, cap. Sicut unire, de „ exceſſib. Prælator. Rota *in Ampurien. ſeu Civitaten. Unionis* 10. *Jun.* 1686. §. *Quoniam verſ. quoad Epiſcopum, coram Reverendiſſimo Dom. Archiepiſcopo Mediolanen.* & ideo ſufficit, quod Epiſcopus unum tantum Vicarium Generalem deputet pro ambabus Diœceſibus, ut præter vetuſtiores auctoritates in deciſ. relatas ex modernioribus tradunt Pellegrin. *in prax. Vicar. part.* 1. *ſect.* 2. *ſubſ.* 5. *num.* 5. Merol. *in Theolog. moral. part.* 3. *diſput.* 6. *cap.* 6. *dub.* 9. *num.* 73. Ventrigl. *part.* 2. *in praxi Eccleſ. annot.* 14. §. 1. *num.* 4. Idque procedit, nedum quando Epiſcopo reſidet in Diœceſi, verum etiam, quando abeſſe cogitur ab illa; nam in utroque caſu militat eadem ratio unicitatis Eccleſiarum, ſeu Diœceſum quoad ſemetipſum; Immo ſicuti, ubi reſidet, nec arctatur ullum retinere Vicarium Generalem, ſed poteſt per ſe ſolum cauſas cognoſcere, ceteraque explere negotia ſuæ Diœceſis, ut dixit Rota *deciſ.* 418. *ſub num.* 10. *coram Cavaler.* ita etiam abſens unum duntaxat Vicarium Generalem relinquere valet, qui vices ſuppleat ſui ipſius. Nec ſubſiſtit peculiaris conſuetudo Epiſcoporum Valven. ſeu Sulmonen. retinendi duos Vicarios Generales in utraque Diœceſi, ex Ughell. *in Ital. Sacr. tom.* 1. *fol.* 250. *tit. Valven. & Sulmonen. Epiſcopi*, quia hic non loquitur nominatim de Vicario Generali, ſed de Vicario Viceſgerente, & ſic etiam intelligi valet de Vicario Faraneo. Ultra quod quatenus etiam conſtaret quod quandoque Epiſcopus pro unaquaque Diœceſi deputaſſet Vicarium Generalem, ex deputationibus hiſce, tanquam mere facultativis, nulla adverſus ipſos allegabilis eſt conſuetudo, ſive præſcriptio, ut per Rotam *dec.* 506. *n.* 3. *cor. Caputaquen. & dec.* 418. *n.* 9. *cor. Cavalerio*.

15 Epiſcopus non debet habere plura Tribunalia, vel plures Vicarios juxta numerum Dominiorum, ad quæ Diœceſis ſe extendit. *Sacr. Congregat. Epiſcop. in Aquenſi* 16. *Februar.* 1604. apud Nicolium *in Floſculis verb. Vicarius Generalis numer.* 40. *in fine*, apud Pellegrin. *l. c. num.* 14. Niſi tamen alicubi ob juſtas, & graves cauſas haberetur ad id ſpecialis conceſſio, ſeu proviſio Apoſtolica, aut conſuetudo legitime præſcripta.

Vicarius conſtitutus in aliquo loco, vel parte Diœceſis 16
cum facultate generali pro omnibus cauſis ejuſdem loci, vel partis, eſt ſolum delegatus, non autem Vicarius Epiſcopi Generalis; ideoque litteras Apoſtolicas exequi non poteſt. Sic *Sacr. Congregat. in una Nullius* 22. *Decembr.* 1628. apud Nicol. *l. c. n.* 48.

Epiſcopus nequit creare Vicarium Generalem, antequam 17
poſſeſſionem Epiſcopatus apprehendat, quamvis fuerit per Papam pronunciatus Epiſcopus. Barboſa *citat. allegat.* 54. *num.* 3. Azorius *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 43. *q.* 2. Nicolius *l. c. n.* 39. & alii paſſim.

Epiſcopus debet in Vicarium eligere Clericum ſaltem pri- 18
mæ Tonſuræ, non vero Laicum; Nam Laicis non licet Eccleſiaſtica tractare negotia, *cap. Decernimus* 2. *de Judiciis*, cum ſimilibus, Barboſa *cit. allegat.* 54. *n.* 4. cum communi aliorum.

Clericus conjugatus licet cum unica, & virgine, non po- 19
teſt eſſe Vicarius Generalis Epiſcopi. *S. Cong. Epiſc. in Tragurienſi* 11. *Septemb.* 1612.

Et multo minus Bigamus, *c. Unic. de Cler.* 20. *conjugat.* 20
*in* 6.

Nec Regularis poteſt eſſe Vicarius Generalis Epiſcopi, 21
*Sacr. Congregat. Epiſcop. & Regular. in Aſculana* 15. *Jan.* 1597. *in Motulana* 8. *Maii* 1615. *in Spalatrenſi* 12. *Aprilis*
1619. & ſæpe alibi. Niſi cum aliis requiſitis habeat etiam 22
licentiam Apoſtolicam degendi extra Clauſtra *S. Congregat. Epiſcop. in Caputaquen.* 18. *Novemb.* 1593.

Vel niſi ſit Abbas, qui habeat Juriſdictionem quaſi Epiſ- 23
copalem in perſonas ſæculares; Nam hic poteſt deputare Vicarium Monachum Juriſperitum; Quod ſi talem non habeat, debet tenere Vicarium Clericum Sæcularem Doctorem; Et ſi id minus fieri poſſit, poterit facere Vicarium Monachum non Doctorem aſſignando ei Doctorem pro Aſſeſſore, ſine cujus conſilio nihil facere poſſit quod requirat altiorem indaginem. *S. Congr. Epiſc. in Calaguritana* 23. *Dec.* 1603. *&* 21. *Novembr.* 1605. apud Nicolium *l. c. ſub n.* 34. Vide *infra n.* 40.

*Et* Sacra Congregat. Epiſcop. aliquando conceſſit licentiam 24
aſſumendi Regulares in Vicarios Epiſcopales Cœleſtinos, & etiam Dominicanos, ut *in Puteolana* 3. *Februar.* 1593. *in Tragurienſi* 15. *Jul.* 1606. *& in Veſtana* 16. *Novembris ejuſdem anni* apud Nicol. *l. c.*

Vicarius quoque Patriarchæ Latini Conſtantinopolitani ſolet 25
eſſe de Minoribus de Obſervantia. *S. Congr. Epiſcop. & Regul.* 22. *Dec.* 1619. apud Nicol. *l. c.*

Vicarius Generalis in Regnis Hiſpaniarum non poteſt eſſe, 26
niſi qui in Ordine Sacerdotali eſt conſtitutus. Urban. VIII. Conſt. incip. *Decet Romanum*.

Vicarius Epiſcopi, vel Sede vacante, non poteſt eſſe 27
Parochus habens Curam animarum. *Sacr. Congregat. Concil. ſub die* 12. *Maii* 1629. apud Barboſam *in Summa Apoſtol. Deciſ. verb. Vicarius Generalis Epiſcopi num.* 3. Et maxime ſi curam animarum habeat extra Civitatem, & multo magis, ſi extra Diœceſim, non poteſt eſſe Vicarius, ut decrevit ſæpe ſæpius *Sacr. Congregat. Epiſcop.* apud Nicol. *l. c. num.* 37. *& in compendio Epiſcop. verb. Vicario num.* 7. ubi dicta decreta congerit; Generaliter enim eſſe Parochum, & Vicarium ſunt Officia male compatibilia in eadem perſona. *S. Congregat, Epiſcop. in Meſſana* 19. *Januar.* 1603. Ex eo quod ut quis bene exerceat alterum ex dictis Officiis, alteri neceſſario
deeſſe cogitur. *S. Congregat. Epiſcop. in Sutrina* 16. *Novem-* 28
*bris* 1640. Neque poteſt Vicariatum retinere ex eo quod habeat Coadjutorem in Parochia. *S. Congr. Epiſcop. in Albinganen.* 8. *Jun.* 1621. apud Nicol. *in Floſculis l. c. ſub n.* 37.

Vicarius Generalis eſſe non poteſt nepos, vel filius fratris 29
Epiſcopi. *Sacr. Congregat. Epiſcop. in Hoſtunen.* 19. *Septem.* 1577. *in Murana* 4. *Februar.* 1611. *in Tranen.* 17. *Jun.* 1662. *in Meliten.* 18. *Jun.* 1624. & ſæpe alibi.

Nec frater, præſertim ſi non eſt Doctor. *S. Congregat.* 30
*Epiſcop. in Comenſi* 2. *Decembr.* 1578. *in Meſſana* 11. *Januar.* 31
1600. Immo laudatur, qui nec patruelem vult habere Vica-
rium. *S. Congr. Epiſcop. in Tarentina* 6. *April.* 1611. Nec 32
alium conſanguineum. *Sacr. Congr. Epiſcop. in Arianen. de anno* 1636. apud Nicol. *in Floſculis l. c. ſub n.* 35.

Niſi hoc Sacra Congregat. ad aliquod tempus concedat
propter bonas qualitates ſubjecti, ac aliorum idoneorum pe- 33

nuriam . *S. Congr. Epiſ. in Nullius Piſciæ* 1. *Oct.* 1655.

34 Originarius Civitatis, vel Diœceſis non poteſt eſſe Vicarius, nam propter conſanguinitates, affinitates, familiaritates, & alias attinentias poteſt deviare a recta Juſtitia, & ſe reddere partibus ſuſpectum. *S. Congregat. Epiſcop. in Hoſtunen.* 28. *Jul.* 1587. *in Spalaten.* 9. *Mart.* 1593. *in Senegallien.* 10. *Februar.* 1598. *in Sutrina* 16. *Novembr.* 1640. *in Melphiten.* 11. *Auguſt.* 1645. *in Fundana* 25. *Maii* 1646. & pluribus aliis omiſſis. *in Monopolitana* 21. *Auguſt.* 1711. Ponente Cardinal. Grimaldo, & ſæpiſſime alibi, uti adducit Urſaya *tom.* 3. *deciſ.* 8. *num.* 11. & ſequentibus. Et noviſſime ſtatutum fuit in Concilio Romano celebrato ſub Benedicto XIII. anno 1725. ubi *tit.* 8. *Cap.* 2. ſic expreſſe habetur: „ Epiſcopi præterea „ in Vicarios generales ſuos Fratres, aut Nepotes, aut pro„ priæ Epiſcopalis Urbis Cives non eligant.

35 Solet tamen Sacra Congregat. ſæpe diſpenſare, ut Epiſcopus præſertim reſidens tenere poſſit Vicarium Diœceſanum: Dummodo non det occaſionem querelarum, & hoc multis de cauſis, & ſignanter ſi Epiſcopus adhuc extraneum idoneum invenire nequiverit. *S. Congr. Epiſcop. in Melphiten.* 11. *Auguſt.* 1645 *in Fundana* 25 *Maii* 1644 *in Tropien.* 25 *Januar.* 1650 Item ſi Vicarius exterus non tam cito poſſit accedere. *Sacr. Congr. Epiſc. in Melphiten.* 9 *Octobr.* 1645 Item propter tenuitatem fructuum Eccleſiæ. *S. Congr. Epiſcop. in Sutrina* 7. *Decembr.* 1640. Item propter aeris intemperiem. *S. Congr. Epiſcop. in Fundana* 29 *Septembr.* 1645 Item propter notitiam bonarum qualitatum talis Vicarii Diœceſani, qui ſit eximius in regimine. *S. Congr. Epiſcop. in una Montis Faliſci* 4. *Sept.* 1648 *& in una Civitatis Plebis* 4. *Mart.* 1649.

36 Pœnitentiarius non poteſt eſſe Vicarius Generalis, ne ſuſpicionem ingerat, quod in adminiſtratione Juſtitiæ utatur ſcientia Confeſſionis, niſi tantæ ſit apud omnes bonæ famæ, & opinionis, ut excludatur hujuſmodi ſuſpicio. *S. Cong. Epiſc. in Ariminen.* 28 *Jan.* 1611.

37 Ut quis poſſit conſtitui Vicarius Generalis, debet eſſe ætatis ſaltem 25 annorum. Azorius *Inſtitut. moral. part.* 2. *lib.* 3. *Cap.* 43 *quæſt.* 10 Alzed. *de præcellent. Epiſcop. Dignit. part.* 2. *quæſt.* 2 *numer.* 3 Nicolius *in Floſculis l. citat. num.* 29 Barboſa *citat. allegat.* 54 *ſub num.* 3 Homobon. *de humanæ vitæ ſtatibus Cap.* 7 *verſ. Ætas*, ubi etiam addit nec poſſe Epiſcopum diſpenſare ſuper minori ætate ſui Vicarii Generalis.

38 Item debet eſſe Doctor, vel Licentiatus in Jure Canonico. *Sacr. Congr. Epiſcop. in Polignanen.* 28 *Auguſt.* 1582 *in Triventina* 6 *Octobr.* 1645 & ſæpiſſime alibi; Unde ſi ad Sacram Congregationem Epiſcop. habeatur recurſus contra Epiſcopum non retinentem Vicarium Juriſperitum, ſolet ipſa demandare, ut retineat Vicarium Generalem Doctorem, ut teſtatur Monacell. *part.* 2 *tit.* 16 *formul.* 2 *num.* 3 Et hoc præcipue locum habet, quando Epiſcopus ipſe Theologus eſt, & non Juriſta. *Sacr. Congr. Epiſcop. in Arben.* 23 *April.* 1591 Ne ſemper indigeat Aſſeſſore. *Sacr. Congr. Epiſcop. in Cajacen.* 11 *Maii* 1594 *& in una Montis Faliſci* 12 *Auguſt.* 1650 Nec ſufficit eſſe Theologum. *Sacr. Congr. Epiſcop. in Surrentina* 15 *Nov.* 1605 Et interim donec provideatur, datur Doctor pro Conſultore, *ibidem*.

39 Aliquando tamen Sacra Congregat. Epiſcop. conceſſit poſſe Epiſcopum tenere Vicarium non Doctorem, alias tamen idoneum, præſertim dum Epiſcopus Juriſta reſidet. *Eadem Sacr. Congr. in Tragurien.* 15 *Jun.* 1590 *& in Orien. ſeu Ortana* 29 *Mart.* 1593.

40 Item Vicarii Abbatum debent eſſe idonei Doctores ſi Juriſdictionem exerceant extra Monaſterium. *Sacr. Congregat. Epiſc. & Regul. in Calaritana* 23 *Decembr.* 1603 Vide *ſupra num.* 23.

41 Vicarius Generalis Epiſcopi habet Juriſdictionem ordinariam, & non delegatam. Sic colligitur *ex Cap. Non putamus* 2 *de conſuetudine in* 6 *& Cap. Romana* 3 §. 1 *de Appellat. in* 6 ac tenet expreſſe Gloſſa *in citat. Cap. Romana, verb. Generaliter*, & alia Gloſſa *in Cap. Licet verb. Officialem, de Officio Vicarii in* 6 Nicolius *in Floſculis verb. Vicarius Generalis numer.* 45 Pellegrin. *in Praxi Vicar. part.* 1 *ſect.* 2 *ſubſect.* 3 *a num.* 1 *ad* 6 ubi, pluribus adductis, id ſolide probat, & ſolvit contraria. Statim enim ac ab Epiſcopo conſtituitur, eo ipſo a Lege, ſeu Canone Juriſdictionem accipit, *argument. Cap.* 2 *de Officio Vicarii in* 6 Et notat Barboſa *part.* 3 *de Officio, & poteſt. Epiſcopi allegat.* 54 *numer.* 44 Sanchez *lib.* 3 *de Matrimonio diſput.* 29 *numer.* 13 Fagnan. *in Cap. Quod nobis nu.* 41 *de Clandeſtina deſponſat.* & alii plures. Vide verb. *Juriſdictio a num.* 15 *ad* 17 ubi late de hac Vicar. General. Juriſdictione.

42 Idem eſt Tribunal, ſeu Auditorium, eademque Juriſdictio Epiſcopi, & Vicarii ſui Generalis; textu expreſſo *in Cap. Non putamus* 2 *de conſuetudine in* 6 ibi: *Cum ſit idem Auditorium utriuſque, & in Cap. Romana* 3 *de appellationibus in* 6 ibi: *Cum unum, & idem Conſiſtorium ſive Auditorium ſit cenſendum*.

43 Hinc a Vicario Generali regulariter non datur appellatio ad Epiſcopum, textu expreſſo *in citat. Cap. Non putamus* 2 *de conſuetudine in* 6 addita ratione, „ Ne ab eodem ad ſeipſum (cum ſit idem Auditorium utriuſque) appellatio in„ terpoſita videatur, & in c. cap. Romana 3 §. 1 de appel„ lationibus in 6 ibi: *Ne ab eiſdem ad ſeipſos interponi videatur*. Unde a Vicario Generali Epiſcopi appellatur, omiſſo Epiſcopo, immediate ad Archiepiſcopum. Rota *part.* 13 *recent. deciſ.* 182 *numer.* 5 *& part.* 14 *deciſ.* 115 *num.* 210 & communis Doctorum.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

NOnnunquam duo conſtitui ſolent Vicarii Generales 1
æque principales. Dubitari propterea contingit utri 2
delegationes Apoſtolicæ cenſeantur commiſſæ.
Porro ſi agatur de Reſcripto gratioſo, ille ex duobus Vi- 3
cariis erit delegatus Apoſtolicus, cui ab Impetrante fuerit il- 4
lud præſentatum. Reſcriptum vero licet gratioſum uni Vicario jam præſentatum haud poteſt alteri Vicario præſentari; *Layman in Cap.* 1 *num.* 7 *de Offic. Vicar. Leuren. de Vicar. Cap.* 1 § 2 *q.* 34 *n.* 2
Quod ſi res ſit de Reſcripto contentioſo conſentientibus 5
Partibus, aut nil opponente eo, contra quem ipſum impe-
tratum eſt, poteſt etiam quilibet eorum eligi; Partibus ve- 6
ro diſſentientibus, adeundus eſt Papa, qui debet declarare, utrum eorum delegaverit; *Barboſ. in Cap. Quoniam num.* 10 *de Offic. delegat.* Wieſtner *in Decretal. lib.* 1 *tit.* 28 *n.* 27.

## ARTICULUS II.

### Quoad ea, quæ poteſt, vel non poteſt Vicarius Generalis.

1 VIcarius Generalis, ad hoc ut ſuum munus plene, & libere exercere poſſit, debet ab Epiſcopo conſtitui in ſpiritualibus, & temporalibus, nec ſufficit, ſi conſtituatur in ſpiritualibus tantum, vel temporalibus, quia ſub tali forma verborum non eſſet rigoroſe Vicarius Generalis, *argument. Cap. Si Epiſcopus* 3 *& Cap. Eccleſiæ Cathedrali* 4 *de ſupplenda negligent. Prælatorum in* 6 ibi: *In ſpiritualibus, & temporalibus*, Barboſa *part.* 3 *de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 54 *num.* 57 Rebuffus *in Praxi Benefic. part.* 1 *tit. de Vicar. Epiſcop. num.* 16 *& in forma Vicarior.* Sbroz *de Officio Vicarii lib.* 1 *quæſt.* 25 *num.* 1 *cum ſequent.* Pavinus *de Offic. & poteſt. Cap. Sede vacante Cap.* 2 *quæſt.* 12 *num.* 6. Pellegrin. *in Praxi Vicarior. part.* 1 *ſect.* 2 *ſubſect.* 1 *num.* 1 & alii contra alios. Et ratio eſt, quia Eccleſia habet & ſpiritualia, & temporalia; *Cap. Si quis* 1 *quæſt.* 3 adeoque debent in forma Vicariatus ambo exprimi; *Cap. Licet* 2 *de Officio Vicarii in* 6 *Cap. Romana* 1 *de Officio Ordinarii in* 6 *Cap. Romana* 3 *de appellationibus in* 6 *Cap. Statutum* 9 *& Cap. Statuta* 20 *de Hæreticis in* 6 Sic per hæc Jura docet Pellegrin. *Prax. Vicar. part.* 1 *ſect.* 2 *ſubſect.* 1 *num.* 1 cum aliis ibi citatis.

2 In generali Vicarii conſtitutione conceduntur tantum, quæ in generali mandato continentur, etiamſi adeſſet clauſula: „ Dantes, & concedentes ei plenam, & liberam poteſtatem, „ argument. text. in leg. Procurator cui ff. de Procutoribus, cum ſimilibus, Barboſ. *l. citat. num.* 59 Rebuff. *l. cit. n.* 30 Pellegrin. *l. c. n.* 3 & alii.

3 Vicarius Generalis vi Officii ſibi generaliter commiſſi ordinarie poteſt ea omnia, quæ Epiſcopus; Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Forma Vicariatus num.* 30 *& ſequent.* Garcias *de Benefic. part.* 5 *Cap.* 8 *num.* 65 *& ſequent.* Pirhing *lib.* 1 *Decretal. tit.* 28 *num.* 41 Reiffenſtuel *ibidem numer.* 76 & alii plures, & ratio eſt, quia Vicarius Generalis conſtituit unum Tribunal cum Epiſcopo; *Cap. Non putamus* 2 *de conſuetudine in* 6 ejuſque perſonam repræſentat; *Cap. Romana* 3 *de appellationibus in* 6 adeoque quod poteſt Epiſcopus, cenſe- 4
tur & ejus Vicarius poſſe. Niſi tamen aliquid fuerit ſpecialiter in Jure exceptum, ut de ſe clare patet, & omnes fatentur, aut



aut res ſit ita gravis, & ardua, ut eam Epiſcopus non eſſet illi in ſpecie veriſimiliter conceſſurus, *argument. Cap. Cum in generali* 3 *de Officio Vicarii in* 6 ibi: „ Cum in generali con„ ceſſione nequaquam illa veniant, quæ non eſſet quis veri„ ſimiliter conceſſurus, & concordat *cap. In generali* 81 *de Regul. Juris in* 6 ibi: „ In generali conceſſione non veniunt „ ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus; Seu res ſit talis, ut exigat ſpeciale mandatum, *argument. cap. Qui generaliter* 5. *de Procuratoribus in* 6 ibi: „ Qui ge„ neraliter conſtituitur ad negotia Procurator, agere, ac ex„ periri poteſt, exceptis his caſibus, qui mandatum exigunt „ ſpeciale.

5 Vicarius Generalis etiam ſine ſpeciali mandato poteſt confirmare electos, & inſtituere præſentatos ad Juſpatronatus, *cap. Ex frequentibus* 3 *de Inſtitut.*, Gloſſa verb. *Non poſſunt in cap. fin. de Officio vicar. in* 6 Roch. *de Jurepatr. verb. competens q.* 31 *n.* 66 *et* 67 Lambert. *eod. tract. p.* 3 *l.* 2 *art.* 5 *q.* 1 *in princ.* Covarruv. *l.* 3 *variar. cap.* 20 *num.* 7 Gonzalez *ad Reg.* 8 *Cancell. gloſſa* 9 §. 1 *a n.* 78 Pellegrin. *l. c. n.* 4 Barboſa *citat. alleg.* 54 *n.* 70 cum Rota, & Sacra Cong. *ibi cit.* teſtans de communi Doctorum contra Rolandum, & Rebuffum.

6 Vicarius Generalis ſine ſpeciali mandato poteſt Monitoria ſub pœna excommunicationis ad finem revelationis pro rebus deperditis, ſeu ſubtractis concedere. Sic pluries declaraſſe *S. C. Conc.* refert Garcias *de benef. part.* 5 *cap.* 8 *num.* 98. Pellegrin. *l. c. n.* 9.

7 Vicarius generalis, abſente Epiſcopo, Proceſſiones indicere, & dirigere poteſt cum conſenſu Capituli. *S. C. Conc.* apud Barboſa *in Summ. Apoſt. deciſ. verb. vicarius Generalis Epiſcopi quam habeat auctoritatem*, *n.* 2.

8 Poteſt vicarius generalis cognoſcere de cauſis Menſæ Epiſcopalis, & judicare, prout juſtum fuerit. *S. C. Epiſc. in Leſinen.* 3. *Octobr.* 1586.

9 Item poteſt exequi commiſſiones, & Litteras Apoſtolicas, quæ prius directæ fuerant vicario Capitulari, non adhuc executæ. *S. C. Epiſ. in Parmen.* 6. *Aug.* 1614.

10 Item poteſt eſſe delegatus Papæ, & Executor Gratiarum Apoſtolicarum, quia eſt in Dignitate conſtitutus *Clement. Et ſi Principalis* 2. *de reſcriptis*.

11 Item poteſt ex vi mandati generalis Confeſſiones Sacramentales audire, aliiſque eas audiendi facultatem concedere, Barboſa *ſupra Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 15 *n.* 25 cum Sanchez, Campanil. Narbona, Novar. Moneta, & aliis ibi citatis, Pellegrin. *l. c. n.* 17. Ventrigl. *prax. rerum notabilium t.* 2 *annot.* 25 §. 1 *n.* 28 Merol. *Theol. moral.* 3 *par. diſp.* 7. *cap.* 6 *dub.* 21 *num.* 176 qui teſtatur de magis communi, & veriſſima ſententia contra Barboſam *de Offic. & poteſt. Epiſc. p.* 3 *alleg.* 54 *n.* 91 & alios apud ipſum tenentes vicarium Epiſcopi non poſſe ſine ſpeciali mandato facultatem concedere aliis Sacerdotibus audiendi Confeſſiones Sacramentales.

12 Item poteſt ex proprio officio abſque ſpeciali commiſſione intereſſe Matrimoniis, & aliis Sacerdotibus aſſiſtendi licentiam concedere; Vicarius enim generalis venit appellatione Ordinarii. *Communis* cum Barboſa *de Offic. & poteſtat. Epiſc. p.* 2 *alleg.* 22 *n.* 127 Ventriglia *l. c. n.* 27.

13 Et id poteſt vicarius generalis, etiamſi ſit tantum clericus, & non Sacerdos. Baſilius Pontius *tract. de Sacram. Matrim. lib.* 5 *cap.* 11 *n.* 11 Barboſa *cit. alleg.* 32 *n.* 120 & alii contra multos alios ibi citatos, & Pellegrinum *l. c. num.* 27. & alios ab ipſo allegatos. Et ratio noſtra eſt, quia adverſarii, ut notat Barboſa *l. c.* defendunt contrarium ex eo tantum fundamento, quod non ſufficit in contrahendo Matrimonio præſentia Parochi, qui non ſit Sacerdos: Hoc autem eſt falſum, cum *S. C. Conc. in Abulenſi* 12 *Mart.* 1593 *lib.* 7 *Decret. fol.* 193 apud Monacell. *tom.* 2 *tit.* 16 *form.* 2 *n.* 34 apud Pitton. *Conſt. ad Parochos n.* 160. expreſſe declaraverit, quod Parochus valide, & licite aſſiſtit Matrimonio, etiamſi nondum ſit Sacerdos; adeoque &c. Tum quia *Eadem S. C. Conc.* 4 *Jul.* 1602 *lib.* 10 *Decr. fol.* 47 apud Monacell. *l. c.* declaravit, quod Matrimonium contrahi poteſt valide, non ſolum coram Sacerdote habente facultatem a vicario generali, ſed coram vicario generali met perinde ac coram Parocho. Unde cum ex alio adducto Decreto Parochus valide, & licite aſſiſtat Matrimonio, etiamſi nondum ſit Sacerdos, idem etiam dicendum venit de vicario generali nondum Sacerdote.

14 *Licentia* tamen aſſiſtendi Matrimonio non poteſt ab ipſo vicario generali, ſicuti nec a Parocho concedi alicui, qui non ſit Sacerdos; *arg. Concil. Trid. ſeſſ.* 24 *de reform. Matr. cap.* 1 ubi expreſſe requirit, ut delegandus ſit Sacerdos, ibi: *Vel alio Sacerdote*: Vide verb. *Impedimenta Matrimonii art.* 1. *num.* 68.

15 Vicarius generalis poteſt petere Salarium ab Epiſcopo, quod Salarium non poteſt eſſe minus quinquaginta aureis pro quolibet anno. Sic declaravit *S. C. Epiſ. in Ventimil.* 8 *Martii* 1606 Vel centenis monetæ. *Ead. S. C. Epiſ. in Cajetana* 5. *Februarii* 1616. apud Nicolium *l. c. n.* 52 & Pellegrin. *loc. cit. num.* 21.

16 Non poteſt tamen loco Salarii, ſeu proviſionis Epiſcopus aſſignare vicario emolumenta Cancellariæ, ut evitentur fraudes. *Ead. S. C. Epiſc. in Senogall.* 16 *Octobris* 1604 apud Nicol. *l. c. n.* 52 & Pellegrin. *l. c. n.* 21.

17 Vicarius generalis poteſt petere a Judice Laico auxilium brachii ſæcularis in cauſis, in quibus poteſt epiſcopus; *cap.* 1 ubi Canoniſtæ *de Offic. Ordinarii, cap. Dilecto, de ſent. excomm. in* 6. Concil. Trid. *ſeſs.* 24 *cap.* 8 *& ſeſs.* 15 *de Regular. cap.* 5 *& ſeſs.* 25 *de reform. cap.* 3 Pellegrin. *l. c. num.* 23 cum Gratian. Genuenſ. Menoch. Molina. Ridolphin. Barboſ. Covarruv. & aliis ibi citatis, & alii paſſim.

18 Vicarius generalis Archiepiſcopi, ipſo Archiepiſcopo abſente, & a ſua Provincia diſtante, poteſt interveniente juſta aliqua, & gravi cauſa Epiſcopos ſuffraganeos ſuſpendere, interdicere, & excommunicare, textu claro *in c. Romana Eccleſia* 1. §. *Officiales autem, de Officio Ordinar. in* 6. Vide verb. *Archiepiſcopus art.* 1 *n.* 20.

19 Non poteſt vicarius generalis, etiamſi fuerit epiſcopus ex generali commiſſione ſine ſpeciali mandato epiſcopi exercere ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, ut conſecrare eccleſias, & Altaria, Chriſma, & Oleum Sanctum conficere, Sacramentum Confirmationis, & Ordinis conferre, Calices conſecrare, & alia hujuſmodi. Rebuff. *in Praxi Benef. tit. de vicario n.* 33 *& n.* 168 *cum ſeq.* Sbroz *de vicario Epiſ. lib.* 2 *q.* 5. *num.* 10. *& q.* 6 *cum ſeq.* Azorius *part.* 2 *lib.* 3 *cap.* 45 *q.* 9 *& cap.* 46 *verſ. Confirmationes*, Ugolinus *de Offic. & poteſtat. Epiſc. cap.* 4 §. 7 *n.* 2 *verſ.* 8 Franciſcus Leo *in Theſaur. Fori Eccleſ. part.* 1 *cap.* 12 Barboſa *p.* 3 *de Offic. & poteſt Epiſcop. alleg.* 54. *n.* 83 cum aliis ibi citatis, Pellegrin. *l. c. ſubſect.* 2 *a n.* 1 *ad* 5 & alii paſſim.

20 Item non poteſt ſine ſpeciali mandato Synodum congregare. Gloſſa *in cap. Tua nos verb. vicarii, & in cap. Quod ad translationem, verb. Item Congregatio, de Officio Legati*: Pellegrin. *l. c. n.* 47 Rebuff. *in Praxi benef. de Forma vicarii num.* 151 Sbroz *lib.* 2 *q.* 46 *num.* 1 Barboſa *cit. alleg.* 54 *n.* 103. cum aliis ibi citatis, & *ſuper Trid. ſeſſ.* 24 *de reform. cap.* 2. *num.* 21 cum aliis ibi allegatis, ubi inſuper refert ex Sellio ſic fuiſſe reſolutum *a S. C. Concil.* 11 *Auguſt.* 1618 Quamvis enim ipſe *in Summ. Apoſtol. verb. vicarius Generalis collect.* 715 *num.* 3 dictam Sacræ Congr. deciſionem referat in contrarium, nihilominus ut recte notat ex aliis Ventriglia *tom.* 2 *annot.* 14 §. 1 *n.* 37 ipſa Sacræ Congr. deciſio cantat pro noſtra opinione, quod nempe Vicarius Generalis abſque ſpeciali mandato non poſſit Synodum congregare, & fortaſſe Barboſa *in dicta ſumma* inadvertenter omiſit dictionem *Non*.

21 Item non poteſt ſuo arbitrio Conſtitutiones Synodales mutare. *S. C. R.* 25 *Februar.* 1606.

22 Item non poteſt ſine ſpeciali mandato Diœceſim viſitare, quia Viſitatio videtur Epiſcopis tantum reſervata, qui per ſeipſos viſitare tenentur ſingulis annis, & ipſis legitime impeditis, per ſuos vicarios, *c. Decernimus* 10 *cauſ.* 10 *qu.* 1. *cap. Epiſc.* 11 *ead. cauſ. & q. c. Inter cetera, de Offic. Ordinarii, cap. ſi Epiſ.* 6 *eod. in* 6 Conc. Trid. *ſeſſ.* 7 *de reform. c.* 8 *& ſeſſ.* 23 *de reform. c.* 3 Rebuff. *l. c. n.* 100 Sbroz *l.* 2 *q.* 120. *n.* 2 Pellegrin. *l. c. n.* 46 Barboſa *cit. alleg.* 54 *num.* 102. & alii paſſim.

23 Item non poteſt ſine ſpeciali mandato exigere Cathedraticum, ſeu Synodaticum, quod Epiſcopis debetur ratione ſubjectionis. Sbroz *l.* 2 *q.* 38 *n.* 6 Barboſa *cit. alleg.* 54. *n.* 123 Pellegrin. *l. c. n.* 49 & alii.

24 Item nequit ſine ſpeciali mandato imponere, & exigere Caritativum Subſidium. Barboſa *cit. alleg.* 54 *n.* 122 Bellencin. *in tract. de Caritativo ſubſidio qu.* 11 *per tot.* Azorius *Inſtit. Moral. p.* 2 *lib.* 9 *cap.* 14 *q.* 5 *verſ. Vicarius*, Sbroz *libr.* 2 *q.* 48 *num.* 6 Pellegrin. *l. c. n* 48 & alii.

25 Item ſine ſpeciali mandato nequit ſe intromittere in cauſis Criminalibus, quæ enumerantur inter negotia magis ardua, cum in eis tractetur de vita hominis, & de pœna graviter infligenda, *arg. c. veniens* 15 *et c. Qualiter* 24 *de accuſationibus.* Unde pro ipſis cauſis debet habere ſpecialem commiſſionem, textu expreſſo *in cap. Licet, de Offic. vicarii in* 6 ibi:

„ Poteſtatem tamen inquirendi, corrigendi, aut puniendi „ aliquorum exceſſus, ſeu aliquos a ſuis Beneficiis, Officiis, „ vel adminiſtrationibus amovendi transferri nolumus in „ eumdem, niſi ſibi ſpecialiter hæc committantur.

26 Item ſine ſpeciali commiſſione nequit Beneficia conferre; *cap. Ultimo de Offic. vicarii in 6 et Communis Doctorum* cum Barboſa *cit. alleg.* 54 *n.* 6 Pellegrin. *l.c. n.* 13 Ventriglia *l.cit. n.* 8 & alii. Neque poteſt ſine ſpeciali mandato reſignationes, & permutationes Beneficiorum admittere, & approbare, *capitulo Quæſitum, de rer. permut.* Barboſa *l.c. num.* 66 cum pluribus ibi allegatis, Pellegrin. *l.c. n.* 14 Ventriglia *l.c. n.* 9. & alii paſſim.

27 Immo etiamſi Vicarius habeat ſpeciale mandatum ad recipiendas reſignationes Beneficiorum, adhuc non poteſt conferre Beneficia coram ipſo reſignata ſine ſpeciali mandato ad conferendum. Rota *dec.* 5 *alias* 487 *n.* 2 *et* 3 *in novis*, quam affert Sbroz *lib.* 2 *q.* 71 *n.* 9 Pellegrin. *l.c. n.* 14 Rebuff. *l.c. numer.* 104 *et* 106 Ventriglia *l.c. n.* 10 cum aliis ibi allegatis, Barboſa *cit. alleg.* 54 *n.* 67 & alii.

28 Neque poteſt ſine ſpeciali mandato Beneficia unire, neque uniones revocare, aut Eccleſias dividere Lotter. *in tract. de re Beneficiaria l.* 1 *q.* 28 *a n.* 118 Garcias *de benef. part.* 12 *c.* 2 *n.* 69 Sbroz *lib.* 2 *q.* 115 Barboſa *cit. alleg.* 54 *n.* 72 Ventriglia *l.c. n.* 12 Pellegrin. *l.c. n.* 15

29 Neque poteſt abſque ſpeciali mandato Beneficia erigere, aut Juſpatronatus fundationi conſenſum præſtare; Barboſa *l.c. n.* 71 Pellegrin. *l.c. n.* 17 *et* 22 Riccius *in dec. Curiæ Archiepiſ. Neapol. p.* 1 *dec.* 140, & alii.

30 Item neque poteſt abſque ſpeciali mandato beneficia ſupprimere; Barboſa *l.c. n.* 71 Sbroz *lib.* 2 *q.* 117 *n.* 5 Moneta *de commutat. ultim. voluntat. capit.* 12 *numer.* 129 *cum ſeq.* Pellegrin. *l.c. n.* 16 & alii.

31 Neque poteſt abſque ſpeciali commiſſione Juſpatronatus reſervare alicui ex cauſa donationis, fundationis, vel conſtructionis; Garcias *de benef. p.* 5 *c.* 9 *n.* 43 Vivian. *in praxi Juriſpatronatus parte* 1 *l.* 1 *num.* 24 *in prima edit.* alias *l.* 2 *c.* 1 *n.* 10 Sbroz *l.* 2 *q.* 31 *n.* 4 Gratian. *diſcept. Forenſ. c.* 303 *n.* 12 Pellegrin. *l.c. n.* 19 Barboſa *l.c. n.* 73 adducens ultra alios Doctores etiam ad id plures Rotæ deciſiones.

32 Neque ſine ſpeciali mandato donationi Juriſpatronatus decretum interponere, vel auctoritatem, ſeu aſſenſum præſtare valet, quia hoc eſt de Juriſdictione gratioſa, & non neceſſaria, ut *in capitulo Unico de Jure patron. in* 6 Riccius *in praxi aurea reſol.* 469 Zerola *in Praxi Epiſc. verb. Vicarius* §. 11 *et* 13 Pellegr. *l.c. n.* 20 Barboſa *l.c. n.* 75 cum pluribus ibi allegatis adducens inſuper ad id varias Rotæ deciſiones.

33 Neque ſine ſpeciali commiſſione præſentare poteſt ad Beneficium Juriſpatronatus ad Epiſcopi præſentationem pertinens Lambertin. *de Jurepatr. p.* 3 *lib.* 2 *q.* 110 *n.* 2 Sbroz *libr.* 2 *q.* 110 *num.* 2 Garzias *de benef. p.* 5 *cap.* 8 *n.* 82 Pellegrin. *l. cit. n.* 21 Barboſa *l.c. n.* 82. & alii apud ipſos.

34 Neque novas Parochias erigere, nec alia beneficia creare, neque in creatione novæ Dignitatis auctoritatem præſtare; *Capitulo Nemo*, ubi Gloſſa verb. *Veniat per ſe, vel per alium diſtinct.* 1 *de conſecrat.* Rota *in Segobien. Capellaniæ* 28 *April.* 1625 *coram Ubaldo*, Garzias *de benef. p.* 5 *cap.* 9 *num.* 75 Pellegrin. *l.c. n.* 22 Barboſa *l.c. n.* 76 cum aliis ibi allegatis.

35 Neque poteſt ſine ſpeciali mandato imponere penſionem ſuper beneficiis, ubi Epiſcopus ob aliquam juſtam cauſam, v.g. pro bono pacis, & concordiæ poſſet. Sbroz *l.* 2 *qu.* 71 *n.* 14 Moneta *de commut. ult. volunt. cap.* 5 *n.* 49; Pellegrin. *l. cit. n.* 24 Barboſa *l.c. n.* 77 Ventrigl. *l.c. n.* 13 & alii.

36 Neque poteſt abſque ſpeciali commiſſione Coadjutorem Vicarium Rectori imperito deputare ſecundum formam *Sac. Conc. Trid. ſeſſ.* 21 *de reform. c.* 5 Sbroz *de Offic. vicarii libr.* 2 *q.* 112 *a n.* 2 Puteus *dec.* 239 *n.* 2 Ventriglia *l.c. n.* 13 Barboſa *l.c. n.* 73 & alii.

37 Neque abſque ſpeciali conceſſione poteſt Œconomum Eccleſiæ conſtituere; Sbroz *l.* 3 *q.* 53 *n.* 2 Felin. *in c. Quoniam in fine, de Offic. Ordinarii*, Barboſa *l.c. n.* 78 Pellegrin. *l.c. numer.* 24 Ventriglia *l.c. n.* 13, & alii.

38 Neque poteſt abſque ſpeciali commiſſione aliquem ab Ordine deponere, aut amovere a ſuo beneficio, Officio, vel adminiſtratione, textu expreſſo *in Cap. Licet, de Offic. Vicarii in* 6 vide verba adducta *ſupra n.* 25 Barboſa *l.c. n.* 79 Ventriglia *l.c. n.* 13 Pellegrin. *l.c. num.* 25, & ipſo teſte alii communiter.

39 Neque ſine ſpeciali mandato poteſt Clericum exilio condemnare, aut ab exilio revocare. Abbas *in c.* 1 *n.* 3 *de calum.* & *in c. Cum non ab homine n.* 4 *de Judiciis*, Sbroz *l.* 2 *qu.* 155. *n.* 2 *et q.* 156 *num.* 4 Barboſa *l.c. n.* 79 Pellegrin. *l.c. n.* 26 & alii apud ipſos.

40 Neque poteſt ſine ſpeciali conceſſione Eccleſias dirutas, & vetuſtate collapſas, quæ ob illarum, & Parochianorum inopiam nequeunt reſtaurari, in Matrices erigere, vel in alias viciniores Eccleſias transferre. Franciſc. Leo *in Theſaur. Fori Eccleſ. part.* 2 *cap.* 16 *n.* 16 Barboſa *l.c. n.* 81 Sbroz *l.* 2 *q.* 117 *n.* 3 Pellegrin. *l.c. n.* 27 & alii.

41 Neque ſine ſpeciali mandato poteſt mutare ſtatum alicujus Eccleſiæ etiam in caſibus, in quibus id poteſt Epiſcopus. Moneta *de commut. ult. volunt. cap.* 11 *n.* 358 *et* 160 Barboſa *l.c. n.* 61 Pellegr. *l.c. n.* 28, & alii.

42 Neque ſine ſpeciali mandato alienare poteſt res Eccleſiæ, aut in alienationibus, ſeu tranſactionibus earundem rerum decretum interponere; Sbroz *l.* 2 *q.* 118 *n.* 2 Pellegr. *l.c. numero* 29 *et* 55 Barboſa *l. citat. numero* 106 & alii plures apud ipſos.

43 Neque ſine ſpeciali commiſſione poteſt concedere licentiam ædificandi nova Monaſteria, & Conventus in loco ſuæ Diœceſis, ex eo quia eſt de Majoribus. *S. Congr. Conc.* 11 *Julii* 1620 apud Barboſam *in Summa Apoſtol. dec. Collectan.* 715 *numero* 10.

44 Neque poteſt, quando celebrat, habere duos Capellanos, ſive Clericos, qui illi cum Cottis inſerviant. *S. C. Rit.* 7 *Aug.* 1627.

45 Neque in altari quatuor candelas accenſas tenere, niſi hoc fieret in illo Altari propter ſolemnitatem diei Feſti. *Ead. S. Rit. Cong.* 7. *Auguſti* 1627.

46 Neque poteſt facere Circulum in Miſſa ſolemni ante Epiſcopum cum Canonicis ad Gloria, Credo, & Sanctus &c. *S.C. Rit. in Macerat.* 28 *Septemb.* 1630 apud Pellegr. *l. citat. num.* 10.

47 Neque poteſt Baldachinum erigere, abſente Epiſcopo, in Eccleſiis exemptis invitis Monachis; *S.R.C. in cauſa Congregationis Caſinenſis* 10 *Julii* 1621 apud Pellegrin. *l. citat. ſub num.* 11.

48 Neque poteſt, abſente, vel impedito Epiſcopo, facere functiones Epiſcopales, ſed ſpectat facere ad primam Dignitatem Capituli, & ſucceſſive ad alios. *S.R.C. in Algar. & Brunduſina* 20. *Dec.* 1661 *& in alia Brunduſina* 5 *Febr.* 1614 *et in Alatrina* 22 *Januar.* 1618.

49 Neque poteſt ſumere paramenta de Altari, quia hoc facere ſolis Epiſcopis permittitur. *Eadem S. R.C.* 7. *Jul* 1612 apud Pellegr. *l.c. n.* 11 Niſi propter neceſſitatem ob loci anguſtiam id faciat uti alii Sacerdotes in ſimili caſu faciunt, & tunc ipſa paramenta, non in medio Altari, ſed in cornu Evangelii ſumere debet, ut declaravit *Ead. S. Rituum Congr. d. die* 7. *Jul.* 1612.

50 Neque poteſt uti Vicarius Generalis Miſſas Conventuales aut Pontificales celebrare, nec SS. Sacramentum, aut Sacras Reliquias paratus deferre, nec aliis ſe immiſcere functionibus Eccleſiaſticis, ſed tantum præeſſe, ut omnia ſuo ordine fiant. *S.C. Epiſc.* 19 *Septemb.* 1627 apud Barboſam *in Summa l.c. n.* 12.

51 Neque poteſt Vicarius uti annulo tempore, quo celebrat, licet ſit Protonotarius Apoſtolicus non participans. *S. R. C.* 11 *Febr.* 1623 apud Gavant. *in Manual. Epiſc. verb. Miſſæ ritus n.* 12 & Pelleg. *l.c. n.* 12 & multo minus, ſi ſit Canonicus Cathedralis. *Ead. S.R.C.* 20 *Novemb.* 1629 apud Gavant. *l.c. n.* 13 & Pellegr. *l.c. n.* 12 ſed vide verb. *Annulus n.* 8, ubi ex poſteriori Decreto *S.R.C.* 4 *Aug.* 1613 dicitur, quod poſſunt Canonici Cathedralis Miſſam celebrare cum annulo aureo, & de rigore uti, ſed ſine gemma, & ſine aliqua effigie.

52 Nec poteſt prohibere Canonicis, ne Officium inchoetur, donec ipſe veniat, quia ſtatim dato ſigno eſt inchoandum. *S.R.C.* 25 *Febr.* 1606.

53 Neque prætendere, ut ipſi Miſſam ſolemnem cantanti aſſiſtant Canonici, & faciant Circulum ante ipſum. *S.R. Congreg.* 8 *Martii* 1595.

54 Neque poteſt dare benedictionem Diacono, antequam cantet Evangelium, neque benedicere Prædicatori, antequam Pulpitum aſcendat. *Sacr. Congregation. Rit. in Pacen.* 17. *Martii* 1607. apud Pellegrin. *loco cit. ſub numer.* 12., & Barboſa *in Summa loc. cit. n.* 9.

55 Neque poteſt impedire, quod Parochi denunciationes faciant abſque ſua licentia. *Sac. Congreg. Concil.* 27. *Martii* 1617. apud Barboſam *l.c. n.* 11.

Ne-



56 Neque poteſt intervenire Capitulo, ſi ſit exemptum. *Sac. Congregat. Concilii* apud Barboſam *loc. citat. numer.* 13. Vel ſi nolint Canonici. *Eadem Sacr. Congregat. Concil. in Amerien.* 24. *Aprilis* 1632.

57 Immo neque abſente Epiſcopo, poteſt in Capitulo intervenire. *Eadem Sacr. Congregat. Concilii* apud Barboſam *loc. cit. numer.* 15. Et ſi ſit de Capitulo, debet inde exire, ubi

58 tractandum fuerit de rebus ad ſuum, vel Epiſcopi commodum pertinentibus. *Sacr. Congregat. Epiſcop. & Regul.* 17. *Jun.* 1584. apud Barboſam *loc. cit. n.* 15.

59 Neque poteſt concedere licentiam alteri Epiſcopo exercendi Pontificalia in ſua Diœceſi niſi habeat ad id ſpeciale mandatum. *Sacr. Congregat. Concilii* apud Barboſam *loc. citat. num.* 16.

60 Neque poteſt ſine ſpeciali commiſſione remittere denunciationes Matrimoniales. *Sacr. Congregat. Concilii* apud Barboſam *loc. cit. num.* 19. Contrarium tamen cum pluribus defendit Ventriglia *loc. cit. num.* 26. aſſerens, quod verior, & magis communis opinio ſit, quod id poſſit ſine ſpeciali mandato, & ſic cum aliis etiam Pellegrin. *loc. citat. numer.* 38., & alii plures.

61 Neque pro Matrimonialium diſpenſatione poteſt quidquam quamvis minimum, & ſponte datum recipere. *Sac. Congr. Epiſ., & Regul. in Surrentina* 22. *April.* 1616. apud Barboſam *loc. cit. num.* 17. & Taxa Innocentiana §. *Nelle cauſe, e materie*.

62 Neque de Jure poteſt ſine ſpeciali mandato Indulgentias concedere: *arg. cap. Antecedentibus* 12. *de exceſſibus Prælat.* & *ibi* Fagnan. *num.* 17. cum pluribus aliis, Card. Petra *tom.* 3. *Comment. ad Conſtit.* 16. *Alexandri IV. num.* 26. Barboſa *loc. cit. num.* 90. cum pluribus ibi allegatis. Vide verb. *Indulgentia art.* 2. *num.* 29.

63 Neque poteſt ſine ſpeciali commiſſione Interdicta relaxare, ſive ab homine, ſive a Jure ſint, Barboſa *cit. allegat.* 54. *num.* 96. Sbroz *lib.* 2. *q.* 185. *num.* 2. *cum ſeq.* Pellegrin. *loc. cit. num.* 39. & alii.

64 Neque poteſt ſine ſpeciali mandato Dimiſſorias, ſeu Commendatitias Litteras pro recipiendis Ordinibus ſubditis concedere, niſi Epiſcopo ita abſente, & in remotis agente, ut nonniſi poſt longum tempus adventus ejus ſperetur; *C. Cum nullus verſ. Officialis, & §. Epiſcopo*, ubi Gloſſa verb. *In remotis, de tempor. Ordinat. in* 6. Pellegrin. *loc. cit. num.* 44. Ventriglia *loc. cit. num.* 32. Barboſa *part.* 2. *de Offic., & poteſt. Epiſc. alleg.* 7. *num.* 9. *& cit. alleg.* 54. *num.* 97., *& de Jur. Eccleſ. univerſ. lib.* 1. *cap.* 15. *numer.* 21., & plures alii apud ipſos.

65 Neque poteſt ſine ſpeciali conceſſione alium Vicarium ſubſtituere. Immo & cum ſpeciali facultate ſubſtituendi, nec poteſt ſubſtituere, niſi concurrente legitima cauſa, & ad modicum tempus, *Cap. Clericos, de Officio Vicarii*, Gloſſa *in cap. Romana* 1. *verb. ipſius, de Officio Vicarii in* 6. Pellegrin. *loc. cit. num.* 45. Ventriglia *l. cit. num.* 39. Barboſa *cit. alleg.* 54. *num.* 9. & 10. [illegible] ota, & alii plurimis ibi citatis.

66 Neque poteſt ſine ſpeciali conceſſione abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis, cum id non veniat in Generali commiſſione: *Cap. Penultim. de Pœnitent., & remiſſionibus in* 6. Pellegrin. *loc. cit. num.* 43. Ventrigl. *loc. cit. num.* 30. Sbroz *lib.* 2. *quæſt.* 19. *num.* 5. Barboſa *cit. alleg.* 54. *num.* 116., & alii apud ipſos notantes, quod quando datur hæc poteſtas, concedi ſolet, ut & alteri delegari poſſit.

67 Neque poteſt ſine particulari conceſſione diſpenſare in Irregularitatibus, & abſolvere a Suſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, ac a aliis caſibus occultis Sedis Apoſtolicæ reſervatis, ſicuti poteſt Epiſcopus in vim Concilii Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 6. quia Concilium hanc facultatem non tribuit Vicario Generali niſi ſpecialem commiſſionem ad hoc habenti, ibi: *Per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum*. Pellegrin. *loc. cit. num.* 41. Ventriglia *loc. cit. num.* 29. Rebuff. *in Praxi Benefic. de Forma Vicarii num.* 179. *cum ſeq.* Ugolin. *de poteſtate Epiſcop. cap.* 3. §. 7. *numer.* 2. *verſ. poſtremo*, Suarez *de Cenſuris diſp.* 41. *ſect.* 2. *num.* 8. Barboſa *Juris Eccleſiaſtic. univerſ. lib.* 1. *cap.* 15. *nu.* 24. *& de Offic. & poteſtat. Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 39. *num.* 10. Reiffenſtuel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 82. *numer.* 85., & alii apud ipſos.

68 Neque ſine ſpeciali mandato poteſt abſolvere ab Excommunicatione Canonis: *Si quis ſuadente diabolo* 17. *quæſt.* 4. in caſibus Epiſcopo permiſſis, de quibus *in cap. De cetero* 11. *& cap. Ea noſcitur* 13. *de ſent. excomm.*, & *cap. His quibus* 20. *de Officio Ordinarii*, ubi Doctores communiter teſte Pellegrin. *loc. cit. num.* 42.
Neque ſine ſpeciali mandato cognoſcere poteſt de crimine Hæreſis. Decian. *tract. Criminal.* 69
*tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 7. Sbroz *lib.* 2. *pag.* 161. *numer.* 4., & 5. Covarruv. *lib.* 3. *variar. reſol. cap.* 20. *num.* 3. Barboſa *cit. alleg.* 54. *num.* 85. Pellegrin. *loc. cit. num.* 30.
Immo neque de licentia Epiſcopi poteſt abſolvere ſubditos in Foro 70 conſcientiæ a crimine hæreſis, quia hoc competit ſolis Epiſcopis vigore conceſſionis Concilii Trident. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 6., ibi: *Eis tantum, non eorum Vicariis ſit permiſſum*, Cuccus *Inſtit. Jur. Canon. de Epiſcop. nu.* 191. Sbroz *lib.* 2. *qu.* 20. Barboſ. *loc. cit. num.* 86. Pellegr. *loc. citat. numer.* 30., & alii.

71 Neque voluntatem puellæ Habitum Regularem ſuſcipere, aut Profeſſionis votum emittere volentis explorare poteſt, ut experiatur an coacta ſit, & an ſciat, quid agat; & cetera juxta diſpoſitionem Concilii Trid. *ſeſſ.* 25. *de Regularibus cap.* 17. Niſi ad hæc ſpecialiter ſit deputatus, vel Epiſcopus ſit abſens, aut legitime impeditus. Sbroz *lib.* 2. *quæſt.* 208. Barboſa *loc. citat. numer.* 88. Pellegrin. *loc. citat. numer.* 32. & alii.

72 Neque poteſt cauſas reſtitutionis in integrum cognoſcere, ſeu de eis diſceptare, niſi ei ſpecialiter committatur. Ita per text. *in leg. Illud* 25. §. 1. *ff. de Minoribus* tenent Sbroz *lib.* 2. *q.* 35. *num.* 5. Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 40. *num.* 12. *in fine*, Barboſa *loc. cit. num.* 103. Ventrig. *loc. cit. n.* 40. Pellegr. *loc. cit. num.* 56. & alii.

73 Neque ſine ſpeciali mandato deferre poteſt juramentum purgationis Canonicæ. Speculator *de Juriſdict. omnium Judicum verſ. Secundum Canones*, Bertachin. *de Epiſcop. tit. de Vicar. Epiſc. num.* 12. *in fine*, Barboſ. *loc. cit. num.* 109. Sbroz *lib.* 2. *quæſt.* 167. *num.* 2. Pelleg. *loc. cit. num.* 57. Ventrig. *l.c. n.* 40. & alii.

74 Neque conſentire poteſt ut Metropolitanus, ſive alius cognoſcat cauſas Clericorum in prima inſtantia, omiſſo medio appellationis; Barboſa *loc. cit. num.* 110. Ventrig. *loc. cit. n.* 40. Pellegr. *loc. cit. num.* 56. Ferret. *conſ.* 307. *num.* 1. Sbroz *lib.* 2. *q.* 204.

75 Neque cognoſcere poteſt de cauſa delegata Epiſcopo, niſi in Reſcripto addita ſint verba: *Sive ejus Generali Vicario*, Barboſa *loc. cit. num.* 111. Zerola *in Praxi Epiſcop. part.* 1. *verb. Vicarius* §. 21. *dub.* 5. Campanil. *in diverſ. Jur. Canonic. Rubric.* 1. *cap.* 23. *num.* 148. Pellegr. *loc. cit. num.* 60. Ventrig. *l.c. n.* 41. & alii.

76 Neque ſine ſpeciali mandato cauſas Feudales cognoſcere, & tractare poteſt. Card. *in Clement.* 1. *num.* 9. *de Officio Vicarii*, Sbroz *lib.* 2. *quæſt.* 125. *num.* 3. Barboſa *loc. cit. numer.* 112. Ventriglia *loc. cit. numer.* 40. Pellegr. *loc. cit. numer.* 62. & alii.

77 Neque ſine ſpeciali mandato poteſt auctorare exemplum ex originali ſumptum, ut eamdem vim, & auctoritatem cum originali habeat, *cap. final. de Fide inſtrumentor.*, ibi: *Coram Ordinario Judice, vel Delegato ab eo ſpecialiter præſententur*, per quem text. ita ibi tenent Goffred., & Hoſtienſ. Decian. *reſp.* 24. *num.* 44. *volum.* 1. Barboſa *loc. citat. numer.* 113. Ventrigl. *loc. citat. numer.* 40. Pellegr. *loc. cit. nn.* 63. & alii.

78 Neque ſine ſpeciali commiſſione repreſalias concedere poteſt. Barboſa *l.c. n.* 114. Ventriglia *loc. citat. num.* 40. Pellegrin. *loc. citat. numer.* 16. Sbroz *lib.* 2. *quæſt.* 165. *numer.* 1. & alii.

79 Neque ſine ſpeciali mandato bona Clericorum confiſcare poteſt. Baldus *in l. Imperatores in fine, ff. de Officio Præfecti Vigilum*, Sbroz *lib.* 2. *quæſt.* 158. *num.* 3. Ventrigl. *loc. cit. num.* 40. Pelleg. *l.c. n.* 66. & alii.

80 Neque ſine ſpeciali commiſſione pœnas corporales in pecuniarias convertere poteſt; *cap. Licet*; ubi Gloſſa, & DD. *de pœnis, & capit. In Archiepiſcopatu, de Raptor.* Pellegrin. *loc. cit. num.* 76. Ventrigl. *loc. cit. num.* 46. Barboſa *loc. citat. num.* 120. Rebuff. *loc. cit. tit. De Forma Vicar. num.* 44. *cum ſequentibus*, & alii.

81 Neque ſine ſpeciali mandato poteſt condemnatum Reum abſolvere. Ripa *in leg. Qui condemnare num.* 9. *verſ. Sed certe, ff. de Re Judic.* Menoch. *de Arbitrar. Judic. lib.* 1. *qu.* 49. *num.* 28. Sbroz *lib.* 2. *quæſt.* 38. *num.* 1. *& q.* 156. *num.* 4. Barboſa *loc. cit. num.* 118. Pellegrin. *loc. cit. num.* 63. Sive, ut dicitur, non poteſt gratiam facere, & indulgere delinquentibus nam id ſapit liberalitate, & non venit in generali mandato.

dato. Card. *in Clement.* 1. *num.*19. *de Officio Vicarii*, Rebuff. *in Praxi Benef. tit. de Forma Vicariat. Archiepiſc. num.*167. Sbroz *lib.*2. *quæſt.*38. *num.*4. Ventriglia *loc. cit. num.*46. Pellegr. *l. c. n.*65. & alii.

82 Neque ſine ſpeciali conceſſione poteſt exercere poteſtatem Doctorandi, quam habet Epiſcopus ex privilegio; Secus ſi illi competeret Jure communi. Sbroz *de Vicar. Epiſcop. lib.*2. *quæſt.*29. *num.*8. Merol. *Opuſcul. Moral.*3. *part. diſp.*7. *cap.*6. *dub.*16. *num.*164. *& ſeq.* Ventriglia *loc. citat. num.*46. & alii.

83 Neque ſine ſpeciali commiſſione poteſt exequi pias defunctorum voluntates. Bald. *in l. Nulli num.*8. *Cod. de probat. & in c. Cum cauſis, de electíon.* Tiraquell. *de privileg. piæ cauſæ privileg.*31. *in fine*, Sbroz *lib.*2. *quæſt.* 49. *numer.* 12. *& quæſt.* 50. *num.*1. *& quæſt.*51. *num.*1. Barboſa *l.c.n.*104. Pellegrin. *l.c.n.*54. & alii.

84 Ad dignoſcendum autem pro quibuſnam cauſis habeat, vel non ſpeciale mandatum? debet diligenter inſpici, & attendi forma Vicariatus, ſeu inſtrumentum commiſſionis, quo quis inſtitutus fuit Vicarius Generalis, ubi ſi habeatur ſolita „ apponi clauſula Generalis „ ad omnia, & ſingula facien„ di, & committendi, etiam ſi majora fuerint, & quæ „ mandatum exigant ſpeciale, pro ut ad ipſius Vicariatus, „ & Officiatus Officium noſcitur quomodolibet pertinere &c. tunc ſi Epiſcopus antea conceſſit, vel expreſſit aliquos caſus ſpeciale mandatum requirentes, adjecta poſtmodum dicta Clauſula, poterit Vicarius etiam alia facere, quæ requirunt ſpeciale mandatum. Dummodo non ſint graviora, vel majora expreſſis, prout in ſimili habetur deciſum quoad Procuratores *in cap. Qui ad agendum* 4. *de Procuratoribus in* 6. & *Clementin.* 2. *de Procuratoribus*, ac notat Gloſſa pluribus adductis *in capit. Licet* 2. *verb. Committantur de Officio Vicarii in* 6., & tenent Hoſtienſis *in capit. Significaſti, de Officio Archidiaconi*, Covarruvias *lib.*1. *variar. reſolut. capit.* 1. *numer.*2., *& lib.*2. *cap.*5. *num.*8. Sbroz *libr.* 1. *quæſt.* 65. *num.*5., *& quæſt.*67. *num.*3. Garcias *de Benefic. art.* 5. *cap.*8. *num.*68. Sanchez *de Matrimon. lib.*3. *diſputat.* 29. *numer.*8. Moneta *de commutat. ultim. volunt. cap.* 5. *num.* 479. Engel *lib.*1. *Decretal. titul.*28. *numer.*10. Reiffenſtuel *ibidem num.*80. Barboſa *loc. cit. num.*124. Pellegrin. *loc. cit. num.*71. & alii notantes non eſſe neceſſe, quod omnes ſupradicti caſus exprimantur in Forma Vicariatus, ſeu inſtrumento commiſſionis, ſed ſufficere, quod aliqui tantum exprimantur cum prædicta Clauſula generali: *Ad omnia, & ſingula &c.* ſeu cum alia ſimili verb. grat. *Et omnia alia, licet mandatum exigant ſpeciale*, ſeu: *Et omnia alia, quæ Ego poſſum, quamvis mandatum exigant ſpeciale*: Dommodo tamen, ut ſupra dictum eſt, ipſa alia non ſint graviora, vel majora expreſſis.

85 Vicarius Generalis non poteſt lucrari Diſtributiones, niſi Choro interſit, quia ſervit Epiſcopo, & non Eccleſiæ, ut Vicarius Capitularis. Rota *deciſ.*222. *num.*5. *part.*2. *diverſarum*, etiamſi ab immemorabili tempore ſervatum fuerit, ut debeantur, ut deciſum refert Garcias *addit. ad cap.*2. *num.* 35. *cum ſeq. part.*3. *de Benefic.* & Pellegrin. *loc. cit. ſect.* 4. *ſubſect.*4. *num.*9. Vide verb. *Diſtributiones art.*2. *n.*2.

86 Vicarius Generalis non poteſt abſolvere etiam cum reincidentia occaſione infirmitatis, ſeu ſimilis cauſæ, a cenſuris incurſis ob violatam Immunitatem, & Libertatem, ac Juriſdictionem Eccleſiaſticam, & acriter reprehenditur ob abſolutionem datam Miniſtris Audientiæ Regiæ cenſuratis ſimili de cauſa *Sacr. Congregation. Imm. in una S. Marc.* 13. *Decembris* 1633. *lib.*2. *Decret. Pauluc. pag.*180., *& in Squillacen.* 20. *Novembris* 1640. *lib.*3. *Decret. Pauluc. pag.*135.

87 Attamen eidem datur aliquando facultas abſolvendi Violatores præfatos: *Sac. Congregation. Immun. in Aprutina* 25. *Maii* 1694. *lib.*1. *Dec. Valleman. pag.*125.

88 Et etiam aliquando datur facultas eidem ſubdelegandi pro conferenda abſolutione. *Sacr. Cong. Immun. in Viterbien.* 9. *Jun. d. Anno & lib. p.*128.

89 Emolumenta Vicariatus debentur Vicario pro tempore ſuæ abſentiæ ex cauſa defenſionis Immunitatis Eccleſiaſticæ, dempta parte debita ſubſtituto pro rata laboris taxanda ab Epiſcopo. *Sac. Congregat. Immunitat. in Majoricen.* 27. *Septemb.* 1661. *lib. Dec. Rocci pag.*361.

90 Vicarius Generalis, ſi non adeſt juſta cauſa, & demeritum, non eſt removendus per Archiepiſcopum ab Officio. *Sac. Congregat. Imm. in Brunduſina* 7. *Junii* 1633. *lib.* 2. *Decretal. Paul. pag.*158.

Quando vero Vicarius Generalis eſt ſcandaloſus, injungi- 91
tur Epiſcopo, ut ipſum removeat, *Sac. Congregat. Imm. in Acernen. primo Octobris* 1669. *libr. primo Dec. Altov. pagin.* 406.

In loco Vicarii ſuſpecti in cauſa detentorum pro prætenſo 92
homicidio, Epiſcopus deputet perſonam idoneam non ſuſpectam. *Sac. Congregation. Immun. in Averſana* 8. *Octobris* 1657. *lib. Decr. Rocci pag.*37.

Procedere debet auctoritate ſua ordinaria ſer. ſer. contra 93
violatores Immunitatis. *Sac. Cong. Imm. in Averſan.*4. *Sept.* 1658. *d. lib. pag.*53.

Vicarius Collegii Græci poteſt procedere pro defenſione 94
Immunitatis, & Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, licet non poſſit ſe ingerere in concernentibus extractionem, vel abſolutionem *Sacra Congregation. Immunitat. in Meliten.* 23. *Martii* 1638. *lib.*3. *Dec. Paul. p.*57.

Vicarius data præventione Curiæ Eccleſiaſticæ procedere 95
poteſt ſer. ſer. contra Judicem Laicum, ſi in d. cauſa procedat ad deſcriptionem bonorum. *Sacr. Congregat. Immun. in Dertonen.* 10. *Septemb.* 1652. *lib.*5. *decr. Paulucci p.*197.

Eidem injungitur, ut procedat contra Executores Curiæ 96
Laicalis, qui tentarunt violenter extrahere ab Eccleſia confugitos, eoſque percuſſerunt. *Sacr. Congregation. Immunit. in Sutrina* 29. *Auguſt.* 1695. *lib. Decret. Valleman. p.*210.

Injungitur Vicario, ut ſe abſtineat a permiſſione exami- 97
nandi teſtes in loco immuni in cauſis Criminalibus. *S. Cong. Immun. in Lauden.* 26. *Maii* 1632. *liber.* 2. *decretal. Paul. pag.*127.

Vicarius tamen Generalis cum facultate Sanctiſſimi exa- 98
minat mulierem exiſtentem in Conſervatorio. *Sacr. Congr. Immun. in Faventina* 6. *Decemb.* 1692. *lib.* 1. *Decr. Val. pagin.* 9.

Vicario Generali injungitur, ut attenta abſentia Epiſcopi, 99
redeat quamprimum ad ſuam reſidentiam. *Sacr. Congregat. Immunit. in Bitecten.* 27. *Februar.* 1693. *Decretal. Valleman. pag.* 476.

Vicarius bene agit non parendo Litteris ad audiendum 100
verbum Regium. *Sacr. Congregat. Immunit. in Catacen.*21. *Septemb.*1633. *lib.*2. *Decret. Paul. pag.*171.

Idem reſpondeat Litteris Regiis ſe procedere auctoritate 101
ſua ordinaria ad defenſionem Immunitatis Eccleſiaſticæ ſibi a Sacr. Cogregation. demandatam. *Sacr. Congregation. Immunit. in Bovinen.* 26. *Feb.* 1658. *lib. Decr. Rocci p.*63.

Idem ob inobedientiam, & tranſgreſſionem mandatorum 102
Sanctiſſimi de non diſcedendo ab Urbe Neapolis, & de non relinquendo exercitio ſui Vicariatus ex quacunque cauſa, etiam poſitis quibuſcunque minis, & præceptis Miniſtrorum Laicorum in contrarium de Ordine Sanctiſſimi a Nuncio auctoritate ſua ordinaria condemnatur in pœnam Suſpenſionis ab exercitio Ordinum, & inhabilitatis ad Dignitates, Beneficia, & Officia Eccleſiaſtica cujuſvis generis, quocumque loco, a quibuſcumque, & quomodocumque in poſterum obtinenda ſub pœna Excommunicationis Summo Pontifici reſervatæ, & quouſque Sanctitati ſuæ placuerit. *Sac. Congr. Immunitat. in Neapolitana* 25. *Maii, &* 19. *ac* 30. *Junii* 1660. *lib. Decret. Rocci p.*257. *&* 259.

Injungitur Vicario Generali ordinanti, & ſcandaloſe aſſi- 103
ſtenti extractioni Canonicorum a loco immuni, ut accedat ad Urbem, & ſe juſtificet, quatenus vero non ſe juſtificet, inhabilitatur ad Officia. *Sacr. Congregat Immunit. in Motulen.*2. *Septemb.*1681. *libr.*2. *dec. Alt. p.*2250.

Vicarius Nullius Orbetelli, nequit extrahere confugitum 104
ab Eccleſia, cum non poſſint hoc præſtare Ordinarii Epiſcopis inferiores. *Sac. Congr. Immun. in Nullius Orbetelli* 1669. *lib.*1. *dec. Alt. p.*315.

Vicarius Generalis ob extractionem a ſe ordinatam furum 105
a loco immuni incidit in Cenſuras, & prævia abolitione actorum ſuæ Curiæ conceditur, ut abſolvatur privatim. *Sacr. Congregat. Imm. in Recinaten., ſeu Lauretana* 20. *Maii* 1696. *lib.*2. *Dec. Vallem. pag.*25.

Vicarius Generali ordinans carcerationem Parochi in loco 106
immuni ſuſpenditur ab Officio arbitrio Sacr. Congregation. *Eadem Sac. Congregat. Immun. in Albanen.* 12. *Sept.* 1684. *lib.*3. Decr. *Alt. pag.*363.

Verum ſi habeat facultatem a Sanctiſſimo extrahendi ab 107
Eccleſia, poteſt ab ſimplicem correctionem extrahere Militem delinquentem, & in carceribus retinere pro aliquo modico tempore. *Sacr. Congregat. Imm. in una Nullius Orbetelli* 21. *Jun.* 1644. *l.*3. *Decret. Paul. pag.*230.

Ali-



108 Aliquando etiam de mandato Sanctiſſimi datur Vicario Generali facultas extrahendi ad annum. *Sac. Congreg. Imm. in Neapolitana* 19. *Maii* 1703. *lib.*3. *Dec. Vallem. p.*409.

109 Vicarius Generalis Canonicus ob datam Gubernatori Regni Corſicæ facultatem extrahendi confugitos a quacumque Eccleſia, & etiam Eccleſiaſticos, eoſque nomine Eccleſiæ cuſtodiendi, & cogendi ad ſolutionem condemnationum ipſius factarum ab ipſo Vicario acriter punitur de mandato Sacræ Congregat. ut ſequitur.

I. Prævia Suſpenſione a Divinis, & a perceptione fructuum Canonicatus. *Sacr. Congregat. Imm. in Sagonen.* 24. *Febr.*1696. *lib. Decret. Martelli pag.*567.

II Deinde in honorem Feſtivitatis Nativitatis D. N. Sacra Congregat. permiſit Epiſcopo illum reintegrare ad exercitium Ordinum per duos Menſes, & informet an fructus ejus Canonicatus fuerint ſequeſtrati? Item ſi, & quæ damna paſſi fuerint extracti vigore dictæ facultatis ab eo conceſſæ. *Sac. Congregat. Immunit. in eadem* 19. *Dec. d. Anni*, & *lib. pag.*701.

III. Et cum poſtea idem ſupplicaſſet reinregrari. Sacra Congregat. reſpondit: Satisfacta Parte de damnis coram Epiſcopo liquidandis, eumdem reintegret ad Ordines cum inhabilitate exercendi munus Vicarii in quacumque Diœceſi; *Sac. Cong. Imm. in Eadem* 11. *Decemb.* 1691. *lib. Decret. Grimaldi pag.*58.

IV. Tandem habito novo Recurſu pro gratia, allegata præſertim ejus decrepita ætate, Sacra Congregat. pronunciavit: facto depoſito arbitrio, & præſtita cautione in in Urbe de reficiendis damnis liquidandis coram D. Ponente reintegretur ad Ordines, & fructus Præbendæ, firma remanente inhabilitate ad Officium Vicariatus. *Sacr. Congregat. Immun. in eadem* 23. *Decemb.* 1682. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 14.

110 Contra Vicarium Generalem, qui habuit recurſum ad Proregem pro Delegatione Judicis Laici contra Clericos, a quo carcerati fuere Epiſcopus Neocaſtren. tamquam Delepatus, & uti vicinior procedat ad ulteriora, & tranſmittat. *Sac. Cong. Imm. in una Nullius S. Euphemiæ* 2. *Junii* 1693. *ibi pag.*50.

111 Vicarius Generalis Epiſcopi uxoratus mandans carcerationem Eccleſiaſtici conſulat conſcientiæ ſuæ, & carceratio non ſuſtinetur. *S. Cong. Imm. in una Civitatis Caſtelli* 19. *Novemb.* 1680. *lib.*2. *Dec. Alt. p.*286.

112 Vicarius Generalis, ſatisfacta Parte, abſolvat, juxta ſuas ordinarias facultates committentes homicidium in loco immuni auctoritate privata. *Sac. Congreg. Imm. in Curiaten.* 1. *Octob.* 1669. *lib.*1. *decret. Altov. pag.*406.

113 Eidem datur facultas perquirendi, & extrahendi ab Eccleſia, & a Domo Plebani, & a quocumque alio loco immuni (exceptis Monaſteriis Sanctimonialium) libros, ac mobilia ibi transfugata in aliorum præjudicium, ac res furto ſublata. *Sacr. Congregat. Imm. in Faventina* 6. *Decemb.* 1692. *lib.*1. *decr. Vall. pag.*9. *& in Camerinen.* 17. *Dec. d. Anno, & lib. pag.*11.

114 Injungitur eidem, ut abſtineat a cognitione cauſæ contra Filium Cancellarii. Epiſcopalis. *Sac. Cong. Imm. in Ariminen.* 6 *Junii* 1662 *lib. Decret. Rocci p.*403.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 AMpliſſima eſt materia hujus articuli, ut de ea pro dignitate agere haud patiuntur anguſti limites Additio-
2 num. Satis ſit indicare, qui de ipſa accurate præ cæteris diſſerit; vide clariſſimum *Ducaſſe in Prax. Juriſdiction. Eccleſiaſt. voluntar. & contentioſ.* In priori tomo agit doctiſſimus hic Auctor de voluntaria juriſdiction. Vicarii Generalis, & in poſteriori tomo de contentioſa ejuſdem juriſdictione, & quidem meo judicio doctiſſime.

## ARTICULUS III.

Quoad ea, quæ concernunt locum, præcedentiam, & modum quo expirat Vicarii Generalis Juriſdictio.

LOcus Vicarii Generalis debet eſſe ſecundum conſuetu- 1
dinem Eccleſiæ, quæ non eſt mutanda. *Sacr. Congreg. Rit. in Alexandrina* 15. *Mart.* 1698. *in reſponſ. ad* 3. *dub.* apud Barboſam *in Summa Apoſtolicar. deciſion. Collectan.*714 *num.*1.

Vicarius Generalis non poteſt Sedem arbitrio ſuo ſibi pa- 2
rare, ſed debet ſedere in Sede ſolita pro Vicariis aſſignata. *Sacra Congregation. Rit. in Neritonen.* 4. *Maii* 1606. apud Barboſam *loc. cit. num.*2., & Ventrigliam *tom.*2. *annot.* 14. §. 2. *num.*7.

Vicarius Generalis licet ſedeat in primo Stallo Chori, in 3
quo ſedere debet prima Dignitas, & habeat Thuris, & Pacis honorem ante omnes Dignitates, & Canonicos, non propterea dicitur occupare Stallum, ſive locum Dignitatum, & Canonicorum. *Sacr. Congregation. Rituum in Placentina* 19. *Maii* 1607. *in reſponſione ad dub.* apud Barboſam *loc. cit. numer.* 3.

Vicario Generali occupante primum locum Chori, & Stal- 4
lum Archidiaconi, quomodo ſedere debeant Dignitates in Choro, ne Archidiacono præjudicium inferatur; Vide *ſupra verb. Vicarius Apoſtolicus n.*30.

Vicario Generali non licet occupare locum Epiſcopi ab- 5
ſentis, nec parare ſibi ſedem cum tapetis, & pulvino, ſed idem debet eſſe ejus locus, abſente Epiſcopo, quem illo præſente habere conſuevit; *Sacra Congregat. Rit. in Brunduſina* 16 *Julii* 1605 apud Barboſam *l. citat. numer.* 5. & Ventrigliam *l. citat. num.* 7

Vicarius Generalis præcedit Capitulo, & Clero; *Sacra* 6
*Congregat. Rit. in Meliten.* 13 *Julii* 1619 apud Barboſam *l. c. num.* 6

Vicarius Generalis, abſente Epiſcopo, debet habere pri- 7
mum locum ſuper omnes Dignitates, & Canonicos non obſtantibus conſuetudine, aliiſque in contrarium. *Sacr. Congr. Rit. in Andrien.* 7 *Auguſti* 1610. *& in Ferrarien.* 20 *Decembr.* 1614 apud Barboſam *l. cit. n.* 7

Vicario Generali habitu Vicarii in Proceſſionibus incedenti 8
danda eſt præcedentia ſuper omnes Dignitates & Canonicos, & etiam ſuper illas Dignitates & Canonicos, qui habitu Protonotarii incedunt. *S. Congregation. Rit. in Brunduſina* 16 *Julii* 1605 apud Barboſam *l.c. n.*8

Vicarius Generalis debet præcedere omnibus Canonicis, 9
tam in Proceſſionibus, quam in ſeſſionibus; Dummodo Canonici non incedant parati. *Sacr. Congregat. Rit. in Egitanien.* 3 *Auguſti* 1602 *in reſp. ad* 3 *dub. & Civitatis Pennæ* 12 *April.* 1603 *& in Lauretana* 6 *Decembris* 1603 *& in Tiburtina* 6 *Martii* 1610 apud Barboſam *l. c. n.*9

Vicarius Generalis Canonicus, cum ſedet uti Canonicus, 10
debet ſedere in loco ſuæ receptionis, & in habitu Canonicali; Si vero velit præcedere uti Vicarius, debet habitum Canonicalem dimittere. *S. Congr. Rit. in Compoſtellana* 4 *Februarii* 1600 *& in Vulturarien.* 11 April. 1601 apud Barboſam *l. c. nu.*10

Vicarius Generalis in habitu ſuo ordinario non debet ince- 11
dere inter Canonicos paratos, nec eis præcedere. *Sacr. Rit. Congr. in Camerinen.* 14 *Junii* 1608 *& in Caſalen.* 5 *Julii* 1614 apud Barboſ. *l.c. n.*11

Vicarius Generalis debet habere primum locum ante Capi- 12
tulum, Canonicos, & Dignitates, tam præſente quam abſente Epiſcopo; Si autem ſit Canonicus, debet ſedere in proprio ſtallo, & cum habitu Canonicali, alias non lucratur diſtributiones quotidianas. *Sacra Congr. Rit. in Egitanien.* 10 *Decembr.* 1601 *& in Sutrina* 1 *Octobris* 1616 *& in Oritana* 5 *Aprilis* 1620 *& in Gallipolen.* 21 *Decembr.* 1613 apud Barboſam *l. c. n.*12.

Vicarius Generalis præfertur Archidiacono, & omnibus Ca- 13
nonicis, niſi ipſe ſimul ſit Canonicus, quia tunc ſedere debet in ſuo ſtallo Canonicali, ſi diſtributiones quotidianas lucrari velit. *Sacr. Congregation. Rit. in Nolana* 8 *Julii* 1602 *& in Civitatis Pennæ* 12 *Aprilis* 1603 *& in Compoſtellana* 14 *Februarii* 1604 *& in cauſa Candiæ* 7 *Auguſt.* 1610 apud Barboſam *l. c. n.*13

Vi-

14 Vicarius Generalis Canonicus , præſente Præpoſito ſuo Principali , & in omnibus actibus Capitularibus , & quandocumque diſtributiones quotidianas lucratur , debet ſtare , vel ſedere , & incedere in ſuo loco Canonicali : abſente vero Præpoſito , tanquam Vicarius Generalis in primo, & digniori loco . *Sacra Congregr. Rit. in Altinen. Nullius 4 Martii* 1606 apud Barboſam *l.c. n.*14

15 Vicarius Generalis Canonicus , ſive beneficiatus debet ſedere in loco ſuæ receptionis , & cum habitu Canonicali , ſive Beneficiati , ut lucretur diſtributiones, & quando vult præcedere Canonicis , ſeu Beneficiatis , debet habitum Canonicalem , ſeu Beneficiati dimittere , & non poteſt percipere diſtributiones . *Sacra Congregat. Rit. in Calaguritana 2 Auguſt.* 1603 Nec lucretur diſtributiones , quæ dantur intereſſentibus Proceſſionibus , niſi incedat in habitu Canonicali . *Sacra Congr. Rit. in Compoſtellana* 21 *Februar.* 1604 *& in Brunduſina* 16 *Julii* 1607 apud Barboſam *l.c. n.*15

16 Vicarius Generalis , licet etiam ipſo Epiſcopo præſente in Eccleſia , Choro , Proceſſionibus, Synodo , & aliis publicis , & privatis actibus , Canonicis,& Dignitatibus præcedere debeat , tamen hoc intelligitur , quoties Canonici , & Dignitates hujuſmodi in habitu Canonicali , etiamſi Cappa , & Rochetto utantur . ſtare aut incedere conſueverunt , non autem ſi Pluviali , Planetis , aut aliis ſacris paramentis juxta cujuſquam Ordinis gradum ſint induti , prout in diſtributione Candelarum in die Purificationis , & in receptione Cinerum feria quarta cinerum , & ſimilibus diebus , quibus Epiſcopus ſolemniter celebrare ex ritu Eccleſiaſtico teneatur, tunc enim non decet , ut Vicarius , præſertim ſi in ſuo quotidiano habitu exiſtat eiſdem ſacris veſtibus paratus , ſive ſtando , ſive incedendo præcedat . *Sacra Congregat. Rit. in Lauretana , & Nolana 23 Martii* 1602 *& 6 Septembr.* 1603 *& in Tiburtina 6 Martii* 1610 *& in Metropolitana 7 Auguſti* 1628 apud Barboſam *l.c. n.*16

17 Vicarius Generalis licet præcedat omnibus Dignitatibus , & Canonicis , tamen ratione Paramentorum in diſtributione Candelarum , & Palmarum non debet habere locum digniorem , quam Canonici parati : in adoratione vero Crucis, & quandocumque Canonici non ſunt parati , digniorem locum habet immediate poſt Celebrantem , & ſimiliter thurificandus eſt ante Canonicos , niſi ſint parati , quia tunc poſt Canonicos eſt thurificandus . *Sacra Congregat. Rit. in Placentina* 19 *Maii* 1607 *in reſp. ad 6 dub. & in Alexandrina* 15 *Martii* 1608 *in reſp. ad 1 dub.* Et quod in adoratione Crucis præferendus ſit Vicarius Generalis ante Dignitates , & Canonicos , cenſuit *Eadem Sacra Congr. Rit. in cauſa S. Marci 4 Martii* 1633 apud Barboſ. *l.c. n.*17

18 Vicarius Generalis non præcedit Dignitatibus , & Canonicis paratis , conſuetudine in contrarium non obſtante . *Sac. Congr. Rit. in Lauretana 6 Septembr.* 1603 *& in Caſalen. 2 Julii* 1614 *& in Caſtellaneten. 25 Sept.* 1621 apud Barboſam *l. cit. n.*18

19 Vicario Generali præcedunt Canonici ſacris veſtibus induti , qui aſſiſtunt Epiſcopo celebranti . *Sacr. Congr. Rit. in Nepeſina 27 Februar.* 1610 apud Barboſam *l.c. n.*19

20 Vicarius Generalis Canonicus in funeralibus debet cum Canonicis in ſuo loco incedere , alias non lucratur Ceram , nec diſtributiones . *Sacr. Congr.Rit.in Nicien.*10 *Maii* 1604 apud Barboſ. *l.c. n.*20.

21 Vicarius Generalis præſente Epiſcopo , in die Purificationis non debet accipere Candelam ante Canonicum , vel Dignitatem , qui Epiſcopo miniſtravit . *Sacr. Congr. Rit. in Lucerina 14 Maii* 1608 *in reſp. ad 3 dub.* apud Barboſam *l.cit. num.* 21.

22 Vicarius Generalis non eſt Prælatus , licet abſente Epiſcopo , cum in ſuo habitu ordinario cum ſubtana & Mantelletto nigro ſedeat in Choro in primo loco ſupra Canonicos , thurificandus eſt duplici , non autem triplici ductu thuribuli. *Sac. Congr. Rit. in Nepeſina 14 Januar.* 1617. apud Barboſam *l. citat. n.*22.

23 Vicarius Generalis thurificandus eſt , & debet accipere Candelam , Palmam , & Cineres , & adorare Crucem ante, vel poſt Capitulum juxta Eccleſiæ conſuetudinem . *S. Congr. Rit. in Neocaſtren. 16 Januarii* 1607 *& in Alexandrina* 15 *Martii* 1608 apud Barboſam *l. c. n.*23

24 Vicarius Generalis in ſpiritualibus Eccleſiæ laudabilem conſuetudinem debet ſemper in omni loco præcedere Gubernatori Civitatis in temporalibus , tam præſente, quam abſente Epiſcopo . *Sacr. Congr. Rit. in Ravennaten. 28 Aprilis* 1607 apud Barboſ. *l. c. n.*24.

25 Vicarius Generalis debet præcedere omnibus Poteſtatibus, Commiſſariis , ſive Judicibus temporalibus in ſua Diœceſi exiſtentibus. *Sacra Congr.Rit.in* Nucerina *Saxoferrati* 15 *Maii* 1610 apud Barboſam *l.c. n.*25.

26 Vicarius Generalis Epiſcopi debet præcedere Commiſſario ubique , & in omni loco , tam præſente, quam abſente Epiſcopo , non obſtante conſuetudine ; Dummodo non ſit de gremio Capituli , & incedat in habitu Canonicali . *Sacr. Congr. Rit.in Reatina 28 Maii* 1616 *& die 19 Januarii* 1619 *& in Terracin.* 10 *Aug.* 1617 apud Barboſam *l. cit. n.*26.

27 Vicarii Generalis Juriſdictio expirat : Primo per propriam ipſius renunciationem expreſſam , vel ſaltem tacitam , ut ſi Vicarius Diœceſim ſui Vicariatus egrediatur , & in longinqua abeat animo non amplius revertendi , tunc enim tacite renunciaſſe cenſetur . *Communis* .

28 Secundo expirat ejus Juriſdictio per remotionem , ſeu revocationem ipſius ab Epiſcopo factam ; Epiſcopus enim poteſt ad ſui libitum , quotieſcumque voluerit , Vicarium Generalem amovere , *argument. cap. Omnis res, de Regul.Juris,* ibi : *Omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur , per eaſdem diſſolvitur* . Et ſic Gloſſa communiter recepta *in Clementin. Et ſi principalis 2 verb. Per electionem , de Reſcriptis* , ibi : *De Officiali , quem Epiſcopus ad nutum amovere poteſt* .

29 In tali tamen remotione eſt ſemper habenda ratio honoris ipſius ; Unde facienda eſt cum magna circumſpectione , & cum gravi , & juſta cauſa alias reintegrari poteſt per Sacram Congregationem Epiſcoporum . Sic declaravit *eadem Sacr. Congr. Epiſcop. in Spalatren.3 Julii* 1601 *& in Traguriin. 7 Sept. & 8 Octob.*1649.

30 Cauſæ autem juſtæ , pro quibus removeri poteſt Vicarius Generalis , ſunt præſertim ſequentes ; Prima eſt , ſi de Vicario audiantur multæ querelæ . *S. Congr. Epiſcop. in Spalatren. 5 Febr.* 1602.

31 Secunda eſt, quando non bene regit , & gubernat, nec certiorem facit Sacram Congregationem de cauſis magni momenti in defectu , vel abſentia Epiſcopi . *Sacr. Congr.Epiſc. in Agrigentinen. & in* Tranen. *3 Decembris ejuſd. anni* .

32 Tertia , ſi ſcribat irreverenter ad Sacram Congregationem, ejuſque DD. Officiales . *S. Congr. Epiſc.in Reatina 3 Septembris* 1601.

33 Quarta , ſi aliquem ex S.R.E Cardinalibus ea,qua decet, reverentia non tractet . *S. Congr. Epiſ. in Savonen.* 19 No*vembr.* 1555.

34 Quinta , ſi caret circumſpectione , & prudentia , licet in reliquis idoneus eſſet. *S. Congr. Epiſ.in Placentina* 11 *Septembris* 1601.

35 Sexta , ſi excommunicatus exiſtat , *S. Congr. Epiſ. in Placentina* 18 *Jun.*1649.

36 Septima , ſi mandatis Sacræ Congr. obedire renuit . *Sacr. Congr. Epiſ. in Parmen.* 17 *Aug.* 1649.

37 Octava , ſi oriundus fuerit ex eadem Civitate, vel Diœceſi . *Sacr. Congregat. Epiſcop. in Oſtunen.*28 *Julii* 1587 *in Spalatren.9 Martii* 1593 *in Senogallien.* 10 *Febr.*1598 *in Piſtorien.* 19 *Octobr.* 1625 *& in Sutrina* 16 *Nov.*1640.

38 Nona , ſi ſit Regularis . *S.Cong. Epiſ.in Juſtinopolitana* 16 *Oct.*1615 *& in Spalatren.*12 *Aprilis* 1619.

39 Tertio expirat Vicarii Generalis Juriſdictio per mortem naturalem Epiſcopi : Vicarius enim eamdem habet Juriſdictionem cum Epiſcopo , idemque Tribunal, *cap. Non putamus 2 de conſuetudine in 6 cap.Romanæ 3 de appellationibus in 6* cum ſimilibus , adeoque , ceſſante per mortem naturalem Juriſdictione Epiſcopi , ceſſat etiam illa Vicarii Generalis , quia,ut habetur *in cap. Acceſſorium 42 de Regul. Juris in 6 Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis* .

40 Valent tamen geſta a Vicario ignorante mortem Epiſcopi longe diſtantis ; ſi etiam talis mors ignoretur communiter ab aliis , quia error communis dat Juriſdictionem , *l. Barbarius, ff. de Officio Prætoris* ; Et ſic tenet Sperell. *deciſ.* 30 *Fori Eccleſiaſtic. num.* 3 citans Rotam *deciſ.* 1 *alias* 46 *de Officio Vicarii in nov.* Sanchez *lib.3 de Matrimon. diſput.* 22 *num.*29 Gratian. *diſceptat. Forenſ. cap.*18 *num.* 50 Barboſa *citat. allegat.* 54 *num.* 152 Reiffenſtuel *lib.* 1 *decretal. tit.* 28 *num.* 104 Pellegrin. *de Vicario Gener. Epiſcopor. part.* 1 *ſect.* 2 *ſubſect.* 6 *n.*10 & alii paſſim .

41 Quarto expirat Juriſdictio Vicarii Generalis per translationem Epiſcopi ad alium Epiſcopatum ; Cum enim per translationem ad alium Epiſcopatum ceſſet Epiſcopi Juriſdictio in primo Epiſcopatu , ita etiam ceſſat Juriſdictio ipſius ibi Vicarii Generalis . Gloſſa *in cap. Si propter 10 verb. Vacabunt, de Reſcriptis in 6 & Communis Doctorum* , per text. *in cap. Inter corporalia 2 & cap. Licet 4 de translatione Epiſcopi* . Vide verb. *Capitulum art.3 n.*31.



42 Quinto expirat per depoſitionem, vel relegationem Epiſcopi . Tunc enim vacat Eccleſia , & eligi debet Vicarius Capitularis , adeoque ceſſat Juriſdictio Vicarii Generalis . Vide d. verb. *Capitulum art.3 n.*35.

43 Sexto expirat Juriſdictio Vicarii Generalis per renunciationem Epiſcopatus factam ab Epiſcopo , & a Papa admiſſam, quia etiam in tali caſu eligi debet Vicarius Capitularis . Vide *ib. n.* 54.

44 Septimo expirat per legitimum ingreſſum Epiſcopi in aliquam Religionem . Vide *ib. n.*33.

45 Octavo expirat per captivitatem Epiſcopi . Vide *ibidem num.* 32.

46 Nono expirat Juriſdictio Vicarii Generalis , ſuſpenſa Epiſcopi Juriſdictione per Excommunicationem , Suſpenſionem , aut Interdictum ; Cum enim eadem ſit juriſdictio , idemque Tribunal Vicarii , & Epiſcopi, *cap. Non putamus 2 de conſuetudine in 6 & cap. Romana 3 de appellationibus in 6* cum ſimilibus , ceſſante , ſeu ſuſpenſa Juriſdictione Epiſcopi , ceſſat, & remanet ſuſpenſa etiam Juriſdictio ipſius Vicarii Generalis; Siquidem , ut habetur *in cap. Acceſſorium 42 de Regul. Juris in 6 Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.* Sic Gloſſa communiter recepta *in cap. Romana 1 verb. Ipſius , de Officio Vicarii in 6* recte ſubjungens , quod tunc adeundus ſit Papa , ut provideat .

*Novæ additiones ex aliena manu* .

1 DE præcedentia Vicarii Generalis non conveniunt Doctores . Vide *Manriqu. Ferr. de Præcedent. & Prælat.*
2 *Eccleſiaſtic. quæſt.* 52 *num.* 2 *&* 3 Et quod notandum eſt,quiſque pro ſua opinione Reſolutiones allegat Sacrarum Congre-
3 gationum . Id ex eo evenit quod in obſcuro eſt , an quæ allegatur Reſolutio , ea innixa ſit nudæ juris diſpoſitioni , an peculiari illius Eccleſiæ conſuetudini .
4 Mihi autem ea ſemper arriſit ſententia, quod Vicarius Generalis in iis actibus præcedentiam obtinere debeat ſuper ipſas eccleſiaſticas Dignitates , in quibus uti Vicarius Genera-
5 lis intervenit . Cæterum ſi res ſit de actibus , in quibus ita
6 non intervenit , nulla ipſi præcedentia debetur . Atque hinc quod ſi Vicarius generalis ſit Canonicus , & divinis Officiis uti Canonicus interveniat , nullam obtinet præcedentiam ratione muneris Vicarii Generalis . Confer *Du Caſſe in Prax. Juriſdict. voluntar. & contentioſ. tom.*1 *ſect.* 2 *n.*1.
7 Dubitari vero contingit , an Vicarius generalis in illis actibus , in quibus intervenit uti Vicarius generalis , præcedentiam debeat obtinere præſente etiam Epiſcopo ? Magis vero
8 in hac quæſtione variant Doctores . Affirmant *Pignatell. conſult. Canon. tom.* 3 *conſult.* 64 *num.* 3 *Robuſterius* Rotæ olim Auditor *in quodam ſuo voto* apud *Gratianum diſcept. forenſ. cap.* 3 *num.* 23 *Anton. de Pret. de Juriſdict. Epiſcop. cap. fer.*5 *per tot. Loter. de Re Benefic. lib.* 1 *quæſt.* 16 *num.* 65 *Sbrozz. de Offic. Vicar. lib.* 4 *quæſt.* 44 *fer. per tot. Carol. Anton. de*
9 *Luca ad Ventrigl. tom.* 4 *adnot.* 14 §. 4 *num.* 1 Negant vero *Menoch. conſil.* 51 *&* 257 *utrobique fer. per tot. Mareſcott. variar. Reſolut. lib.* 3 *cap.* 69 *pariter fer. per tot.* Adde etiam *Ventrigliam tom.* 2 *adnot.* 14 §. 2 *num.* 19 *& plur. ſequent. Manriquez Ferr. de Præcedent. & Prælat. Eccleſiaſtic. qu.* 54 *num.* 6.

## ARTICULUS IV.

### Quoad differentias vertentes inter Vicarium Generalem , Capitularem , & Foraneum .

1 PRima differentia inter Vicarium generalem, & Capitularem eſt , quod Vicarius Capitularis debet eſſe Doctor , ſi adſit , alias electio eſt nulla , ut dictum eſt ſub verb. *Capitulum art.* 3 *num.* 51 Vicarius vero generalis poteſt aliquando eſſe non doctor , maxime quando Epiſcopus eſt Juriſta, ut dictum eſt *ſupra art.* 1 *n.*39.

2 Secunda differentia eſt , quod Vicarius Capitularis poſt electionem legitime factam non poteſt a Capitulo ad libitum removeri , ut patet ex dictis ſub verb. *Vicarius Capitu-*



*laris art.* 1 *num.* 55 Vicarius autem generalis poteſt ad nutum, & arbitrium amoveri , quandocumque illi placuerit , ut concluſum eſt *articulo antecedenti n.*28.

3 Tertia differentia eſt, quod Vicarius Capitularis non poteſt eſſe niſi unus tantum , ex dictis ſub verb. *Capitulum art.* 3 *numer.* 40 Vicarius autem generalis poteſt eſſe non ſolum unus , ſed & plures deputari poſſunt ex dictis *ſupra art.* 1 *a num.* 8 *ad* 12.

4 Quarta differentia eſt , quod Vicarius generalis poteſt conſtitui ab Epiſcopo cum limitatione , & ſine limitatione, dando illi majorem , vel minorem facultatem , prout ſibi placuerit , ut tenet *Communis Doctorum* , & docet praxis , patetque ex dictis *ſupra tot. art.* 2 Vicarius vero Capitularis non , ut patet ex dictis ſub verb. *Vicarius Capitularis art.* 1 *num.* 34 *cum ſeq.*& verb. *Capitulum art.3 a n.*58.

5 Quinta differentia eſt , quod Vicarius Generalis poſſit eſſe quilibet exterus ad libitum Epiſcopi . Immo tenetur Epiſcopus exterum eligere , ex dictis *ſupra art.* 1 *num.* 34 *&* 35 Vicarius autem Capitularis debet eſſe de gremio Capituli , ſi adſit idoneus , ex dictis ſub verb. *Vicarius Capitularis art.* 1 *n.*6 & verb. *Capitulum art.3 n.*50.

6 Sexta differentia eſt , quod Vicarius generalis nequit exercere totam Juriſdictionem Epiſcopi abſque ſpeciali ejus mandato , ut patet ex *ſupradictis art.* 2 *a num.* 19 *ad* 84 & habetur expreſſe *in cap. Licet 2 & cap. cum in generali 3 de Officio Vicarii in 6* Vicarius autem Capitularis ſtatim ac eſt legitime electus,totam Juriſdictionem Capituli exercere poteſt abſque ſpeciali ejus mandato , præſertim ubi talis viget praxis , & conſuetudo , ut patet ex dictis ſub verb. *Vicarius Capitularis art.*2 *n.*40.

7 Septima differentia eſt,quod Vicarii Capitularis Juriſdictio incipit poſt mortem naturalem, aut Civilem Epiſcopi , ut patet ex dictis ſub verb. *Vicarius Capitularis art.* 1 *a num.* 1 *ad* 11 Econtra autem Vicarii generalis Juriſdictio per mortem naturalem , aut Civilem Epiſcopi finitur , ut patet ex dictis *art. antecedenti a n.*39 *uſque in fine* .

8 Octava differentia eſt , quod Vicarius Capitularis continuat ſuam Juriſdictionem uſquedum novus Epiſcopus capiat realem poſſeſſionem Epiſcopatus , ex dictis ſub verb. *Vicarius Capitularis art.* 1 *n.* 56 Vicarius vero generalis non continuat eam uſque dum novus Epiſcopus capiat dictam realem poſſeſſionem Epiſcopatus, ſed ſolum uſquedum translatio Epiſcopi ad aliam Eccleſiam admiſſa eſt in Conſiſtorio etiam ante captam a novo Epiſcopo realem Epiſcopatus poſſeſſionem , ut patet ex dictis ſub verb. *Vicarius Capitularis art.* 1 *n.* 7 & ſub verb. *Capitulum n.* 31

9 Nona differentia eſt , quod Vicarius Capitularis , ſi ſit Canonicus , lucratur fructus , & diſtributiones , etiamſi Choro non interſit , ſi ad id adſit conſuetudo,ut patet ex dictis ſub verb. *Vicarius Capitularis art.* 1 *num.* 50 Vicarius autem Generalis , ſi ſit Canonicus non lucratur diſtributiones , niſi Choro interſit , etiamſi adſit ad id conſuetudo , ut patet ex dictis *ſupra art.* 2 *n.* 85.

10 Decima differentia eſt , quod Vicarius Capitularis nequit concedere licentiam erigendi nova Monaſteria , Conventus , ex dictis ſub verb. *Vicarius Capitularis art.*2 *num.* 66 Vicarius autem generalis cum ſpeciali mandato Epiſcopi id poteſt ex ſupradictis *art.* 2 *num.* 43 Quo ad hoc tamen ſunt hodie obſervandæ ultimæ diſpoſitiones Apoſtolicæ , allatæ ſub verb. *Conventus art.* 1 *per tot.*

11 Undeſima differentia , quod Vicarius generalis , finito Officio Vicariatus , non tenetur ſtare Syndicatui , ut expreſſe declaratum fuit a Gregorio XIII. in quadam Conſtitutione directa Clero , & Communitati Tarentin, cujus præciſa verba refert Barboſa *citat. allegat.* 54 *num.* 183 ibi : „ Statuimus , „ & mandamus , quod Vicarii,& Officiales, ſive Generales, „ ſive particulares etiam Foranei nuncupati per eumdem „ Archiepiſcopum , ſive ejus pro tempore Succeſſores in di„cta Eccleſia Tarentina , ſive ejus Diœceſi deputati , vel „ deputandi , ad aliquem Syndicatum nullo modo teneantur, „ aut eidem ſub quovis prætextu ſint obnoxii „ . Et ratio eſt , quia, ſi ipſi erraverint , Epiſcopi ſtatim providebunt , prout juſtum fuerit , ut declaravit *Sacr. Congr. Epiſcop. in Tarentina* 20 *Auguſti* 1601 & prius *in Brunduſina* 14 *Octobris* 1592 apud Pellegrin. *loco citato part.* 1 *ſect.* 2 *ſubſect.* 6 *numer.* 21 *& ſect.* 4 *ſubſect.* 4 *numer.* 14 Vicarius autem Capitularis , finito Officio Vicariatus , tenetur ſtare Syndicatui,& reddere rationem Epiſcopo Succeſſori , etiamſi reddidiſſet illam Capitulo , & ab eo , ſeu a deputatis,vel Syndicatoribus

ipſius obtinuiſſet liberationem, juxta diſpoſitionem Concilii Tridentini *ſection. 24 de reformat. cap.* 16 ibi: *Rationem exigat*. Et ſic declaravit *Sacra Congr. Concil.* 8 *Aprilis* 1595 *ad dictum caput* 16 *ſection. 24 de reformat.* Et ſic etiam cenſuit *Sacra Congr. Epiſcop. in Catanenſi* 13 *Januarii* 1600 *& in Hydruntina* 19 *Maii* 1643. Vide verb. *Epiſcopus artic. 6 numer.* 13 *&* 14.

12 Alias differentias affert Pellegrin. *citat. ſect.* 4 *ſubſect.* 4 *num.* 10 11 *&* 13 nempe quod Vicarius Capitularis Salarium non conventum petere poſſit, non vero Vicarius generalis. Quod Vicarius generalis poſſit exequi Litteras Apoſtolicas directas ſuo prædeceſſori, ſive Epiſcopo prædeceſſori Epiſcopi, qui illum conſtituit; Vicarius vero Capitularis non poſſit illas exequi. Quod Vicarius Capitularis non poſſit ex levi cauſa recuſari ut ſuſpectus; Vicarius autem generalis poſſit; Sed vide apud ipſum.

13 Vicarius generalis differt a Vicario Foraneo, Primo, quia a Vicario generali non datur appellatio ad Epiſcopum, ex dictis *ſupra art.* 1 *num.*43 Bene tamen a Vicario Foraneo. Rota *deciſ.* 297 *num.* 3 *part.* 2 *diverſ.* Garcias *part.* 5 *de Beneficiis cap.* 8 *num.* 29 Barboſ. *citat. allegat.* 54 *num.* 22 cum plurimis ibi citatis, & alii paſſim, teſte Reiffenſtuel *lib.* 1 *Decretal. tit.*28 *n.*18.

14 Secundo, quia Vicarius generalis poteſt eſſe delegatus Papæ, & Executor Litterarum Apoſtolicarum, ut patet ex dictis *ſupra art.* 2 *num.* 10 non ſic autem Vicarius Foraneus, textu expreſſo *in Clement. Et ſi principalis* 2 *de Reſcriptis*, ibi: *In Officiali autem Foraneo .... nequaquam hoc volumus obſervari*, juncto ejus ſummario, & Gloſſa communiter recepta ibidem verb. *Foraneo*.

15 Tertio, quia Vicarius generalis eſt in Dignitate conſtitutus. Gloſſa *in citat. Clementin. Et ſi principalis*, *verb. Epiſcopi & verb.* Foraneo, & *Communis Doctorum*; Secus vero Vicarius Foraneus, niſi dignitas aliunde ipſi competat. Gloſſa *l. cit. verb. Foraneo*, & Doctores commun.

16 Quarto, quia Vicarius generalis habet Juriſdictionem ordinariam, ut patet ex dictis *ſupra art.* 1 *num.* 41 Vicarius autem Foraneus ſolum delegatam. Gloſſa *in citat. Clement. Et ſi principalis verb. Foraneo*, Rota *deciſ.*3 *de Officio Vicarii*, Garcias *de beneficiis part.* 5 *cap.* 8 *num.* 29 *&* 34 Barboſa *citat. allegat.* 54 *num.* 22 cum pluribus ibi citatis, Reiffenſtuel *loco citat. num.* 21 Sanchez *lib.*3 *de Matrimon. diſput.* 29 *n.*10 teſtans de communi.

17 Quinto quia, ut alia taceantur, Vicarius Foraneus, niſi ſpecialiter eximatur, dependet a Vicario generali, & non e contra, ut docet Communis Doctorum, & patet in praxi.

18 Vicarius Capitularis differt a Vicario Foraneo; Primo quia Vicarius Capitularis habet Juriſdictionem ordinariam, & quidem ampliorem, quam Vicarius generalis, cum ſuccedat in omnem Juriſdictionem competentem Epiſcopo de jure communi, ut patet ex dictis ſub verb. *Vicarius Capitularis art.* 1 *n.*1 Vicarius autem Foraneus ſolum delegatam, & ex dictis *ſupra n.6.*

19 Secundo quia a Vicario Foraneo appellatur ad Vicarium Capitularem, & non e contra. *Communis & certa*.

20 Tertio quia Vicarius Foraneus poteſt conſtitui, & removeri a Vicario Capitulari, & non e contra. *Communis ac certa*.

21 Quarto quia Vicarius Capitularis tenetur ſtare Syndicatui, & reddere rationem Epiſcopo Succeſſori, non ſic autem Vicarius Foraneus, cum ipſe Vicarius Foraneus, ſi erraverit, poſſit ſtatim puniri, ac removeri a Vicario Capitulari, ut patet ex ſupradictis *n.*11.

22 Quinto quia, ut alia taceantur, plurima poteſt Vicarius Capitularis, quæ non poteſt Vicarius Foraneus, ut patet ex dictis ſub verb. *Vicarius Capitularis art.* 2 *per tot.* & verb. *Vicarius* Foraneus.

23 Vicarius generalis in juriſdictione idem habet cum Epiſcopo Tribunal, itaut ab uno ad alterum non detur appellatio.
Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſana lib.* 3 *cap.* 8 *num.* 4 ut
24 Sacris Canonibus jam adductis ſupra *art.* 1 *num.* 41 *ad* 44.
Multa tamen nequit ſine ſpeciali mandato Epiſcopi; adeoque ſine tali ſpeciali mandato, nec poteſt Synodum Diœceſanam convocare. Idem *ibidem num.* 2 3 *&* 4 Vide *artic.* 2 ſupra *per tot.* ubi fuſe enumerantur ea quæ poteſt, vel non
25 poteſt Vicarius generalis. Debet jubente Epiſcopo intereſſe
26 Synodo Diœceſana: Et expedit ut Epiſcopus id velit; idem
27 *ibidem lib.* 3 *cap.* 3 *num.* 2.3 *&* 4 Non poteſt Synodalis examinatoris munus exercere ſub nomine, appellativo vicariatus; idem *ibidem lib.* 4 *cap.* 7 *num.* 5 & Decreto Sacræ Congregat. Concil. *in Polycaſtren. Parochialis* die 19 *Septembris* 1745 quamvis in Theſauro Reſolut. referatur ſub die 18 ejuſdem anni; Vide *tom.* 3 *verb. Examen*, *Examinatores n.* 25
ubi afferuntur alia ad rem. Vicarius generalis in Synodo ſe- 28
det immediate poſt Epiſcopum; Idem *ibidem lib. num.* 4. Ni- 29
ſi legitima conſuetudo alteri faveat; Idem *ibidem num.* 3 Aut 30
Dignitates & Canonici Sacris veſtibus induti aſſiſtant. Secus 31
ſi Vicario conſuetudo faveat; aut ipſe etiam habitu Prælatitio ſit indutus. Idem *ibidem num.* 4 ubi ad id plura ſcite & erudite ſuo more adducit.

Vicarius Metropolitani in Synodis Provincialibus antefertur 32
Epiſcopis ſuffraganeis, ob auctoritatem, quam obtinet & ratione Perſonæ, quam repræſentat; Benedict. XIV. tom. 4 Conſt. 36 incip. *Cum a Nobis*.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

SI in Capitulo non ſit niſi unus Doctor, poſſe eligi Vica- 1
rium Capitularem non Doctorem, ne coarctetur libertas electionis, tradit *Cardinal. de Luca ad Concil. Tridentin. diſcurſ.* 31 *n.*10 *&* 13.

At doctrina hæc *Cardinalis de Luca* improbata fuit & qui- 2
dem pluries a Sacra Congregatione Concilii interprete reſcribendo pro nullitate electionis in Vicarium Capitularem expletæ de perſona, quæ gradum Doctoris in publica Univerſitate haud fuerat aſſequuta, quando in Capitulo aderat unicus Doctor, ut *in Venuſina Vicarii Capitularis 6 Auguſti* 1702, *in Acernen. Vicarii Capitularis* 23 *Februarii* 1709 *& in Alexanen. Vicarii Capitularis* 17 *Decemb.*1712.

*Et merito* (inquit Epiſcopus *Riganti de Protonat. Apoſtol.* 3
*diſſertat.* 10 *num.* 31 *& ſequent.*); „ ſi quidem in jure prohibita ſolum eſt coarctatio illa, quæ fit ab inferiori a Papa arctante electores ad eligendas certas Perſonas in individuo. At quando lex præſcribit ut eligantur Perſonæ habentes certas qualitates ad bonum publicum, & majorem Eccleſiæ utilitatem tendentes, hinc non eſt proprie coarctatio, nec infringitur libertas electionis, ſi unus tantummodo adſit inter eligendos, qui ſit iis qualitatibus præditus, ut bene perpendit Paſſerinus &c. Immo etiam Superiores, qui ſint a Papa inferiores, poſſe in his terminis limitare electiones ad Perſonas hujuſmodi qualitatibus munitas, cum per eas haud lædatur jus ſive eligentium, ſive electorum, tradit idem Paſſarinus &c. exemplumque habemus in Provinciis Regularium, in quibus viget alternativa quoad Prælaturas, & Officia: Si enim in Provincia, quæ eſt in Turno, unus tantum habilis exiſtat ad conſequendam Prælaturam, aut aliud Officium, is neceſſario eligi debet, ut in Ordine Prædicatorum ſervatum fuiſſe ſub Magiſtro Generali Rodulpho homine doctiſſimo, referunt Paſſerinus &c.

## VICARIUS PAROCHIALIS.

VIcarius Parochialis alius eſt perpetuus, & alius tem- 1
poralis, ſeu amovibilis. Abbas *in cap. Extirpandæ*, §. *Qui vero num.* 5 *de præbend.* Azorius *Inſtitut. moral. part.* 3. *lib.* 3 *cap.* 6 Barboſa *Juris Eccleſiaſt. univerſ. lib.* 3 *cap.* 9 *n.*2 Layman *Theol. moral. lib.* 4 *tract.*2 *cap.*5 *n.*8 Pellegr. *Prax. Vicariorum part.* 1 *ſect.*8 *n.*1 & alii paſſim.

Vicarius perpetuus eſt, & dicitur ille, qui auctoritate Epiſ- 2
copi Canonice eſt inſtitutus ad deſerviendum cuipiam Eccleſiæ, loco principalis Rectoris cum aſſignatione congruæ portionis fructuum, quos inde percipere debet. *Sic in re communis Doctorum*, cum Gloſſa *in cap. Ex part.* 6 *verb. Perpetuos*, *de Officio Vicarii*. Vicarius temporalis, ſeu amovibilis 3
eſt, & dicitur ille, qui auctoritate legitimi Superioris pro peragendo Eccleſiaſtico ſervitio in locum alterius ad tempus, ſeu voluntatem conſtituentis ſufficitur. *Eſt in re Communis*.

Inſtitutio Vicarii perpetui pertinet ad Ordinarium loci, 4
quamvis regulariter ea fieri debeat ad præſentationem, ſeu nominationem Rectoris principalis, ſive illorum, quorum Dignitati, vel Capitulo, ſeu Monaſterio Eccleſia Parochialis eſt perpetuo unita & annexa. Barboſa *l. citat. numer.* 35 Navarrus *conſil.* 11 *de ſtatu Monachorum numer.* 3 *&* 7 Garcias *de Benefic. part.* 9 *cap.* 2 *numer.* 289 Gallet *in Margarita caſuum conſcientiæ verb. Vicarius* 3 Riccius *in Praxi Fori Eccleſiaſtic. reſolut.* 358 *numer.* 1 *verſ.* 2 Ugolinus *de Offic. Epiſcopor. cap.* 50 §. 3 *verſ. Octavo*, Reiffenſtuel *lib.* 1 *Decretal. tit.* 28 *numer.* 26 Pirhing *ibidem numer.* 3 referentes ſic deciſum fuiſſe *a Sacr. Congregat. Concilii ad ſeſſ.* 7 *cap.* 7 *de reformat.* Et clare deſumitur ex *cap. de Monachis* 12 *de præbend. & cap.* Unic. de Capellis *Monachor. & Clementin.* 1 *de Jurepatronat.* ubi tales Vicarii dicuntur inſtitui per Epiſcopum ad præſentationem Rectoris principalis, vel hujuſmodi.



Et quod Vicarius perpetuus non poſſit ab Ordinario poni
5 in Monaſteriis, quibus Cura imminet animarum, vel a principio, vel ratione unionis, & annexionis, ſed tantum a Superioribus eorum, prævio tamen examine ipſius Ordinarii, ſtatuit expreſſe Sanctus Pius V. Conſtitut. incipient. *Ad exequendum*, ibi: „ Volumus inſuper, & ita mandamus, quod dicti Vicarii perpetui, non ad liberam Ordinariorum electionem, ſed ad nominationem illorum, in quorum Eccleſiis unitis ponentur cum ipſorum Ordinariorum, ſeu eorum Vicariorum prævio examine, & approbatione deputentur „. Et ſic pluries declaraſſe etiam *Sacr. Congregat. Concil.* referunt Garcias *de Benefic. part.* 9 *cap.* 2 *numer.* 294 *& ſequent* Barboſa *lib.* 3 *Juris Eccleſiaſtic. univerſ. cap.* 6 *numer.* 45 *& ſupra Concil. Tridentin. ſeſſ.* 7 *cap.* 7 *numer.* 28. & *in Summa Apoſtolic. deciſ. verb. Vicarius perpetuus Parochialis n.9.*

6 Et talis Piana Conſtitutio habet locum etiam, quando Vicariæ vacant in menſe reſervato; ſeu cadunt ſub alia reſervatione; *S.C. Concilii in Tiraſonenſi vicariæ* 13 *Octobris* 1595. apud Garciam *l. c. n.*309 & Barboſa *cit. l.*3 *Jur. Eccleſ. c.6. num.*45 ſubdentes, quod in hujuſmodi vicariis perpetuis vacantibus in menſibus Apoſtolicis, ſeu alias reſervatis, poſſit fieri præſentatio, ſeu nominatio, & deputatio, non obſtante reſervatione.

7 Vicarius perpetuus poteſt, & ſolet potiſſimum inſtitui in Parochialibus, ſeu Beneficiis Curatis, quæ Cathedrali, Collegiatæ, vel alteri Eccleſiæ, ſeu Monaſterio, aut Collegio, vel aliis piis locis perpetuo unita, & annexa reperiuntur; Colligitur ex *cap. Extirpandæ* 30 §. *Qui vero*, *de Præbend.* & habetur expreſſe ſtatutum *in Concilio Tridentino ſeſſ.*7 *de reform. c.* 7.

8 Sunt tamen plures caſus, in quibus Epiſc. nequit vicarium perpetuum deputare; Primo quando beneficium eſt unitum, & annexum Monaſterio Regularium; Tunc enim Epiſc. non poteſt deputare pro ejus ſervitio Vicar. perpetuum, ſed ſolum temporalem, & ad nutum amovibilem, ut declaravit S. Pius V. cit. Conſt. incip. *Ad exequendum*.

9 Secundo quando a tempore immemorabili unio facta fuit, ac ex tunc conſtat vicarios fuiſſe ad nutum amovibiles, ſcientibus, & conſentientibus Ordinariis, & nunquam vicarium perpetuum fuiſſe conſtitutum. Barboſa *cit. lib.*3 *Jur. Eccleſ. univ. cap.6 n.*7 Sanchez *in præcepta Decalogi tom.*2 *l.* 7 *c.*29 *n.*11 *verſ. Tertio fallit*, Flores de Mena *variar. qq. q.* 10. *n.*44 Reiffenſt. *l.c. n.*28 Pellegrin. *l.c. ſub n.*19 & alii.

10 Tertio quando unio facta eſt per viam pacti, & concordiæ a Sede Apoſtolica approbatæ cum Clauſula: „ Ut deſerviri poſſit in hujuſmodi beneficio per vicarium ad nutum amovibilem „. Barboſa *l.c. n.*8 Flores de Mena *l.c. n.*41 Sanchez *l.c. n.*191 *verſ. Secundo fallit*, Reiffenſtuel *l.c. n.*28 Pellegrin. *l.c. ſub n.*19 & alii.

11 Quarto quando pro bono pacis, & pro tollendis litibus, ac pro meliori Beneficii ſervitio expedit per vicarium ad nutum amovibilem Eccleſiam gubernari: barboſa *l.c. n.*11 Reiffenſt. *l.c. n.*28 Sanchez *l.c. n.*191 *verſ. Quinto fallit*, Flores de Mena *l.c. q.*10 *n.*47 & alii, *arg. cit. Cap.*7 *Conc. Trid.* ubi id non reliquit liberæ Epiſcopi voluntati, ſed uſum eſt verbis arbitrium boni viri denotantibus, ibi: *Niſi ipſis Ordinariis pro bono Eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur*.

12 Quinto quando ex privilegio remunerationis cauſa conceſſo beneficium eſt unitum cum clauſula *ponendi vicarium ad nutum amovibilem*, quia in generali privilegiorum derogatione facta a Tridentino *cit. Cap.*7 non comprehenduntur privilegia remunerationis gratia conceſſa. Barboſa *l.c. n.*10 Reiffenſtuel *l.c. n.*28 Flores de Mena *l.c. q.*10 *n.*46 Pellegrin. *l.c. ſub n.*19 Sanch. *l.c. n.*191 *verſ. Quarto fallit*, & alii.

13 Sexto quando ex privilegio Pontificio poſt Tridentini Decretum conceſſo unitum eſt beneficium Parochiale cum clauſula *inſtituendi vicarium ad nutum amovibilem*, quia tale Pontificium privilegium poſt Tridentinum conceſſum derogaret dicto Tridentini Decreto, cum poſteriora derogent prioribus, *l. Sed & poſteriores, ff. de Legibus*, *l. Cum in plures* § *Locator horrei*, *ff. Locati*, *l.*1 *in fine*, *ff. De ſtipul. ſervor. l. Si unus* § *Pactus ne peteret*, *ff. De Pactis*; cum ſimilibus, Barboſa *l. c. n.*12 Flores de Mena *l.c. q.*10 *n.*49 *&* 50 Pellegr. *l. c. ſub n.*19 & alii.



Vicario perpetuo debet aſſignari Congrua portio de redditi- 14
bus, fructibus, & emolumentis provenientibus Eccleſiæ incorporatæ Monaſterio, Collegio, Capitulo, Univerſitati, & hujuſmodi. Vide verb. *Congrua n.*34.

Talis Congrua eſt taxanda arbitrio Epiſcopi habito reſpe- 15
ctu ad qualitatem perſonæ, loci, & temporis, & ad abundantiam, ſeu paupertatem fructuum, & redituum Eccleſiæ; Dummodo non ſit minor quinquaginta, nec major centum aureis pro quolibet anno. Vide d. verb. *Congrua n.*35.

Pro tali Congrua aſſignari poſſunt ſolum illa emolumenta 16
incerta, quæ habent quamdam certitudinem, ut ſunt Decimæ frumenti, vini, olei &c. Non autem emolumenta omnino incerta, ut ſunt eleemoſynæ Altaris, Funeralium, & ſimilium. Vide d. verba *Congrua a n.*11 *ad* 17 36 *&* 37.

Congrua ſemel ſufficienter aſſignata non poteſt minui, 17
quamvis vicarius electus, & deputatus diminutioni conſentiat, & pro minori quantitate ſpondeat deſervire. Vide dict. verba *Congrua n.*40 41.

Unde vicarius perpetuus Canonice inſtitutus, eſt vere be- 18
neficiatus, *Cap. Poſtulaſti* 27 *de Reſcriptis*, ibi: „ Non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuæ vicariæ proventibus eſt proviſum.

Sicque vicarius perpetuus habet verum Titulum, & poteſt 19
ad dictum titulum ordinari, atque idcirco ſemel Canonice inſtitutus nequit removeri, vel portione ſua fraudari, niſi forſan aliquod committat delictum dignum depoſitione, aut privatione beneficii, *cap. Ad hæc* 3 *de Offic. vicarii*.

Immo nec poteſt removeri, vel portione ſua fraudari, 20
etiamſi Rector principalis moriatur, textu expreſſo *in c. Cap. Ad hæc* 3 *de Offic. vicarii*.

Hinc vicaria perpetua æquiparatur beneficio Curato ſeu 21
Parochiali, & Jura loquentia de beneficiis circa amiſſionem prioris per aſſequutionem alterius, & per non promotionem, & de eorum ætate, locum habent in hujuſmodi vicariis perpetuis, textu expreſſo *in Clementin. unic. de Officio Vicarii*, ibi: „ Quæ de Eccleſiis curam animarum habentibus per receptionem aliarum ſimilium amittendis: Ac de ipſarum Rectoribus promovendis ad Sacerdotium; Et de eorum ætate a Jure ſtatuta noſcuntur, in perpetuis Eccleſiarum Parochialium vicariis, & aſſumptis ad eas volumus obſervari.

Unde ſicuti non poteſt quis eſſe Parochus ſimul & ſemel 22
duarum Parochiarum, *Cap. De multa* 28 *de Præbend. Extravagant. Joann. XXII. Execrabilis*, ita nec perpetuus vicarius, *Cap. Provideas* 2 *de Officio vicarii*.

Item ſicuti beneficium curatum, ſeu Parochiale vacat ipſo 23
Jure per alterius ſimilis aſſequutionem, *cit. Cap. De multa* 28. *de Præbend. cit. Extravag. Joann. XXII. Execrabilis* juncto Concilio Tridentino *ſeſſ.*7 *Cap.*2 *&* 4 *de reform.* Ita etiam dicendum eſt de vicaria perpetua, *arg. cit. Clementin. Unic. de Officio vicarii*, & *Cap. Ad Audientiam* 1 *Cap. Provideas* 2 *et Cap. Ex p.*3 *de offic. vicarii*, & ibi Fagnan. *n.*22 teſtans de communi.

Item ſicuti nemo poteſt conſequi beneficium Curatum, ſeu 24
Parochiale ante 15. annum ſaltem inchoatum, *Cap. Cum in Cunctis* 7 §. *Inferiora*, *de electione*, *Cap. Licet Canon* 14 *eodem in* 6 ita nec ante dictum annum 25 inchoatum vicariam perpetuam; *cit. Clement. unic. de Officio vicarii*, juncta Gloſſa communiter recepta *ib. verb. volumus*.

Item ſicuti de facto, ſi promotus ad beneficium Curatum, 25
ſeu Parochiale infra annum non aſcendat ad Sacerdotium, ſeu Presbyteratum, vacat Eccleſia ipſo Jure, textu expreſſo *in cit. Cap. Licet Canon* 14 *de electión. in* 6 Ita etiam vacat ipſo Jure Vicaria perpetua, ſi intra annum non ordinetur promotus ad ipſam, *cit. Clement. Unic. de officio vicarii*, juncta Gloſſa communiter recepta *ib. verb. volumus*.

Item ſicuti ceteri Parochi, tenetur vicarius perpetuus re- 26
ſidere in ſua Vicaria, textu expreſſo *in Cap. Ex parte* 6 *de officio vicarii*.

Nec poteſt alium Vicarium perpetuum ſubſtituere, textu 27
expreſſo *in Cap. Clericos* 4 *de officio vicarii*. Quamvis ob ju- 28
ſtam aliquam cauſam de licentia tacita, vel expreſſa Ordinarii poſſit ad modicum tempus ſubſtituere vicarium temporalem, committendo ipſi totum Officium, ſeu Curam ſuam. Abbas *in cit. Cap. Clericos n.*2 Layman *ib. n.*1 Summa Angelica verb. *vicarius num.*4 *& communis aliorum*.

29 Vicarius perpetuus in Parochiali Eccleſia conſtitutus habet
eamdem poteſtatem, quam verus Parochus, ſeu Prælatus,
ac Rector, ita tamen ut tota cura actualis, ſeu quoad exer-
citium, competat Vicario; Prælatus vero, ſeu Rector prin-
cipalis nonniſi habitu Curam retineat. Gloſſa Marginal. *in*
*Cap. Super eo 6 verb. Annexæ, de Præbend. in 6* Rota *dec.2.*
*de officio vicarii in antiq.* Seraphin. *dec.109 n.5* Burat. *deciſ.*
*36 n.1* Rota *in Romana vicariæ* 8 *Novemb.*1621 *coram Coc-*
*cino Decano* ubi fuit dictum, quod cum Eccleſia S.Mariæ in
Via lata eſſet Parochialis, & deinde S.Pius V. in ea erexiſſet
vicarium perpetuum; penes ipſum vicarium eſſe omnimodam
Curam actualem, habitualem vero penes Capitulum; Bar-
boſa *l.3 Jur. Eccleſ. univ. Cap.6 n.28 & ſeq.* cum pluribus ibi
30 citatis, Reiffenſtuel *l. c. n.*40, & alii plures. Unde quia in
in hoc ſenſu vicarius perpetuus dicitur habere Curam anima-
rum, non autem Rector principalis, ſeu Prælatus, ut recte
advertit Barboſa *l. c. n.*30 cum Card. Ancharan. ibi allegatis,
Reiffenſtuel *l.c. n.*42 & aliis; Hinc Prælatus, ſeu Rector
principalis nequit ibi exercere Curam Fori Pœnitentialis, nec
invito vicario; illi Eccleſiæ deſervire, ſeu Sacramenta ad-
miniſtrare; Abbas *in Cap. Extirpandæ §. Quia vero n.15 de*
*Præbend.* Rebuff. *in Praxi beneſ. de vicariis perpetuis num.*1.
Seraphin. *dec.106 n.5* Ancharan. *in Capit. Expoſuiſti n.6 de*
*Præbend.* Reiffenſtuel *l.c. n.*42 Barboſa *l.c. n.*31 poſt Rotam
*in Barchinonen. vicariæ 17 Maji* 1624 *coram Merlino*, & ſic
31 plurimi alii.
Vicarii perpetui in Parochialibus Capitulo, Collegio, Mo-
naſterio, ſeu beneficio, vel Eccleſiæ unitis, non ſunt prævio
concurſu inſtituendi. *S.C. Concil. die 28 April.* 1594. apud
Garciam *in addit. ad ſuum tract. de beneſ. p.9 Cap.2 num.*294
32 Barboſa *in Summa Apoſt. dec. verb. vicarius perpetuus Paro-*
*chialis n.*12 Sed deputandi, & inſtituendi ſunt ad nominatio-
nem, ſeu præſentationem illorum, quorum beneficio, ſeu
Eccleſiæ, Capitulo, Collegio, Monaſterio Parochiales ſunt
unitæ, & annexæ, & non ad liberam Ordinariorum electio-
nem. Sic expreſſe ſtatuit S.Pius V Conſtitut. incipien. *Ad*
*exequendum*; & pluries declaravit *S.C. Conc.* teſte Garcia *l.c.*
*num.294 & ſeq.* & Barboſa *cit. l.3 Jur. Eccleſ. Cap.6 n.35 et*
45 & Rota *in Gerunden. Coram Anſal.* 10 *Decemb.*1696 ubi
quod vicaria unita conferri debet ad nominationem ejus, ad
cujus favorem facta eſt unio; Non autem per Concurſum ab
Epiſcopo indicendum, niſi in bulla unionis expreſſe præcipe-
33 retur, quod conferatur per Concurſum.
Tales vicarii, ſeu Parochi etiam in Eccleſiis exemptis ſunt
prius examinandi & approbandi ab Epiſcopo juxta diſpoſitio-
nem *Cap. Per exemptionem, de privil. in 6* Sic declaravit *S.*
34 *C. Concil. in Caputaquen.* 23 *Junii* 1629.
Item Epiſcopus poteſt examinare, & approbare vicarios
Eccleſiarum Parochialium unitarum, & dependentium a
Religione Hieroſolymitana, & debet eoſdem vicarios, ſi
idonei reperti fuerint, ſimpliciter approbare, non autem ad
tempus, etiamſi ſint temporales, nec poteſt pro libito eoſdem
35 ſubjicere novo examini, *S.C. Concilii in Auguſtana Juriſdict.*
14 *Decemb.*1630 Niſi ſuperveniente nova cauſa, & ſuſpicio-
ne ignorantiæ, quia tunc poterit Epiſcopus eoſdem iterum
examinare ad effectum *Cap.6 ſeſſ.21 de reform.* ut cenſuit *ea-*
*dem S.C. Concilii in Placentina* 28 *Auguſti* 1628 apud Barbo-
ſa *cit. Cap.6 n.48 & 49* & *ſupra Trident. ſeſſ.7 de reformat.*
36 *Cap.7 n.*27.
Vicarii perpetui Eccleſiarum Parochialium debent præce-
dere vicariis amovibilibus Eccleſiæ Cathedralis. *S. C. Rit.*
*in Terulen.16 Septemb.* 1616 apud Barboſ. *in Summa l. cit.*
37 *num.*2.
Vicarii perpetui Eccleſiarum Parochialium in Eccleſia
noviter erecta in Cathedralem debent præcedere ſecundum
ordinem receptionis, & non ſecundum ordinem Dignitatis
Eccleſiarum, ut præcedebant ante erectionem in Cathedra-
lem. *S.C. R. in Ripana* 28 *Aprilis* 1607 apud Barboſa *l. c.*
38 *num.* 3.
Vicarii perpetuo adſcripti ſervitio Eccleſiæ Cathedralis,
licet prius incederent ſub Cruce Eccleſiæ Collegiatæ, ta-
men poſt adſcriptionem debent incedere ſub Cruce Cathedra-
lis, cui inſerviunt. *S.C. R. in Macerat.27 Septem.*1608 & 11.
39 *Martii* apud Barboſa *l.c. n.*4.
Vicario perpetuo Sancti Joannis Lateranenſis debetur præ-
cedentia ſuper ceteros etiam Rectores perpetuos Parochia-
lium Urbis. *Sacra Congr. Rit. in Romana* 13 *Junii* 1693 apud
Card. Petram *tom.1 Comment. ad Conſtitution. 2 Paſchalis II.*
*num.* 45.

Vicarius perpetuus Abbatiæ debet ſubire omnia onera re- 40
ſpicientia Curam animarum, & adminiſtrationem Sacramen-
torum; Cetera vero omnia ad Abbatem, ſeu Commendata-
rium ejuſdem Eccleſiæ ſpectant, *S.C. Conc. in Eugubina* 11.
*Maji* 1594 apud Barboſa *l.c. n.*8.
Vicarius temporalis, ſeu amovibilis vere, & proprie non 41
eſt beneficiatus. *Communis* per text. *in Cap. Pervenit 27 de*
*appellat. Cap. Cum ex eo 34 de elect. in 6 & Clementin. Unic.*
*de officio vicarii* juncta Gloſſa *ib. verb. Perpetuis*; Vicarius
enim temporalis, & ad nutum amovibilis nullum habet ti-
tulum in Beneficio, neque in eo perpetuo inveſtitur, nec po-
teſt ob id ordinari in Sacris, ſed poteſt ad libitum conſtituen-
tis removeri; quia, ut dictum eſt *ſupra numero* 3; Vicarius
temporalis ſeu amovibilis eſt ille, qui auctoritate legitimi Su-
perioris pro peragendo Eccleſiaſtico ſervitio in locum alte-
rius ad tempus, ſeu voluntatem conſtituentis ſufficitur; Cum
Vicaria temporalis ſit illa, quæ ad tempus, non in perpe-
tuum duratura eſt, puta ceſſante cauſa, vel lapſo tempore,
ob quam, vel uſque ad quod talis vicaria conceſſa eſt; Unde
non eſt Beneficium, ſed ſimplex ſalarium, ſeu ſtipendium,
Barboſa *cit. lib.3 Cap.6 n.*58 Garcias *de Beneſ. tom.1 p.1 c.2.*
*n.*93 Gonzalez ad *Reg.8 Cancellar. Gloſſa 5 §.3 n.*55 Pellegr.
*Prax. vicariorum p.1 ſect.8 n.*22 & *Communis aliorum*.
Cauſæ, ob quas poteſt fieri deputatio vicarii temporalis, 42
ſeu Œconomi ad nutum amovibilis, ſunt præſertim ſequen-
tes. Prima eſt, quando Rector legitime habet duas Parochias,
nec poteſt per ſe ſolum in utraque commode deſervire, *Cap.*
*Et temporis cauſ.16 q.*1 Secunda, quando Rector eſt nimis
occupatus, *Cap. Ad hæc, de Officio Archidiaconi Cap.1 de ce-*
*lebratione Miſſar.* Tertia, quando rector juſta de cauſa abeſt,
vel eſt legitime impeditus, *Cap. Relatum, de Cler. non reſi-*
*dent. Cap. Pervenit, de appellat, Cap. Cum ex eo verſ. Porro,*
*de elect. in 6. Cap. Non oportet. De conſecr. diſt.*5. Conc. Trid.
*ſeſs.6 de reform. Cap.2 ſeſs.7 Cap.5 & ſeſs.21 Cap.6* Quarta
quando rector ægrotat, *c.3 & tot. Tit. de Cler. ægrot.* Quin-
ta, quando rector devotionis, ſeu voti cauſa peregrinatur,
*Cap. final. de voto*. Sexta, quando rector eſt minus idoneus,
ſeu non intelligit linguam populi illius Parochiæ, ſeu natio-
nis *Cap. Cum vos 4. de officio Ordinarii*. Septima, quando re-
ctor ex diſpenſatione Apoſtolica obtinet Parochiam ante de-
bitam ætatem, *cap.2 de ætat. & qualitate*. Octava, quan-
do rector religionem ingreditur, & in probatione verſatur,
*Cap. De Monachis, de Præbend.* Nona, quando rector e Mini-
ſterio, & Officio dejicitur, vel removetur a loco, *Cap. Ad*
*audientiam, de Eccleſ. ædificand.* Decima, quando ſic requi-
rit utilitas, aut neceſſitas Eccleſiæ, vel augmentum Divini
Cultus, *cap. Expoſuiſti, de Præbend. cap. Illud; & cap. Nihil*
*7 q.*1. Undecima, quando adeſt cauſa habendi Conciones, *c.*
*Inter cetera, De Præben. cap. Quod Dei timorem, De ſtatu*
*Monachorum*. Duodecima, quando aliud beneficium anne-
ctitur, quia tunc non ſolet conſtitui vicarius perpetuus, ſed
temporalis, Gloſſa *in citat. Clement. unic. de Officio vicarii*
*verb. Parochialium*, Rota *dec.758 n.2 p.1 Diverſ.* Tertiade-
cima, quando vicariæ perpetuæ uniuntur, quia tunc efficitur
temporalis Eccleſia, & inſtituitur vicariatus amovibilis ad
nutum inſtituentis, Gambar. *De officio Legati in untendo nu-*
*mer.*102 Barboſa *l.c. n.*55 Gonzalez *cit. §.3 n.*16 Pellegrin.
*l.c. n.*21. Quartadecima, quando beneficium eſt unitum Men-
ſæ Epiſcopali, vel Capitulari; Tunc enim poteſt conſtitui
vicarius temporalis. Gloſſa *in clemen.1 verb. Ad menſam, de*
*exceſſibus Prælat. clement.1 De ſupplend. neglig. Prælat.* Gon-
zal. *Dict. §.3 n.*14 Pellegr. *l.c. num.*21 Barboſa *l.c. n.*54 ubi
recte ſubjungit, quod id hodie limitatur per cit. Conſtitutio-
nem S.Pii V. incip. *Ad exequendum*. Quintadecima, quan-
do Parochialis, vel per obitum, vel per reſignationem vacat,
tunc enim deputatur ei vicarius temporalis, donec eidem de
rectore provideatur, *cap. Cum vos 4 De Officio Ordinarii*, Con-
cil. Trident. *ſeſs.24 De reform. cap.*18.
Deputatio vicarii temporalis, ſeu Œconomi Clerici ſecu- 43
laris in hoc ultimo caſu vacationis Parochiæ ſpectat ad Epiſ-
copum, in cujus Diœceſi Parochia vacans ſita eſt, ſeu ad
eum, qui poteſt inſtituere Concurſum. Sic deciſum fuiſſe a
*S.C. Conc.* refert Barboſa *cit. lib.3 Cap.6 n.56* & *in Summa*
*Apoſtol. dec. verb. vicarius amovibilis numero* 4. Unde Prælati 44
inferiores, qui non habent Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem
cum facultate congregandi Synodum, & inſtituendi Concur-
ſum, non poſſunt in tali caſu vicarium temporalem deputare,
Garcias *De Beneſ. p.9 c.2 n.*8 Franciſcus Leo *in Theſauro For.*
*Eccleſ. p.2 Cap.18 n.*52 Maſſobr. *in Praxi habendi Concurſum*
*requi-*



*ſit.1 dub.3 & 11* Barboſa *cit. lib.3 Cap.9 Jur. Eccl. univ.*
*num.56 & De off. et poteſt. Epiſ. p.3 alleg 60 n.4 et* 4 Monac.
*p.1 tit.10 form.14 n.3 S.C. Conc. in Piſana 17 Martii* 1696.
apud ipſum cum aliis ibi citatis.
45 Vicarium conſtituere tempore vacationis ad cuſtodiam Pa-
rochialis vacantis, licet ſpectet ad ipſum Epiſcopum, tamen
in caſibus repentinis, ſi vicaria eſt ad præſentationem alicu-
jus Collegii, illum poteſt conſtituere quam primum, donec
Epiſcopus certior ſit factus, & providerit, *S.C. Conc.* apud
Barboſa *in Summ. l.c. num.*5 & Garcias *De Beneſ. p.9 cap.2.*
*numer.* 11.
46 Nominatio aliorum vicariorum temporalium ad nutum
amovibilium ſpectat ad rectorem principalem, ſeu Prælatum
Monaſterii, cui beneficium eſt unitum; Et Epiſcopus ſolum
debet ipſum approbare, ac licentiam adminiſtrandi Sacra-
menta ei concedere, ſi per examen, vel aliunde ſibi conſtet
eſſe idoneum, nec ulla alia requiritur collatio, aut inſtitutio.
Flores de Mena *Variar. lib.1 q.10 num.*23 Pellegr. *l. c. nu.*25
Barboſa *cit. l.3 cap.6 n.63* ubi ſic addit; Et quod in Eccleſia
regulari facultas nominandi vicarium ad regulares ſpectet,
fuit dictum *in Januenſi Parochialis Sanct. Andreæ* 19 *Aprilis*
1627 *coram Durano inter ejus impreſſas dec.*47. Et quod nomi-
natio Curati ſeu vicarii amovibilis Parochialis in Eccleſiis
ſubjectis Regularibus ſpectet ad eorum Superiores, & ad
Epiſcopum ſola approbatio, decrevit *S.C. Epiſ. in Mutinen-*
*ſi 4 Februarii* 1586 & ſæpe alibi tum ipſa, tum Sacr. Congr.
Concilii.
47 Etenim Univerſitates Laicorum ſunt capaces nominandi
Curatos, ſeu vicarios amovibiles, juxta firmata a Rota *co-*
*ram Priolo Dec.104 & Coram Peutinger. dec.*173 & tenuit
quoque *S.C. Epiſ. & Regul. in Aquilana favore Univerſita-*
*tis Terræ Ariſchiæ 29 Julii* 1695 apud Monacell. *part.1 tit.*
10 *form.18 num.*1.
48 Si agatur de Œconomo, ſeu Vicario deputando propter
abſentiam Parochi, tunc illius nominatio regulariter ad ipſum
Parochum ſpectat, quamvis inquiſitum, cum approbatione
tamen Epiſcopi, per quem fit congrua aſſignatio. *S. Congr.*
*Epiſ. in Militen.7 Decemb.*1691 *& S.C. Conc. pariter in Mi-*
*leten.7 Junii* 1692 apud Monac. *part. 1 titul. 10 formul.*14.
*num.* 4.
49 Vicarius Temporalis nominatus a Superioribus Regulari-
bus, & a Rectoribus principalibus, poteſt ab ipſis ad libi-
tum removeri; Non autem ab Epiſcopo, niſi ex cauſa legi-
tima, & approbata, propter quam (etiamſi perpetuus eſſet)
privari poſſet. *S.C. Concil.* apud Barboſam *in Summ. l. cit.*
*num.*2 Et ſic etiam Rota 21 *Junii* 1642 apud Piton. *Conſt. de-*
*ciſ. ad Parochos n.516* loquens in ſpecie de vicario amovibi-
li deputato a Capitulo.
50 Vicario, ſeu Oeconomo temporali, & amovibili aſſignan-
da eſt congrua, & taxanda arbitrio Epiſcopi ex fructibus Pa-
rochiæ. Concil. Trid. *ſeſſ.24 de reform. Cap.*18 ibi: „ De-
„ beat Epiſcopus ſtatim habita notitia vacationis Eccleſiæ,
„ ſi opus fuerit, idoneum in ea vicarium cum congrua ejus
„ arbitrio fructuum portionis aſſignatione conſtituere.
51 Quam congruam arbitrari debere Epiſcopum, penſata
qualitate perſonæ, beneficii, & loci, ac temporis, referunt
deciſum Garcias *De beneſ. par.9 Cap.2 n.*15 Maſſobr. *l. c. re-*
*quiſit.1 dub.*25 Barboſa *De Offic. & Poteſt. Epiſc. p.3 alleg.*
*60 n.2. in fine, & ſupra Conc. Trid. cit. Cap.18 num.*42 Pani-
52 mol. *Dec.12 adnot.4 num.*39 & alii. Et poſſe eſſe duorum
aureorum ſingulis menſibus aſſerunt Gallet, *in Margarita*
*caſuum Conſcientiæ verb. vicarius* 8 Campanil. *in diverſ. Ju-*
*ris Canonici Rubr.7 cap.6 n.116 in fine*, Barboſa *cit. allegat.*
*num.2 in fine, & ſuper Trid. l.c. n.*43 Panimol. *l.c. num.*40.
53 Monacell. *part.1 tit.10 form.14 n.*7 & alii. Nec in Congruam
computari debent emolumenta omnino incerta, ut ſunt fru-
ctus conſiſtens in Funeralibus, Oblationibus, eleemoſynis
Altaris, & ſimilibus. Vide verb. *Congrua a n.11 uſque ad*
*17 & n.36 & 37.*
54 Et ſi dicto vicario congrua aſſignata non reperiatur, po-
teſt petere ſalarium uſque ad ſummam dari ſolitam a Came-
ra Apoſtolica, ubi percipit ſpolia Eccleſiarum vacantium.
*S.C. Epiſ. in Mileten.7 Decemb.*1691 apud Monacell. *par.1.*
*tit.10 form.13 n.6.*
55 Alia ad rem. Vide verb. *Congrua, per tot. & diſcept.1.*
*tom.7 p.1 D. Urſaye*, ubi multa habentur ad rem cum Sacræ
Congregationis deciſionibus.
56 Vicarius ad regimen Eccleſiæ Curatæ vacantis ſtatim ab
57 Epiſcopo deputari debet. Bened. XIV tom.1. Conſt.68 in-
cip. *Cum illud §.16* Vicarii Curati tam perpetui, quam ad
tempus amovibiliter deputati, Miſſam Parochialem applica-
re debent pro populo diebus Feſtis, Idem Conſtitut. 103.
incip. *Cum ſemper §. 4.* Eaque de cauſa congruis redditibus 58
ſunt providendi. *Id. ib. §.9 et* 10.
Vicarii temporarii a Capitulis, & Monaſteriis deſtinati 59
Curæ animarum in Parochiis illis unitis, etiam ſine cauſa
removeri poſſunt; nec remotio in Synodo prohiberi poteſt.
Idem *ib. lib.6 cap.65 n.2 ex Rota in Pampilonenſi deciſ. 886.*
*n.29 coram Cerro*; ubi cum contigiſſet, ſimilem remotionem
ſine cauſa fieri, illam ſuſtinuit, nulla habita ratione contra-
riæ Synodalis Conſtitutionis.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

NUm ſanctio Concilii Trieentini *ſeſſ.7 cap.7 de Reform.* 1
qua Epiſcopis facta eſt poteſtas deputandi Vicarium
Perpetuum in Parochiis ſubjective unitis, pertineat etiam ad
Parochias unitas Monaſteriis & Conventibus Regularium,
non una eſt doctorum ſententia. Negavit Rota *in Ratisbon.* 2
*Vicariæ 13 Martii 1739 §.15 coram clar. mem. Calcagnin. et*
*1 Aprilis 1743 §.6 coram bon. mem. de Vais, & 4 Maji 1746*
*§.5 coram cl. mem. Millino*, ea adducta ratione, quod S.Pius V 3
in Conſtitutione 47. §. 5. derogavit mox dictæ Conciliari
Sanctioni quoad Parochias ſubjective unitas Monaſteriis &
Conventibus regularium, nec hanc S. Pii V. conſtitutionem
abrogavit Gregorius XIII, quippe qui illam dumtaxat mode- 4
ratus eſt, quod ſpectabat ad exemptionem Decimarum Mo-
nachis & Mendicantibus datam, atque ad immunitatem eo-
rum quoque Colonis conceſſam.
At aſſirmavit idem Sacrum Tribunal Rotæ *in Sedunen.* 5
*Unionis ſuper Regularitate 5 Aprilis 1756 §.5 coram Illuſtriſ-*
*ſimo Caprara Alm. Urb. Gubernatore, et 17 Februarii 1758*
*§.3 cor. Eminentiſs. Buſſio.*
At non recedendum a priori opinione Rotæ. In dicta 6
enim *Sedunen. Unionis ſuper Regularitate* Supremum Audito-
rium ſibi haud objecit Conſtitutionem Pianam, quæ ut di- 7
ctum eſt Conciliari ſanctioni derogavit. Standum igitur di-
ctæ priori opinioni, amplexæ in *Ratisbon. Vicariæ*, in qua
habita fuit ratio Conſtitutionis Pianæ, tum alterius Gre-
gorianæ.

## VICARIUS.

*Additio ex Auctore.*

CArdinalis Vicarii Urbis juriſdictio reducitur ad terminos 1
reformationis Pauli V. & revocantur Litteræ Benedi-
cti XIII. & Clementis XII; Bened. XIV. tom.1. Conſt. 44 in-
cip. *Quantum §.4 et* 22 ibi: „ Ac demum indulta, & facul-
„ tates, necnon privilegia quæcumque, & præſertim ſuper
„ cumulativa in cauſis Laicalibus, Tribunali venerabilis
„ Fratris Noſtri prædictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Noſtri,
„ & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis in Urbe No-
„ ſtra, ejuſque diſtrictu Cardinalis Vicarii competentia, &
„ præſertim per Litteras fel. Record. Clementis X. quæ *Su-*
„ *premæ Majeſtatis* ſub pridie Idus Auguſti MDCLXXI. ac
„ per alias Benedicti XIII. quæ *In ſupremo* ſub XVI. Kalen.
„ Septembris MDCCXXIV. necnon per alias Litteras Cle-
„ mentis XII. Prædeceſſorum noſtrorum, quæ *Romanus*
„ *Pontifex*, reſpective incipiunt, noviſſime de anno
„ MDCCXXXV. promulgatas, ad ſtatum, in quo erant an-
„ te reformationem rec. mem. Pauli Papæ V. ſimiliter Præ-
„ deceſſoris noſtri, & ad ejuſdem reformationis tramites A-
„ poſtolica auctoritate redigimus, necnon utriuſque Cle-
„ mentis, & Benedicti Prædeceſſorum prædictorum Litte-
„ ras tenore præſentium abrogamus, & de medio in hac
„ parte tollimus, & abolemus.
Cardinali Vicario Urbis competit juriſdictio privativa in 2
cauſis Matrimonialibus Urbis, & in cauſis ſuper inſtitutione
in beneficiis in Urbe, & diſtrictu. Idem Conſt. 115. incip.
*Romanæ Curiæ §.*20. In Cauſis Civilibus contra Clericos Ro- 3
manos non exemptos, aut loca pia Urbis competit ei cumu-
lativa cum ſolo A. C. cum loco præventionis inter eos.
Idem *ib.*
Item competit ei privativum jus interponendi Decreta in 4
contractibus, & renunciationibus regularium Urbis. Idem
*ibid.*

5 *ib.* §.2. In cauſſis mercedis, & ſcutorum 25. competit ei ju-
riſdictio contra quoſcumque, non obſtante obligatione Ca-
merali, uti competit etiam Gubernatori Urbis. Idem *ibidem*
§. 24.
6 Ejus juriſdictio in cauſis laicalibus prorogari poteſt de
7 conſenſu partium in actis expreſſe præſtito. Idem *ib.* §. 18
Exceptis cauſis ſuper executione obligationis Cameralis.
8 Idem *ib. n.*19. Nulla juriſdictio competit ei in prima inſtan-
tia in Territoriis, & Diœceſibus aliorum Ordinariorum in
diſtrictu Urbis, nempe intra quadrageſimum lapidem exi-
9 ſtentibus. Idem *ib.* §.20. Salvo jure exequendi in illis cita-
tiones, & mandata contra Clericos ſibi ſubjectos. Idem
*ib.* §. 21.
10 Vicario Urbis S.R.E. Cardinali injungitur ut in deputatio-
ne Confeſſariorum extraordinariorum pro Monaſteriis, &
Conſervatoriis ipſius Urbis Pontificis menti ſe conformet, &
ſtatutas leges a Regularibus, aliiſque obſervari curet. Idem
11 tom.2. Conſt.50. incip. *Paſtoralis Curæ*. In ejuſdem Tribu-
nali ſervari jubentur leges a Pontifice conditæ de Ordine tra-
ctandi cauſas ſuper nullitate Profeſſionum Regularium, quæ
intra quinquennium apud Ordinarios Judices promoveantur.
Idem Conſt. 47. incip. *Si datam*.
12 Vicarius Urbis tamquam Præfectus Congregationis ſuper
reſidentia Epiſcoporum, facultatem ab Urbano VIII. habet
concedendi Epiſcopis ex juſtis cauſis, licentiam abeſſendi
per quadraginta dies. Idem Conſt. 18. incip. *Ad univerſæ*.
13 Vicarii Urbis Promotor Fiſcalis, idem conſtituitur Fiſcalis
Promotor Congregationis ſuper reſidentia Epiſcoporum cum
jure ſuffragii conſultivi. Idem *ibid.*
14 Vicarius Urbis Commiſſiones pro cauſis Criminalibus ex-
pedire poteſt, expenſis Accuſatoris, ſive Adhærentis Fiſco;
facto nimirum ab hoc congruo depoſito pro Viaticis, & ci-
bariis, & data fidejuſſione pro reliquo. Idem Conſt.44. incip.
15 *Rerum humanarum*. Deficiente autem Accuſatore, ſeu Adhæ-
rente, Commiſſiones expedire nequit, ſed demandare de-
bet inquiſitoribus Ordinariis Eccleſiaſticis locorum, ſeu aliis
ibi exiſtentibus in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis. Idem
16 *ibid.* Quod ſi expedire judicetur eas ex Officio ab Urbe mit-
tere, vel eaſdem injungere Judicibus extra locum delicti exi-
ſtentibus, reportare debebit Commiſſionem ſpecialem manu
Papæ ſignatam; & ab Auditore Sanctiſſimi ſubſcriptam,
alias expenſas ſolvat de proprio. Idem *ib.*
17 Vicarius Papæ tanquam Romani Epiſcopi juriſdictionem
habet ad quadrageſimum ab urbe lapidem, non tamen in loca
aliarum Diœceſum infra hos fines comprehenſa, puta in
Diœceſi Tuſculana, vel Nepeſina, & hujuſmodi. Idem *de
Synodo Diœceſana lib.*2 *cap.*3. *num.*2. & in cit. Conſt. incip.
18 *Romanæ Curiæ* §.21. Quamvis ſex Cardinales Epiſcopi ſubur-
bicarii, Oſtienſis nempe, Portuenſis, Sabinenſis, Tuſcula-
nus, Albanenſis, & Præneſtinus, niſi proprium Epiſcopum
ſuffraganeum in ſua quiſque Diœceſi habeant, aut in ea
commorantes per ſemetipſos conferant, ad ſolum Cardina-
lem urbis Vicarium dimittere poſſint ſuos Subditos pro Ordi-
nibus ſuſcipiendis: non propterea tamen Cardinalis Vicarius
ullam ſibi vindicare poteſt juriſdictionem in dictis ſuburbi-
cariis Diœceſibus. Idem *ib.*
19 Poteſt tamen Cardinalis Vicarius urbis concedere Capel-
lanis triremium Pontificiarum facultatem excipiendi in trire-
mibus in portu Centumcellarum, in Darſena, hujuſque ho-
ſpitio Confeſſiones remigum, aliorumque in triremibus con-
tinue degentium. Idem *ib.* ex Decreto *Sacræ Congr. Conc.* 18.
*April.* 1722. jam allato *in tom.* 2. *verb. capellanus Militum
num.*14. Vide *ibi*. Poteſt etiam pro libito cogere Synodum
20 Diœceſanam; Aliis vero Vicariis non licet ſine Epiſcopo-
rum licentia, Idem *ib. n.*2. 3. 4. *et* 5.
21 Quoad Cardinalis urbis vicarii auctoritatem in exteros Ro-
mæ degentes, & ad Ordines promovendos, Clemens VIII.
Decretum edidit, quo ſtatuit, omnes exteros in urb. degen-
tes, qui ad Sacros Ordines, ſive Minores, ſive Majores, pro-
moveri cupiunt, etiamſi Dimiſſorias Litteras a ſuis Ordi-
nariis obtinuerint, quarum vigore a quocumque Epiſco-
po ordinari poſſent, nihilominus neque his uti, neque
Sacros Ordines extra urbem ſuſcipere poſſe, niſi antea
examinati, & approbati fuerint ab Examinatoribus Cardina-
lis Urbis Vicarii, hujuſque licentiam obtinuerint; Idque ſub
pœna Suſpenſionis, quam porro ſequitur irregularitas, ſi
ordinatus contra formam Decreti, in ſuſceptis Ordinibus mi-
niſtrare præſumpſerit, Clementis Decretum editum fuit die
24. Novembr. anni 1603, deindeque inſtauratum ab Alexan-
dro VII. ſub die 15. Maji 1654. Quum vero poſtmodum
nonnullæ obortæ fuerint quæſtiones ſuper Decreti interpre-
tatione, , ac præcipue quinam cenſeri deberent Clerici exte-
ri in Urbe commorantes ſub ipſius Decreti cenſura compre-
henſi; & utrum eidem Decreto obnoxii dicendi eſſent ii,
qui poſtquam in urbe per aliquod temporis ſpatium morati
fuerint, non examinati a Cardinalis Vicarii Examinatoribus,
abſcedunt; ut Sacros Ordines ſuſcipiant a proprio Ordinario,
quem ſcilicet proprium agnoſcunt, ſive ratione originis, ſive
domicilii, aut Beneficii, aut denique triennalis ſervitii: Hæc
omnia opportunis Decretis definita fuerunt in Congregatio-
ne particulari habita anno 1668. cujus reſolutiones videri
poſſunt relatæ per accuratiſſimum Rigantium *Tom.*2. *ad Re-
gulas Cancellariæ Regula* 24. §.3. *a n.*177. *ad* 185. Idem *ib.
ad Littera* §.10. Allegatæ autem Reſolutiones apud Rigan-
tium *l. c.* ſunt ſequentes.

*I. Qui dicantur Clerici in Urbe commorantes, ad hoc ut præfato Edicto comprehendantur?*

Reſp. *Qui habitant in Urbe, et in ea ſaltem per quatuor menſes moram traxerint.*

*II. An Clerici in urbe commorantes accedentes ad proprium Ordinarium, et ab eo ſuſcipientes Ordines abſque eo quod examinati fuerint in Urbe, afficiantur Edicto ſupradicto?*

Reſp. *Non afficiuntur Edicto ſi ab ipſomet Ordinario ſuſcipiant Ordines, ſed ſi ab alio ordinentur, etiam vigore Dimiſſorialium proprii Ordinarii.*

*III. Clerici in Urbe commorantes, et ab Examinatoribus Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii rejecti, recipientes Ordines a proprio Ordinario, an incidant in pœnas Edicti?*

Reſp. *Clerici ab Examinatoribus Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii reprobati incidunt in pœnas Edicti, etiamſi a propriomet ordinario approbati ab eodem ſuſceperint Ordines.*

*IV. An Clerici in Urbe commorantes ordinari poſſint etiam ab Epiſcopis Domicilii, Beneficii, et ab eo, cui triennale ſervitium perſonaliter præſtiterunt ad formam S. C. Tridentini ſeſſ.* 23. *Cap.*9. *de Reform. abſque eo quod prius examinati, et approbati fuerint ab Examinatoribus juxta ſupradictum Edictum?*

Reſp. *Clerici in Urbe commorantes bene recipiunt Ordines ab Epiſcopo Domicilii, Beneficii, Triennalis ſervitii præſtiti, dummodo ab ipſiſmet Epiſcopis ordinentur ad formam S.C.* Tridentini. Et huic reſolutioni addi modo poſſet -- *necnon ad formam Conſtitutionis S.M. Innocentii XII.* incip. *Speculatores*. Vide ad id jam tradita in T*omo quinto verb. Ordo art.*3. *numer.* 76.

Vicarii Baſilicarum urbis in Actibus Capitularibus præ- 22
cedunt omnibus de Capitulo, etiam perſonali Dignitate præ-
ſtantibus. Idem tom.1. Conſtitut. 98. incipient. *Inter plures*
§. 16.
Vicarius Metropolitani in Synodis Provincialibus antefer- 23
tur Epiſcopis Suffraganeis, ob auctoritatem, quam obtinet,
& ratione Perſonæ, quam repræſentat; Idem tom.2. Con-
ſtit.36. incip. *Cum a nobis*.
Vicarius ad regimen Eccleſiæ Curatæ vacantis ſtatim ab 24
Epiſcopo deputari debet; Idem tom.1. Conſt.68. incip. *Cum
illud* §.16. Vicarii Curati tam perpetui, quam ad tempus 25
amovibiliter deputati, Miſſam Parochialem applicare de-
bent pro populo diebus Feſtis; Idem Conſt.103. incip. *Cum
ſemper* §.4. Eaque de cauſa congruis redditibus ſunt provi- 26
dendi; Idem *ib.* §.9. & 10.
Vicarius Generalis in juriſdictione idem habet cum Epiſco- 27
po Tribunal, itaut ab uno ad alterum non detur appellatio;
Idem *de Synodo Diœceſana lib.*2 *cap.*8 *num.* 2. ut ex Sacris
Canonibus jam adductis *verb. vicarius Generalis art.*1 *a nu-
mer.* 42. *ad* 44. Multa tamen nequit ſine ſpeciali mandato 28
Epiſcopi; adeoque ſine tali ſpeciali mandato nec poteſt
Synodum Diœceſanam convocare; Idem *ib. n.*2.3. & 4. Vi-
de dict. verb. *vicarius generalis art.*2. *per tot.* ubi fuſe enu-
merantur ea, quæ poteſt, vel non poteſt vicarius generalis.
Debet jubente Epiſcopo intereſſe Synodo Diœceſanæ: Et 29
expedit ut Epiſcopus id velit; Idem *ib. lib.*3. *cap.*3 *num.*2. 30
3. & 4. Non poteſt Synodalis Examinatoris munus exercere 31
ſub nomine appellativo vicariatus; Idem *ib. libr.* 4. *cap.*7.
*num.*5.



*num.*5. ex Decreto Sacræ Congregationis Concil. *in Polyca-
ſtren. Parochialis die* 19. *Septemb.*1745. quamvis in Theſau-
ro Reſolutionum referatur ſub die 18. ejuſdem anni; Vide
*tom.*3. *verb. Examen*, *Examinatores num.*25. ubi afferuntur
32 alia ad rem. Vicarius generalis in Synodo ſedet immediate
33 poſt Epiſcopum; Idem *ib. lib.*3. *n.*2. Niſi legitima conſue-
34 tudo alteri faveat; Idem *ib. n.*3 Aut Dignitates, & Canoni-
35 ci Sacris veſtibus induti aſſiſtant. Secus ſi vicario conſuetu-
do faveat; aut ipſe etiam habitu Prælatitio ſit indutus; Idem
*ibid. numer.*4. ubi ad id plura ſcite, & erudite ſuo more
adducit.
36 Vicarius Capitularis juriſdictionem Epiſcopalem ad Ca-
pitulum devolutam, independenter ab ipſo Capitulo exer-
cet; Idem *ib. lib.*2 *num.*1 vide *tom.*2 *verb. Capitulum ar-
tic.*3 *num.*63 & *ſequent.* & ſupra verb. *Vicarius Capitularis*
37 *artic.*1 *num.*39 vicarius Capitularis poteſt ſua auctoritate
ordinaria conficere proceſſus ſuper fama virtutum, & mira-
culorum Servorum Dei, quos conficere potuiſſet Epiſcopus;
Idem *ib. num.*2, & *de Canonizatione Sanctorum lib.*2 *cap.*2
38 *num.*2 Imo ab ipſamet Sede Apoſtolica ad vicarium Capitu-
larem quandoque diriguntur Litteræ Remiſſoriales pro con-
ficiendis proceſſibus Apoſtolicis ſuper virtutibus, & mira-
culis tum eorumdem Servorum Dei, tum etiam eorum, qui
jam in Beatorum Album ſunt relati; Idem *ib. num.*2 & *cit.*
39 *lib.*2 *cap.*45 *num.*17 Quamobrem *cit. num.* 2 ingenue fatetur
nondum hactenus percipere potuiſſe, cur Dataria Apoſtolica
diſpenſationes, quæ ex mente Tridentini *ſeſſ.*22 *de reformat.
cap.*5 extra Curiam committendæ ſunt Ordinariis locorum,
in quibus degunt illas impetrantes, numquam conſuevit com-
mittere vicariis Capitularibus, quamvis eaſdem committere
40 ſoleat vicariis Generalibus. Plura alia de vicario Capitulari,
vide *tom.*2 *verb. Capitulum artic.*3., & ſupra *verb. Vicarius
Capitularis*, ubi abunde de omnibus, & inſuper in dict. *tom.*
41 2 *verb. Concilium art.*2 *a num.*7 *ad* 9 Ubi quod Synodus Pro-
vincialis non a vicario capitulari Metropolitanæ vacantis, ſed
ab antiquiori Epiſcopo ſuffraganeo eſt indicenda, ex Decre-
to *Sacræ Congregationis Concilii in Tarraconenſi* 13 *Maii* 1604
42 Et quod abſente, vel impedito, ſeu mortuo Archiepiſcopo
convocanda eſt Synodus Provincialis ab antiquiore Epiſcopo
ex ſuffraganeis, non autem ab Epiſcopo exempto, quam-
vis antiquiore, ex Decreto *ejuſdem Congregationis in Burgen.*
43 *die* 7. *Aprilis* 1649 Alia de vicario capitulari vide ſupra verb.
*Capitulum*, & verb. *Ordo*.
44 Vicarius Apoſtolicus a Pontifice per ſe immediate, vel
per Sacram Congregationem Epiſcop., & Regular. Ec-
cleſię vacanti, vel plenæ præficitur, triplici de cauſa, nem-
pe, vel quia timetur de nimium diuturna Sedis vacatione,
vel quia Epiſcopus ob ſenectutem, aut adverſam valetudi-
nem inhabilis effectus eſt ad Eccleſiam regendam, vel quia
ab ejuſdem Eccleſiæ adminiſtratione ſuſpenſus, vel remotus
fuit; Idem *ib. lib.*2 *cap.*9 *num.*7 ejus facultas modo amplior,
45 modo ſtrictior eſt; cum pro Sacræ Congregationis libito,
aliquando amplietur, & aliquando limitetur, prout exigunt
rerum circumſtantiæ, in quibus conſtituitur; Unde ne erret
46 in miniſterio, debet facultates ſibi conceſſas accurate per-
47 pendere; Idem *ibid. numer.*7 Poteſt & debet ſine Epiſcopo
Eccleſiæ, cui præfectus eſt, celebrare Synodum Diœceſa-
nam; Idem *ib.* Vide ſupra *verb. Vicarius Apoſtolicus per tot.*
ubi late de multis ad rem; & ſignanter *num.* 5. ubi quod ad
Vicarium Apoſtolicum ſolum ſine interventu Epiſcopi ſpectat
facere concurſum, ſicut, & Synodum, & declarare magis
idoneum, ut declaravit *Sacra Congreg. Epiſcop.*, & *Regul.
in Lycien.* 9. *Junii* 1608., & *in Biſinianen.*16.*Maji* 1653., &
48 *n.*51. & 52. ubi viginti aſſignantur diverſæ juſtę cauſæ, propter
quas ſolet mitti vicarius Apoſtolicus, & duodecim, pro-
pter quas ſolet removeri.
49 Vicarii Foranei dicuntur illi, qui in certa parte Diœceſis
extra Civitatem Sedis Epiſcopalis, vel in Oppidis per Epi-
ſcopum conſtituuntur, ut ibi juriſdictionem quamdam exer-
ceant; *cap. Romana* 1. *de Offic. Ordinarii in* 6. & ab ipſis
50 appellari poteſt ad epiſcopum; Idem *ibid. lib.*3 *cap.*3 *num.*5
Antiquiſſimi ſunt, & origo eorum ad Chorepiſcopos eſt re-
51 ferenda; Idem *ibid. num.*7. vide *de Chorepiſcopis tom.*3. *verb.*
52 *Epiſcopus art.*1 *a num.*36. *ad* 41. ubi qui ipſi fuerint, quod
53 eorum Officium, & quare ab Eccleſia ſublati? Vicarii Fo-
ranei in Italia etiam ante S. Carolum Borromæum eſſe cœpe-
runt, ut in aliis lociis; Idem *ibidem num.*8 contra aliquos
aliter ſentientes; Sed minorem in Italia obtinent juriſdictio-
54 nem; Idem *ibidem num.*9 Si Parochi ſint, Synodo Diœce-
ſanæ intervenire debent. Si non ſint, tenentur, ſi Epiſcopus 55
eos vocet, idque expedit, quoniam ab illis tamquam ocula-
tis teſtibus melius, quam a vicario Generali, certior fieri
poterit de iis, quæ in remotis Diœceſis partibus occurrunt,
& aliquam fortaſſe Sanctionem expoſcunt; Idem *ibidem
num.*10.
Vicarii temporarii a Capitulis, & Monaſteriis deſtinati 56
curæ animarum in Parochiis illis unitis, etiam ſine cauſa re-
moveri poſſunt; nec remotio in Synodo prohiberi poteſt;
Idem *ibid. lib.*7 *cap.*65 *num.*2 *ex Rota in Pampilonenſi deciſ.*
886 *num.*29 *coram Cerro*; ubi cum contigiſſet, ſimilem re-
motionem ſine cauſa fieri, illam ſuſtinuit, nulla habita ratio-
ne contrariæ Synodalis Conſtitutionis; vide *tom.*2 *verb. Vi-
carius Parochialis num.*49 & *per tot.*

## VICINUS.

*Additio ex Auctore.*

VIcinus pluribus partibus, præfertur alii vicinis in em- 1
ptione domus; Benedictus XIV. tom.2 Conſtitut.39.
incip. *Ad Centum cellas*.

## VIDUA, VIDUUS.

VIduis, aut conjugatis, vel puellis viginti quinque an- 1
norum ætatem excedentibus, ut in habitu ſæculari in
Monaſteriis degant, abſque Sacræ Congregationis, aut Ro-
mani Pontificis facultate non permittatur. *Sac. Congregation.
Epiſcop.*, & *Regul.* apud Barboſam *in Summa Apoſt. deciſ.
verb. Vidua num.*1, & *eadem Sacra Congregation. Epiſcop.*19
*Julii* 1647., & 14. *Maii* 1649. apud Nicol. *in Floſcul. verb.
Vidua num.*1 & talis licentia non datur, niſi pro Monaſteriis 2
numeroſis. *Eadem Sacr. Congregat. Epiſcop. in Brixien.*15. 3
*Julii* 1903. & in caſu obtentæ licentiæ debet vidua ingredi
ſola, niſi aliud concedat Sacra Congregatio. *Eadem Sacra
Congregation. Epiſc. in Januenſi* 25 *Octobr.* 1602 *in Novarienſi*
12 *Maii* 1504 *in Cæſarauguſtana* 17 *Januarii* 1614
Moniales fieri non prohibentur viduæ; *Sac. Congregation.* 4
*Epiſcop.*, & *Regul. in Faventina* 8. *Februarii* 1593 apud Ni-
col. *loco cit. num.*4.
Et in locis numerariis vacantibus Monaſteriorum, quæ hu- 5
juſmodi mulieres recipere conſueverunt, non eſt neceſſaria
licentia Sacræ Congregationis. *Eadem Sacra Congregation.
Epiſcop.* & *Regular. in Fulginaten.*30. *Martii* 1621. apud Ni-
col. *loco cit. num.*4.
In Profeſſione recipere poteſt vidua velum Profeſſarum, 6
ſed non virginum, neque in hoc Sacra Congregatio diſpenſat.
*Eadem Sacra Congregat. Epiſc.*, & *Regul. in Feſulana* 20. *De-
cemb.*1604 apud Nicol. *loco cit. n.*5.
In Abbatiſſam eligi non poteſt ſine licentia Sacræ Congre- 7
gationis. *Eadem Sacra Congreg. Epiſcop.* & *Regul. in Caſſen.*
29 *Januarii* 1585 *in Foroliviex.* 4 *Novembr.*1611 *in Sarzanen.*
15 *Julii* 1616 Licet Matrimonium fuiſſet ſolum ratum, & non 8
conſummatum. *Eadem Sac. Cong. Epiſc.* & *Regul. in Spoletana*
12 *Aprilis* 1619.
Vidua poſt Mariti mortem, non poteſt licite Miſſam omit- 9
tere ultra menſem; alias ab Epiſcopo compellatur per Cen-
ſuras non obſtante quavis conſuetudine, Concil. Mediola-
nenſ. *part.*2 *tit. Quæ pertinent ad celebrationem Miſſæ*, ibi:
*Viduæ ob maritorum mortem ad ſummum ne menſe amplius
ſint ſine Miſſæ auditione: qua in re nulla valeat excuſatio cu-
juſvis conſuetudinis, quam irritam decernimus. Eas item Epi-
ſcopi etiam Cenſuris Eccleſiaſticis id facere cogant.*
Vidua, & viduus quando peccent, vel non, circa de- 10
lectationem moroſam de copula præterita. Vide verb. *De-
lectatio moroſa a n.*30 *ad* 32.
Vidua nubens intra annum luctus obnoxia erat infamiæ, 11
aliiſque pœnis ex jure Civili, ut patet ex *L. Liberorum* 81.
*ff. de his, qui notantur infamia lib.*1. *Cod. de ſecundis nuptiis*;
& *Authentic. de ſecundis nuptiis* §. *Primo ſi quidem*; *collat.*
14. *cum ſimilibus*. At vero ejuſmodi leges abrogatæ ſunt a 12
jure Canonico *in Cap. Super illa* 4. *de ſecund. nuptiis*, ibi: *Su-
per illa quæſtione, qua quæſitum eſt, an mulier poſſit ſine infa-
mia nubere infra tempus luctus ſecundum leges definitum*, Reſ-
pondemus: *quod cum Apoſtolus dicat, mulier viro ſuo mortuo,
ſoluta eſt a lege viri ſui: in Domino nubat, cui voluerit, per
licentiam, & auctoritatem Apoſtoli ejus infamia aboletur*,
& in cap. *Cum ſecundum* 5. *eod.*, ibi: *Cum ſecundum Apoſto-
lum*

*lum mulier mortuo viro ſuo , ab ejus ſit lege ſoluta , & nubendi , cui vult , tantum in Domino liberam habeat facultatem , non debat legalis infamiæ ſuſtinere jacturam , quæ licet poſt viri obitum intra tempus luctus , ſcilicet unius anni ſpatium nubat , conceſſa ſibi tamen ab Apoſtolo utitur poteſtate; cum in his præſertim ſæculares leges non dedignentur Sacros Canones imitari .* Idem *de Synodo Diæceſana lib. 7. cap. 38. num.6* vide *verb. Uxor a n.40. ad 43.*

## V I G I L I A.

1 Vigilia eſt ſolemnioris Feſti præventio inſtituta ab Eccleſia in præparationem ejuſdem feſti , præſertim obſervatione jejunii , ac nocturnæ , ut antiquitus , vigilantiæ in Dei laudibus . Antiquitus enim præter jejunium ſolebant fideles tota nocte vigilare in Dei laudibus apud Eccleſias Sanctorum , quorum feſta præveniebant . Quarti *part.1. tit.3. nu.2.* Merati *tom.2. ſect.3. cap.7. num.1.* , & alii paſſim . Unde
2 a ſic vigilando ortum eſt nomen vigiliæ , quod etiam nunc retinetur , quamvis non in omnibus vigiliis jejunetur , & mos vigilandi de nocte , propter abuſus , qui irrepſerant , fuerit ſublatus . *Concil. Sabinen. cap. 22.* , ibi : *Quia igitur in nocturnis vigiliis , quas in Eccleſiis fieri aliquorum ſimplicium devotio introduxit , nefanda ſæpe , ac enormia ſub hac boni ſpecie committuntur, ipſas fieri de cetero firmiter prohibemus .* Sic apud Paravicinum *in Poliant. Sacror. Canonum verb. Vigiliæ num.3.* Et ſic tenent Honorius in *Gemma lib.3 cap.6* Gavant. *part.4 tit.13 n.1* Durandus *in Rationali lib.6 cap.7 numer.8* Quarti *loco cit. num.2* & alii .

3 Dictæ nocturnæ Vigiliæ viguerunt non ſolum in primævis Chriſtianorum temporibus , ſed in variis Eccleſiis Cathedralibus , & aliquibus Parochialibus continuarunt uſque ad XV. ſæculum , ut ex multis oſtendit Martene in *tract. de antiqua Eccleſiæ diſciplina cap.7. num. 3.* ſequutus a Merato *loco cit.* Unde Vigilantius Hæreſiarcha ſui nominis hoſtis , qui ſæculo quarto temerario auſu Vigilias improbabat , confutatus fuit a S. Hieronymo , a quo per jocum dicitur *Dormitantius* , & in *Concilio Aquiſgranenſ. ſub Ludovico Pio cap.130* ſic habetur : *Eſt autem quoddam genus hæreticorum ſuperfluas exiſtimantium Vigilias , & ſpiritali opere infructuoſas dicentium , jura temerari divina , qui noctem fecit ad requiem ſicut diem, ad laborem , qui hæretici græco ſermone Nyctazontes, hoc eſt ſomniculoſi vocantur .* Ita apud Paravicinum *loc. cit. num.1. in fine .*

4 Vigiliæ nocturnæ viguerunt etiam ante Legem Evangelicam , tum apud Ethnicos , tum apud Judæos , qui duodecim horas noctis artificialis dividere ſolebant in quatuor partes æquales inter ſe , inæquales vero in ſe , ideſt longiores, vel breviores , juxta noctium longitudinem , vel brevitatem ; nam in æſtate erant breviores , in hyeme vero longiores , quarum partes ſtationes , & vigiliæ militares dicebantur ; & harum quælibet tribus horis conſtabat . Prima incipiebat ab occaſu ſolis , & terminabatur in horam tertiam , & dicebatur *Conticinium* ; Secunda incipiebat ab hora tertia , & terminabatur in horam ſextam , & dicebatur *Intempeſtum* . Tertia incipiebat ab hora ſexta , & terminabatur in nonam , & dicebatur *Gallicinium* ; Quarta , quæ proprie dicebatur Vigilia matutina , incipiebat ab hora nona , & terminabatur in duodecimam , ideſt uſque ad ortum ſolis , & dicebatur *Antelucanum* .

5 Prædictarum Vigiliarum merito fit in veteri Teſtamento ; De prima vigilia *Threnor.2. verſ.19 Lauda in nocte in principio vigiliarum* . De tertia *Judicum 7. verſ.59 Incipientibus vigiliis noctis mediæ* : De quarta *Exodi 14 verſ.24 Jamque advenerat vigilia matutina* . In Teſtamento etiam novo habetur multis in locis expreſſa mentio earumdem vigiliarum . *Lucæ 2. verſ.8. Paſtores erant in Regione eadem vigilantes , & cuſtodientes vigilias noctis*. S. Matthæus *cap.14 verſ.25* de Chriſto loquens ait : *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans ſuper mare* ; Et idem Chriſtus Dominus *Marci 13. verſ.35* dixit : *vigilate ergo , neſcitis enim quando Dominus domus veniat , ſero , an media nocte , an galli cantu , an mane* . Quod hic dixit *ſero* intelligit *primam Vigiliam noctis*; Quod hic dixit , *media nocte , an galli cantu , Lucæ 12. verſ. 38.* dixit , *Si venerit in ſecunda vigilia , & ſi in tertia vigilia venerit*; Et quod hic dixit *mane* , S. Mattheus *cit. cap. 14. verſ.25.* dixit : *Quarta autem vigilia noctis*. Ethnicos quoque nocturnas Vigilias celebraſſe in honorem ſuorum Deorum oſtendit Card. Bona de *Divina Pſalmodia cap. 4.* Hæc ad litteram eruditiſſimus P. Merati *tom.2. ſect.3. cap.7. ſub num.1. §. Hujuſmodi vigiliæ* .

Hinc tres Matutini Nocturni inſtituti fuerunt , ut reſpon- 6
derent tribus vigiliis , ſive noctis ſtationibus , quibus ad orandum ſurgendum erat , & Laudes ut reſponderent quartæ vigiliæ ſub lucis ortum ; Amalarius *lib. 4. c.9.* Merati *t.2. ſect.4. cap.1. verſ. Ceterum* , & alii .

Vigiliæ nocturnæ fuerunt abolitæ propter abuſus , qui ir- 8
repſerant , ut ex Concilio Sabinenſi , & Doctoribus allatis *ſupra num.2.* dictum eſt .

Abolitis ſupradicta ratione fere univerſaliter prædictis Chri- 8
ſtianorum vigiliis , ſolumque adhuc in aliquibus inſignioribus Eccleſiis pie , ac laudabiliter obſervatis , ut in Eccleſia Pariſienſi , ad tradita per Grancolas *lib.1. cap. 23.* in Eccleſia Toletana , ac in Eccleſia Aurelianenſi in nocte Inventionis S. Crucis , in Eccleſia Cenomanenſi in nocte S. Juliani , & in Eccleſia S. Martini Turonenſis in nocte Feſti tranſitus ejuſdem Sancti , ut ex aliis d. P. Merati *citat. tom.2. ſect. 3. cap.7. verſ. Abolitis* , & alibi , ut referunt alii , & per univerſam Eccleſiam in nocte Nativitatis Domini ; & in pluribus Regularium utriuſque ſexus Ordinibus , qui diverſis horis nocturnis ſurgunt ad Matutinum decantandum , itaut in qualibet noctis vigilia aliquis Regularis Ordo ſurgat ad nocturnas Laudes Deo perſolvendas ; Remanſit apud univerſalem Eccleſiam vigiliarum nomen , ſive ad indicandum jejunium in ipſis obervandum , ſive Officium divinum in ipſis recitandum .

Jejunandum eſt igitur ex præcepto ſcripto in Vigiliis Na- 9
tivitatis Domini , Aſſumptionis Beatæ M. V. , & omnium Apoſtolorum , exceptis Vigiliis Sanctorum Apoſtolorum Philippi , & Jacobi , ac Sancti Joannis Evangeliſtæ , textu expreſſo *in cap. Ex parte veſtra 1.* , *& Cap. Conſilium 2. de*
*obſervatione jejuniorum* . Ideo autem excipiuntur ab obliga- 10
tione jejunii dictæ vigiliæ Sanctorum Apoſtolorum Philippi , & Jacobi , ac S. Joannis Evangeliſtæ , *quoniam ipſorum ſolemnitas infra ſolemnitatem Paſchalem , iſtius autem infra Natalem Domini celebratur* ; ſunt verba præciſa *citat. cap. Conſilium* .

Generali autem conſuetudine vim præcepti habente , ſive 11
ex præcepto tradito , & non ſcripto , ut vult Cardenas , & alii Theologi , jejunandum eſt in Vigiliis Pentecoſtes , Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, S. Laurentii , & Feſtivitatis omnium Sanctorum . Sic expreſſe Sapientiſſimus P. Merati *tom.2. ſect.3. cap.7. ſub num.1. verb. Abolitis in fine* , ubi recte ſubdit , quod præter dictas vigilias , aliæ duæ in Breviario , & Miſſali recenſentur , ideſt Epiphaniæ , & Aſcenſionis Domini , ſed ſine obligatione jejunii , ſolum ideo retentæ , quia in his ſolemnitatibus perinde ac in aliis , vigiliæ olim ſolemnes in Eccleſiis haberentur ; tum ut de iis Officium rite per-
ſolvatur . Ideo autem in ipſis non jejunatur , quia nulla adeſt 12
Lex , ſeu conſuetudo ad id obligans , ob lætitiam Nativitatis Domini , & ejuſdem Reſurrectionis ; Quam ab cauſam neque jejunatur in vigiliis S. Joannis Apoſtoli , & Evangeliſtæ, & Sanctorum Apoſtolorum Philippi , & Jacobi , ut dictum eſt ſupra *num.10.* per expreſſum allatum textum , *cap. Conſilium 2. de obſervatione jejunior.* Gavant. *tom.1. pag. 1. tit. 3 num. 6 , & tom. 2. ſect.3. cap. 7. numer. primo* , & alii paſſim .

Vigilia S. Bartholomæi celebranda eſt juxta morem Re- 13
gionum , textu expreſſo *in cit. cap. Conſilium* , ibi : *De Feſtivitate vero S. Bartolomæi Apoſtoli , de cujus celebratione dubietas oritur apud quoſdam , reſpondemus quod in hoc conſuetudinem tuæ Regionis obſerves* .

Vigilia occurrente in Dominica , jejunari debet in Sabbato 14
antecedenti , textu expreſſo *in cap. Ex part.1. de obſervatione jejuniorum* .

Si Vigilia S. Joannis Baptiſtæ cadat in Feſto Corporis Chri- 15
ſti , anticipandum eſt jejunium feria 4. *Sac. Rit. Congregation. 23. Septemb.* 1638. *in Decreto Urbis , & Orbis* , & Urbanus VIII. 14. *Octobris ejuſdem anni* 1638. in appendic. 2.
Conſtitution. 45. incipient. *Cum evenire* Et eo anno nihil 16
prorſus in Officio , & Miſſa , nec commemoratio fit de vigilia , quamvis anticipetur jejunium feria 4. prout reſpondit *Sac. Rit. Congreg. 28. Septembr.* 1706. inquiens : *Nihil de Vigilia in Officio , & Miſſa* , apud Monacell. *part. 4. ſupplement. ad 2. tom. num. 459.* quod approbavit Clemens XI. 2. Oct. ejuſdem anni , ut in ejus Bullario particulari *part.3. Decret. 9.*

Idem declaratum eſt quoad jejunium pro Vigilia S. Anto- 17
nii de Padua , ſi occurrat in Feſto Corporis Chriſti ; Vide verb. *Jejunium artic. 1. n.23.*



18 Si Vigilia cum jejunio occurrat in Feſto ſolemni alicujus Patroni principalis , poteſt licite ab Epiſcopo fieri commutatio jejunii in die præcedenti . Vide *ibidem numer. 24.* , & Rubricas particulares Breviarii Franciſcani *tit. de Vigiliis num.73.*

19 Non poteſt tamen auctoritate Epiſcopi anticipari Vigilia S. Matthiæ Apoſtoli , etiamſi occurrat ultima die bacchanalium . Vide *ibid. num.25.*

20 Officium de Vigilia fit in omnibus Vigiliis per annum, quæ jejunantur , niſi in die Vigiliæ occurrat Feſtum novem lectionum , quia tunc fit Officium de tali Feſto , & legitur nona lectio de Homilia Vigiliæ , & fit commemoratio de ea ad Laudes tantum , cum Antiphona ad Benedictus , & ℣. Feriæ occurrentis de Pſalterio , & Oratione Vigiliæ , text.
21 expr. in *Rubrica de Vigiliis num.1.* Si autem tale Feſtum occurrens in die Vigiliæ fuerit primæ claſſis, tunc nihil prorſus, nec commemoratio fit de Vigilia, excepta Vigilia Epiphaniæ; Sic expreſſe *in cit. Rubrica num. 2.* Et idem ſervandum eſt
22 quando aliqua Vigilia cadit in Adventu , Quadrageſima , & quatuor temporibus , quia nulla in his fit commemoratio de Vigilia ; Ita expreſſe *cit. Rubric. num.2.*

23 Si vigilia occurrat in Dominica , anticipatur ejus Officium in Sabbato præcedenti non impedito Officio novem lectionum quia tunc de Vigilia fit tantum commemoratio . Excipiuntur tamen ab hac regula Vigiliæ Nativitatis , & Epiphaniæ Domini , quæ ſi venerint in Dominica , nihilominus fit Officium de ipſis , textu expreſſo *in citat.*
24 *Rubrica numer.* 2. Si autem alicubi anticipetur , ſeu transferatur jejunium alicujus vigiliæ in pridianum diem ob principale , & ſolemne Feſtum Patroni loci in ipſa vigilia occurrens, non eſt transferendum , nec anticipandum Officium vigiliæ , ſed de ipſa nihil tunc fit in Officio , & Miſſa , *arg. cit. l. Decret. Sacr. Congregat. Rit. num.16.* , & tenent Gavant. ac Merati *tom.2. ſect.3. cap.7. num.3.* Quarti *part.1 tit.3 ſect. 2 dub.2.* ubi concludit , quod non impetrata licentia a Sede Apoſtolica , omittendum ſit tunc Officium cum Miſſa Vigiliæ .

25 Officio vigiliæ , quod tunc erat de feria , addidit Sanct. Pius V. Homiliam in Evangelium , quod in Miſſa legebatur ; Azorius *lib.10. cap.16. quæſt.5.* Gavant. , & Merati *loc. cit. num. 5.*

26 Licet ex dictis ſupra *num.22.* ſi vigilia venerit in Adventu, Quadrageſima , & quatuor temporibus , non ſit facienda de ipſa commemoratio in Officio ; eſt tamen facienda in Miſſa , ut præſcribit *Rubrica Miſſalis tit. de Feria , & Vigilia* . Et ratio diverſitatis eſt , quia cum vigilia habeat Orationem propriam , & non confundatur cum Oratione Feriæ , hinc nulla eſt ratio cur debeat omitti ejuſdem commemoratio in Miſſa , quæ in ſola Oratione conſiſtit . At vero in Laudibus commemoratio involvit etiam Antiphonam , & verſ. Feriæ, deberent repeti , ſi deberet in Officio fieri commemoratio vigiliæ , cum ſemper in tali commemoratione deſumatur Antiphona , & verſus ex feria tunc occurrente , ut recte advertit doctiſſimus P. Merati *tom.2. ſection. 3. cap. 7. num.* 4.
27 Non fit autem commemoratio de vigilia nec in Miſſa in Feſtis primæ Claſſis , ſicut nec fit de ipſa in Officio , textu expreſſo *in Rubrica Miſſalis titul. de Feria , & vigilia numer. 2.* , ibi : *Quod ſi Vigilia occurrat in die alicujus Feſti ex majoribus primæ claſſis , in Miſſa non fit commemoratio de ea , ſicut nec in Officio .*

28 Sic etiam nec fit commemoratio Feſti ſimplicis in Miſſa in Feſtis primæ claſſis , excepta Sanct. Anaſtaſia in 2. Miſſa Nativitatis Domini propter peculiarem rationem , quia nempe ſecunda illa Miſſa in Eccleſia d. Sanctæ Anaſtaſiæ celebratur a Summo Pontifice , & in ejus abſentia a Cardinali habente Titulum Sanct. Anaſtaſiæ ; & in ejus defectu a primo Cardinalium Presbyterorum , ut ex aliis , tradit eruditiſſimus P. Merati *tom.1. part.1. tit.7. num.2.* , & quia ad eamdem Miſſam adſunt Romæ ſtationes in Eccleſia dictæ Sanctæ , ut tradit Micrologus *cap.4. de numero Orationum in Miſſa* , relatus, & ſequutus a d. P. Merati *loc. citat. part.5. tit. 3. numer. 9.* , ibi : *In Nativitate Domini ad Miſſam in mane Romani Orationem de S. Anaſtaſia adjiciunt , quia ſtationem in Eccleſia ejuſdem Martyris ad eamdem Miſſam agunt ; & nos quoque in illa adjectione incitamur , licet non eamdem adjectionis occaſionem habere videamur .* Immo ut refert Grancolas ibi a Merati citatus , extant Miſſalia M. SS. in quibus ſecunda hæc Miſſa tota eſt de S. Anaſtaſia , cum commemoratione Nativitatis; Et in antiquo Codice Turonenſis Eccleſiæ annorum 800. relato a Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina cap. 12.* Collecta de Sanct. Anaſtaſia præmittitur Orationi de Nativitate Domini . Quinimmo antiquiſſimus Codex Parthenonis B. Mariæ Calenſis ab eodem Scriptore laudatur duas habet Præfationes , unam de Nativitate , alteram de S. Anaſtaſia : ex quo fortaſſe conjici poſſet antiquitus ſecundam Miſſam in die Natalis Domini fuiſſe de S. Anaſtaſia , ut refert Grancolas ſupra laudatus .

In vigilia Nativitatis Domini , ſicut in tota ejus octava , 29
prohibentur Miſſæ votivæ , & de Requiem , excepta una ſolemni pro re gravi , & de Requiem cantata præſente Cadavere . *S. Rit. Cong. 28. Aug.1637. 25. Sept. 1708. , & 15. Septembr.* 1714.

In vigilia Epiphaniæ prohibentur Miſſæ votivæ , & de 30
Requiem ; Poteſt tamen cani una votiva ſolemnis pro re gravi , & una de Requiem ſolemnis præſente Cadavere . *Sac. Rit. Congreg. 27. April. 1697. 16. Junii 1708. 10. Decemb. 1718. , & 16. Septemb. 1630.* Dictæ autem Miſſæ ſolemnes cantari poſſunt etiamſi ipſa Vigilia fit die 3. 7. aut trigeſima, & Anniverſarium depoſitionis defuncti in Eccleſia tumulante, & non aliter . *Sac. Rit. Cong.10. Decemb. 1718. Sic ex* Calendario Minorum de Obſervantia Mediolani impreſſo *anno* 1743. , & variis aliis annis .

In vigilia Aſcenſionis feria 4. Rogationum , ſi occurrat 31
Feſtum primæ claſſis , tunc nec in Officio , nec in Miſſa ſit aliquid de ipſa . Unde in tali caſu cantari debet in Cathedralibus , & Collegiatis ſolum Miſſa de dicto Feſto poſt Tertiam , & alia de Rogationibus poſt Nonam , omiſſa illa de vigilia . Si autem in dicta vigilia occurrat aliquod feſtum novem Lectionum duplex ſeu ſemiduplex , tunc Officium fit de eo cum lectione de Homilia vigiliæ , & ejus commemoratione ad Laudes , & cantari debent tres Miſſæ ; Prima de Feſto poſt Tertiam cum colore tali Feſto convenienti : Secunda de vigilia poſt Sextam in paramentis coloris Albi ; Tertia de Rogationibus poſt Nonam in paramentis violacei ac in fine cuiuslibet dici debet Evangelium S. Joannis . Merati *tom.1. part. 4. tit. 11 num.14* cum Gavanto , & aliis ibi cit. Advertendum eſt autem , quod licet occurrente Feſto primæ claſſis in vigilia Aſcenſionis Feria IV. Rogationum , nihil ſit agendum de ipſa tam in Officio , quam in Miſſa : ſi tamen tale feſtum primæ claſſis occurrat in feria 2. Rogationum , quia ipſa eſt *feria major* , debet de ea fieri commemoratio tum in Miſſa , cum ejus Evangelio in fine , tum in Officio , cum ejuſdem nona lectione . Et in hac feria cani debent in Cathedralibus , & Collegiatis duæ Miſſæ , prima de feſto , in qua nulla fit commemoratio feriæ , & ſecunda de feria , in qua nulla fit commemoratio feſti . Non ſic vero de feria III. Rogationum , quia ipſa eſt tantum *Feria minor* ; Unde occurrente in ipſa feſto duplici primæ claſſis , nihil de ipſa agendum eſt in miſſa , tum in Officio . Immo in Officio de ea nihil fit , quocumque in ipſa occurrente feſto etiam ſimplici ; de quo occurrente ſimplici fit Officium ſine commemoratione feriæ , ſed tantum de Cruce , ut Tempore Paſchali . Et tunc miſſa dici poteſt , vel de feſto ſimplici cum commemoratione Rogationum , vel de Rogationibus cum commemoratione feſti ſimplicis , ut dicitur in Rubrica propria , & tertia Oratio erit *Concede* , ac ultimum Evangelium S. Joannis in utralibet . Nec tunc in Cathedralibus , & Collegiatis canendæ ſunt duæ miſſæ , ut reſolvit *Sac. Rit. Cong. 5. Julii 1698. in Collen.* in qua ad ſequens inter alia propoſitum tertium dubium : *An occurrente in Feria tertia Rogationum feſto ſimplici , in Cathedrali , & Collegiatis ſint cantandæ duæ Miſſæ ?* Reſpondit , *Ad 3. Negative* . Sic cum Gavanto , & aliis eruditiſſimus P. Merati *tom.1. part.4. titul. XI. num.11. , 13. , 14.* , & *tom.2. ſect.6. cap. 16. numer. 2. 1.* recte advertendo ex Rubricis miſſalis , & Breviarii magis eſſe privilegiatam Feriam ſecundam Rogationum , & Vigiliam Aſcenſionis in Feria quarta , quam ſit Feria tertia , utpote *Feria minor* , cedens feſto ſimplici , de quo tamen feſto ſimplici nequit fieri Officium in Feria 2. Rogationum , & Vigilia Aſcenſionis communiter nuncupata feria quarta Rogationum . Inſuper habentes Indultum , ut ſemel , vel pluries in ſingulis hebdomadis , aut menſibus dicant Officium , & miſſam verb. grat. de Sanctiſſimo Sacramento , aut certo aliquo Sancto diebus nullo feſto duplici , vel ſemiduplici impeditis, non poſſunt uti hoc ſuo Privilegio in Feria II. , & IV. Rogationum , ſeu Vigilia Aſcenſionis ex Decreto generali Urbis , & Orbis edito *a Sacra Rituum Congregation. 20. Martii*

1736. bene vero in feria tertia Rogationum in dicto Decreto non excepta.

32 In vigilia Pentecoſtes prohibetur quodcumque Officium, etiam primæ claſſis; Item prohibentur miſſæ votivæ, & de Requiem excepta una votiva ſolemni pro re gravi, & de Requiem cantata præſente cadavere, quæ tamen prohibetur in Dominica Pentecoſtes, duobus ſequentibus diebus ex Decreto *Sacra Congregation. Rituum* 10. *Decembris* 1718. relato a ſupradicto Calendario Mediolani impreſſo anno 1743., & variis aliis annis. Vide tamen *tom.* 5. *in Supplement.* verb. *Miſſa artic.* 14. ubi ex noviſſimo Decreto edito 2. Septembris 1741. permittitur miſſa ſolemnis de Requiem præſente cadavere feria 2. Paſchæ, aut Pentecoſtes.

33 Vigilias novas non appoſitas in Calendario Romano non poteſt ordinare Epiſcopus quoad Officium, & Miſſam; ſed requiritur licentia Sedis Apoſtolicæ, ut patet ex Bullis Sancti Pii V, appoſitis in initio Miſſalis, & Breviarii, & ex Decreto Sacr. Rit. Congregation. addito Rubricis Breviarii. Vide etiam verb. *Officium numer.* 67. Neque quod jejunium, ut pluries decrevit Sac. Rit. Congregat. uti videri poteſt ſub verb. *Feſta numer.* 3., & noviſſime *die* 3. *Martii* 1731. ut refert Scarfantonus ad Ceccoperium *part.* 3. *addit.* 24. *ſub num.* 18. *pag.* 69. juxta noviſſimam *edition. Viterbienſ. de anno* 1738. ubi: A Magiſtratu Provinciæ Guipuſcoæ cum mandatis procuræ omnium locorum fuit emiſſum votum jejunandi in Vigilia S. Ignatii Loyolæ, tamquam Patroni principalis illius; Quod cum ſervare renuerit Clerus, propterea Epiſcopus tamquam Legiſlator Eccleſiaſticus illum obligavit ad ejus obſervantiam. At reportavit Clerus Chirographum a Benedict. XIII. quo improbatum fuit illud factum Epiſcopi ſub die 21. Mart. 1729. a quo cum petita fuiſſet oris aperitio, in Sac. Rit. Congregat. die 3. Mart. 1731. ponente Eminentiſſimo Origo fuit denegata, & iterum poſtulato receſſu a deciſis die 15. Sept. Sac. eadem Congreg. ſtetit *in Deciſis*. Sic apud Joan. Baptiſtam Pittonum *Conſtit. ac deciſion. pro Sac. Ritibus tom.* 2. *num.* 2012.

## V I N U M.

1 SOlum vinum ex vite eſt materia apta Conſecrationis; Concil. Carthaginenſ. III. *cap.* 4. Concil. Lateranenſ. *cap. Firmiter*, *de Summa Trinitate*, Concil. Florentin. *ſeſſ. ult. in Decreto unionis* §. *Tertium*, & *Communis Catholicorum*.

2 Unde Cerviſia, & Sicera non eſt apta materia, cum illa fiat ex frugibus, & præcipue ex hordeo, iſta ex pomis.

3 Item apta materia non eſt lac, mel, oleum, balſamum, & ſi-

4 milia. Item apta materia non eſt ſuccus extractus ex pomis, melogranatis, & moris, & hujuſmodi. Item apta materia non

5 eſt agreſtum ex uvis penitus immaturis expreſſum, & acetum, quia illud nondum eſt vinum, & iſtud intelligitur jam

6 ſubſtantialiter corruptum. Item materia apta non eſt aqua ex vite ad modum lacrymæ decidens, quia licet de vite pro-

7 veniat, nihil tamen vini, nec ejus accidentia continet. Item materia apta non eſt vinum adhuc in uvis exiſtens, & non

8 expreſſum, cum potius vim habet cibi, quam potus. Item materia apta non eſt vini vapor, ideſt ſubtilior, & magis ignea ipſius pars, vulgo *Acquavita*, aut *Spirito di vino*, quia nulla

9 fere habet accidentia vino communia. Item materia apta non eſt vinum ita decoctum, & aduſtum ut per decoctionem duæ ipſius partes fuerint conſumptæ, remanente tertia parte denſiori, & dulciori, quia talis tertia pars eſt ſubſtantialiter di-

10 verſa a vino, nec ad potum deſervit, ſed ad cibos condiendos. Item materia apta non eſt vinum in pane imbibitum, quia tale vinum habet potius rationem cibi, quam potus; unde conſecrari nequit ſicuti ſimili de cauſa conſecrari nequit uva, ſeu vinum adhuc in uva exiſtens, & non expreſſum; *Sic Communis Doctorum* quoad omnes ſupra poſitas concluſiones.

11 Apta tamen materia pro Conſecratione eſt vinum miraculoſum, quale fuit illud in Cana Galilææ a Chriſto ex aqua productum, quia ipſum in ſubſtantia eſt ejuſdem rationis, & ſpeciei cum vino de vite expreſſo, ſicuti in ſubſtantia eſt ejuſdem rationis cum pane triticeo panis miraculoſe ex lapide, ſeu alia materia productus.

12 Muſtum immediate ab uvis expreſſum, & non deputatum in caſu alicujus neceſſitatis eſt materia apta, & licita pro Conſecratione; Colligitur *ex cap. Cum omne crimen*, *de conſecrat. diſt.* 2. ubi dicitur, quod in neceſſitate poſſit ex primi botrus in Calice, aqua miſceri, & conſecrari, quod clare demoſtrat, tale muſtum eſſe materiam aptam, & validam, & ex neceſſitate etiam licitam, quia neceſſitas facit licitum, quod alias eſt illicitum; *cap. Quod non eſt licitum* 4. *de Regul. Juris*, *cap. Omnes* 1. *de Feriis*, *cap. Conſuluiſti* 2. *de celebrat. Miſſar. cap. Concilium* 2. *de obſervatione jejun.* cum ſimilibus.

Uno verbo omnia vina de vite modo conſueto extracta, 13
quæ non ſint ſubſtantialiter corrupta, vel notabiliter mutata, ſunt materia apta Conſecrationis; quamvis aliqualiter alterentur, ut ſi calefiant, & modice coquantur, modico aquæ immiſceantur, aut aliquo aromate ad ea conſervanda condiantur. Nec refert, an dicta vina ſint alba, vel rubra, cum utraque 14
ſint vera genimina vitis. Quamvis tamen ubi commode haberi 15
poſſint vina alba, convenientius ſint adhibenda, ut ſtatuit Concilium Mediolanenſe *p.* 1. *tit. Quæ pertinent ad celebrationem Miſſæ*, ibi: „ Quamobrem etiam vino albo, ubi poſſit, tantummodo ad Miſſæ Sacrificium Sacerdotes utantur.

Probabile fortaſſe eſt, quod ſi vinum imbibitum in pane 16
erumpat ſupra panem, aut ſi uva matura pungatur, ita ut erumpat ſuccus quaſi in bullas, ſit materia apta ad Conſecrationem; Sic La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *num.* 436. cum Suarez, & Haunold. ibi citatis, & alii. Et ratio eſt, quia eo ipſo quod vinum erumpat, deſinit eſſe pars talis panis intincti, vel uvæ, & eſt vere demonſtrabile, ſicuti ſi quis videat ſanguinem erumpere e vulnere Pauli, vere dicit, hic eſt ſanguis Pauli. (a).

Item probabilius eſt, quod vinum congelatum ſit materia 17
apta ad Conſecrationem; Silveſter verb. *Euchariſtia* 2. *qu.* 10. Angelus verb. *Miſſa num.* 23. Suarez *diſp.* 45. *ſect.* 1. *verſ. Unde tertio concludo*, Reiffenſtuel *Theol. Mor. tract.* 14. *n.* 14. *q.* 3. *num.* 25. teſtans de communiori Theologorum, La Croix cum Buſemb. & aliis *lib.* 6. *part.* 1. *num.* 434. & alii plures contra Armillam, Ledeſmam, Henriquez, Felicem Poteſt. & alios; Et ratio noſtra eſt, quia vinum congelatum eſt proprium vinum ex vite ſubſtantialiter, & ex natura ſua potabile. & quamvis hic, & nunc propter congelationem non ſit proxime potabile, hoc eſt per accidens; poteſt enim facile per liquefactionem redigi ad formam potabilem; Unde attendendum eſt ad id, quod res eſt per ſe, & ex natura ſua, & non ad id, quod eſt per accidens. Si quis autem ſine ne- 18
ceſſitate in vino congelato conſecraret, peccaret graviter, quia ſine neceſſitate conſecraret in materia aliqualiter dubia, cum ſupra citati Doctores putent eſſe materiam inſufficentem, & invalidam; Unde priuſquam conſecretur, debet liquefieri, vel complectendo Calicem manibus vel ignem, aut calidos pannos applicando; Sicuti Rubricæ Miſſalis *tit. de defectibus in Miniſterio ipſo occurrentibus* præſcribunt eſſe faciendum, ſi poſt Conſecrationem Sanguis congeletur in Calice, ibi: *Si in hyeme Sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis; ſi id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare; Dummodo in Calicem non intret, donec liqueſiat.*

(a) Quæri hic poteſt, utrum ad Euchariſticum Sacrificium perficiendum, uti quis poſſit liquore ex uvis paſſis, vulgo *Zebibo*, expreſſo. Pro cujus rei intelligentia, ſciendum vinum in Æthiopia, cujus ibi magna extat penuria, ita confici: Sumuntur V. C. lib. 4. Zebibi, franguntur, & tonduntur, atque in totidem aquarum frigidarum libras infunduntur: ſex, octo, vel ad ſummum decem horas ea in infuſione relinquuntur: extracto dein Zebibo, ac panno ab aqua exteriori expurgato, panno ſtringitur, vel torculari ſubjicitur. Dubium eſt, an liquor inde expreſſus materia ad conſecrationem apta ſit cenſenda. Hujuſmodi dubium propoſitum fuit Congregationi S. Officii a P. Joſepho de Hieruſalem Ord. Min. Strict. Obſerv. Miſſionibus Æthiopiæ Præfecto, die 4. Februar. 1703. coram Sanctiſſimo, qui auditis votis, &c., mandavit exquiri, quo præciſe modo conficiatur præfatum vinum. Poſtea die 6. Jul. 1706. eadem in Congregatione, præmiſſa explicatione, propoſitum iterum fuit dubium, ac *lectis quoque relationibus*, & *rationibus Patris Joannis Damaſceni Conſultoris*, *necnon variis experimentis factis pro eruendo dicto vino*, *Sanctiſſimus auditis votis Eminentiſſimorum*: dixit: *Licere*, *dummodo liquor extrahendus a Zebibo*, *vel uvis paſſis ex colore*, *odore*, & *guſtu dignoſcatur eſſe verum vinum*.



19 Sine vino nunquam licet conſecrare ſolum panem; Conſecratio enim utriuſque ſpeciei panis, & vini eſt de neceſſitate præcepti Divini; Vide verb. *Sacrificium a num.* 50. *ad* 52. Falſum enim, & fabuloſum eſt, quod Innocentius VIII. diſpenſaverit cum Norvegis, ut in una tantum ſpecie conſecrarent; Vide *ibid. num.* 53. & 54.

21 Guttæ vini exiſtentes intra Calicem diſcontinuæ & a reliquo vino ſejunctæ probabiliter non remanent conſecratæ; Suarez *diſp.* 43. *ſect.* 6. §. *Sed objices*, Reginald. *lib.* 29. *cap.* 2. Gavantus *in Rubric. Miſſalis part.* 3. *tit.* 7. *num.* 4. Madernus *tract.* 2. *de Sacramento Euchariſtiæ qu* 2. *art.* 4. *n.* 15. Cacheranus *tract.* 9. *de Euchariſt. ut Sacramento cap.* 2. §. 6. *num.* 126. Felix Poteſtas *tom.* 3. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 227. & alii contra Bonacinam *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. *propoſit.* 2. *n.* 7. Coninch. Tolet. Rodriquez ab ipſo citatos, & alios; Et ratio noſtra eſt, quia intentio legitima Sacerdotis fertur ſolum in materiam exiſtentem in Calice demonſtrabilem per pronomen *Hic*, & licite conſecrabilem; Licite autem eſt ſolum conſecrabile vinum aqua commixtum, cum hoc ſub gravi præcipiatur ab Eccleſia, ut mox dicetur, qua aqua non cenſentur commixtæ guttæ vini intra Calicem exiſtentes diſcontinuæ, & a reliquo vino ſejuncta, adeoque

22 &c. Advertendum tamen eſt, quod guttæ illæ vini, ſi ante Conſecrationem inadvertenter non fuerint abſterſæ, non dben poſt Conſecrationem abſtergi propter probabilitatem, quod ſint conſecratæ juxta opinionem ſupradictorum Doctorum.

23 Vino conſecrando admiſcenda eſt aqua, *c. In Sacramentorum* 1. *cap. Sicut in ſacrificando* 2. *cap. Non oportet* 4. *cap. In Sacramento* 5. *cap. Cum omne* 7. *cap. In Calicem* 83. *diſt.* 2. *de conſecr.* cum ſimilibus, Conc. Floren. *in Decreto Unionis*, §. *Tertium*, Conc. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 7.

24 Vino conſecrando admiſcenda eſt aqua ob tres potiſſimum rationes, quas adducit Conc. Trid. *cit. ſeſſ.* 22. *cap.* 7. præciſis his verbis: „ Monet deinde Sancta Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miſcerent, tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua ſimul cum Sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & cum aquæ in Apocalypſi Beati Joannis populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto unio repræſentatur. Et concordat Concil. Florent. *loc. cit.* & *cit. c. In Calicem* 83. *diſt.* 2. *de conſecr. c. Cum Marthæ* 6. *de celebrat. Miſſarum*, cum ſimilibus.

25 Præceptum de aqua miſcenda vino conſecrando eſt tantum Eccleſiaſticum, & non divinum. *Communis*, & clare patet ex illis mox adductis verbis Concilii Tridentini: *Præceptum eſſe ab Eccleſia*.

26 Vinum pluſquam aqua in Calice pro Sacrificio eſt ponendum: *cap. Perniciosus* 13. *de celebratione Miſſar.* Vinum quippe cum aqua miſcendum debet eſſe plus ſaltem quoad duas partes. Concil. Tribur. 1. *cap.* 19. & concordant Rubricæ Miſſalis, *tit.* 7. *de Offertorio*, ubi præcipitur, quod Sacerdos infundat *parum aquæ in Calice*, & Concil. Florentin. *in cit. Decreto Unionis* §. *Tertium*, dicit, quod vino *ante Conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet*.

Aqua mixta vino non convertitur immediate in Sangui- 27
nem Chriſti, ſed ſolum mediate, ideſt convertitur prius in vinum, & eo mediante per conſecrationem in Sanguinem. Sic expreſſe S. Thomas *part.* 3. *qu.* 74. *art.* 8. S. Bonaventura *in* 4. *diſt.* 11. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 3. Scotus *in* 4. *diſt.* 11. *q.* 7. cum omnibus Thomiſtis, & Scotiſtis, ac pluribus recentioribus contra plures alios; Et ratio noſtra eſt, quia ſolum vinum ex vite eſt materia apta Conſecrationis: ex Concil. Carthaginenſ. III. *cap.* 24. Conc. Lateranenſ. *in cap. Firmiter*, *de Summa Trinitate*, Concil. Florentin. *ſeſſ. ultim. in Decreto unionis*; Atqui aqua nondum converſa in vinum non eſt vinum ex vite, immo nullatenus vinum, ergo &c. Hinc Innocentius III. *in cap. Cum Marthæ* 6. *de celebrat. Miſſar.* §. *Quæſiviſti*, rejectis duabus aliis ſententiis, videtur aperte aſſerere, noſtram opinionem aſſerentem aquam prius in vinum converti eſſe probabiliorem. Et idem Innocentius III. *lib.* 4. *de Altaris Myſterio cap.* 31. expreſſius ſuam mentem in hoc explicat præciſis his verbis: „ Quibuſdam vero non abſurdum videtur, quod aqua cum vino tranſit in ſanguinem ea videlicet ratione, quod aqua per admixtionem tranſit in vinum: & vinum per Conſecrationem tranſit in Sanguinem; Quis enim ambigeat aquam in vinum tranſire, cum multo vino modicum infunditur aquæ „? Et Catechiſmus Romanus *de Euchariſtia cap.* 4. tradit, hanc opinionem de converſione aquæ in vinum eſſe Scriptorum Eccleſiaſticorum teſtimonio roboratam.

Si venditor vini nequit conſequi juſtum ejus pretium vel 28
ex quo ſit injuſte taxatum, vel ex quo emptores ob ſuam iniquitatem nolint juſto pretio emere, poteſt ipſi infundere modicam aquam ad ſe reddendum indemnem; Dummodo nullum damnum ſequatur emptoribus; Vide verb. *Emptio art.* 3. *n.* 26.

Item ſi emptores abhorreant a vino nimis meraceo, vel 29
rigido emendo, ut niſi aqua aliquantulum temperetur, non appareat emptoribus ejus præſtantia, & juſtus valor, & ideo venditor cogatur minoris juſto pretio vendere, vel omnino repellatur, tunc poteſt venditor aliquantulum aquæ ipſi infundere ad reddendum ipſum tenuius, & ſuavius, & ſe reddendum indemnem; Dummodo emptoribus nullum omnino ſequatur damnum, & venditor tantum minuat de pretio vini, quantum auget de aqua. Vide *ibid. num.* 27. (Vide etiam notam ibidem appoſitam.)

Vinum dicitur ſpurcari per mixtionem aquæ, Gloſſa 30
Marginal. *in l. Si Servus*, *ff. Ad Legem Aquil.* Urſaya *in* 2. *Miſcellan. Sacro*, & *profano litt. V. n.* 39.

Vinum terræ ſanguis appellatur ab Androcyde penes 31
Plinium *lib.* 14. *c.* 5. quem ſequutus fuit Raynald. *tom.* 2. *cap.* 15. §. 2. *n.* 120. Urſaya *Inſtit. Crimin. lib.* 3. *tit.* 1. *n.* 71. & 1. *Miſcellan. Sacr.* & *profan. litt. V. n.* 117.

Alia de vino, & aqua pro Sacrificio Miſſæ. Vide verb. 32
*Miſſa art.* 8.

Et hic ad eruditionem adverte quantum ſit pondus, tum vi- 33
ni, tum aquæ, tum farinæ & aliorum, prout traditur ab eruditiſſimo P. Tirino *Comment. in S. Script. pag.* 1. *in princip. tit. de menſuris, ſeu vaſis*; ubi hæc habentur.

| | | |
|---|---|---|
| Sextarius Romanus plenus farina non ponderat niſi | uncias | 9. |
| Idem plenus oleo ponderat | uncias | 18. |
| Plenus Frumento ) Italico, vel Belgico | uncias | 15. |
| Plenus Frumento ) Palæſtinæ, & Aſiatico | uncias | 20. |
| Plenus Aqua, Vino, Aceto (horum enim æquale eſt pondus) | uncias | 20. |
| Plenus Melle | uncias | 30. |
| Stanno | uncias | 150. |
| Ferro fere | uncias | 162. |
| Ære cupreo | uncias | 182. |
| Argento | uncias | 208. |
| Plumbo | uncias | 233. |
| Argento vivo | uncias | 300. |
| Auro | uncias | 375. |

Talis enim eſt proportio inter hæc metalla: Licet Plinius lib. 33. cap. 3. putavit (ſed falſo) aurum non eſſe omnium ponderoſiſſimum. Hæc ille.

Gabella vini vulgo *della foglietta* non eſt ſolvenda a ven- 34
dentibus vinum in Civitate Lauretana, niſi venditores ſint Caupones, vel ut dicitur *diano da mangiare*. Nec huic re-

ſolutioni obſtat Conſtitutio Clementis VIII. ſuper extinctione recentiorum victualium; *Sacr. Congr. Immun. in Lauretana* 18. *Julii* 1629. *lib.* 1. *Decret. Paul. pag.* 145.

35 Clerici, & Eccleſiaſtici vendentes vinum recollectum in propriis bonis minutatim in ſuis Domibus non tenentur ad Gabellam vulgo dictam *della foglietta*, & cognitio fraudum, quæ deſuper fieri poſſunt, ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum. *Sacr. Congr. Immunit. in Ravennaten. Spoletana, & aliis* 25. *Septembr.* 1627. *lib.*1. *Decret. Paul. pag.* 67. *in Nolana* 26. *Januarii* 1644. *lib.*3. *Decretal. Pauluc. pag.* 218. *in Theatina* 15. *Martii* 1661. *lib. Decretal. Rocci pag.* 323. *& in Faventina* 25. *Januarii* 1677. *lib.* 2. *Decret. Alt. pag.* 1338.

36 Sacra Congreg. inhærendo Decretis alias factis cenſuit, perſonas Eccleſiaſticas, tam Sæculares, quam Regulares vendentes vinum minutatim in propriis locis, & domibus, recollectum in eorum bonis, non teneri ad ſolutionem Gabellæ etiam vigore Conſtitut. Sixti V. dummodo ibidem non dent, ut vulgo dicitur *da mangiare*, *e non facciano bettole*, a quibus debent abſtinere ratione honeſtatis Clericalis; cognitionem autem fraudum, quæ deſuper committi poſſunt, ſpectare ad Judicem Eccleſiaſticum. *Sacra Congr. Immunit. in Aſculana* 23. *Januarii* 1646. *lib.* 3. *Decretal. Paul. p.* 268.

37 Eccleſiaſtici non tenentur ad ſolutionem gabellæ dictæ *della Foglietta*, pro vino vendito in propriis domibus minutatim, & recollecto in eorum bonis, cum Communitas nunquam appaltaverit d. Gabellam juxta præſcriptum Bullæ Sixti V. ſed ſolum juxta quædam Capitula Communitatis. *Sacr. Congr. Immunit. in Auximana* 2. *Aprilis* 1680. *lib.* 2. *Decretal. Alt. pag.* 1594.

38 Item non tenentur ad gabellam pro vino minutatim vendito; & pignus deſuper factum eſt iis reſtituendum. *Sacra Congreg. Immunit. in Callien.* 1. *Aprilis* 1704. *lib.* 3. *Decret. Vallem. pag.* 568.

39 An Eccleſiaſtici vendentes vinum minutatim poſſint permittere, ut ementes bibant vinum emptum, dum degunt in eorum Cellis vinariis, ſeu Anditis, & ibi manducent res comeſtibiles per ipſos emptores ſecum latas, Sac. Congr. reſpondit: Serventur Litteræ *Sacræ Congregation. Sublevaminis ſub die* 4. *Junii* 1656. *in Tudertina*, quibus hoc cavetur, & dicitur eſſe facere (ut vulgo ajunt) Bettulam; *Sacra Congregatio Immunit. in Faventina* 5. *Martii* 1697. *libr.* 2. *decretal. Valleman. pag.* 78. *in Tolentina* 15. *April.* 1699. *ibi pag.* 215. *in Firmana* 19. *Auguſti* 1704. *libr.* 3. *Decretal. Vallemani pag.* 605.

40 Quare Eccleſiaſtici, vel ſe abſtineant a venditione vini minutatim cum permiſſione ementibus manducandi, vel ſolvant gabellam dictam *della foglietta*; *Sacra Congr. Immun. in Camerinen.* 4. *Decembris* 1680. *lib.*2. *Decret. Altovit. pagin.* 2105.

41 Vinum Eccleſiaſticorum non poteſt vendi in caupona ſine ſolutione gabellæ dict. *della foglietta*; *Sacra Congregatio Immun. in Senogallien.* 12. *Julii* 1678. *lib.* 2. *Decret. Altovit pag.* 1612.

42 Pro vino recollecto in propriis bonis, quod Canonici Lateranenſes faciunt vendere in domo per eos conducta, ſolvi non debet gabella dicta *della foglietta*, ſi ibi non vendantur comeſtibilia ad edendum; *Sacra Con. Immun. in Ravennaten.* 10. *Decembris* 1638. *liber* 3. *Decret. Paul. pagin.* 81.

43 Vinum, quod ab Eccleſiaſticis traditur ad vendendum, aſſignata certa mercede ei, qui curam habet vendendi, debet eſſe omnino exemptum a quacumque gabella vino impoſita; *Sacra Con. Immunit. in Ulixiponen* 1. *Decembris* 1638. *libr.* 3. *Decret. Paul. pag.* 82.

44 Canonici non tenentur ad gabellam pro eo, quod minutatim vendant vinum abſque comeſtibilibus; *Sacra Congr. Immun. in Lauretana* 27. *Junii* 1654. *liber* 2. *decret. Paul. pagine* 193.

45 Perſonæ Eccleſiaſticæ ſive vendentes, ſive ementes Vinum minutatim, non comprehenduntur ſub gabella impoſita vendentibus, & ementibus Vinum: *Sacra Cong. Immunit. in Nolana* 12. *Julii* 1649. *libr.* 4. *decret. Paul. pag.* 113.

46 Gaudere debent exemptione a gabella vini, tam perſonæ Eccleſiaſticæ vendentes, quam ementes ab illis; *Sacra Cong. Immunit. in Taurin.* 11. *Septemb.* 1634. *libr.* 2. *Decret. Paul. pag.* 202. *in Converſana* 14. *Januarii* 1653. *libr.* 5. *decret. Paul. pag.* 5.

47 Taxatio quotæ exemptionis, ſeu franchitiæ ſuper oneribus vini, & Moliruræ ſingulis Eccleſiaſticis aſſignandæ non ſpectat ad Judices Laicos, nec cognitio controverſiarum, quæ illorum occaſione oriri poſſunt, ſed ad Judicem Eccleſiaſticum, prævio tamen Beneplacito Apoſtolico: taxatio inſuper Vini, & frumenti non eſt facienda pro ſingulis tantum Eccleſiaſticis, ſed etiam pro omnibus, qui vivunt expenſis Eccleſiaſticorum; *Sac. Cong. Immun. in eadem Taurinen.*

48 Rata, ſeu portio vini ſpectans ad Eccleſiaſticos eſt dumtaxat exempta ab oneribus; Cognitio vero ſuper hujuſmodi portione ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum: Ad obviandas fraudes committendas ab Eccleſiaſticis quarum cognitio ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum, pro opportuna proviſione prohibere poteſt Eccleſiaſticis, ne recipiant in propriis Cellis vinariis Vinum Laicorum, nec proprium vinum reponant in Cellis vinariis Laicorum; *Sacra Congreg. Immun. in eadem Taurinen.*

49 Vina recollecta in Feudis Eccleſiaſticis excipiunt ab oneribus; *Sacra Congr. Immunit. in eadem Taurinen.*

50 Perſonæ Eccleſiaſticæ gaudent exemptione a gabella Vini, dummodo non adſit fraus; *Sacra Congreg. Immun. in Januen.* 9. *Aprilis* 1647. *lib.* 4. *Decret. Paul. p.g.* 10.

51 Bannimenta Laicalia ſuper venditione Vini non poſſunt comprehendere Eccleſiaſticos; *Sacra Cong. Immun. in Lycien.* 30. *Junii* 1632. *lib.* 2. *Decretor. Paul. pag.* 130.

52 Abſque ſolutione ullius gabellæ Epiſcopus poteſt vendere Vinum propriæ Menſæ; dummodo nihil indecens intercedat; *Sacra Cong. Immun. in Aſculana* 5. *April.* 1672. *lib.* 1. *Decr. Alt. pag.* 677.

53 Epiſcopus tueatur jura Eccleſiaſticorum vendendi vinum minutatim recollectum in eorum bonis, vel in propriis domibus, vel in apothecis in Civitate ad hunc effectum electis, & per Laicos ad hunc effectum deputatos, contra Edictum Gabellariorum prohibens cuicumque recipere vinum ad effectum vendendi ſine eorum licentia; *Sacra Congr. Immun. in Callien.* 14. *Aprilis* 1693. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 37.

54 Eccleſiaſticus Faventinus introducens Ravennam proprium vinum, partim per aquam, partim per viam terræ, tenetur tantum ad gabellam vini introducti per aquam; *Sacra Cong. Immun. in Faventina* 20. *Novembr.* 1585. *lib.* 3. *Decr. Alt. pag.* 509.

55 Eccleſiaſtici medio eorum juramento aſſignent quantitatem vini recollecti per ipſos in propriis bonis, & deinde conſignent atteſtationem mulioni de vino, quod extrahetur, ad evitandas fraudes; *Sacra Cong. Immun. in Faventina* 4. *Maii* 1688. *lib. Decret. Martell. pag.* 282.

56 Denegatur facultas petita, quod Eccleſiaſtici teneantur conſignare notam vini deputato Civitatis, ad effectum illud appretiandi, etiamſi adſint conditiones, quod pretium debeat eſſe juſtum, & Eccleſiaſtici non teneantur ſolvere gabellam, & etiamſi una cum Ordinario conſenſerint; *Sac. Cong. Imm. in Salernitana* 26. *Februar.* 1636. *lib.* 2. *Decr. Paul. pag.* 245.

57 Quo ad exemptionem a gabella vini, ut dicitur *a minuto*, danrur D. Nuncio Litteræ adinſtar earum, quæ datæ fuerunt Epiſcopo Lucano ſub die 26. Nov. 1655. quibus ei injungebatur, ut prohiberet Regularibus ſuæ Juriſdictionis, ne venderent comeſtibilia, ſive cocta, ſive cruda, ſæcularibus quovis prætextu ſub pœnis ſibi beneviſis; *Sacra Con. Immun. in Neapolitana* 12. *Martii* 1695. *lib.* 1. *Decret. Val. pag.* 177.

58 Valde attendendi ſunt ad rem ſequentes Sacræ Scripturæ textus, videlicet: Qui ſuavis eſt in vini demorationibus, in ſuis munitionibus relinquit contumeliam; *Proverb. cap.* 12. *num.* 11. Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas; quicumque his delectatur, non erit ſapiens; *Proverb. cap.* 20. *num.* 1. Qui amat vinum, & pinguia non ditabitur; *Proverbi cap.* 21. *num.* 17. Cui væ? Cujus patri væ? cui foveæ? cui ſuffoſſio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino & ſtudent calicibus epotandis? *Proverb. cap.* 23. *num.* 29. *&* 30. Ne intuearis vinum, quando flaveſcit; cum ſplenduerit in vitro color ejus, ingreditur blande, ſed in noviſſimo mordebit ut Coluber, & ſicut Regulus venena diffundet; *Proverb. capit.* 23. *numer.* 31. *&* 32. Noli Regibus, o Lamuel, noli Regibus dare vinum, quia nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas, & ne forte bibant, & obliviſcanrur judiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis; *Proverb. capit.* 31. *numer.* 4. vinum novum, amicus novus; Veteraſcet, & cum ſuavitate bibes illud; *Eccleſiaſtici capit.* 9. *numer.* 15. vinum, & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos; *Eccleſiaſtici cap.* 19. *num.* 2. Quam ſufficiens eſt homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non ſenties dolorem; *Eccleſiaſtici cap. num.* 22. Diligentes in vino noli provocare; moltos enim exterminavit vinum; *Eccleſiaſtici cap.* 31. *num.* 30. Exultatio Animę, & cordis vinum moderate potatum; *Eccleſiaſtici cap.* 31. *n.* 36. Sanitas eſt animæ, & corpori ſobrius potus; *Eccleſiaſt. c.* 31. *num.* 37. vinum multum potatum, irrationem, & iram, & ruinas multas facit; *Eccleſiaſt. c.* 31. *num.* 38. Amaritudo animæ vinum multum potatum; *Eccleſiaſt. cap.* 32. *num.* 39. vinum, & muſica lætificat cor; *Eccleſiaſt. cap.* 40. *num.* 20. Et vinum lætificat cor hominis; *Pſalm.* 103. *num.* 15. Hi quoque præ vino neſcierunt, & præ ebrietate erraverunt; Sacerdos, & Propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt a vino, erraverunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignoraverunt judicium; *Iſaiæ cap.* 28. *n.* 7. Bonum eſt non bibere vinum; *Ad Romanos cap.* 14. *num.* 21. Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe ... non vinolentum; 1. *ad Timoth. cap.* 3. *num.* 3. *& ad Titum cap.* 1. *num.* 7. Et Diaconos ſimiliter ... non multo vino deditos; 1. *ad Timoth. cap.* 3. *n.* 8. Anus ſimiliter ... non multo vino ſervientes; *ad Titum cap.* 2. *num.* 2. Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere, propter ſtomachum tuum, & frequectes tuas infirmitates; 1. *ad Timoth. cap.* 5. *num.* 23.



## V I O L E N T I A.

Vide verb. *Conſervatores art.* 2. *num.* 5. *&* 6.

## V I R.

Vir extra Paradiſum fuit formatus mulier vero intra Paradiſum. *Geneſ. cap.* 2. & *cap. Illud* 9. *diſt.* 40. ibi:
1 *Illud autem animadvertere, quod extra Paradiſum vir factus eſt: intra Paradiſum Mulier, ut advertat, quod non loci, non generis nobilitate, ſed virtute unuſquiſque gratiam comparat ſibi. Denique extra Paradiſum (hoc eſt in inferiore loco) vir factus, melior invenitur, & illa, quæ in meliori loco (hoc eſt in Paradiſo) facta eſt, inferior invenitur.*

Viri in principio Mundi acceperunt ſorores in Uxores; *cap. Cum igitur* 1. *cauſ.* 35. *q.* 1.

2 Vir circa uxorem peccat graviter præſertim in octo caſibus. Primo, quando ſine juſta cauſa illam retrahit ab im-
3 pletione, & obſervaatia præceptorum, quæ obligant ſub mortali. Secundo quando illi permittit peccare mortaliter, & non corrigit, cum debeat, & poſſit. Tertio, quando ante elapſum bimeſtre, vi ab invita uxore obtinet copulam. Quarto, quando ſine juſta cauſa denegat Uxori petenti debitum conjugale. Quinto, quando ex levi cauſa illam graviter percutit, & animo injuriandi afficit verbis valde ignominioſis. Sexto, quando diſſipat ejus dotem, & etiam ſuum patrimonium in ejus grave præjudicium, vel non laborat, cum laborare juxta ſuam conditionem poſſit, & alias ejus labor ad uxoris ſuſtentationem ſit neceſſarius. Septimo, ſi datam ei fidem Matrimonialem violet. Octavo, ſi eam aliquo morbo contagioſo per copulam ab ipſa invita extortam inficiat. *Sic Doctores communiter.*

4 Vir ab uxore, & e contrario uxor a viro ad maritale conſortium ſeverioribus Canonum remediis cogi poteſt: *c. Litteras* 13. *de reſtitut. ſpoliat. cap. Ex publico* 7. *de converſ. conjug. cap. Non eſt* 11. *de Sponſalib. & Matrimon. & c. Pervenit.* 5. *de conjugio Leproſor. & Sacr. Con. Concil.* 10. *Septem.* 1695., & Benedict. XIV. Conſtitut. incip. *Paſtor. Bonus* §. 50.

5 Alia ad rem. Vide verb. *Adulterium*, verb. *Bona*, verb. *Conjuges*, verb. *Debitum conjugale*, verb. *Delectatio moroſa* verb. *Divortium*, verb. *Dominium*, verb. *Dos*, verb. *Affinitas*, verb. *Impedimenta Matrimonii*, verb. *Luxuria* verb. *Maritus*, verb. *Matrimonium*, verb. *Tactus*, verb. *Uxor.*

## VIRGA PŒNITENTIARIORUM.

Quoad Virgam Pœnitentiariorum datur hic ad literam Conſultatio vigeſima ſecunda tomi primi D. Jacobi Pignatelli, ut ſequitur.

## C O N S U L T A T I O XXII.

*An Canonicus Pœnitentiarius in Cathedrali Eccleſia uti poſſit virga, ſive ut ajunt, bacchetta?*

1 Non poteſt. Quia eſt præjudiciale Pœnitentiariis Eccleſiarum Patriarchalium Urbis, & novitatis introductivum. Quippe qualibet Cathedralis poterit ſibi tamquam licitum arrogare quod in ſimili Romæ geſtum fuerit. Non enim talis Canonicus Pœnitentiarius eſt Pœnitentiarius D. Papæ, ſed inſtitutus ad obſervationem Decreti Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 8. *de reform.* Cum autem tenere virgam in manibus ſit ſignum ſupremæ auctoritatis, unde ſolus Summus Pœnitentiarius illam tenet, eoque præſente minores Pœnitentiarii virgam dimittut: ideo concedi non debet cuicumque Pœnitentiario cujuslibet Eccleſiæ, ſed ſolum illis, qui immediate ſunt Pœnitentiarii Summi Pontificis.

2 Accedit reſolutio Sacræ Congr. ſuper cauſa *Abulentium anno* 1587 *die* 21. *Aprilis*. Quæſitum enim fuerat, an Canonicus Pœnitentiarius teneretur auſcultare Confeſſiones etiam non reſervatorum? An ſedere, & aſſiſtere in ſede determinata ſtatis temporibus, & horis ante, & poſt meridiem? An deberet tenere virgam in manu, ſicuti ſervatur in Patriarchalibus Urbis? Et reſponſum fuit affirmative ad duo priora quæſita; ad tertium autem, novas conſuetudines non eſſe inducendas. Idem quoque declaravit *Sacra Congr. Epiſcop. & Regular. die* 16. *Maii* 1595. *in una Neopolitana* per hæc verba: *Che ſenza privilegio Apoſtolico non poſſono i Confeſſori tener in mano le bacchette, come fanno i Penitenzieri di Roma.*

3 Quare cum ſit contra uſum totius Eccleſiæ, nuſquam enim tales Pœnitentiarii virgam tenent, contra conſuetudinem & rationem permitti non debet, prout non permitti decrevit *Sacra Congr. Concilii in una Romana Pœnitentiarii Lateranenſis die* 13. *Novembris* 1639. de qua teſtatur Dominicus Andolphinus Parochus S. Luciæ ad Apothecas, vir pius, & Eccleſiaſtica eruditione apprime imbutus.

4 Major Pœnitentiarius poteſt concedere Indulgentiam centum dierum omnibus Chriſtifidelibus qui ipſi pœnitentiali Virga tangendos ſe ſubmiſerint. Innocent. XII. Conſtit. incip. *Romanus Pontifex*.

## V I R T U S.

1 Virtus generatim capta, eſt cujuſque rei vigor bonaque diſpoſitio quæ ſubjectum, cui ineſt, in ſuo genere bonum, perfectumque, ejuſque operationem aliquam excellentem reddit. Sic v. g. oculi virtus, eſt bona ac perfecta videndi acies, equi virtus eſt facilitas, & promptitudo currendi, ac portandi. hominis virtus eſt bonus habitus, ex quo & bonus homo ipſe efficitur, & bonum ejus opus reddit; Unde Ariſtotel. 2. *Ethic. c.* 9. definit: *Virtus eſt, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit.*

2 Virtus ſpecifice, & proprie capta, prout reperitur in ſola ſubſtantia intellectuali, & non in brutis, aut rebus inanimatis, eſt habitus perficiens ſubſtantiam intellectualem, & ad bonam rectamque operationem inclinans. *Sic in re Doctores communiter.*

3 Et hæc Virtus tripliciter dividitur, videlicet ex parte ſubjecti in virtutes intellectuales, & morales; ex parte cauſæ efficientis in infuſas, & acquiſitas, & ex parte objecti in Theologicas, & morales. *Ita Doctores communiter.*

4 Virtutes intellectuales ſunt illæ, quæ intellectum, in quo ſubjectantur perficiunt in cognitione veri, & tales juxta Ariſtotilem 6. *Ethic. c.* 3. ſunt quinque, nempe Intellectus
5 Scientia, Sapientia, Prudentia, & Ars, quibus addi poteſt Fides infuſa & Theologica quam Philoſophus ignoravit. Virtutes morales ſunt illæ, quæ hominis voluntatem in qua ſubiectantur, perficiunt in affectione ad bonum honeſtum, & tales ſunt Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, & Temperantia ſub quibus aliæ continentur, vel ad illas reducuntur; Prudentia enim quamvis eſſentialiter ſit virtus intellectualis, eſt tamen dux, & Regina omnium Virtutum moralium. Vide *infra num.* 96.

6 Virtutes infuſæ, ſeu ſupernaturales ſunt illæ, quæ nequeunt per potentiam naturalem comparari, ſed ex natura ſua intrinſeca poſtulant infundi, ſicque nobis a Deo immediate infunduntur, ut ſunt habitus Fidei, Spei, & Charitatis, qui etiam

etiam parvulis in Sacramento Baptiſmi divinitus infunduntur, ex Concil. Trident. *ſeſſ. 6. cap.7.* ibi: „ In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, Fi-
7 „ dem, Spem, & Charitatem „. Virtutes acquiſitæ, ſeu naturales ſunt illæ, quæ ex natura ſua poſſunt phyſice acquiri ab ipſa potentia per frequentationem actuum, & de facto noſtris frequentatis actibus comparantur, & acquiruntur, ut ſunt habitus Humilitatis, Temperantiæ, Manſuetudinis, & hujuſmodi; Unde Philoſophi dicunt, quod *ex frequentatis actibus fit habitus*.

8 Virtutes Theologicæ, ac ſupernaturales ſunt illæ, quæ immediate, & principaliter verſantur circa Deum tamquam objectum *quod*, & formale, & tales ſunt Fides, Spes, & Charitas; Iſtæ enim ſolæ habent Deum pro objecto primario, quod creditur, quod ſperatur, quod diligitur, & etiam habent ipſum, ejuſque attributum pro objecto motivo, ſeu
9 formali *quo*. Virtutes morales, ac naturales ſunt illæ, quæ principaliter verſantur circa aliquod objectum creatum tamquam objectum formale, & terminativum quoad dirigendos mores, & moderandos affectus animi noſtri juxta dictamen rectæ rationis, & tales ſunt Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, & Temperantia, ſub quibus reliquæ omnes virtutes morales, vel tamquam *partes ſubiective*, vel *potentiales*, & *integrales* comprehenduntur.

10 Unde Virtus Theologica ut ſic recte deſcribitur, quod *ſit habitus ſupernaturalis a Deo infuſus elevans animam, ut immediate feratur in Deum tamquam obiectum; Ita in re Communis Doctorum*.

11 Et Virtus moralis, ut ſic recte definitur, quod *ſit Habitus electivus in Mediocritate conſiſtens quoad nos determinata ratione, prout ſapiens definierit*; Ita Ariſtoteles 2. *Ethic. cap.6.* Scotus *in 3. diſt. 36. quæſt. unic. §. Dicitur*, & alii communiter. Ubi per ly *Habitus electivus* intelligitur Habitus voluntatis, cum ipſa voluntas ſoleat appellari Potentia electiva, & per ly *In mediocritate conſiſtens &c.* intelligitur, quod ad rationem Virtutis requiritur Mediocritas a recta ratione prudentis præfinita.

12 Hinc currit illud vulgatum, quod *Virtus in medio conſiſtit;*
13 *Vitia autem ad extrema tendunt*. Vitium enim, prout opponitur virtuti, eſt Habitus electivus a Mediocritate declinans, ſive eſt habitus inclinans in actus contra præſcriptum rectæ rationis: Sicut enim virtus reddit habentem bonum, & ejus opus bonum, ita e contra vitium reddit habentem malum, & ejus opus malum. Vide *infra num. 93. & ſeq.*

14 Tunc autem formaliter, & ſecundum ſe *Virtus in medio conſiſtit, & vitia ad extrema tendunt*; quando ipſemet habitus inter duos extremos habitus vitioſos ſibi oppoſitos verſatur. Sic Liberalitas mediat inter Avaritiam, & Prodigalitatem, nam quodlibet horum vitiorum extreme opponitur Liberalitati; Avaritia quidem per defectum, ſumptus etiam neceſſarios non faciendo; Prodigalitas vero per exceſſum expendendo bona ſua in ſumptus non neceſſarios; Unde, ut vides, Vitia ad extrema tendunt, nempe ad exceſſum, & defectum; virtus vero amat, & conſectatur id, quod inter utrumque dictum extremum medium eſt, ſive mediocre. Sit aliud exemplum. Qui facile omnia metuit ubi, & quando non oportet, nihilque aggredi audet, is per defectum eſt vitioſus *Timidus*; Qui vero omnia aggredi audet, etiam ubi, & quando non oportet, nihilque timet, ſuper exceſſum eſt vitioſus *Audax*; Inter ipſos autem extreme oppoſitos vitioſos mediat virtuoſus *Fortis*, declinans ab utroque extremo, & medium terens, metuendo ſcilicet, & non metuendo, aggrediendo aliquid, & non aggrediendo, ubi, & quando oportet ſecundum rectam rationem; Et ſic de aliis.

15 Virtutes quoque Theologicæ ex parte actus, ſeu exercitii earum conſiſtunt in medio; In exercitio enim ipſarum poteſt dari tum exceſſus, tum defectus. Exceſſus quidem in Fide credendo aliquid Deo convenire, quod non convenit. In Spe ſperando, ſeu potius præſumendo Beatitudinem conſequi ſine meritis, aut ex propriis viribus. In Caritate diligendo Deum actione indebita, prout fieret, ſe ipſum ob amorem Dei putativum interficiendo, aut eidem immolando filium ſuum. Defectus autem in ipſis dari poteſt, & de facto datur, non credendo, ſperando, vel diligendo prout debet tempore urgentis præcepti, ſed diſcredendo pertinaciter, deſperando, Deum odio habendo; Unde ille vere Virtutibus Theologicis eſt inſtitutus, atque ornatus, qui prout debet, credit, ſperat, & diligit declinando ab utroque dicto extremo exceſſus, & defectus, juxta illud *Iſajæ 38. Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dextram* (ſcilicet per exceſſum *neque ad ſiniſtram*,) videlicet per defectum.

16 Virtutes Theologicæ ſunt tantum tres, nempe Fides, ſpes & Caritas. *Communis*, & habetur clare ex Apoſtolo 1. *ad Corinth. cap.*13. ubi has tres ſolum ennumerat. *Nunc autem manent Fides, Spes, Caritas, tria hæc*; & ex Trident. *ſeſſ. 6. cap.7.* ubi ſolum has tres enumerant; *In ipſa juſtific. tione cum remiſſione peccatorumn hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui iſeritur, Fidem, Spem, & Caritatem.*

17 Virtutes Theologicæ ſunt perfectiores omnibus virtutibus moralibus; virtutes enim Theologicæ perfectius habent objectum, nempe ipſummet Deum, cum ordinentur ad Deum immediate, ad differentiam virtutum Moralium, quæ ad Deum ordinantur tantum mediate *Communis*.

18 Major, & perfectior inter ipſas Virtutes Theologicas eſt Caritas; Ipſa enim perfectius nos conjungit cum Deo, quam Fides, & Spes. Unde Apoſtol. 1. *ad Corinth. cap.* 13. expreſſe dicit: *Nunc autem manent Fides, Spes, Caritas, tria hæc, major autem horum eſt Caritas.*

19 Omnes tres Virtutes Theologicæ ſunt adultis nececeſſarie ad ſalutem; Non poſſunt enim ſalvari adulti, niſi credant, ſperent, & diligendi ex Dei ordinatione ab eorum habitibus procedunt, adeoque &c. Unde Scotus *in 3. diſt. 34. num. 6.* expreſſe dicit: *Fide tenemus, tres Virtutes Teologicas eſſe neceſſarias perficientes immediate animum reſpectu objecti increati*. Et Sanct. Auguſt. *ſerm* 53. *de tempore*, ſic habet; *Tria quædam propoſuit animæ noſtræ neceſſaria beatus, & egregius gentium Doctor dicens: Nunc autem manent Fides, Spes, Caritas*; Unde Alexander VII die 24. Septembris 1665. merito damnavit ſequentem propoſitionem primam in ordine: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Caritatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas Virtutes pertinentium.*

20 Quo ad ea, quæ concernunt Fidem. Videværb. *Fides per tot.*

21 Spes eſt Virtus Theologica Divinitus infuſa, qua ex liberali Dei promiſſione fiducialiter deſideramus nobis bonum infinitum per Dei auxilia, & merita noſtra obtinendum. Ita deſumitur ex Scoto *in 3. diſt. 26. quæſt. unic. num.* 10.

22 Spes eſt actus voluntatis idem cum deſiderio. Scotus *loc. cit. num.* 19. Scotiſtæ, & alii. Sperare enim quantum ad præſens idem eſt, ac deſiderare, quia ſpes fertur in bonum abſens ut poſſidendum; actus autem ille, quo bonum abſens ut poſſidendum appetitur eſt deſiderium, adeoque ſpes eſt actus voluntatis idem cum deſiderio.

23 Spes diſtinguitur realiter a Fide, & Caritate. Sanct. Thomas 2.2. *quæſt.* 7. *art.* 6. Scotus *loco cit. numer.* 17. & alii paſſim; Et ratio eſt, quia ubi ſunt diſtincti actus, & diſtincta objecta formalia, ibi ſunt diſtincti realiter habitus. Fidei autem, Spei, & Caritatis diverſi ſunt actus, cum actus Fidei ſit credere, actus Spei deſiderare, & actus Caritatis diligere; Item diſtincta ſunt objecta formalia cum objectum formale Fidei ſit Deus ut verax, Spei ſit Deus ut nobis bonus, & promiſſus, & Caritatis ſit Deus ut bonus in ſe, adeoque &c. Tum quia ſperare idem eſt ac deſiderare: deſiderare autem eſt actus voluntatis, & credere eſt actus intellectus, adeoque Spes diſtinguitur realiter a Fide; Item diſtinguitur realiter a Caritate, quia Caritas eſt amor amicitiæ, quo Deus diligitur propter ſeipſum. Spes vero eſt amor concupiſcientiæ, quo Deus diligitur propter nos, ſeu ut bonus nobis, adeoque &c.

24 Objectum materiale primarium Spei eſt Deus poſſidendus. *Eſt in re Communis*. Et ratio eſt clara, quia objectum materiale primarium Spei noſtræ eſt illud, quod expectamus in Cœlis; Non expectamus autem Deum tantum, ſed Deum in Cœlis poſſidere, adeoque objectum materiale primarium Spei eſt Deus poſſidendus.

25 Objectum autem materiale ſecundarium Spei ſunt omnia bona, & auxilia ad Beatitudinem ſeu Dei poſſeſſionem conſequendam neceſſaria. *Eſt in re Communis*; Et ratio eſt evidens, quia qui vult finem, vult & media neceſſaria ad ipſum finem conſequendum, adeoque, qui ſperat Deum in æterna Gloria beatifice poſſidendum, ſperat etiam media neceſſaria ad ipſum attingendum, ſeu conſequendum, uti ſunt omnia bona, & Dei auxilia ad obtinendum remiſſionem peccatorum, ad meritorie operandum, & ad finaliter in gratia ſanctificante perſeverandum.

26 Obje-



26 Objectum formale Spei eſt Deus, quatenus eſt nobis bonus; Sic deſumitur ex Scoto *in 3. diſt. 26. quæſt. unica*, & tenent Herincx *diſput.* 10. *de Spe quæſt.* 1. *num.* 11. Reiffenſtuel *Theolog. moral. diſt.* 5. *quæſt.* 1. *concluſ.* 4. *num.* 6. Tannerus *tom.* 3. *diſp.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 14. citans S. Thomam, Suarez, & alios Sanig. *tom.* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 1. & alii plures contra alios. Et ratio noſtra eſt, quia illud eſt objectum formale Spei, quod proprie movet ad appetitum, ſeu deſiderium objecti materialis; Talis autem ratio motiva eſt bonitas Dei reſpectiva nobis, ſeu Deus ut eſt bonus nobis, ſeu nobis commodum affert; Voluntas enim noſtra nihil appetit, niſi ſub ratione boni, adeoque &c.

27 Spes reperitur in Viatoribus, non tamen in omnibus. *Communis*; Et quidem prima pars patet ex Conc. Trid. *ſeſſ. 6. cap.* 7. ubi expreſſe docet, in juſtificatione infundi Fidem, Spem, & Caritatem. Vide *ſupra num.6. & 16.* ubi afferuntur verba preciſa Concilii; Et ſecunda pars patet de Judæis, Turcis, aliiſque Infidelibus, & Hæreticis, qui non habent Spem Theologicam, & ſupernaturalem, quia, cum careant Fide ſupernaturali, quæ eſt baſis, & fundamentum Spei, carere debent etiam Spe ſupernaturali; Unde ſi vitam æternam ſperent, id faciunt Spe naturali, & acquiſita, ſicut Fide naturali, & humana credunt aliquos Fidei articulos; Item patet de peccatoribus illis, qui deſperant de ſua ſalute, iſti enim Spem amiſerunt. Nam ſicut Habitus Fidei deperditur per quemlibet actum infidelitatis, ita habitus Spei etiam deperditur per quemlibet actum deſperationis de ſalute, vel mediis ad ſalutem.

28 Spes remanet in Animabus Purgatorii. *Communis inter Catholicos*; Et ratio eſt, quia ipſæ Animæ vere expectant Beatitudinem, quam cognoſcunt obſcuram, futuram, abſentem, & arduam, utpote acquirendum per pœnas quam patiuntur, non quidem merendo per illas, ſed ſatisfaciendo.

29 Spes nullatenus eſt in damnatis, *Communiſſima*, textu expreſſo in illo Proverb. 11. *Mortuo homine impio, nulla erit ultra Spes*, Tum quia in damnatis viget perpetua diſperatio, quæ eſt totaliter oppoſita Spei.

30 Spes non remanet in Beatis. *Communis*; Et clare habetur *ad Romanos* 8. ibi: *Spes, quæ videtur, non eſt Spes, nam quod videt quis, quid ſperat?* Atqui Beati Deum vident, eoque perfecte fruuntur, ergo amplius illum non ſperant.

31 Virtuti Spei opponuntur duo præcipua vitia, Deſperatio ſcilicet, & Præſumptio. Deſperatio ei opponitur per defectum, ut cum quis deſperat ſeſe remiſſionem peccatorum ſuorum, & Beatitudinem æternam conſecuturum atque ideo ab ejus procuratione ob impoſſibilitatem, vel nimiam difficultatem mediorum apprehenſam omnino deſiſtit. Præſumptio autem ei opponitur per exceſſum, ut cum quis præſumit ſe Divinam Gratiam, & æternam Gloriam ex ſe ipſo, & propriis viribus conſequi poſſe, ſeu e contra præſumit ſe ſola Dei Miſericordia, ac liberalitate; & Chriſti meritis abſque propria cooperatione per bona opera æternam Beatitudinem conſecuturum. *Sic Doctores Communiter.*

32 Unde Deſperatio definitur, quod ſit voluntaria, & deliberata abjectio omnis Spei conſequendi Beatitudinem, vel media ad illam conducentia ex opinione impoſſibilitatis, aut nimiæ arduitatis. *Eſt in re Communis.*

33 Et Præſumptio definitur, quod ſit temeraria Spes hominis ſibi, aut Deo innixi conſequendi Gratiam, & Gloriam æternam abſque mediis a Deo ordinatis *Eſt etiam in re Communis.*

34 Caritas eſt Virtus Theologica divinitus infuſa, qua diligitur Deus propter ſe ſuper omnia, & proximus propter Deum.
35 *Communis*. Unde ex eodem motivo diligitur proximus Caritate Theologica, ac diligitur ipſe Deus, & conſequenter eſt unus, & idem habitus Caritatis inclinans ad diligendum Deum, & proximum propter Deum; Ubi enim unicum eſt operandi motivum, ibi ſufficit unus habitus. Hinc S. Auguſtinus *de Trinitate lib.* 8. *cap.* 8. *in fine*, ſic expreſſe dicit: *Ex una, eademque Caritate Deum, proximumque diligimus, ſed Deum propter Deum, & proximum propter Deum*: & ideo Scotus *diſt.* 8. *n.*8. concludit, quod *ratio bonitatis proximi non eſt ratio terminans actum*, nempe Caritatis.

36 Unde objectum materiale primarium Caritatis eſt Deus, objectum vero ſecundarium eſt proximus noſter. *Commun.*
37 Objectum autem formale, ſeu motivum Caritatis Dei eſt ipſamet Dei bonitas abſoluta, qua in ſe infinite bonus eſt in omni genere entis, & perfectionis. *Sic in re Communis Doctorum*. Et ratio eſt, quia illud eſt objectum formale Caritatis, quod eſt objectum Beatitudinis; Atqui Deus, ut abſolute bonus, in omni genere entis, & perfectionis eſt objectum Beatitudinis, cum ut ſic ſit maxime ſatiativus, ergo &c.

38 Caritas Theologica diſtinguitur realiter a Fide, & Spe. *Communis*, cum Scoto *in 3. diſt. 27. num. 2.* ubi ſic expreſſe habet: *Hæc Virtus diſtincta eſt a Fide, quia actus ejus non eſt credere, ſimiliter a Spe, quia actus ejus non eſt concupiſcere bonum amanti in quantum eſt commodum amantis, ſed tendere in objectum ſecundum ſe, etiamſi per impoſſibile circumſcriberetur ab eo commoditas in amantem*. Et ratio patet ex dictis *ſupra n.* 23.

39 Caritas in Patria, ſeu in ſtatu Gloriæ Cœleſtis remanet in Beatis, *Communis, ac certa* per illud 1. *Corinth.* 13. *Caritas numquam excidit*, excideret autem Caritas, ſi non remaneret in Beatis: Immo Sancti in Cœlis longe perfectius diligunt Deum, quam Juſti in hoc Mundo.

40 Datur præceptum verum, & ſpeciale diligendi Deum etiam actu interno *Communis*, text. expreſſo *Deuteronomii 6.* „ ibi: „ Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, „ & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota „ fortitudine tua: „ Quod idem repetit Chriſtus *Matth.* 22. addens: *Hoc eſt primum, & maximum mandatum*. Et ne quis dubitet de hac obligatione ſub mortali, clamat Joann. Apoſtol. *Epiſt.* 1. *cap.* 3. *Qui non diligit, manet in morte*. Unde Alexander VII. *die* 24. *Sept.* 1665. merito damnavit ſequentem propoſitionem primam in ordine: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Caritatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas Virtutes pertinentium.*

41 Deus ex præcepto diligendus eſt ſuper omnia ſaltem appretiative, non vero intenſive. *Eſt Communis*, quoad primam partem, & *Communior* quoad ſecundam. Ut facilius tamen hæc percipiatur concluſio, advertendum eſt cum Scoto *in 3. diſt. 27. quæſt. unica §. Quantum ad illum*, & aliis pluribus, quod Deus poteſt ſuper omnia diligi dupliciter, ſcilicet appretiative, & intenſive: Tunc Deus diligitur ſuper omnia *appretiative*, ſeu æſtimative, aut prælative, quando pluris eum facimus, quam omnes creaturas, ita ut parati ſimus potius omnia perdere, immo & vitam propriam, quam Deum offendere, ſicque Deum omnibus Creaturis præferre, & nullius timore aut amore ab ejus amicitia, ſeu Caritate ſeparari, juxta illud Apoſtoli *ad Rom.* 8. *num.* 38. ibi: „ Neque mors neque vita, neque Angeli, neque Principatus, „ neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque Crea-
42 „ tura alia poterit nos ſeparare a Caritate Dei „; Tunc autem diligitur Deus ſuper omnia *intenſive*, quando actu majori, ſeu conatu intenſiori, & vehementiori, aut teneriori, ac ferventiori affectu Deum præ alio diligimus; Hac igitur terminorum explicatione præmiſſa,

43 Probatur concluſio quoad primam partem ex Sacra Scriptura. *Matthæi enim* 10. Chriſtus ait: *Qui amat Patrem, aut Matrem plusquam me, non eſt me dignus*; Et *Lucæ* 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & Matrem, & Uxorem, & Filios, adhuc autem & Animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*: ergo ſi Patri, & Matri, Uxori, filiis, & etiam nobis ipſis debemus Deum præferre, a fortiori debemus ipſum præferre ceteris creaturis: Accedit ratio, quia cum Deus ſit abſolute, ſimpliciter ſuper omnia bonus, etiam abſolute, & ſimpliciter eſt ſuper omnia *appretiative*, ſeu æſtimative, vel prælative diligendus.

44 Probatur quoad ſecundam partem, nempe quod Deus non ſit ex præcepto diligendus ſuper omnia *intenſive*; Et ratio eſt, quia pro adimplendo præcepto diligendi Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente &c. ſufficit, quod eum diligamus ſuper omnia *appretiative*, æſtimative, ſeu prælative, ita ut eum præferamus in appretiatione, & æſtimatione omnibus creaturis, & nobis ipſis, & nullius creaturæ amore, vel timore velimus ejus præcepta tranſgredi: nam, ut habetur ex *Epiſt.* 1. *S. Joannis cap.* 2. *Qui ſervat verbum ejus vere in hoc Caritas Dei perfecta eſt*; ſi ergo, qui obſervat Dei mandata, habet vere caritatem Dei perfectam, *Vere in hoc Caritas Dei perfecta eſt*, ſtat clarum, quod pro adimplendo præcepto diligendi Deum ex toto corde &c. ſufficit, quod eum diligamus ſuper omnia *appretiative*, ejus præcepta plene obſervando præferenter ad amorem, vel timorem cujuſcumque creaturæ, ita ut nullius amore, vel timore ea unquam tranſgrediamur: Unde etiam ipſemet Chriſtus Dominus ſolum propoſuit hanc præceptorum obſervantiam,

tiam, tamquam verum ſignum dilectionis ex affectu Caritatis. *Joan.* 14. *n.*23. ibi: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*: adeoque &c.

45 Tum quia ſi pro adimplendo præcepto diligendi Deum ex toto corde &c. deberetur diligi Deus ſuper omnia *intenſive*, ſequeretur, quod unus juſtus non poſſet intenſius amare Deum, quam alius; & quod nec etiam amor requiſitus pro adimplendo præcepto diligendi Deum poſſet ullatenus augeri, quod nullimode eſt dicendum, adeoque non requiritur neceſſario amor *intenſivus*, ſed ſufficit *appretiativus*.

46 Tum etiam quia homines naturali inclinatione ferventiori affectu feruntur in ſenſibilia, & præſentia, quam in ſenſibilia, & abſentia; Unde fit, ut licite quis revera amet Deum ſuper omnia *appretiative*, & tamen naturali virtute feratur intenſiori affectu in aliquam creaturam abſque offenſa Dei, interim paratus, & reſolutus, ut ſi neceſſe eſſet, aut Deum offendere, aut illam creaturam amittere, omnino illam creaturam potius ammitteret, quam Deum offenderet. Et de facto, ſicuti experientia conſtat, quod non ſemel aliquis catulum v. gr. aut aliam creaturam ferventius ac tenerius amet, quam proprium filium, non tamen firmius, aut magis æſtimative, quod inde cognoſcitur, quia ſi vel catulum, vel filium amittere deberet, utique potius catulum, quam filium perdere vellet; ita etiam fieri poteſt, ut aliquis ſine culpa intenſius, ac tenerius amet Uxorem, Filium, aut Amicum, quam ipſum Deum, non tamen firmius & magis æſtimative, ſi interim animo paratus ſit, & reſolutus potius Uxorem, Filium, aut Amicum deſerere, quam Deum offendere: Unde quod *Matth.* 10. Chriſtus Dominus dicit: *Qui amat Patrem vel Matrem pluſquam me, non eſt me dignus*, intelligi debet ſecundum majorem appretiationem, ſeu æſtimationem, & non ſecundum majorem intentionem, juxta communem Doctorum interpretationem, teſte Sporer *tom.* 1. *tract.* 2. *in* 1. *præcept. Decalog. cap.* 5. *ſect.* 2. *n.*29. Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. *n.*3. ubi refert hanc noſtram ſententiam ex communi doceri a Navarro, Suarez, Gabriele, Toleto, Valentia, & Sanchez, & tenent S. Bonaventura *diſt.* 27. *art.* 2. *quæſt.* 6. Sporer *loc. cit.* Boyvin. *tom.* 4. *diſput.* 3. *de Caritate quæſt.* 1. *verſ. Dicitur* 3. Felix Poteſtas *tom.* 1. *part.* 2. *n.* 286. ubi dicit, quod amor appretiativus eſt perfectior intenſivo, Reiffenſtuel *Theol. mor. tract.* 46. *diſt.* 6. *q.* 1. *n.*7. aliique plures Scotiſtæ, & Fraſſen *de Virtutibus Theologicis tract.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 3. *concluſ.* 2. citans Scotum *in* 3. *diſt.* 27. *n.*17. quamvis ab aliis citetur, & revera teneatur pro ſententia contraria per hæc ſua verba *loc. cit. n.* 17. ibi: *Sicut enim teneor diligere Deum ſuper omnia alia extenſive, ita etiam majori affectu, quam aliquod aliud*, quæ verba non parum urgent.

47 Præceptum diligendi Deum, prout eſt negativum ne videlicet Deum odio habeamus, aut aliquid agamus, quod ejus dilectioni, & amicitiæ ſit contrarium, obligat ſemper. *Communiſſima*.

48 Præceptum autem affirmativum de Deo ſuper omnia diligendo obligat ſolum certis temporibus. *Communis*. Et hæc
49 tempora quatuor potiſſimum a Doctoribus ſolent aſſignari. Primo, circa initium uſus rationis. Secundo, cum urgente gravi tentatione, periculum impendet homini, ne in odium Dei labatur, niſi ad Deum per actum dilectionis convertatur. Tertio, ſæpius in vitæ decurſu, ita ut non multo tempore differatur actus dilectionis Dei. Quarto, circa articulum mortis, & quoties tenetur quis elicere actum Contritionis. v. gr. moriturus, & Sacrificaturus, ſi conſcius peccati mortalis non habet copiam Confeſſarii: Contritio enim includit neceſſario dilectionem Dei ſuper omnia.

50 Unde quoad hoc ſemper præ oculis habendæ ſunt, & evitandæ tres ſequentes propoſitiones merito damnatæ ab Innocentio XI. *die* 2. *Mart.* 1679. Prima, quinta in ordine, eſt, ut ſequitur: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret? condemnare non audemus*. Secunda, ſexta in ordine: *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum Caritatis erga Deum*. Tertia, ſeptima in ordine: *Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus*.

51 Ultra Deum ſuper omnia tenemur ex præcepto Caritatis diligere proximum ſicut noſmetipſos. *Communis*, præcepto expreſſo *Matthæi* 22. *num.* 39. ibi: *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum*; & *Joann.* 13. ibi: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*, & *Epiſt.* 1. *Joann. cap.* 4. ibi: *Mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & Fratrem ſuum*.

52 Unde Innocent. XI. *die* 2. *Mart.* 1676. merito damnavit duas ſequentes propoſitiones. Prima, in ordine decima, eſt, ut ſequitur: *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali*. Secunda, in ordine undecima: *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos*.

53 Item ex ſpeciali præcepto Charitatis tenemur diligere inimicos; *Communis*. Sic enim expreſſe præcipit Chriſtus *Matth.* 5. ibi: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*. Quod præcipit ſub peccato gravi; nam *Matt.* 18. *num.* 35. habetur, quod nec Pater Cœleſtis dimittet nobis peccata, niſi prius dimiſerimus fratri noſtro de cordibus noſtris, ibi: *Sic & pater meus Coeleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*, & *Marci* 11. *num.*26. ibi: *Quod ſi vos non dimiſeritis, nec Pater veſter, qui in Cælis eſt, dimittet vobis peccata veſtra*, & idem habetur *Matthæi* 6. *num.*15.

54 Inimicis tenemur ex præcepto Charitatis exhibere communia, & generalia ſigna dilectionis communiter omnibus aliis ejuſdem ſtatus, conditionis, ac qualitatis præſtari ſolita; *Communis*. Unde tenemur inimicum ſalutantem reſalutare, interroganti reſpondere, emere volenti vendere, in communibus orationibus, & eleemoſynis eum includere, communia officia, vel obſequia, quæ omnibus paſſim in Communitate, Civitate, Collegio, Monaſterio, vel Domo aliqua exhiberi ſolent, etiam ipſi præſtare, idque ſub gravi, vel levi peccato, prout attenta perſonarum, locorum, aut aliarum circumſtantiarum conditione gravis, aut levis reputabitur contemptus. Et ratio eſt, quia talis excluſio a dictis, aliiſque communibus dilectionis ſignis vindictam indicat, quæ privatis Perſonis interdicta eſt, juxta illud *Levitici* 19. *Non quæres ultionem, neque eris memor injuriæ Civium tuorum*. Et *ad Romanos cap.* 12. *num.* 19. *Mihi vindicta, Ego retribuam, dicit Dominus*. Et idem *ad Hebræos cap.* 10. *num.*30.

55 Excipiendi ſunt tamen caſus, in quibus Charitas, vel Juſtitia (a) aliud prudenter ſuadent, aut rationabilis cauſa excuſat; Charitas enim erga ipſummet inimicum non ſemel prudenter ſuadet negare inimico ſigna communia dilectionis, ſeu Charitatis, videlicet ſalutationes, reſponſiones, allocutiones, & hujuſmodi, vel quia ſic ſperatur emendandus, errorem ſuum agniturus, & correcturus, vel quia timetur ex his ſignis deterior futurus, injuriam illatam parvipenſurus, & facilius denuo illaturus, aut talia ſigna Charitatis ſibi in deſpectum fieri, aut aliter in malum ſenſum interpretaturus; Item etiam Charitas erga ſeipſum interdum prudenter ſuadet negare inimico dicta ſigna, & evitare ejus conſortium, colloquium, familiaritatem, & hujuſmodi, ne inde nova jurgia inſurgant, vetera odia reaccendantur, & graviora mala oriantur, eo quod ſit naturæ rixoſæ, & hujuſmodi.

(a) Nota. Explorata res eſt, ita hominem oportere proximum diligere, ut ei velit bonum ſpirituale in ordine ad vitam æternam. Tum quia proximum ſicut noſmetipſos diligere tenemur, *Matt.* 22. *verſ.* 37. nos vero in ordine ad æternam beatitudinem diligere debemus: Tum etiam, quia Charitas virtus eſt; virtus autem propter operationem; ergo charitas erga proximum in actum exeat neceſſe eſt, actus vero charitatis eſt velle bonum proximo conforme ipſius naturæ, quæ diligitur; hujuſmodi autem bonum, vel beatitudo eſt, vel ad beatitudinem conducens: Tum demum, quia charitate imitari Deum, & Chriſtum tenemur, ut habetur *Joannis* 14. *verſ.* 22. *Si ſic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere*. Deus vero nos dilexit actu interiori, & poſitivo ordinando nos ad beatitudinem, & media conferendo ad beatitudinem conducentia, nos ergo interno actu proximum diligere debemus, optando illi æternam beatitudinem, & media procurando, quæ ad hanc proximum dirigant, atque perducant. Age vero: nomine proximi veniunt etiam inimici; Ii enim creaturæ rationales ſunt, & æternæ beatitudinis capaces: & ne viderentur ab hoc præcepto excluſi, Chriſtus Dominus ait; *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*: ergo in inimicos quoque charitatem exercere tenemur, & ſigna illa benevolentiæ præbere, quæ ab inimicitia, & peccato illos retrahant, & ad æternam felicitatem dirigere, & conducere valeant. Hæc vero palam faciunt, 1. Negari inimicis non poſſe communia benevolentiæ ſigna, ſi hæc negatio odium, & inimicitiam foveat; nam tunc ruinæ ſpiritualis occaſionem præfert; & non ſolum non exhibet media ad æternam beatitudinem conferentia, ſed retrahit hominem ab hoc bono, & ad perditionem ducit. Itaque abſtinere non poſſumus ab hac benevolentiæ demonſtratione, vel metu alicujus injuriæ, vel timore alicujus boni temporarii jacturæ, ut eſt manifeſtum, ſed prudentia utendum eſt, qua ita benevolentiæ ſigna in inimicos exercere poſſumus, ut non ſolum hos ad injuriam, & ad damna inferenda non moveant: ſed potius ad extinguendum odium, obtinendam benevolentiam, & ſinceram reconciliationem conferant. 2. In Prælatis, in Superioribus, in parentibus, ac in viris gravi auctoritate pollentibus omiſſionem communium benevolentiæ ſignorum, quæ correctionis, & emendationis cauſa fiat, eſſe potius exercitium caritatis. Nam caritatem oſtendimus in iis, quæ homines a vitiis retrahant, & peccatis, & ad veram ad Deum converſionem eoſdem moveant, & provocent; Hæc enim veluti *media habentur* ad æternam ſalutem conferentia; At in relatis &c. omiſſio ſignificationis peculiaris benevolentiæ in iis, qui errarunt ac peccaverunt, confert ad retrahendos homines a peccato commiſſo, & ad iſtius deteſtationem per veram converſionem eoſdem provocat; Si ergo prudenter id fiat, tantum abeſt, ut dici queat negatio ſignorum charitatis; quin potius eam caritatis demonſtrationem ſecum fert, quam exercere homines per correctionem debent. 3. Omittentes communia benevolentiæ ſigna correctionis cauſa, vel reprehendentes, & objurgantes homines, qui vel in eos, vel in alios peccaverint, curare omni ſtudio debent, ut oſtendant abſtinere ab illis ſignis, vel objurgationem adhibere, quia bonum, ac verum bonum peccantibus exoptat, hac enim unice via caritatem exercent: Atque hinc liquet, nonniſi improprie dici abſtinere tunc homines a communibus caritatis ſignis: ſigna enim caritatis ea tantum ſunt, quæ nos velle proximo ſignificent bonum ſpirituale in ordine ad beatitudinem; At vel ipſa omiſſio communium ſignorum id aliquando demonſtrat &c. 4. Etſi abſtinere licite poſſumus ab aſpectu, & conſortio inimici, ne odii in nobis augmento, aut nova in inimicos ira peccandi occaſionem præbeamus; tamen ne dolor ex ejus præſentia in nobis augeatur, aut ne honor in nobis minuatur, abſtinere a ſignificatione caritatis non debemus; tum quia urget præceptum beneficiandi, & diligendi inimicos; tum etiam quia caritativus aſpectus, vel caritate conjunctum conſortium apta ſunt media ad inimicitiam tollendam, & ad procurandum bonum ſpirituale inimici. Inimici enim vitæ noſtræ, vel famæ, aut fortunæ, non ſunt exaſperandi injuriis, ſed emolliendi benefactis; inquit R. P. Jacobus Beſombes *de Charitate cap.* 8. qui rem ita oſtendit: *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum*, ait *Apoſtolus ad Roman.* 12. *verſ.* 21. Amor Dei, & Chriſti erga nos debet eſſe regula amoris noſtri erga inimicos, eiſque iſta debemus; 1. Qui eſt laceſſitus debet inimici converſionem, & optare, & eam a Deo precibus poſtulare: optat enim Deus converſionem pecccatoris: *Vivo Ego, dicit Dominus; nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat*, *Ezech.* 33. *v.* 11. 2. Debet inimicum veniam petentem ſponte, & benigne excipere, uti facit Chriſtus, *Joan.* enim 6. *verſ.* 37. ait: *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras*, & *Matth.* 18. *verſ.* 22. alloquens Petrum, & nos omnes, inquit: *Non dico tibi ut parcas uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*. 3. Debet per ſe vel per alium offerre inimico reconciliationem, ſi ſperet futurum, ut id ad ejus converſionem inſerviat: Id enim præſtat Deus erga peccatores; quos ſemper ad pœnitentiam hortatur, & quibus etiam pertinaciſſimis gratiam offert: *Ecce*, inquit, *ſto ad oſtium, & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipſe mecum*: *Apoc* 3. *v.* 20. & *Prover.* 18. 26. *Præbe fili mi cor tuum mihi*. 4. Non poteſt negare reconciliationem inimico veniam petenti, nec communia amoris indicia, immo nec ſpecialia, cum hinc naſceretur ſcandalum, vel obex poneretur, quo retardaretur converſio inimici. Atque hinc vide, num rite Ferraris aſſerat *num.* 58. non teneri chriſtianum hominem ne ad ſuccurrendum quidem inimico in egeſtate poſito, nec eumdem obvium factum ſalutare? Vide etiam num ob temporarium incommodum, vel damnum, aut ob metum jacturæ honoris mundani, omittendum ſit exercitium caritatis in proximum inimicum; vel negari eidem reconciliatio? Hæc ſane cum regula caritatis erga ipſos quoque inimicos uſurpanda conciliari nullo modo poſſunt. Vide demum, num grave, aut gravius incommodum quod offenſionem ſuperet cauſa ſufficiens ſit ad negandam inimico offenſo reconciliationem externam? Hæc enim neceſſaria eſt ad removendum ſcandalum, ad placandam offenſi iram, & ad odium ex injuria in læſo homine excitato extinguendum, atque ad neceſſariam animi reconciliationem. Neque verum eſt, non teneri hominem ad veniam petendam a læſo, ſi levis læſio fuerit. Nam ſi ob gravem læſionem ſub gravi culpa, ſi ob levem ſub culpa veniali ad veniam petendam adſtringi is, qui læſerit, debet.



56 Juſtitia aliquando prudenter ſuadet inimico reo ſubtrahere communia ſigna dilectionis, ſeu Charitatis, ut ſæpe ſæpius experientia demonſtrat in Parentibus, Prælatis, ac Superioribus, qui filios, & ſubditos in ſe peccantes a communibus beneficiis, vel amoris indiciis licite, imo & meritorie excludunt correctionis gratia, ut ſic errorem ſuum agnoſcant, & emendentur, & de cætero caveant. Sic in dies videmus Parentes, & conſanguineos e ſuis domibus ejicere, nec ad aſpectum, colloquium, convivium, aut conſortium admittere velle Filium, vel Conſanguineum, qui Matrimonium indignum contra eorum voluntatem contraxerit, aut alias crimine alicujus infamiæ commiſſo familiam gravi dedecore affecerit; Et tales Parentes, & Conſanguinei, ſi non ex animi odio, ſed ſolum ob dicti Filii, vel ſimilis Filiæ delinquentis correctionem, familiæ honorem, ac aliorum majorem cautelam procurandam ad id procedant; Et non in perpetuum reconciliationem denegent, ſed ſolum ad tempus differant, quouſque videbitur expedire ad eorum punitionem, & emendationem, & alios bonos intentos fines conſequendos, non peccant, nec ſunt a Confeſſariis, vel Parochis abſolutione Sacramentali, & Sacra Communione privandi; Sic Layman *Theolog. moral. lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 4. *num.*4. Sporer *tom.* 1. *tract.* 2. *in* 1. *præcept. Decalog. cap.* 1. *ſect.* 2. *numer.*23, & alii.

57 Rationabilis cauſa excuſat pluries ab obligatione præſtandi inimico communia ſigna Charitatis (a); Et ſignanter ſi Pater, vel Mater vitet aſpectum, & conſortium occiſoris proprii Filii, non ratione odii, ſed ne dolorem renovet cum memoria occiſi Filii; Item ſi quis ſine gravi incommodo ſui honoris non poſſit inimicum ſalutare; Item ſi quis prævideat inimicum exinde evaſurum audaciorem, & ſibi notabile damnum eſſe obventurum; Item ſi quis ob gravem receptam injurioſam infamiam præſtando ſic graviter injurianti, & offerenti communia ſigna Charitatis, & dilectionis eſſet multis argumento ipſum parvi æſtimaſſe tam acerbam injuriam; Item ſi quis ſit moraliter certus ſuum inimicum non eſſe reſalutaturum, & correſponſurum, & ſic de aliis ſimilibus.

58 Specialia ſigna dilectionis per ſe loquendo non tenemur præſtare inimicis ex præcepto Charitatis, ſed ſolum ex conſilio; *Communis*. Unde non tenemur inimicos ægrotos inviſere, mœſtos conſolari, egentibus ſuccurrere, pecunias mutuare, hoſpitio, vel convivio excipere, ad familiare colloquium admittere, obviam factos ſalutare, & hujuſmodi (a); ut tradunt communiter Doctores.

59 Dicitur autem notanter *Per ſe loquendo*, quia ob varias accidentarias circumſtantias ſæpius obligamur inimicis exhibere ſigna aliqua vel beneficia ſpecialia Caritatis. Et ſignanter ob evitandum ſcandalum, utpote ſi negando inimico ſigna dilectionis ſpecialia, quæ antea quis eis exhibere ſolitus erat, majus in ſe hominis odium, vel inimicitiam concitet, vel alios id advertentes ſcandalizet; Item quando exhibitione hujuſmodi ſigni, vel beneficii ſpecialis Caritatis animum inimici ſibi, ac principaliter Deo facilius reconciliandum quis ſperat, vel





(a) Vide not. antec.

vel alias ſalutem ſpiritualem inimici proventuram; Item quando inimicus eſt in extrema, vel gravi neceſſitate conſtitutus, tunc ſpecialia beneficia Caritatis ſunt ei exhibenda juxta exigentiam neceſſitatis, ut habetur *Proverbior. cap.* 25. & *ad Romanos cap.* 12. *num.* 29. ibi: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitiverit, potum da illi*. Item præſtanda, & exhibenda ſunt inimico ſpecialia ſigna dilectionis, quando circumſtantiæ ſunt tales, ut eorum omiſſio ſit clarum ſignum odii interni, & ſic de aliis ſimilibus.

60 Quæ ex caritate diligenda ſunt, non ſunt omnia æqualiter diligenda, ſed inter ipſa ſervandus eſt debitus ordo caritatis, juxta illud *Cantic.* 2. *Ordinavit in me Caritatem*; Unde debet quiſque primo diligere Deum ſuper omnia; Secundo, ſe ipſum ſecundum bona ſpiritualia. Tertio, proximum ſecundum eadem bona ſpiritualia. Quarto, ſeipſum quo ab bona corporalia. Quinto proximum quo ad eadem bona corporalia. Sexto, ſe ipſum quoad bona temporalia externa, & Septimo, proximum quoad eadem bona temporalia externa. *Communis*.

61 Hinc poſt Deum tenetur quiſque ceteris paribus magis diligere animam ſuam, quam animam proximi. Et ratio eſt clara, quia, ut dicit Scotus *in* 3. *diſt.* 29. *num.* 1. Menſura eſt perfectior menſurato, ſed dilectio ſui eſt menſura dilectionis proximi, ut patet ex *Matthæi* 22. ibi: *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*, ergo &c.

62 Tenetur autem quiſque magis diligere animam proximi, quam proprium corpus. Unde proximo verſanti in extrema, & moraliter inſuperabili neceſſitate ſpirituali, ſuccurrendum eſt cum certo periculo propriæ vitæ; Dummodo adſit ſpes æque certa eum juvandi, & nullum gravius damnum inde ſecuturum timeatur. *Communiſſima*, cum Sancto Auguſtino *lib.* 2. *de Doctrina Chriſtiana cap.* 27. Sanct. Thoma 2. 2. *quæſt.* 26. *art.* 5. teſte Sporer *tom.* 1. *tract.* 3. *in IV. præcept. Decalog. cap.* 6. *num.* 125. Et hoc habetur ex verbis Chriſti *Joan.* 15. ibi: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*. Chriſtus autem ita nos dilexit, ut tradiderit ſuum corpus pro animabus noſtris. *Tradidit ſemetipſum pro nobis*, ut ſcribit Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. & ut docet Joannes Apoſtolus *Epiſt.* 1. *cap.* 3. *In hoc cognovimus Caritatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit*, unde ſubjungit: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere*. Hic S. Auguſtin. *lib. de mendacio cap.* 6. expreſſe dicit: *Temporalem vitam ſuam pro æterna vita proximi non dubitabit Chriſtianus amittere: Unde tenetur quis baptizare infantem, & abſolvere peccatorem, etiam cum periculo propriæ vitæ, ſi certo ſciat non poſſe alia via ſalvari, & aliunde non immineat ipſi periculum damni proprii ſpiritualis*.

63 Dicitur autem notanter: *Dummodo adſit ſpes æque certa eum juvandi, & nullum gravius damnum inde ſecuturum timeatur*; quia non tenetur quis ſuccurrere in tali neceſſitate proximo ſi ſpes nulla, vel incerta ſit eum juvandi, aut ſi aliud gravius damnum inde ſecuturum timeatur, ut ſi tempore peſtis, & perſecutionis infidelium non adſit niſi unus Sacerdos, non tenetur ipſe pro unius tantum ſalute vitam ſuam exponere, cum ſic periclitaretur ſalus totius communitatis; Item ſi quis reperiatur in peccato mortali, nec poſſit commode ſibi procurare ſtatum gratiæ, non tenetur pro tunc vitam ſuam exponere pro ſalute ſpirituali proximi, cum ſic exponeret morti nedum ſuum corpus, ſed etiam propriam animam, quum ex dictis *ſupra numer.* 61. tenetur quiſque magis diligere propriam, quam proximi animam. (a)

64 Propriam vitam pro aliena vita exponere ordinarie non eſt licitum. Sanctus Auguſtinus *lib. de mendacio ad Conſentium cap.* 6. ubi ſic ait: *Si quis pro alterius temporali vita ſuam ipſam temporalem perdit, non eſt jam diligere illum, ſicuti ſeipſum, ſed pluſquam ſeipſum, quod ſanæ doctrinæ regulam excedit*. Layman *loc. cit. cap.* 3. *num.* 4. Sporer *loc. cit. numer.* 132. dicens eſſe communem recentiorum contra Arragonium, Victoriam, Valentiam, Molinam, & alios citatos, & ſecutos a Leſſio *lib.* 2. *de Juſtitia cap.* 9. *& ſequent.* volentes licitum eſſe, atque laudabile vitam ſuam corporalem exponere pro ſervanda vita corporali amici, quia honeſtas Virtutis amicitiæ majus bonum eſt, quam vita propria corporalis. Et ratio noſtræ concluſionis eſt, quia, ſi Virtus Caritatis, et ordo rectæ dilectionis præcipit, ut propriam quiſque vitam præferat alienæ, ſequitur nullam virtutis, et honeſtatis laudem eſſe propriam vitam exponere pro aliena ſervanda. Fateor tamen contrariam opinionem eſſe vere probabilem, cui favet illud Chriſti, *Joan.* 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Layman *loc. citat.* cum pluribus aliis ibi allegatis.

(a) Meminiſſe hic debebat Auctor noſter illius Chriſti ſententiæ Jo. XV. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, quam recitat numero ſequenti; comperiſſet enim tunc ſtatum peccati mortalis non obſtare, quin quis teneatur eo in ſtatu exponere vitam propriam pro proximi ſpiritali neceſſitate, cum hujuſmodi charitatis actus aptus ſit, ut gratia recuperari queat, quem tamen comitari deberet actus contritionis.

65 Dicitur autem notanter *Ordinarie id licitum non eſſe*, quia pro ſalute perſonæ publicæ, ex qua multum dependet bonum commune, ſicuti pro communi totius Reipublicæ, & multo magis pro Fide, & Religione Catholica vitam propriam exponere, non ſolum licitum, & laudabile eſt, ſed eſt etiam neceſſarium. *Sic communis Doctorum*. Et ratio eſt, quia bonum commune prævalet, & præferendum eſt bono particulari. Unde ſicuti in naturalibus pars una corporis periculo ſe exponit pro ſervando toto corpore, ita & in politicis particulare Reipublicæ membrum pro ſervanda tota Republica. Item licitum eſt, ac meritorium vitam propriam exponere pro vita corporali proximi, ſi ejus morti annexa eſſet mors ſpiritualis animæ, ut ad impediendam æternam damnationem injuſti aggreſſoris, cum illum occidere Jure poſſit injuſte aggreſſus, ſi aliter ſe defendere nequeat, potius permittere ac tolerare mortem propriam corporalem eſt opus maximæ Caritatis, & ſumme meritorium.

66 Inter proximos magis diligendi, & prius ſubveniendi ſunt qui nobis magis conjuncti ſunt juxta triplicem conjunctionem, ſpiritualem, carnalem, & moralem, ſeu Civilem. *Communis*, & clare habetur ex Apoſtolo *Ad Galatas* 6. ibi: *Operemur bonum ad omnes, maxime ad domeſticos Fidei*, & 1. *Ad Timoth. cap.* 5. ibi: *Si quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, Fidem negavit, & eſt infideli deterior*; Unde qui magis nobis conjuncti ſunt conjunctione ſpirituali, præferendi ſunt in bonis ſpiritualibus; Qui nobis magis conjuncti ſunt conjunctione carnali, præferendi ſunt in bonis pertinentibus ad naturam, & vitam corporis; Qui nobis magis conjuncti ſunt conjunctione morali, ſeu Civili, præferendi ſunt in rebus pertinentibus ad Civilem communicationem, & ſic concives præferendi ſunt in his rebus aliis extraneis, & in rebus bellicis præferendi ſunt commilitones, & ſic de ſimilibus.

67 Quinam ordo ſervandus ſit in neceſſitate extrema, gravi, & communi? Vide verb. *Neceſſitas*.

68 Qui ex inimicitia alium offendit, vel læſit exterius ſigno, verbo, vel facto, tenetur ex Caritate ad reconciliationem externam, petendo ab offenſo, vel læſo quantum commode poteſt per ſe vel per alium ſigno, verbo, vel facto veniam, & remiſſionem offenſæ. *Communis*. Et ratio eſt clara, quia qua ratione, & forma Caritas eſt deſtructa, eadem reparari debet. Et ſicuti offenſor non tenebatur ponere offenſam, ita tenetur eam tollere; Inſuper tenetur ex Juſtitia etiam ad ſatisfactionem injuriæ, & ad reſtitutionem damni illati, niſi offenſus & læſus gratis remittat.

69 Dicitur autem notanter, *Quantum commode poteſt*, quia nemo tenetur ad hanc externam reconciliationem cum inimico offenſo cum gravi, vel graviori ſuo incommodo, quam fuerit offenſio, vel læſio illata proximo, uti eſſet gravis infamia, ſi offenſio, & læſio hoſtilis fuerit occulta; Vel ſi offenſus, & læſus ſit abſens, nec facile conveniri poſſit, & hujuſmodi.

70 Veniam petere ab inimico læſo, vel offenſo, tunc ſolum neceſſe eſt, quando gravis fuit offenſio, vel læſio & aliud remedium, ſeu modus non occurrit ad reconciliationem. *Communis*.

71 Unde non eſt obligatio petendi veniam, 1. Si injuria, vel læſio non fuerit gravis; 2. ſi aliter ſatisfieri poteſt offenſo, vel læſo, verb. grat. per pecuniam, per ſpecialia ſigna, & officia amicitiæ, per aliqua particularia beneficia, aut per aliorum interceſſionem; 3. ſi offenſus, vel læſus petitionem veniæ non curat, vel cenſetur remittere; 4. ſi injuriæ & offenſæ inter inimicos factæ invicem ſe compenſant; 5. ſi offenſus, vel læſus per petitionem veniæ ſibi ab offenſore factam ſit magis irritandus; 6. ſi lædens, vel offendens ſit longe Superior offenſo, ut non conveniat a ſubdito, & longe inferiori veniam petere propter diminutionem auctoritatis, & ſuperioritatis; tenetur tamen aliis beneficiis, ſignis, & argumentis ſubditi læſi animum reconciliare; 7. Si apud aliquos verb. grat. nobiles viros veniæ petitio in uſu non ſit, ſed aliter fieri ſoleat reconciliatio. *Sic Doctores paſſim*.

72 E duobus mutuo ſe offendentibus, vel inimicis factis, ſi injuriæ, ſeu offenſæ fuerint æquales, reconciliationem petere, & procurare ſalutando, alloquendo, aut, ſi opus fuerit, veniam petendo, tenetur prius qui prior offendit vel prior cauſa rixæ extitit; Si autem injuriæ, vel offenſæ fuerint inæquales, tunc tenetur qui gravius offendit, quamvis poſterius: Et ſi contingat injurias cenſeri moraliter ita pares, & ſimultaneas, ut, omnibus conſideratis, non appareat, cur unus non potius quam alter debeat eſſe prior in venia petenda, tunc uterque tenebitur, data occaſione, inchoare reconciliationem, ſalutationem, alloquium &c. niſi conſuetudo, vel mos patriæ eſſet, ut unus potius, quam alter deberet prævenire; Unde generaliter loquendo inter æquales, is debet prius ſalutare, & alloqui, qui coram alio ſtante vel ſedente tranſit, vel de novo accedit. *Sic Doctores communiter*.

73 Omnis offenſus, vel læſus tenetur offenſori veniam petenti vere, & ſincere injuriam, & offenſam remittere, ſalva tamen Juſtitia, & Jure ſuo. *Communis*, & habetur clare ex pluribus Evangelicis textibus. *Lucæ enim cap.* 17. *num.* 3. *&* 4. præcipit Chriſtus: *Si peccaverit in te Frater tuus, & pœnitentiam egerit, dimitte illi, & ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens pœnitet me, dimitte illi*. Et *Marci cap.* 11. *num.* 26. expreſſe dicit: *Quod ſi vos non dimiſeritis, nec Pater veſter, qui in Coelis eſt, dimittet vobis peccata veſtra*, & idipſum dicit *Matth. cap.* 6. *num.* 14. ibi: *Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra*, & *Matth. cap.* 18. *n.* 35. narrata parabola de ſervo nequam, & crudeli damnato ad carceres, ex quo noluerit dimittere debitum conſervo ſuo, concludit: *Sic & Pater meus Coeleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque Fratri ſuo de cordibus veſtris*.

74 Dicitur autem notanter: *Salva tamen Juſtitia, & Jure ſuo*, quia non obſtante, quod offenſus, vel læſus teneatur vere, & ſincere injuriam, vel offenſam offenſori veniam petenti remittere, poteſt tamen adhuc per viam Juris petere ab ipſo debitam ſatisfactionem, & recompenſationem pro injuria, & damno ſibi illato, ut tradunt communiter Doct. Vide verb. *Pax*.

75 Nulla opera hominis ſunt Deo grata, & meritoria, niſi prius, antequam ea faciat, ſe proximo ſuo reconciliaverit. *Communis*, per expreſſum textum *Matthæi cap.* 5. *numer.* 23. ubi Chriſtus Dominus ſic expreſſe dicit: *Si offers munus tuum ad Altare* (intellige etiam de omni alio opere bono Deo grato, & meritorio) *& ibi recordatus fueris, quia Frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari Fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*. Quod ſic egregie exponit Sanctus Auguſtinus *ſerm. de verbis Domini in monte: Matthæi* 5. ibi: *Si abſens eſt Frater tuus, vade non pedibus corporis, ſed animo humili te proſterne in conſpectu ejus, cui oblaturus es, ſi præſens revocandus eſt ad amorem ab eo veniam petendo, ſi enim læſiſti, vel ſi te læſit, dimittendo Cordis rancorem*.

76 Virtuti Caritatis opponitur directe vitium odii Dei, aut proximi, & de hoc vide verb. *Odium per tot.* ubi inſuper afferuntur tres propoſitiones damnatæ ad rem facientes.

77 Item Caritati opponuntur plura alia vitia, ut Acedia, Invidia, Ira, Scandalum, Schiſma, Bellum, Diſcordia, Contentio, Rixa, Seditio.

78 Quoad Acediam. Vide verb. *Acedia per tot.*

79 Quoad Invidiam. Vide verb. *Invidia per tot.* ubi etiam de tribus Invidiæ affectionibus Caritati oppoſitis, nempe de Indignatione, ſeu Nemeſi, de Zelo, ſeu Æmulatione, & de Timore, ac de aliis ad rem.

80 Quoad Iram. Vide verb. *Ira, per tot.* ubi etiam de Indignatione, Rixa, Contumelia, ac de aliis ad rem.

81 Quoad Scandalum. Vide verb. *Scandalum, per tot.*

82 Quoad Schiſma. Vide verb. *Schiſma, per tot.*

83 Quoad Bellum. Vide verb. *Bellum, per tot.*

84 Diſcordia eſt diſſenſio voluntatum circa bonum, quod ex Caritate amare debemus. Unde opponitur Caritati, quæ neceſſario cauſat concordiam, conſenſionem, & pacem voluntatum in bonum.

85 Contentio eſt altercatio quædam verborum cum proximo ad impugnandam veritatem, quam ipſe ſuſtinet; & hæc opponitur Paci, Caritati, qua tenemur cum proximo conſentire in bonis ipſi neceſſariis, non impugnando contentioſe veritatem in rebus ad ſalutem ejus animæ, vel corporis, ad ejus famam, vel fortunam pertinentibus.

86 Rixa eſt privatum quoddam bellum inter perſonas ex odio reſultans. Unde opponitur Caritati, quia, ut dicitur *Proverb.* 10. *num.* 12. *Odium ſuſcitat Rixas, & univerſa delicta operit Caritas*. Per Rixam, inquit Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 158. *artic.* 2. *in corpore, intelliguntur omnia nocumenta, quæ facto proximis inferuntur ex ira*, adeoque pugnæ, bellum, ſeditio, vulnus, cædes, & hujuſmodi.

87 Seditio eſt quædam diſſenſio inter Cives ab his duobus vocabulis *Seorſim*, & *Itio*, derivata, quia aliqui Cives ſeditioſi in diſſenſione dicuntur ſeorſim ire; Hoc vitium opponitur paci politicæ, & eſt ex ſuo genere peccatum grave ex parte commoventis ſeditionem, ſicuti rixa ex parte rixantis, non vero ex parte illius, qui invaditur.

88 Virtutes Cardinales quatuor communiter aſſignantur, ſcilicet Prudentia, Juſtitia, Temperantia, & Fortitudo, de quibus legitur *Sapient.* 8. *num.* 7. *Sobrietatem enim, & Prudentiam docet, & Juſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus*, ubi per ſobrietatem, *Temperantia*, & per virtutem *Fortitudo* intelligitur communiter a Doctoribus: Unde Sanctus Ambroſius *in cap.* 6. *Evangelii S. Lucæ* ſic expreſſe habet: *Scimus, virtutes eſſe quatuor Cardinales Temperantiam, Juſtitiam, Prudentiam, Fortitudinem*; Et Sanctus Auguſtinus *in Pſal.* 83. *verſ.* 8. *virtutes*, inquit, „ agendæ
„ vitæ noſtræ quatuor deſcribuntur a multis, & in Scriptu-
„ ra inveniuntur. Prudentia dicitur, qua dignoſcimus inter
„ bonum, & malum: Juſtitia dicitur, qua ſua cuique tribui-
„ mus, nemini quidquam debentes, ſed omnes diligentes;
„ Temperantia dicitur, qua libidine refrœnamus. Fortitudo
„ dicitur, qua omnia moleſta toleramus.

89 Dictæ quatuor Virtutes *Cardinales* nuncupantur, quia ſunt tamquam aliarum Moralium Virtutum fontes, & *Cardinales*, quibus ſubnixa tota humana vita regitur; Sicuti enim Oſtium in *Cardine*, ita omnis honeſtæ vitæ ratio in illis verſatur, atque univerſa boni operis ſtructura eiſdem innititur. Unde S. Greg. *lib.* 2. *Moral. cap.* 36. *In quatuor Virtutibus totam bonam operis ſtructuram conſurgere teſtatur*.

90 Ceteræ Morales Virtutes reſpectu Virtutum Cardinalium in triplici differentia ſunt poſitæ. Aliæ enim Virtuti Cardinali tamquam Species, in quas dividitur, ſubjiciuntur, & ideo partes *ſubjectivæ* Virtutis Cardinalis appellantur. Aliæ, ſine quibus Virtus Cardinalis integra, & perfecta eſſe non poteſt, eo quod ad perfectionem ejus actus concurrant, partes illius *integrantes*, ſeu *integrales* vocantur. Aliæ denique inſtar potentiarum, ſeu facultatum ipſis Virtutibus Cardinalibus ſubſerviunt, & earum partes *potentiales* nuncupantur.

91 Omnes virtutes Morales, ſive Cardinales, ſive eis adjunctæ ſunt ita inter ſe connexæ, ut nulla prorſus abſque ceterarum comitatu obtineri poſſit in ſtatu perfecto, & heroico. Et ratio eſt, quia Virtus perfecta eſt conſtans & firmus ordinis amor, quo quis id, quod rectum eſt, & rationi conſentaneum in quavis materia proſequitur: Talis autem amor conſtans, firmus, & habitualis omnes plane Virtutes includit, cum nequeat quis verb. grat. eſſe perfecte Juſtus, ſi careat Fortitudine, vel Temperantia, vel Liberalitate, ideſt ſi careat amore ordinis vel in materia Fortitudinis, vel in materia Temperantiæ, vel in materia Liberalitatis. Quippe Judex timidus minis terreri, intemperans voluptatibus teneri, avarus pecunia corrumpi poteſt, ne jus perfecte, ac recte reddat. Sic Fortitudinem, Temperantiam &c. ſine ceteris aliis Virtutibus nemo in ſtatu perfecto, & heroico obtinere poteſt. Unde S. Auguſtin. *Epiſt.* 167. alias 29. *num.* 5. alias *cap.* 2. ſic habet:
„ Certe hinc perſuadent, qui unam Virtutem habuerint ha-
„ bere omnes, & omnes deeſſe, cui una defuerit, quod Pru-
„ dentia nec ignava, nec injuſta nec intemperans poteſt eſſe,
„ nam ſi aliquod horum defuerit, Prudentia non erit. Porro
„ ſi Prudentia tunc erit, ſi & Fortis, & Juſta, & Temperans
„ ſit, profecto ubi fuerit, ſecum habet ceteras. Sic et For-
„ titudo imprudens eſſe non poteſt, vel intemperans, vel in-
„ juſta; ſic Temperantia neceſſe eſt, ut Prudens, Fortis, et
„ Juſta ſit. Sic Juſtitia non eſt, niſi ſit Prudens, Fortis, et
„ Temperans. Ita ubi vera eſt aliqua earum, et aliæ ſimiliter
„ ſunt. Ubi autem aliæ deſunt, vera illa non eſt, etiamſi ali-
„ quo modo ſimilis eſſe videatur.

92 Quamvis autem nulla virtus moralis poſſit ſine ceteris obtineri in ſtatu perfecto, ſeu heroico, qui ſcilicet Virtutis cul-

men attigit, et quo ita ſedati ſunt affectuum motus, ac ita
fracti, ut Virtutem commovere amplius non poſſint, poteſt
tamen una ſine ceteris aliis eſſe in ſtatu imperfecto, in quo
quis affectuum motibus agitur, et iis ægre ſolum reſiſtit, ut
tradunt communiter Doctores.

93 Virtus moralis proprie ſumpta eſt *habitualis amor ordinis*,
*ſive eſt amor firmus*, *& conſtans honeſtæ mediocritatis per re-*
*ctam rationem in qualibet materia definitæ*, ideſt habitus in-
clinans ad id agendum, quod juſta in mediocritate ſic poſi-
tum eſt, ut neque rationis, aut ordinis modum excedat, ne-
que ab eo deficiat in qualibet materia. Unde communiter di-
citur quod *Virtus in medio conſiſtit*, ideſt *in medio rationis*,
non autem *in medio rei*.

94 Mediocritas enim, ſeu medium eſt duplex, ſcilicet medium
rei, et medium rationis. *Medium rei* ex Ariſtotele *lib. 2. Ethic.*
*cap. 5.* eſt *illud*, *quod ab extremis æqualiter diſtat*, eſtque ubi-
que, et ſemper idem. Ut 6. medium eſt inter 10. et 2. nam
ſenarius numerus a binario, et denario æqualiter diſtat, nem-
pe quatuor unitatibus, et hoc medium vocatur ab Ariſtotele
*Arithmeticum*, et hoc habet Juſtitia commutativa, nempe
reddere præciſe cuique quod ſuum eſt, ſive ſtatuere vel con-
ſervare æqualitatem rei ad rem. Medium rationis, ſeu *Geo-*
*metricum* eſt *illud*, *quod a ratione præſcribitur*, et quo ſtatui-
tur quid, quo tempore, et quibus circumſtantiis agendum ſit.
Unde, ut *Medium rei* eſt ex natura rei ita taxatum, ut in
omnibus ſit omnino idem; *Medium vero rationis*, non eſt ita
determinatum, ſed variatur ex diverſis conditionibus, et cir-
cumſtantiis Perſonarum operantium. Ita tamen ut ſemper in
mediocritate conſiſtat; nam ſi quis ab ea mediocritate, vel ex-
cedendo, vel deficiendo receſſerit, in vitium morale incidet.

95 Cum vitium morale ſit *habitus malus inclinans ad actus*
*malos*, ideſt ad actus a recta ratione, ſeu *ordine* per exceſſum,
aut per defectum aberrantes, qui actus peccata vocantur. Vi-
de *ſupra a n. 12. ad* 15.

96 Unde deveniendo ad Virtutes Cardinales ſeorſim captas,
Prudentia definitur ab Ariſtotele *lib. 6. Ethic. cap. 5. Habitus*
*vera cum ratione activus in iis*, *quæ ſunt homini bona*, *vel*
*mala moraliter*, ideſt habitus, quo non tantum id agendum
ſit, et a quo abſtinendum cognoſcimus, ſed etiam quo conſtan-
ter amamus id agere, & agimus quod agendum eſt, & ab eo,
a quo eſt abſtinendum, abſtinemus, quia id *Ordo* poſtulat. Et
ſecundum Sanctum Baſilium *homil. 12. ad popul. Prudentia*
*eſt recta eorum*, *quæ agenda*, *vel non agenda ſunt*, *cognitio*.
Et ut definitur communiter, *Prudentia eſt recta agendorum ra-*
*tio*, ſeu eſt Virtus, qua in quovis occurrente negotio noſcimus
quid honeſtum ſit, ~~quid~~ turpe, ſeu quid agendum, ut hone-
ſtum, & quid fugiendum, ut inhoneſtum.

97 Prudentia, quamvis eſſentialiter non ſit Virtus moralis, ſed
intellectualis, eſt tamen directiva, Dux, et Regina omnium
moralium Virtutum, ſine qua nulla earum conſiſtere poteſt.
Unde Sanctus Bernardus *ſerm. 40. ſuper Cantic.* dicit: *Tolle*
*diſcretionem* (Prudentiam) *& Virtus vitium erit*: et *cap. Præ-*
*ſentium 3. cauſ. 1. quæſt. 5.* expreſſe dicitur, quod Prudentia,
*ſive diſcretio, Mater eſt omnium Virtutum*. Et idipſum habetur
in *cap. Cuſtos 1. de Officio Cuſtodis*, ibi: *Omnia cum diſcretio-*
*ne agantur*, *quæ noſcitur omnium Virtutum eſſe Matrem*, jun-
cta Gloſſa *ibid. verb. Cum diſcretione* expreſſe dicente: *Diſ-*
*cretio enim Mater eſt omnium Virtutum*.

98 Partes integrantes, ſive integrales Prudentiæ octo enume-
rantur a Sancto Thoma 2. 2. *quæſt. 48. artic. unic.* eaſque de-
ſumpſit partim ex Ariſtotele *lib. 6. Ethic. cap. 12. & ſequent.*
partim ex Macobrio *lib. 1. in Somn. Scip. cap. 8.* et ex San-
cto Auguſtino *lib. 83. qq. quæſt. 3.* et ſunt ſequentes, Memo-
ria, Intelligentia, Providentia, Ratio, Docilitas, Solertia, Cir-
cumſpectio, Cautio.

99 Ad perfectam igitur Prudentiam eſt neceſſaria *Memoria*,
ideſt præteritarum rerum recordatio, ex qua naſcitur expe-
rientia optima rerum magiſtra: Item *Intelligentia*, ſeu intelle-
ctio, ideſt præſentium notitia, et primorum principiorum
practicorum cognitio; item *Providentia*, ideſt futurorum
præſcientia reſpiciens futura hic, et nunc, maxime a pruden-
tibus conſideranda: Item *Ratio*, ideſt promptitudo, et facili-
tas ratiocinandi, et unum ex alio colligendi: Item *Docilitas*,
ſeu prompta facilitas ad diſcendum ab aliis prudentibus, et
expertis: Item *Solertia*, ſeu ſagacitas, ideſt facilis excogitatio,
et applicatio mediorum ad finem conducentium; Item *Cir-*
*cumſpectio* ideſt attenta ad recte exponendas omnes circum-
ſtantias actionis moralis conſideratio; Item *Cautio*, ideſt cura,
et ſollicitudo omnia evitandi incommoda, et cavendi ne ſub
ſpecie boni voluntas applicetur malis.

Partes *ſubjectivæ*, ſeu ſpecies *Prudentiæ ſunt quinque*; 100
ſcilicet Monaſtica, Œconomica, Legislativa, et Militaris.
S. Thom. 2. 2. *q. 48. art. unic.* et alii paſſim.

Prudentia *Monaſtica*, et *Perſonalis*, ſeu *ſolitaria*, et ſui 101
moderatrix, eſt illa, quæ dictat quo pacto quis prudenter ſe
gerere debeat circa ſeipſum. Prudentia *Œconomica* eſt, quæ
dictat modum recte gubernandi Familiam. Prudentia *Politi-*
*ca*, ſeu *Civilis* eſt, quæ dictat modum recte adminiſtrandi
Rempublicam, Legumque obſervantiam procurandi: Hæc
enim reſpicit bonum commune totius Reipublicæ, ſeu Civi-
tatis, ſicuti Œconomica bonum ſolius Familiæ, et Monaſtica
bonum ſolius ſui ipſius. Prudentia *Legislativa*, ſeu Regalis
eſt, quæ inſtruit ſuprema Capita Regnorum, et Provincia-
rum ad idoneas condendas Leges, earumque procurandam ob-
ſervantiam circa bonum totius Regni, ſeu Principatus publi-
cum regimen. *Prudentia Militaris* eſt, quæ præſcribit normam
recte militandi.

Partes Potentiales Prudentiæ tres communiter aſſignantur 102
cum Sanct. Thom. 2. *quæſt.* 51. et Ariſtotel. *lib. 6. Ethic. cap.*
10. *& ſequent*, nempe *Eubulia*, *Syneſis*, et *Gnome*. Tria
enim ſunt munia ipſius Prudentiæ, ut poſt Ariſtotelem, et
Sanctum Thomam *locis citatis*, notant paſſim Doctores, nem-
pe *bene conſultare*, *recte judicare*, et quod judicatum, ſeu
decretum eſt *ad praxim reducere*. Unde;

*Eubulia* (latine bona conſultatio) eſt habitus facilitans 103
ad recte conſultanda, & excogitanda media apta pro conſe-
cutione finis. *Syneſis* (quod latine eſt ſenſate diſcernere) eſt
habitus diſponens ad ferendum rectum judicium de particu-
laribus operabilibus conſultatis Lege commune definitis.
*Gnome* (latine ſententia, pronunciatum, aut imperium) eſt
habitus diſponens ad determinandum, ſeu jubendum rectæ
executioni eſſe tradendum id, quod bene conſultatum, &
judicatum eſt.

Vitia Prudentiæ oppoſita per defectum, ideſt per Pru- 104
dentiæ carentiam, quatuor potiſſimum recenſeri ſolent ex
D. Thoma *in 2. 2. q. 54.* & ſunt Præcipitatio, Inconſideratio,
Inconſtantia, & Negligentia.

*Præcipitatio* eſt vitium, quo quis opus aliquod ſtatim præ- 105
cipitanter, non præmiſſa ſufficienti conſultatione, & delibe-
ratione, aggreditur, ſicque opponitur *Eubuliæ*, ſeu bonæ
conſultationi. *Inconſideratio* eſt vitium, quo temere judica-
tur, & concluditur de ipſo opere exequendo, non præmiſſa
debita attentione, & diligenti rerum, ac circumſtantiarum in-
ſpectione; Sicque opponitur *Syneſi*, ſeu bono, ac ſenſato
judicio. *Inconſtantia* eſt vitium, quo quis de rebus jam ſe-
mel deliberatis ac recte judicatis ſine ulla, vel certe ſine
ſufficienti cauſa judicium, & ſententiam mutat; Sicque op-
ponitur *Gnomini*, ſeu ſententiæ, aut pronunciato ſeu judi-
cato. *Negligentia* eſt vitium, quo quis omittit requiſitam
diligentiam, & ſollicitudinem ad opportune exequendum
illud opus, quod conſultatum, & judicatum eſt, eſſe facien-
dum: ſicque etiam opponitur *Gnomini*, ſeu pronunciato,
aut judicato. *Nam & priuſquam incipias*, conſulto, *& ubi*
*conſulueris*, *mature facto opus eſt*, inquit Saluſtius *in Bello*
*Catilinario cap. 1.*

Vitia Prudentiæ oppoſita per exceſſum quinque præſertim 106
aſſignantur, nempe Prudentia carnis, Aſtutia, & Dolus,
Fraus, & Nimia ſollicitudo temporalium. *Sic Doctores*
*Communiter*.

*Prudentia carnis* ea dicitur, qua quis ſtudioſius excogitat 107
media, & ſua facta dirigit ad naturæ corruptæ, ſeu carnis
deſideria complenda, de qua Apoſtolus *ad Roman. 8.* dicit:
*Prudentia carnis mors eſt*, & infra: *Sapientia carnis inimica*
*eſt Deo*. *Aſtutia*, ſeu *calliditas*, aut *Verſutia* eſt excogitatio
mediorum, ſeu rationum perverſarum ad fallendum, ſeu de-
cipiendum proximum maxime conducentium de qua Apo-
ſtolus 2. *ad Corinth. 4. Non ambulantes in Aſtutia*. *Dolus* eſt
ipſius Aſtutiæ executio, tum per verba, tum per facta, &
definitur, quod ſit Machinatio ad circumveniendum, deci-
piendum, aut fallendum proximum adhibita. *Fraus* eſt exe-
cutio Aſtutiæ per facta, ut cum menſura eſt minor juſto, vel
cum moneta eſt adulterina, & hujuſmodi, adeoque Fraus
eſt quid minus commune, quam Dolus. *Nimia ſollicitudo*
*temporalium* eſt nimia mentis occupatio in conquirendis, &
conſervandis rebus temporalibus proveniens ex immoderato
habendi amore, & amittendi timore, quæ reprobatur *Mat-*
*thæi 6. Lucæ 12. & 1. ad Timoth. 6.*

Juſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas Jus ſuum unicui- 108
que tribuendi. *Communis* cum Ulpiano *in l. Juſtitia*, ff. *de*
*Juſti-*



109 *Juſtitia*, *& Jure*. Jus autem eſt id, quod juſtum, & æquum
eſt, ſive quod inter extrema vitioſa eſt medium.

110 Partes ſubjectivæ, ſeu ſpecies Juſtitiæ ſunt duæ, ſcilicet
Juſtitia diſtributiva, & Juſtitia commutativa. *Communis* ex
111 Ariſtotele 5. *Ethic. cap. 2.* Quænam autem ſit Juſtitia diſtri-
butiva, & commutativa? Vide verb. *Juſtitia n. 51. & 52.*
ubi etiam de differentia inter utramque.

112 Utraque Juſtitia æqualitatem, ſeu proportionem quam-
dam ſervat, cum hac tamen advertentia, quod in Juſtitia
diſtributiva ſervatur *proportio geometrica*, & hæc proportio
geometrica ſervat *medium rationis*, ſeu *Geometricum*; In
Juſtitia autem commutativa ſervatur *proportio Arithmetica*,
& hæc proportio Arithmetica ſervat *medium rei*, ſeu *Arith-*
113 *meticum*. Quodnam autem ſit medium rei, ſeu Arithmeti-
cum, & quod ſit medium rationis, ſeu geometricum? Vide
*ſupra n. 94.* & verb. *Juſtitia n. 52.* ubi de æquitate *Arithme-*
*tica*, & *Geometrica*.

114 Si quis *medium rationis* in Juſtitia *diſtributiva*, vel *medium*
*rei* in Juſtitia *commutativa* non ſervet, tunc Jus ipſum lædit,
& Legem, qua Jus illud conſtituitur, violat. *Sic Doctores*
*communiter*.

115 Partes integrantes, ſeu integrales Juſtitiæ ex S. Thoma 2. 2.
*q. 79. art. 1*, duæ ſunt, nempe declinare a malo, & facere bo-
num, quoniam iſtæ ad perfectum Juſtitiæ actum requiruntur;
Cum enim ceteræ Virtutes homines in ſe, & propter ſe per-
ficiant: Juſtitia autem ſit ad alterum, ut ait idem S. Th. 2. 2.
*q. 58. art. 2.* Peculiari modo ad Juſtitiam pertinet, ut illa,
dum cujuſque Jus conſtituit, a malo declinet, & faciat bo-
num.

116 Partes potentiales Juſtitiæ, quibus veluti facultatibus aut
organis actus ſuos Juſtitia exercet, octo enumerantur a S. Th.
2. 2. *q. 80 art. 1.* nempe Religio, Pietas, Obſervantia, Veri-
tas, Gratia, Vindicatio, Liberalitas, & Amicitia, quibus ad-
ditur Aſtabilitas, & iſtæ fere omnes aſſignantur etiam a Ci-
cerone *lib. 2. de Inventione*.

117 *Religio* eſt Virtus moralis inclinans ad debitum cultum
Deo tamquam primo rerum Principio in agnitionem ſupre-
mæ ipſius poteſtatis, & excellentiæ exhibendum. Et hic
cultus exhibetur Deo, tum interius, *devotione* ſcilicet, &
*oratione*, tum exterius, *Adoratione* ſcilicet, *Sacrificio*, *vo-*
*to* &c. *Pietas* eſt Virtus, qua debitus honor, officium, ac ob-
ſequium deferimus iis, qui poſt Deum ſunt præcipui noſtræ
vitæ, & educationis Auctores, uti ſunt parentes, & alii con-
ſanguinei, ac patria, quorum meritis paria referre non poſ-
ſumus: Sumitur etiam Pietas apud Chriſtianos pro *devotio-*
*ne*, ideſt pro fervore actus circa ea, quæ ſunt cultus divini.
*Obſervantia* eſt Virtus, qua debitum honorem, officium, ac
obſequium deferimus Superioribus noſtris, ac Majoribus æta-
te, Sapientia, ac Dignitate; Ad hanc reducitur *Obedientia*,
quæ quatenus eſt ſpecialis Virtus, ideo aliquid facit, quia
præceptum eſt. *Veritas*, ſeu *Veracitas* eſt virtus moralis,
qua nos proximis tales dictis, & factis exhibemus, quales
reipſa ſumus nihil enunciando, aut aliter fingendo, quam ſit,
vel fuerit, vel futurum ſit. *Gratia & Gratitudo* eſt virtus,
quæ reſpicit debitum ex beneficio natum. Unde inclinat ad
Beneficium beneficio compenſandum extenditque ſe ad omnes,
a quibus aliquod beneficium accepimus, ut ad Deum, Pa-
rentes, Superiores, & homines privatos. *Vindicatio* eſt vir-
tus, per quam vim, & contumeliam defendendo, aut ulci-
ſcendo propulſamus a nobis, & ab aliis, & per quam pecca-
ta punimus; Quæ tamen non eſt licita, niſi iis, qui aliis præ-
ſunt ad Juſtitiæ conſervationem. *Liberalitas* eſt virtus, quæ
circa pecunias dandas, & accipiendas mediocritatem tuetur,
& conſequenter inclinat ad eas elargiendas, & condonandas
ſecundum rectam rationem. *Amicitia* eſt virtus, qua aliqui
mutuam, apertamque inter ſe benevolentiam gerunt, ſeque
invicem bonis afficiunt honeſtatis gratia, & non ſolum jucun-
ditatis, aut utilitatis cauſa. *Affabilitas* eſt virtus, qua quis in
convictu, et vitæ conſuetudine facilem, et gratum ſe, ut de-
cet, exhibere ſtudet.

118 Vitia oppoſita virtuti Juſtitiæ generatim ſunt omnes *Inju-*
*ſtitiæ*, quibus violatur tum Juſtitia diſtributiva, tum Juſtitia
commutativa, tam per exceſſum, quam per defectum. Et
quidem violatur Juſtitia diſtributiva *per exceſſum*, cum Prin-
ceps v. g. ſeu Superior tenui cuidam, et modicæ virtutis vi-
ro plus gloriæ, vel honoris, aut mercedis tribuat, quam de-
ceat; *Per defectum* autem ſi minus tribuat, quam deceat vi-
rum eximiæ virtutis, et meriti. Item violatur Juſtitia com-
mutativa *per exceſſum*, cum v. g. carius aliquid emitur, et
venditur, vel cum in mutuo præter ſortem principalem ali-
quid datur, aut accipitur; *Per defectum* vero, ſi minus ſol-
vatur, vel reddatur, quam emptum, aut mutuo acceptum
fuerit.

Et ita pariformiter deſcendendo ad partes potentiales Vir- 119
tutis Juſtitiæ in ſpecie opponuntur ipſi ſua ſpecifica vitia,
nempe *Religioni* Irreligioſitas, & Superſtitio. *Pietati ob-*
*ſervantiæ* ac Impietas. *Obedientiæ* Inobſervantia, ac Inobe-
dientia. *Veritati* Mendacium. *Gratiæ Gratitudini* Ingratitu-
do. *Vindicationi* Nimia Clementia ſeu indiſcreta Lenitas.
*Liberalitati* Avaritia, & Prodigalitas. *Amicitiæ* Inimicitia.
*Affabilitati* Adulatio per exceſſum, & Moroſitas, ſeu Aſpe-
ritas per defectum.

Fortitudo ex Ariſtotele *lib. 3. Ethic. cap. 9.* eſt *Mediocri-* 120
*tas inter Audaciam*, *& timorem conſtituta*; Unde recte de-
finitur, quod ſit Virtus moderatrix audaciæ, & timoris in
periculis, ubi, & quando ratio præcipit adeundis, aut ad-
verſis rebus ſuſtinendis. *Ita in re Communis*.

Ex qua definitione, ut vides, duo ſunt actus præcipui 121
*Fortitudinis*, nempe *Aggredi*, ſeu pericula adire, & *ſuſtine-*
*re*, ſeu res quaslibet adverſas conſtanter tolerare, cum id ho-
neſtum, ac conveniens ex recta ratione videtur. Unde For-
titudo velut in duas ſecatur partes ſubjectivas, nempe in *Ma-*
*gnanimitatem*, & *Patientiam*. *Magnanimitas* eſt virtus ad om-
ne arduum aggrediendum ex motivo propriæ honeſtatis incli-
nans. *Patientia* eſt Virtus, quæ in adverſis rebus ex præ-
ſcripto rectæ rationis animi mærorem temperat, ac mala præ-
ſentia æquanimiter tolerat.

Partes Fortitudinis integrantes, quæ & potentiales quoque 122
appellari poſſunt, ſunt præſertim Fiducia, Magnificentia, &
Perſeverantia. *Fiducia*, ſeu *Confidentia* eſt Virtus, qua
quis rationabiliter confidit poſſe ſe arduiſſima, ac difficilli-
ma, ubi, & quando decet, aggredi, ſeu tolerare. *Magni-*
*ficentia* eſt Virtus reddens hominem promptum ad faciendos
magnos ſumptus, ubi, & quando recta ratio id expedire ju-
dicat, continetque in ſe pecuniæ contemptum, ſeu vilipen-
ſionem. *Perſeverantia*, ſeu *Conſtantia*, eſt Virtus, per quam,
non obſtante temporis diuturnitate, rerum, ac circumſtan-
tiarum difficultate, ac moleſtia, homo perſiſtit in bono ope-
re, quandiu recta ratio dictat.

Vitia oppoſita Fortitudini ſunt Temeritas, ſeu Audacia, 123
& Timiditas, ſeu Ignavia. *Temeritas* quidem ſeu *Audacia*
per exceſſum, *Timiditas* autem ſeu Ignavia per defectum.
*Temeritas*, ſeu *Audacia* eſt vitium, quo per exceſſum Fi- 124
duciæ quis aggreditur pericula quando, ubi, & quomodo ſe-
cundum rectam rationem non oportet; *Timiditas*, ſeu *Igna-*
*via*, e contra eſt vitium, quo per defectum Fiduciæ quis ni-
hil audet ubi, quando, & quomodo aggredi, vel ſuſtinere
ſecundum rectam rationem oportet.

Magnanimitati opponitur per exceſſum *Præſumptio*, qua 125
homo ex nimia virium confidentia aggreditur, quod eſt ſu-
pra vires, & *Ambitio*, quæ conſiſtit in nimia honoris appe-
tentia: Per defectum autem opponitur ei *Puſillanimitas*, quæ
conſiſtit in fuga magnorum operum ex eo quod quis nimis fa-
cile exiſtimet ſe imparem eſſe talibus operibus Patientiæ op- 126
ponitur per exceſſum *Impatientia*, qua quis juſtum dolendi
modum, quam Patientia præſcribit, excedit; per defectum
autem ei opponitur *Inſenſibilitas*, qua quis nec ſuis, nec
proximorum malis tangitur.

Fiduciæ ſeu Confidentiæ opponitur per exceſſum *Auda-* 127
*cia* ſeu *Temeritas*, ac *Præſumptio*, & per defectum *Timi-*
*ditas*; ſeu *Ignavia*, ac *Puſillanimitas*, uti dictum eſt *ſupra*
*num. 123. & 124.* de vitiis oppoſitis ipſi Fortitudini, & *nu-*
*mer. 125.* de vitiis oppoſitis Magnanimitati. Magnificentiæ 128
opponitur per exceſſum *Profuſio pecuniæ*, qua quis nimium
auget ſumptus, & longe majores facit expenſas, quam ra-
tio dictet. Et per defectum opponitur ei *Parvificentia*, qua
quis ex animi anguſtia magno cœpto operi, v. g. Magno Pa-
latio, Magnificæ Eccleſiæ non pares, ſeu decentes exhibet
ſumptus. Perſeverantiæ ſeu Conſtantiæ opponitur per ex- 129
ceſſum *Pertinacia*, qua aliquis in opere incæpto continuare
vult, quando & ubi non oportet, vel pluſquam oportet.
Per defectum autem ei opponitur *Mollities animi*, ſeu *Incon-*
*ſtantia*, qua quis faciliter, & ſine rationabili cauſa a bono
incæpto abſiſtit.

Temperantia eſt Virtus refrænans, ac moderans inordina- 130
tos appetitus, & concupiſcentias, ac voluptates corporis,
quibus præſertim guſtus & tactus afficitur circa eſculenta,
poculenta & venerea. *Sic in re Communis*.

Par-

131 Partes ſubjectivæ, ſeu ſpecies Temperantiæ proprie acce-
ptæ ſunt Abſtinentia, Sobrietas, Caſtitas, & Pudicitia. *Ab-
ſtinentia* eſt virtus moderans cupiditates, & delectationes
eſculentorum. *Sobrietas* eſt virtus moderans cupiditates po-
culentorum, ſeu potus inebriare valentis. *Caſtitas* eſt virtus
moderans inordinatum appetitum, uſumque venereorum. Et
hæc triplex eſt, nempe Virginalis, Vidualis, & Conjuga-
lis. *Pudicitia* eſt virtus moderans appetitum circa aſpectus,
oſcula, tactus; & ſimiles actus impudicos, ac venereos præ-
vios ad actum Principalem, & dicitur *Pudicitia*, quatenus
pudori qui in uſu illorum intervenire ſolet conformis exiſtit;
Pudor enim eſt perturbatio animi de iis, quæ dedecus infer-
re videntur.

132 Partes potentiales Temperantiæ ſunt Continentia, Humili-
tas, Manſuetudo, Clementia, Studioſitas, Modeſtia, Eu-
trapelia, ſeu Urbanitas. *Continentia* eſt virtus, quæ conti-
net hominem a rebus venereis, ſeu concupiſcentiæ motibus
ad intemperantiam provocantibus reſiſtit. *Humilitas* eſt vir-
tus, quæ hominem ad ſui vilitatem ingenue profitendam in-
clinat, ac temperat ejus inordinatum appetitum tendendi ad
excelſa. *Manſuetudo* eſt virtus, quæ moderatur iram juxta
rationis præſcriptum. *Clementia* eſt virtus, quæ moderatur
externam vindictam, & punitionem, quantum ratio Juſtitiæ
patitur. *Studioſitas* eſt virtus, quæ inordinatam ſciendi cu-
piditatem temperat, ac intra legitimos fines cohibet. *Mode-
ſtia* eſt virtus, quæ intra limites ſui ſtatus, ac conditionis de-
bito modo ſe continet, tum in verbis, tum in factis, tum in
veſtibus, ſuppellectilibus, ac conviviis. *Eutropelia*, ſeu
*Urbanitas* eſt virtus, quæ in recreationibus, ludis, ac jocis
honeſtis, atque ad animi, & corporis refocillationem ſuſce-
ptis rectum rationis moderamen ſervat.

133 Partes integrales, ſeu integrantes Temperantiæ ſunt *Ve-
recundia*, & *Honeſtas*. *Verecundia* ſumpta prout ad præſens
ſpectat, pro habitu, ſeu actu virtuoſo, eſt virtus a turpibus,
& inhoneſtis cupiditatibus retrahens. *Honeſtas* eſt virtus aver-
tens operantem ab inhoneſtis voluptatibus, in eſcis, potibus,
& veneri inſervientibus, & inclinans ad decorem, in abſti-
nentia earum relucentem: *Honeſtum* enim, & *Decorum*, hoc
loco idem ſignificant. Quo ſenſu eleganter ait Tullius *lib.* 1.
*de offic. Et quod decet, honeſtum eſt, & quod honeſtum eſt,
decet*.

134 Vitia oppoſita Temperantiæ ſunt Stupor, & Intemperan-
tia. Stupor quidem per defectum; Intemperantia autem per
exceſſum. *Stupor, ſeu inſenſibilitas*, eſt vitium, quo dele-
ctationes corporeæ etiam ad naturæ conſervationem divini-
tus ordinatæ contra rectam rationem prætermittuntur, ſeu
eſt vitium, quo quis fugit honores, & voluptates, ut nolit
eis uti quando, vel ubi, vel quantum ſecundum rectam ra-
tionem oportet, *Intemperantia* eſt vitium, quo quis in ap-
petendis honoribus, & voluptatibus excedit omnino dicta-
men rectæ rationis.

134 Sic pariformiter aliis Temperantiæ partibus opponuntur
ſua ſpecialia vitia per exceſſum, nempe Abſtinentiæ, *Gula*,
ſeu *Crapula*, & *Comeſſatio*. Sobrietati *Gula* item, & *Ebrie-
tas*. Caſtitati *Luxuria*. Pudicitiæ *Impudicitia*. Continentiæ
*Incontinentia*. Humilitati *Superbia*. Manſuetudini *Iracun-
dia*. Clementiæ *Crudelitas*. Studioſitati *Curioſitas*. Mode-
ſtiæ *Immodeſtia*. Eutrapliæ ſeu urbanitati *Scurrilitas*, ſeu
*Inverecundia*. Honeſtati *Impudentia*. Vitia autem eis op-
poſita per defectum propria nomina non ſunt ſortita, ut pa-
tet de *Manſuetudine*, contra quam peccatur ſecundum defe-
ctum per iræ vacuitatem non increpando, caſtigando, & vin-
dicando malum, ubi, & ſicut oportet. De *Humilitate*, con-
tra quam ſecundum defectum peccatur per nimiam abjectio-
nem ſui, & ſic de aliis.

## V I S.

1 VIs, ſeu violentia eſt impetus majoris rei, cui reſiſti
non poteſt, ut definitur *in leg. Vis autem* 2. *ff. Quod
metus cauſa*, Gloſſa verb. *Cauſa in cap. Ad audientiam* 4. *de
his, quæ vi*, Gloſſa verb. *Vim in cap.* 1. *eodem in* 6. Et ex-
plicatur, ut ſit neceſſitas rei faciendæ, præter voluntatem
noſtram extorta, per text. in *l. Ait Prætor* 1. *ff. Quod metus
cauſa*, Raynaldus *lib.* 2. *cap.* 23. §. 1. *num.* 1. & 2, cum plu-
ribus ibi allegatis.

2 Vis in genere alia eſt publica, alia privata; *l. Hoc jure
utimur ff. de Regul. jur.* Urſaya *Inſtitut. crimin. lib.* 2. *titul.* 7.
*num.* 2. Raynald. *loco citat. num.* 6. *& ſequent.* & alii paſ- 3
ſim. Vis publica eſt, quæ fit cum armis. Privata vero, quæ
fit ſine armis; §. *Item Lex Julia* 8. *Inſtitut. de public. Judic.*
Gloſſa 1. *in cap. Cum dilectus* 2. *de ordin. cognition. Antonius
Matthæus de crimin. tit. de vi publica, & privat. cap.* 1. *nu-
mer.* 2. Raynald. *l. c. n.* 10. Urſaya *l. c. n.* 3.

Vis publica variis modis committi ſolet. Primo, ſi quis do- 4
mi ſuæ, ſive in Civitate, ſive in Villa, ſive in agris, & vineis
arma coegerit ad aliquod facinus perpetrandum; *l. Lege Ju-
lia* 1. *ff. ad Leg. Jul. de vi publica*. Secundo, ſi quis turbæ, 5
ſeditioniſque faciendæ conſilium inierit, & ſervos, aut libe-
ros homines in armis habuerit, armatoſque congregaverit,
textu expreſſo in *leg. In eadem cauſa* 3. *ff. eodem & in leg.* 6
*Omnibus* 10. *Cod. ad Leg. Jul. de vi public.* Tertio, ſi quis
publice ad nocendum cum armis ambulaverit; *leg. In ea-* 7
*dem cauſa* 3. §. 1. *ff. eod.* Quarto, ſi quis armatis hominibus
poſſeſſorem de domo, vel de agro, vel de navi dejecerit,
concuſſerit, vel expugnaverit; *citat. leg. In eadem cauſa* 8
§. 6. Quinto, ſi quis cœtu, concurſu, turba, ſeditione in-
cendium fecerit; ſeu in incendio cauſa rapiendi interfuerit,
vel Dominum prohibuerit res ſuas ab incendio ſervare, *citat
leg. In eadem cauſa*, §. 5. *& leg. Qui cœtu* 5. *ff. eod.* Sexto, 9
Si quis ædes, vel villas alienas convocatione, aut ſeditione
expugnaverit, expilaverit, effregerit & bona ibidem exiſten-
tia rapuerit, *citat. leg. In eadem cauſa*, §. 2. *& leg. Hi qui
ædes* 11. *ff. eod.* Septimo, Si quis dolo malo fecerit quomi- 10
nus Judicia tuto exerceantur, aut Judices, ut oportet, judi-
cent, textu expreſſo in *leg. Qui dolo malo* 10. *ff. eod.* Octa- 11
vo, Si quis convocatis hominibus vim fecerit, ut quis ver-
beretur, & pulſetur, quamvis non occidatur, textu expreſſo
in citat. *leg. Qui dolo malo*, §. 1. Nono, Si quis violenter ho- 12
neſtam mulierem, ſive virginem, ſive nuptam, ſive viduam
invitam rapuerit, aſportaverit, & abduxerit de loco ad locum
cauſa libidinis, & animo eam carnaliter cognoſcendi, *l. Qui
cœtu* 5. §. 2. *ff. eodem & leg. Raptores* 5. *Cod. de raptu Virginum,
ſeu viduarum*. Decimo; Si quis puerum, vel feminam, vel 13
quemquam per vim ſtupraverit, textu expreſſo *in citat. leg. In
eadem cauſa*, §. 4. Undecimo, Si quis per vim aliquem prohi- 14
buerit, vel e contra ad teſtandum aliquem invitum compulerit;
Si enim id cum armis fecerit, præter crimen Falſi, tenebitur
etiam ex *leg. Julia, de vi publica*: Si vero ſine armis tenebitur
ex *leg. Julia, de vi privata*, ut tradunt Farinac. *quæſt.* 151.
*num.* 5. Urſaya *loc. citat. num.* 130. & alii paſſim. Duodeci- 15
mo, Si quis vineas, & agros depopulaverit, ſive de die ſive
de nocte, is enim propter criminis atrocitatem, nec etiam
gaudet immunitate Eccleſiaſtica, *cap. Inter alia* 6. *de immun.
Eccleſ.* & ſanxerunt Gregor. XIV. Conſtitut. incipient. *Cum
alias*, & Benedictus XIII. Conſtitut. incipient. *Ex quo*. Sic
Antonius Matthæus *de crimin. tit. de vi public. & privat.* Bru-
giot. *Inſtitut. crimin. lib.* 3. *tit.* 6. *per tot.* Urſaya *l. c. l.* 2. *tit.* 7.
*per tot.* & alii paſſim.

Vis privata etiam ipſa variis modis committi poteſt, & fe- 16
re in omnibus illis caſibus, in quibus publica committi ſolet,
ſi ſine armis committatur, ut tradunt in *ſuis Inſtitut. crimin.*
Brugiot. *l.* 3. *tit.* 6. Zuff. *lib.* 2. *tit.* 19. Urſaya *lib.* 2. *tit.* 7. *a* 17
*nnmer.* 134. Si quis igitur convocatis hominibus, abſque ta-
men armis, vim fecerit, ut quis verberetur, aut pulſetur,
quamvis non occidatur, adhuc erit reus criminis vis privatæ,
textu expreſſo *in leg. Hac lege* 2. *ff. ad Leg. Jul. de vi privata*.
Item ſi quis cætum, vel concurſum fecerit quo minus aliquis 18
in jus producatur, textu expreſſo *in l. legis Juliæ* 4. *ff. eod.* 19
Item ſi quis aliquem de agro, vinea aut villa ſua, congrega-
tis hominibus ſine armis, dejecerit, textu expreſſo *in leg. Si
quis aliquem* 5. *ff. eod.* Item ſi creditor ſine auctoritate Judicis 20
abſque armis, bona debitoris uſurpaverit, textu expreſſo in
*leg. Creditores* 7. *& in leg. Si creditor* 8. *ff. eod.* Item ſi quis 21
ex naufragio dolo malo ſine armis aliquid rapuerit, textu ex-
preſſo in *l. de vi privata* 1. §. 1. *ff. eod.* Item ſi qui improbe 22
coeant in alienam litem, ut quidquid ex condemnatione in
rem ipſius redactum fuerit, inter eos communicaretur, textu
expreſſo in *l. Ex ſenatus conſulto* 6. *ff. eod.*

Vis in ſpecie eſt quintuplex. Prima *expulſiva*, cum quis 23
a re immobili expellitur. Secunda *ablativa* cum res mobilis
cuipiam aufertur. Tertia *compulſiva*, cum quis rem ſuam alie-
nare cogitur. Quarta *turbativa*, qua quis in poſſeſſione tur-
batur. Quinta *inquietativa*, cum duo viciſſim prætendunt poſſi-
dere, & alterum alter inquietat. Primæ duæ præſcriptionem,
ſeu uſucapionem ſecum non ferunt; Trium autem poſterio-
rum nulla obſtat præſcriptioni; §. *Furtivæ in addit. margin.
Inſtit. de uſucapion.* Raynald. *l. c. numer.* 11. teſtans de com-
muni, Hieronymus Thomas in *tract. de vi impulſiva c.* 1. §. 1.
& alii paſſim.

24 Vis expulſiva parit interdictum *Unde vi* contra expellen-
tem; *leg. Sequitur* 4. §. *Si tu vi & ibi* Gloſſa verb. *Locum*,
*ff. de uſucapion.* & Gloſſa 2. *in cap. Ad audientiam* 4. *de his
quæ vi*. Hinc vi expulſus de poſſeſſione cum habeat inter-
dictum *Unde vi*, perinde habetur ac ſi poſſideret quoad rem,
& damna, & fructus, *leg. Si quis vi* 17. *ff. de uſucapion. &
ibi Gloſſa* 1.

25 Vis ablativa inducit actionem *Si bonorum raptorum*, *l. Præ-
tor ait* 2. *ff. Si bonorum raptorum*, Gloſſa in *cap. Ad audien-
tiam* 4. *verb. Cauſa, de his, quæ vi metuſve cauſa fiunt*.

26 Vis compulſiva inducit actionem *Quod metus cauſa*. Gloſ-
ſa 2. *in d. c. Ad audientiam*. Vis enim compulſiva, & metus
idem ſunt, Gloſſa 1. *in l. Nihil conſenſui* 116. *ff. de Regul.
juris*.

27 Vis turbativa inducit Interdictum *Uti poſſidetis* pro immo-
bilibus; & *Unde vi*, ac *Utrubi* pro mobilibus, cum duo ſe
poſſidere contendunt. *Gloſſa* 2. *in cit. cap. Ad audientiam, &
Gloſſa final. in leg. Continet* 3. *ff. Quod metus cauſa*.

28 Vis inquietativa inducit Interdictum *Quod vi, aut clam*,
cit. Gloſſa 2. *in d. c. Ad audientiam, & cit. Gloſſa fin. in dict. l.
Continet*.

29 Vis publica regulariter punitur pœna deportationis, textu
expreſſo *in* §. *Item lex Julia*, *Inſtitut. de public. Judiciis.* Et
vis privata punitur pœna publicationis tertiæ partis bonorum,
textu expreſſo etiam in dict. §. *Item lex Julia*. Pro varieta-
te autem caſuum, in quibus committitur vis publica, variæ
etiam ſunt in utroque jure ſtatutæ pœnæ, de quibus in verb.
*Pœna a n.* 213. *ad* 216. Vide *ibi*.

30 Vim vi repellere licet ſtatim & ſine intervallo, *leg. Ut
vim* 3. *& ibi Gloſſa* 2. *ff. de juſt. & jur. leg. Sed & partus* 12.
§. 1. *ff. Quod metus cauſa*, *leg. Orator art.* 1. §. *Vim* 1. *ff. de
vi, & vi armata*, *cap. Ultim.* 12. *de reſtitut. ſpoliator. cap.
Dilecto* 6. *de ſentent. excommunic. in* 6. cum ſimilibus; Vim
enim vi repellere omnes Leges, omniaque jura permittunt,
*leg. Scientiam* 45. §. *Qui cum aliter ff. ad Leg. Aquil. cap. Per-
pendimus* 23. *& ibi Gloſſa* 1. *de ſentent. excommunic. cap. Jus
naturale* 7. *& ibi Gloſſa* 1. *diſt.* 1. *cap. Summa* 7. *& ibi Gloſſa*
1. *cauſ.* 23. *quæſt.* 1. *cap. Dilecto* 5. *de ſentent. excommuni-
cat. in* 6.

31 Debet tamen vis, ſeu propulſatio fieri incontinenti, ſtatim,
ac ſine intervallo, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, non
ad vindictam, ſed ad defenſionem, *leg. Scientiam* 45. §. *Qui
cum aliter*, *ff. ad Leg. Aquil. l.* 1. *C. Unde vi*, *cap. Interfeci-
ſti* 2. *& cap. Perfodiens* 3. *de homicidio* cum ſimilibus. Unde
ſi quis percuſſit aliquem, & recedat, non poteſt percuſſus
licite inſequi percuſſorem, quia tunc vellet injuriam ulciſci,
& non repellere eam, eſſetque potius vindicta, quam defen-
ſio. Gloſſa *verb. Secularibus*, & Gloſſa *final. in citat. cap.
Si perfodiens* 3. *de homicid.* & commun. Doctor.

32 Vim vi repellere licet etiam contra Clericum cum mode-
ramine inculpatæ tutelæ; *cap. Olim* 12. *de reſtitut. Spoliator.*
& ibi *Gloſſa final. cap. Perpendimus* 23. *de ſentent. excomm.*
cum ſimilibus.

33 Vis, & metus differunt inter ſe, quia metus refertur ad
animum, & vis refertur ad corpus. Gloſſa *in leg. Si vi. vel
metu* 3. *verb. Si vi, C. de his, quæ vi metuſve cauſa fiunt*,
34 Rota recent. *p.* 1. *deciſ.* 643. *numer.* 45. Vis tamen includit in
ſe metum; Unde quod vi fit, metu quoque fieri videtur.
Gl. *verb. Cauſa in c. Ad audientiam* 4. *de his, quæ vi metuſ-
ve cauſa fiunt*, Burat. *dec.* 86. *n.* 27. *& ſeq.*

### *Novæ additiones ex aliena manu.*

1 DE vi tres potiſſimum Leges latæ fuere, una Plautia, &
duæ Juliæ, Cæſaris altera, altera Auguſti. Confer *Si-
gon. de Judic. lib.* 2. *cap. ultim.*

2 Duo Legis Juliæ fuerunt ſumma capita, alterum de vi pu-
blica, alterum de vi privata. Definivit Juſtinianus vim pu-
blicam, quæ fit cum armis, privatam, quæ fit ſine armis;
3 §. *Recuperandæ Inſtitut. de Interdict.* At licet hæ definitio-
4 nes ut plurimum procedant, non tamen ſemper, inſpecta
præſertim vi publica. Omnis utique vis armata publica eſt,
at non omnis vis publica armata eſt, quippe quia & ſine ar-
mis Reſpublica, publicave utilitas, ita lædi queat, ut inde
Legis Juliæ de vi publica accuſatio naſcatur; conſule *Anton.*



*Matthæum de Crimin. lib.* 48. *tit.* 4. *cap.* 1. *n.* 2. *& ſeq.*

Appellatione vero armorum hic veniunt non ſolum ſcuta, 5
& gladii, & galeæ ſed & fuſtes & lapides & in genere qua-
cumque, quibus ſinguli homines nocere queunt; *L.* 9. *l.* 11.
§. 1. *ff. Ad leg. Jul. de vi public.* §. *Recuperandæ Inſtitut. de
Interdict.*

Armata dicitur vis, ſi armati quidem venerint ad dejicien- 6
dum de poſſeſſione, ſed armis ad dejiciendum uſi non ſint,
eo quod ſufficit terror armorum, ut videantur armis dejeciſ-
ſe; *l.* 3. §. 5. *ff. de vi, & vi armata*.

De iis, qui tenentur ex Lege Julia de vi publica, adi *Si-* 7
*gon. de Judic. dict. cap. ultim.* tum *Antonium Matthæum de
Crimin. lib.* 48. *tit.* 4. *c.* 1. *n.* 3.

Pœna vis publicæ ex Lege Julia eſt aquæ & ignis interdi- 8
ctio, in cujus locum ſucceſſit deportatio; *l.* 1. §. *ultim. ff.* 9
*ad l. Juliam de vi public.* atque adeo etiam bonorum publica-
tio, ſi non extent conjunctæ Perſonæ, quibus bona reſerva-
ri juſſit Juſtinianus in *Novella* 134. *cap. ultim.* quin & ali- 10
quando ultimum ſupplicium, præſertim in humilioribus, ſi
atrocior violentiæ ſpecies ſit, vel ex vi allata cædes alicujus
illata fuerit; *l.* 11. *ff. ad leg. Jul. de vi public. l.* 6. *C. eodem
titul.*

Moribus vero pœna vis publicæ arbitraria eſt pro modo & 11
gravitate admiſſi criminis; Vide *Groenevvegen. ad* §. 8. *Inſti-
tut. de Public. Judic.*

## V I S, E T M E T U S.

### *Additio ex Auctore.*

VIs, & metus diſtinguitur in gravem, & levem, habito 1
etiam reſpectu ad perſonam cui infertur; Bened. XIV.
tom. 2. Conſtitut. 47. incipient. *Si datam*. Vim, & metum 2
inferentes, ut quis Religionem ingrediatur, aut Profeſſionem
emittat, ab Ordinario puniendi ſunt pœnis a Concil. Triden- 3
tin. ſtatutis; Idem *ibidem* Vis, & metus auctores, qui a
reclamante, vel a teſtibus ab ipſo inductis, indicati fuerint,
citari debent in judicio ſuper nullitat. Profeſſionis; Idem *ibi-
dem* Vis & metus incuſſus ad cogendum aliquem ut Profeſ- 4
ſionem Regularem emittat, etiamſi perſeveraverit per quin-
quennium, & ultra, non ideo tamen prorogatur quinquennium
a Concil. Tridentin. conceſſum ad reclamandum; Idem *ibid.* 5
Attamen ex Apoſtolicæ Sedis æquitate inductum eſt reme-
dium reſtitutionis in integrum adverſus lapſum quinquennii, a
ſola tunc ipſa Sede Apoſtolica concedendum; Idem *ib.*

Vis, & metus adhiberi non debet, ut Judæi in Chriſtiano- 6
rum regionibus aſyli jure gaudentes, Baptiſmum ſuſcipiant;
Idem Conſtitut. 23. incipient. *Poſtremo menſe* §. 13. & 37. Si 7
quis per vim & metum dicat ſe baptizatum fuiſſe videndum,
an violenter cedendo conſenſerit, an vero diſſentiens aqua
Baptiſmi ablutus fuerit. In primo enim caſu valide baptizatus
cenſebitur, ſecus in ſecundo; Idem *ibidem* §. 49. *& ſequent.* 8
Vide *tom.* 1. *verb. Baptiſmus*, *& tom.* 4. *verb. Hebræus*, ubi
multa alia ad rem.

## VISITARE, VISITATIO, VISITATOR.

VIſitare nihil aliud eſt, quam exceſſus, ac defectus in- 1
quirere, inventoſque caſtigare, & convenientibus reme-
diis emendare, atque obſervantiam obligationum juxta cujuſ-
vis Perſonæ, ac rei exigentiam, ubi adhuc viget, conſervare,
& ubi deficit, in priſtinum reſtituere. Barboſa *de Offic. &
poteſt. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 73. *num.* 1. & alii communiter
per text. *Concil. Tridentin. ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 5. ibi:
„ Viſitationum autem illarum præcipuus ſit ſcopus, ſanam
„ orthodoxamque Doctrinam, expulſis Hæreſibus inducе-
„ re, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohor-
„ tationibus, & admonitionibus ad Religionem, pacem,
„ innocentiamque accendere, cetera prout locus, tempus
„ & occaſio feret, ex viſitantium prudentia ad Fidelium fru-
„ ctum conſtituere.

Viſitandi Jus, & poteſtas competit omnibus Prælatis Ec- 2
cleſiaſticis, qui Juriſdictionem ordinariam in aliquos habent;
*cap. Romana* 1. §. *Hanc, de Cenſibus in* 6. Unde poſt Romanum
Pontificem Jus, & poteſtatem viſitandi habent Legati a La- 3
tere ex Officio Legationis ſibi a Sede Apoſtolica demandatæ,
*cap. cum Apoſtolus, de Cenſibus*. Item Legati Pontificii, qui 4
non

non ſunt a Latere , ſed dicuntur nati , quibus Legatio Apoſtolica competit ratione Dignitatis , in qua ſunt conſtituti, *cap. Cum inſtantia* , *cap. Procurationes* , *de cenſibus* , Barboſa *loc.*
5 *citat. num.* 21. & alii . Item Legati Apoſtolici qui Miſſi, ſive Nuncii Apoſtolici nuncupantur , ſi viſitandi onus eis ſit ſpecialiter impoſitum ; Vel ſi urgens aliqua neceſſitas Viſitationem poſtulet; *citat. capit. Cum inſtantia* , *& citat. cap. Procurationes* , *de Cenſibus* ; Tuſchus *de Viſitation. lib.* 1. *cap.* 2.
6 *num.* 9. Barboſa *loco citat. num.* 21. Item Vicarius Summi Pontificis in Territorio ſibi injuncto : *cap. Penultim. de Offic. Vicar.* Tuſchus *cit. lib.* 1. *cap.* 2. *numer.* 4. Barboſa *loc. citat.*
7 *numer.* 21. & alii . Item Cardinales in Eccleſiis ſuorum Titulorum . Leo X. in Conſtitut. incipient. *Supernæ* edita *in Concil. Lateranenſ. V. ſeſſ.* 9. *cap.* 2. Vide verb. *Cardinales art.* 4. *num.* 14.

8 Patriarchæ , Primates , Archiepiſcopi , & Epiſcopi Jus ordinarium habent viſitandi ſuas reſpective Diœceſes ; *cap. Romana* 1. *de Cenſibus in* 6. Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 23. *de reformat. cap.* 3. Ita ut habeant intentionem fundatam quo ad jus viſitandi omnes Eccleſias cujuſque ſuæ reſpectivæ Diœceſis , *cap. Omnes Baſilicæ* 14. *quæſt.* 7. *cap. Conquerente de Offic. Ordinarii cit. cap. Romana* 1. *de cenſibus in* 6. *& Communis Doctorum* .

9 Item Vicarius Capitularis , Sede vacante , id poteſt , ſive
10 per ſe , ſive per alium : Vide verb. *Vicarius Capitularis art.* 2. *numer.* 11. Item Vicarius Apoſtolicus . Vide verb. *Vicarius*
11 *Apoſtolicus numer.* 4. Item Vicarius Collegiatæ exemptæ, & Nullius Diœceſis . Rota recent. apud Farinac. *part.* 1. *deciſ.* 346. Nicolius *in Floſculis verb. Viſitatio ordinaria numer.* 3. Vide verb. *Vicarius Capitularis art.* 1. *n.* 39.

Item Abbates, aliique Prælati habentes proprium Territo-
12 rium , & qualitatem *Nullius* . *Cap. Romana* 1. §. *Hanc* , *de Cenſibus in* 6. cum ſimilibus , & *Communis Doctorum* . Item Decani , Archidiaconi , Archipresbyteri Plebani , & alii inferiores viſitandi Jus habent , ſi id longa conſuetudine præſcripſerint ; *cap. ſuper eo, & cap. Cum Apoſtolus, de Cenſibus* , Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 3. ibi : ,, Archi- ,, diaconi autem , Decani , & alii inferiores in iis Eccleſiis , ,, ubi hactenus Viſitationem exercere legitime conſueverunt , ,, debeant quidem , aſſumpto Notario , de conſenſu Epiſ-
13 ,, copi, deinceps per ſe ipſos tantum viſitare ,, . Item Capitulum , ſuperſtite adhuc Epiſcopo , poteſt interdum ex præſcriptione , vel privilegio habere Jus viſitandi ; Et tunc Viſitatores a Capitulo deputati debent eſſe approbati ab Ordinario . Concil. Trident. *cit. ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 3. ibi: *Viſitatores etiam , a Capitulo deputandi , ubi Capitulum Jus viſitandi habet , prius ab Epiſcopo approbentur* . Barboſa *ſupra Concilium loco cit. num.* 14. *& citat. allegat.* 73. *num.* 26. cum aliis ibi citatis , referens ſic etiam deciſum fuiſſe *a Sacra ejuſdem Concilii Congr.*

14 Dicti Archidiaconi tamen , & alii inferiores Viſitationis a ſe factæ rationem reddere , & acta omnia exhibere Epiſcopo infra menſem tenentur . Concil. Trident. *loco citat.* ibi : ,, Cui ,, ipſi Archidiaconi , vel alii inferiores , Viſitationis factæ ,, infra menſem rationem reddere , & depoſitiones teſtium , ,, ac integra acta exhibere teneantur, non obſtantibus quacum- ,, que conſuetudine etiam immemorabili , atque exemptioni-
15 ,, bus, & privilegiis quibuſcumque ,, . Immo Epiſcopus etiam per alium poteſt eaſdem Eccleſias ſeorſim ab his iterum viſitare . Concil. Tridentin. *loco citat.* ibi : *Sed non ideo Epiſcopus , vel eo impedito ejus viſitator eaſdem Eccleſias ſeorſim*
16 *ab his viſitare prohibeatur* . At vero licet Epiſcopus poſſit iterum viſitare Eccleſias viſitatas ab inferioribus , non poteſt tamen iterum punitos ab eis , neque ab illis abſolutos cogere ad innocentiam ſuam demonſtrandam ; Sic deciſum fuiſſe refert Barboſa *ſupra Concil. loco cit. n.* 15. & Armendar. apud ipſum *ibid.*

17 Superiores Generales Ordinum Regularium , Provinciales, & alii Prælati , quibus eſt in alia inferiora Monaſteria , Prioratuſve legitima Juriſdictio, habent Jus viſitandi Monaſteria, aliaque loca ſibi ſubjecta ; *cap. In ſingulis* , *& cap. Ea quæ, de ſtatu Monachor.* Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 21. *de reformat. cap.* 8. & *ſeſſ.* 25. *de Regularib. cap.* 20. & *Commun. Doctor.* praxi quotidiana id demonſtrante .

18 Epiſcopi , aliique Superiores non ſolum poſſunt, ſed etiam tenentur per ſe ipſos , aut ſi legitime fuerint impediti , per Vicarios ſuos , vel Viſitatores , qui Presbyteri ſint , vel Diaconi , ſingulis annis , aut ſi ob latitudinem fieri nequeant , ſaltem quolibet biennio , totam Diœceſim , & Eccleſias ejuſdem viſitare . *Communis*, claris Juribus *in cap. Decrevimus* 10. *cauſ.* 10. *quæſt.* 1. ibi : *Decrevimus , ut annuis vicibus ab Epiſcopo Diœceſes viſitentur* , *cap. Epiſcopum* 11. *eadem cauſ. & quæſt.* ibi : ,, Epiſcopum ſingulis annis ire oportet , ut acquirat &c. ,, Quod ſi ipſe , aut languore detentus, aut aliis occupationi- ,, bus implicatus id explere nequiverit, Presbyteros probabi- ,, les, aut Diaconos mittat , qui redditus Baſilicarum, & Mini- ,, ſtrantium vitam inquirant . Et Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 3. ibi : ,, Patriarchæ , Primates , Metropo- ,, litani , et Epiſcopi propriam Diœceſim per ſe ipſos, aut ſi ,, legitime impediti fuerint , per ſuum Vicarium Generalem, ,, aut Viſitatorem ſi quotannis totam propter ejus latitudinem ,, viſitare non poterunt , ſaltem majorem ejus partem , ita ,, tamen ut tota biennio per ſe , vel per Viſitatores ſuos ,, compleatur , viſitare non prætermittant ,, .

Vicarius tamen Generalis hoc Jus viſitandi non habet , niſi 19
ſpecialiter ei committat Epiſcopus . Barboſa *ſupra Concil. cit. ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *numer.* 3. et *citat. allegat.* 73. *numer.* 28. cum pluribus ibi citatis, et alii paſſim. Vide verb. *Vicarius Generalis art.* 2. *n.* 22.

Metropolitani olim poſt plene viſitatam propriam Diœce- 20
ſim poterant etiam viſitare Diœceſes ſuorum ſuffraganeorum , ſed hodie hoc amplius non poſſunt , niſi ex cauſa cognita , et probata in Concilio Provinciali , vel a Sacra Congregatione Concil. Trident. *cit. ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *Sacra Congregat. Epiſcop. in Cajacen. & Theanen.* 22. *April.* 1603. apud Nicol. *in Floſcul. verb. Viſitatio ordinaria n.* 2.

Epiſcopus viſitare poteſt toties , quoties opus fuerit , non 21
ſolum Eccleſias communes Diœceſis , ſed etiam Capitula, et Eccleſias Cathedrales , aliaſque majores, et Perſonas illarum , *Communis* per textum expreſſum Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *de reform. cap.* 4.

Item tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus viſitare poteſt 22
omnes Eccleſias ſæculares exemptas , non obſtantibus privilegiis , et conſuetudinibus , etiam ab immemorabili tempore præſcriptis. *Communis*, text. expreſſo in Conc. Trid. *ſeſſ.* 8. *de refor. cap.* 8.

Item poteſt viſitare quaſcumque Eccleſias Sæculares intra 23
fines ſuæ Diœceſis exiſtentes, etiamſi ad Regulares pertineant , et ab eis dependeant, dum tamen per ſæculares eis deſerviatur , et hoc vigore Concilii Trident. *ſeſſ.* 7. *de reformat. cap.* 8. Sic deciſum fuiſſe referunt Armendar. *in add. ad recopil. Leg. Navar. lib.* 1. *tit.* 6. *de viſitat. lib.* 5. §. 2. *num.* 3. Ventrigl. *prax. part.* 2. *annotat.* 24. §. 1. *numer.* 7. Secus autem Eccleſias Regulares Nullius Diœceſis, ut ex Tridentino, et Decret. Sacræ Congregationis ad longum probat Fagnan. et Matthæucc. *locis n. ſequent. citandis* .

Item poteſt Epiſcopus vicinior tanquam Sedis Apoſtolicæ 24
Delegatus viſitare Eccleſias omnes Sæculares Nullius Diœceſis , quantumcumque exemptas , et Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectas , etiamſi in illis Prælatus inferior habeat quaſi Epiſcopalem Juriſdictionem . Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 9. Barboſa *ad dict. cap.* 9. *numer.* 1. *&* 2. allegans Rotam *deciſ.* 396. *part.* 1. *recent.* et plurimos Doctores, Ventrigl. *loc. cit. numer.* 9. et alii paſſim : Non poteſt tamen viſitare Eccleſias Regulares Nullius Diœceſis, ut ex Trident. et Decret. Sacr. Congregat. ad longum probat Fagnan. *lib.* 3. *Decretal. in cap. Nullus , de Parochiis num.* 33. *&* 37. et Matthæucc. *Official. Cur. cap. ult. n.* 12. *ad* 14. et alii .

Vicinior Epiſcopus poteſt viſitare Beneficia ſæcularia , et 25
Clericos ſæculares Abbatiæ Nullius Diœceſis , ipſoſque culpabiles repertos corrigere ; et dicitur vicinior Epiſcopus ſolum ille, *cujus* Cathedralis Eccleſia ſit Abbatiæ proximior, non autem locus dictæ Abbatiæ ſubjectus. Barboſa *ſupra Trid. cit. ſeſſ.* 24. *cap.* 9. *n.* 4. atteſtans ſic deciſum fuiſſe *die* 2. *Auguſti* 1596.

Epiſcopus vicinior, ſi ſit legitime impeditus , poteſt Eccle- 26
ſias Sæculares Nullius Diœceſis viſitare per ſuum Vicarium Generalem . ſic deciſum fuiſſe *die* 17. *Januarii* 1585. teſtatur Barboſa *l. c. n.* 6.

Si Eccleſia , ſeu Abbatia Sæcularis Nullius Diœceſis , ſita 27
ſit in aliqua Diœceſi , Viſitatio ſpectat ad Ordinarium , in cujus Diœceſi eſt Eccleſia Nullius . Sic deciſum fuiſſe refert Rota *part.* 2. *recent. dec.* 501. *numer.* 5. apud Barboſam *l. cit. num.* 3.

Epiſcopus , ſive per ſeipſum , ſive per alium delegatum 28
viſitare poteſt Eccleſias , etiam non curatas , quæ reperiuntur erectæ in ſolo Lateranenſi , ut clare patet ex reſponſione Sacræ Congregationis Concilii ad ſequentia dubia propoſita ab Epiſcopo Mileti .



I. *An Epiſcopus Miletenſis tanquam Delegatus Apoſtolicus poſſit ſubdelegare ſuum Vicarium Generalem, vel aliam Dignitatem Eccleſiaſticam ſibi beneviſam in Viſitatione Diœceſis, & præcipue Eccleſiarum, quæ prætenduntur ſitæ in ſolo Lateranenſi ?*

II. *An Vicarius deſtinatus in dicta Diœceſi Militen. a Reverendiſſimo Capitulo Baſilicæ Lateranen. poſſit revidere Viſitationes factae ab Epiſcopo, ſive ejus Delegato Viſitatore in dictis Eccleſiis ?*

III. *An prædictus Vicarius Lateranen. in dicta Diœceſi Militen. poſſit revidere computa , & viſitare libros adminiſtrationis redituum Societatum* Laicarum *erectarum in iiſdem Eccleſiis , & an pro dict. computorum reviſione poſſit recipere a dd. Societatibus aliquod emolumentum , ſeu mercedem ?*

IV. *An Vicarius deſtinatus in dict. Dioeceſi Militen. a dict. Reverendiſ. Capitulo poſſit indicere Concurſum in occaſione vacantiæ* Eccleſiarum *Parochialium, quæ prætenduntur ſitæ in ſolo* Lateranen. ?

V. *An Epiſcopus Militen. in præfatis Eccleſiis intra fines ſuæ Dioeceſis poſſit exercere ſuam Juriſdictionem ordinariam quo ad proviſionem Parochialium , aliorumque concernentium Curam animarum , & adminiſtrationem Sacramentorum ?*

VI. *An in alienationibus rerum earumdem Eccleſiarum ſolemnitates requiſitæ etiam in vim Can. Terrulas quæſt.* 2. *adhiberi debeant per Epiſcopum , vel per dictum Vicarium deſtinatum a Capitulo dictæ Sacroſanctæ Baſilicæ* Lateranen. ?

VII. *An in caſu , quo prædictus Vicarius deſtinatus a Capitulo ſe ingereret in Juriſdictionalibus , & cauſis ſpectantibus ad Epiſcopum Militen. poſſit ab eodem coerceri , & puniri Canonicis Cenſuris & poenis ?*

Quibus propoſitis auditis partibus in plena Congregatione 23. *Aprilis* 1701. reſponſum dedit : *Ad primum poſſe viſitare per ſe , vel per alium etiam Eccleſias ſitas in ſolo* Lateranenſi *ad formam Sacri Concilii . Ad ſecundum negative: Ad tertium negative ad utrumque : Ad quartum negative : Ad quintum, dilata ; Ad ſextum ſpectare ad Epiſcopum privative : Ad Septimum affirmative .*

29 Super quibus repropoſita cauſa 3. *Maji* 1702. *Eadem Congregatio* reſpondit ; *Ad* 1. *in deciſis . Ad* 2. *in deciſis . Ad* 3. *in deciſis , quoad primam partem , præterquam quoad Archi-Confraternitates erectas auctoritate Capituli ; & quoad ſecundam in deciſis . Ad* 4. *in deciſis Ad* 5. *quoad primam partem affirmative quoad inſtitutionem auctorizabilem tantum , quo vero ad ſecundam partem affirmative . Ad* 6. *dilata . Ad* 7. *in deciſis* .

30 Et iterum in eadem cauſa , & inter eaſdem partes propoſitis novis dubiis .
,, I. An ſine ſubdelegatione ſpeciali ſubdelegatus ab Epiſ- ,, copo ad viſitandam Diœceſim poſſit viſitare Eccle- ,, ſias , Confraternitates , & loca pia fundata in ſolo La- ,, teranenſi ?
,, II. An dicta ſubdelegatio ſpecialis debeat a Subdelegato ,, oſtendi , & inſeri actis Viſitationis ?
,, III. An Epiſcopus , vel ab eo Delegatus teneatur declara- ,, re expreſſe ſe viſitare jure delegato ?
,, IV. An Vicarius Lateranenſis in Viſitatione , quam facit ,, Jure Ordinario , poſſit petere , ut ſibi oſtendantur acta ,, Viſitationis factæ ab Epiſcopo , vel ejus Delegato ?
,, V. An Eccleſias Parochiales fundatas in ſolo Lateranenſi ,, valeat Epiſcopus viſitare jure ordinario ? *Die* 17. *Novembr.* 1703. *Sac. Congr. &c.* reſpondit :
,, Ad 1. Negative , & quoad Confraternitates juxta reſo- ,, lutiones jam factas .
,, Ad 2. Affirmative .
,, Ad 3. Affirmative .
,, Ad 4. Affirmative , non tamen auctoritative ad effe- ,, ctum corrigendi .
,, Ad 5. Negative .

31 Viſitatio Abbatiæ Sanctæ Mariæ de Perno ſitæ in confinio Diœceſ. Muranæ , & Rapellen. æque principaliter unitæ Eccleſiæ Melphienſi ſpectat ad Epiſcopum Melphienſem , ut patet ex reſponſione Sacræ Congregationis Concilii ad ſequentia dubia relat. ab Urſaya *tom.* 3. *part.* 1. *diſceptat.* 33. *a num.* 45.
,, I. An Viſitatio Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Perno ſpectet ,, ad Epiſcopum Melphien. vel potius ad Epiſcopum ,, Muranum ?
,, II. An Cenſuræ latæ per Curiam Epiſcopalem Melphien. ,, contra Vicarium Generalem Muranum ſuſtineantur ?
,, III. An declaratoria Cenſurarum facta per Vicarium Ge- ,, neralem Muranum contra Vicarium Generalem Mel- ,, phien. ſuſtineatur ?
*Die* 16. *Junii* 1712. *Sacra Congreg. Concilii* reſpondit: *Ad primum affirmative quoad primam partem , Negative quoad ſecundam : Ad ſecundum affirmative , & pro abſolutione arbitrio Metropolitani : Ad tertium negative* .

Viſitare Jure delegato poteſt Epiſcopus Eccleſias unitas 32
Collegii exemptis . *Sac. Cong. Concil. in Bononien. Juris viſitandi* 2. *Octob.* 1721. Sic refert Urſaya *in Miſcellan.* 1. *Sac. & profan. litt. V. num.* 147.

Viſitare tamen non poſſe Epiſcopum Beneficia unita Uni- 33
verſitati Complutenſi ob privilegia , quæ habet , decrevit *Sac. Cong. Concil. die* 22. *Junii* 1606. apud Aldan. *in Compend. Canonic. reſolut. lib.* 1. *tit.* 7. *num.* 10. & Barboſa *Summ. Apoſtolic. deciſ. verb. Viſitare quando , & quæ Epiſcopus valeat num.* 14.

Viſitare poteſt Epiſcopus Dignitatem exemptam in con- 34
cernentibus Curam animarum illi annexam . *Sacr. Congreg. Concil. in Burgen.* 18. *Auguſti* 1628. apud Barboſam *loc. cit. num.* 12.

Item viſitare poteſt omnes Eccleſias Curatas Monaſteriis 35
Regularium unitas . Concil. Trident. *ſeſſ.* 7. *de reform. cap.* 7, *& ſeſſ.* 25. *de Regularibus cap.* 11. In iis enim , quæ ſpectant ad Curam animarum ſæcularium , tam Eccleſiæ, quam Perſonæ Regulares dictam Curam exercentes ſubjacent Juriſdictioni , viſitationi, & correctioni Epiſcopi, ut deciſum fuiſſe *ſub die* 4. *&* 6. *Junii* 1627. refert Barboſa *ſupra Concil. ſeſſ.* 25. *de Regularibus cap.* 11. *num.* 4, *&* 5 , & noviſſime *Sacra Congr. Concilii in Mediolanen.* 12. *Novembris* 1689, *& Congregatio particularis deputata ab Alexandro VIII. in cauſa Hiſpalen.* 30. *Januarii* 1694. *in reſponſ. ad* 6, & relata *in Congregatione Generali* 18. *Auguſti* 1696. apud Monacell. *part.* 1. *tit.* 5. *formul* 2. *num.* 2.

Dummodo tamen Eccleſia Parochialis non ſit illius Con- 36
ventus , in quo Generalis Ordinis habet reſidentiam ordinariam quia ipſa gaudet exemptione a Juriſdictione Ordinarii. Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regularibus cap.* 11. *& Sacra Congr. Concil. in Lauden. Juriſdictionis* 1. *Decembris* 1691. in qua plene articulo diſcuſſo , & partibus informantibus fuit reſolutum , Conſtitutionem Gregorii XV. incipientem *Inſcrutabili* , non derogaſſe privilegio *cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de Regularibus* favore Generalium Ordinum conceſſo . Sic refert Monacell. *part.* 1. *tit.* 6. *formul.* 20. *numer.* 14. & ſic alias cenſuit eadem Sacra Congreg. teſte Ventriglia *part.* 1. *annotat.* 48. §. *unico num.* 91. Quamvis Barboſa *in Summa Apoſtolic. deciſion. verb. Viſitare Eccleſias, & loca Regularium quando poſſit Epiſcopus ?* referat ex Armendar & Lezana, Sacram Congregat. Concilii cenſuiſſe. quod viſitare poſſit Epiſcopus ex Decreto Concilii *ſeſſ.* 7. *cap.* 6. *de reform.* Eccleſias Parochiales unitas Monaſterio Canonicorum Regularium , tametſi Generalis in eo Sedem ordinariam principalem habeat .

Epiſcopus viſitando Eccleſias Curatas exemptas , vel 37
Regularibus ſubjectas poteſt facere Decreta in iis, quæ concernunt rectam adminiſtrationem , & cuſtodiam Sacramentorum, & quatenus decreta diſcrepant ab illis, quæ fecerunt Superiores exempti , ſeu Regulares , debent ordinationes Epiſcopi prævalere , & obſervari , *Sac. Congr. Concil. in Veronen.* 10. *Julii* 1628. *in Mediolanen.* 12. *Novembris* 1689. *& Congregatio particularis deputata ab Alexandro VIII. in cauſa Hiſpalen.* 30. *Januarii* 1694. *in reſponſ. ad* 6. & relata *in Congreg. Generali* 18. *Auguſti* 1696.

Quamvis Epiſcopus poſſit viſitare Eccleſias Parochiales 38
Monaſteriis Regularium unitas , vel annexas , nequit tamen viſitare Domos ipſarum Parochialium , in quibus non viget Regularis obſervantia , ſed in eis habitant ſoli Parochi Regulares ab eodem approbati , ut alias reſpondit *Sacr Congreg.* apud Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap. Grave gerimus* 19. *n.* 16. *de Officio Ordinarii* .

Nec Epiſcopus poteſt viſitare Monaſteria Regularium eo 39
prætextu , quod eorum Superiores ſint negligentes , ut reſpondit *Sacra Congreg. Concilii die* 20. *Februarii* 1616. apud Piaſec. *Prax. part.* 2. *cap.* 3. *art.* 6. *n.* 32. ibi : ,, Sacr. Cong. ,, Cardinal. Concil. Trid. Interpretum cenſuit non licere ,, Ordi-

,, Ordinariis locorum, Monaſteria Regularium eo prætextu
,, viſitare, & corrigere, quod illorum Superiores admoniti
,, intra ſex menſes illa non viſitaverint, vel correxerint,
,, niſi eadem Monaſteria vel ſub Commenda exiſtant, ex
,, decreto cap. 8. ſeſſ. 21. vel ſuorum Ordinum Capitibus non
,, ſubſint, ac ſe in Congregationes redigere neglexerint, juxta cap. 8. ſeſſ. 25. de Regularibus ,, ,

40 Neque poteſt Epiſcopus viſitare Capellas, & altaria Laicorum, ſeu Confraternitatum Laicalium in Eccleſiis Regularium erecta, ut reſolvit *Sacra Congr. Concil.* apud Fagnan. *in cit. cap. Grave gerimus n.* 48. & expreſſe Pignatell. *t.* 10. *conſult.* 39. *n.* 9.

41 Quamvis enim poſſit Epiſcopus viſitare Confraternitates Laicales erectas in Eccleſiis Regularium in iis, quæ reſpiciunt adminiſtrationem, & adimplementum onerum, ut pluries reſpondit, tum *Sac. Congr. Epiſ.* tum *Sac. Congr. Conc.* ut videri poteſt ſub verb. *Confraternitates art.* 3. *n.* 1. Tamen nullatenus viſitare poteſt Capellas, & Altaria in Regularium Eccleſiis per ipſas Confraternitates Laicales conſtructa, ut pluries declaravit *dicta Sacr. Congr.* ut videri poteſt ſub dict. verb. *Confraternitates a n.* 2. *ad* 4.

43 An autem, & quando poſſit, vel non, Epiſcopus viſitare Conventus Regularium, ſive antiquos ſuppreſſos, & iterum reſtitutos, ſive nunquam ſuppreſſos, aut de novo erectos; Vide verb. *Conventus per tot.* ubi abunde de omnibus.

44 Epiſcopus viſitare poteſt Oratoria publica, quæ habent requiſita Eccleſiæ, etiamſi ſint de pertinentiis Regularium; Dummodo ſeparata ſint a Clauſtris, & Campeſtria. *Sacra Cong. Concil. in Cæſenaten.* 23. *Septemb.* 1690. *& in Cortonen.* 20. *April.* 1697. Vide d. verb. *Conventus ſub n.* 22. *in reſponſ. ad quintum dubium, & ſub numer.* 1. *in reſponſione ad primum.*

45 Epiſcopus viſitare poteſt Eccleſias Parochiales Equitum Hieroſolymitanorum, ſed quo ad ea tantum, quæ ad Curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant.

46 S. Pius V. Conſtitut. 136. incip. *Expoſcit* At non poſſe Epiſcopum viſitare Oratoria publica dictæ Religionis Hieroſolymitanæ, declaravit *Sacr. Congreg. Concil. in Mantuana* 17. *Junii* 1690. ut refert, & tenent Monacell. *part.* 1. *titul.* 5. *formul.* 2. *n.* 5. *in fine.* An autem, & quando poſſit Epiſcopus viſitare Oratoria privata erecta ex privilegio Apoſtolico in Domibus privatis Nobilium Perſonarum? Vide verb. *Oratorium a n.* 25. *ad* 26.

48 Epiſcopus viſitare poteſt Eccleſias Parochiales ſubjectas Capitulo Lateranenſi *Sac. Congr. Epiſcop. in Aquilana Terræ Ariſchiæ* 23. *Junii* 1690. Immo & quæ concernunt ornatum Eccleſiæ, *Sac. Coogr. Concil. in Cæſenaten.* 23. *Septemb.* 1690. apud Monacell. *loc. cit. n.* 2. *in fine.*

49 Epiſcopus poteſt viſitare Monaſteria Monialium Regularibus ſubjectarum in iis, quæ pertinent ad Clauſuram, etiam inconſultis, & irrequiſitis earum Superioribus Regularibus; Vide verb. *Moniales art.* 3. *n.* 95.

50 Quoad talem autem Viſitationem debet Epiſcopus obſervare Decreta Sacræ Congregationis Concilii hac de re edita, & adducta ſub dict. verb. *Moniales n.* 96. & inſuper Decreta *Sac. Congreg. Epiſcop. & Regul.* quæ hic dantur, prout referuntur ab Eminentiſ. Petra *tom.* 5. *Comment. ad Conſtit. Calliſti III. ſect.* 2. *n.* 143 *verſ. Reſolutio*, ibi: *Reſolutio itidem noviſſima Congregationis Epiſcoporum. & Regularium fuit in Nucerina Paganorum* inter Epiſcopum, & Moniales Ordinis Prædicatorum Monaſterii exempti in dicta Civitate exiſtentis, & propoſita fuerunt infraſcripta dubia.

,, I. An Epiſcopus in concernentibus obſervantiam Clau-
,, ſuræ, toties quoties expedire judicaverit, poſſit viſi-
,, tare Monaſterium Monialium Sanctæ Annæ ſubjectarum
,, PP. Ordinis Prædicatorum?
,, II. An poſſit viſitare earum Eccleſiam, Communicatorium
,, & Crates Confeſſarii quoad concernentia Clauſuram?
,, III. An poſſit viſitare nedum Crates, & Mœnia exte-
,, riora Monaſterii, ſed etiam Chorum interiorem, Dor-
,, mitoria, Cellas, aliaque loca pro Clauſuræ cuſtodia?
,, IV. An poſſit indutus Stola ſupra Rocchettum, & Moz-
,, zetam ſolum cum ſuis Conviſitatoribus ingredi, & vi-
,, ſitare Clauſuram Monialium abſque interventu Prioris,
,, & alterius cujuſvis Religioſi?
,, V. An Epiſcopus volens poſſit in actu Viſitationis habere
,, ſermonem ſpiritualem Monialibus tam intra, quam
,, extra Septa Monaſterii?
,, VI. An Epiſcopo ſit per Prioriſſam tradenda notula no-
,, minum Monialium, Educandarum, & Ancillarum tem-
,, pore Viſitationis?
,, VII. An poſſit Epiſcopus occaſione Viſitationis ſingulas
,, Moniales, & unamquamque ſeparatim interrogare, &
,, examinare circa obſervantiam Clauſuræ?
,, VIII. An tam Regulares, quibus ſubjectæ ſunt Moniales,
,, quam etiam Sæculares, teneantur ab Epiſcopo obtinere
,, licentiam alloquendi Moniales?
,, IX. An poſſit Epiſcopus inſimul cum Superiore Regu-
,, lari revidere computa, atque recognoſcere ſtatum Oe-
,, conomicum Monaſterii?
,, X. An Cenſuræ ſuſtineantur in caſu &c.
,, XI. An conſtet de attentatis, & quomodo ſint purgan-
,, da?
,, XII. An, & quomodo ſit providendum quoad ingreſſum
,, Converſarum in locum ultimo loco defunctorum in ca-
,, ſu &c.

*Die 7. Julii 1724. Sac. Congr. Epiſcop. & Regul. his dubiis reſpondit.*

Ad I. *uſque ad X. incluſive Affirmative.*
Ad XI. *Negative.*
Ad XII. *Providebitur poſt reviſionem Status Oeconomici.*

51 Prælati omnes ſæculares Epiſcopali, ac etiam Cardinalatus Dignitate præditi nequeunt ingredi Clauſuram Monialium etiam ſibi ſubjectarum, niſi in caſibus neceſſariis, uti eſt Caſus Viſitationis; & tunc comitati a paucis, iiſque ſenioribus, ac Religioſis viris. Vide dict. verb. *Moniales art.* 3. *num.* 66.

52 Si autem contrafecerint, incurrunt Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ pro prima vice; pro ſecunda vero contrahunt Suſpenſionem a Pontificiali munere, & a Divinis; pro tertia autem vice, & deinceps excommunicatione majori afficiuntur; Vide *ibid. num.* 67.

53 Unde non poſſunt Epiſcopi ſecum ducere in Clauſuram ullos Laicos, tamquam Comites, & ſocio; Vide *ibid. n.* 68. *&* 69.

54 Nec poſſunt Epiſcopi ſecum ducere in Clauſuram pluſquam octo perſonas, alias incurrunt prædictas Cenſuras; Vide *ibid. n.* 71.

55 Abſolutio tamen ab iſtis Cenſuris non eſt Papæ reſervata; Vide *ibid. n.* 72.

56 Prælati Regulares non poſſunt ingredi Monaſteria Monialium pro viſitatione locali, niſi ſemel tantum in anno, ita eo anno, quo unus ex dictis Superioribus viſitaverit, alius Superior a Viſitatione hujuſmodi ſe omnino abſtineat; Vide *ibid. num.* 74.

57 Prælatus Regularis, ſi fuerit Generalis, poteſt ſecum introducere duos Socios ſui Ordinis; ſi fuerit alius a Generali, poteſt introducere ſecum tantum unum Socium ſui Ordinis; Vide *ibid. n.* 75.

58 Nec ipſe Viſitator, nec ejus Socii poſſunt ſumere intra Clauſuram ullam refectionem; Vide *ibid. n.* 76.

59 Si Superior Regularis ſupradictis contrafecerit, ipſo facto pœnam Excommunicationis, & privationem omnium Officiorum, quæ obtinet, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia impoſterum obtinenda, vociſque activæ, & paſſive abſque alia declaratione incurrit. Et nihilominus nullis privilegiis, & exemptionibus tueri ſe poteſt, quominus ab Epiſcopo loci tamqum ad hoc Sedis Apoſtolicæ Delegato, quoties, & quando opus fuerit, corrigi, & puniri valeat; Vide *ibid. num.* 78.

60 Epiſcopus viſitare poteſt Hoſpitalia; Vide verb. *Hoſpitale num.* 33. & verb. *Adminiſtratio n.* 2.

61 Et poteſt exigere ab Adminiſtratoribus rationes, & computa, tam in Viſitatione, quam extra, etiam per ſuum Delegatum, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis; Vide *ibid. n.* 34.

62 Immo poteſt Ordinarius viſitare Hoſpitalia, & ab eorum Adminiſtratoribus rationes, & computa exigere, non obſtante, quod a Teſtatore, & Lege fundationis expreſſe excludatur; Vide *ibid. num.* 35. & verb. *Adminiſtratio numer.* 3. 4. *&* 5.

63 Item poteſt exigere rationem adminiſtrationis ab Hoſpitalibus, quæ ſunt ſub immediata Regum protectione; Vide dict. verb. *Adminiſtratio n.* 12. 13. *&* 14.

64 Non poteſt tamen viſitare dicta Hoſpitalia, quæ ſunt ſub immediata Regum protectione; Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 8.



65 Hoſpitale aliquod viſitare volenti, ſi opponatur exceptio, quod ſub immediata Regum protectione exiſtat, non ad Sæcularem Judicem, ſed ad ipſum Epiſcopum talis exceptionis cognitio, & definitio pertinet; Vide dict. verb. *Hoſpitale n.* 38.

66 Ad hoc tamen ut dicta Hoſpitalia ſint immunia a Viſitatione Epiſcopi, debent eſſe talia a primæva ſua fundatione: Nec ſufficit, ſi Hoſpitalia accipiantur ex poſt a Rege ſub ſui immediata protectione; Vide d. verb. *Adminiſtratio n.* 15. 16. 17. *&* 18. & dict. verb. *Hoſpitale n.* 39.

67 Epiſcopus viſitare, corrigere, & reformare poteſt Hoſpitalia omnia, etiamſi privata ſint Laicorum, in caſibus a Jure conceſſis; ſcilicet ob negligentiam, vel ob dilapidationem bonorum, & ut Teſtatoris voluntas ſervetur; Vide dict. verb. *Hoſpitale n.* 40.

68 Hoſpitalia privata poteſt Epiſcopus viſitare, corrigere, & reformare in iis tantum, quæ ad obſervandam voluntatem Teſtatorum pertinent, & exigere rationem ab Adminiſtratoribus una cum illis deputatis, quibus ex conſuetudine ratio reddenda eſt; Vide *ibid. n.* 41.

69 Hoſpitalia etiam unita, in quibus Eccleſiæ ſunt, vel aſſidue Divina Officia celebrantur, & bona eorum non ſunt diſtincta, viſitari debent ad Epiſcopo; Vide *ibidem numero* 42.

70 Hoſpitalia, quamvis debeant viſitari ab Epiſcopo, non inde tamen prohibetur, quin & Judices Sæculares eadem viſitare poſſint, ſi hoc eis alias legitime competit; Vide *ibid. num.* 43.

71 Hoſpitalia adminiſtrata a Fratribus S. Joannis Dei non ſunt exempta a Juriſdictione Ordinarii, niſi ſolum quoad Regularem obſervantiam; Vide *ibid. n.* 44.

72 Epiſcopus viſitare poteſt Confraternitates Laicorum, etiamſi eſſent erectæ in Eccleſiis, ſeu Oratoriis fundatis, & *extructis in ſolo, & territorio Religionis Hieroſolymitanæ*; Vide verb. *Confraternitates art.* 3. *n.* 5.

73 Epiſcopus viſitare poteſt etiam Confraternitates, quæ non a primæva ſua fundatione ſunt ſub immediata Regum protectione, ſed ſolum ex poſt ſub ſui immediata protectione ſunt a Rege accepta; Vide *ibid. a n.* 6. *ad* 8.

74 Adminiſtratores Confraternitatum, ſicut & aliorum piorum locorum poſſunt compelli ab Epiſcopo ad reddendam rationem adminiſtrationis, & ad portandum libros adminiſtrationis etiam ad Palatium Epiſcopale, ſi ſint in loco reſidentiæ, ſeu alterius ſtationis, & permanentiæ Epiſcopi; Vide *ibid. n.* 9. & verb. *Adminiſtrator n.* 20.

75 Etiamſi tales Adminiſtratores rationem adminiſtrationis aliis reddere ſolerent, adhuc vigore diſpoſitionis Concilii principaliter erit adhibendus Epiſcopus, *Sacr. Congregat. Concilii in Converſanen.* 2. *Martii* 1697. *& in Melevitana* 20 *Martii* 1700.

76 Immo redditio rationis adminiſtrationis danda eſt Epiſcopo etiam a Confraternitatibus, aliiſque locis piis, quæ ſunt ſub immediata Regum protectione; Vide dict. verb. *Confraternitates a n.* 1. *ad* 13.

77 Epiſcopus in Viſitatione debet celeriter, quantum res poſtulat, ſe expedire, & ad actus extraneos non ſe divertere, ne viſitati graventur expenſis; Sic pluries cenſuit *Sac. Cong. Concil.* & ſignanter *in una Bojanen. de* 14. *Decembris* 1654. in qua ad inſtantiam Capituli Collegiatæ Campi Baſſi propoſitis ſequentibus dubiis.

,, I. An Epiſcopus teneatur ſingulis annis viſitare totam
,, Diœceſim?
,, II. Qualis debeat eſſe comitatus ejuſdem Epiſcopi viſitan-
,, tis, ad effectum præſentationis victualium?
,, III. Per quod tempus in locis viſitandis ſint eis præſtanda
,, victualia?
,, IV. An obtinentes Beneficia ſimplicia, ſeu Capellanias
,, in Titulum teneantur contribuere dictis victualibus?
,, V. An eiſdem victualibus teneantur contribuere Confra-
,, ternitates Laicorum?
,, VI. An Epiſcopo accedente ad conferendum Sacramen-
,, tum Confirmationis teneantur Univerſitates præſtare
,, victualia, ſeu procurationem?
,, Die 14. Decembris 1654. reſpondit.
,, Ad 1. Affirmative, & ſi legitime impeditus fuerit, per
,, ſuum Vicarium Generalem, vel alium Viſitatorem ido-
,, neum debet viſitare, ita ut ſaltem toto biennio viſitatio
,, abſolvatur.
,, Ad 2. Epiſcopus debere eſſe contentum de moderato, ac
,, modeſto equitatu, ac famulatu.
,, Ad 3. Per Epiſcopum celeriter Viſitationem eſſe abſol-
,, vendam, & ad actus extraneos non eſſe divertendum,
,, Ad 4. Obtinentes Beneficia, ſeu Capellanias in Titulum
,, teneri pro rata contribuere.
,, Ad 5. Confraternitates viſitatas teneri ad eamdem contri-
,, butionem pro rata.
,, Ad 6. Non eſſe adminiſtranda victualia, niſi concurrat
,, conſuetudo legitime præſcripta. Lib. 19. Dec. pag. 428.

78 Qualis autem, & quanta procuratio debeatur, & a quibus Epiſcopo viſitanti, ſeu aliis Viſitatoribus; Vide verb. *Procuratio per tot.* ubi multa ad rem.

79 Quibus adde, quod a procuratione reſpectu Viſitationis Apoſtolicæ nemo eſt exemptus, licet in ſpecie contribuere teneatur is, qui eſt in culpa. *S. Cong. Epiſcop. in Ariminen.* 26. *Julii* 1576. *in Spalatren.* 3. *Julii* 1601. Unde tenetur etiam Epiſcopus pro ſua rata. *Sacra Congregat. Epiſcop. in Ferentina* 8. *Novembr.* 1581. Item Commendatarii, etiam Cardinales. *Ead. Sac. Congr. Epiſc. in Januen.* 21. *Auguſt.* 1582. Quamvis non eſſet expreſſum in Brevi *Eadem Sacra Congreg. Epiſcop. in Licien.* 13. *Auguſti* 1627. Item etiam Regulares poſſidentes bona ſtabilia in communi; *ibidem.* Maxime ratione Parochiarum unitarum. *Eadem Sacra Congregatio Epiſcop. in Ariminen.* 11. *Martii* 1579. *& in Placentina* 16. *Maii ejuſdem anni. & in Cremonen.* 1. *Martii* 1580. Niſi haberent privilegium in ſpecie pro hoc cauſa, *ibid.* Sic apud Nicol. *in Floſcul. verb. Viſitatio Apoſtolica n.* 23.

80 Si Viſitator Apoſtolicus ſit Epiſcopus, debet habere decem Scuta Monetæ pro qualibet die. *Sac. Cong. Epiſcop. in Licien.* 13. *Auguſt.* 1627. apud eundem *loco cit. n.* 25.

81 Antequam inchoetur Viſitatio proponuntur Edicta, in quibus Epiſcopus debet denunciare diem ſuum iis, quos viſitare intendit: Non enim viſitandos imparatos invadere debet, niſi juſta aliqua cauſa aliud prudenter ſuadeat; Tum quia id maxime expedit, ut ſic Parochus, ſeu Rector Eccleſiæ viſitandæ poſſit populo denunciare diem adventus Epiſcopi Viſitatoris, ad hoc ut ſe præparent ad illum recipiendum. Joannes Andreas *in cap. cum ſit Romana, de Simon.* Fuſcus *de Viſitat. lib.* 1. *c.* 4. *num.* 4. Barboſa *lib.* 1. *Jur. Eccleſ. univerſ. cap.* 14. *num.* 36. Ventrigl. *prax. tomi* 2. *annotat.* 24. §. 1. *num.* 28. & alii paſſim.

82 Non licet tamen Epiſcopo Viſitationem aggredienti proponere Edicta, quibus ſubditi jubeantur in virtute S. Obedientiæ crimina detegere, multoque minus propoſita pœna Excommunicationis, ſed ſolum ad id enixe hortari. Sic reſolutum fuiſſe a Sacra Congregatione refert ex aliis Barboſa *de Offic. & poteſtat. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 75. *num.* 29. *& ſupra Concil. Tridentin. ſeſſ.* 6. *de reformat. cap.* 4. *t.* 10. ubi ex Aldan. teſtatur id deciſum fuiſſe *ſub die* 21. *Apr.* 1593. & *in Summa verb. Viſitatio num.* 4.

83 Tempus incipiendæ Viſitationis non eſt a Jure determinatum; Unde relinquitur arbitrio Epiſcopi, qui poteſt eligere tempus loco magis proportionatum. Fuſch. *de Viſitat. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 13. Ventriglia *loco cit. cap.* 25. & alii.

84 An autem Viſitatio Generalis Diœceſis præcedere debeat convocationem Synodi, vel e contra? Vide verb. *Synodus n.* 15. *&* 16.

85 A qua Eccleſia ſit inchoanda Viſitatio, remittitur arbitrio Epiſcopi; Licet enim Viſitatio ut plurimum ſoleat inchoari ab Eccleſia Cathedrali, id tamen non eſt de præcepto, cum poſſit Epiſcopus inchoare ab Eccleſia quæ ſibi magis placuerit, reſervatis Juribus, & ſine præjudicio aliarum Eccleſiarum. Sic *Sac. Congr. Rit. in Egitanien.* 10. *Junii* 1602. *in reſponſ. ad* 2. *dub.* ut ex aliis refert Ventriglia *loc. cit. num.* 26. Barboſa *in Summa verb. Viſitatio num.* 1. Monacell. *tom.* 1. *tit.* 5. *formul.* 2. *num.* 26.

86 Pro viſitatione facienda eligi ſolent ab Epiſcopo duo Conviſitatores ſatis experti, & in rebus Eccleſiaſticis verſati, *cap. In ſingulis, de ſtatu Monachor. & Extravagant. Debent, de Offic. Ordinarii inter commun.*

87 Non eſt tamen neceſſaria talis electio, ſeu aſſumptio Conviſitatorum, ſeu Adjunctorum, ſed tantum voluntaria, cum poſſit Epiſcopus ſine illis viſitare etiam Capitula Cathedralium, & aliarum majorum Eccleſiarum, ut deciditur in Concilio Tridentin. *ſeſſ.* 6. *de reformat. cap.* 4. ibi: *Per ſe ipſos, vel illis, quibus ſibi videbitur, Adjunctis*; & ſic tenet *Communis Doctorum.*

88 Unde viſitare poteſt Epiſcopus ſine Adjunctis Corpus Eccleſiæ

cleſiæ Cathedralis, Sacramenta, Reliquias, veſtes, ornamenta, ceteraque ad cultum Divinum deſtinata. Item Capellas, Capellanias, Dotationes, Anniverſariorum inſtitutiones, memorias defunctorum, pia opera, & res, ſeu bona Fabricæ, vel Eccleſiæ. Sic *Sacr. Congreg. Concilii* apud Barboſ. *cit. alleg.* 73. *n.* 15. *& in Summa Apoſtolic. dec. verb. Viſitare quando, & quæ Epiſcopus valeat*; *num.* 17. Armendar. *lib.* 1. *tit.* 6. *de Viſitat. num.* 123. Nec poteſt Capitulum Cathedralis ſe eximere ab hac Viſitatione prætextu exemptionis, & præſcriptionis immemorabilis. *Sacr. Congr. Conc. in Hiſpalen. Juriſdictionis* 4. *Junii* 1689., *&* 4. *Maii* 1690. apud Monacell. *tom.* 1. *titul.* 5. *formul.* 2. *n.* 27.

89 Si Epiſcopus viſitare velit ex Decreto *ſeſſ.* 6. *cap.* 4. *de reformat.* debet id perſonaliter agere; Secus ſi ex aliis Concilii Decretis, cum id per ſuum Vicarium Generalem, aut Viſitatorem facere poſſit, ſi modo legitime impeditus fuerit, ut permiſſum eſt *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *de reformat.* etiamſi de viſitandis exemptis ageretur, cum *dict. cap.* 3. exemptiones tollat. Sic deciſum fuiſſe *a Sacra Congregat. Concilii* teſtantur Aldan. *in Compend. Canonic. reſolut. lib.* 1. *titul.* 7. *n.* 2. Barboſa *in Summa loc. cit. n.* 18. *& ſupra Concil. ſeſſ.* 6. *de reformat. cap.* 4. *num.* 4. *& n.* 17. ubi cum aliis videtur tenere, quod poſſit Epiſcopus etiam per Delegatum viſitare Capitulum Cathedralis, & adducit Decretum *Sacræ Congreg. Concilii in Toletana*, ubi reſolutum fuit, Sereniſſimum Cardinalem Infantem Archiepiſcopum Toletanum non teneri per propriam Perſonam Capitulum Eccleſiæ Cathedralis viſitare ſed id agere poſſe per Coadminiſtratorem.

90 Si Epiſcopus viſitare velit totum Capitulum, debet accedere ad locum ordinarium Capituli, in quo ſolent Capitulares congregari, & eorum actus expediri conſueverunt, ſi id tamen commode fieri poteſt. Sin minus ad locum congruum, & communem. Sed non tenetur accedere ad locum Capituli, quoties proſequi velit Viſitationem alicujus Perſonæ de Capitulo; Et ſi Capitulum occaſione Viſitationis convocare ipſe voluerit, non poteſt extra locum ſolitum congregare, *Sac. Cong. Concilii* apud Barboſa *in Summa Apoſtolic, deciſ. collectan.* 717. *n.* 9.

91 Viſitatio Perſonarum Capitularium, quæ juxta Canonicas ſanctiones, ut *in Decreto cap.* 4. *ſeſſ.* 6. *de reformat.* dicitur facienda, intelligitur juxta diſpoſitionem Juris communis citra punitionem, & privationem. *Sacra Congregatio Concilii*, de qua Rota *deciſ.* 328. *part.* 2. *diverſor.* apud Barbo-
92 ſam *in Summa verb. Viſitatio num.* 9. Unde in Viſitatione Generali Epiſcopus ſolus ſine Conjudicibus procedere poteſt contra Canonicos, eiſque pœnam imponere extraordinariam quæ magis morum emendationem, quam correctionem reſpiciat. *Sac. Cong. in Oriolen.* 27. *Martii* 1632. *in reſp. ad* 4. *dub.* apud Barboſa *loc. cit. n.* 11.

93 Epiſcopus in Viſitatione tenetur prædicare Verbum Dei, per ſe, aut ſaltem per *alios*; Alias, *niſi legitima* cauſa excuſetur, ipſum peccare mortaliter ex Cajetano, Genuenſi, Gavanto, Abbate, & Piaſecio firmat Monacell. *tom.* 1. *t.* 5. *formul.* 1. *n.* 51. adducens ad id text. *in cap. Placuit* 10. *qu.* 1. *& c.* 1. §. *Sane, de cenſibus in* 6. & concludens, quod *quomodo ſe excuſent coram Deo tot. Epiſcopi, qui nihil prorſus curant de hoc in viſitando, ipſe Deus ſcit.*

94 Viſitator, ſi in Viſitatione adinveniat Altaria de Jurepatronatus Laicorum, non proviſa de neceſſariis paramentis, & ſupellectilibus, aut vetuſtate conſumpta, fere collabentia, monere debet Patronos, ut illa reſtaurent, & ornent, ac onera eis adjuncta adimpleant infra brevem, & competentem terminum, alias poteſt illa concedere alteri Patrono, qui velit ea ornare, reparare, ac onera eis adjuncta adimplere. *Sac. Congreg. Epiſcopor. & Regular. in Mutinen.* 16. *Januar.* 1604. Sic referunt Barboſa *in Summa Apoſtolic. deciſ. verb. Altaria n.* 6. *& lib.* 2. *Juris Eccleſ. univerſ. cap.* 7. *n.* 28. Ventriglia *prax. tom.* 2. *annot.* 24. §. 1. *n.* 44. Matthæucc.
95 *Official. Curiæ cap.* 55. §. 1. *n.* 7. & alii.

Si in Viſitatione adinveniantur Reliquiæ antiquæ, quæ ob injuriam temporum, ſeu ob incuriam Cuſtodum careant ſuis Authenticis, debet Viſitator permittere, ut habeantur in ea veneratione, qua hactenus fuerunt. Sic voluiſſe Sacram Congreg. Conc. referunt Barboſa *in Summa verb. Reliquiæ Sanctor. n.* 3. *& de Offic. & poteſt. Epiſcop. part.* 3. *alleg.* 97.
96 *n.* 11. & Ventrigl. *loc. cit. n.* 38.

Reliquiæ autem, quæ ex donatione proveniunt Laicorum, quarum claves, vel unam ipſi retinent, & expenſas pro earumdem ornatu ſubminiſtrant, viſitantur ab Ordinario, quamvis retineantur, & *cuſtodiantur in Eccleſiis Regularium*. *Sac. Cong. Conc. in Firmana* 5. *Jun.* 1700. apud Monacell. *t.* 1. *tit.* 5. *form.* 2. *n.* 49.

Viſitator non poteſt recuſari: Orta enim dubitatione, *An* 97
*Epiſcopus viſitans poſſit tamquam*,, ſuſpectus recuſari? Sacra Congreg. Concilii cenſuit non poſſe, nec cum generalem Viſitationem aggreditur, nec cum ad ſpecialem deſcendit; ſi modo ſine ſtrepitu, & figura Judicii procedens pœnas non imponat delictorum ordinarias; ſed eas tantum, quæ morum correctionem reſpiciunt, & modum corrigendi non excedat.,, Sic refert Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap. Conquerente, de Officio Ordinarii n.* 37. Et in terminis de Viſitatore Regulari Concil. Trident. *ſeſſ.* 5. *de Regularibus cap.* 20. Sic expreſſe ſtatuit; ,, Teneantur quicumque prædictorum Ordinum Monaſteriis præſunt prædictos Viſitatores recipere, & illorum ordinationes exequi,,.

Quod Viſitator, ſi ſibi impediatur aditus ad viſitandum, 98
non poſſit frangere portas Eccleſiæ, ſed uti gladio ſpirituali Cenſurarum, tenet expreſſe Monac. *tom.* 3. *tit.* 1. *form.* 39. *num.* 2. poſt Graffium *deciſ. aur. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 59. ubi ſic præciſe habet: ,, Viſitator non debet frangere portas Eccleſiarum, ſi ſibi denegetur aditus ad faciendam Viſitationem,,. Ita Innocent. *in d. cap.* 1. *Immunitat. Eccleſ.* ,, Quia bona Eccleſiarum ſunt Sancta Sanctorum, & Domino conſecrata &c. & ſic qui violentiam facit, Sacrilegium committit 12. quæſt. 2. cap. Nulli liceat: & capit Quicumque, ſed poteſt uti gladio ſpirituali, ideſt Excommunicatione, vel Interdicto, facit text. in cap. Dilecto, de ſentent. excommunicat. in 6. & ita defendere ſuam poſſeſſionem, hoc eſt Viſitationem,,. Ita not. per Innoc. & Hoſtienſ. *in cap. Venerabili* 24. *de cenſibus*, Barboſa tamen *ſupra Concil. ſeſſ.* 24. *de Regularibus cap.* 11. *num.* 16. *& de Officio, & poteſtat. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 74. *num.* 22. *& lib.* 1. *Juris Eccleſ. univerſ. cap.* 43. *num.* 139. Tamburin. *de Jur. Abbatiſſar. diſp.* 17. *q.* 3. *num.* 4. Fuſchus *de Viſitat. lib.* 2. *cap.* 16. *poſt num.* 1. Ciarlinus *Controverſ. lib. cap.* 65. *numer.* 12. Ventrigl. *in praxi part.* 1. *adnotat.* 48. §. *Unico num.* 88. & alii volunt, quod renuentibus Regularibus, vel aliis exemptis Viſitationem, & claudentibus oſtium Eccleſiæ, vel Monaſterii, liceat Epiſcopo vim inferre, & oſtium frangere. Vide verb. *Moniales artic.* 3. *numer.* 56. *in reſponſione ad* 3. *dubium*.

Impedientes Viſitatorem a munere Viſitationis Excommu- 99
nicationem ipſo Jure incurrunt, ſi moniti non reſipiſcant, textu expreſſo *in Clementina Attendentes* 2. *de ſtatu Monachor. in fine*, ibi: ,, Si quis vero Viſitatores ipſos in præmiſſis impedire præſumpſerint, ſeu aliquo præmiſſorum, niſi moniti reſipiſcant, ipſo facto Excommunicationis ſententiam ſe noverint incurſuros, privilegiis, ſtatutis, & conſuetudinibus quibuslibet in contrarium minime valituris.

Quamvis hæc Excommunicatio ſit latæ ſententiæ, non 100
tamen incurritur ſtatim ac fuerit Viſitationi illatum impedimentum, ſed requiritur, quod Viſitator prius moneat impedientes, ut deſiſtant ab illato impedimento quod ſi moniti non deſiſtant, ſtatim incurrunt, ut clare habetur ex allatis verbis dictæ Clementinæ: *Niſi moniti reſipiſcant &c.* Gloſſa *in d. Clementina Attendentes verb. Impedire*, Navarr. *in Manual. cap.* 27. *num.* 140. Bonacina *de Cenſuris in particulari diſp.* 3. *quæſt.* 2. *punct.* 4. *num.* 4. Tambur. *de Jure Abbatiſſ. diſp.* 14. *quæſt.* 8. *num.* 3. Pellizzarius *de Monialibus cap.* 10. *quæſt.* 11. *num.* 81. Monacell. *tom.* 3. *tit.* 4. *annot. ad Excommunicat.* 2. *num.* 3. qui *dict. tom.* 3. *tit.* 1. *formul.* 39. *num.* 4. recte advertit, quod ſi impedientes Canonice moniti nolint ab illato impedimento deſiſtere; poteſt Epiſcopus Viſitator ipſos excommunicatos publice denunciare abſque alia ſententia, ut tradunt Gloſſa *in cit. Clementin. verb. Impedire, & verb. Ipſo facto*, Barboſ. *ibid. num.* 6. & alii.

Commendatarii quamvis poſſint viſitare Monaſteria ſibi 101
commendata in iis, quæ pertinent ad Curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum, ut cenſuit *Sac. Congregat. Epiſcop. in Senogallien. ſeu Nullius* 6. *Auguſti* 1601. *& in una Ciſtercienſium* 17. *Septembris ejuſdem anni*.

Non poſſunt tamen ea viſitare quo ad diſciplinam Regula- 102
rem, ut reſpondit *Eadem Sacra Congr. Epiſcop.* 2. *Auguſti* 1647. apud Nicolium *in Floſculis verb. Viſitatio ordinaria ſub n.* 4. & aperte habetur ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 20. *de Regularibus cap.* 20. ac expreſſe ſtatutum eſt ab Innocentio X. Conſtit. 62. incip. *Paſtoralis*, & ab Alexandro VII. Conſtitut. 6. incip.



incip. *Exponi*, ubi declaratum eſt, quod obtinentes Monaſteria in Commendam, etiamſi fuerint S. R. E. Cardinales, nullam in Monaſteriis ſibi commendatis quod ad eorum Monachos Juriſdictionem exercere poſſint; *ibi* §. 2. ,, Tenore præſentium declaramus, decernimus, ac ſtatuimus non licere Commendatariis Priores, Sub-Priores, aut Officiales Clauſtrales inſtituere ac deſtituere, viſitare Monachos, eoſdemque corrigere, nec facultates eiſdem in Litteris Apoſtolicis conceſſas, & expreſſas, prout ſupra, ad ea, quæ Inſtitutum Regulare concernunt, ac tenore prædictorum privilegiorum, & Sacri Concilii diſpoſitione; Monaſtico regimini relinquuntur, trahi poſſe, ac debere,,. Et ſimilia etiam habentur in Conſtitut. 32. ejuſdem Alexandri VII. incip. *Sacroſancti* edita favore Monaſteriorum Camaldulenſium.

103 Superiores Regulares ordinarie non ſolent viſitare Eccleſias ſui Ordinis commendatas ſæcularibus, niſi ibi habeant Conventum formatum. *Sac. Cong. Epiſcop. & Regular. in Vintimilien.* 1. *Septemb.* 1620.

104 Provincialis in actu non poteſt eſſe Viſitator extra ſuam Provinciam. *Sacra Congregatio Epiſcop. & Regular.* 28. *Julii* 1645.

105 Viſitator Provinciæ a Generali deputatus non poteſt ſubſtituere ſine licentia Sacræ Congregationis. *Ead. Sacra Congr. Epiſcop.* 1. *Septembr.* 1646. *&* 21. *Octobris* 1649. apud Nicol.
106 *in Floſculis loc. cit. n.* 6. udi *num.* 7. ſubjungit, quod Superiores cujuſque Monaſterii Viſitationem biduo debeant explere. *Ead. Sac. Congr. Epiſcop. in Januenſi* 22. *Novemb.* 1604.

107 Viſitator in Ordine Fratrum Minorum de Obſervantia deputandus eſt a Patre Generali totius Ordinis S. P. Franciſci circa finem Triennii Provincialatus Miniſtri Provincialis cujuſque reſpective Provinciæ, ut eam diligenter poſſit viſitare, & viſitata diligenter Provincia, Capitulum poſſit celebrare, & hoc intra tempus trium, vel quatuor, & in latiſſimis Provinciis, ſex menſium. *Conſtit. Ordinis c.* 8. *ſtatut.* 65. Compend. Sanctor. verb. *Viſitator n.* 5.

108 Dicto Viſitatori legitime deputato reſiſtentes, illumque impedientes, contradicendo, opponendo, recuſando, aut quovis modo rebellando, ſunt ipſo facto Excommunicati Excommunicatione Papæ reſervata, Officio privati, & voce activa, & paſſiva in perpetuum deſtituti Gregor. XIII. Conſtit. incip. *Quoniam noſtro* Conſtit. Ordinis *cap.* 8. *ſtatut.* 67. *concluſ.* 6. Compend. Sanctor. *loc. cit. num.* 10.

109 Dictus Viſitator non habet votum in electionibus, niſi ſpecialiter a Generali ſit ipſis conceſſum; Conſtit. Ordin. *cap.* 8. *ſtatut.* 67. *concluſ.* 8. Sanctor. *loc cit. n.* 11.

110 Neque in electione Capitulari habet in paritate votorum
111 votum deciſivum. Vide verbo *Electio artic.* 4. *num.* 45. Habet autem ipſum votum deciſivum in electionibus, quæ fiunt a ſolo Definitorio, ſi a Generali ſit deputatus Præſes. Vide d. verb. *Electio art.* 4. *n.* 46.

112 Præfatus Viſitator non poteſt uſurpare ſibi ſigilla majora Provinciæ, nec mittere Clericos ad Ordines ſuſcipiendos, neque recipere Novitios, neque deſtinare Prædicatores ad Quadrageſimas, ſeu Adventus, neque deputare Confeſſores Monaſteriis Monialium, neque diſtribuere ſpolia defunctorum Fratrum, quæ omnia ad Miniſtrum Provincialem pertinent. *Statut. General. Capituli ſeptuageſimi primi pro Familia Ciſmontana cap.* 2. *num.* 10.

113 Nec viſitare poteſt Monaſteria Monialium, niſi ex aliqua rationabili cauſa fuerit ei ſpecialiter, & expreſſe conceſſum in Patentibus Litteris Delegationis. *Statut. General. Capituli* 76. *pro Ciſmontana Familia circa finem verſ. Commiſſarii Viſitatores*.

114 Nec poteſt Statuta Provinciæ condere, vel mutare ſine Capitulo, nec Fratres extra Provinciam mittere, niſi ad Generalem pro ejus negotiis. Nec in Provincialem Miniſtrum, aut qui alias ſimili Officio functi ſunt. neque in Patres Ordinis notabiliter animadvertere poteſt, niſi ex probata cauſa, & de conſilio, & conſenſu majoris partis Patrum Provinciæ aut Provincialis Capituli, neque eos deponere, aut privare, niſi Generalis prius admoneatur, excepto caſu gravis delicti, quod populo ſcandalum generet, & quod Generalis diſtet per decem dies itineris, & tunc id ſolum poterit de conſenſu majoris partis Patrum Provinciæ. *Conſtit. Ordinis cap.* 8. *ſtatut.* 67. *concluſ.* 7. *Compilat. Statut. Sambuc. cap.* 8. § *De Commiſſariis Viſitatoribus circa finem*, Sanctor. *loc. c. n.* 9.

115 Dictus Viſitator non poteſt eligi in Miniſtrum Provincialem Provinciæ, quam viſitat, ſive ipſemet præſideat, ſive non: Alias electio eſt nulla, & Electores privationem vocis activæ, & paſſivæ incurrunt. *Statut. General. Capituli* 79. *Statuta pro utraque Familia n.* 11.

Viſitatione incæpta durat ejus Auctoritas, & Officium 116
mortuo, licet vel amoto Generali Delegante. *Statut. General. Capituli* 72. *pro tota Familia num.* 11. Sanctor. *loc. citat. numer.* 14. *arg. cap. Si cui* 36. *de Præbend. in* 6. *cap. Si ſuper gratia* 9. *de Officio Delegati in* 6.

Celebrato Provinciali Capitulo, debet Viſitator de Pro- 117
vincia ſibi credita egredi intra terminum 10. dierum, alioquin ejus ſpirat Auctoritas, niſi aliter ſit per ſpecialem, & expreſſam facultatem conceſſum. *Conſtit. Ordinis cap.* 8. *Statut.* 66. *concluſ.* 7. *Compilat. Statut. Sambuc. loc. cit. circa fin.* Sanctor. *loc. cit. n.* 9.

Si contigerit mors Viſitatoris, capta Officii poſſeſſione, 118
provinciali competit regimen Provinciæ uſque ad novi Viſitatoris deputationem in iis tantum, quæ dilationem non patiuntur; Unde viſitare, proceſſus formare de præteritis delictis, cauſas terminare, & ſimilia facere non poteſt; *Statut. General. Capituli* 75. *pro ultramontana Familia num.* 33.

Quæ autem dictus Viſitator in obeundo Viſitationis mune- 119
re præſtare, & inquirere debeat? Vide *Compilat. Statut. Sambuc. cap.* 8. §. *ultim. per tot.* ubi abunde de omnibus.

Quo ad ea, quæ concernunt Viſitatores aliorum Regula- 120
rium Ordinum, quæque præſtare, & inquirere debeant? Attendendæ ſunt propriæ cujuſque Religionis peculiares conſtitutiones.

Quæ vero advertenda ſint ab Epiſcopis ac Viſitatoribus in 121
Generali Viſitatione, adducuntur hic prout traduntur a Monacell. *tom.* 1. *in Appendice in fine*, *& tom.* 4. *ſupplement. ad* 1. *tom. poſt num.* 267.

## ADVERTENDA IN VISITATIONE.

### *Cancellarius.*

An ſcripturæ tam Actorum Civilium, quam Criminalium integre, & diſtincte in locis, ac Armariis aptis fideliter retineantur?

An retineatur liber bene compactus, in quo regiſtrentur nomina, & cognomina illorum, qui profeſſionem Fidei ad formam Conſtitutionis Pii IV. 89. emiſerunt, & an in dicto actu adhibeantur teſtes cum expreſſione diei, & anni, prout adhibendi ſunt?

An retineatur liber pariter bene compactus, in quo adnotentur, & regiſtrentur ſupplices libelli, Decreta, & Reſcripta gratioſa, Proviſiones, & Permiſſiones Epiſcopales, in quibus non conficiuntur Proceſſus?

An retineatur liber bene compactus, & Cartulatus, in quo adnotentur ea omnia, quæ pertinent ad Moniales.

An retineatur liber, in quo adnotentur Ordinationes, generales, & particulares, aliæve Epiſcopi Pontificales functiones?

An Acta Ordinandorum diſtincte, ac ordinate ſerventur, & cuſtodiantur?

An adſit Inventarium omnium Scripturarum, & Proceſſuum?

An ſupradicti libri retinendi habeant in frontiſpitio, ſeu titulo ſubſcriptionem, & approbationem Epiſcopi, vel Vicarii Generalis, & Cancellarii illius temporis, quo fuerunt compacti, & a principio inſcripti; prout illam continere deberent, ut illis major fides præſtari poſſit?

### *Capitulum, & Canonici.*

An Officium Divinum, Miſſæ, & Horæ Canonicæ in Eccleſia, & Choro ſtatutis horis recitentur, & ceteræ functiones expleantur?

An cum veſte talari, & Habitu Canonicali, devote, modeſte, & attente, & cum ſilentio?

An Punctatores fideliter officium exerceant, & juramentum præſtiterint?

An Capitulum determinata die convocetur, & a quo?

An reſolutiones Capitulares fiant per vota ſecreta, & in libro fideliter regiſtrentur per Capituli Secretarium?

An Officiales Capituli ſingulis annis per vota ſecreta eligan-

gan-

gantur, & in fine anni ſuæ adminiſtrationis rationem reddat, & de ratione reddita in libris Capituli legitime appareat?

An adſint Archivium Scripturarum, in quo Inventarium bonorum omnium Capituli cuſtodiatur una cum ceteris ſcripturis ad uſum pertinentibus?

An adſint Statuta Eccleſiæ, ſeu Conſtitutiones Capituli, & an ſint ab Ordinariis, vel a Sede Apoſtolica approbatæ?

An adſint diſtributiones quotidianæ?

An adſint Præbendæ Theologalis, & Pœnitentialis?

An Dignitates, & Canonici ſint ordine diſtincti?

An adſint Manſionarii, & Beneficiati, vel Capellani ſervitio Chori addicti?

An in Choro adſint Pſalteria, Antiphonaria, & ceteri libri neceſſarii?

An abſit Tabella Horaria?

An celebretur quotidie Miſſa Conventualis pro Benefactoribus?

An Canonici inſerviant per ſe ipſos, vel per ſubſtitutum?

An Canonici ſint promoti ad Ordines Sacros eorum Præbendis annexos.

*Parochus.*

An retineat quinque libros Parochiales bene compactos, videlicet Status Animarum, Baptizatorum, Matrimoniorum, Confirmatorum, *Defunctorum*?

An habeat Archivium, in quo Scripturæ ad Eccleſiam ſpectantes cuſtodiat ſub clavi?

An continuo reſideat *in Parochia, vel potius frequenter* ab ea diſcedat abſque licentia?

An diebus Dominicis pueros, & puellas doceat Doctrinam Chriſtianam, & *habeat ſermonem* ad *Populum*, Feſta, & Jejunia denunciet.

An diebus Dominicis, & Feſtis de præcepto Sacrificium pro Populo applicet.

An diebus Teſtamenta Parochianorum confecerit, & ubi, & quomodo illa retineat, & an ad Cancellariam Epiſcopalem, ut in publicam ſcripturam releventur, tranſmiſerit?

An retineat Coadiutorem.

An admittat exteros, & vagos Sacerdotes ad Sacrum faciendum abſque licentia Curiæ Epiſcopalis.

An publicet Indulgentias abſque approbatione Epiſcopi, vel Vicarii Generalis.

An incidat Arbores frugiferas, & infrugiferas in bonis Eccleſiæ, aut alia bona ejuſdem diſtrahat abſque beneplacito Apoſtolico, vel Epiſcopi?

An Sacramenta miniſtret ſuperpelliceo, ſtola, & veste talari indutus, et Feſtis diebus etiam non vocatus, Confeſſionali de mane inſideat.

An domi cohabitet cum Mulieribus, et quæ ſint.

An habeat Sacram Bibliam, alioſque libros pertinentes ad ſuum Officium.

An Sacramenta, et Sacramentalia ſub ſeris, et clavibus cuſtodiat.

An viſitet Infirmos etiam non vocatus, eiſque debito tempore Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, et extremæ Unctionis miniſtret.

An in ſua Eccleſia, de mane, in meridie, et de ſero detur cum Campana ſignum Salutationis Angelicæ, et prima hora noctis detur ſignum precum *Deprofundis*.

*Vicarius Foraneus.*

An in morte Parochorum Inventarium rerum Eccleſiæ conficiat, & ſcripturas omnes, & libros Parochiales ab hæredibus Defuncti recuperare invigilet, teſtibus adhibitis.

An diſpoſitiones, & Legata relicta locorum Piorum Vicario Generali communicet, ut executioni mandentur?

An Clericos, & Sacerdotes ſcandaloſos, vel indevote Miſſam celebrantes Epiſcopo denunciet.

An Parochos, & alios Curam exercentes deſides, & eorum munia negligentes ad Epiſcopum deferat, ut corrigantur.

An peccata publica, & ſcandala, quæ emergunt, pariter Epiſcopo denunciet.

An exigat pœnas contra facientes opera ſervilia ſine licentia diebus Feſtis.

An concedat licentias alloquendi Moniales ſine ſcriptis, & tempore Divinorum Officiorum.

An concedat licentias Parochis, & Curatis ſe abſentandi a reſidentia.

An interponat Decreta in Contractibus Minorum, & *Mulierum*.

*Clericus.*

An habeat penes ſe Teſtamentum vetus, & novum latinum vulgatæ editionis, Concilium Tridentinum, Cathechiſmum, Rituale, & Summam aliquam Theologiæ Moralis, et librum aliquem Spiritualem.

An ſemper incedat cum veſte Clericali, raſura, & tonſura decenti, Miſſam audiat quotidie, Eccleſiæ, cui eſt adſcriptus, ſaltem diebus Feſtis inſerviat, Doctrinam Chriſtianam doceat, & Communionem frequentet, et Scholam. *Concil. Tridentin. ſeſſ. 23. c. p. 11. 13. & 14. de Reformat.*

An aleis, aliiſque ludis incumbat, aut venationi, ſpectaculis, et Choreis interſit, & in profanis Comædiis fiat Actor, & an cum mulieribus cohabitet, et quæ ſint.

An implicet ſe negotiis Sæcularibus, Mercaturam exercendo, Prædia, aut vectigalia Laicorum conducendo, aut Laicis pro Factore, ſeu Magiſtro Domus inſerviendo.

An habeat Superpelliceum, et Biretum mundum.

*Presbyter.*

An, et quos libros retineat, et ſtudeat.

An, & quibus ludis det operam, aut venationibus?

An quotidie Sacrum faciat.

An celebret recitato Matutino cum Laudibus, cum Paramentis integris, et mundis.

An ante celebrationem Miſſæ Tabacum ſumat, et quoties in hebdomada confiteatur peccata, et ante Miſſam præparationem faciat.

An in Civitate, et locis populoſis celebret cum veſte talari.

An quotidie recitet Divinum Officium ſtatutis horis, & in quo loco.

An habeat ſuperpelliceum, et Biretum decens proprium.

An interveniat Proceſſionibus, et aliis functionibus Eccleſiaſticis publicis locis, in quibus permanet.

An ſemper incedat cum veſte talari in Civitate, et locis parvis decenti cum Corona, et Tonſura capillorum.

An interſit, aut ducat Choreas, in Comædiis fiat Actor, & in commeſſationibus, & conviviis tempus inſumat?

An cohabitet cum Mulieribus, & quæ ſint?

An implicet ſe negotiis ſæcularibus, Mercaturam exercendo, aut vectigalia Laicorum conducendo, aut negotia tanquam Factor, & Miniſter eorumdem Laicorum agendo vel Procuram exercendo?

Si Viſitator in hac ſpeciali Clericorum Viſitatione adverteret illos veritatem non dicere, poſſet ab eis exigere juramentum poſtea quam eos audivit, ut dicit Graff. *deciſ. aur. part. 2, lib. 3, cap. 27. n. 6. & 63.*

*Regulares.*

An adſint in numero ſufficienti, & habeant qualitates preſcriptas a Conſtitutionibus Apoſtolicis?

An ſervent, & ſervari faciant ab eorum famulis dies Feſtos, nec non Cenſuras, & Interdicta ab Epiſcopali Curia emanata?

An admittant in eorum Eccleſiis Presbyteros Seculares exteros ad celebrandas Miſſas abſque Epiſcopi, aut ejus Vicarii licentia; *S. Congr. Concilii in Neapolitana* 17. *Auguſti* 1617.

An publice exponant Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſine licentia Ordinarii?

An habeant Conſervatorem legitime electum ad formam Conſt. Gregorii XV.

An eleemoſynas quærant, licet non indigeant?

An incedant per locatio ſine ſocio & vadant de nocte?

An ſe ingerant in adminiſtratione bonorum ſpectantium ad Societates Laicorum in eorumdem Eccleſiis erectas?



An Sacramenta infirmis miniſtrent, inſcio, aut Parocho invito?

An celebrent Miſſas horis inconſuetis, vel ſermones habeant in Eccleſiis ſine licentia Epiſcopi, vel Miracula prædicent non authentica?

An accedant ad Monaſteria Monialium abſque licentia præter formam præſcriptam a Decretis Apoſtolicis.

*Moniales.*

An muri Clauſuræ habeant *proſpectum activum*, vel paſſivum in Domos, vel e Domo Sæcularium?

An Manſiones Confeſſarii Monialium exemptarum ſint penitus *disjunctæ* a *Monaſterio*?

An Moniales ſcribant Epiſtolas extra Clauſuram abſque licentia Abbatiſſæ?

*An Moniales utantur feneſtrella*, ubi *audiuntur Confeſſiones* ad colloquendum cum exteris?

An adſit in Monaſterio capſa communis, in qua deponantur *omnes pecuniæ provenientes a Monialibus particularibus*?

An admittantur exteri ad colloquendum cum Monialibus abſque licentia in ſcriptis Epiſcopi, vel Vicarii Generalis?

An *introducantur in clauſuram catuli*, pueri, vel puellæ cujuſcumque ætatis?

An recipiantur electæ, & deputatæ Auſcultatrices, Rotariæ, & Oſtiariæ?

An retineantur ab Abbatiſſa libri bene compacti, & cartulati, in quorum primo deſcribantur dietim data, & accepta, *introitus, exitus*, quo poſſit legaliter in fine officii rationem reddere Epiſcopo ſuæ adminiſtrationis; In altero per modum Inventarii deſcripta ſint bona ſtabilia, Cenſus, & *credita Monaſterii cum indicatione rogituum Inſtrumentorum*; In tertio regiſtrentur reſolutiones Capituli Monialium, acceptationes Puellorum ad Habitum, & Profeſſiones cum expreſſione diei, *menſis*, & anni: *quos libros, ſi inveniat Viſitator* non retineri, omnino provideat.

An in Monaſterio adſit locus ſeparatus pro educandis, & Novitiis?

An omnes Moniales ſumant cibum in Refectorio tempore Menſæ ex cucina, & ærario communi paratum?

*An Moniales parent cibos exteris, vel dona eiſdem mittant*, aut recipiant abſque licentia, & ſcientia Abbatiſſe, & Monaſterii?

An admittantur *Regulares* ad celebrandum *Sacrificium* in Eccleſia abſque licentia Epiſcopi, ſeu Vicarii Generalis?

An omnes Moniales ſaltem ſemel in Menſe confiteantur, & ſumant *Euchariſtiam*?

An omnes interſint Choro ad recitandum hora debita Divinum Officium, & orationibus, & aliis pietatis exercitiis communibus?

An omnes quotidie audiant Sanctum Sacrificium Miſſæ?

Quos libros retineant, & legant, & an tempore Miſſe fiat lectio alicujus libri ſpiritualis, & ſervetur ſilentium?

Viſitet Dormitorium, ſeu Cellas, & obſervet, an unaquæque Monialis habeat lectum ſeparatum?

An Habitus Monialium ſit uniformis, et ad præſcriptum Regulæ: *Sac. Congr. Epiſcopor. in Ceſenaten.* 26. *Septembris* 1692.

Inquirat caute, et prudenter de vita, moribus, et directione Confeſſarii.

*Eremita.*

*An in* Eccleſiis Civitatis, *ſuburbiorum, vel Diœceſis* permaneat aliquis Eremita abſque approbatione Epiſcopi?

An incedat in Habitu a Conſtitutionibus Apoſtolicis præſcripto?

*Hoſpitalia, & Moniales.*

An adſint Erectiones, ſtatuta, & an legitimæ, an honeſta, & licita?

An infirmis ſubminiſtrentur corporalia, & ſpiritualia?

Revideantur computa, & adminiſtrationes.

*Confraternitates Laicorum.*

*An ſint legitime* erectæ auctoritate Apoſtolica, vel ordinaria, & habeant ſtatuta approbata?

An bona, & eleemoſynæ fideliter adminiſtrentur, & Officiales a plena Confratrum Congregatione ſingulo anno eligantur per vota ſecreta, computa revideantur, & ſolidentur?

*An habeant* Inventarium omnium, & ſingulorum bonorum, Capellanum, & Depoſitarium ab Epiſcopo approbatos?

*An retineant libros diſtinctos*, in quorum primo reſolutiones ſocietatis legitime congregatæ regiſtrentur; In ſecundo nomina, et Cognomina Confratrum; In tertio reviſiones computorum, et ſententiæ *abſolutoriæ*, ſeu condemnatoriæ Adminiſtratorum, et aliorum Officialium Societatis, nec non Decreta Viſitationum?

*An habeant Archivium* ſcripturarum?

An ſint aggregatæ Archiconfraternitatibus Urbis, vel habeant alia Indulta, et Privilegia?

An Confratres *Debitores* Societatis, bona, et introitus ejuſdem adminiſtrent?

An bona ſtabilia Societatis locentur abſque prævio Edicto, *et ultra triennium*?

An interſint Proceſſionibus publicis?

*Seminarium.*

An adſint Deputati electi ad formam Concilii?

An adſint Magiſtri, et quot, et Rector?

An Alumni ſint omnes Civitatis, vel Diœceſis, et omnes ſint Clerici, et pauperes?

An omnes Alumni habeant requiſita Concilii?

An admiſſi præſtiterint fidejuſſionem in Actis Curiæ impenſas *victus reddituri quatenus* ad ſtatum Laicalem redierint?

An redditus fideliter adminiſtrentur.

An adſint regulæ ab Alumnis ſervandæ.

An Alumni interveniant Eccleſiæ Cathedrali diebus Feſtis ad formam Concilii.

An incedant per Urbem ſoli ſine veſtes.

*Eccleſia.*

An ædificentur Eccleſiæ, Capellæ, Oratoria publica abſque licentia Epiſcopi, et Dote, et quæ jam ædificatæ fuere ſint collapſæ, et indigeant reparatione; *Cap. Nemo Eccleſiam. cap. Nullus Presbyter diſt. 1. de conſecrat.*

An Altaria habeant in medio ſaltem lapidem ſacrum debitæ *latitudinis coopertum tela cerata*, gradum ligneum vel lapideum cum duobus Candelabris, et Cruce cum Imagine Crucifixi; *Cap. Si motum diſt. 1. de Conſecrat.*

An dicta Altaria habeant Icones intregras decenter depictas cum Imaginibus Sacris ab Epiſcopo benedictis.

An ſint Menſæ eorumdem Altarium tectæ cum tribus mapis *albis, et mundis*, quarum ſuperior ab *utroque latere* uſque ad ſuppedaneum deſcendat.

An habeant ſuppedanea lignea cum repagulo, pulvinaribus, *vel legili*, et Tabellas Sacri Convivii, Lavabo, et In Principio.

An Altaria ſint proportionatæ altitudinis, latitudinis, et longitudinis, *muro undique pleno*, et incruſtato, ac ſigno Crucis in facie munita cum pallio.

An muri, tectum, pavimentum, valvæ, Campanæ, et Campanile *indigeant reparatione*.

An in Sacrario adſint ſupellectilia omnium colorum integra, & munda; an Armaria, in quibus cuſtodiantur, an Calices et Patenæ deauratæ, an Corporalia Pallæ, Purificatoria, Manutergia, Burſæ, Bireta, vela, Miſſalia, omniaque decentia, et expolita; *Cap. in Sancta, & cap. Veſtimenta de conſecr. diſt.* 1.

An adſint ſedilia, vel ſcamna, quæ Sacerdote celebrantes, aut functiones Eccleſiaſticas perturbent, & impediant.

An aqua luſtralis ſit in Vaſe expolito, & renovetur ſingulo octavo die.

An adſit Inventarium bonorum, & Sacrarum ſupellectilium.

An pro Sacrificio Miſſæ adſint pelviculæ mundæ, Ampullæ,

pullæ, Campanulæ, Manutergia, Hoſtiæ albæ; & inſtrumenta pro illis, nec non particulis retundendis?

An ſit libera, vel Patronata.

An habeat portam habentem aditum immediatum in Domum laicorum? quæ debet claudi, ſi inveniatur habere.

An Campana, ſeu Campanæ ſint ab Epiſcopo benedictæ.

*Funus*.

An in funeribus adſint abuſus, puta quod Cadavera aſſocientur ſine Cruce, ſine lumine, & ſine Parocho, vel cum ululatu Conſanguineorum. Mulieres evellant ſibi crines, aut aliquid agant gentilium more?

An Cadavera Defunctorum proceſſionaliter ad Eccleſiam ferantur ante ortum, vel poſt occaſum Solis abſque licentia?

An tradantur ſepulturæ ante lapſum temporis viginti ad minus horarum, poſtquam quem Animam a corpore exhalaſſe pro certo habeatur, eos vero, qui repentina morte, ante lapſum 24. horarum?

An Parochus, aliive Sepulturam denegent, aut differant prætextu non ſolutæ eleemoſynæ, & an pauperes gratis ſepeliantur? *Eccleſiaſt. c. 7. Ritual. Rom. de Exeq.*

An in Eccleſia Parochiali adſit Sepulcrum ſeparatum pro parvulis decedentibus cum Baptiſmo ante ſeptennium, pro ut conſtrui debet?

An in Eccleſia Cathedrali adſit Sepulcrum ſeparatum pro Canonicis, & aliud pro Clericis?

An Cadavera infantium decedentium ſine Baptiſmo ſepeliantur prope Eccleſiam in loco non Sacro ad id conſtituto?

An Cœmeteria, quæ religioſa loca ſunt, undique muro ſint circumdata, & in medio ſignum Crucis elevetur?

An Sepulturæ conſtructæ, & effoſſæ reperiantur ſubtus Altaria, vel prope, & illarum ora ſuppedanea pertingant: hæ etenim obſtruendæ omnino ſunt, alias Altaria interdicantur.

An in Eccleſiis Monialium ſine licentia Sacræ Congregationis tumulentur Cadavera Laicorum, ſive marium, ſive mulierum? Si hoc enim fieret, interdicatur; Dummodo non ſint Patroni Eccleſiæ, qui in fundatione hoc jus ſibi, & heredibus reſervaſſent, vel cum licentia Sacræ Congregationis, & monialium Sepulcrum ab antiquo tempore haberent conſtructum.

An Parochus præter quartam pro Cadaveribus extra Parochiam tumulandis aliquid aliud exigat ab heredibus Defuncti? Id enim vetitum eſt, non obſtante contraria conſuetudine. *Sac. Congr. Epiſc. in Civitatis Vetulæ 2. Junii 1690. & Sacr. Congreg. Concil. in Mantuana Januarii, & 3. Aprilis 1694.*

Hortentur Sacerdotes, ut ſibi ipſis decedentibus ſuffragiorum vicem retribuant.

*Reliquiæ*.

An decenter cuſtodiantur in Thecis ſaltem ex ligno deauratis, & criſtallo, ſeu vitro integro contectis, cum ſuis inſcriptionibus.

An retineantur in Armario ornato loco fixo ſub ſera, & clavi cum Epigraphe: *Reliquiæ Sanctorum*.

An adſit Catalogus omnium Reliquiarum, & an ſint Authenticæ, vel ignotæ, aut dubiæ fidei.

An aſportentur ad infirmos; Si enim hoc fieret, prohibeatur.

An in illarum publica expoſitione accendantur lumina, & ſi ſubtus Altaria ſint depoſita Corpora integra Sanctorum, an retineatur Lampas accenſa?

*Indulgentiæ*.

An publicentur abſque licentia, & approbatione Epiſcopi?

An adſint Brevia, & conceſſiones authenticæ?

An fiant mercimonia, & quæſtus prætextu, & occaſione Indulgentiarum?

*Imagines Sacræ*.

An Imagines Sanctorum exponantur in Eccleſiis adorandæ priuſquam ab Epiſcopo fuerint benedictæ, & approbatæ.

An Imagines Sacræ ſint depictæ in locis ſordidis aut locis irreverentiæ obnoxiis, an deformatæ, & deturpatæ? Inde enim tollendæ ſunt, vel reſtaurandæ, & ſi fieri nequit, dealbendæ, *l. Unica, Cod. Nemin. lic. ſign. Salvator. &c. Sac. Congregation. Epiſcopor. in Veneta 22. Maii 1696.*

Signum Crucis ſi in pavimento ſculptum inveniatur, inde tollatur, ne pedibus conculcetur, *l. 1. C. Nemin. lic. ſign. Salvator. &c.*

An Imagines Jeſu Chriſti, Beatæ Mariæ Virginis, Apoſtolorum, ac Evangeliſtarum reperiantur depictæ, cum habitu, vel forma ab Eccleſia non uſitata, vel cum habitu Regularium. Si enim taliter depictæ inveniantur etiam in Eccleſiis exemptis, debent deleri, & reformari. *Urban. VIII. in Appendic. 2. Conſtitut. 51.*

*Baptiſmus*.

An Fons ſit lapideus, vel ex alia materia ſolida cum cooperculo ex metallo ſine rimulis, propeque adſit Sacrarium.

An fonti affixum ſit Tabernaculum, ſeu ut appellant Ciborium ſaltem ligneum decore fabrefactum, in quo ſit contignatio, ubi vaſcula argentea, ſeu ſtannea Oleorum Chriſmatis, & Catechumenorum reponantur cum ſuis inſcriptionibus.

An ibi retineatur coclear argenteum, ſeu ſaltem ſtanneum ad fundendam aquam in Caput Baptizandi: Vas cum ſale benedicto, & linteamina munda.

An Ciborium decenti conopeo veſtiatur, ne ſordes superne decidant, & illud commaculent, & firmiſſima ſera claudatur.

An Obſtetrices ſint examinatæ, & approbatæ.

An admittantur Patrini minores 14. annis, & Matrinæ minores 12., & an Regulares, vel Clerici in Sacris conſtituti ſine licentia. *Act. Eccl. Mediol. part. 1. Synod. Diœceſ. 3. Decr. 17.*

An Baptiſmus infantium protrahatur, & differatur ultra tres dies, & nomina Ethnicorum imponantur. *Clement. Unic. de Baptiſm.*

An baptizati eodem die a Parocho, vel alio, qui de ejus licentia, aut Epiſcopi Sacramentum miniſtravit, deſcribantur in libro Baptizatorum.

An hoc Sacramentum extra caſum neceſſitatis conferatur Domi.

*Confirmatio*.

An in Officio Patrini admittantur non confirmati, vel ignorantes erudimenta Fidei, an Regulares, an in Ordinibus Sacris conſtituti.

An admittantur ad recipiendum hoc Sacramentum minores ſeptennio, qui non fuerunt inſtructi, ac adulti non confeſſi.

An qui fuerunt Patrini in Baptiſmo, admittantur, & fiant Patrini ejuſdem pueri in Sacramento Confirmationis.

An pueri, vel puellæ ducantur ad recipiendum hoc Sacramentum extra Diœceſim.

*Euchariſtia*.

An retineatur in Tabernaculo affabre facto, & extra majori ex parte deaurato, & interius undequaque ſerico panno decentis coloris veſtito; in Pyxide argentea orbiculata, & auro intus illita cum ſuo cooperulo, & conopeo ſuper Corporali mundo.

An Oſtiolum Tabernaculi ſit firmiſſima ſera, & Clavi argentea, aut deaurata clauſum, quam Parochus apud ſe diligenti cuſtodia retineat.

An Tabernaculum ſit tectum decenti conopeo, & de illis proviſum omnium colorum.

An particulæ conſecratæ hyeme ſaltem ſingulis quindecim, æſtate octo diebus renoventur.





An ante Altare Tabernaculi diu, noctuque colluceat ſaltem una expolita lampas.

An in Tabernaculo præter Pyxidem, aliquid aliud quantumvis Sacrum aſſervetur, quod ſi fiat, removeatur, *Cap. Reliqui, de cuſtod. Euch.*

An delatio Euchariſtiæ ad infirmos fiat cum debita aſſociatione luminum cum Baldachino, ſeu Umbella in locis parvis, Pluviali in Civitate, & Oppidis nota dignis.

An Mulieres accedant modeſte ad ſumendam Sacram Euchariſtiam, vel potius irreverenter, mammis, & brachiis denudatis.

An non communicantes in Paſchate moniti fuerint, & illorum nomina tranſmiſſa ad Curiam Epiſcopalem.

An, & quoties in anno fiant Proceſſiones cum delatione Euchariſtiæ, & expoſitione publica.

*Pœnitentia*.

An hoc Sacramentum miniſtretur in Eccleſia in Sede Confeſſionali cum ſuperpelliceo, & Stola.

An Sedes Confeſſionales habeant Crates ſaltem ligneas, ſeu potius laminas ferreas, ſpiſſis foraminibus terebratas, ac bene undequaque hærentes, cum aſſerculo verſatili, cujus objectu facies Sacerdotis populo occultetur, nec non piam aliquam imaginem ex parte Pœnitentis, & an ſint in loco viſibili.

An Confeſſarii audiant Confeſſiones extra Sedem Confeſſionalem, præſertim Mulierum, & puerorum e conſpectu nulla interpoſita Crate. Nam ſi talis abuſus inveniretur, pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus eſſet puniendus.

An in Sede Confeſſionali ſit affixa Tabella caſuum reſervatorum, & Summariorum Bullæ in Cœna Domini.

An admittantur Confeſſarii tam Sæculares, quam Regulares exteri, & de aliena Diœceſi ad audiendas Confeſſiones ſine Epiſcopi licentia.

*Oleum Infirmorum*.

An retineatur in Eccleſia in Feneſtrella a cornu Evangelii, Altaris Majoris, intus panno ſerico obducta in Vaſculo argenteo, ſeu ſaltem ſtanneo, atque id in ampliori Capſula lignea undequaque goſſipio circumpoſito cum ſera, & clavi, inſcripto ſupra oſtiolum: *Oleum Infirmorum*.

An Parochus illud deferens ad infirmos ſit indutus Superpelliceo, & Stola, an in ſerica burſa violacei coloris incluſum, & cordulis item ſericis collo appenſa reverenter ferat.

An conferatur pueris uſum rationis, & malitiam peccandi non habentibus, furioſis lucido intervallo carentibus, & impœnitenter decedentibus. *Cap. Erga eum 26. quæſt. 7.*

*Matrimonium*.

An Parochi Matrimonia denuncient, antequam ſemotis arbitris conſenſum mutuum contrahere volentium receperint.

An Parochi antequam Matrimonia denuncient, recognoſcant, an contrahere volentes ſint legitimæ ætatis, confirmati, in Myſteriis Fidei edocti, an conſanguinei?

An Sponſi, antequam Matrimonium contrahant, invicem converſentur abſque interventu Parentum, & Conſanguineorum.

An Parochus ſaltem bis in anno in Miſſis Parochialibus populo impedimenta Matrimonii denunciet.

An Parochi exteros, vel eos, qui a Diœceſi diu fuerunt abſentes abſque licentia Epiſcopi in Matrimonio conjungant.

An Parochi diſpenſent unam, vel alteram ex denunciationibus faciendis, auctoritate propria abſque permiſſione Epiſcopi, vel Vicarii Generalis.

An denunciationes fiant ſemper diebus feſtis de præcepto interpolatis.

An Parochus, vel alter, qui de ejus licentia, vel Epiſcopi, contrahentes Matrimonio conjunxit, Matrimonium deſcribat in libro eadem die, vel differat deſcriptionem.

An Matrimonia contrahantur ſemper in Eccleſia, vel aliquando Domi ſine licentia Epiſcopi, vel Vicarii Generali.

An temporalibus ab Eccleſia prohibitis abſque Epiſcopi licentia.

*Miſſæ Sacrificium*.

An ad Sacrum faciendum admittantur Exteri abſque Litteris Dimiſſoriis, ſeu Commendatitiis recognitis, & approbatis ab Epiſcopo, vel ejus Delegato.

An adſint in loco Sacerdotes, qui indevote, propere, & irreverenter Sacrificium celebrent.

An Sacriſta, ſeu Rector Eccleſiæ permittat, & admittat ad celebrandum Presbyteros, qui Coronam, & Veſtem Clericalem decentem, & ab edictis, ſeu Conſtitutionibus Synodalibus præſcriptam non deferunt.

An in Miſſis Votivis fiant quæſtus, & an Sacerdos novellus admittat Laicos ad Altare ad oſculum manus: Nam ſi iſte abuſus inveniatur, tolli debet, cum pacis Inſtrumentum, ſeu Crucem ad oſculum exhibere debeat, & non manus, & oblationes, ſi quæ offerri contingat, hoc fiat in medio Altaris, Sacerdote populo obverſo. *Sac. Congregat. Concil.* apud Zerol. *in praxi verb. Miſſa.*

An in celebratione Miſſarum Sacerdotes utantur Calicibus, & Patenis diſauratis, Planetis attritis, & corroſis, Albis, & Amictis immundis, Cingulis fractis, Corporalibus commaculatis, ac Miſſalibus laceratis, vino acido, vel mucido, & an parati ſint urceoli mundi cum pelvicula ſaltem teſtacea.

An Tabella onerum miſſarum in qualibet Eccleſia in Sacriſtia appenſa in loco patenti retineatur.

An in eadem Sacriſtia retineantur Libri, non folia, quæ vento rapiuntur, in quibus eadem die, qua celebratæ fuerunt, per eoſmet Sacerdotes adnotentur Miſſę celebratæ; Et an ſervetur ſilentium, vel potius indecentia committantur.

Mandet, quod Sacerdotes exteri, ut vagi, qui cogniti non ſunt, quoties cum licentia Epiſcopi, vel Vicarii admiſſi fuerint ad Sacrum faciendum, in Libro ſcribant ſe tali die celebraſſe, ad hoc, ut ſi forte falſos, & fictos Sacerdotes eſſe compertum fuerit, conſtare poſſit de corpore delicti per propriam confeſſionem.

Qui ſint miniſtri, & quæ Perſonæ admittantur ad inſerviendum Miſſis.

An celebrentur Miſſæ de mane ante auroram, vel poſt meridiem.

*Legata Pia*.

An in loco viſitato præter onera, & Legata Miſſarum adſint alia Legata pia adimplenda.

An de illis habeatur, & retineatur nota in Cancellaria Epiſcopali, ac in libris Eccleſiæ, ſeu alterius Loci Pii viſitati

An adimpleantur.

*Doctrina Chriſtiana*.

An in Cathedrali, aliiſve Eccleſiis Parochialibus reperiantur erectæ ſodalitates Doctrinæ Chriſtianæ.

An adſint peccatores publici, puta Concubinarii, Sortilegi, Uſurarii, Blaſphemi, Lamiæ, Conjuges ſeparati abſque judicio Eccleſiæ, retinentes, & legentes Libros prohibitos abſque licentia, evulgantes erroneas, & falſas propoſitiones, ac damnatas ab Eccleſia doctrina.

Confeſſarii tam ſæculares, quam Regulares abſolventes a reſervatis abſque Epiſcopi expreſſa facultate, Hæretici, aut de hæreſi ſuſpecti.

An in Eccleſiis Parochialibus, & aliis, in quibus Sodalitates ſunt erectę, edoceantur pueri, & puellæ in his, quæ pertinent ad Myſteria fidei, & bonos mores.

Hæc inquam regulariter, & ſubſtantialiter advertenda erunt in Viſitatione, quæ omitti non debent. Ceterum juxta locorum, & Eccleſiarum qualitatem, & exigentiam arbitrio prudentis Viſitatoris, etiam alia plura erunt conſideranda, & providenda; quæ videri ad ſaturitatem poſſunt apud Fuſch. Reſtam, Pac. Jord. Criſpinum, & alios, qui de Viſitatione abſolutos tractatus ediderunt.

Omnia vero , quæ Viſitator ordinaverit , decreverit , & adnotanda eſſe cenſuerit , per ſecretarium , ſive Notarium Viſitationis fideliter , & integre in Libro referenda erunt ; Quia Libri hujuſmodi plene probant , ut dixit Rota coram Dunoz. Jun. *deciſ. 61. numer.* 8. Panimol. *deciſ.* 10. *num.* 12. & alii adducti per Romaguer. *ad Synod. Gerund. lib.* 1. *tom.* 1. *cap.* 1. *num.* 6.

122 Adduntur variæ noviſſimæ Reſolutiones Sacræ Congregationis Concilii ad viſitationem pertinentes . Et ſignanter *in Bononienſ. Juris viſitandi 2. Octobris* 1721. in qua deciſum fuit , quod poteſt Archiepiſcopus Bononienſis jure delegato viſitare Eccleſias unitas , & annexas Collegio Montalto .

*In S. Marci Plurium 16. Januar.* 1723. *in cit. dub.* ubi reſolutum fuit , quod Epiſcopus poteſt per ſeipſum viſitare Diœceſim quotannis , & etiam pluries infra annum , ſed abſque procuratione .

*In Licien. Viſitationis , & Cenſurarum 29. Januar.* 1724. , *& 23. Junii* 1725. ubi quod Epiſcopus jure delegato viſitare poteſt Eccleſiam ruralem , ſeu campeſtrem S. Mariæ Galliani pertinentem ad Monachos Olivetanos .

*In Placentina* 17. *Auguſti* 1726. ubi quod Epiſcopus jure delegato viſitare poteſt Eccleſiam campeſtrem S. Mariæ de Albiano Pontis Nurii ſpectantem ad Carmelitas calceatos . Et jam Alexander VII. Conſtit. 4. incip. *Poſito Decreto* , approbaverat declarationes Sacræ Congregationis Epiſcop. , & Regular , quod nempe Viſitationi , & Juriſdictioni Ordinarii ſubſint Eccleſiæ Conventuum , & Capellæ Granciarum , ſive in eis degant Converſi pro agrorum cultura , ſive non .

*In Montis Regalis* 15. *Martii* 1727. ubi quod Epiſcopus viſitare poteſt Capellam Ruralem ſub titulo B.M.V. ad Nives in ſua Diœceſi in finibus loci Moroſii , ſpectantem ad Monachos Carthuſianos .

*In Macerat.* 10. *Maii* 1727. ubi quod Epiſcopus poteſt jure ordinario viſitare Confraternitatem ſub invocatione S. Mariæ Miſericordiæ in Caſtro Urbiſagliæ , quamvis Eccleſia ſita ſit in ſolo Baſilicæ Lateranenſis .

*In Spoletana Juris viſitandi 30. Septembr.* 1730. ubi quod Epiſcopus viſitare poteſt Capellam Confraternitatis Sanctiſſimæ Conceptionis in Eccleſia PP. Minorum Conventualium Terræ Montis Leonis , ad formam Decreti in Nucerina Paganorum 25. Julii 1629.

*In Ravennaten. Viſitationis 7. April.* 1731. ubi propoſitis tribus ſequentibus dubiis :

*I. An Cappella , & Altare S. Antonii ſita in Eccleſia PP. Minorum de Obſervantia Ravennæ ſubſit Viſitationi Reverendiſſimi Archiepiſcopi.*

*II. An ornamenta , & ſupellectilia ejuſdem Altaris . & Cappellæ ſpectantia ad eoſdem Patres poſſint ab eo viſitari .*

*III. An ea ſpectantia ad Societatem S. Antonii , quæ in actu Viſitationis ſervantur in arca , aut in alio loco viſitare debeant in locis , in quibus aſſervantur ; ſeu potius aſportanda ſint intra Capellam præfatam , ibique viſitari .*

*Sacra Congregation. Conc.* die , & anno quo ſupra Reſpondit . *Ad I. Affirmative ad formam Nucetinæ . Ad II. Negative . Ad III. Poſſe viſitari ubicumque ſerventur .*

*In Murana Viſitationis* 21. *Junii* 1732. ubi ad 2. dub. *An Epiſcopus viſitare poſſit Altaria Sanctiſſimi Roſarii , & Sancti Franciſci exiſtentia in Eccleſia PP. Minorum Conventualium oppidi S. Felicis , in caſu &c. Sac. Congregation. Concil.* Reſpondit . *Ad* II. *Affirmative , ad formam reſolutionis in Nucerina Paganorum , & amplius .*

Quam *Decreti in Nucerina Paganor.* formam , quia fere ſemper ſecuta eſt Sacra Congregatio , & ſignanter *in Urbanien. Viſitationis Capellæ* 23. *Septembris* 1690. *ut in lib.* 40. *Decretor. pag.* 657. *in Firmana Juriſdictionis* 4. *Auguſti* 1714. *ad* 1. *dub. ut in lib.* 14. *Decretor. pag.* 276. , *& pag.* 303. *in Spoletana juris viſitandi* 30. *Septemb.* 1730. *ut in lib.* 80. *Decret. pag.* 290. , *& in Ravennaten. Viſitationis* 7. *April.* 1731. ut in *lib.* 81. *Decret. pag.* 144. , & in d. *Murana Viſitationis* 21. *Junii* 1732. ideo pro regula affertur hic ad litteram .

In *Nucerina Paganorum* 23. *Junii* 1629. *Sacra Congregat. Concil. inhærendo declarationibus alias factis , cenſuit , Confraternitates* Laicorum , *in Eccleſiis Regularium exemptorum inſtitutas , ſubeſſe juriſdictioni , & viſitationi Epiſcopi , illaſque ab eo viſitari poſſe , nec non illarum Capellas in ejuſdem Eccleſiis Regularium exiſtentes* ; In *his tamen , quæ Confraternitatum adminiſtrationem reſpiciunt ; Et ſi Confraternitatibus incumbit onus manutenendi Altare , & illius cultum , Epiſcopum poſſe viſitare circa ea , quæ reſpiciunt ipſam manutentionem , cultum , & ornamenta Altaris , ſeu Capellæ , onera Miſſarum , atque Divinorum Officiorum ibidem celebrandorum , & circa ea omnia , quæ ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent , ut in lib.* 14. *Decretorum pag.* 115.

Epiſcopi officio , & auctoritate , ſive in Viſitatione , ſive extra , provideri debet , quod Eccleſia , ſive ſæcularis , ſive Regularis conſueta prius aliis aliquod ſpeciale Feſtum ſolemnizare , debeat in quaſi poſſeſſione manuteneri privative quo ad alias , quæ nequeunt tale Feſtum eadem ipſa die celebrare , ſed debent in aliam diem protrahere , maxime in parvis oppidis , ubi ratione contemporaneæ celebrationis in duplici Eccleſia , exoriri ſolent æmulationes , contentiones , ac mutuæ cum ſcandalo perturbationes , magis deſtructivæ , quam inductivæ populi devotionem , ſicque cum in parvis locis unica Eccleſia populi Devotioni , ac pietati ſatisfacere poſſit , illa quæ poſterius Solemnitatem , ac Feſtum peragere cæpit , cedere debet alteri , quæ prius idipſum facere conſuevit , ut per text. in *Leg. Opus* 3. *ff. de oper. public.* firmat Spada *conſil.* 223. *ſub num.* 5. *tom.* 3. Pignatell. *tom.* 3. *conſult.* 69. *ſub num.* 3. Nicol. in Floſculis verb. *Feſtum ſub num.* 3. , *&* 5. Card. Petra *ad Conſtit.* 1. *Cæleſtini* III. *ſub num.* 23. , *& ſequent. tom.* 2. Bichius *deciſ.* 485. *ſub numer.* 3. Emerix junior *deciſ.* 1158. *ſub num.* 1. , & ex eis ſtatuit Rota *in nullius Putiniani Præeminentiarum coram Creſcentio* 7. *Decemb.* 1711. apud Scarfantonum ad Ceccoper. *part.* 3. *in fine deciſ.* 14. Et ſic decrevit etiam *Sac. Rit. Congregat. in Romana* 13. *Junii* 1697. & in *S. Severinæ Feſtivitatis S. Crucis die* 2. *Junii* 1712. in qua propoſito dubio : *An , & in qua Eccleſia Terræ Cutri ſit celebranda Feſtivitas S. Crucis ſub die* 3. *Maii* . Reſolutum fuit : *Feſtivitatem die* 3. *Maii celebrandam eſſe ſolemniter a PP. Reformatis ; die vero Dominica infra octavam poſſe celebrari a Confratribus SS. Anunciatæ* , apud Urſayam *tom.* 2. *part.* 2. *diſceptat.* 5. *num.* 34. & per tot. ubi ad rem plures adducit reſolutiones Sacræ Congregation. tum Concilii , tum Epiſcopor. , & Regular. tum Sacr. Rit. tum Viſitationis Apoſtolicæ , tum Rot. Romanæ , & ſic etiam *in d. tom.* 2. *part.* 1. *diſcept.* 22. *per tot.* Notanter tamen dictum fuit : *maxime in parvis oppidis , ſeu parvis* locis , quia in Magnis Civitatibus , in quibus ceſſante mutui impedimenti , ac perturbationis periculo ob diſtantiam Eccleſiarum , & populi multitudinem , ac frequentiam , permitti ſolet contemporanea celebratio ejuſdem Feſtivitatis in pluribus Eccleſiis juxta diſtinctionem , de qua Eminentiſſimus Petra *tom.* 2. *Commentar. ad Conſtitut.* 1. *Cæleſtini* III. *ſect. unic. ſub num.* 24. qui undequaque doctrina , & virtute conſpicuus , diebus , ac meritis plenus æternæ memoriæ dignus , perenniter regnaturus evolavit ad Superos *die* 22. *Martii anni* 1747.

Denique ſupereſt hic apponere quædam alia pro Minori- 123
bus de Obſervantia ad rem emanata a S. Congreg. Epiſ. , & Regularium decreta .

*Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia S. Franciſci .*

Ut in Seraphico Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia Regularis diſciplinæ vigor , & præſertim Religioſa Paupertas , uti par eſt , exacte cuſtodiantur , abuſuſque , ſi qui in nonnullis præfati Ordinis Provinciis occaſione Viſitationum earumdem Provinciarum irrepſerint , penitus in poſterum eliminentur .

SAcra Congregatio Eminentiſſimor. , & Reverendiſſimor. S.R.E. Cardinalium negotiis , & conſultationibus Epiſcoporum , & Regularium præpoſita , referente Eminentiſſimo S. Clementis , provide conſulere volens , ſtatuit , atque decrevit ; Quo ad Provinciarum Viſitatores , & Commiſſarios omnino obſervari Conſtitutionem Urbani VIII. pro reſtituendo , & conſervando in Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia diſciplinæ Regularis candore editam , aliaſque Apoſtolicas Conſtitutiones , & ſtatuta Generalia Ordinis a S. Sede Apoſtolica approbata ; & ſignanter , expreſſe mandavit , ne iidem Viſitatores , & Commiſſarii eorumque Secretarii , & ſocii ſub quovis titulo , aut quæſito colore , vel prætextu , etiam acceſſus , & receſſus , neque pro ſe , neque pro eorum Conventibus , & Provinciis , munera , ſive contributiones , nec in pecunia , nec in re aliqua a Provinciis , & Conventibus viſitatis , aut viſitandis , ſeu communi nomine , ſive proprio , & particulari Religioſorum , accipiant , ſed expenſis tantummodo neceſſariis pro itinere , quæ modeſtiam , & Paupertatem propriam ipſius Seraphici Ordinis decent , contenti ſint . Quod ſi judicio definitorii veſtiario indigere videbuntur , illud etiam , non tamen in pecunia , ſed in ſpecie tantum , tam ipſis Viſitatoribus , & Commiſſariis , quam eorum ſociis ſubminiſtrari valeat , fiatque dictarum expenſarum ſubminiſtratio modis licitis , & juxta proprii Ordinis Inſtitutum . Quæ omnia præcepit , & reſpective prohibuit ſub pœna privationis vocis activæ , & paſſivæ , aliiſque in Conſtitutionibus Clementis VIII. , & Urbani VIII. de largitione munerum , & in Statutis Ordinis conſtitutis , quacumque conſuetudine in contrarium , quam corruptelam eſſe declaravit , & aliis quibuſcumque non obſtantibus . Voluit autem , quod præſens Decretum tradatur Patri Vice-Commiſſario Generali Ciſmontanæ Familiæ , & Procuratori Generali Familiæ Ultramontanæ , per ipſos ad ſuas reſpective Provincias traſmittendum , & in earumdem Regeſtis deſcribendum ; Et quod in quolibet Capitulo Provinciali ab ipſius Capituli Præſidente legatur ſub pœnis ſupra expreſſis ipſo facto incurrendis ; Quodque definitorium tam vetus , quam novum cujuſcumque Provinciæ tranſmittere debeat ad Miniſtrum Generalem , ſeu ad Commiſſarium , aut Vice-Commiſſarium Generalem juratam atteſtationem , omnia ſupradicta , quantum ad eorum notitiam pervenire potuit , fuit , fuiſſe adimpleta .

Romæ 14. Novembris 1710.

G. Cardinalis Carpineus .

124 Viſitatio Paſtoralis , & executio Decretorum in ea editorum Epiſcopis omnibus inculcatur . Benedictus XIV. tom. 1.
125 Conſtitut. 2. incip. *ubi primum* §. 8. , & Conſtitut. 140. incip. *Graviſſimum* §. 18. In viſitatione Paſtorali quænam viſitare poſſit Epiſcopus in Eccleſiis Parochialibus Regularium
126 declaravit Idem in Conſtitut. 109. incip. *Firmandis* §. 7. Et quid cognoſcere debeat circa vitam , & mores Parochi Regularis . Idem *ibidem* §. 8. Vide verb. *Epiſcopus* & verb. *Regulares* , ubi multa ad rem .
127 Viſitatio Eccleſiarum Cathedralium , & Diæceſum Epiſcoporum Suffraganeorum a Metropolitano fieri non permittitur , niſi de mandato Concilii Provincialis . Idem Conſtitut. 98.
128 incip. *Inter plures* §. 18. Viſitatio Liminum Apoſtolorum , a quibus , quando , & quomodo fieri debeat ? Vide tom. 4. verb. *Limina Apoſtolorum* . Et inſuper obſerva ut ſequitur .

129 Inſtructio Sacræ Congregationis Concilii pro Epiſcopis , Archiepiſcopis , Primatibus , & Patriarchis , ſuper modo conficiendi Relationes ſtatuum ſuarum Eccleſiarum , quas , occaſione Viſitationis Sacrorum Liminum , eidem Sac. Cong. exhibere tenentur .

130 Summus Pontifex Sixtus Papa Quintus , qui tempora ſtatuit , quibus ſinguli Epiſcopi , Archiepiſcopi , Primates , & Patriarchæ per ſeipſos , vel per eorum certum Nuntium viſitare tenentur Limina Beatiſſimorum Apoſtolorum Petri , & Pauli , antiquiſſimæ obſervantiæ inhærendo nedum voluit , ut ultra Sacrorum Liminum viſitationem , Romano pro tempore Pontifici de toto eorum Paſtorali Officio , & de rebus omnibus ad ipſarum , quibus præſunt , Eccleſiarum ſtatum , ad Cleri , & Populi diſciplinam , animarum denique , quæ illorum fidei creditæ ſunt , ſalutem quovis modo pertinentibus , rationem redderent , uti fuſius habetur in prædicti Pontificis *Conſtitutione* , quæ incipit *Romanus Pontifex* , ſed in alia etiam Conſtitutione , quę incipit *Immenſa æterni Dei* , Sacræ Congregationi præpoſitæ Interpretationi Sacroſancti Concilii Tridentini , curam demandavit , prædictam rationem , quæ dicitur *Relatio ſtatus Eccleſiæ* perpendendi , & examinandi , ac poſtulatis in eadem proponendis reſpondendi .

131 Sixtinæ hæ Conſtitutiones ſuo non caruerunt effectu , tum quoad Sacrorum Liminum viſitationem , tum quoad Relationem ſtatuum Eccleſiarum , ſed cum nulla unquam edita fuerit inſtructio pro dictis Relationibus exarandis , factum hinc eſt , ut aliquæ ex eis aliquando fuerint exhibitæ abundantes in ſuperfluis , & aliquæ aliquando deficientes in neceſſariis : cumque ad hæc avertenda , in Synodo Romana , hoc anno 1725. a Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto Papa XIII. habita in Baſilica Lateranenſi præſcriptum ſit , ut inſtructio hactenus omiſſa , a Sacra Concilii Congregatione ederetur ; hæc idcirco Inſtructio publici juris fit , ut in Relationibus ſtatuum ſuarum Eccleſiarum ad eamdem Sacram Congregationem in poſterum tranſmittendis , curent Epiſcopi , Archiepiſcopi , Primates , & Patriarchæ , ipſi ſe conformare , & ſuas Relationes ad quædam diſtincta Capita reducere , quorum primum ad ſtatum Eccleſiæ materialem ; Secundam ad perſonam ipſius Referentis ; Tertium ad Clerum Sæcularem ; Quartum ad Clerum Regularem ; Quintum ad Moniales ; Sextum ad Seminarium ; Septimum ad Eccleſias , Confraternitates , & Loca Pia ; Octavum ad populum ; & Ultimum denique referatur ad Poſtulata , quæ ab ipſo Referente Sacræ Congregat. proponuntur .





## §. I.

De primo Relationis capite , pertinente ad Statum 132
Eccleſiæ materialem .

In hoc primo Relationis Capite Sequentia erunt exponenda .

I. Inſtitutio .

II. Confinia .

III. Privilegia , & prærogativæ Epiſcopatus , Archiepiſcopatus , aut Patriarchatus .

IV. Numerus Civitatum , Oppidorum , aut Locorum , qui Epiſcopatui , Archiepiſcopatui , aut Patriarchatui ſubjecti ſunt .

V. Status Cathedralis , Metropolitanæ , aut Patriarchalis Eccleſiæ , una cum numero Canonicorum , & aliorum ſervitio Chori addictorum , & an erectæ fuerint Præbendæ Pœnitentiaria , & Theologalis .

VI. Status Eccleſiarum Collegiatarum una cum numero pariter Canonicorum , & cæterorum , qui Choris earum interſunt , & an in Collegiatis erecta ſit Præbenda Theologalis ?

VII. Status & numerus Eccleſiarum Parochialium , nec non aliarum Eccleſiarum , & Oratoriorum in Epiſcopatu , Archiepiſcopatu , aut Patriarchatu exiſtentium , referendo ſignanter , an Cathedralis , Metropolitana , aut Patriarchalis , & Collegiatæ Oratoria ; necnon Patriarchalis , cæteræque Eccleſiæ ſint ſacris ſupellectilibus inſtructæ , et quænam ex eis habeant redditus pro fabrica aſſignatos .

VIII. Numerus Monaſteriorum tam Virorum , quam Mulierum ; exprimendo , an aliqua ex Monaſteriis Virorum ſint ſubjecta ſuæ juriſdictioni ; & an , & quæ Mulierum Monaſteria ſibi ſubjecta ſint , vel Prælatis Regularibus ?

IX. An adſit in Diœceſi Seminarium Clericorum , quot Clerici in eodem alantur , an fuerit ſtatuta taxa , & in qua quantitate , & an aliqua Beneficia fuerint eidem unita , & in univerſum quinam , & quot ſint reditus prædicti Seminarii ?

X. Numerus Hoſpitalium , Collegiorum , Confraternitatum , & aliorum Locorum piorum , quæ ſunt in Epiſcopatu , Archiepiſcopatu , aut Patriarchatu , et quinam ſint eorum redditus ?

XI. An adſint Montis Pietatis , et quot ſint , una cum aliis conſimilibus ad ſtatum materialem Eccleſiæ ſpectantibus ; cum advertentia tamen , ut plena ſtatus materialis Relatio in prima Relatione tantum , quę fit ab Epiſcopo , Archiepiſcopo , aut Patriarcha exhibeatur , in ſubſequentibus etenim Relationibus ſatis erit , quod ipſi ſe referant ad primam , niſi aliquid novi , pertinens ad dictum ſtatum materialem , contigiſſet , quod Referens notificandum Sacræ Congregationi exiſtimaret .

§. II.

133 De ſecundo Relationis capite pertinente ad ipſum Epiſcopum, Archiepiſcopum Primatem, et Patriarcham.

*In hoc Capite exponi debebit.*

I. An Reſidentiæ præceptum a Sacris Canonibus, Concilio Tridentino, et Conſtitutione Urbana præſcriptum, adimpleverit; et an aliquo, et quod tempore abſuerit, et an ultra Menſes Conciliares, et an cum, vel ſine Sedis Apoſtolicæ licentia?

II. An, et quoties Diœceſis ſibi commiſſæ viſitationem expleverit?

III. An, per ſe, vel per alium Epiſcopum, Sacras Ordinationes expleverit, et Sacramentum Confirmationis adminiſtraverit?

IV. An et quoties Synodum Diœceſanam coegerit: et, ſi Epiſcopus nulli Archiepiſcopo ſubjectus ſit, an ad Synodum Provincialem ejus Archiepiſcopi, quem ad tramites Tridentini eligere tenetur, ut ejus Synodo Provinciali interſit, et ſi ſit Archiepiſcopus; an Synodum Provincialem habuerit, et quinam ſuffraganei eidem interfuerint.

V. An Verbum Dei per ſeipſum prædicaverit, et an, legitimo concurrente impedimento, viros idoneos aſſumpſerit ad hujuſmodi prædicationis Officium ſalubriter exequendum?

VI. An habeat Depoſitarium pœnarum, et mulctarum pecuniarum, et an eædem fuerint piis uſibus applicatæ?

VII. Quænam Taxa, et an Innocentiana in ſua Cancellaria obſervetur.

VIII. An aliquod habeat, quod ſibi obſtet circa exercitium Epiſcopalis Officii, juriſdictionis Eccleſiaſticæ, necnon tuendę libertatis, & immunitatis Eccleſiarum.

IX. An aliquod pium opus peregerit pro Eccleſia, pro Populo, aut pro Clero.

§. III.

134 De tertio Capite ad Clerum Sæcularem pertinente.

In hoc capite exponendum erit.

I. An Canonici, cæterique Choro addicti Cathedralis, Metropolitanæ, aut Patriarchalis Eccleſiæ, necnon Collegiatarum, Choro jugitur interſint.

II. An ultra Matutinum, Laudes, cæteraſque alias Horas Canonicas, quolibet die celebrent Miſſam Conventualem.

III. An quolibet die eam applicent pro Benefactoribus.

IV. An ſuas habeant Conſtitutiones, et eas punctualiter obſervent.

V. An, qui obtinent Præbendam Pœnitentiariam, aut Theologalem, adimpleant, quæ adimplenda ſunt, et quomodo.

VI. An Parochi in ſuis Parochiis reſideant.

VII. An librum Matrimonii, et Baptizatorum, alioſque libros, quos ad normam Ritualis Romani retinere debent, retineant.

VIII. An aliqui ipſorum indigeant aliorum Sacerdotum opera, ut Sacramenta Populo adminiſtrent.

IX. An iidem per ſe, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, et Feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas pro ſua, et earum capacitate, paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſaltem, juxta monitum Tridentini, et præcitati Concilii Romani.

X. An ſaltem Dominicis, et aliis Feſtis diebus, in ſuis Parochiis, Fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum, et Parentes Pueros, cæteroſque hoc adjutorio indigentes doceant; et an, et qui eis operam præſtent in hoc opere adimplendo, et an fructuoſe hoc opus adeo neceſſarium in ſingulis Parochiis proficiat.

XI. An ſinguli Parochi, cæterique curam animarum exercentes ſingulis Dominicis, Feſtiſque de præcepto, Miſſam applicent pro Populo eorum Curæ commiſſo.

XII. An, et quæ præmittantur, antequam quis ad primam Tonſuram, et Minores Ordines admittatur, et an Sacris Ordinibus initiandi, ante cujuſcumque Ordinis Sacri receptionem Piis meditationibus, vulgo ſpiritualibus exercitiis, vacent per aliquot dies in aliqua Domo Religioſa.

XIII. An omnes prædicti veſtes jugitur deferant Clericales, et an quoad fori privilegium, ſerventur diſpoſita a Sacroſancta Synodo Tridentina *ſeſſ.* 23. *cap.6. de Reformat.*, et a Conſtitutione Sanctiſſimi Domini Noſtri Benedicti XIII. in eodem Concilio Romano emanata.

XIV. An habeantur Conferentiæ Theologiæ moralis, ſeu caſuum conſcientiæ, et etiam Sacrorum Rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis interſint, et quinam profectus ex illis habeatur.

XV. Quinam ſint mores Cleri ſæcularis, et an aliquod in eo adſit ſcandalum, quod remedio indigeat potentiori.

§. IV.

De quarto Capite ad Clerum Regularem pertinente. 135

In hoc capite exponendum erit.

I. An Regulares Curam animarum exercentes, qui Epiſcopali juriſdictioni, viſitationi, et correctioni ſubſunt in iis, quæ ad Curam pertinent, et adminiſtrationem Sacramentorum, munus ſibi commiſſum fideliter adimpleant, juxta ea, quæ in præcedenti capite dicta ſunt de Parochis ſęcularibus.

II. An aliquis Regularis extra Monaſterium degat: an aliqui adſint in Diœcesi, a ſuis Superioribus ſervatis ſervandis, ejecti, vel aliquis fuerit Regularis intra Clauſtra Monaſterii degens, ſed qui extra ea ita notorie deliquerit, ut Populo ſcandalo fuerit, et quomodo in hiſce casibus in sic delinquentes animadverterit.

III. An ſua juriſdictione delegata uſus sit in explenda Visitatione Conventuum et Granciarum Monaſteriorum, in quibus Religioſi non aluntur in numero a Sacris Conſtitutionibus præfixo; et quinam sint Religioſorum mores in dictis Conventibus, et Granciis degentium.

IV. Denique an aliquod habeat cum Regularibus offendiculum in exercitio juriſdictionis delegatæ in illis caſibus, in quibus eadem ipſi tributa eſt a Sacro Concilio Tridentino, vel a Summorum Pontificum Conſtitutionibus, & ſignanter a Bulla Clementis Papæ X. quæ incipit *Superna*.

§. V.

De quinto Relationis Capite ad Moniales pertinente. 136

In hoc capite exponendum erit.

I. An Moniales Epiſcopo ſubjectæ ſuas ſervent Conſtitutiones?

II. An Clauſura in earum Monaſteriis inviolate cuſtodiatur?

III. An aliqui abuſus in iiſdem Monaſteriis irrepſerint, qui in conſilio, aut auxilio Sacræ Congregationis indigeant?

IV. An præter Ordinarium Confeſſorem, alius extraordinarius ab ipſo bis, aut ter in anno fuerit oblatus?

V. An dictorum Monaſteriorum redditus fideliter adminiſtrentur, & Monialium dotes fuerint perſolutæ, et quomodo erogatæ?

VI. An in Monaſteriis Monialium, quæ ſunt Prælatis Regularibus ſubjecta, curaverit, ut Clauſura dictarum Sanctimonialium fuerit exacte obſervata; et an contra inobedientes, et contradictores, per Cenſuras Eccleſiaſticas, et alia juris remedia proceſſerit?

VII. An harum Monialium Confeſſarii Regulares, ſive ordinarii, ſive extraordinarii, fuerint ab ipſo approbati, antequam earum Confeſſiones exceperint?

VIII. An adhibitis Superioribus Regularibus, ſingulis annis exegerit rationem adminiſtrationis ab his, qui adminiſtrarunt bona pertinentia ad hæc Monialium Monaſteria Regularibus ſubjecta; & an fideliter eorum redditus adminiſtrentur, & alia fuerint adimpleta, quæ præſcribuntur in Bulla Gregorii XV. quæ incip. *Inſcrutabili*.

De



§. VI.

137 De ſexto Relationis Capite, pertinente ad Seminarium.

In hoc capite exponendum erit.

I. Quot ſint in Seminario Alumni?

II. An in Eccleſiaſtica Diſciplina recte inſtituantur?

III. Quibuſnam ſtudiis vacent, & quo profectu?

IV. An Cathedrali, & aliis locis Eccleſiæ diebus Feſtis inſerviant?

V. An cum conſilio duorum Canonicorum ſeniorum, a ſe electorum neceſſaria pro recto regimine ſtatuerit?

VI. An illud aliquando viſitet, & operam det, ut Conſtitutiones adimpleantur?

VII. An ſtatuta ſit Taxa ad tramites Concilii Tridentini, eademque exigatur, & an aliqui ſint moroſi in ejus ſolutione?

§. VII.

138 De ſeptimo Capite ad Eccleſias, Confraternitates, & Loca Pia pertinente.

In hoc capite exponendum erit.

I. An in Sacriſtiis omnium, & ſingularum Eccleſiarum expoſita ſit Tabella onerum Miſſarum, & Anniverſariorum ad tramites Decretorum ſan. mem. Urb. VIII. & an eis punctualiter ſatisfactum ſit?

II. An in Confraternitatibus, Scholis, aliiſque Locis piis, punctualiter executioni mandentur pia Opera, a Teſtatoribus injuncta?

III. An quolibet anno ſibi fecerit reddi rationes ab horum locorum adminiſtratoribus?

IV. An Montem Pietatis, ſive Caritatis viſitaverit: & an idem habeat redditus, qui ſuperabundent ſubſtentationi Miniſtrorum, aliiſque neceſſariis expenſis; & in quas cauſas reditus illi erogentur; & ſi quid exigatur ab illis, qui pecuniam, aut frumentum, ſi agatur de Monte frumentario, ab eo recipiunt?

V. An infirmorum Hoſpitalia viſitaverit, reddituum rationes ab Adminiſtratoribus exegerit, & an Infirmis neceſſaria quoad ſalutem animæ, & corporis in eis ſubminiſtrentur?

§. VIII.

139 De octavo Relationis Capite, ad Populum pertinente.

In hoc capite exponendum erit.

I. Quinam ſint Populi mores, & an in pietate proficiat?

II. An aliquis irrepſerit abuſus, aut prava quædam in eodem inoleverit conſuetudo, quæ Conſilio indigeat, & Sedis Apoſtolicæ adjutorio?

§. IX.

140 De ultimo capite, ad Poſtulata pertinente.

Ultimo loco Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ, qui ſuarum Eccleſiarum Relationes ad Sacram tranſmittunt Congregationem, ſi quæ habent Poſtulata proponenda pro ſuarum regimine Eccleſiarum, proponere poterunt, cum clara facti, & omnium circumſtantiarum expreſſione; & quatenus Poſtulata ſpectent ad negotia forenſia, exponant, an ea ſint in aliis Tribunalibus introducta, an adſint ſuper iiſdem aliorum Tribunalium ſententiæ, ut omnibus mature penſatis, poſſit Sacra Congregatio congruum ſuppeditare prædictis Poſtulatis reſponſum.

141 Et hæc ſunt, quæ opportuna viſa fuerunt, ut in hac Inſtructione inſerantur. Quod ſi aliqua fuerint, quæ Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ pro ſuarum indigentia Eccleſiarum, atque Diœceſum, addenda exiſtimaverint, ſciant ſibi liberum eſſe addere, quæ ipſis addenda videbuntur, & ad notitiam Sacræ Congregationis deferre, quæ ex caritatis, & juſtitiæ norma per ſe expediet, quæ poterit, & majora ad Summum Pontificem deferet, qui Fratribus ſuis Epiſcopis quantum cum Domino licet, gratificari ſemper exoptabit.

C. Card. Origus Præfectus.

Loco ✱ Sigilli.

*P. Archiep. Theodoſiæ Secr.*

Viſitatio Officiorum Tabellionatuum, & Actorum in Ur- 142
be indicitur, & omnibus Judicibus commendatur; Benedict.
XIV. Conſt.48. *Ad Militantis* §.49. Viſitatorum facultates 143
ad tramites juris, & Litterarum Innoc. XII. editarum ſub
die 16. Jan.1693. reducuntur. Idem Conſt.44. incip. *Quan-* 144
*tum* §.20. Viſitatores per Civitates, & Diœceſes ſunt deputandi ad fovendum opus Doctrinæ Chriſtianæ. Idem Conſtit.45. incip. *Etſi minime* §.16.

Viſitatio Diœceſis quotannis eſt peragenda, vel ſaltem 145
quolibet biennio, ſi ſit valde ampla. Idem *de Synodo Diœ-* 146
*ceſana lib.2. cap.9. num.* 4. Immo Epiſcopus poteſt ipſam 147
Diœceſim viſitare toties, quoties opus fuerit. Idem *ib.* Vide ſupra *n.*18. & 21. Unica tamen duntaxat debetur ei procuratio pro eodem anno quo pluries Diœceſim viſitat, ut declaravit *Sacra Congregatio Conc. die* 19 *Septemb.* 1682. quæ ad dubium; *An Epiſcopus, qui, ſi commode fieri poſſit, Diœceſim ſuam quotannis viſitare tenetur, poſſit hujuſmodi viſitationem facere per menſem, vel circiter antequam habatur integer annus a die peractæ ultimæ viſitationis, vel potius debeat expectare quod anni circulus integre compleatur, itaut intra ſinguli cujuslibet anni curſum, una tantum viſitatio fiat?* Reſpondit, *Affirmative, ſed non poſſe recipere procurationem, neque victualia, niſi ſemel in anno.* Et ſic etiam *in Policaſtr. Procurationis die* 1. *Junii* 1737. ubi ad quæſitum: *An Epiſcopus non completo anno ab ultima viſitatione, poſſit iterum eandem Eccleſiam viſitare, & aliam procurationem a viſitandis exigere?* Reſpondit, *Affirmative quoad primam partem, & Negative quoad ſecundam.*

Procuratio autem exigenda in Viſitatione debet eſſe mode- 148
rata & honeſta. Idem *ib.n.*5. Et Vicarius Capitularis, ſeu vica- 149
rius Generalis, vel alius ſubſtitutus, qui non ſit Epiſcopus non poteſt exigere, niſi medietatem procurationis dari ſolitæ Epiſcopo. Idem *ib.* & pluries decrevit Sac. Congregatio. Vide *tom.6. verb. Procuratio num.* 17. & 18. ubi afferuntur Decreta, et dicta ſuperius *n.*80. & *per tot.*

Advertendum eſt, quod in Guardien. exortis pluribus con-
troverſiis circa Juriſdictionem, quam Epiſcopus Guardienſis 150
aſſerebat ſibi competere in Oppido Aquævivæ ad Commendam Sancti Primiani Religionis Hieroſolymitanæ, propoſita, et reſoluta fuerunt plura dubia, ut ſequitur.

I. An Epiſcopus Guardien. in Viſitatione Eccleſiæ S. Joannis Oppidi Aquevivæ poſſit etiam viſitare libros Parochiales ad curam Animarum, et Sacramentorum adminiſtrationem ſpectantes, ſcilicet Baptizatorum, Confirmatorum, et Defunctorum.

II. An dictus Epiſcopus uti Sedis Apoſtolicæ delegatus corrigere poſſit Parochum, alioſque dictæ Eccleſiæ Miniſtros tam in actu viſitationis, quam extra?

III. An poſſit, ut ſupra inquirere contra dictos Parochum, et Presbyterum nontantum in concernentibus curam Animarum, et Sacramentorum adminiſtrationem, ſed etiam in aliis cauſis civilibus, et criminalibus, et in omnibus circa morum correctionem civilibus, et mixtis, et quatenus affirmative?

IV. An in caſu impedimenti procedere poſſit cum cenſuris contra impedientes, tam Commendatarium, quam Miniſtros?

V. An poſſit mandare in actu viſitationis, ut Calices, et decentia paramenta ad decorem adminiſtrationis provideantur?

VI. An cognitio ſtatus liberi eorum, qui Matrimonia contrahunt in dicto Oppido, et litteras eis dare ſpectet ad Epiſcopum?

VII. An facere teſtamentum vulgo dictum (dell'Anime) juxta ſolitum Diœceſis ſpectet ad Epiſcopum?

VIII. An

VIII. An Epiſcopus tam in actu viſitationis, quam extra procedere poſſit contra Laicos Commendatarium, & Miniſtros dicti Oppidi pro delictis ad Curiam Eccleſiaſticam ſpectantibus v. g. uſuris, concubinatibus, percuſſionibus Clericorum, inobſervantia dierum feſtorum, uſurpatione juriſdictionis Epiſcopalis &c. & tali caſu cenſuris Eccleſiaſticis uti?

IX. An tueri immunitatem in dicto Oppido ſpectet ad dictum Epiſcopum, etiam adverſus Commendatarium, & Miniſtros, itaut eos valeat declarare excommunicatos?

X. An ſit manutenendus Epiſcopus in quaſi poſſeſſione decernendi Monitoria in dicto Oppido pro deperditis?

XI. An ſpectet ad Epiſcopum præſtare conſenſum alienationi bonorum dictæ Eccleſiæ, vel alterius Loci Pii juxta terminos cap. *Terrulas 12. q. 2.*

XII. An poſſit deſtinare Concionatorem in dicto Oppido, & cogere Communitatem ad ſolvendam mercedem juxta ſolitum Diœceſis?

XIII. An ſpectet ad Epiſcopum præſtare licentiam concionandi in dicto Oppido?

XIV. An Parochus dicti Oppidi ſeſe abſentare poſſit a Parochia ultra terminum a Sacro Concilio præfixum ſine licentia Epiſcopi?

XV. An d. Parochus, & cæteri Presbyteri ſervientes Eccleſiæ teneantur accedere ad Synodum Diœceſanam Epiſcopi? *Iiſque die 5. Sept. 1693. reſponſum fuit manutenendum eſſe Epiſcopum in omnibus.*

151 Poſtmodum vero cum ad inſtantiam Commendatarii, qui novæ Audientiæ beneficium impetraverat in iis, quæ reſpiciebant juriſdictionem independentem a delegata circa curam Animarum, die 15. Jan. 1695. diſcuſſa fuerunt alia, quæ ſequuntur, dubia, videlicet.

I. An Epiſcopus Guardien. poſſit inquirere contra Parochum Eccleſiæ Oppidi Aquævivæ non tantum in concernentibus curam Animarum, & Sacram adminiſtrationem, ſed etiam aliis cauſis civilibus, & mixtis, & quatenus affirmative;

II. An in caſu impedimenti procedere poſſit cum Cenſuris contra impedientes tam Commendatarium, quam Miniſtros?

III. An dictus Epiſcopus tam in actu Viſitationis, quam extra procedere poſſit contra Laicos Commendatarium, & Miniſtros dicti Oppidi pro delictis ad Curam Eccleſiaſticam ſpectantibus v. g. uſuris, concubinatibus, percuſſione Clericorum inobſervantia dierum feſtorum, uſurpationis juriſdictionis Epiſcopalis &c. & tali caſu Cenſuris Eccleſiaſticis uti?

IV. An tueri Immunitatem Eccleſiaſticam in dicto Oppido ſpectet ad dictum Epiſcopum etiam adverſus Commendatarium, & Miniſtros, itaut valeat eos declarare excommunicatos?

V. An ſit manutenendus in poſſeſſione decernendi Monitoria pro deperditis in dicto Oppido?

VI. An ad ipſum ſpectet præſtare conſenſum alienationi bonorum dictæ Eccleſiæ, vel alterius loci Pii juxta terminos cap. Terrulas 12. q. 2.

VII. An poſſit deſtinare Concionatorem in d. Oppido, & cogere Communitatem ad ſolvendam mercedem juxta ſolitum Diœceſis?

VIII. An præſtare licentiam concionandi in eodem Oppido?

IX. An dare licentiam Parocho abeſſendi?

X. An dictus Parochus, & cæteri Presbyteri inſervientes Eccleſiæ teneantur accedere ad Synodum Diœceſanam Epiſcopi?

VI. An litteræ Remiſſoriales, & compulſoriales favore Commendatarii ſint concedendæ?

Reſcriptum autem fuit: Ad I. *in Deciſis*, Ad II. *Affirma-*
152 *tive*, Ad III. *Affirmative*, *exceptis Commendatario*, *&* *aliis Miniſtris habentibus tria requiſita*. Ad IV. & V. *Affirmative*. Ad VI. *Affirmative*, *præterquam quoad bona Religionis*. Ad VII. *Affirmative*, *&* *quoad coactionem ad ſolvendum ſervetur ſolitum*. Ad X. *in Deciſis quoad Parochos*, *&* *Beneficiatos*; *quo vero ad alios*, *dilata*, *&* *ad mentem*. Ad XI. *negative quoad remiſſoriales*, *&* *affirmative quoad compulſoriales*.

Præterea cum diſceptatum fuerit: *An Oeconomo Eccleſiæ* 153
*Parochialis S. Mariæ Eſther Commendæ S. Joan. Hieroſol. Oppidi Aquævivæ Collis de Cruce liceat conjungere in Matrimonium Parochianos dict. Eccleſiæ abſque probatione ſtatus liberi facienda coram Epiſcopo Guardienſi*, *&* *ſine illius licentia*. Die 12. April. 1710. prodiit reſolutio: *Negative*.

Poſtremo, diſcuſſis quatur hiſce dubiis I. *An Epiſcopus* 154
*Guardien poſſit exigere ſubſidium caritativum ab Eccleſia Sancti Joannis Aquævivæ? II. An dictus Epiſcopus poſſit exigere Cathedraticum*, *ſeu Synodaticum a dicta Eccleſia*, *ejuſque Parocho? III. An idem Epiſcopus in actu Viſitationis faciendæ in dicta Eccleſia poſſit exigere procurationem? IV. An dictus Epiſcopus in eadem viſitatione poſſit recognoſcere libros adminiſtrationis bonorum ejuſdem Eccleſiæ*, *ejuſque rationem petere?* Sub die 14. Novemb. 1733. reſcriptum fuit, *Ad* I. II. *&* III. *Negative Ad* IV. *Affirmative jure delegato*.

Verum quia tam adverſus poſtremam hanc Reſolutionem 155
hodiernus Epiſcopus, quam contra præcedentes ſibi contrarias Eques Antonius Cedronius dictæ Commendæ Poſſeſſor novæ Audientiæ beneficium impetrarunt; Idcirco ad extinguendas contentiones, quæ inter eumdem Epiſcopum, & Commendatarium dicti Oppidi Aquævivæ in dies oriebantur, propoſito ſequenti dubio, *An*, *quæ*, *&* *ſuper quibus Epiſcopo Guardienſi competat juriſdictio in Commenda*, *ſeu Oppido vallis vivæ Collis Crucis*, *&* *Parochiali Eccleſia S. Mariæ Eſther*, *itaut ſit ſtandum*, *vel recedendum a Deciſis ſub die 5. Sept. 1693. 15. Jan. 1695. 12. Apr. 1710. &* *14. Novem.* 1733. *Sacra Congr. Conc. die 3. Maji 1736. in Guard. Reſpondit: Prævio receſſu a deciſis die 14. Nov. 1733. In reliquis in Deciſis*. Unde, ut vides, ex noviter deductis receſſit *eadem S.C.C. a Deciſis in Guardien. die 4. Nov. 1733.*

* Epiſcopo non prohibetur quidem bis quotannis Diœce- 156
ſim ſuam viſitare, ſed nonniſi unicam tantummodo per annos ſingulos procurationem exigere poteſt, ut ex pluribus Sacr. Congregationis Decretis, *De Synodo Diœc. lib. 7. cap. 53. § 5.*

Vicarius Capitularis poteſt Diœceſim viſitare poſt pera- 157
ctum annum a viſitatione ab Epiſcopo facta, ut pluribus Sac. Congregationis Decretis deciſum eſt. *Ibid. lib. 2. cap. 9. § 5.* Illi tamen nonniſi dimidium procurationis, quæ ſolvitur Epiſcopo, retribuenda eſt, cum debeat minori comitatu incedere, & conſtat ex reſolutione Sacr. Congregationis *in una* Oſtunen. die 7. Julii 1708. I*bid. lib. 7. cap. 53. § 5.*

Epiſcopi omnes ex vi Conſtitutionis *Romanus Pontifex* a 158
Sixto V. editæ, antequam conſecretur ſi Romæ exiſtant, in manibus S. Rom. Eccleſiæ primi Diaconi Cardinalis; extra Curiam vero in manu Antiſtitis ad hoc delegati ex formula præſcripta jurant ſe ſtatis temporibus limina Sanctorum Apoſtolorum viſitaturos per ſe, ſive legitime impeditos per aliquem e ſuo Capitulo, vel alium in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, vel beneficio præditum, & *ſi hi defuerint*, per Sacerdotem aliquem Diœceſanum ſæcularem, vel Regularem.

Tunc autem Romano Pontifici rationem reddere tenentur 159
de Paſtorali Officio impleto, & iis omnibus quæ ad ſuam Diœceſim pertinent. Sacræ autem Congregationi Concilii injunctum eſt munus, ut poſtulata Epiſcoporum illorum diſcutiat, & det illis reſponſa, ſicuti & videndi num legitime ſint impediti. I*bid. lib. 16. cap. 6. § 11. Novæ edit.*

Tempus, intra quod obeunda eſt iſta viſitatatio aliis qui- 160
dem longius definitum eſt, aliis brevius, ſed non minus quam triennium, nec ſupra quadriennium. I*bid. § 3.* Porro ſi Epiſcopus habeat Coadjutorem ab Apoſtolica Sede datum, ſufficit ſi Coadjutor nomine Epiſcopi adeat, ſicut etiam ſufficit ſi mittatur adminiſtrator Epiſcopatus, qui debet viſitare limina ſuo, & principalis ſui nomine, ut ex Deciſis a S. C. *ibid. § 5.*

Id etiam præſtandum eſt ab Epiſcopo titulari, ut ex Fagna- 161
no, aliiſque, probatur, *ibid. § 5.*

Denique nec eximuntur Epiſcopi Eccleſiarum ſuburbica- 162
riarum, quamvis exempti ſunt a reſidentia. Ita ex Decreto *Conſiſtoriali* Alexandri VII. *ibid. § 6.*

*Novæ additiones ex aliena manu.*

Graviſſima hic ſe offert quæſtio, an *ex Concilio Triden-* 1
*tino ſeſſ. 24. cap. 9. de Reform.* Loca nullius Diœceſis viſitari queant ab Epiſcopo qua Apoſtolico delegato, cujus Cathedralis Eccleſia eſt proximior.



2 Una omnium ſententia eſt, Eccleſias nullius Regulares viſitari haud poſſe. At quoad Eccleſias nullius Sæculares, ſunt, qui diſtinguunt inter Eccleſias *Nullius* proprie, ut ſunt jam a Diœceſi ſeparatæ, in quibus Prælatus Inferior habet omnimodam quaſi epiſcopalem juriſdictionem, & Eccleſias *Nullius* improprie, ut ſunt poſitæ intra fines Diœceſis, in quibus Prælatus inferior habet quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, ſed
3 non omnimodam. Viſitari autem poſſe illas negant, haſce vero affirmant *Ciarlin. controv. 67. num. 25. lib. 1. &* *controv. 22. num. 112. &* *ſequent. lib. 2. Roſ. de Reſid. Epiſcop. c. 4. ſection. 6. numer. 483. &* *ſequent. Criſpin. de Viſitat. part. 1. § 13. num. 40. Manent. de Poteſtat. Epiſcop. part. 3. cap. 6. num. 2.*

4 Alii abſolute affirmant jus eſſe Epiſcopo ex mox citata Conciliari ſanctione viſitandi Eccleſias nullius etiam proprie; *Fagnan. in cap.* Grave *num. 21. de Offic. Ordinar.* Barboſa *ad Concil. Trid. d. ſeſſ. 24. dict. cap. 9. num. 2. &* *ſeq. de Reform. clar. mem. Card. Petra in comment. ad Conſt. Apoſtol. conſtit. 4. Callixti* III. *num. 141. &* *ſequent.* aliique. Et huic opinioni videtur adhæſiſſe Rota *in Nolana Beneficiorum 25. Junii 1759. cor. Reverend. P. D. Parracciano Decano.*

5 Mihi autem magis arridet prior opinio diſtinguens Eccleſias *Nullius* proprie inter ac *Nullius* improprie. Hujuſque opinionis plures, ææque ſolidæ & ineluctabiles afferri poſſent rationes, ſed ea hic ſufficiat, quæ ex ipſis verbis Concilii Tridentini *dict. ſeſſ. 24. dict. cap. 9. De reform.* deſumitur. Verba ſunt: *Quæ alias &c. De adhibenda ab Ordinariis diligentia in Beneficiorum etiam exemptorum viſitatione conſtituta ſunt*, *eadem etiam in illis Eccleſiis Sæcularibus obſerventur*, *quæ in Nullius Diœceſi eſſe dicuntur*, *ut ab Epiſcopo*
6 *cujus Cathedralis eſt proximior viſitentur*. Satis enim hinc patet, quod Concilium Tridentinum de Eccleſiis loquitur non quæ vere & proprie ſunt *Nullius*, ſed abuſive & improprie *Nullius* ſunt. Si enim loqueretur de Eccleſiis, quæ vere, & proprie ſunt *Nullius*, inquiiſſet non in NULLIUS DIOECESI ESSE DICUNTUR, ſed IN NULLIUS DIOECESI EXISTUNT, nam aliud in NULLIUS DIOECESI DICI, denotatque primum PROPRIETATEM, ac VERITATEM, ſecundum vero IMPROPRIETATEM, ET ABUSUM, ut monet *Rebuff. in Leg. 3. § Ejus qui ff. de Verbor. ſign.*

7 Quid plura? Satis eſſe debet ea quæ in S. Congr. Epiſcoporum, & Regularium negotiis præpoſita, tum in altera Concilii interprete obtinet praxis committendi quandoque Epiſcopo viciniori, ut viſitet Loca hæc vere, & proprie *Nullius*, in quibus Inferior Prælatus habet omnimodam juriſdictionem quaſiepiſcopalem ad tramites facultatum ipſi communicatarum, ut teſtatur *Cardinalis De Luca in adnot. ad Concil. Trid. diſcurſ. 15. n. 10. Criſpin. De viſitat. p. 1. § 13.*
8 *num. 40.* Quomodo enim aſſeri poteſt, Concilium Tridentinum Epiſcopo viciniori qua delegato Apoſtolico poteſtatem feciſſe viſitandi mox dicta Loca, ſi vicinior Epiſcopus viſitare ea nequit jure ſuo, ſed opus habet commiſſione alterutrius Sac. Congregationis, nec tranſilire valet limites facultatum ipſi Communicatarum?

9 Quod vero attinet ad deciſionem Rotæ *in Nolana Beneficiorum 5. Junii 1759. coram Reverendiſſ. P. D. Parracciano Decano*, ſatis eſſet, quod ea eſt Contumacialis; Sed accedit hoc amplius, quod denuo propaſita cauſa *Die 3. Martii* 1760. *cor. eod.* Sacro Tribunali nil definire voluit de hoc articulo; Confer *hanc Deciſionem*.

## VITA COMMUNIS.

1 Vita communis in primitiva Eccleſia ſervabatur ab omnibus Fidelibus, quorum erat Cor unum, & anima una, & illis erant omnia communia, ut expreſſe habetur *Actor cap. 4. num. 32.* ibi: *Multitudinis autem credentium erat Cor unum*, *&* *anima una*, *nec quiſquam eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat*, *ſed erant illis omnia communia*. Primi enim illi Fideles poſſeſſiones, & ſubſtantias ſuas vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat, & ut ab Apoſtolis diſponebatur, nihil proprii ſibi retinentes, & omnia communia habentes: *Actor c. 11. nu. 44. &* 45. ibi: *Omnes etiam*, *qui credebant*, *erant pariter*, *&* *habebant omnia communia*. *Poſſeſſiones*, *et ſubſtantias vendebant*, *et dividebant illa omnibus*, *prout cuique opus erat*. Et id totum refertur *in cap. Dilectiſſimis 2. et cap. Scimus 9. cauſ. 12. b. 1.* ibi: *Scimus vos non ignorare*, *quod hactenus vita communis inter omnes Chriſtianos viguit*.

Hoc vitæ communis genus frigeſcente Laicorum fervore 2
in Clericis continuavit, ex quo nomen Canonicorum effluxit promiſcue a Clericis uſurpatum. Canonici etenim dicuntur Clerici in fraternitate, prout certe erant omnes Clerici in primitiva illa Eccleſia, ut erudite more ſuo obſervat Eminentiſſimus Petra *tom. 1. Comment. ad Conſt. 2. Paſchalis II. num. 3.* cum ipſis eſſet præceptum, ut *diſtricte*, *ac Canonice viverent*, prout habetur *in cap. Quoniam 14. cauſ. 12. q. 1.* in cujus Summario ſic præciſe dicitur: *Diaconi*, *vel quælibet Religioſæ perſonæ Regularem vitam ducere cogantur*. *Canon enim græce*, *Latine Regula nuncupatur*, textu expreſſo *in cap. Canon 1. diſt. 3.* Unde S. Dionyſius Carthuſianus *tract. de vita Canonicali*, ſic expreſſe dicit: *Clerici vocantur Canonici*, *quoniam Regularem*, *et rectam tenentur ducere vitam*, *vitiorumque obliquitates vitando ſinceriter gradari juxta præfixa eis a ſanctis Patribus inſtituta*.

Reſervatus tamen exinde fuit talis vivendi uſus ad Clerum 3
Eccleſiarum Cathedralium una cum Epiſcopo vitam ducentem communem in Clauſtris prope Eccleſiam conſtructis. Sic expreſſe d. Card. Petra *l. c. n. 4.* & clare habetur *ex cap. Neceſſaria 3. cit. cauſ. 12. q. 1.* ibi: *Neceſſaria etenim res exiſtit*, *ut juxta Eccleſiam Clauſtra conſtituantur*, *in quibus Clerici diſciplinis Eccleſiaſticis vacent*, *utque omnibus unum ſit Refectorium*, *ac Dormitorium*, *ſeu cetera Officina ad uſus Clericorum neceſſariæ*; *Miniſtri vero poſt Epiſcopum ſuper eos eligantur*, *et c. Certe 18. ead. cauſ. et qu.* ubi refertur S. Auguſtinus ſic loquens: *Certe Ego ſum*, *qui ſtatueram nullum ordinare Clericum*, *niſi qui mecum vellet manere*.

Collabeſcente tamen fere apud omnes hoc pio, & ſancto 4
communiter vivendi Inſtituto plurimi Sancti Patres, Patriarchæ, & Fundatores afflati Sancto Spiritu varias inſtituere Religiones, aſſignatis, ac traditis ſuis Alumnis peculiaribus Regulis, ſub quarum obſervantia in perfecta, & exacta vita communi magis, ac magis, in ſtudio virtutum in dies proficerent; ſicque collapſa Apoſtolica vitæ communis forma, ac Regula *in priſtinum* reſtitueretur, uti reſtituta, ac per univerſum Orbem diffuſa ſpecimina virtutum, ac maxima ſanctitatis incrementa Regularibus Clauſtris quotidie progignens Deo dante conſpicitur.

Hinc omnes Regulares utriuſque ſexus tenentur ad perfe- 5
ctam, & exactam vitam communem in omnibus, & per omnia, & ad obſervantiam Regulæ ſecundum ſuam primævam inſtitutionem, textu expreſſo in Concil. Trid. *ſeſſ. 25. de Regul. c. 1. cap. Cum cauſam 27. de Election. cap. Ad noſtram 3. de appellat. cap. Super eo 9. &* *cap. Ex parte 29. de Regular. cap. Recolentes 3. &* *cap. Ea quæ 8. de ſtatu Monach.* Conc. Mediolan. *p. 3. tit. de com. Vit. uſu*, ubi loquens de Monialibus ſic ſtatuit: *In omnibus Monaſteriis quoad cibum*, *potum*, *ſomnum*, *veſtitum*, *ceteraſque res attinet*, *omnes communiter vivant*, *ut a Sancto Concilio Tridentino decretum eſt*. Et Concil. Cameracen. *tit. de Monach. cap. 9. &* 10. ſic habet: „ „ Cum Sacroſancta Synodus Tridentina præceperit ea, quæ „ ad communem vitam, victum, & veſtitum pertinent, fi„ deliter obſervari, mandat hæc Synodus omnibus Religio„ ſis, ut diligentiſſime Paupertatis Votum, tamquam ineſſa„ bilis cujuſdam, & dulciſſimæ quietis cauſam cuſtodiant, „ neque proprietatis vitio violent: caveant igitur, ne quid „ ſibi ita retineant, vel retinere deſiderent, ut Communita„ ti nolint eſſe commune, neve ad peculiares uſus eo utan„ tur ſine Superioris conſenſu „. Sicque expreſſe ſtatuit Clemens VIII. *in Decretis pro reformatione Regularium*, allatis *ſub verb. Regulares art. 1. n. 85.* & confirmatis a S. Congr. Conc. juſſu Urbani VIII. in Decretis *de Apoſtatis*, *et Ejectis*, allatis ſub verb. *Ejecti num. 2.* & ſic expreſſe ſæpe ſæpius decreverunt variæ Sacræ Congregationes.

Unde ſi alicubi non ita exacte, & perfecte obſervaretur 6
dicta vita communis, eſſet a Superioribus omnino præcipienda, & introducenda, & a Subditis prompte & integre obſervanda, prout expreſſe mandant Summi Pontifices, Concilia, ac Sacræ Congregationes. Et ſubditi recuſantes Vitam communem, cum Superiores illam erigare, & introducere, prout debent, volunt, peccant moraliter. Maſtrius *Theol. moral. diſp. 4. n. 46.* S. Antonin. *part. 3. Summæ t. 16. § 11. De Paupert.* Donatus *Prax. rer. Regul. tom. 4. tract. 15. q. 5.* cum aliis ibi citatis; Felix Poteſt. *tom. 1. p. 2. n. 1087.* de communi. Et ratio manifeſta, & inſolubilis eſt, quia Regularis utriuſque ſexus recipiens, & retinens aliquid notabile

Inde-

independenter a voluntate Superioris peccat mortaliter contra votum Paupertatis ſed Regularis utriuſque ſexus recuſans vitam communem juxta formam Tridentini, Decretorum Clementis VIII. pro reformatione Regularium, ac Conſtitutionum aliorum Summorum Pontificum, ſignanter Innocentii X. Alexandri VII. & Innocentii XII. in Decretis a Sacra Congregat. ſuper diſciplina Regulari de ejus mandato, & auctoritate editis (ubi confirmantur, & innovantur Decreta Conc. Trid. Clem. VIII. ac aliorum Summorum Pontificum ad id edita, ut patet infra *ſub n.* 12. ubi adducuntur) Superiore volente illam erigere, recipit, & retinet independenter a voluntate Superioris, immo contra ejus voluntatem; ergo peccat mortaliter contra votum Paupertatis. Major eſt certiſſima ex abunde adductis ſub verb. *Votum art.* 2. *a n.*43. Minor autem eſt omnino evidens quia vita communis præſcripta a Trid. *ſeſſ.*25. *de Regul. c.* 2. & a Clement. VIII. *in cit. Decr. pro reform. Regul.* incip. *Nullus omnino* §.3. & confirmata a ſupradictis Summ. Pont. eſt, ut quidquid Regularis utriuſque ſexus, quovis modo acquirit, nullimode retineat apud ſe, & pro ſe, neque nomine Monaſterii, ſed ſtatim Superiori fideliter, & omnino tradat, & cum aliis Monaſterii bonis, pecuniis, & proventibus incorporetur, ut inde ex communi maſſa ſingulis in vita communi neceſſaria ſubminiſtrare poſſit. Id autem totum vult Superior intendens vitam communem juxta ſupradictam præſcriptam formam erigere, adeoque Regulares utriuſque ſexus recuſantes vitam communem, quam, ut debet, vult Superior introducere, recipiunt, & retinent a ſe acquiſita independenter a voluntate Superioris immo contra ejus voluntatem, cum Superior velit, ut Subditus non retineat, ſed ſtatim acquiſita incorporanda conſignet, & ſubditus nolit, & recuſet ea Superiori tradere incorporanda, quod eſt expreſſe contravenire Voto Paupertatis; Unde nec Superiores ſunt in ſecuro conſcientiæ ſtatu ſi in quantum poſſunt, abſque gravi ſcandalo non curant vitam communem erigere, nec Subditi recuſantes illam recipere.

7 Nec juvat ad excuſandas excuſationes in peccatis allegare conſuetudinem in contrarium repertam a primo ingreſſu in Religionem, quia Summi Pontifices, & Sacræ Congregationes ſemper ſtatuerunt teneri Regulares utriuſque ſexus ad exactam vitæ communis, & Regulæ obſervantiam, non obſtante contraria conſuetudine, & introducta relaxatione, ut patet ex abunde adductis verb. *Regulares art.* 1. *a num.* 73. & verb. *Moniales art.* 2. *a num.* 62. *& ſignanter num.* 81. ubi inter alias refertur ex Urſaya *tom.*3. *part.* 1. *diſceptat.* 1. §.13. una Sacræ Congregationis ad id emanata Declaratio 11. *Febr.* 1678. approbata ab Innocentio XI. cum addito: *Che ſi levi ogni altro abuſo introdotto contro le buone Regole Monaſtiche, e maſſime quelle di aver trovato tal forma di vivere, e tali abuſi nel tempo del loro ingreſſo nel Monaſtero*, qui Urſaya *loc. citat.* merito proinde concludit cum doctiſſimo Epiſcopo Ciſprin. *nella Viſita Paſtorale part.* 2. §. 42. *num.* 39. *in medio*, quod in his terminis a Monialibus, & Regularibus inallegabilis eſt uſus in contrarium attento dicto Oraculo Pontificio, & reſolutione dictæ Sacræ Congregationis & Donat. *Prax. rer. Regul. tom.* 4. *tract.* 15. *de voto paupertat. qu.* 5. *numer.* 3. *&* 4. ac Fontan. ad *Conſtitut. Ordin. Prædicator. verb. Profeſſio numer.* 11. *fol.* 530. dicunt expreſſe: *Ex clara diſpoſitione Capituli generalis Pariſiis celebrati anno* 1611. *admonit.* 3. *utriuſque ſexus Regulares viventes ſub Habitu S. P. Dominici tenentur ad obſervantiam Regulæ, & Conſtitutionum noſtrarum, non prout hic, vel ibi ſervatur, ſed ſimpliciter, pro ut littera ſonat.* Et ratio eſt clara, quia ut recte dicunt Fagnanus *in cap. Recolentes* 3. *de ſtatu Monachor. num.* 6. Summa Aſten. *tit.* 47. *de Regularibus art.* 3. *in* 7. *quæſt.* & alii plures: Profitentes profitentur Regulam, non conſuetudinem, nec relaxationem, immo ad id expreſſam faciunt proteſtationem, adeoque ad Regulæ, & vitæ communis obſervantiam tenentur, & compelli poſſunt, non obſtante contraria conſuetudine, & introducta relaxatione.

8 Tum quia neque poſſunt excuſari per hoc, quod ſub tali contraria conſuetudine Profeſſionem emiſerint, quia Regulares utriuſque ſexus per votum Paupertatis in ſua Profeſſione emiſſum virtualiter voverunt *Vitam communem* a Tridentino, & Summis Pontificibus *præſcriptam*, Superiore illam conſervare, aut erigere volente: Voverunt enim nihil retinere, invito Superiore, ſed omnino dependenter ab ejus voluntate, cum hoc ſit de eſſentia voti Paupertatis, adeoque virtualiter voverunt ei ſtatim tradere omnia ab ipſis quovis modo acquiſita, Superiore id præcipiente; alias retinerent contra expreſſam voluntatem Superioris & ſic peccarent contra votum Paupertatis; Tum etiam quia contra Regulam approbatam a Sancta Sede, pro ut includit tria vota ſubſtantialia Religionis, quæ ſunt de Jure Divino, non eſt locus conſuetudini, quamvis foret contraria & immemorabilis, ex quo conſuetudo Jus Divinum auferre non poſſit, textu expreſſo *in cap. Cum tanto* 11. *de conſuetudine*; cum potius, & verius, ut ibi dicitur, ipſa in hac parte dicenda ſit corruptela, quam conſuetudo. Sic Graffius 2. *part. deciſ. aur. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 4. Tapia *in Authent. Ingreſſi cap.* 3. *numer.* 55. Calder. *tot. conſil. de conſuetudine*, Donat. *loc. cit. quæſt.* 5. *numer.* 2. ubi cum aliis dicit, quod reſiſtentes ſunt valde punibiles, ex quo reſiſtant expreſſæ voluntati Superioris jubentis ſecundum Regulam, ut docent ſcribentes *in cap. Non dicatis caus.* 12. *quæſt.* 1. *& in cap. Cum ad Monaſterium* 6. *de ſtatu Monachor.* Navarr. *conſil.* 75. *de Regul. n.*49. *& eſt Communis*.

Nec etiam eos omnino excuſat ab obligatione ſervandi vitam communem Monaſteriorum inopia, ut ſolide, ac fuſe 9 probat Ramirez Epiſcopus *in ſua quæſtione morali* §. 6. citatus, & ſecutus a Felice Poteſt. *loc. citat. numer.* 1092. & tenent plurimi alii: Et ratio eſt, quia ſinguli hujuſmodi Monaſteriorum Regulares non ſervantes vitam communem de facto habent ſibi neceſſaria juxta decentiam ſtatus; ſed talia ſibi neceſſaria juxta decentiam ſtatus haberent, etiamſi ſervarent vitam communem, ergo &c. Major patet. Minor probatur, quia ſinguli hujuſmodi Monaſteriorum Religioſi non aliunde habent ſibi neceſſaria juxta decentiam ſtatus, quam ex iis, quæ partim habent a Monaſterio, & partim ſuo labore, & induſtria & a propinquis, vel amicis acquirunt: ſed hæc omnia haberent, ſi ſervarent vitam communem, & omnia fideliter Superiori traderent cum aliis Monaſterii proventibus incorporanda, uti ex Concilio Tridentin. & citatis Conſtitutionibus, & Decretis Pontificiis ſtricte tenentur; ergo ſi talia ſufficiunt non ſervando vitam communem, ut ſinguli vivant, & ſibi neceſſaria habeant juxta decentiam ſtatus, etiam ſufficerent, & a fortiori ſervando vitam communem, quia tunc non fierent tot ſuperfluæ expenſæ in tot multiplicatis utenſilibus, aliiſque ſimilibus, quæ extra vitam communem multiplicantur ad numerum Religioſorum, ac præſertim Monialium, & in communi vita fere pro tota Communitate ſufficerent, quæque ſi in unum coaleſcerent, certe haberent, unde commodius, & abundantius viverent. Hinc nulla remanet quantum ad hoc excuſatio pro Regularibus utriuſque ſexus vitam communem recuſantibus, cum potius videantur id agere ut ſuperfluis abundent, & liberius pro ſua voluntate contra Paupertatis, & Obedientiæ votum diſponant, quam quia eis inde neceſſaria juxta decentiam ſtatus deſint. Deh caveant, ne ſint ex illis, quod merito arguit Sanctus Bernardus *ſerm.* 4. *de Adventu* ibi: *Sunt qui pauperes eſſe volunt eo tamen pacto, ut nihil eis deſit, & ſic diligunt Paupertatem, ut nullam inopiam patiantur.* Ad quid Paupertatem vovere?

10 Propterea Regularibus renuentibus reformationem indictam quoad vitæ communis, & Regulæ obſervantiam recipere, & integre obſervare, ſolet Sedes Apoſtolica interdicere, & denegare licentiam recipiendi, & admittendi aliquos ad Habitum, & Profeſſionem, ut patet ex Decretis Clementis VIII. allegatis in verb. *Regulares art.* 1. *ſub numer.* 72. §. *Item his quotannis, & num.* 78. & Conſtit. Innocent. X. incip. *Inter cetera*, & pluribus aliis Decretis Sacrarum Cong.

11 Et talis licentia admittendi alios ad Habitum, & Profeſſionem non ſolet concedi, niſi in Conventibus deſignatis, & a Sede Apoſtolica approbatis, in quibus vita communis, & Regula exacte, & integre obſervetur, pro ut patet in citatis Decretis Clementis VIII. & Decretis Sacræ Congregationis ſuper diſciplina Regulari juſſu Innocentii XII. editis, quæ hic ad litteram dantur.

Decreta Sacræ Congregationis a Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio PP. XII. ſuper diſciplina Regulari ſpecialiter deputata, ejuſdem SS. D. N. auctoritate edita.

,, Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. Innocentius Divina Providentia Papa XII. pro Paterna caritate, qua Religioſos Ordines multis, magniſque in Eccleſiam Dei meritis refulgentes, & peculiaris erga Sedem Apoſtolicam devotionis nomine commendatos complectitur, volens eorum conſervationi, & propagationi conſulere, ſimulque ex injuncto ſibi cælitus Paſtoralis Officii debito providere, ut Regularis in iis diſciplina ad Religioſorum ſalutem, & totius Chriſtiani populi ædificationem, utilitatemque, ſarta tecta cuſtodiatur, ac vigeat, & ſicubi collapſa eſt, adjuvante Domino reparetur, conſtituit, & declaravit ſe licentiam recipiendi Novitios in ſingulis approbatis Ordinibus benigne conceſſurum, ut volentibus e periculoſis ſæculi fluctibus ad Religionis portum confugere, facilis, tutuſque aditus aperiatur; Dummodo tamen ea, quæ pro Regulari vita recte inſtituenda, tam a Sacroſancta Tridentina Synodo, quam a Prædeceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, præcipue vero fel. rec. Clemente VIII. in Decretis Generalibus pro Regularium reformatione, nec non Innocentio X. & Alexandro VII. pro Novitiorum receptione, & Profeſſorum educatione ſalubriter conſtituta ſunt, quibus omnibus firmiter inhæret Sanctitas Sua, eaque, quatenus opus ſit, confirmat, et renovat (ſalvis tamen in hac parte ſingulorum Ordinum ſtatutis, ſeu aliis Ordinationibus ab Apoſtolica Sede in forma ſpecifica poſt eadem Decreta forſitan approbatis, aut editis) exacte, & inviolate ſerventur.

,, §. 2. Quo circa, Sacr. Congregat. ab eodem Sanctiſſimo Domino noſtro ſuper Diſciplina Regulari ſpecialiter deputata, quæ plura hactenus pro recta nonnullorum Monaſteriorum gubernatione Decreta edidit, aliaque in dies editura eſt, ut omnibus præfata ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri mens pateat, ac plenius, & celerius innoteſcat, de mandato Sanctitatis ſuæ præſentis Decreti tenore denunciat omnium, & ſingulorum Ordinum Regularium (iis duntaxat exceptis, qui in præfatis Clement. VIII. Decretis excepti reperiuntur) Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus quocunque nomine nuncupentur, ceteriſque, ad quos ſpectat, ut in unaquaque Provincia per Italiam, & Inſulas adjacentes quam primum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos cenſuerint, vel unum ſaltem, ibique auctoritate Apoſtolica ſtatuant omnimodam obſervantiam Regulæ, Conſtitutionum uniuſcujuſque Ordinis, & Decretorum Apoſtolicorum, præcipue vero exactæ vitæ communis ad formam eorum Decretorum ab omnibus Religioſis, qui in Conventibus, ubi recipiendi Novitii, & Profeſſi educandi ſunt, morabuntur, omnino ſervandæ. Poſtquam vero Regularem obſervantiam, & ſignanter quo ad exactam vitam communem cum effectu ſtabilitam fuiſſe tam ex eorumdem Superiorum Generalium, ſeu Provincialium relatione, quam Præpoſiti, & Fratrum in præfatis Conventibus degentium jurejurando firmato Teſtimonio, nec non per ſecretas Informationes, atque etiam, ubi opus fuerit, per Apoſtolicos Viſitatores ad hoc ſpecialiter deputandos, eidem Sacræ Congregat. ſufficienter conſtiterit, tunc Sanctitas ſua antedictam licentiam, quam hactenus diſtulit, Novitios ibi recipiendi, benigne concedet, & locum ad Profeſſos pietate, & litteris inſtituendos uſque ad Sacerdotium, vel alias juxta Conſtitutiones, & laudabiles cujuſque Ordinis conſuetudines in iiſdem Conventibus, non autem in aliis, niſi fuerint ejuſdem Obſervantiæ, deſtinabit.

,, §. 3. Quæ quidem omnia, quo facilius, efficacius & durabilius ad praxim deduci valeant, eadem Sacra Congregatione Sanctitatis Suæ auctoritate committit, & in virtute S. Obedientiæ præcipit præfatis Superioribus, ad quos pertinet, ut in ſupradictis Conventibus non collocent, niſi Religioſos graves, devotos, exemplares, Regularis obſervantiæ, & puritatis Regulæ ſtudioſos, orationi præſertim, ac mortificationi, ſine quibus non poteſt religioſa vita conſiſtere, addictos, quique conſentiant exacte ſervare vitam communem, atque inde amoveant eos omnes, qui tam ſanctæ ordinationi contradicere, ſeu verbis, aut factis quoquomodo ſeſe opponere audeant.

,, §. 4. Ut autem tam laudabilis vitæ inſtitutum, & Regulari Profeſſioni maxime proprium Religioſi alacrius arripiant, omniſque excuſatio infirmioribus præcludatur, eadem Sacr. Congregat. ſimiliter præcipit Superioribus antedictis, ut memoratis Conventibus (implorata etiam, ubi opus fuerit, Apoſtolica auctoritate) præfici omnino curent Viros, non ſolum diſciplinæ Zelo, ſed etiam Caritate, & morum ſuavitate præditos, compatientes, Fraternitatis amatores, miſericordes, quorum regimini libenter alii ſe ſubmittant.

,, §. 5. Studeant vero præcipue, ut ea omnia, quæ tam ad victum, & veſtitum, quam ad reliquas vitæ neceſſitates pertinent, ſingulis Religioſis prompte ſubminiſtrentur, ac





præſertim ægritudinis tempore, nihil alicui deſit, quod ad ſanitatem recuperandam pertineat.

,, §. 6. Ac propterea Religioſos in iiſdem Conventibus morari non patiantur ultra eum numerum, qui ex illorum redditibus, & conſuetis communibus, vel etiam ſingulorum eleemoſynis, aliiſve quibuſcumque obventionibus pariter in commune conferendis valeat commode ſuſtentari. Eos vero, qui ſemel præfatæ obſervantiæ, & exactæ vitæ communi libenter, ut vere Religioſos viros decet, ſeſe ſubjecerint, & in ea laudabiliter perſeverent, nullatenus a memoratis Conventibus nolentes transferant, niſi forte ad alia Monaſteria, ubi ſimilis obſervantia vigeat, iiſque pariter de omnibus ad vitam neceſſariis poſſit commode provideri.

,, §. 7. Quod ſi redditNuum, & eleemoſynarum tenuitas hujuſmodi exactæ Vitæ communis obſervantiæ alicubi videatur obſiſtere, liceat eiſdem Superioribus, vel per annuam contributionem aliorum Conventuum huic neceſſitati proſpicere, vel ab Apoſtolica Sede per ſuppreſſionem alicujus Conventus minus utilis perpetuam, vel ad tempus, vel alia demum ratione, quæ opportunior viſa fuerit, remedium poſtulare.

,, §. 8. Sciant vero Superiores prædicti eos, qui præfata omnia ſedulo, ut par eſt, adimplere curaverint, ſpecialem a Sanctitate ſua, & Sede Apoſtolica inituros gratiam, & protectionem, atque in iis, præcipue, quæ ad antedictam obſervantiam ſtabiliendam pertinent, favorem omnem, & auxilium experturos; qui vero e contra negligentes, aut (quod abſit) contumaces reperti fuerint, gravibus pœnis pro culpæ modo, & etiam privationis Officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea, aut alia in poſterum obtinenda puniendos fore; Præfatæ autem obſervantiæ nihilominus ſtabiliendæ per alios Superiores, vel per Commiſſarios Apoſtolicos, ubi opus fuerit, etiam extra Religionem aſſumendos a Sancta Sede efficaciter providendum omnemque interim, ubi eadem obſervantia non vigebit, recipiendi Novitios licentiam denegandam.

,, §. 9. Porro ne Regularis diſciplina, dum in Conventibus jam erectis ſtatuitur, relaxetur in erigendis, & quod una ex parte conſtruitur ſimul ex altera deſtruatur, Sacr. Congregat. Sanctitate ſua ſimiliter approbante, ſtatuit, atque decernit, nulla in poſterum Monaſteria, Collegia, Domos, Conventus aut alia Religioſorum Virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo inſtitui debere, niſi ſub expreſſa obligatione exactæ Vitæ Communis ab omnibus Religioſis ibi commorantibus perpetuo, & inviolate ſervandæ, ac propterea nullas deinceps admittendas hujuſmodi fundationes, niſi, præter alia ad id requiſita, prius legitime conſtiterit adeſſe annuos redditus, vel certam eleemoſynarum ſpem, quibus duodecim ſaltem Religioſi in exacta Vita Communi commode valeant ſuſtentari.

,, §. 10. Non obſtantibus circa præmiſſa omnia, & ſingula Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quorumcumque Ordinum ſtatutis, conſuetudinibus, privilegiis, ceteriſque contrariis quibuſcunque.

,, §. 11. Ad extremum eadem Sacr. Congregat. Regulares omnes cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti ſint, Sanctitatis Suæ verbis ſerio admonet, & in Domino obteſtatur, ut omni mora poſtpoſita, ſicuti filios Obedientiæ decet, ad Regulæ, quam amplexi ſunt, præſcriptum Vitam inſtituant, & componant, Decretiſque Apoſtolicis pro æterna illorum ſalute editis, ſincere, ac fideliter pareant, nec ab earum obſervantia inanibus interpretationibus, & fallaciis; aut relaxationum prætextibus, ad excuſandas excuſationes in peccatis abduci ſe ſinant, ſed Profeſſionis ſuæ memores, qua ſe totos Dei obſequio manciparunt, ſuſceptum Chriſtianæ perfectionis iter arduum quidem, ſed Divinæ Caritatis dulcedine aſperſum, abjectis terrenarum rerum curis, alacriter proſequantur: Nimis enim turpe eſſet, eos ad ſæcularia deſideria, quibus ſemel, aſpirante Domino, renunciarunt, animum revocare, & obligatam Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint ſe ad peculiarem Salvatoris noſtri ſequelam vocatos, qui, cum Dives eſſet, propter nos egenus factus eſt, veterumque illorum Fidelium glorioſos imitatores, ac veluti heredes eſſe, quorum erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia, dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat; ideoque in Regularis vitæ, ac præcipue

„ Sanctæ Paupertatis, quæ eſt parens quædam, generatioque „ virtutum, propoſito perſeverent, omnem ſolicitudinem „ ſuam projicientes in eum, cujus oculi in pauperes reſpi„ ciunt, qui non derelinquit ſperantes in ſe, ſed Dives in Mi„ ſericordia centuplum, & vitam æternam propter Nomen „ ſuum relinquentibus omnia repromiſit.
„ Dat. Romæ die 18. Julii 1695.

*G. Card. Carpineus.*

Loco ✠ Sigilli.

*Carolus Auguſtinus Fabronus Sac. Cong. Secret.*

13 Unde ad valorem Profeſſionis requiritur, quod tam Novitiatus, quam Profeſſio fiat in ſolis dictis Conventibus deſignatis. Vide verb. *Profeſſio Regularis n.* 19.

14 Hinc Regulares nequeunt amplius novos Conventus erigere, ſeu fundare, niſi prius cor. Sacr. Congregatione Diſciplinæ regularis juſtificaverint reddituum, aut eleemoſynarum ſufficientiam pro obſervanda exacta Vita Communi, ut expreſſe ſtatuit, ac renovavit *ead. Sac. Congr. Diſciplinæ regularis*, prout ſequitur.

Procuratoribus Generalibus Ordinum Regularium renovatur prohibitio alias injuncta non procedendi ad fundationem novorum Conventuum, & Monaſteriorum intra Italiam, & Inſulas adjacentes, niſi prius Conventus, & Monaſterii fundandi reddituum ſufficientia, & ſubſiſtentia cor. Sacr. Congregat. juſtificata fuerit.

*La Sagra Congregazione ſopra la diſciplina Regolare deſtinata dalla ſanta mem. d' Innoc. XII. a ſtabilire ſpecialmente l' Oſſervanza della Vita Comune, ed a riconoſcere la ſufficienza, e ſuſſiſtenza dell' entrate per eſſa neceſſarie nelle fondazioni, che aveſſero avute a farſi di nuovo di Monaſteri, e Conventi dentro l' Italia, ed Iſole adjacenti, vedendo che non viene in queſta parte tanto eſſenziale in verun conto adempita la mente di sì zelante Pontefice; non oſtanti le pene di privazione di voce attiva, e paſſiva; ſoſpenſione dalle cariche, e dignità, perpetua inabilità ad eſſe a Superiori pro tempore, a' quali appartiene ſimile incombenza, è venuta in determinazione di ridurre a memoria di tutti i Superiori Regolari l' obligo preciſo, che loro ne corre, avvertendo di non tentare in avvenire fondazione alcuna, ſenza giuſtificare, come ſopra, la ſufficienza, e ſuſſiſtenza dell' entrate avanti la ſteſſa Sacra Congregazione ſotto le pene enunciate, ed altre ad arbitrio della medeſima.*

*Monſignor de Vico Segretario, che ne avanza la notizia al P. Procurator Generale ec. per la dovuta eſecuzione in ciò, che concerne l' intereſſe della ſua Religione, ſtarà attendendo il riſcontro in ſcriptis della ricevuta del preſente Viglietto, unitamente colla nota dell' ultima fondazione, ſpecificando il giorno, meſe, ed anno, in che ſeguì, e di cuore lo riveriſce.*

*Di Caſa queſto dì 23. Febbrajo* 1717.

15 Etiam in Monaſteriis Monialium, in quibus non obſervatur vita communis, non debent recipi Puellæ neque ad Habitum, neque ad educationem, licet haberent licentiam Sacræ Congregat. quæ non deroget in ſpecie Decreto Generali. *Sacra Congregat. Epiſcop. in Placentina 4. Septembr.* 1603. *in Piſana 6. Octobris ejuſdem anni, in Vercellen.* 18. *Maii* 1616. *in Meſſana* 15. *Novemb. ejuſdem anni, in Caputaquen.* 2. *Junii* 1627. apud Nicol. *in Floſcul. verb. Vita communis n.* 5.

16 Hinc *Sacra Congregat. Epiſcop. & Regul. in Neapolitana* 26. *Maii* 1602. ſtatuit, quod Monaſteriis renuentibus reformationem acceptare non concedatur licentia recipiendi puellas ad
17 Habitum. Item nec admittendi ad Profeſſionem eas, quæ ſe ad illam nolunt obligare. *Ead. Sac. Cong. Epiſc. & Regul. in Neapolitana* 8. *Aprilis* 1605.

18 In iis Monaſteriis, quæ partim illam reformationem recipiunt, & partim non, recipi non debent niſi illæ, quæ ſe volunt reformationi ſubjicere. *Ead. Sacr. Congregat. Epiſcop.* 17.
19 *Aprilis* 1602. Nec reformatio eſt credenda ſtatim, ſed probanda diu antequam detur licentia veſtiendi, *Eadem Sac. Congregat. Epiſcopor. in Capuana* 17. *Novembr.* 1602. *&* 4. *Maii*
20 1604. & conſimiliter ſæpe ſæpius alibi. Quæ tamen Profeſſionem emiſerunt, antequam introduceretur reformatio, hortari debent ad illam acceptandam, ſed non cogi. *Ead. Sac. Cong. Epiſcop. & Regul. in Neapolitana* 5. *Martii* 1602. apud Nicol. *in Floſcul. verb. Reformatio numer.* 10. Vide ad rem verb. *Moniales art.* 2. *a num.* 67. *ad* 70. *incluſive*, & verb. *Profeſſio num.* 84.

Vita communis introduci debet in omnibus, & non in vi- 21
ctu ſolum. *Sacra Congregat. Epiſcop. & Regul. in Panormitana* 5. *Novembr.* 1603. Unde non ſolum dotes, Canones, & 22
eleemoſynæ cujuſcumque particularis Monialis, ſed etiam opera, & omnia alia acquiſita poni debent in communi. *Eadem Sacr. Congr. Epiſcop. & Regul. in Parmen.* 11. *Auguſti* 1628.

Nec debet permitti repartimentum tritici, olei, & pecu- 23
niæ inter Moniales, uti Vitæ communi de directo repugnans. *Eadem Sacra Congregat. Epiſcop. & Regular. in Brunduſina* 21.
*Octobr.* 1616. Et multo minus conſignari Monialibus particu- 24
laribus fructus prædiorum. *Ead. Sac. Cong. Epiſcoporum & Regular. in Licien.* 1. *Septemb.* 1651.

Immo neque debet permitti Moniali, aut Regulari vitali- 25
tium, ſeu Livellum, vel Legatum ipſi relictum, ſeu conſtitutum ſub conditione, ut nihil acquiratur Monaſterio, ſed totum cedat, & erogetur pro ſuis indigentiis, ſeu aliis uſibus piis ſibi beneviſis, appoſita pœna caducitatis in caſu contraventionis. Sic Bartolus *in leg. Lucius Titius*, §. *Tres heredes numer.* 3. *ff. Ad Trebell.* Tabia *in Authent. Ingreſſi verſ. Ipſo ingreſſu cap.* 3. *num. ultim. Cod. de SS. Eccleſ.* Galganet. *de condit. & demonſtr. part.* 2. *cap.* 5. *quæſt.* 11. *numer.* 8. Card. Petra *tom.* 4. *Commentar. ad Conſtitut.* 5. *Benedicti XII. numer.* 50. & alii. Et ratio eſt, quia talis conditio, ut nihil ex Vitalitio, ſeu Legato acquiratur Monaſterio, eſt contraria Sacris Canonibus expreſſe ſtatuentibus, quod quidquid acquirit Monachus, acquirat Monaſterio, *cap. Statutum* 1. *cauſ.* 18. *quæſt.* 1. *cap. Abbates* 16. *cauſ.* 18. *quæſt.* 2. *cap. Quia ingredientibus* 7. *cauſ.* 19. *quæſt.* 3. *cap. In præſentia* 8. *de probat.* cum ſimilibus. Item eſt contraria diſpoſitioni Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 1. & Decretis Clement. VIII. *pro Reformat. Regular.* innovatis a Sacra Congregatione Concilii juſſu Urbani VIII. *in Decret. de Apoſtatis & Ejectis*, adeoque eſt turpis, & de Jure impoſſibilis, adeoque pœna caducitatis ipſi appoſita vitiatur, quemadmodum vitiatur ipſa conditio; ſicque tamquam appoſita actui a Legibus interdicto attendenda non eſt, etiam neglecto Teſtatoris præcepto, *l. Unica in fine, Cod. de his quæ poenæ nomine, cap. Tua* 17. *de Teſtamentis.*

Sic etiam ſentire viſa eſt *Sacra Congregat. Concilii in Leo-* 26
*dien. annuæ præſtationis* 5. *Junii* 1682. in qua Teſtator legaverat Monaſterio Monialium pecuniam inveſtiendam ſub conditione, ut tres Moniales ejus filiæ percipere poſſent eorum vita durante tercentum florenos aureos pro ſuis neceſſitatibus, apponendo pœnam caducitatis in caſu contraventionis: Cum enim Moniales cuperent acceptare Legatum, ac vererentur, ne permittendo particulare Legatum factum tribus Monialibus filiis Teſtatoris vulnerarentur ſtatus vitæ communis, & ideo ſupplicaſſent præfatis tribus Monialibus permitti retentionem, & uſum annuæ præſtationis juxta mentem Teſtatoris, aut alio modo conſuli indemnitati Monaſterii, *Sac. Congregat. Concil.* reſpondit: *Monaſterium poſſe acceptare Legatum, & quo ad legatum particulare ſervetur Decretum ſan. memoriæ Clementis VIII.*

Idem clare colligitur ex alia reſolutione *ejuſdem Sacræ Con-* 27
*gregat. Concil. in Mantuana Adminiſtrationis*, in qua Novitius Profeſſionem emiſſurus Teſtamentum condidit favore tertii ſibi reſervans annuam præſtationem erogandam, & diſponendam in ſui ſervitium abſque eo quod Jus in favorem alicujus acquiri poſſet: Cum autem ex dicta præſtatione acquiſiviſſet de conſenſu Superiorum prædia, & cenſus, ejuſque Superiores intenderent incorporare Conventui annuam præſtationem, & de adminiſtratis rationem exigere, ſupplicavit declarari:
„ I. An dicta præſtatio annua reſervata, ſeu fructus prædii
„ ob moroſitatem heredis loco pecuniarum ſubrogati ſpe-
„ ctent libere ad Oratorem? II. An de redditibus perceptis
„ ex bonis poſtea acquiſitis teneatur rationem reddere? *Sacra Congregat. die* 28. *Novembr.* 1706. reſpondit *Ad I. Negative. Ad II. Affirmative.*

Conſimiliter habetur ex reſolutione *Sacræ Congregat.* 28
*Epiſcop. & Regul. in Neapolitana*, in qua indultum ab ipſa conceſſum, quod comperiebatur aliqualiter læſivum Vitæ communis, fuit ab eadem Sacra Congregatione revocatum: Cum enim duæ Moniales Monaſterii SS. Trinitatis Neapolis obtinuiſſent a Sacra Congregat. Epiſcop. & Regular. Indultum, ut poſſent, recipere annuam præſtationem Scutor. 200. a parentibus ſolvi promiſſam, ita tamen, ut Superiориſſæ, ſeu Depoſitariæ traderetur eroganda ab ipſis Monialibus pro earum indigentiis, ſive aliis uſibus piis ſibi beneviſis; Reclamantibus contra Indultum reliquis Monialibus, uti læſivum vitæ Communis, & Conſtitutionum Monaſterii, ex eo quod annua præſtatio eroganda eſſet per Abbatiſſam in uſus a præfatis duabus Monialibus deſtinando, *Sacr. Congregat. die* 7. *Aprilis* 1707. reſcripſit: *Servandas eſſe omnino Conſtitutiones non obſtante Indulto.* Sic expreſſe ſupradictas tres reſolutiones refert prout jacent, Eminentiſſ. Petra *l. c. n.* 34. *&* 51.

29 Alia ad rem. Vide verb. *Legatum*, verb. *Moniales art.* 2. verb. *Profeſſio*, verb. *Regulares* & verb. *Votum articul.* 3. *num.* 43.



## VITIUM.

Vide verb. *Virtus a numer.* 13. *ad* 95.

## VITRICUS.

1 Vitricus quis ſit? Vide verb. *Affinitas ſub n.* 16.

2 Vitricus abſque ulla diſpenſatione ducere poteſt in Uxorem eam, quæ fuit uxor ſui Privigni. *Sacr. Congregat. Concil. in Bojanen.* 8. *Junii* 1720. *&* 8. *Martii* 1721. ut refert Urſaya in 2. *Miſcellan. ſacro, & profan. litt. V. num.* 89. *& tom.* 4. *part.* 2. *diſcept.* 19. §. 1. *a n.* 186.

## VIVÆ VOCIS ORACULA.

Vide verb. *Oracula vivæ vocis.*

## UNCTIO EXTREMA.

Vide verb. *Extrema Unctio.*

## UNIO BENEFICIORUM, SEU ECCLESIARUM.

1 Unio eſt Beneficiorum ſeu Eccleſiarum ab Epiſcopo, ſeu alio Superiore ob utilitatem, ſeu neceſſitatem Eccleſiæ facta annexio; *Eſt in re Communis.*

2 Unio prædicta fit potiſſimum tribus modis; Gloſſ. *in cap.* 1. *verb. Uniendo, Ne Sede vacante*, Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellariæ gloſſ.* 5. §. 7. *num.* 26. 27. *& ſequent.* Fagnan. *in cap. Novit num.* 2. *Ne Sede vacante*, Barboſ. *de Offic. & poteſt. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 66. *num.* 2. Rebuffus *in Prax. Benefic. tit. de unionibus Beneficior. num.* 11. *& ſequent.* Reiffenſtuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 12. *n.* 39. & alii paſſim.

3 Primo modo fit talis Unio, cum ex duobus Beneficiis fit tantum unum, ita ut neutrum eorum uniatur alteri, ſed ambo ſimul uniantur, ut patet *ex cap. Decimas* §. *final. cauſ.* 16. *quæſt.* 1. ibi: *Papa duos Epiſcopatus in unum redigere poteſt.* Et talis *Unio* præſertim fit, cum duæ Parochiales Eccleſiæ vicinæ, & populo ratione belli, peſtis, & hujuſmodi valde deſtitutæ ita adinvicem uniuntur, ut ex duabus fiat tantummodo unica. Et tunc illa unica ex duabus ſic unitis reſultans retinet conſuetudines, ac privilegia favorabiliora utriuſque Eccleſiæ ſic in unam redactæ. Unde hæc *Unio* dicitur *extinctiva*, ſeu *tranſlativa*, eo quod ex duabus Eccleſiis fiat unica tantum, ſicque altera minus privilegiata extinguatur, ac perimatur, & in aliam magis privilegiatam, ac potioribus Juribus gaudentem transferatur, ac cum ipſa omnino incorporetur; Fagnan. *in cap. Expoſuiſti num.* 34. *de Præbend. & in cap. Novit numer.* 3. *Ne Sede vacante*, Reiffenſtuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 12. *n.* 40. *&* 41. & alii, *arg. cit. cap. Medicamentum, de Poeniten. diſt.* 1.

4 Secundo modo fit talis Unio, cum duæ Eccleſiæ ita uniuntur, ut non coaleſcant, ſicuti dicto primo modo, in unum corpus, ſed una ſit ſuperior, & alia inferior, ac acceſſoria ſuperiori, ſeu principaliori, & ſolet fieri pro augmento Dotis alterius Beneficii non habentis ſufficientes redditus pro congrua Beneficiarii ſuſtentatione. Unde talis *Unio* nuncupatur *acceſſoria*, ſeu *ſubjectiva*, ut ex communi notant Fagnan. *in cit. cap. Novit numer.* 3. *Ne Sede vacante*, & Reiffenſtuel *loc. cit. numer.* 42. Sicque Eccleſia acceſſorie alteri unita aſſumit naturam, conſuetudines, & privilegia Principalis, cui eſt annexa, *argument. cap. Recolentes* 3. §. *final. de ſtatu Monachor. & cap. Acceſſorium* 42. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.*

Tertio modo fit talis *Unio*, cum neutra Eccleſia alteri ſubji- 5
citur, ſicuti dicto ſecundo modo, nec ipſæ coaleſcunt in unum corpus, ſicuti dicto primo modo, ſed ambæ Eccleſiæ ita æque principaliter invicem uniuntur, ut ambæ adhuc ſuum titulum, atque honoris gradum retineant, & ſolum ab uno, eodemque Rectore regantur; ſicque adhuc remaneant duo Beneficia omnino diſtincta, verb. grat. duo diſtincti Epiſcopatus, quamvis ſit unicus & idem utriuſque Epiſcopus; *argument. cap. Et temporis* 16. *quæſt.* 1. juncta Gloſſa *ibidem verb. Unire*, Fagnan. *in cit. cap. Novit num.* 4. *Ne Sede vacante*, Garcias *de Benefic. part.* 12. *cap.* 2. *numer.* 37. Reiffenſtuel *loc. cit. num.* 51. Et alii. Et talis *Unio* appellatur *Unio æque principaliter facta*, quæ aliud non operatur, niſi ut Rector unius ſit etiam Rector alterius, cum in reliquis utrumque Beneficium remaneat adhuc diſtinctum Beneficium, ſicuti prius, cum propriis redditibus, privilegiis, honoribus &c. ut in pluribus Epiſcopatibus æque principaliter unitis, & ſignanter in Nepeſino, & Sutrino; Viterbienſi, & Tuſcanenſi; Hortano, & Civitatis Caſtellanæ; Cornetenſi, & Montisflaſconii; Lauretano, & Recinetenſi; Sulmonenſi, & Valvenſi, Campanienſi, & Satranienſi; Scalenſi, & Ravellenſi; Melphienſi, & Rapollenſi, Adrienſi, & Pennienſi, Terracinenſi, & Civitatis Priverni; Camerinenſi, & Civitatis Fabriani; Aquinatenſi, & Pontis Curvi, & pluribus aliis brevitatis gratia relictis.

Unio Beneficiorum eſt duplex, alia perpetua, & alia 6
temporalis. *Perpetua* eſt illa, in qua exprimitur, ut perpetuo duret, ut *Cap. Expoſuiſti* 33. *de Præbend.*, ibi: *De Capellis in perpetuum uniendis.* Seu quæ fit *Ad perpetuam rei memoriam*, cum hoc idem importet ac lyIn *perpetuum* ſeu quæ fit ad Beneplacitum Sedis Apoſt., quia cum Sedes Apoſt. non moriatur, talis Unio durabit in perpetuum, niſi revocetur, *cap. Si Gratioſe* 5. *de Reſcriptis in* 6. Unio *temporalis* e contra eſt illa, quæ fit ad tempus, v. g. ad vitam ejus, cui conceditur, & ſic contemplatione Perſonæ, proinde per illius mortem expirat, *arg. cap. Quoniam Abbas* 14. de *Officio Delegati*, cum ſimilibus. Et talis *Unio* in effectum eſt quædam diſpenſatio retinendi plura ſimul Beneficia etiam de ſe incompatibilia, ut patet in Germania, ubi a Sede Apoſtolica ſolet aliquibus Epiſcopis concedi retentio plurium Epiſcopatuum, ut notat Fagnan. *in cap. Dudum num.* 29. *de Election.* ubi ſic habet: *Sic videmus in Germania cum ſublimibus perſonis non raro diſpenſari ſuper retentione plurium Epiſcopatuum &c. ut Catholicam Religionem, expulſis hæreſibus, conſilio, opibus, & auctoritate ſartam tectam tueantur. Ex hac ratione Princeps Elector Colonienſis ad præſens obtinet Epiſcopatum Coloniæ, & Epiſcopatum Leodienſem, Monaſterienſem, Paderbonenſem, & Hildſimenſem.* Et plures ſimiles diſpenſationes refert Urſaya *tom.* 5. *part.* 1. *diſcept.* 6.

Unde unire Epiſcopatus ad ſolum pertinet Papam, textu 7
expreſſo *in cap. Sicut unire* 8. *de Exceſſibus Prælat.*, ibi: *Sicut unire Epiſcopatus, atque Poteſtati ſubjicere alienæ ad Summum Pontificem pertinere dignoſcitur.*

Papa non ſolum Epiſcopatus, ſed etiam quæcumque 8
alia beneficia unire poteſt, cum in omnibus Beneficiis plenariam habeat poteſtatem, *cap. Licet* 2. *de Præbend. in* 6., *& Clement.* 1. §. *final. Ut lite pendente.*

Epiſcopus poteſt ex legitimis cauſis unire Beneficia, & 9
Eccleſias ſuæ Diœceſis, *cit. cap. Sicut unire* 8. *de Exceſſibus Prælat. cap. Expoſuiſti* 33. *de Præbend. cap. Conſultationibus* 4. *& cap. Paſtoralis* 7. *de donationibus, Clementin. Si una, de rebus Eccleſiæ non alienand.* cum ſimilibus.

Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus poteſt quidem unire 10
Beneficia ſuæ Diœceſis, ſicuti quilibet Epiſcopus per jura *numer. antecedenti* adducta; At vero nequit unire Beneficia Diœceſum ſuorum Suffraganeorum. Barboſ. *citat. allegat.* 66. *numer.* 13., *& lib.* 3. *Jur. Eccleſ. univerſ. cap.* 16. *num.* 58. *& ſuper Trident. ſeſſ.* 21. *de reformat. cap.* 5. *num.* 3. cum pluribus ibi citatis, Fagnan. *in cit. cap. Sicut unire* 8. *de Exceſſib. Prælator. num.* 8. teſtans ſic deciſum fuiſſe a Sac. Congregat. Concil., ibi: *Cum fructus Præbendarum Collegiatæ Eccleſiæ Oppidi de Exea eſſent adeo tenues ut vix ſuſtentationi Canonicorum ſufficerent, & fuiſſet petitum declarari a Sacra Congregat. Concil. an Epiſcopus eis unire poſſet aliqua ſimplicia Beneficia, & eo nolente, vel negligente, Metropolitanus? Reſponſum eſt, Epiſcopum poſſe, non tamen teneri, Metropolitanum vero in hoc non poſſe ſupplere.*

11 Capitulum Sede vacante poteſt unire ea Beneficia, quæ poteſt Epiſcopus: Dummodo per eam unionem Juriſdictioni Epiſcopali nihil detrahatur: Capitulum enim ſuccedit in integram ordinariam Juriſdictionem Epiſcopi. Barboſ. *citat. allegat.66. num.11., & ſuper Trident. ſeſs.7. cap.6.num.16.* cum Marian. Socin. Caccialup. Rebuff. Peruſin. Hojeda, Sanchez, Zerola, Marc. Ant. Genuenſ. Quaranta, Garcia, Ragus, ibi citatis, Ventriglia *in Praxi tom.2. Annot.8. numer.8.* Reifeſt. *lib.3. Decret. tit. 12. 64.* Pirhing *lib.3. Decretal. tit.5. num.207.*, & alii.

12 Legatus a Latere in Provincia ſibi concredita poteſt unire Beneficia dictæ Provinciæ ſuæ Legationis abſque tamen præjudicio Epiſcopi: Legatus enim a Latere poteſt in ſua Provincia omnia, quæ Epiſcopus in ſua Diœceſi, *arg. cap. 1. §. final. de Offic. Legati in 6.* Sic tenet *in cit. cap. Sicut unire* Abbas *num.5.* Cardinal. *num.1.* Imola *in fine*, Barboſ. *cit. alleg.66. num.12., & ſuper Trid. l. cit. num.17.* cum Rebuf. Gambarupta, Hojeda, Azorio, Sanch., Garcia, Aloyſio Riccio, Ugolino, Lotterio ibi citatis, Ventriglia *loc. cit. num.7.* Pirhing. *loc. cit. num.207.* Reiffenſtuel *loc. cit. numer. 63.*, & alii poſt Rotam *deciſ. 459. in antiquis*, alias 3. *de Officio Legati*, & alibi pluries.

13 Vicarius Generalis Epiſcopi non poteſt Beneficia unire, niſi ſpecialiter ab Epiſcopo committatur, *arg. cap. ult. de Offic. Vicarii in 6.* Barboſa *cit. allegat.66. num.10., & ſuper Trident. loc. cit. num.15.* cum Marian. Socin. Rebuff. Anton. Orch. Hojeda, Sbroz, Azorio, Petro de Peruſio, Garcia, Aloyſio Riccio, Gratian. Sanchez, Narbona, Lotterio ibi citatis, Reiffenſtuel *loc. cit. num. 65.* Ventriglia *loc. cit. numer. 10.* Theod. de Rubeis *in Singularibus Rotæ part. 2. verb. Vicarius §.2. pag.112.* allegans plures Rotæ Deciſiones.

14 Abbates, alioſque Prælatos Epiſcopo inferiores habentes Eccleſias ſibi ita plene ſubjectas, ut Juriſdictione quaſi Epiſcopali in eis fungantur, ſeu exiſtente ſpeciali privilegio, aut conſuetudine legitime præſcripta, poſſe Beneficia unire, tenent Marian. Soccin. *in cit. cap. Sicut unire art. 3. num.41. & 42.* Sbroz *de Officio Vicarii lib. 2. quæſt. 115. numer. 11.* Barboſa *cit. alleg.66. nu.14., & ſuper Trid. loc. cit. n.18.* cum Garcia, Azorio, Sanchez, Aloyſio Riccio, Lotter. ibi citatis, Federic. de Senis *conſ.111. num.8.* Oldard. *conſ. 257. num.5.* Rota, *part.11. recent. deciſ. 373. num.19.* Ventriglia *loc. cit. num.3., & 4.* cum aliis ibi citatis, dicens ſic limitari communiter per Doctores denegationem facultatis uniendi Beneficia in inferiori Prælato facta *in cit. cap. Unire*, quia talis Prælatus inferior id Juriſdictionis exercet in ſua Diœceſi, quod exercet Epiſcopus in ſua, & alii apud Fagnan. *in cit. cap. Sicut unire num.17.* dicens, quod hanc ſententiam alias probavit Sacr. Congregat. Cardinal. Concil. Trident. Interpretum: *Cenſuit enim, inferiores Epiſcopo non poſſe unire, niſi hanc facultatem legitime præſcripſerint, aut ex privilegio in Eccleſia ſibi pleno Jure ſubjecta Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeant in omnibus, & per omnia, alioquin unionem ab Epiſcopo faciendam eſſe cum conſenſu ipſius inferioris, & Capituli.*

15 Contrarium tamen, nempe Abbates, alioſque Prælatos Epiſcopo inferiores non poſſe Eccleſias unire, vel unam alteri ſubjicere quantumcumque Eccleſiæ ipſæ ad illos ſpectent pleno Jure, defendunt *in cit. cap. Sicut unire*, Joann. Andr. *num.2. in verb. Unio*, Henric. Boich. poſt *princ. verſ. & nota*, Card. *num.3. in 2. oppoſ.* Ancharan. *nu.3.* Hoſtienſ. *in cap. Quia nonnulli verb. Parochiales, de Clericis non reſident.* Archidiacon. *in cap. Cum ſingula in verb. Annexæ, de Præbend. in 6.*, & ita tenere communiter Doctores antiquos teſtatur Marian. Socin. *in cit. cap. Sicut unire art.3. quæſt. 7. numer.41.* atque id expreſſe tenet Gloſſa *in Clement. Si una 2. de rebus Eccleſiæ non alienand. verb. Epiſcopum*, & alia Gloſſa *in Clement. Ne in agro 1. §. Ad hæc, de ſtatu Monachor. verb. Ordinarios*, & ſic docent alii plures per text. *in citat. cap. Sicut unire*, quia unire eſt unus de caſibus Epiſcopo reſervatis, & denegatis inferioribus, atque ita cenſuit etiam Sacra Congregatio Concilii apud Fagnan. *loc. cit. num.18.*, ibi: *Alias tamen conſulta, an Abbates exempti, qui Juriſdictionem ordinariam quaſi Epiſcopalem habent, poſſint, ſi Sæculares, & Collegiatas Eccleſias obtinent, facere uniones, ſicut poſſunt Epiſcopi ex cap. 15. ſeſſ.24. Reſpondit non poſſe Abbatem hujuſmodi, ſed Epiſcopum tantum, ſi Collegiata eſt inſignis, & obſerventur alia præſcripta in dicto cap. 15.*

16 Unde ad conciliandas omni meliori modo ſupradictas Doctorum ſententias, & Sac. Congregation. declarationes concludendum eſt, non poſſe dictos Prælatos Epiſcopo inferiores de ſola ſua ordinaria quaſi Epiſcopali Juriſdictione Beneficia unire ſine aſſenſu proprii Epiſcopi juxta clarum textum *in cit. cap. Sicut unire 8. de Exceſſib. Prælator.* Bene vero poſſe, ſi ex ſpeciali privilegio, aut conſuetudine legitime præſcripta id eis competere dignoſcatur; Nam Jura Epiſcopalia inferiores præſcribere non prohibentur; *Cap. Auditis 15. de Præſcriptionibus*, Hojeda *Tractatuum tom. 15. tract. de Benefic. incompatib. part. 2. cap.3. num.7.* Reiffenſtuel *loc. cit. num.66.* Abbas *in cit. cap. Unire num.3.* cum aliis apud Fagn. *l. c. n.15. 16. & 17.*

17 Ad faciendam Beneficiorum unionem præter legitimam facultatem requiruntur tres præſertim conditiones. *Communis.*

18 Prima conditio requiſita ad faciendam legitimam unionem Beneficiorum eſt cauſa juſta, & prævia cognitio de ejus veritate, *arg. cap. Expoſuiſti 33. de Præbend., & Clement. Si una 2. de rebus Eccleſ. non alienand.* juncto Concilio Triden. *ſeſſ.7. de reformat. cap.6.* ubi expreſſe dicitur, quod *Uniones perpetuæ . . . . . quæ deinceps ad cujuſvis inſtantiam fierent, niſi eas legitimis, aut alias rationabilibus cauſis coram Loci Ordinario, vocatis quorum intereſt, verificandis, factas fuiſſe conſtiterit, per ſubreptionem obtentæ præſumantur, ac propterea, niſi aliter a Sede Apoſtolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.* Et ſic tenent paſſim Doctores.

19 Juſta cauſa uniendi Beneficia eſt Eccleſiæ neceſſitas, vel ipſius utilitas, *cap. Expoſuiſti 33. de Præbend.*, ibi: *Si evidens neceſſitas, vel utilitas exigat, Præbendas Eccleſiæ tuæ poteris de Capellis in perpetuum annectendis eidem augmentare*, & concordat *cap. Dudum 1. de rebus Eccleſ. non alienand. in 6.*

20 Neceſſitas autem Eccleſiæ tunc cenſetur intervenire, quando Præbenda, cui unio facienda eſt, caret ſufficientibus redditibus ad alendum Miniſtrum, *cit. cap. Expoſuiſti*, ibi: *De redditibus præbendarum ſuarum nequeunt ſuſtentari.* Concil. Trident. *ſeſſ.21. de reform. cap.5.*, ibi: *Propter eorum paupertatem.* Item quando Eccleſia eſt deſtructa ab hoſtibus, vel deſolata, *Cap. Quia Monaſterium 8. de Religioſis Domibus.* Item quando Eccleſiæ ſunt vicinæ, & reſtant pauci de populo, alias mortuis, & probatur *in Cap. Et temporis 16. q.1.* Utilitas vero tunc intervenit, quando propter fructuum tenuitatem non inveniuntur Clerici idonei ad deſerviendum, ut habetur ex *cit. cap. Expoſuiſti 33. de præbendis.* Sic expreſſe tradunt Barboſ. *cit. alleg.66. num. 15., & 16.* Ventriglia *Prax. tom. 2. Annot. 8. §. 2. numer. 23.*, & alii.

21 Si autem Unio Beneficiorum fiat ſine cauſa, vel ex cauſa falſa, tunc quamvis cæteroquin ſervata ſit forma Juris, ipſa, vel eſt nulla ipſo Jure, ut volunt probabilius Garcias *de Beneficiis part.12. num. 113.* Hojeda *Tractatuum tom.15. tract. de Benefic. incompat. part. 2. cap. 3. numer. 16., & 18.* Burſat. *conſil. 185. num.13. lib.2.* Barboſ. *cit. alleg. 66. numer.16.*, Reiffenſtuel *loc. cit. num.31.* Ventriglia *loc. citat. num.24.* allegans Rotam, & alios, ac teſtans ſic velle omnes. Vel ſaltem irrita eſt ope exceptionis, ſicque declaranda nulla, ut tenent Marian. Socin. Rebuff. Azor., & alii plures, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.7. Decalog. c.29. num.175.* quique volunt, quod Epiſcopus Succeſſor non poſſit conferre Beneficium taliter unitum ante dictam declarationem.

22 Secunda conditio requiſita ad legitimam Beneficiorum unionem eſt, quod citentur omnes intereſſe habentes in dicta Unione facienda, eorumque conſenſus requiratur. *Clementin. Ne in agro 1. §. Ad hæc, de ſtatu Monach.* Concil. Trident. *cit. ſeſſ.7. de reformat. cap. 6.*, ibi: *Vocatis quorum intereſt.*; Rota *deciſ.133. num. 4. part.1. diverſ.* Seraphin. *deciſ.1078.* Sanchez *loc. cit. num.163.* Reiffenſtuel *loc. citat. num.72.* Barboſa *loc. cit. num.17.* & alii paſſim.

23 Unde ſi Eccleſia ſit ſubjecta Abbati, aut ali inferiori Prælato, non poteſt Epiſcopus eam unire abſque illius conſilio, & aſſenſu, *cit. Clement. Ne in agro §. Ad hæc*, ibi: *Cum conſilio, & aſſenſu Abbatum per Locorum ipſorum Ordinarios uniantur.* Marian. Socin. *in cit. cap. Sicut unire art. 4. quæſt.5. num.62.* Barboſa *loc. cit. num.81.* Reiffenſt. *l. c. n.72.*, & alii paſſim.

24 Item ſi Beneficium uniendum pertineat ad Collatores, vel Electores Epiſcopo inferiores, etiam iſtorum conſenſus requiritur, quia iſtis grave damnum in ſuis Juribus infertur, cum Beneficium poſt unionem non ſit amplius vacatum, ſicque



que ipſi amittant Jus conferendi, ſeu eligendi ratione talis unionis; Garcias *loc. cit. part.12. cap.2. num.202.* Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Regula de Unionibus gloſſ. 11. numer.1. & 7.* Reiffenſtuel *loc. cit. nu.73.* & alii communiter per text. Concil. Trid. *loc. cit.*, ibi: *Vocatis quorum intereſt.*

25 Item ſi Beneficium uniendum ſit de Jurepatronatus alicujus, requiritur pro tali Unione faciendam conſenſus Patroni. *Communis*, per text. *in cap. Suggeſtum 20. de Jurepatron.*, ibi: *Cum aſſenſu Patroni . . . . Conſenſu Domini fundi, cap. Patronalis 7. de donationib.*, ibi: *De conſenſu Patroni*, juncto Conc. Trid. *cit. ſeſſ.7. de reform. cap.6.*, ibi: *Vocatis quorum intereſt, & ſeſſ.24. de reform. cap. 15.*, ibi: *Cum Patronorum conſenſu.*

26 Talis conſenſus Patroni de jure communi requiritur, ſive Patronus ſit Laicus, ſive Eccleſiaſticus, ut docent communiter Doctores per citata Jura: Aliqui tamen negant requiri conſenſum Patroni Eccleſiaſtici vigore Concilii Tridentin. *ſeſſ.24. de reform. cap. 15.* nam ibi dici: *Cum Patronorum conſenſu, ſi de Jure patronatus Laicorum ſint*; per quæ verba Concilium a ſenſu contrario videtur concedere unionem poſſe fieri per Epiſcopum ſine conſenſu Patroni Eccleſiaſtici, ut recte advertunt Sanchez *citat. cap.29. numer. 185.* Barboſ. *cit. allegat. 66. num.31.* Reinfeſtuel *loc. cit. num.45.*, & alii. Et id etiam habetur ex noviſſima Conſtitutione Benedicti XIII. *Creditæ §.4.* incip. ubi ſtatuit, quod *Ordinarii Locorum eidem Seminario unire, & applicare poſſint, ac debeant Beneficia ſimplicia cujuſcumque qualitatis, & dignitatis fuerint, etiam Juriſpatronatus Eccleſiaſtici.*

27 Non requiritur tamen ad talem Unionem faciendam conſenſus Rectoris Eccleſiæ; vel ea vacante, conſenſus defenſoris ejuſdem, textu claro *in Clementina, Si una 2. de rebus Eccleſ. non alienand.*, ibi: *Si una Eccleſia alteri Eccleſiæ, ſeu Dignitati alicui, vel Præbenda per Epiſcopum ſuo conſentiente Capitulo uniatur, aut Religioſo loco donetur, ex eo quod Rector ipſius ad hoc vocatus, vel ſi vacabat, defenſor eidem ſuper hoc datus non exiſtit, nequaquam id poterit impugnari.* Et ratio eſt, quia Rectoris illius Eccleſiæ, ſeu Beneficii nullum infertur præjudicium, cum adhuc libere remaneat Rector, & poſſeſſor illius ſicuti antea, ex quo dicta Unio totalem effectum ſuum non ſit habitura, niſi poſt mortem, vel amotionem illius Rectoris, *argum. cap. Conſultationibus 4. de donationibus*, ac notant Gloſſa *in citat. Clementin. Si una verb. Vocatus*, & Barboſ. *ibid. num.4. & cit. alleg.66. num. 20.* cum Cardinali, Ancharan. Riccio, Garcia, Sanchez, Lotter. ibi citatis, Reiffenſtuel *loc. cit. num. 79.* Rota *deciſ. 133. num.14. part.2. diverſar.*, & alii communiter teſte Ventriglia *loc. citat. §.2. numer.16.* Ubi *num.17.* ſubjungit, quod

28 ſi Rector prædictus, ſeu vacante Eccleſia, ejus Defenſor, ſponte comparuerit juſtam allegando cauſam contra Unionem, ſit audiendus, *argum. cap. Si quis Presbyterum 6.* juncta Gloſſa *verb. Perſonis, de rebus Eccleſiar. non alienand.* Et faciunt dicta per Barboſam *lib. 3. Jur. Eccleſiaſt. univerſ. cap. 16. num.41.* Garciam *loc. cit. cap.2. num.219., & 220.* Hojedam *l.c. cap.3. n.9.* & alios.

29 Neque requiritur pro tali Unione facienda conſenſus Plebis, quamvis ſi ſponte compareat & allegat rationabilem cauſam impeditivam talis Unionis, ſit audienda, *argum. citat. capit. Si quis Presbyterorum 6.* juncta Gloſſa *verb. Perſonis, de rebus Eccleſiaſt. non alienand.*, & tenent Garcias *loc. citat. cap. 2. num.219. & 220.* Hojeda *loc. cit.* Reiffenſtuel *loc. cit. numer.76.* Ventriglia *loc. cit. numer.20.* & alii, ac Rota *in Gerunden. Unionis 20. Martii 1690. coram D. Sacrato*, ubi fuit reſolutum, Parochianos eſſe legitimas Perſonas in hac cauſa, cum illorum interſit bonum habere Paſtorem.

30 Tertia conditio requiſita ad legitimam Unionem faciendam faciendam per Epiſcopum eſt conſenſus Capituli. *Communis*, textu expreſſo *in cit. Clementin. Si una 2. de rebus Eccleſ. non alienand.*, ibi: *Per Epiſcopum ſuo conſentiente Capitulo uniatur*, juncta Gloſſa *ibid. verb. Conſentiente*, & concordat *Cap. Paſtoralis 7. de donationib.*, ibi: *Sed ut Epiſcopi Donatio* (ſeu Unio Eccleſiæ pro loco facta) *ſit legitima, conſenſus eſt ſui Cap. requirendus.*

31 Si Beneficium uniendum ſpectet ad Collationem Prælati inferioris, requiritur ultra conſenſum Capituli Cathedralis, etiam conſenſus dicti ſui Prælati, & ſui inferioris Capituli. Barboſ. *lib.3. Jur. Eccleſ. univerſ. cap.16. num.43., & citat. alleg.66. num.18.* Sanchez *loc. cit. cap.29. num.167.* Marian. Socin. *in citat. cap. Sicut unire 8. de Exceſſibus Prælat. art.6. numer.95. concl. 4.* Ventriglia *loc. cit. numer. 14.* & alii per text. *in Concil. Trident. ſeſſ.7. de reform. cap.6.*, ibi: *Vocatis quorum intereſt.*

32 Item ſi Beneficium uniendum ſpectet ad aliquam Collegiatam, requiritur ultra conſenſum Capituli Cathedralis, etiam conſenſus Capituli ipſius Collegiatæ. Sellius *in Select. Canon. cap.34. num.8.* Ventriglia *loc. cit. num.15.* & alii paſſim per cit. text. *in Conc. Trid. ſeſſ.7. de reform. cap.6.*, ibi: *Vocatis quorum intereſt.*

33 Item ſi Beneficium uniendum ſit de Jurepatronatus, ultra conſenſum Patronorum requiritur etiam conſenſum Capituli. Rota *part.1. recent. deciſ.688. numer.2.* Loter. *de re Benefic. lib.1. quæſt. 8. num.157.* Ventriglia *loc. cit. §.2. num.9.*, & alii per text. *in citat. Clement. ſi una 2. de rebus Eccleſ. non alienand., & cit. cap. Paſtoralis 7. de Donationibus.*

34 Item requiritur conſenſus Capituli etiam pro unione Beneficiorum ſimplicium facienda Dignitatibus, aut Præbendis ipſius Eccleſiæ Cathedralis; Ventriglia *loc. cit. numer.10.* & Communis aliorum per Jura adducta *num. antecedenti.*

35 Si Unio Beneficii ſit facienda Seminario ultra conſenſum Capituli requiritur etiam conſilium quatuor Deputatorum, duorum de Capitulo, & duorum de Clero, juxta terminos Concilii Trident. *ſeſſ.23. de reform. cap.18.* Sic declaraſſe Rotam, & Sacram Congregat. referent Riccius *in Praxi 1. part. reſolut.490. num. 3.* Ventriglia *loc. cit. numer. 13.*, & alii aſſerentes, Sacram Congregationem expreſſe declaraſſe, Epiſcopum in tali unione teneri ſub pœna nullitatis actus requirere conſilium prædictorum Deputatorum, quamvis illud ſequi non teneatur.

36 Si Capitulum, vel alii, quorum intereſt, ſine juſta cauſa conſenſum præſtare nolint, poſſunt ad id compelli per Superiorem, Barboſ. *cit. lib.3. cap.16. num.43., & de Canonicis cap.42. num.13.* Reiffenſtuel *loc. cit. num.78.* Ventriglia *loc. cit. §. 2. num. 12.*, & alii paſſim.

37 Immo quando evidens cauſa neceſſitatis ſubeſt, poteſt talis unio fieri etiam ipſis invitis. Sanchez *lib.7. in decalog. capit. 29. num. 165.* Reiffenſtuel *loc. cit. num.78.* Pirhing *lib.3. Decretal. tit.5. numer.210.* & alii.

38 Non requiritur tamen quod talis conſenſus neceſſario interveniat ante, vel in unione, ſed ſufficit, etiamſi interveniat poſt unionem: dummodo antea lis non fuerit incæpta. Barboſa *de Canonicis & Dignitatibus cap. 42. numer. 8., & cit. leg.3. Jur. Eccleſ. univerſ. cap.16. num.45., & cit. alleg. 66. num.22.* cum pluribus ibi allegatis, & teſtans de communi Reiffenſtuel *loc. citat. numer. 78.* Pirhing *loc. cit. num. 210.* Ventriglia *loc. cit. num.8.* dicens hanc eſſe communem apud omnes, & alii paſſim, *argum. cap. Cum nos 3. de his quæ fiunt a majori parte Capituli, & c. Cura paſtoralis 11. de Jurepatronatus.*

39 Immo talis Unio fieri poteſt ſine requiſito tali conſenſu, ſi adſit alicubi conſuetudo legitime præſcripta ipſam faciendi ſine requiſitione dicti conſenſus. Fuſchus *de Viſitatione lib. 2. cap.26. ſub numer. 5.* Petrus Gregorius *de Benefic. cap.20. num.6.* Garcias *loc. citat. cap.2. num. 152., & 153.* Barboſa *de Canonicis, & Dignitatib. cap. 42. num.9., & cit. alleg. 66. num.23.* Riccius *reſolut. 388. num.4.* Ventriglia *l. c. n.11.* teſtans ita tenere Doctores communiter.

40 Ubi adeſt conſuetudo requirendi talem conſenſum, ſi unio fiat ſine requiſitione conſenſus Capituli, Patronorum, aut quorum intereſt, eſt invalida, cum in tali caſu facta ſit, non ſervata forma. Riccius *in Praxi cit. reſolut. 388. in princip.* Barboſa *de Canonicis, & Dignitatibus cap.42. ſub numer. 8.* Garcias *loc. cit. num.164., & 205. cum ſequent.* Ventriglia *loc. cit. num.5.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 74.*, & alii paſſim per text. *in cap. Paſtoralis 7. de donationibus, & Clementin. ultima de rebus Eccleſ. non alienand.* & favet Concil. Trident. *ſeſſ.7. de reformat. cap.6.* ſtatuens quod uniones viribus omnino careant, *Niſi eas ex legitimis cauſis coram Loci Ordinario, vocatis quorum intereſt, verificandis, factas fuiſſe conſtiterit.*

41 Epiſcopus, concurrentibus ſupradictis tribus requiſitis conditionibus poteſt unire Beneficia ſuæ Diœceſis. *Communis* per text. *in cap. Sicut unire 8. de Exceſſibus Prælat. c. Expoſuiſti 33. de Præben. cap. Conſultationibus 4. & cap. Paſtoralis 7. de donationibus; Clement. Si una 2. de reb. Eccleſ. non alien.* cum ſimilibus.

42 Epiſcopus non ſolum poteſt unire Eccleſiam ſæcularem ſæculari, ſed etiam poteſt unire Religioni alicui Eccleſiam, ſeu Beneficium ſuæ Diœceſis. *Clem. Si una Eccleſia 2. de rebus Eccl. non alien.* ibi: *Aut Religioſo loco donetur*, Gloſſa *ibid.*

*ibid. verb. Donetur*, Card. *ib. in princ. num.*4. *not.*4. *et numer.*11. *q.*7. Ancharan. *n.*4. *not.*4. Imola *n.*2. *&* 3. *not.*2. *&* 3. & Bonifac. *n.*3. Marian. Socin. *in c. Sicut unire* 8. *de Exceſſibus Prælat. art.*4. *q.*4. *n.*61. *&* 62. Calderin. *conſ.*5. *n.*1. *De rebus Eccl. non alien.* Sanchez *l.c. cap.*29. *n.*148. Barboſa *citat. alleg.*66. *n.*4. & ipſo teſte Doctores *in cit. c. Conſult.* 4. *de Donationibus*.

43 Item poteſt Epiſcopus unire Beneficium devolutum ad Papam ob non factam collationem tempore debito: Alio enim Jure devolvitur, & alio unitur. Marian. Socin. *in cit. cap. Sicut unire num.*67. *& ſeq.* & ibi: Butrius *num.*10. Abbas *n.*6. & Ancharan. *n.*5. Bero *dec.*346. *ad fin.* Azor. *Inſtit. moral. p.*2. *lib.*6. *cap.*48. *q.*15. Sanchez *cit. cap.*29. *num.*149. Barboſa *cit. alleg.*66. *n.*5. *& ſupra Conc. ſeſſ.* 21. *De reform. cap.*5. *n.*12. & alii contra alios contrarium ſentientes.

44 Item poteſt Epiſcopus unire Beneficia Papæ reſervata; dummodo id faciat ante ipſorum vacationem. Sic deciſum fuiſſe a Sacra Congr. Conc. referunt Garcias *l.c. p.*12. *cap.*2. *num.* 102. & Barboſa *in Summa Apoſtolic. deciſ. verb. Unio num.* 6.

45 Non autem poteſt ea unire poſt ipſorum vacationem, & ſi uniat, unio erit invalida, et proviſi a Sede Apoſtolica mitti debent in poſſeſſionem. Sic decisum fuiſſe *a Sacra Congr. Conc.* referunt Garcias *l. cit. num.* 102. et Barboſa *loc. citat. num.* 7.

46 Neque poteſt Epiſcopus unire Beneficia perpetuo reſervata, ut ſunt primæ Dignitates poſt Pontificales, Beneficia Collectorum, Familiarium, & Officialium Curiæ. Garcias *De Benef. p.*12. *cap.*2. *num.*93. *&* 106. Hojeda *cit. p.*2. *de Benef. incompatib. cap.*3. *num.*8. Ventriglia *l.c.* §.1. *num.*30. & alii.

47 Neque poteſt unire Beneficia quæcunque etiam ſimplicia ad tempus, ſeu ad vitam Beneficiarii, ſed ſolum in perpetuum. Barboſa *cit. alleg.*66. *num.*8. *& ſuper Conc. ſeſſ.*21. *cap.*5. *n.*10. Zerola *in Prax. Epiſcop. part.*1. *verb. Unio* §.7. Azor. *l.c. lib.*6. *cap.*28. *q.*7. Garcias *cit. cap.*2. *num.*84. Sanchez *cit. Cap.*29. *num.*152. Ventriglia *l.c.* §.1. *num.*24. Reiffenſt. *l.c. n.*58. & alii paſſim.

48 Neque poteſt unire Beneficia exempta a ſua Juriſdictione; nam hoc ipſo quod ſuæ diſpoſitioni ſubjecta non ſunt, non poteſt illa unire Epiſcopus, ſed recurrendum eſt ad Summum Pontificem. Garcias *cit. cap.*2. *n.*62. Sanchez *cit. c.* 29. *n.*151. Hojeda *cit. cap.*3. *n.*7. Barboſa *cit. alleg.*66. *n.*9. Reiffenſt. *l.c. n.*55. & alii communiter.

49 Neque poteſt unire Beneficia ſuæ Diœceſis Beneficiis, Monaſteriis, & Eccleſiis alterius Diœceſis. Sic expreſſe Concil. Trid. *ſeſſ.*14. *de reform. cap.* 9. addita ratione: *Ut ordo Eccleſiaſticus non confundatur, aut una, & eadem Eccleſia duarum quodammodo Diœceſum fiat non ſine gravi eorum incommodo, qui illi ſubditi fuerint.*

50 Neque unire poteſt omnia Beneficia quamvis ſimplicia ſuæ Diœceſis, ſed tantum aliquot. Sic deciſum fuiſſe *a Sacra Congr. Conc.* referunt Garcias, & Riccius citati a Ventriglia §.1. *n.*23.

51 Neque unire poteſt Beneficia Curata Monaſteriis, Abbatiis, Dignitatibus, Præbendis Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, Beneficiis ſimplicibus, Hoſpitalibus, & Militiis. Sic expreſſe Concil. Trid. *ſeſſ.*24. *de reform. cap.* 13. ibi: „ Eccleſiæ Parochiales Monaſteriis quibuſcumque, aut Abbatiis, ſeu Dignitatibus, ſive Præbendis Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ſive aliis Beneficiis ſimplicibus
52 „ aut Hoſpitalibus, Militiiſve non uniantur. Et Parochialis unio eſt ita prohibita a Concilio, ut neque aliqua pars ejus fructuum uniri poſſit, pro ut referunt deciſum fuiſſe *a Sacra Congr. Concil.* Garcias *cit. cap.*2. *n.*87. Barboſa *cit. alleg.*66. *n.*30. Ventriglia *cit.* §.1. *n.*33.

53 Poteſt tamen Epiſcopus unire Beneficia Curata cum aliis Beneficiis Curatis. Item non Curata cum ipſis Curatis. Sic expreſſe Trid. *ſeſs.*21. *de reform. cap.*5. ibi: „ Poſſint Epiſcopi etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati juxta formam Juris, ſine tamen præjudicio obtinentium, facere „ Uniones perpetuas quarumcumque Eccleſiarum Parochialium, & Baptiſmalium, & aliorum Beneficiorum Curatorum, vel non Curatorum cum Curatis propter earum „ paupertatem, & in ceteris caſibus a Jure permiſſis, etiamſi „ dictæ Eccleſiæ, vel Beneficia eſſent generaliter, vel ſpecialiter reſervata, aut qualitercumque affecta.

54 Non poteſt Epiſcopus unire Eccleſiam Parochialem Capitulo Cathedralis ob tenuitatem Canonicatuum, & ob difficultatem, ſive impoſſibilitatem etiam uniendi Beneficia ſimplicia, & ob id, quod non deceat eorum numerus minui, juxta mentem Concilii *cap.*15. *ſeſs.*24. *de reform.* Sic referunt deciſum *in una Alexandrina* 30. *Martii* 1594. Aldan. *in Compend. Canon. reſol. lib.*4. *tit.*8. *num.*3. & Ventriglia *cit.* §.1. *num.*15. 55 Immo neque poteſt Epiſcopus unire Menſæ Capitulari beneficia ſimplicia, quia Concilium *cit. cap.*15. *ſeſs.*24. *de reform.* non dat facultatem uniendi Menſæ Capitulari, ſed tenuibus Præbendis ſingulorum Capitularium. *Sac. Congr. Concil.* apud Gonzalez *ad Regul.*8. *Canc. gloſs.*37. *num.*25. & Barboſa *in Summa Apoſtol. dec. verb. Unio n.*1. 56 Et hoc quamvis in Cathedrali, vel Collegiata nullæ ſint Præbendæ diſtinctæ, ſed duntaxat Maſſa communis Capituli, cujus proventus omnes his tantum, qui ſtatutis horis interſunt, diſtribuuntur *Eadem S.C. Conc.*5. *Febr.* 1601. apud Aldan. *in Compend. reſol. Canonicarum lib.*3. *tit.*31. *num.*12. et Barboſa *loc. cit. num.*1.

57 Poteſt tamen Epiſcopus cum conſenſu Capituli etiam per viam unionis perpetuæ Curam Animarum, quæ incumbit toti Capitulo, transferre in certam perſonam, ſeu dignitatem ejuſdem Eccleſiæ. Sic deciſum fuiſſe *a Sacr. C. Concil. die* 30. *Martii* 1594. refert Aldan. *in Compen. Canon. reſolut. lib.*4. *tit.*8. *n.*4. Garcias *de Benef. p.*9. *c.*2. *num.*190. Barboſa *ſuper Trid. ſeſs.*24. *de reform. cap.*15. *n.*16. Ventriglia *l. cit. n.* 16. & alii.

58 Poteſt Epiſcopus Canonicatus ob tenuitatem illorum ſupprimere, & fructus ſuppreſſorum aliis Canonicatibus, ſive Præbendis, vel Diſtributionibus ejuſdem Eccleſiæ unire; dummodo tot Canonicatus remaneant, qui Divino Cultui Celebrando, ac Dignitati Eccleſiæ commode valeant reſpondere. *Communis*; per textum expreſſum *in Conc. Trid. ſeſs.* 24. *de reform. cap.*15.

59 Non poteſt autem unire Dignitates, nec in terminis Concilii Trid. *ſeſſ.*23. *cap.*18. *nec ſeſſ.*24. *cap.*15. *de reform.* Sic deciſum fuiſſe *a Sacra Congr. Conc.* refert Riccius *in Praxi p.*1. *reſol.*393. *verſ. Limita quarto*. Nec etiam Canonicatus, niſi per modum ſuppreſſionis ut ſupra. Garcias *ad Regul. de Menſibus gloſſ.*5. §.7. *n.*64. Ventriglia *l. c. numer.* 21. & alii paſſim.

60 Neque poteſt unire Beneficia Capellaniis etiam Cathedralis, quæ habent redditus tenues; quia Concilium *cit. ſeſſ.* 24. *cap.*15. loquitur ſolum de Præbendis. Item neque Sacriſtiæ; Neque Fabricæ. Sic deciſum fuiſſe *a S.C. Conc.* refert Garcias *de Benef. p.*9. *cap.*2. *num.*190. & Barboſa *ſupra Conc. cit. Cap.*15. *n.*13.

61 Neque poteſt unire Beneficia de Jurepatronatus, vel ſpectantia ad inferiores Collatores, & Electores, niſi de expreſſo eorum conſenſu, alias talis Unio eſſet invalida. Vide *ſupra num.*40.

62 Neque poteſt regulariter unire Beneficia liberæ collationis Beneficiis de Jurepatronatus, ut expreſſe habetur ex Concilio Trid. *ſeſſ.*25. *de reform. cap.*9. *verſ. Inſuper acceſſiones*, ubi hujuſmodi uniones ſubreptitiæ declarantur, & tenent Leo *Theſaur. For. Eccleſ. part.*12. *cap.*16. *num.* 14. Garcias *de Beneſic. p.*12. *cap.*2. *n.*91. Riccius *in Praxi p.*1. *reſolut.* 393. *vers. Limita tertio*; Ventriglia *l.c. num.*28. & alii ea ratione, ne Beneficia libera in ſervitutem redigantur.

63 Dicitur autem notanter *Regulariter*, quia in aliquibus caſibus id poteſt Epiſcopus. Et primo quando Patroni renunciant Jurepatronatus, quod ab omnibus concedi debet, utpote carens difficultate. Secundo quando concordant, ut Beneficium Juriſpatronatus alternative conferatur, una vice ad Patronorum præſentationem, & altera ad liberam collationem, uti deciſum fuiſſe *a S.C. Conc.* referunt Leo *l.c. in fine*, Sellius *in Select. Canon. cap.*18. *num.*24. Ventriglia *l.c. n.*28. *in fine*. Tertio quando Eccleſia libera minatur ruinam, & habet tenuiſſimos redditus, tunc enim poteſt uniri patronatæ cum reſervatione Juriſpatronatus, & onere impoſito Patrono illam reparandi, & donandi in ſcutis 50. prout fuiſſe deciſum *in una Triventina* 21. *Decembr.* 1622. referunt Aldan. *in Compend. Canon. reſol. lib.*3. *tit.*8. *num.*17. Ventriglia *l.c. n.*29.

64 Epiſcopus non poteſt unire Beneficia Dignitati, quæ in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata non habet vocem in Capitulo, nec redditus ex Menſa Capitulari, licet deſerviat in choro. Sic declaraſſe *S.C. Conc. die* 19. *Decemb.* 1584. *ad dict. cap.*15. *ſeſs.*24. *de reform.* refert Ventriglia *l.c. n.*34.

65 Epiſcopus poteſt unire Seminario, ut commode regi valeat, aliquot Beneficia ſimplicia cujuſcumque qualitatis, & Dignitatis fuerint, etiamſi eſſent reſervata, vel affecta, ſine



tamen Cultus Divini, & illa obtinentium præjudicio. Sic expreſſe Concil. Trid. *ſeſs.*23. *de reform. c.*18. *vers. Nec non Beneficia aliquot ſimplicia*, Barboſa *ib. num.*33. *& de Offic. & poteſt. Epiſc. p.*3. *alleg.* 77. *num.* 28. *& lib.*3. *Jur. Eccl. univ. cap.* 16. *n.*30. Fuſcus *de viſit. l.*1. *cap.*16. *num.*9. Ventriglia *l.c. n.*36. & alii paſſim. Et ſic ſtatuit noviſſime Benedictus XIII. Conſt. incip. *Creditæ* §.4. Vide verb. *Seminarium in fine*.

66 Non poteſt tamen ipſi Seminario unire omnia ſimplicia Beneficia, alias talis unio eſſet nulla, quia Concilium dicit ſolum *Beneficia aliquot*. Et ſic deciſum fuiſſe *a S.C. Concil.* referunt Barboſa *ſupra Conc. cit. Cap.*18. *n.*35. *& cit. alleg.* 77. *n.*29. *& in Summa Apoſt. dec. verb. Beneficium Seminario uniendum, vel non, num.*7. Molpheſ. *in Summa Theolog. moral, tract.*6. *cap.*14. *a n.*60. Riccius & alii.

67 Nec poteſt Seminario unire ſimplicia Beneficia ad Collationem inferiorum ſpectantia, neque Canonicatus, nec Beneficia Sedi Apoſtolicæ reſervata poſt illorum vacationem. Sic deciſum fuiſſe *a S. C. Conc.* referunt Barboſa *ſupra Conc. l.c. n.*44. *& in ſumma l.c. n.*5. Franciſcus Leo *in Theſaur. Fori Eccl. p.*2. *cap.*16. *n.*23. Molphet. *l.c. a n.* 62.

68 Nec poteſt unire Seminario Canonicatus Collegiatarum, quamvis ex conſuetudine non obligent ad reſidentiam. Sic deciſum fuiſſe *a S.C. Epiſ. in Aquilana* 27. *Martii* 1590. refert Barboſa *Supra Conc. l.c. n.*36.

69 Nec poteſt Seminario unire Beneficia Regularia, & quæ commendata ſunt, ſeu Monaſteria unita, aut annexa. Sic deciſum fuiſſe *a S.C. Conc.* referunt Nicol. Garcias *de Benef. par.* 12. *cap.*2. *num.*210. & Barboſ. *ſuper Trid. l.c. n.* 36. *&* 37. ubi aſſerit reſolutum fuiſſe *in Caput.*26. *Iunii* 1586. non poſſe uniri Seminario Beneficia Regularia, ſive dentur in Titulum, ſive in Commendam; ſecus vero ſi ſtatum mutaverint.

70 Beneficia primo vacatura per Reſignationem ſimplicem, non autem per conditionalem in favorem certæ perſonæ, unire poteſt Epiſcopus vigore Concilii *cit. cap.*13. Sic deciſum fuiſſe *a S.C. ejusdem Concilii* referunt Gonzalez *ad Regiſt.*8. *Cancell. Gloſſ.*14. *num.*10. Barboſ. *Supra Conc. citat. cap.* 18. *n.*47. & in *Summa l.c. n.*2.

71 Beneficiorum unio non poteſt fieri Seminario nondum erecto, & in quo Scholares actualiter non adſunt. *S.C. Concil.* apud Gonzalez *ad Reg.*8. *Cancell. gloſſ.*5. §.7. *num.*58. Barboſam *in Summa l.c. n.*5. Garciam *l.c. p.*12. *cap.*2. *nu.* 193. *&* 194.

72 Seminario uniri non poſſunt Abbatiæ, Prioratus, & Monaſteria Conſiſtorialia, ſeu Beneficia quovis modo Apoſtolica auctoritate commendata, obtenta, ſeu obtinenda per S.R.E. Cardinales, ſeu veros, & proprios Papæ Familiares Nuncios Apoſtolicos, & Secretarios Congregationum, quibus iidem S.R.E. Cardinales interſunt; Sic noviſſime expreſſe ſtatuit Benedictus XIII. Conſt. incip. *Creditæ* §. 5. quæ ad litteram refertur ſub verb. *Seminarium in fine*, eſtque diligenter attendenda, & omnia ſupradicta juxta ejus diſpoſitionem intelligenda.

73 Beneficium legitime unitum non dicitur amplius vacare, nec conferri poteſt. Ludovic. *dec.*77. *n.*3. Ventriglia *l.c. numer.*27. Gonzalez *ad Regul. de Menſibus glos.*5. §.7. *nu.*7. & alii paſſim.

74 Uniones legitime factæ ſortiri debent effectum, non tantum cum unita Beneficia vacare contigerit per obitum, ſed etiam per Reſignationem, eaque de re poterit Epiſcopus Datariam docere. *S.C. Conc.* apud Garciam *de Benef. p.*11. *cap.*4. *num.*35. & Barboſa *Summ. Apoſtol. decis. verb. Unio num.*5.

75 Unde Beneficium unitum non poteſt reſignari ad favorem, non facta mentione de unione, alias reſignatio non tenet, & gratia eſt ſubreptitia. Rota *dec.*3. *de rerum permut. in antiquis*, Oldrad. *cons.*237. *n.*20. *& ſeq.* Puteus *dec.*357. *nu.* 4. *lib.*1. Pariſius *deſignat. lib.*7. *q.*9. *num.* 41. *& ſeq.* teſtans de communi.

76 Uniones perpetuæ a 40. annis citra a publicatione Concilii Trident. factæ examinari poſſunt ab Ordinariis, & quæ per ſubreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint irritæ declarari debent. Sic expreſſe Conc. Trid. *ſes.*7. *de reform.*
77 *cap.*6. Illæ vero uniones, quæ a dicto tempore citra conceſſæ nondum in toto, vel in parte ſortitæ ſunt effectum, & quæ deinceps ad cujuſvis inſtantiam fiunt, niſi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus cauſis coram Loci Ordinario vocatis, quorum intereſt, verificandis, factas fuiſſe conſtiterit, per ſubreptionem obtentæ cenſeri debent, ac propterea niſi aliter a Sede Apoſtolica declaratum *fuerit*, *viribus* omnino carent. Ita expreſſe Conc. Trid. *l.c.*

78 Item per Regulam 12. Cancellariæ ab omnibus Pontificibus fieri, & publicari ſolitam poſtridie ſuæ aſſumptionis ad Pontificatum revocantur omnes uniones, quæ ſuum non ſunt ſortitæ effectum ante publicationem dictæ Regulæ. *Communis*, textu expreſſo *in dicta* 12. *Regula Cancellariæ*.

79 Dicitur autem Unio ſortita effectum quoad dictam 12. *Regulam*, & cit. Decretum Concilii Trident. *ſes.* 7. *de reform. cap.*6. *& ſes.*25. *de reform. cap.*9. *vers. Inſuper acceſſiones*, quando ipſius vigore captata fuit poſſeſſio Beneficii uniti ante publicationem dictæ regulæ, vel ſaltem in parte effectum ſortita fuit tempore publicationis Concilii. Rota *in Burgen. Unionis* 26. *Novembr.*1588. *coram Orano*, & *Communis Doctorum*.

80 Unio, cum ſit quid facti, non præſumitur in dubio, ſed probari debet ab eo, qui factum aſſerit. Rota *dec.*577. *n.*5. *lib.*3. *p.*3. *divers. & dec.*223. *num.*5. *p.*1. *recent.* & Doctores communiter.

81 Probatur autem Unio pluribus modis: Primo per authenticum inſtrumentum, ſeu litteras ipſius Unionis. Rota *p.*10. *recent. dec.*351. *num.* 2. *& p.*11. *dec.*305. *num.*2. & alibi. Secundo ex viſitationibus Ordinarii; in quibus Beneficium ut unitum viſitatum fuit. Rota *p.*10. *recent. dec.*9. *ſub num.*11. *&* 21. *& dec.*48. *num.*7. Tertio ex enunciativis antiquis, & multiplicatis. Rota *recent. p.*5. *tom.*2. *dec.*441. *num.*1. *p.*7. *dec.*50. *num.*12. *p.*8. *dec.*246. *num.*9. *p.* 10. *dec.*152. *num.* 1. *& ſeq.* & alibi. Quarto per publicam vocem, & famam, & ex communi reputatione. Rota *recent. p.*10. *dec.*9. *num.*6. *& ſub num.*21. Quinto ex diuturnitate temporis, & ex longiſſima obſervantia. Rota *recent. p.*5. *tom.*2. *dec.* 441. *nu.*4. *p.*10. *dec.*48. *num.*6. *part.*15. *dec.*215. *n.*10. Sexto ex actibus Juriſdictionalibus exercitis in Beneficio, quod prætenditur unitum. Rota *recent. p.*18. *tom.*1. *dec.*32. *num.*16. Septimo ex denominatione Beneficii tamquam membri, & pertinentiæ alterius Rota *recent. p.*7. *dec.*50. *n.* 11. Octavo ex præſentationibus factis in vim Tituli Unionis. Rota *recent. p.*9. *tom.*2. *dec.*330. *n.*26. Non ex creatione Vicarii perpetui cum aſſignatione congruæ, & onere ſolvendi certam portionem fructuum ipſi Beneficio, cui Unio facta fuit. Rota *recent. p.*4. *tom.*2. *dec.*485. *num.*15. *p.*5. *tom.*2. *dec.*441. *num.*3. *p.*10. *dec.*152. *num.*5. Decimo ſi poſſeſſor unius Eccleſiæ percipit pacifice fructus Eccleſiæ unitæ. Rota *recent. p.* 6. *dec.*18. *num.*8. Undecimo ex taxa annua illius Eccleſiæ tamquam ſubjecta alteri confirmata ab Executore Apoſtolico. Rota *recent. p.*10. *dec.*152. *num.*8. Duodecimo ex Domus, & Salarii aſſignatione. Rota *p.*10. *dec.*48. *n.*5.

82 Unionem Beneficiorum diſſolvere, & revocare poteſt omnis, qui potuit illam facere. *Communis*, *de argum. cap. Omnis res* 1. *de Regul. Juris* ibi: *Omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.* Et Epiſcopus diſſolvere poteſt non ſolum unionem a ſe factam, vel a ſuo Prædeceſſore, ſed etiam illam factam a Papa ex ordinaria poteſtate, non tamen factam a Papa ex plenitudine poteſtatis, Garcias *de Benef. part.*12. *Cap.*2. *num.*304. Azorius *Inſtit. moral. p.*2. *lib.*7. *cap.*29. *q.*5. *&* 6. Barboſa *lib.*3. *Jur. Eccles. univ. c* 16. *num.*68. Ventriglia *l.c.* §.2. *n.*23. & alii.

84 Pro diſſolvenda tamen tali unione requiritur, quod ceſſet cauſa, propter quam facta fuit vel alias interveniat cauſa neceſſitatis, & utilitatis Eccleſiæ, utpote quia unio redundat in majus ejus damnum, & inſuper requiritur cauſæ cognitio, conſenſus Capituli, & citatio eorum, quorum intereſt unionem non revocari. Rebuff. *in Praxi tit. de Unionis revocatione n.*6. Azorius *l.c. q.*6. Garcias *l.c. n.* 308. Barboſa *l. cit. num.*68. Ventriglia *l.c. n.*34. & alii.

85 Alia ad rem. Vide verb. *Diſmembratio*, verb. Seminarium, & verb. *Unio Beneficiorum*.

*Novæ Additiones ex aliena manu.*

1 VUlgo traditur, unionem inter odioſa collocandam eſſe, regulariter interdictam, non promovendam, adeoque in dubio contra eam pronunciandum; Confer *Turricell. de union. Beneſic. part.*3. *qu.*882.

2 Porro inficias haud imus, uniones regulariter, & ſic non facile fieri debere, ſi fiant magis per modum exceptionis, quam Regulæ ſuſcipiunt. 3 At non ſtatim generatim unio inter odioſa referri debet. 4 Neceſſitas, & utilitas præſtant juſtam unio-

5 unioni cauſam ; *Cap.33. de Præbend.* At vero quod ex hac
cauſà fit, odioſum, & probroſum reputandum eſt ? An
6 non ſalus Eccleſiæ ſuprema Lex eſſe debet ? Unio ſane tem-
poralis, quæ fit ad vitam ad quæſtum Beneficiarii cum Ec-
cleſiæ detrimento præter neceſſitatem, odioſa, eaque pro-
pter explodenda eſt.

7 Angelum hic eſſet de diverſis effectibus, qui fluunt a di-
verſis ſpeciebus unionis, ab unione ſcilicet per ſubjectio-
nem, ab unione per confuſionem, ſeu ſuppreſſionem, &
ab unione æque principali. At latior eſt hæc materia, quam
8 ut in hiſce Additionibus concludi queat. Satis ſit indicare
eos, qui de iis egregie præ cæteris tractarunt, nimirum *Bo-
hemer. in decretal. lib.3. tit.5. a §.180. ad plur. ſequent. Sle-
vogt de union. ſeſſ.3. cap.1.*

## V O T U M.

### Articulus I.

Quoad ea, quæ concernunt Voti naturam, diviſionem, materiam, & interpretationem.

1 VOti nomen accipitur variis modis. Primo a Grammaticis accipitur pro deſiderio, *ut Proverb. 31. Quid dilecte votorum meorum?* ideſt deſideriorum, & in Canone Miſſæ: *Tibique reddunt vota ſua*, ideſt pia deſideria, Preces. Secundo a Juriſtis accipitur Votum pro Suffragio, vel calculo in Electionibus, vel Conſiliis. Tertio accipitur a Theologis proprie, & ſtricte Votum pro promiſſione Deo facta, ut *Eccleſiaſtic. 5.* ibi. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta Promiſſio, & pſal. 26. Redde Altiſſimo vota tua*, & de Voto juxta hanc ultimam acceptionem erit hic ſermo.

2 Votum igitur ſic acceptum recte definitur, quod ſit *Promiſſio deliberata, & voluntaria Deo facta de meliori bono.* Sic *Communis Doctorum* cum S. Bonaventura *in 4. diſtinction.38. art. 1. q.1.* S. Thoma 2. 2. *quæſt. 88. art.1.* Scoto *in 4. diſt.38.*

3 Dicitur primo *Promiſſio*, ideſt non ſimplex propoſitum,
ſed voluntas firma, & conſtans ſe ſe obligandi ad aliquid
agendum, vel omittendum, itaut ex tali promiſſione *Pro-
miſſario*, videlicet Deo Jus acquiratur ad exigendum ſibi
4 promiſſum. Promiſſio enim eſt *deliberata & ſpontanea fidei
5 obligatio facta alicui de re bona, & poſſibili*; Et *Propoſitum
6 eſt ſola voluntas faciendi, vel omittendi aliquid.* Unde hoc eſt
diſcrimen inter Propoſitum, et Promiſſionem, quod *Propo-
ſitum* eſt ſimpliciter ſola voluntas faciendi, vel omittendi in
futurum aliquid: *Promiſſio* autem ſit voluntas aliquid facien-
di, vel omittendi in futurum aliquid tamquam debitum, ſeu
ex obligatione; ſicque Promiſſio addit Propoſito volunta-
tem ſe obligandi alteri, ut hic in noſtro caſu Voti ſe obli-
gandi Deo; Utcumque enim Propoſitum ſit firmum, ac de-
liberatum, nunquam evadit Votum, quandiu abeſt voluntas
ſe obligandi, ut clare habetur ex *cap. Litteraturam tuam 3.
de Voto, & Voti redemptione*; ubi cuidam Magiſtro conſu-
lenti ita reſpondit Alexander III. Summus Pontifex: *Cum
ex quadam minutione*, ſeu miſſione ſanguinis, *nimio fuiſſes
mortis pavore perterritus, hæc verba protuliſti; Non diu hic
morabor, proponens in animo, quod Religionis Habitum eſſes
aliquando ſuſcepturus. Tibi igitur reſpondemus, quod ſi plus
non eſt in Voto proceſſum, tranſgreſſor judicari non poteris, ſi
non impleas, quod dixiſti.* Sic Pontifex manifeſte ſignificans
ſolo propoſito quantumvis ſancto non conſtitui Votum, id-
que ob defectum intentionis, ſeu voluntatis ſe obligandi. Sic
Doctores communiter.

7 Dicitur ſecundo *deliberata*, quia promiſſio ſubita, & inconſiderata non ſufficit ad rationem Voti. Vovens enim debet plene advertere, et cognoſcere materiam, quam vovet, cum deliberatio importet advertentiam, et cognitionem materiæ cum libero, et expedito interiorum ſenſuum uſu, *Omnes*.

8 Unde tanta deliberatio requiritur, et ſufficit ad votum, quanta requiritur, & ſufficit ad peccatum mortale. Sic Doctores jam fere communiter poſt Gloſſam *in cap. Mulier 14. cauſ.32. quæſt.2.* dicentem expreſſe, quod *qui poteſt ſe obligare diabolo, poteſt & Deo*, cum non videatur plus, aut minus requiri, et ſufficere ad obligandum ſe Deo per Votum, quam ad ſe obſtringendum Diabolo per peccatum mortale.

Dicitur tertio *Voluntaria*, ideſt cum libero Voluntatis conſenſu facta, quia ad hoc, ut Votum obliget, requirit liberum voluntatis imperium, ſeu Decretum, quo vovens ſe Deo obligatum velit ad quidpiam præſtandum, vel omittendum. Unde Votum emiſſum ex ignorantia, errore, vel dolo verſante circa ſubſtantiam rei promiſſæ eſt invalidum, quia incogniti nulla eſt voluntas, cum voluntas non feratur in incognitum, ex Ariſtotele 3. *de Anima Comment. 39.* & ignorantis, ac errantis nullus ſit conſenſus, *l. Non idcirco 9. Cod. de Jur. & facti ignorant.* nihilque ſit tam contrarium conſenſui, quam error, *l. Si per errorem 15. ff. de Juriſdict. omnium Judic.* 9

Dicitur quarto *Deo facta*, quia promiſſio eſſentialiter conſtituens Votum proprie dictum debet eſſe facta ipſi Deo, cum Votum proprie ſit actus Religionis, ſeu Latriæ ſoli Deo debitus; Unde cum quis aliquid vovet B. Mariæ Virginis, aut Sanctis, intelligitur vovere Deo in honorem B. Mariæ Virginis, ac Sanctorum; Sicuti enim cum Templa, ſeu Altaria B. M.V. aut Sanctis dedicantur, dicuntur dedicati Deo in honorem, et memoriam B. M.Virginis, aut Sanctorum, ut explicat S. Auguſtinus 20. *contra Fauſtum cap. 21.* Ita etiam cum Vota nuncupantur B. M.Virgini, aut Sanctis, dicuntur nuncupati Deo in honorem B. Mariæ Virginis, aut Sanctorum, ut docet Sanct. Thomas 2. 2. *quæſt. 88. art.5. ad 3.* Ipſum enim Deum coli, ac venerari in Sanctis fatentur omnes Catholici. Vel ut alii explicant, Votum in ſimilibus caſibus intelligitur fieri principaliter, ac primario ipſi Deo, Beatæ autem Mariæ Virgini, aut Sanctis ſolum ſecundario, ut teſtibus, Advocatis, et interceſſoribus apud Deum, ſicque dicunt, ſolemnem vovendi formulam Religioſorum: Voveo & promitto Deo Omnipotenti, B.Mariæ Virgini, B. N. & omnibus Sanctis &c. habere hunc ſenſum: Voveo Deo coram B. Maria Virgine, B. N. & omnibus Sanctis tamquam teſtibus, Advocatis, & interceſſoribus; Ita Suarez *lib.1. cap.16. num.17.* Layman *lib.4. tract.4. cap.1. in fine*, Sporer *tom.1. tract.3. in 2. præcept. Decalogi cap.2. n.31.* 10

Dicitur quinto *de meliori bono*, quia ad Votum non ſolum requiritur, ut illud, quod vovetur, ſit bonum, ſed inſuper ut bonum illud ſit melius quam ejus oppoſitum: Hinc Votum nubendi abſolute loquendo non tenet, quia Matrimonium non eſt bonum melius Virginitate ſibi oppoſita. Dicitur autem notanter *abſolute loquendo*, quia id quod *abſolute* eſt minus bonum ſuo oppoſito, poteſt *per accidens* ex circumſtantiis eſſe majus bonum, ſicque cadere ſub Voto, ut patet de eo, qui ſe cognoſcens pronum ad lapſum carnis, ad evitanda peccata incontinentiæ vovet ſtatum Matrimonialem aſſumere. In eo enim caſu dicit Apoſtolus 1. *ad Corinth. cap. 7. n.9. Melius eſt nubere, quam uri.* 11

Votum varie dividitur. Primo dividitur in votum ſimplex, & ſolemne. *Simplex* eſt illud, quod emittitur ſine alia ſolemnitate cum nuda, & ſimplici promiſſione Deo facta, ſive privatim, ſive ore, ſive tantum corde. *Solemne* eſt illud, quod ſolemnizatur per Profeſſionem Religionis ab Eccleſia approbatæ, aut per ſuſceptionem Sacri Ordinis, ut habetur *in cap. Unic. de Voto in 6.* ubi dicitur, quod Voti ſolemnitas ſit a ſola Conſtitutione Eccleſiæ inventa, ibi: *Nos igitur attendentes, quod voti ſolemnitas ex ſola Conſtitutione Eccleſia eſt inventa*, quod etiam dicitur in Bulla Greg. XIII. incip. *Aſcendente Domino*, n. 18. ibi: *Non conſiderantes voti ſolemnitatem ſola Eccleſiæ inſtitutione inventam eſſe.* 12

Secundo dividitur Votum in Reale, Perſonale, & Mixtum. *Reale* eſt illud, quo vovens promittit aliquid de ſua re, aut ſubſtantia diſtinctum ab actione, aut omiſſione perſonæ v. g. eleemoſynam. *Perſonale* eſt illud, quo promittitur nuda actio, aut omiſſio perſonæ v, g. jejunium, abſtinentia a luſu. *Mixtum* eſt illud, quod participat de Reali & perſonali, v. g. Votum viſitandi Sanctuarium, ibique offerendi lampadem. 13

Tertio dividitur Votum in Temporale, & Perpetuum. *Temporale* eſt illud, quod ex intentione Voventis ſolum ac certum tempus, vel pro certo tempore obligat, ut votum jejunandi omnibus Sabbatis unius anni, non bibendi vinum hebdomada Sancta. *Perpetuum* eſt illud, quod ex intentione Voventis perpetuo, ſeu tota vita obligat, & ſervandum eſt, ut votum jejunandi toto tempore vitæ ſuæ, nunquam bibendi vinum, nunquam manducandi carnes, nunquam ludendi. 14





15 Quarto dividitur Votum in Expreſſum, & Tacitum. *Expreſſum*, ſeu explicitum eſt illud, quo expreſſis verbis aliquid Deo promittitur. *Tacitum*, ſeu Implicitum eſt illud, quod fit per liberam actionem habentem Votum annexum. Sic qui Sacrum Ordinem ſuſcipit, cenſetur Caſtitatem perpetuam vovere, cum ſciat ſuſceptioni Ordinis Sacri annexam eſſe obligationem Caſtitatis perpetuæ

16 Quinto dividitur Votum in Abſolutum, Conditionatum, & Pœnale. *Abſolutum* eſt illud, quod ſimpliciter & abſolute emittitur independenter ab omni conditione, ut cum quis ſimpliciter vovet jejunium, caſtitatem, peregrinationem. *Conditionatum* eſt illud, quod emittitur ſub aliqua conditione, ut cum quis vovet dare Calicem Eccleſiæ, ſi a tali morbo convaleſcat, a tali mortis periculo liberetur, ſi filius ſuus tale inierit Matrimonium. *Pœnale* eſt illud, quod fit in pœnam, ſeu quo vovetur aliqua pœna ſubeunda, quoties commiſſa fuerit aliqua culpa, ut ſi quis voveat ſe toties oſculaturum terram, quoties mentitus fuerit, ſe toties jejunaturum, cilicium geſtaturum, ſe diſciplina afflicturum, quoties in peccatum carnis lapſus fuerit.

17 Materia Voti debet eſſe poſſibilis, & in poteſtate voventis, non ſolum phyſice, ſed etiam moraliter, talis ſcilicet quæ ab homine fieri poſſit communi concurſu, & ordinario auxilio Divinæ gratiæ. *Communis*. Et ratio eſt evidens, quia Votum eſt promiſſio facta Deo cum intentione ſe obligandi ad aliquid præſtandum; nemo autem ſe poteſt obligare ad id quod non eſt ei poſſibile, nec eſt in ſua poteſtate, *arg. l. Impoſſibilium 185. ff. de Regul. Juris*, ibi: *Impoſſibilium nulla eſt obligatio*, & *cap. Nemo poteſt 6. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Nemo poteſt ad impoſſibilia obligari*: adeoque &c.

18 Hinc invalidum eſt Votum nunquam peccandi nec venialiter. *Communis*. Tale enim Votum eſt de re moraliter impoſſibili cum nos attenta noſtra fragilitate ſecundum Legem ordinariam cum ordinario concurſu, & auxilio Dei non poſſimus omnino omne peccatum etiam veniale evitare, ut quotidiana experientia demonſtrat.

19 Validum tamen eſt Votum vitandi omnia peccata mortalia, aut certa peccata venialia in ſpecie determinata v. g. nunquam mentiendi, nunquam, vel minimum furandi &c. *Communis*: Id enim eſt nobis poſſibile etiam cum ſolo communi ordinario concurſu, & auxilio Divinæ gratiæ.

20 Item validum eſt Votum nullum omnino peccatum veniale cum plena deliberatione patrandi Suarez *lib.2. cap.3. n. 4.* Layman *lib.4. tract.4. cap.2. num.2.* Sporer *loc. cit. num.39.* & alii. Et ratio eſt, quia licet homini fragili ſine ſpeciali privilegio non ſit poſſibile evitare omnia peccata venialia, quæ fiunt ex ſubreptione, ſive cum deliberatione imperfecta, eſt tamen ei poſſibile ſine ſpeciali privilegio, & cum ſolo communi ordinario auxilio Divinæ gratiæ, ut in nullum peccatum etiam veniale cum plena deliberatione, & mera libera ſua malitia conſentiat; Tum quia ſimile Votum emiſſum fuiſſe a pluribus viris Sanctis Eccleſiaſtica Legenda teſtatur.

21 Si Votum ſit de re partim poſſibili, & partim impoſſibili, validum, & ſervandum eſt quoad partem poſſibilem, ſi partes dicti Voti ſint per ſe ſeparabiles, nec alia fuerit intentio voventis. *Communis, arg. cap. Utile 36. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Utile non debet per inutile vitiari*, præſertim ſi utile ab inutili ſeparari poſſit. Sic qui vovit dare Eccleſiæ, vel pauperibus mille aureos, ſi factus impotens nequit dare omnes, tenetur dare partem poſſibilem. Item qui vovit jejunare totam hebdomadam, ſi factus impotens nequeat jejunare totam integram, tenetur ad partem, quam poteſt, & ſic de ſimilibus: Res enim de natura ſua dividua cenſetur voveri diviſim, niſi alia ſit expreſſa intentio Voventis.

22 Si autem partes Voti promiſſæ ſint copulatim per modum unius, ita ut obligatio unius dependeat ab obligatione alterius, ac totius promiſſi, tunc, ſi una pars ſit, vel fiat obſervatu impoſſibilis, nec tenetur Vovens ad obſervantiam alterius. Sic qui vovit Sacramentalem Confeſſionem cauſa Jubilæi lucrandi, ſi factus impotens nequeat Jubilæum lucrari, non tenetur ad Confeſſionem. Item qui vovit peregrinationem nudis pedibus, ac in cilicio, ſi factus impotens nequeat peregrinari, non tenetur eo tempore nudis pedibus incedere, ac cilicium geſtare, & ſic de ſimilibus. Layman *loc. cit. num. 3. verſ. Exempla poſterioris*; Gobat *tom. 3. caſu 3. num. 77.* Sporer *loc. cit. n. 68.* cum Suarez, & Sanchez ibi citatis, & alii. Et ratio eſt, quia Vovens, ut ſupponitur, vovit ipſas partes copulatim per modum unius totius, ſeu individui, adeoque non fuit ejus intentio obſervare unam partem ſine altera; Tum quia ipſam Confeſſionem vovit ſolum ob Jubilæum lucrandum, & dictam inceſſionem nudis pedibus, ac geſtationem Cilicii ſolum tamquam *Acceſſorium* ad Peregrinationem, ut *Principalem*; ceſſante autem fine, ceſſat obligatio mediorum, *arg. cap. Cum ceſſante 60. de appellat. l. Adigere 6. §. 2. ff. de Jurepatronat. l. Cum ratio 7. ff. De bonis damnator.*, & ruente principali ruit & acceſſorium *arg. cap. Acceſſorium 42. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Acceſſorium naturam ſequi congruit Principalis*, *l. Nihil dolo §. Cum principalis 129. ff. De Regul. Juris*, ibi: *Cum principalis cauſa non conſiſtit, nec ea quidem, quæ ſequuntur, locum habent*, & concordat *l. Cum principalis 178. ff. eod.*

Materia Voti debet eſſe res moraliter bona. Unde opus lege naturali, Divina, vel humana prohibitum non poteſt voveri, & ſi voveatur, Votum nedum eſt illicitum, ſed & invalidum, & nullum. *Communiſſima*. 23

Sic invalidum eſt omne Votum emiſſum pro re illicita a Deo impetranda, ut ſi meretrix voveat partem quæſtus meretricii aut uſurarius partem ſuarum uſurarum; vel latro partem ſuorum latrociniorum dare Eccleſiæ ſeu pauperibus ex intentione movendi Deum ad ſibi majorem horum iniquorum proventuum occaſionem concedendam. Item invalidum eſt votum jejunandi, audiendi Sacrum &c. ſi emittatur ab impudico ad impetrandum, a Deo illicitum complexum perſonæ concupitæ, a vindicativo ad ſumendam injuſtam vindictam de ſuo inimico, ab ambitioſo ad capeſſendam vanam gloriam, & laudem hominum, a rixoſo, ſeu belligerante, aut litigante ad obtinendam injuſtam victoriam &c. Et ratio eſt, quia dare eleemoſynam, ſeu quodvis opus bonum facere ad impetrandam a Deo rem illicitam, vel iniquam, eſt actio mala, & blaſphema, quia talis quantum eſt in ſe Deum auctorem peccati facit, adeoque nec licite, nec valide voveri poſſe. *Sic Doctores Communiter*. 24

Validum autem eſt Votum factum ex affectu ad rem bonam, ut bona eſt, quamvis conjuncta cum cauſa mala, & peſſima, ut ſi quis voveat jejunium, eleemoſynam, peregrinationem, Religionem &c. ſi ex duello evaſerit ſalvus, ſi non capiatur in furto, ſi proles non naſcatur ex ſuo adulterio, ſi infamiam evitaverit ex ſua fornicatione &c. Et ratio eſt quia licet duellum, furtum, adulterium, fornicationem velle, malum, & peſſimum ſit, tamen his poſitis in duello incolumem ſervari, in furto non capi, prolem ex adulterio non ſuſcipere, infamiam ex fornicatione evitare revera mala non ſunt, ſed bona, ac Dei ſpecialia beneficia ſunt, ad quæ proinde impetranda valida ſunt dicta vota, cum non cadant ſuper illa mala, ſed ſuper hæc bona conſiderata quatenus in ſe bona ſunt; *Sic Doctores paſſim*. 25

Opus de ſe indifferens non poteſt eſſe materia Voti, niſi in finem bonum ordinetur; *Communis*. Et ratio eſt, quia res indifferens non eſt de ſe Deo grata, niſi in finem bonum ordinetur, adeoque non poteſt eſſe materia voti, niſi ex addito fine, aut circumſtantia bona de indifferenti evadat bona, ac Deo grata. Sic nullum de ſe eſt votum nunquam ſpuendi in Eccleſia, ſi ipſi nullus finis bonus addatur: Validum autem eſt, ſi in finem bonum ordinetur, ut ſi fiat votum nunquam ibi ſpuendi, ne ſuis ſputis fœdetur Eccleſia cum nauſea aliorum. Item nullum eſt Votum non veſcendi capite animalis in honorem S. Joannis Baptiſtæ capite diminuti, non edendi carnem toſtam in honorem S. Laurentii igne toſti, relicta interim ſibi facultate veſcendi aliis carnibus æque, vel magis delicatis ad ſatietatem. Validum tamen eſt ſi vovens nimis affectus ſit ad tale ciborum genus, & mortificationis gratia voveat Deo ſe abſtinere ad talis Sancti honorem. Item nullum eſt Votum certarum mulierecularum non nendi die Sabbathi in honorem B. Mariæ Virginis, relicta interim ſibi, & ſuis facultate aliis ſimilibus operibus laborandi: Validum autem eſt, ſi mulier ſic vovens ſit nimis affecta ad nendum, ſicque voveat non nere ad talis prædominantis paſſionis mortificationem, & ut interim orationi ac aliis exercitiis vocare poſſit. 26

Item invalidum eſt votum etiam rei bonæ, & honeſtæ, ſi fiat ob finem omnino indifferentem, & temporalem ut ſi quis voveat jejunium, abſtinentiam a vino, aut certis lautioribus cibis ob ſolum finem parcendi ſumptibus, vel ſanitatem naturaliter conſervandi, aut recuperandi. Et ratio eſt, quia in moralibus ſpecies rei ſumitur a fine, adeoque ſi finis rei promiſſæ eſt indifferens, totus actus ex objecto erit indifferens, ſicque erit materia inepta Voti. Validum autem erit ſimile votum, ſi fiat ob finem impetrandi a Deo, 27

etiam bona temporalia, & indifferentia, honeſte tamen, & rationabiliter petibilia a Deo., ut Santitatem corporis, Officium honorificum, utile Matrimonium, congruas divitias &c. Et ratio eſt; quia hæc a Deo tamquam eorum auctore petere, vel pro impetratis gratias agere bonum, & honeſtum eſt, ſicque apta materia Voti eſſe poſſunt; *Sic Doctores Communiter*.

28 Materia Voti debet eſſe de meliori bono, quam ejus oppoſitum; *Communis*. Et ratio eſt clara, quia Deo magis placet opus, quod majus, & melius eſt, quam oppoſitum minus bonum, adeoque non erit Deo acceptum, ſi quis voveat minus bonum, omiſſo ejus oppoſito bono majori, quia hoc ipſo ſe obligaret ad omittendum oppoſitum, quod majus, & melius eſt, & Deo gratius; ſicque tale votum utpote Deo non acceptum, invalidum eſt.

29 Hinc invalidum eſt abſolute loquendo votum nubendi, quia non eſt de meliori bono, cum ſtatus ei oppoſitus, nempe ſtatus Cœlibatus ſit longe melior, ut habetur expreſſe ex Apoſtolo 1. *ad Corinth. cap. 7. n.* 38. ibi: *Qui Matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit*. Et definitum a Concilio Trident. *ſeſſ.* 24. *Canon.* 10 ibi: *Si quis dixerit, ſtatum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cœlibatus; & non eſſe melius ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi Matrimonio, anathema ſit*. Secus autem eſſet, ſi quis non poſſet frænare concupiſcentiam, niſi per Matrimonium; tunc enim Votum nubendi eſſet promiſſio Deo grata, adeoque valida, quia licet Matrimonium abſolute loquendo ſit minus bonum ſuo oppoſito, poteſt tamen per accidens ex circumſtantiis hic, & nunc eſſe majus bonum, ſicque cadere ſub voto, juxta illud Apoſtoli 1. *ad Corinth. cap. 7. n.* 9. *Melius eſt nubere, quam uri*; *Communis*.

30 Sicque invalidum eſt Votum nunquam vovendi, quia impedit majus bonum, cum abſolute ſis melius vovere, quam nunquam vovere. Aſt tamen validum erit votum non vovendi indiſcrete, temere, aut inconſulto Confeſſario, vel viro prudente, quia vovere cum tali cautela eſt quid honeſtum ad virtutem Prudentiæ ſpectans, ac melius, quam ſuum oppoſitum; *Omnes*.

31 Item invalidum eſt votum ludendi honeſte, bibendi moderate, ſi fiat abſolute, & importet obligationem abſolutam ad luſum, vel ad potum, quia licet ludere honeſte, bibere temperate ſint actus boni, & honeſti, eorum tamen oppoſitum, nempe carentia, ſeu abſtinentia eſt melior, & Deo gratior; Eſt tamen validum tale votum, ſi fiat conditionate dicendo, v. g. Voveo, ſi luſero, honeſte, ſine fraude, contentione, & ſcandalo me luſurum, quoties bibero, temperate me bibiturum; quia tale votum eſt de meliori bono, cum poſita dicta conditione materia Voti non ſit ipſum ludere, vel bibere, ſed ipſa honeſtas in ludendo, & temperantia in bibendo, quod ſine dubio melius eſt ſuo oppoſito; *Communiſſima*.

32 Materia Voti debet eſſe de opere, & facto proprio. Unde invalidum eſt votum directe emiſſum de facto alieno, ut alieno. Sicque invalida ſunt vota Parentum filios, vel filias Religioni voventium. Item Patrum familias, cum vovent, ut ſuæ familiæ jejunent certis vigiliis, confiteantur, & communicent certis Feſtis &c. Tales enim filii, & filiæ, & familiæ non obligantur dictis votis Parentum, aut Patrumfamilias, niſi ſi voluntarie ea ratificent, ſicque vota aliena ſua efficiant quia in tali caſu obligarentur dictis votis, utpote jam ſui factis per propriam ratihabitionem, *arg. cap. Ratihabitionem* 10. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari*. Qua ratione Sacri Canones, & Concilia antiqua, præſertim Toletanum IV. *cap.* 48. cum dicunt: Filios paterno voto Religioni devotos obligari Religioni, nec ſi jam ingreſſi fuerint, poſſe ad ſæculum reverti, intelligenda ſunt cum hac conditione: Modo filii conſenſerint, Parentum votum ratificaverint, ſeu ratum habuerint, ut expreſſe decernitur *in cap. Cum ſimus* 14. *de Regularibus*; *Sic Doctores communiter*.

33 Sic cum Communitas aliqua vovet aliquid, v. g. Monaſterium certa jejunia, Civitas, vel Pagus certas Profeſſiones, vel Ferias, & hujuſmodi, vi voti & Religionis obligantur ſolum primi perſonaliter voventes; Succeſſores autem non obligantur vi voti, niſi ratificaverint, *arg. citatis Juribus*: Unde promiſſiones, & vota, quæ frequenter fieri ſolent ab univerſitatibus ſervandi ſub præcepto Feſtum alicujus Sancti, ac jejunandi in vigilia, non obligant populum, qui tamen poteſt ſponte promiſſa ſervare; & nullus eſt pœna cogendus, ut illa die abſtineat ab operibus ſervilibus; Barboſa *in Collectan. dec. Apoſtolic. verb. Feſtum in Communi n.* 8. Monacell. *parte* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *n.* 15. ubi teſtatur ſe vidiſſe pluries, ſupplices Libellos hac in re Sacræ Cong. Rit. porrectos pro confirmatione hujuſmodi promiſſionum, & Votorum fuiſſe rejectos, & præſertim *in Urbevetana 6. Octobris* 1696. *in Meſſanen. loci Melazzi* 25. *Januarii, & in Aleſſanen. Terræ Corſani 6. Septembris* 1698.

Opera præcepta poſſunt eſſe materia Voti; Unde quamvis 34 præceptum ſit de non fornicando, de non furando, de audiendo Sacro diebus Feſtis, de jejunando in Quadrageſima, & hujuſmodi, adhuc de ſimilibus validum, & obligatorium votum emitti poteſt, & tranſgreſſio talis voti, ver. gratia, fornicatio, furtum, & hujuſmodi, duplex erit peccatum, & contra præceptum non fornicandi, non furandi, & hujuſmodi, & contra Religionem proprii voti: Et ratio eſt, quia cum neceſſitas præcepti non ſit ſimpliciter, ſed ſolum ex ſuppoſitione finis, nempe ſi homo peccatum evitare, & ſalutem conſequi velit, juxta illud *Matth. cap.* 19. *numer.* 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, ac proinde voluntas ſimpliciter libera maneat ad opus præceptum, vel prohibitum faciendum, vel omittendum, aut e contra, ideo poterit ipſa magis determinari, et obligari per votum, cum nihil obſtet eamdem ex diverſis obligationum capitibus debitam eſſe, ac debitorem pluribus, ac diverſis vinculis adſtringi ad idem, uti notant DD. *in l. Scire* 29. §. *Si a Jure ff. de verbor. obligationibus*.

Magis meritoria ſunt opera bona facta ex voto, quam ſi 35 ſine voto ſponte fiant; *Communis*. Et ratio eſt, quia melius, & magis meritorium eſt opus habens duplicem honeſtatem, quam habens unicam: ſed opus bonum factum ex Voto, ultra honeſtatem, quam habet ſine illo, habet etiam honeſtatem Religionis, ergo &c. Tum quia plus Deo dat, et conſecrat, qui ex voto bonum operatur, quam qui ſine voto, quia ultra actum, quem dat alter, etiam dat voluntatem, quam Deo adſtringit, ſicuti plus dat qui non tantum fructum, ſed etiam arborem donat, ut recte notat S. Anſelmus *libr. de Similitudinibus cap.* 48. adeoque melius, et magis meritorium eſt opus bonum ex voto, quam ſi ſine voto ſponte fiat.

Nec valet objicere, quod qui operatur ex voti obligatione, 36 magis ex neceſſitate quam ex libera voluntate operatur, adeoque minus meritorium eſt ejus opus, cum Apoſtolus 2. *ad Corinth.* 9. dicat: *Non ex neceſſitate, hilarem enim Datorem diligit Deus*. Non valet, inquam, quia neceſſitas obligationis orta ex voto minime tollit libertatem voluntatis, nec minuit, quia homo juſtus ſponte, ac libere operatur, quod ſponte, ac libere vovit, etſi forte non operaturus, niſi voviſſet. Et Apoſtolus loquitur de neceſſitate contra voluntatem impoſita, non de illa, quam quis ſponte aſſumit in voto; Unde S. Auguſtinus *Epiſt.* 45. *ad Armentarium Riparium* expreſſe dicit *Felix eſt neceſſitas, quæ in meliora compellit*.

Vovere, et Voto ſe Deo obligare poſſunt omnes ſufficien- 37 tem uſum rationis habentes, præſertim poſt ſeptennium; quamvis etiam ante ſeptennium id poſſit fieri ab aliquo, cujus cognitio, ſeu malitia prævenerit, aut ſuppleverit ætatem; Sic Doctores jam fere communiter poſt Gloſſam *in cap. Mulier* 14. *cauſ.* 32. *q.* 2. dicentem expreſſe, quod *qui poteſt ſe obligare diabolo, poteſt & Deo*, cum non videatur plus, aut minus requiri, et ſufficere ad obligandum ſe Deo per votum, quam ad ſe obſtringendum diabolo per peccatum mortale.

Votum inducit obligationem in conſcientia exequendi pro- 38 miſſum; *Communis, & certa*, et habetur expreſſe ex pluribus Sacræ Scripturæ locis; *Deuteronomii* 23. ibi: *Si nolueris polliceri, abſque peccato eris, quando autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis*. Rurſus *ibidem*; *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requires illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*; *Eccleſiaſtes* 5. ibi: *Si quid infidelis, & ſtulta promiſſio*; *Pſalm.* 49. ibi: *Redde Altiſſimo vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea*. cum ſimilibus, et eſt expreſſe definitum *in cap. Licet 6. de voto*.

Votum per ſe loquendo obligat graviter, ubi materia gravis 39 eſt, et leviter, ubi materia eſt levis; *Communis*. Et ratio eſt clara, quia votum eſt quædam particularis Lex, quam Vovens ſibi imponit; Lex autem graviter, aut leviter obligat juxta gravitatem, et levitatem materiæ, adeoque ſic etiam Votum.

Dicitur autem notanter *per ſe loquendo*, quia poteſt Vo- 40



vens obligare ſe ad rem gravem ſolum ſub culpa levi, ſi id vovendo expreſſe intendat; *Communis*. Et ratio eſt, quia ſicut in libertate Voventis eſt obligatio quoad ſubſtantiam, ita etiam quoad modum; Unde ſicuti, ut dicit Gloſſa communiter recepta *in cap. Litteraturam* 3. *verb. Proponens, de Voto*: *Nemo ſe obligat, niſi qui habet animum ſe obligandi*, per text. *in l. Obligationum* 44. *ff. de obligationibus & actionibus*; Ita nemo ſe obligat graviter, ſi vovendo expreſſe intendat ſe obligare tantum leviter: Tum quia ſicuti Lex de materia gravi obligat leviter, ubi ſic ſtatuit Legislator, ita etiam Votum (quod eſt lex quædam particularis) ubi ſic intendit Vovens.

41 Nec valet dicere, quod ſicuti non poteſt quis profiteri in aliqua Religione, aut promittere, vel inire Matrimonium ſub obligatione levi, ita neque poteſt Vovens ſe obligare ad rem gravem ſolum ſub culpa levi. Non valet, inquam, ratione diſparitatis: et diſparitas eſt, quia illi actus ſunt utrinque oneroſi, et ideo, cum Religio Profitenti, et Sponſa Sponſo ſe obligent graviter, debent et illi graviter ſe obligare, alias non ſervaretur æquitas; quod non currit in emittente ſolum votum ſimplex, de quo ſolo ſimplici Voto eſt intelligenda concluſio, et non de voto ſolemni, quod, cum involvat mutationem ſtatus, non acceptatur, et conſequenter irritum eſt, si tantum intendatur obligatio levis.

42 Non poteſt tamen Vovens obligare ſe ad rem ſub culpa gravi, quia materia levis eſt incapax obligationis gravis, et ſicuti non poteſt Legislator materiæ capacitatem excedere; ita nec Vovens. *Sic Doctores Communiter*. Qui tamen recte advertunt, quod qui vovet rem levem ſub culpa gravi, format ſibi conſcientiam erroneam credens ſe ad id obligari ſub mortali; quare ſi cum tali conſcientia erronea poſtea tranſgrediatur Votum, peccabit utique mortaliter, at non vi voti, quod fuit incapax tantæ obligationis, ſed vi conſcientiæ erroneæ dictantis ſe ad id obligari ſub mortali, patet ex dictis ſub verb. *Conſcientia*, de Conſcientia erronea.

43 Nec valet inſtare quod ſicut Vovens poteſt ſe obligare ad rem gravem ſolum ſub culpa levi, ita poteſt etiam ſe obligare ad rem levem ſub culpa gravi. Non valet, inquam, ratione diſparitatis: & diſparitas eſt, quia materia levis non capax obligationis gravis, materia autem gravis, cum ſit capax obligationis gravis, a fortiori erit capax obligationis levis; Tum quia Deus non acceptat materiam levem ad obligationem gravem, quia non conduceret ad ſalutem, ſed ad periculum animæ: Acceptat autem materiam gravem ad obligationem levem, cum id nullum involvat periculum animæ, ſeu ſalutis.

44 Votum Perſonale obligat præciſe Perſonam voventem, adeo ut Perſona vovens nequeat ipſum Votum ex ea parte, qua eſt Perſonale, per alium adimplere; Unde qui vovit jejunium, diſciplinam, peregrinationem, & hujuſmodi, tenetur per ſe ipſum illa exequi. *Communis*. Et ratio eſt clara, quia Votum Perſonale requirit actionem propriam Perſonæ voventis, quia ſicuti factum proprium promiſit, ita facto proprio, & non alieno exequi debet.

45 Qui Votum ſuum Perſonale non poteſt per ſe ipſum adimplere, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter in eam impotentiam inciderit, non tenetur illud per alium exequi. Sic cum Silveſtro, Navarro, Suarez, Sanchez, Layman. *l. cit. c.* 3. *n.* 9. teſtans de communi Doctorum, Sporer *l. c. n.* 126. teſtans de communi cum ſupracitatis contra S. Antoninum, & aliquos alios. Et ratio eſt, quia actus non ſe extendit contra intentionem agentis; Intentio autem, ſeu Promiſſio Voventis fuit ſe facturum aliquid ſolum per ſe ipſum, v. g. per ſe ipſum jejunaturum, oraturum, peregrinaturum &c. adeoque ſi id non poſſit per ſe ipſum, non tenetur adimplere per alium. Si autem etiam ad hoc ipſum ſe obligare intenderit Vovens, ſive expreſſe, ſive implicite, ut ſi dum voverat, cognovit ſuam perſonalem impotentiam, tunc ne Votum irritum, & illuſorium reddatur, interpretari debet, quod intenderit per alium exequi. Sic ex Hoſtienſi tradit Abbas *in cap. Licite* 6. *num.* 13. *de Vot.* Layman. *loc. cit. num* 9. Sporer *loc. citat. num.* 126.

46 Obligatio Voti Perſonalis, vovente mortuo, non tranſit ad heredes. *Communis*. Et ratio eſt, quia cum Votum Perſonale reſpiciat tantum Perſonam voventis, aut ejus actionem, extinguitur extinctio vovente.

47 Tranſit tamen ad heredes obligatio Voti Realis vovente mortuo, & ſufficiente ſubſtantia relicta, ſive is culpabiliter, ſive inculpabiliter in vivis ſolvere omiſerit. *Communis*, textus expreſſo *in l. Si quis* 2. §. 1. *ff. de Pollicitationibus*, ibi: *Si forte, qui decimam bonorum vovit, deceſſerit ante ſepoſitionem, heres ipſius hereditario nomine decima obſtrictus eſt*; *Voti enim obligationem ad heredem tranſire conſtat*, & concordat *cap. Licet 6. de Voto, cap. Ex part.* 18. *de Cenſibus*. Et ratio eſt, quia heres voluntarie adeundo, & acceptando hereditatem Defuncti, ſicut omnia ejus commoda, & Jura acquirit, ita etiam omnia ejus onera, debita, & obligationes reales in ſe ſuſcipit, adeoque etiam obligationem Voti Realis, ſeu promiſſionis factæ Deo de aliqua re in ejus honorem præſtanda, *arg. cap. Licet 6. de Voto*.



Item ad heredes tranſit obligatio Voti mixti ex ea parte, 48 qua eſt Reale. *Communis*. Licet enim Votum mixtum ex ea parte, qua eſt perſonale, debeat neceſſario adimpleri per perſonam voventem, & non poſſit exequi per alium ex dictis *ſupra n.* 44. adeoque nec tranſeat ad heredes ex dictis *ſupra n.* 46. Poteſt tamen per alium adimpleri ex ea parte, qua eſt reale, ut fatentur omnes Doctores, adeoque ſi quoad dictam partem non ſuit adimpletum a vovente, ipſo defuncto, debet adimpleri ad ejus heredibus per eamdem rationem adductam, *n. anteced. de obligatione Voti realis*. Unde mortua Perſona, quæ vovit v. g. peregrinari Lauretum, & ibi Lampadem argenteam offerre, licet non tranſeat ad heredes obligatio talis peregrinationis, utpote ſolius voti perſonalis, tranſit tamen ad ipſos obligatio oblationis dictæ Lampadis argenteæ, utpote voti realis.

Heres non tenetur ſolvere Vota defuncti ultra vires here- 49 ditatis, ſed cum proportione ad illa. *Communis*. Hinc potius ſolvendi ſunt ſumptus funeris. *Communis* per text. *in l. Sci-* 50 *mus* 22. §. 9. *Cod. de Jure deliberandi, l. Et ſi quis* 14. *l. Impenſa funeris* 45. *ff. de religioſis, & ſumptibus funerum*; deinde ſolvendum eſt omne æs alienum juxta ordinem traditum ſub verb. *Reſtitutio art.* 4. *a num.* 29. *uſque in finem*. Ex poſt ante Vota ſolvenda eſt Legitima deſcendentibus, aut Aſcendentibus Defuncti debita: Deſcendentes enim, & Aſcendentes Defuncti non tenentur ad ſolvenda Vota per illius Teſtamentum emiſſa, ſi inde gravetur eorum Legitima, quia Jura declarant omnia gravamina bonis a Teſtatore appoſita in præjudicium Legitimæ, ſive interim fiant per Vota, ſive per Legata pia, nullius eſſe roboris, *l. Quoniam* 32. *Cod. de inofficioſo Teſtamento*, cum ſimilibus. Et ſolum poſt ſolutionem totius æris alieni, & Legitimæ ſolvenda ſunt vota; Et ratio eſt, quia Vota non debent ſolvi ex ære alieno, ſed ex ære, & bonis ipſius Voventis; Æs autem, & bona cujuſcumque cenſentur ſolum quæ ſuperſunt, deducto ære alieno *l. Mulier* 72. juncta Gloſſa verb. *Alieno, ff. De Jure Dotium*: Debent tamen præferri Vota Legatis, cum hæc ſint libera, & gratioſa, & illa ſint obligatoria, ut tradunt communiter Doctores. Si autem ſoluto ære alieno, hereditas non ſit ſolvendo omnia Defuncti Vota, non eſt ſolvendum unum, aut alterum, & alia omittenda, ſed ſingula pro rata; Cum enim omnia æqualiter ex virtute Religionis debeantur, non eſt ratio, cur unum alteri præferatur, idemque eſt in Legatis, *arg. l. Privilegia* 32. *ff. de rebus auctoritat. Judic. poſſidend. l. Si hominem* 7. §. 3. *ff. Depoſiti, l. Pro debito* 6. *Cod. de bonis auctorit. Judic. poſſidend.*

Votum conditionale non obligat, niſi impleta conditione. 51 *Communis*: Actus enim ſub conditione celebratus conditione non impleta, nullum operatur effectum, *arg.* §. *Sub conditione* 4. *Inſtit. de verb. obligat. & l. unica* §. *Sin autem Cod. de caducitat. tollend.* Suſpenditur enim ejus valor uſque adeventum conditionis; *l. Is, cui ff. de actionib. & obligat. l. Legata ſub conditione ff. de condit. & demonſtrat.*

Peccat autem graviter Vovens, ſi malitioſe per fraudem, 52 vim, aut dolum impediat poſitionem, ſeu adimpletionem conditionis, ne Voto obligetur; *Communis*, per Jura *num. ſeq.* adducenda: Vovens enim vovendo obligavit ſe virtualiter ad non impediendum conditionis eventum, ne fruſtraneum eſſet Votum. Inſuper tenetur probabilius Votum exe- 53 qui non minus, quam ſi conditio impleta fuiſſet; Richard. *in 4. diſt.* 38. *art.* 5. *quæſt.* 3. Angelus verb. *Votum* 1. §. 01. Navarrus *cap.* 12. *n.* 42. Azorius *lib.* 11. *cap.* 20. *quæſt. ult.* Sanchez *lib.* 4. *c.* 23. *n.*47. Henno *tom.* 1. *tract. in Decalog. diſp.* 2. *q.* 3. *art.* 7. *concl.* 1. & tredecim citans probabilius ſuadet, Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſolut.* 101. Sporer. *loc. c. n.* 147. ubi dicit communiorem, & ſine dubio tutiorem eſſe hanc ſententiam, & ſic alii plures, per text. *in l. In executione* 85. §. 7. *ff. de verb. obligationib.* ibi: *Quicumque ſub conditione obligatus curaverit, ne conditio exiſteret, nihilominus*

minus obligatur, *& c. Cum non ſtat 66. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet*: Et ratio eſt, quia fraus, & dolus nemini patrocinari debent; *cap. Ex litteris 2. de dolo, & contumacia*, ibi: *Nos attendentes, malitiam & dolum nulli patrocinari debere, cap. Sedes 15. de Reſcriptis*, ibi: *Quia fraus & dolus ei patrocinari non debent, cap. Ex tenore 16. eod.* ibi: *Quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent, cap. Tuæ 12. de Clericis non reſident.* ibi: *Cum fraus & dolus nemini debeat patrocinium impartiri, l. In fundo ff. de rei vindicat.* ibi: *Neque malitiis indulgendum eſt, l. Cum ſi ff. de tranſactionibus*, ibi: *Non debet via aperiri malitiis, l. Si Legatarius Cod. de Legatis*, ibi: *Ut non accipiat fructus ſuæ calliditatis*, cum ſimilibus. Tum quia, ut fatentur ipſimet adverſarii, quando homo homini promiſit ſub conditione tenetur promiſſionem implere, ſi malitioſe conditionis eventum impedivit, ergo etiam ſic quando promiſit Deo. Hinc qui vovit Religionem, ſi Pater conſenſerit, ſi Deus integram ſanitatem reſtituerit, & hujuſmodi, ſed poſtea pœnitens Voti, doloſe falſis allegationibus Patrem circumvenit, ut contradicat, qui alioquin non contradiceret, ſtudioſe, & malitioſe intemperanter vivit, & refugit medicamenta, ne recuperet integram ſanitatem, quam alioquin faciliter recuperaret, & alia hujuſmodi malitioſe, & doloſe peragit ad impediendam voti conditionem, ne ipſa adimpleta, Religionem ingredi teneatur, is aduc tenetur Votum exequi, & Religionem ingredi, non minus quam ſi conditio impleta eſſet; Sicuti cum quis promiſit alicui centum ſcuta, ſi ad domum ſuam perrexerit, ſi is ingredi volens, ab illa per vim, vel fraudem repellatur, perinde ei obligatus eſt, ac ſi ingreſſus fuiſſet.

54 Votum Conditionale, adimpleta conditione, evadit abſolutum, adeoque poſita conditione ſtricte obligat, ac ſi fuiſſet abſolute emiſſum; *Communis arg. citatis Juribus ſupra n. 51.* Et ratio eſt, quia Votum illud præciſe pendet a conditione, ut fiat abſolutum, ergo cum ponitur ſeu adimpletur conditio, obligat eodem modo, ac ſi fuiſſet abſolute emiſſum, & ideo non requiritur novus conſenſus, ſeu nova intentio ad inducendam obligationem: Hinc vovens Religionem, ſuſceptionem Sacrorum Ordinum, peregrinationem, donationem Calicis Lampadis &c. alicui Eccleſiæ, ſi naufragium, vel incendium evaſerit, ſi ſanitatem recuperaverit &c. tenetur vitato naufragio, vel incendio, ſanitate recuperata &c. ad illorum executionem.

55 Votum Pœnale obligat poſita culpa, alias non; *Communis*. Et ratio eſt, quia Voti obligatio ſequitur intentionem voventis, qui voluit ſibi imponere pœnam propter ſolam culpam, & non alias, adeoque &c. Hinc qui vovit jejunium, ſi ſe inebriaverit, poſita ebrietate tenetur jejunare, ſecus autem, ſi ſe non inebriaverit. Sic qui vovit dare eleemoſynam, ſi luſerit, poſito luſu, tenetur eleemoſynam dare, ſecus autem, ſi non luſerit, & ſic de ſimilibus.

56 Votum pœnale emiſſum ſine determinatione quoad numerum pœnæ ſolvendæ, ſi pœna ſolvenda ſit ex ordinariis, quæque iterari ſolent, intelligitur ſolvenda toties quoties fiat tranſgreſſio. Unde qui, v. g. vovit jejunare, ſi ſe polluerit, moderatam eleemoſynam dare, ſi luſerit, & hujuſmodi, obligandus eſt toties, quoties ſe polluerit, vel luſerit, Si autem pœna ſolvenda ſit ex gravioribus extraordinariis, quæque ordinarie iterari non ita ſolent, intelligitur ſolvenda ſolum in prima tranſgreſſione, & non in ſequentibus: Unde qui, v. g. vovit peregrinari Compoſtellam, ſi fornicatus fuerit, & hujuſmodi, obligandus eſt tantum prima vice; Sic Tamburin. *lib. 3. cap.* 12. §. 7. *n.* 2. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 22. *n.* 21. Diana *part. 7. tract. 9. reſolut. 60.* Sporer *loc. cit. n.* 155. Henno *loc. cit. concl. 2. reſol. 5.* Caſtropal. *tract.* 15. *d.* 1. *p.* 18. *n.* 6. Layman. *loc. cit. cap.* 5. *n.* 4. & alii plures. Et ratio eſt, quia præſumitur rationabiliter, talem fuiſſe mentem Voventis: Non eſt enim veriſimile voventis intentionem fuiſſe ſibi imponere toties, quoties pœnas graviores, atque inſolitas, uti eſt tam longa, & laborioſa Compoſtellana peregrinatio, uti econtra veriſimile eſt ejus intentionem fuiſſe ſibi imponere toties, quoties pœnas leviores, & ſolitas, uti eſt jejunium, moderata eleemoſyna, & hujuſmodi.

57 Votum emiſſum cum intuitu ad certum tempus, ſeu ob ſpecialem devotionem talis temporis debet omnino adimpleri tali tempore, & ſi eo tempore non adimpleatur, quamvis peccetur graviter, vel leviter pro ratione materiæ, obligatio tamen voti prorſus extinguitur, ita ut Vovens non teneatur amplius illud adimplere; *Communis*. Et ratio eſt, quia tale tempus cenſetur præfixum, & determinatum ad finiendam obligationem dicti Voti. Cum enim dictum Votum per modum unius copulatim comprehendat, & rem promiſſam, & hanc circumſtantiam temporis velut intrinſecam Voto, tranſacto illo tempore, tota obligatio ceſſat, ex quo non ſit amplius poſſibile votum adimpleri cum illa circumſtantia dicti temporis jam tranſacti, quia Impoſſibilium nulla eſt obligatio; *l. Impoſſibilium 185. ff. de Regul. Juris, & cap. Nemo poteſt 6. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.* Hinc qui vovit jejunare die veneris ob ſpecialem devotionem Paſſionis Chriſti, audire Sacrum die Sabbathi ob devotionem B. M. Virginis, jejunare Vigiliam, & feſtare diem S. Rocchi, ſeu Sancti Sebaſtiani ob patrocinium contra peſtem &c. tranſacto tali tempore, cum, aut ſine culpa, ceſſat omnino obligatio, cum in ſupradictis tempus, & dies cenſeatur determinari ad finiendam obligationem, ita ut ſi eo die negligatur, altero die ſuppleri, nec debeat, nec poſſit.

Si tempus Votum adimplendi determinatum ſit non intuitu 58
ad ipſum tempus, nec ob ſpecialem devotionem talis temporis, ſed ſolum ratione ipſius Voti adimplendi, tunc cenſetur præfixum ſolum ad non differendam obligationem, at non ad ipſam finiendam, ſicque eo tempore cum, vel ſine culpa elapſo abſque impletione voti, adhuc manet obligatio illud adimplendi. *Communis*. Et ratio eſt, quia in tali caſu res voto promiſſa, & circumſtantia temporis non voventur per modum unius, & copulatim, uti in antecedenti numero, ſed per modum duorum, & ſunt virtualiter quaſi duo vota, nempe de tali re facienda, et de tali tempore facienda, adeoque quamvis tranſacto tempore impoſſibile ſit ſervare eam circumſtantiam temporis, adhuc tamen remanet obligatio rei promiſſæ principalis, cum poſſibile adhuc ſit juxta naturam dicti voti illam adimplere. Et colligitur clare *ex l. Celſus 23. ff. de receptis Arbitris*, ubi habetur: Juſſus dare pecuniam certo tempore, duo præcepta habere, unum dandi, et alterum eo certo tempore; ac proinde tranſgreſſorem poſterioris adhuc teneri ad prius: *Hinc qui vovit* ingredi Religionem intra annum, viſitare proximum Sanctuarium intra menſem, confiteri intra hebdomadam etc. elapſo cum, vel ſine culpa illo termino, adhuc remanet obligatus ad votum adimplendum, cum non fuerit determinatum dictum tempus ad finiendam obligationem, ſed ſolum ad præſcribendum terminum, ultra quam non differatur talis obligatio.

Qui vovit aliquid facturum certo tempore v. g. jejunare 59
bis hebdomada ſequenti, licet poſtea prævideat dictum Votum non poſſe ob aliquod impedimentum implere tali determinata hebdomada, non tenetur prævenire, quia obligatio eſt affixa tempori, quod necdum eſt incœptum: Si autem jam incœptum ſit tempus obligationis, nempe dicta hebdomada, et prævideat in fine fore impedimentum ad jejunandum, tenetur prævenire, quia jam eſt in tempore obligationis, ſicut qui die Feſto prævidet circa meridiem fore impedimentum ad audiendum Sacrum, tenetur mane prævenire. Ita Suarez *lib.* 4. *cap.* 10. *n.* 7. Layman *loc. cit. cap.* 3. *n.* 5. Tamburin. *loc. c. cap.* 12. §. 3 *n.* 2. & 3. Felix Poteſt. *tom.* 1. *part.* 2. *n.* 1847. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 444. cum Sanchez, Bonac. & aliis ibi citatis, & alii.

Votum ſine temporis determinatione, aut præfixione 60
emiſſum adimpleri debet cum primum commode poteſt. *Communis* cum S. Thoma 2. 2. *qu.* 88. *art.* 3. *& quæſt. ultim. art.* 3. & deſumitur clare ex *cap.* 23. *Deuteron.* ibi: *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*; *& ex leg. Promiſſor* §. 1. *ff. de conſtituta pecunia*, ibi: *Si ſine die conſtitutus ..... confeſtim agi tecum poterit, ſi ſtatim, ut conſtituiſti, non ſolvas*. Ly autem 61
*Cum primum*, ſeu *ſtatim* non eſt intelligendum phyſice, ſed moraliter, nempe data temporis opportunitate, & occaſione juxta prudentis arbitrium, *arg. cit. l. Promiſſor* §. 1. juncta Gloſſa *ibid. ff. de conſtituta pecunia, l. Ratum, ff. de ſolution. l. Continuus*, §. *Cum ita, ff. de verb. oblig.*

Cauſa ſufficiens differendi adimpletionem Voti ſine certo 62
præfixo tempore facti eſt, ſi adſit ſpes ut Votum poſtea commodius, utilius, & maxime devotius impletur, ſeu ad id concurrat publica neceſſitas, aut utilitas. *Communis*. Hinc qui vovit ingredi Religionem, licite expectare poteſt donec



nec ætate, & viribus Corporis provectior ad Ordinis aſperitates, & labores perferendos ſit aptior, aut donec neceſſariis ſcientiis imbuatur. *Qui vovit* eleemoſynam notabilem dare pauperibus, expectare poteſt tempus majoris neceſſitatis. Qui vovit perigrinationem ad aliquod Sanctuarium, expectare poteſt uſque dum *Feſtum* aliquod incidat, aut opportuna occaſio ſe offerat; & ſic de ſimilibus, in quibus omnibus concurrente publica neceſſitate, aut utilitate licite ipſa, durante differtur Voti adimpletio, *arg. c. Non eſt 5. de voto & voti redemptione*, ibi: *Non eſt voti dicendus tranſgeſſor, qui quod vovit Auctoritate Sedis Apoſtolicæ* (legitima ex cauſa) *diſtulit adimplere*.

63 Habita opportunitate omnimoda adimplendi talia vota ſine certo præfixo tempore facta, ulterius abſque rationabili cauſa ſcienter differre ſemper eſt peccatum. *Communis* per cit. text. *Deuteronom.* 23. ibi: *Et ſi moratus fueris, reputa-*
64 *bitur tibi in peccatum.* Quandonam autem ſit peccatum mortale, vel veniale? incertum eſt apud Doctores, qui tamen ſatis communiter concludunt culpabilem & irrationabilem dilationem adimpletionis votorum perpetuorum, ut ingrediendi Religionem, Sacros Ordines ſuſcipiendi, perpetuo jejunandi &c. citius ad peccatum mortale pertingere, quam dilationem votorum ſolummodo temporalium, ut dandi certam eleemoſynam, peragendi aliquod jejunium, aſſumendi aliquam peregrinationem &c. Et ratio eſt, quia vota temporalia dilatione non minuuntur, ſed quocumque tempore præſtentur, ſemper integre præſtantur, ſemper enim integre præſtatur promiſſa eleemoſyna, promiſſum jejunium, promiſſa peregrinatio. E contra vero vota perpetua dilatione minuuntur, quia cum Vovens vi voti Religionis, Sacrorum ordinum, & jejunii perpetui obligetur Deo ſervire uſque ad mortem in Religione, Sacris Ordinibus, & jejunio, quantum differt Votum, tantum detrahit de tempore ſerviendi, & jejunandi, & conſequenter de Voto.

65 Unde in Votis perpetuis attendenda eſt ætas voventis: Si enim Vovens v. g. Religionem ſit ætatis 15. vel 16. annorum, dilatio ingreſſus ſine rationabli cauſa ad tres, vel quatuor annos, non erit culpa mortalis, ſi abſit periculum deficiendi a voto. Si autem ſit ætatis 25. vel 30. annorum, talis dilatio ad tres vel quatuor annos erit culpa mortalis. Immo ſi excederat annum 40. erit mortalis dilatio ingreſſus ſine rationabili cauſa, & habita omnimoda opportunitate, etiamſi fiat ſolum ultra ſex menſes Tamburin. *lib.* 3. *Decalog. cap.* 12. §. 3. *n.* 10. Sporer *loc. cit. n.* 116. & 117. cum aliis ibi citatis, La Croix *lib.* 3. *part.* 1 *n.* 446. ubi cum Caſtropal. inſuper dicit probabilius univerſaliter fore mortale, ſi ſine cauſa differatur Votum Religionis ad ſex menſes. Et ratio noſtræ concluſionis eſt, quia tres vel quatuor anni ſi demantur a ſervitio totius vitæ ab adoleſcentia uſque ad ſenectutem ſunt parva materia, non ſic autem ſi demantur ab ætate perfecta, & virili, v. g. triginta circiter annorum: Tunc enim tres, vel quatuor anni ſunt materia notabilis, & ſufficiens ad mortale peccatum, uti etiam ſunt ſex menſes in excedente annum quadrageſimum.

66 Votis autem temporalibus, quæ dilatione non minuuntur, dilatio etiam per longa tempora non erit mortalis (a), niſi euſque ſcienter, & ſponte eorum adimpletio differatur, ut prævideatur impedimentum perpetuum illa adimplendi v. g. ſenectus, periculum oblivionis, vel omiſſionis omnimodæ. Tamburin. *loc. cit. n.* 10. cum S. Antonio apud Sanchz *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 14. *num.* 21. Sporer *loco citat. num.* 116. cum aliis ibi citatis, & alii plures. Et ratio eſt, quia nemo, cum dat totum, quod promiſit, & nullum damnum ex mora Creditori, vel promiſſario facit condemnandus eſt de gravi culpa, ſed ſolum de levi negligentia. In prædictis autem votis ut ſupra expreſſis poſt quamcumque dilationem, ſecluſo periculo *oblivionis, aut ommiſſionis*, adhuc Vovens dat totum, quod promiſit, neque ex illa dilatione, ſeu mora ullum damnum facit Deo, cum ſit diſpar ratio de Creditore humano, cui ſemper fere officit dilatio longa debiti, adeoque dilatio adimpletionis votorum temporalium in ſenſu concluſionis non erit culpa gravis, ſed levis. Immo neque eſſet culpa levis, ſi adeſſet rationabilis cauſa ſic differendi.

Qui generatim, & indeterminate Religionem vovit, po- 67
teſt quamlibet minus ſtrictam eligere, & ſi in nulla moderata Religione recipiatur, non tenetur ingredi ſtrictiſſimam v. g. Carthuſianorum, quamvis facile eſſet recipiendus, ſi talis non fuit ſua intentio, ſeu ex circumſtantiis, & qualitate voventis, utpote quia delicatus, & ab aſperitatibus abhorrens, & hujuſmodi colligi poſſit non fuiſſe ejus mentem etiam ad ſimiles ſtrictiſſimas Religiones ſe obligare, *argum. cap. In generali conceſſione 81. de Regular. Juris in 6. & leg. Obligationi generali 6. ff. de pignoribus.* In generali enim conceſſione, promiſſione, & obligatione non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter in ſpecie non fuiſſet conceſſurus, aut promiſſurus, vel ſe ad illa obligaturus. Sanchez *lib.* 4. *moral. c.* 16. *n.* 49. Silveſt. verb. *Religio* 2. *q.* 16. Angelus verb. *Votum* 3. §. 10. Richard. *in 4. diſt.* 38. *art.* 3. *q.* 1. *ad.* 2. Laym. *lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 6. *n.* 1. *verb. Reſolves ſecundo*, Sporer *loc. cit. n.* 175. & alii paſſim.

Item ſi talis Vovens non recipiatur ad Religionem, niſi 68
ut maneat Laicus, ſeu Oblatus, aut Converſus non tenetur ingredi, ſi ipſe non intenderit, aut ex qualitate perſonæ colligi poſſit, utpote quia nobilis, dilicatus, ingenio pollens, ſcientia imbutus, & hujuſmodi. Sanchez *loc. cit. n.* 55. *& ſeq.* Layman. *loc. cit. n.* 1. *verſ. Reſolves tertio*, Sporer *loc. cit. n.* 159. & alii.

Item ſi talis Vovens in ſua Civitate, vel Provincia non 69
recipiatur, non tenetur adire Provincias extraneas cum gravi ſuo incommodo, ſi talis non fuit ſua intentio, aut ex qualitate perſonæ colligi poſſit ſuam intentionem euſque ſe extendiſſe, utpote quia inops, debilis, extraneæ linguæ imperitus &c. & præſertim ſi perſona Vovens ſit femina, cui peregrinari incommodum, & indecorum ſit: In feminis enim Religionem voventibus regulariter eſt intentio ſolummodo ſe obligandi ad Monaſteria vicina, ubi cognatorum, & amicorum facultas, aut aliæ commoditates ſuppetunt. Sporer *loc. cit. n.* 158. Layman *loc. c. n.* 1. *verſ. Ex hoc fundamento*, cum Cajetano, Soto, Aragonio, Navarro, et Sanchez ibi citatis, Felix Poteſtas *tom.* 1. *part.* 2. *n.* 1858. dicens, quod qui vovit Religionem, non tenetur omnes adire, ſi ab una, aut altera reſpuatur, ſed aliquot puta tres, aut quatuor, et tunc ſi reſpuatur, eſt liber a voto, ſicuti etiamſi unam ingreſſus, ejiciatur. Tancred. et Buſemb. apud ipſum.

Item ſi talis Vovens non recipiatur in Religione, ubi vi- 70
geat obſervantia, non tenetur, immo nec licite poteſt ingredi Ordinem, ſeu Monaſterium cujus Regularis diſciplina ita collapſa ſit, ut nec ſubſtantialia quidem vota inibi obſerventur: Imminet enim ipſi potius, quam commoditas converſionis, periculum perverſionis. Cajetan. *in* 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. §. *Sed quid talis*, Sporer *loc. c. n.* 160. Layman *loc. c. n.* 5. cum Navarro, Sanchez, Rodriquez, Valentia, Leſſio ibi citatis, et alii.

Item ſi talis Vovens non recipiatur in Religione Clauſtrali, 71
non tenetur ingredi Religionem Equitum Militarium; Intentio enim Religionem voventis ſolet referri ſolum ad Religionem Clauſtralem, in qua Regularis in communi Fratrum conventu vigeat Obſervantia, quales non ſunt Militarium Equitum Ordines, qui quamvis Regulares ſint, eorum tamen Alumni potius more ſæcularium vivunt, nec Clauſtralem vitam ſervant; Layman *loc. cit. n.* 2. Sanchez *loc. cit. num.* 71.
& alii. Immo talis vovens neque ſatisfaceret Voto ſuo, Or- 72
dinem Equitum Militarium ingrediendo, ſi poſſit ingredi Ordinem Regularem Clauſtralem, ut docet Layman *loc. citat. n.* 2. *verſ. Ex quo* Sanchez *cit. cap.* 16. *num.* 12. & alii, & clare deducitur ex declarationibus Sacrarum Congregationum volentium, quod Regulares habentes Indultum Apoſtolicum tranſeundi ad quamcumque Religionem etiam laxiorem, nequeant tranſire ad Ordinem Militarem, niſi expreſſe concedatur. *Sic Sacra Cong. Epiſcop. & Regular. 7. Novembr.* 1597. apud Pignatell. *tom.* 9. *conſultat.* 170. *n.* 9. *verſ. At his*, ut refert Cardinal. Petra *tom.* 4. *Comment. ad Conſtit.* 8.
Euge-

(a) Nota. Deuter. 23. hæc habetur: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus; & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Vide atque attente conſidera verba iſta: *Si Moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*! Dices ne, moram in ſolvendis Votis culpabilem non eſſe? Si culpabilis mora eſt, ut Scriptura teſtatur, ergo arbitraria dilatio culpæ non erit expers; ergo notabilis mora, ſeu dilatio, ut notabilem negligentiam, ita notabilem culpam præſefert; ergo *dilatio* per longa tempora, ſine cauſa ulla, mortalis erit. Nec levis dici negligentia poteſt, dum homo per longa tempora differat ea Deo dare, quæ liberrime eidem voverat.

*Eugenii IV. n.* 25. ubi inſuper refert *Sac. Cong. Conc. in Mantuana* 30. *Auguſti* 1698. denegaſſe tranſitum etiam ad Religionem S. Spiritus, & *in Cajetana* 24. *Martii* 1703. declaraſſe nullum tranſitum ad Religionem Canonicorum Regularium S. Antonii Viennenſis, & Idem *tom.*5. *Comment.*ad *Conſtit.* 3. *Calliſti III. n.*12. refert *eadem Sac. Cong. Concil. in Biſuntina* 23. *Junii* 1714. cenſuiſſe non eſſe concedendum Indultum tranſitus ad Militares, ſeu ad Hoſpitalarios S. Spiritus in Saxia, vel S. Antonii Viennenſis.

73 Qui determinate vovit certam aliquam Religionem, v. g. determinate Religionem S. P. Franciſci, aut S. P. Dominici, & hujuſmodi, ſi principaliter, & abſolute intendit vovere Religionem, et ſolum ſecundario dictam Religionem S. P. Franciſci, aut S. P. Dominici, non liberatur a Voto, quamvis non recipiatur in dicta ſpeciali Religione, ſed debet ſerio petere, ut ad alium Ordinem admittatur; Si vero principaliter intendit dictam ſpecialem Religionem ob ſpecialem affectum ad illam, ſicque Religionis ingreſſum non abſolute per ſe, et in ſenſu diviſo, ſed omnino copulatim, ſeu in ſenſu compoſito cum dependentia a tali ſpeciali Religione promiſit; tunc ſerio petens, & ſerio ab ea ſpeciali Religione promiſit; tunc ſerio petens, & ſerio ab ea ſpeciali Religione repulſus, liberatur omnino a Voto. Sic S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 3. *ad* 3. S. Antoninus *in* 3. *part. tit.* 16. *cap.* 2. §. 4. Layman. *loc. cit. num.* 3. *verſ. Dico ſecundo* cum Abulenſi, Silveſtro, Cajetano, Soto, Navarro, Azorio, Sanchez, Suarez ibi citatis, Sporer. *loc cit. num.* 191. teſtans
74 de communi. Et ſi a tali ſpeciali Religione ſemel atque iterum ſolum conſtantiæ probandæ cauſa fuerit repulſus, non liberatur a voto, ac ſi poſtea Religioſi, mutata voluntate, parati ſint eum recipere, obligatur voto ad ingrediendum. Sanchez *l. cit. n.*70. Leſſius *lib.*2. *cap.*41. *dub.*5. *n.*45. Sporer. *l. cit. n.*161. Layman *loc. cit. n.* 4. & alii, qui tamen excipiunt, niſi interea notabilis mutatio facta fuerit ſine fraude voventis; ut ſi interim diſciplina ſit collapſa, Monaſterium deſtructum, ſi vovens interim deſperans receptionem bona fide aliam Religionem ingreſſus fuerit, vel ſponſalia inierit.

75 Qui vovit determinate ingredi unam Religionem laxiorem, valide, & licite ingreditur aliam ſtrictiorem. *Communis*,
76 *arg. cap. Licet* 18. *de Regularibus*. E contra autem, qui vovit determinate ingredi Religionem ſtrictiorem, & obſervantem, quamvis valide, non tamen licite poteſt ingredi, & profiteri laxiorem; & ſi ingrediatur, eſt ei ſalutaris, & congrua pœnitentia imponenda. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Qui poſt votum* 5. *de Regularibus in* 6. ibi: *Qui poſt votum a ſe de certa Religione intranda emiſſum, Religionem aliam etiam laxiorem ingreditur, & profitetur in ipſa, poteſt (voto non obſtante priori, cui tamquam ſimplici per ſecundum ſolemne noſcitur derogatum) manere licite in eadem; pro voto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda.*

77 Qui abſolute Religionem vovit, intentionem ſuam non ſatis exprimens, ſed dubius manens an voluerit ſe obligare ſolum ad ingreſſum, & probationem, an vero etiam ad Profeſſionem, præſumendus eſt ſe voluiſſe ſolum obligare ad experiendum, non item ad profitendum abſolute. Sanchez *lib.*4. *Moral. cap.*16. *num.* 86. Suarez *lib.* 4. *de voto cap.* 8. *num.*7. Layman *loc. cit. num.*12. *verſ. Dico* 2. Sporer *loc. cit. num.*163. ubi teſtatur ſic docere communem, & ſecuram ſententiam Doctorum contra Navarr. et Rodriq.; Et ratio eſt; quia vovens ingredi Religionem cenſendus eſt, et interpretandus in dubio voviſſe ingreſſum ſecundum formam Juris communis, quæ eſt, ut ingredientibus detur annus probationis, an ipſis expediat inibi eam profiteri, *cap. Gonſalvus* 17. *quæſt.* 2. *cap. Ad Apoſtolicam* 16. *de Regularibus*, Concil. Tridentin. *ſeſſ.*25. *de Regularibus cap.*15., et expreſſe docet S. Thomas *in* 2. 2. *quæſt. ult. artic.*4. *in corpore ad finem*; Omnis enim diſpoſitio ſimpliciter concepta veſtitur a Jure communi, & ad illius intellectum eſt redigenda, *l.* 2. *Cod. de Noxal. leg. Quæro §. Inter Locatorem ff. Locati, cap. Cauſam quæ, de Reſcriptis, & cap. Quemadmodum, de Jurejurando*. Tum quia votorum obligatio eſt ſtrictæ interpretationis, & benignæ in favorem Voventis: quare ſicuti in dubium utrum aliquis ſimpliciter voverit? cenſendus eſt liber, ita etiam in dubio, utrum aliquis unum ſolum, an vero duo voverit, nempe & ingreſſum, et Profeſſionem, cenſendus eſt liber ab altero, de cujus obligatione dubitat; adeoque &c. Et ſic etiam tenet cum aliis Fagnanus, *lib.*3. *Decretal. in cap. Porrectum* 13. *de Regularibus num.* 68., ubi ex verbis S. Thomæ *l. cit.* ſic expreſſe habet: *Si vero in vovendo ſimpliciter de ingreſſu Religionis cogitavit abſque eo quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingreſſum Religionis ſecundum formam Juris communis, quæ eſt, ut ingredientibus detur annus probationis, unde non tenentur perpetuo in Religione permanere.*

Qui ſic Religionem, ut ſupra, vovit, debet eam ſincero 78
animo ingredi, ac ſe accommodare moribus Religionis cum propoſito perſeverandi, et profitendi ſi eam ubi convenientem expertus fuerit; alias Voto non ſatisfeceret, ſi ingrederetur animo egrediendi, quia eſſet colluſio; Eſt enim hoc diſcrimen inter eum, qui ſine voto, et eum, qui cum Voto Religionem ingreditur, quod ille poteſt ſaltem quoad Eccleſiam ex ſola ratione libertatis exire, per text. *in cap. Cum ſcimus* 14. *de Regularibus*, ibi: *Quia tunc liberum ſibi erit eum dimittere, cap. Statuimus* 23. *eod.* ibi: *Ante Profeſſionem emiſſam ad priorem ſtatum redire poſſe libere infra annum*, & ad ſummum peccat ſolum venialiter ob animi levitatem, & inconſtantiam, ſi ſine rationabili cauſa a Religione diſcedat; Ingrediens autem ex voto tenetur Religionem probare, ac ſi invenerit illius conditiones ſibi gratas, ex vi voti obligatur ad perſeverantiam, nec poſſet ex ſola ratione libertatis ad ſæculum redire, & ſi ſine rationabili cauſa redeat, peccat mortaliter ob voti prævaricationem. Fagnan. *loc. cit. num.*71. Cajetan. *in* 2. 2. *quæſt. ult. art.* 4. *in reſponſ. ad* 3. *dub.* Navarr. *lib.*3. *conſil.*23. *num.*3. *de voto edit.*2. Sanchez *cit. cap.*16. *num.*90. *& ſeq.* Sporer *loc. cit. ſub num.*163.
Layman *loc. cit. num.*12. *verſ. Dico tertio.* Si tamen bona 79
fide ingreſſus ex juſta cauſa egrediatur, ut puta quia Religio ipſi conſentanea non videtur, vel ab ea dimittatur, tali voto omnino liberatur: Satis eſt enim ſemel præſtitiſſe quod promiſit, nempe ingredi, & experiri, an Religio ſibi conveniens ſit, vel ipſe Religioni, cum annus probationis conceſſus, & ſtatutus ſit, tam in favorem Novitii, quam Religionis, ut & ille aſperitates iſtius, & iſta mores illius valeat experiri, textu expreſſo *in cit. cap. ad Apoſtolicam* 16. *de Regularibus*, Sporer *loc. cit. ſub n.*163. Sanchez *loc. cit. numer.*105. *&* 108. Layman *loc. citat. num.*13. *verſ. Porro*, & alii.

Qui vero expreſſe vovit, non ſolum ingredi Religionem, 80
ſed etiam profiteri, ſeu in ea perpetuo manere, ita adſtringitur Voto, ut quamvis ei Religio non uſque adeo conſentanea videatur, exire ſponte nequeat, ſicque licet ex juxta cauſa egrediatur, ſi tamen ſpes ſit iterum receptum iri, tenetur adhuc ex voto iterum in eamdem, ſive in aliam ingredi (ſi Religionem abſolute, & in genere voveat). Et ratio eſt, quia votum abſolute conceptum non extinguitur ob impedimentum temporale, ſed tantum ſuſpenditur, eoque impedimento ceſſante dictum votum denuo obligare incipit, ut patet de eo, qui ob morbum ex Religione dimittitur, is enim poſtquam convaluit, iterum ingredi tenetur, ſi Votum perſeverandi, ſive profitendi addiderat; non item ſi tantum Votum ingrediendi, atque experiendi. Navarr. *in Manual. cap.*12. *num.*46. *& lib.*3. *conſil.*21. *num.*10. *de voto*, Sporer *loc. cit. ſub num.* 163. Layman *loc. cit. num.*13. *verſ. Porro*, & alii.

Qui abſolute, & expreſſe vovit, & Religionem, & Caſti- 81
tatem vovit principaliter, & independenter a Religione, is ſi ad Religionem admiſſus non fuerit, vel ex ea iterum dimiſſus, obligatur adhuc Voto Caſtitatis. Si vero Religionem vovit principaliter, & Caſtitatem ſolum acceſſorie, & dependenter a Religione, is liberatus a Voto Religionis, liberatur etiam a Voto ſimplici Caſtitatis acceſſorio, quia ruente principali, ruit acceſſorium, *arg. cap. Acceſſorium* 42. *de Regul. Juris in* 6. *leg. Nihil dolo* 129. §. *Cum principalis, ff. de Regul. Juris, & l. Cum principalis* 178. *ff. eod.* Navar. *lib.* 3. *conſ.*13. *de voto*; Sa *verb. Votum num.* 29. Sanch. *cap.* 16. *num.*113. Layman. *loc. cit. ſub num.*163. & alii paſſim.

In dubio autem quonam modo talis voverit Caſtitatem, 82
aut ſcilicet dependenter, vel independenter a Religione? Si neque ex verbis Voventis, neque ex circumſtantiis, conjectura capi poſſit poſt ſufficientem diligentiam, tamquam in vero dubio poterit vovens eligere eum ſenſum Voti, ſecundum quem minus obligatur, quique ipſi magis favet, nempe voviſſe caſtitatem ſolum dependenter a Religione, ſicque liberatum a Voto Religionis liberatum etiam eſſe a Voto ſimplici Caſtitatis. Sanchez *loc. cit. num.*114. Suarez *lib.*4. *de Voto cap.* 8. *num.* 6. Layman *loc. cit. num.*14. *verſ. Dubitant*, Sporer *cit. num.*163. *in fine*, & alii paſſim.

Qui poſt dictum votum Religionis ingrediendæ, & profi- 83
tendæ Epiſcopatum ſuſcepit, eſt voti tranſgreſſor, & Epiſcopatum, quatenus ex ſua parte eſt, reſignare debet, *cap. Per tuas* 10. *de voto, & voti redemptione*: ubi propoſito hoc caſu ab Epiſcopo Gratianopolitano, Innocentius III. reſpondit: *Tuæ diſcretioni conſulimus, ut ſi tuam ſanare deſideras conſcientiam, regimen Eccleſiæ reſignes memoratæ, ac reddas Altiſſimo vota tua*: cui Canoni inhærens S. Thomas 2. 2. *quæſt.*185. *art.*3. *ad* 1. ſic expreſſe dicit: *In foro conſcientiæ eſſet ſibi conſulendum, quod omnibus dimiſſis religionem intraret, unde de voto, & voti redemptione cap. Per tuas, conſulitur Epiſcopo Gratianopolitano, qui poſt votum Religionis Epiſcopatum aſſumpſeras, voto non impleto, ut ſi ſuam ſanare deſideraret conſcientiam, regimen Eccleſiæ reſignaret, & redderet Altiſſimo Vota ſua*; & ſic tenent Fagnan. *in cap. Sane* 10. *num.* 68. *de Regularibus*, Layman. *loc. cit. num.* 15. cum Cajetano, Angelo, Miranda, Silveſtro, Tabiena, Sanchez, Azorio, Leſſio ibi citatis, & alii paſſim contra paucos. Intellige tamen niſi Papa diſpenſet.

Adſtrictus voto Religionis, ſi contrahat Matrimonium, mor-
84 tuo conjuge, tenetur Religionem ingredi; Dummodo non ſit inhabilis effectus propter infirmitatem, vel ætatem. *Communis.* Et ratio eſt, quia nuptiæ illicite celebratæ non extinxerunt obligationem voti, nec ullus de ſua malitia commodum reportare debet, *cap. Intelleximus* 7. *de Judiciis*, *leg. Non fraudantur* 134. §. 1. *ff. de Regul. Juris*: Secus autem ſi jam factus eſſet inhabilis, quia impoſſibilium nulla eſt obligatio, *l. Impoſſibilium* 185. *ff. de Regul. Jur. & cap. Nemo poteſt* 6. *de Regul. Jur. in* 6.

Qui eſt aliquo voto ſimplici obſtrictus, ſolvitur omnino ab
85 ejus obligatione per ingreſſum, & Profeſſionem Religionis approbatæ. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Scripturæ* 4. *de voto, & voti redemptione*, ibi: „ Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obſervantiam commutare.

86 In dubio, quando, nec ex intentione Voventis, nec ex forma, & uſu verborum, nec ex natura materiæ, nec ex aliis circumſtantiis aliter colligi poſſit, interpretatio voti eſt ſemper facienda ſtricte in favorem Voventis, ita ut liberum illi ſit utramlibet partem dubii eligere. *Communis*, *argument. cap. Ex parte* 18. *de cenſibus*, *leg. Quidquid adſtringendæ obligationis* 99. *ff. de verbor. obligationibus*, *l. Semper in ſtipulationibus* 34. *ff. de Regul. Juris*, cum ſimilibus.

87 Unde qui vovit rem indeterminatam, ſive in quantitate, numero, & menſura, ut dare eleemoſynam, ſive in qualitate, ut dare vinum, frumentum, panem &c. non decernendo cujus bonitatis, ſive in individuo, ut dare Ovem, Bovem, Equum &c. non determinando quamnam Ovem, quemnam Bovem, aut Equum, ſatisfacit Voto dando in quacunque etiam minori quantitate, qualitate, vel individuo ſtatui ſuo non repugnante. *Communis* per text. *in cit. cap. Ex parte* 18. *de cenſibus*, ubi ſtatuitur, quod in dubio de qua menſura majore ne, aut minore vota edita ſint: „ Volentes ſolvere ad minorem non ſunt „ cogendi, ut ad majorem perſolvant, quoniam cum hujuſ„ modi vota gratuita fuerint ab initio, benignius ſunt a viris „ Eccleſiaſticis exigenda, ne tamquam exactores videantur „ lucris temporalibus inhiare, ubi Gloſſa verb. *Ab initio* dicit: *Ideo pro eis bona ſit interpretatio, ne ipſorum munificentia erga Eccleſias retardetur*. Et ratio eſt, quia ubi agitur de obligatione, ſtricta interpretatio facienda eſt, *leg. Quidquid adſtringendæ obligationis* 99. ff. *de verborum obligationibus*, & in dubiis non ſequimur quod maximum eſt, ſed quod minimum, ut expreſſe dicit Gloſſa *in cit. cap. Ex parte verb. Primo caſu*, per text. *in leg. Nummis* 75. ff. *de Legatis* 111. ibi: „ Nummis indiſtincte legatis hoc receptum eſt, ut exiguiores legati cenſeantur, l. Semper in Stipulationibus 34. ff. de Regul. „ Juris, ibi: *Ad id, quod minimum eſt, redigenda ſumma eſt*.

88 Hinc qui vovit eleemoſynam indeterminate, ſatisfacit dando quamlibet ſtatum ſuum non dedecentem. Qui vovit dare oleum pro lampade accendenda, dubitat autem an oleum Olivæ, vel lini, aut nucis, poteſt dare etiam deterius, ſi hujus uſus ſit in ea Eccleſia. Qui vovit dare Ovem ex ſuo grege, & dubitat, an meliorem, ſeu deteriorem, poteſt dare etiam inferiorem. Qui vovit peregrinationem in dubio de modo, poteſt peregrinationem implere equis. Qui vovit dare unam ex ſuis veſtibus, & dubius eſt, an debeat pretioſiorem, vel minus pretioſam, ſatisfacit dando minus pretioſam, & ſic de ſimilibus. *Sic Doctores communiter*.

89 Attendenda tamen ſemper eſt conſuetudo Regionum, & habitatorum, ut vota juxta ipſam cenſeantur emiſſa, atque ſic ſint adimplenda. *Communis*, per text. *in cit. cap. Ex parte* 18. *de cenſibus*, *cit. leg. Nummis* 75. *de legatis* 111. *cit. l. Semper in ſtipulationibus* 34. ff. *de Regul. Juris*, ibi: „ Si non „ appareat, quid actum eſt, erit conſequens, ut id ſequamur, „ quod in Regione, in qua actum eſt, frequentatur.

Unde qui vovit Eccleſiæ Calicem in dubio interpretatur 90
obbligari dare Calicem argenteum, & non aureum, nec cupreum, vel ſtanneum, *argument. cap. Calix diſt.* 1. *de conſecrat. leg. Titia* 38. §. 2. ff. *de auro, argento, ornamentis, vel veſtimentis, & ſtatuis legatis*. Niſi alicubi præ magna opulentia & auri abundantia vigeat conſuetudo, ut non niſi aurei Calices communiter offerantur, ſeu præ magna penuria, ſeu paupertate vigeat praxis, ut non niſi Calices cuprei, ſed ſtannei adhibeantur. Qui vovit jejunare quotidie per menſem, non tenetur jejunare diebus Dominicis, cum ſic ſervet communis praxis Eccleſiæ, ſicuti etiam ex tali praxi qui vovit jejunare in Vigilia alicujus Sancti, poteſt jejunare die Sabbati, ſi Vigilia incidat in diem Dominicam. Item qui vovit abſolute jejunium, Miſſæ auditionem, Confeſſionem Sacramentalem &c. debet illa exequi eo modo, forma, & integritate, qua eadem exequuntur Fideles, qui occurrit Eccleſiæ præceptum. Item qui vovit audire Sacrum in die verb. grat. Nativitatis, ſeu Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, tenetur audire duas Miſſas; qui vero vovit Miſſam audire quotidie, non tenetur audire niſi unam diebus Feſtis, & Dominicis, quia ſic ordinarie practicatur ab omnibus, & intentio ſic voventium ſolum fuiſſe cenſetur nullum diem tranſire ſine Miſſa. Item licet qui vovit Caſtitatem, dubitat vero an in, vel extra Religionem, an perpetuam, vel temporalem tantum? poſſit eligere temporalem, vel ſæcularem extra Religionem: ſi tamen abſolute dicat: *Voveo Caſtitatem*, intelligi debet de Caſtitate perpetua, & ſic de ſimilibus, ut notant Doctores communiter.

Qui poſt adhibitam moralem diligentiam adhuc abſolute 91
dubitat, an emiſerit verum votum, an vero ſimplex ſolum propoſitum conceperit? Non obligatur voto, cum in tali caſu præſumendum ſit fuiſſe ſolum ſimplex propoſitum. Sic ex communi Sporer *loco cit. numer.* 15. *argument. leg. Semper* 56. ff. *de Regul. Juris*, ibi: *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt*, *leg. Ea quæ* 192. *ff. eodem* ibi: *In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus juſtius, quam tutius*; *leg. Si fuerit* 10. *ff. de rebus dubiis*, ibi: *In ambiguis rebus humaniorem ſententiam ſequi oportet*. Tum quia melior eſt conditio ipſius dubitantis poſſidentis ſuam libertatem, cum in pari cauſa melior ſit conditio poſſidentis, textu expreſſo *cap. In pari* 65. *de Regul. Juris*, *& leg. In pari cauſa* 128. *ff. de Regul. Jur.* & concordant *cap. Ad aures* 6. *de Præſcriptionibus*, *cap. Quod autem* 5. *de Jurepatronat. l. Nemo* 126. §. 2. *ff. de Regul. Juris*, cum ſimilibus.

Qui autem certus eſt ſe emiſiſſe votum, aut deliberate pro- 92
tuliſſe verba verum votum, ſeu veram promiſſionem ſignificantia, verb. grat. *Promitto Deo, & Beatæ Mariæ Virgini ſervare Caſtitatem*, & adhibita morali diligentia, dubitat, an habuerit intentionem, ſeu voluntatem ſufficientem ſe obligandi, obligatur voto: Tunc enim melior eſt conditio voti poſſidentis ſuam vim obligandi per Jura *num. anteced.* allegata, quia cum quis deliberate profert verba ſignificantia votum, ſeu veram promiſſionem, ſemper præſumitur habere voluntatem promittendi & ſe obligandi, niſi aliunde conſtet de oppoſito, cum nemo cenſeatur dicere quod non habet in mente, *leg. Labeo* 7. §. 2. ff. *de ſupellectili legata*, ibi: *Nemo exiſtimandus eſt dixiſſe, quod non mente agitaverit*, Sanchez *lib.* 1. *de Matrimon. diſput.* 9. *a num.* 13. *& lib.* 4. *moral. cap.* 1. *num.* 13. cum pluribus ibi citatis, Sanig. *diſt.* 4. *de Relig. q.* 2. *num.* 6. Sporer *loco cit. numer.* 16. Reiffenſtuel *Theolog. Moral. tract.* 6. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. *a num.* 17. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 381. cum Gobat, Ovied. ibi citatis, & alii.

Cum quis dubitat, an quando vovit, habuerit plenum uſum 93
rationis, ſi vovit ante ſeptennium, præſumendum eſt non habuiſſe dictum plenum rationis uſum, ſicque voto non obligari, niſi in aliquo certe conſtaret malitiam, ſeu cognitionem prævenisse, ſeu ſuppleviſſe ætatem, quia in tali non præſumitur ordinarie uſus rationis, & profeſſio ſtat pro libertate: Si autem vovit poſt ſeptennium, præſumendum eſt habuiſſe plenum uſum rationis; ſicque voto obligari, cum in tali præſumatur ordinarie dict. plenus uſus rationis, niſi in aliquo certe conſtet de oppoſito. *Communis*.

Si vero dubitet an ante, vel poſt ſeptennium, ſeu ante, vel 94
poſt ſufficientem uſum rationis, & deliberationis voverit? Tunc

Tunc probabilius præſumendum eſt voviſſe poſt ſeptennium, ſeu poſt ſufficientem uſum rationis, ſicque voto teneri. Et ratio eſt, quia tunc de voto conſtat, & excuſatio eſt dubia. *In cap.* autem *Si quis, de Poenit. diſt.* 7. expreſſe dicitur: *Tene certum, dimitte incertum*, & concordat *cap. Juvenis 3. de Sponſalibus, & cap. Ad audientiam* 12. *de homicidio*. Tum quia ante ſeptennium, ſeu ante ſufficientem uſum rationis, & deliberationis rariſſime emittuntur vota, ſeu juramenta, adeoque in tali dubio ex communiter contingentibus præſumendum eſt in favorem voti, nempe eſſe emiſſum poſt ſeptennium, ſeu ſufficientem uſum rationis, & ideo eſſe validum, & obligatorium. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 1. *num.* 14. Henno *tom.* 1. *in Decalog. diſput.* 2. *quæſt.* 3. *de voto art.* 1. *verſ. Dixi tertio reſolut.* 1. Diana *part.* 4. *tract.* 3. *reſolut.* 10. cum aliis ibi citatis, Sporer *loco citat. num.* 24. teſtans hanc eſſe omnino probabilem, quamvis ipſe cum Caſtropalao, & Tamburin. teneat probabiliter oppoſitum, quod non improbabile putat La Croix *loco cit. n.* 387. cum dicto Caſtropalao, & Oviedo.

95 Qui dubitat, an voverit cum ſufficienti deliberatione, eo quod votum emiſerit tempore ſubitæ paſſionis, iræ, terroris, ebrietatis, phrænesis, amentiæ, ſemidormitionis &c. præſumendus eſt probabilius voviſſe cum deliberatione ſufficienti, adeoque obligari voto, niſi tales conjecturæ occurrant in contrarium, ut prudenter credat non ſatis conſideraſſe neceſſaria ad obligationem contrahendam. Sanchez *loco cit.* Gobat *tom.* 3. *cauſ.* 6. *num.* 170. Suarez *l.* 4. *de voto cap.* 5. Ovied. 3. 2. *tom.* 5. *controv. num.* 172. Sporer *loco citat. ſub num.* 24. La Croix *loco citat. numer.* 388. & alii. Et ratio eſt, quia etiam hic conſtat de voto, & dubitatur de excuſatione; Tum quia qualitas, quæ naturaliter ineſt, ſemper ineſſe ſupponitur; niſi clare conſtet de oppoſito, atqui uſus rationis naturaliter ineſt homini, ergo in ſuis actionibus ſemper ineſſe præſumi debet, niſi aliunde certo conſtet de oppoſito. Contraria tamen opinio non improbabiliter defenditur a Caſtropalao *tom.* 1. *tract.* 1. *d.* 3. *quæſt.* 11. cum aliis ibi citatis, & probabilem cenſet etiam Sporer *l. c.*

96 Votum emiſſum ex metu, ſive ab intrinſeco, ut in periculo mortis ex infirmitate, naufragio, peſte &c. ſive ab extrinſeco incuſſo ab homine, ut ab hoſte, latrone, & hujuſmodi, dummodo rationem non perturbet, & non ſit talis metus ab extrinſeco incuſſus ad ipſum votum injuſte extorquendum, cenſendum eſt validum, ac obligatorium. *Communis*. Et ratio eſt, quia tale votum eſt adhuc implicite voluntarium, & deliberatum; Votum autem voluntarium, & deliberatum ſine dubio eſt validum.

97 Votum autem emiſſum ex metu injuſte incuſſo ad ipſum votum extorquendum eſt cenſendum omnino invalidum, & non obligatorium, non ſolum de Jure poſitivo Canonico, ut patet expreſſe *in cap. Perlatum* 1. *& aliis ſequent. De his, quæ vi, metuſve cauſa fiunt*, ſed etiam de Jure naturali, quia, ut ait Sanctus Bonaventura *in* 3. *diſt.* 39. *art.* 3. *quæſt.* 2. *Deus vult Sacrificia voluntaria, non coacta*: Deus enim tale votum non acceptat, ne det vim injuſtæ coactioni. *Communis*.

98 Nullum, & irritum eſt votum emiſſum ex ignorantia, & errore, ſi fuerit circa ſubſtantiam rei promiſſæ, ut ſi quis voveat ſe ingreſſurum certum Monaſterium putans eſſe Sancti P. Franciſci, cum ſit S. P. Dominici, voveat dare Eccleſiæ certum aliquem ſuum Calicem putans eſſe argenteum, cum ſit aureus, & hujuſmodi: Item ſi fuerit circa conditionem ſubſtantialem, ut ſi quis voveat peregrinationem Lauretanam erronee putans diſtare ſolum 40. milliaribus, cum tamen deeſt biſcentum; ſi voveat peregrinationem in Terram Sanctam, putans poſſe fieri itinere pedeſtri per terram, cum tamen Mare ſit transfretandum, & hujuſmodi. Item ſi fuerit circa cauſam finalem, ſeu motivum formale vovendi; ut ſi quis voveat eleemoſynam dare peſte laborantibus in hac Civitate, cum tamen hic nullus peſte laboret; ſi voveat alere hunc pauperem erronee putans eſſe ſuum conſanguineum, cum tamen non ſit &c. in quibus deficit finis principalis a vovente intentus. *Sic in re Communis Doctorum*. Et ratio nullitatis talium votorum eſt, quia incogniti nulla eſt voluntas, cum voluntas non feratur in incognitum, ex Ariſtot. 3. *de Anima Commentar.* 39. & ignorantis, ac errantis nullus ſit conſenſus; *l. Non idcirco* 9. *Cod. de Jur. & facti ignorant.* nihilque ſit tam contrarium conſenſui, quam error, *leg. Si per errorem* 15. *ff. de Juriſdict. omnium Judic.*

99 Qui vovit certam, & determinatam rem verb. grat. hunc equum, ſi talis determinatus equus ſine culpa voventis pereat, non tenetur ad alium equum, ſeu aliam rem, quia id non ſolet intendi, & talis res facta eſt impoſſibilis. Impoſſibilium autem nulla eſt obligatio, *leg. Impoſſibilium* 185. *ff. de Regul. Juris, & leg. Nemo poteſt* 6. *de Regul. Jur. in* 6. Si autem talem rem vendiderit, tenetur dare pretium receptum, quia eadem res manet virtualiter; & qui vovet rem, cenſetur promittere omnem ejus utilitatem. *Communis*.

100 Qui ſcit ſe voviſſe jejunium verb. grat. pro die Mercurii, & dubitat, an habuerit intentionem ſupplendi alia die, ſi iſta negligeret, non tenetur ſupplere alia die, quia in dubiis quod minimum eſt, eligi debet; *leg. Nummis* 75. *ff. de Legatis* 111. *leg. Semper in ſtipulationibus* 34. *ff. de Regul. Jur. cap. Ex parte* 18. *de Cenſibus*, juncta Gloſſa communiter recepta *ibidem verb. Primo caſu*.

101 Qui ſcit ſe votum emiſiſſe, & dubitat, an impleverit, tenetur adimplere, quia obligationi certæ non ſatisfit per ſolutionem dubiam; Tum quia votum poſſidet, & melior eſt conditio poſſidentis, *cap. Ad aures* 6. *de Præſcriptionibus, cap. Quod autem* 5. *de Jurepatronat. cap. In pari* 65. *de regul. Juris in* 6. *leg. Nemo* 126. *ff. de Regul. Jur. l. In pari cauſa* 128. *ff. eodem*; Et ſic *Doctores communiter*.

102 Qui vovit abſolute non ludere, niſi cogitando, an de luſu tantum immoderato, & periculoſo intelligeret? an etiam de moderato? non tenetur abſtinere a luſu moderato, quia voluntas in dubio interpretari debet in favorem voventis, *argument. leg. Semper in dubiis* 56. *ff. de Regul. Juris, leg. Ea quæ* 192. *ff. de eod. leg. Si fuerit* 10. *ff. de rebus dubiis*, & dubitans an plus, vel minus, tenetur tantum ad minus, *cap. Ex parte* 18. *de Cenſibus*, juncta Gloſſa communiter recepta *ibidem verb. Primo caſu, l. Nummis* 75. *ff. de Legatis* 111. *leg. Semper in Stipulationibus* 34. *ff. de Regul. Jur.*

103 Qui vovit abſolute non ludere intelligendo etiam luſum moderatum, tenetur abſtinere etiam ab iſto: Obligatio enim voti potiſſimum pendet ab intentione voventis; unde ſi voventis intentio fuit de ſe abſtinendo etiam a ludo moderato, debet etiam ab iſto omnino ſe abſtinere. S. Thomas 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. Tamburin. *lib.* 3. *cap.* 3. §. 5. *num.* 58. Caſtrop. *tract.* 14. *d.* 2. *p.* 7. §. 1. *num.* 3. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *numer.* 453. cum Sanchez, & Bonacina ibi citatis, & alii paſſim.

104 4 Qui vovit non ludere intendens redimere jacturam temporis, tenetur abſtinere etiam a luſu moderato, & etiam a luſu pro alio, quia etiam in tali ludo jactatur, & amittitur tempus. Tamburin. *loc. citat. a numer.* 59. La Croix *loc. citat. nu.* 454. Caſtropal. *loc. citat.* addentes, quod ſic vovens poſſet per alium ludere, licet aſpiciendo perderet tempus, (a) quia tempus non perderet ludendo, ut fuit ejus votum, *arg. citatis Juribus ſupra n.* 102.

105 Qui vovit non ludere ad evitandas rixas & blaſphemias, tenetur abſtinere ab illis ludis, in quibus ex experientia ſibi eſt ſibi periculum rixandi, aut blaſphemandi uti ordinarie accidit in ludis nomine proprio, & cum jactura propriæ pecuniæ fieri ſolitis; Quia vero id non ſolet accidere in ludis, qui fiunt nomine alieno, aut per alium, hinc poterit talis vovens licite ludere nomine alieno, aut per alium. Immo ei licebit ludere per alium, etiamſi dicta incommoda timeantur, quia re ipſa in tali caſu ipſe non ludit. Et ſic etiam licebit ei facere ſponſiones de hoc, vel illo lucraturo, cum id non ſit proprie ludere; Sanchez *lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 8. Diana *part.* 7. *tract.* 9. *reſolut.* 58. Bonacin. *de jurament. quæſt.* 1. *punct.* 16. *numer.* 5. La Croix *loc. cit. num.* 454. & alii.

106 Qui vovit non ludere, ut vitet jacturam ſuæ pecuniæ, interpretandus eſt, quod excluſerit ſolum luſum immoderatum, & eum, quo luderet pro ſe. Unde hic poterit ludere moderate pro ſe & per ſe ob animi recreationem, & pro alio, ſeu loco alterius, etiamſi ſubſit periculum jacturæ pecuniæ alterius, quia ludendo moderate, aut pro alio non incurrit illud periculum jactandi, & perdendi ſuam pecuniam, quod fuit unicus finis ſui voti. Immo poterit etiam ludere per alium, tradita ei pecunia, ut nomine ſui, nedum abſentis, ſed & præſentis, videntis, & lætantis ludat, quia licet in hoc caſu inveniatur finis, ob quem vovit, nempe ut vitet jacturam ſuæ pecuniæ, tamen res proprie non comprehenditur ſub materia promiſſa, cum vere, & proprie non ludat is, pro quo alius ludit (a). Vota enim in dubio interpretanda ſunt in favorem voventis, & in mitiorem partem per Jura adducta *ſupra numer.* 102. Sic tenent Sanchez *l. cit. num.* 7. Diana *loc. citat. reſolut.* 57. Bonac. *loc. citat. num.* 5. Caſtropal. *n.* 5. La Croix *l. c. n.* 454. Gobat *tom.* 3. *caſu* 17. *n.* 526. & alii. (b)

107 Quale autem peccatum ſit? mortale, an veniale ludere poſt votum non ludendi? Colligi poteſt univerſaliter loquendo ex conſideratione finis, ob quem emiſſum fuit votum: Unde qui vovit non ludere ad evitandam jacturam propriæ pecuniæ, non peccat graviter, niſi notabilem ſummam exponat periculo jacturæ, & ſi pro alio ludat, nec venialiter peccat, etiamſi multum perdat, quia finis ſui voti fuit ad evitandam jacturam pecuniæ propriæ, & non alienæ. Item qui vovit non ludere, ut redimat tempus, ſi non conſumat in ludo tempus verb. grat. pluſquam duas horas, non erit grave peccatum. Item qui vovit non ludere, ut evitet rixas, non peccat graviter, ſi ludat cum aliquo notorie pacifico, & ſic de ſimilibus. Ita Sanchez *loc. cit. num.* 7. Tamburin. *loc. citat. numer.* 60. Gobat *loc. citat. num.* 526. La Croix *loc. cit. num.* 454. Fagundez, Caſtropal. apud ipſum, & alii paſſim.

108 Qui vovit non ludere certo genere ludi, certo tempore in certo loco, *cum certa perſona, quia credebat certo ſe eſſe* amiſſurum in tali tempore, tali loco, cum tali perſona &c. non tenetur ſervare illud votum, quia cum id ſit ſuperſtitioſum, non poteſt eſſe materia voti, quæ voti materia debet eſſe res moraliter bona ex dictis *ſupra a numer.* 23. Et a fortiori non tenetur ſervare votum factum de non ludendo cum certa perſona in vindictam, vel ſignum malæ voluntatis, cum votum non debeat eſſe vinculum iniquitatis; *argument. cap. Quanto* 18. *de Jurejurando, cap. Inter cetera* 22. *cauſ.* 22. *quæſt.* 4. Sanchez *loc. citat. numer.* 9. Caſtropal. *loc. citat. num.* 7. Bonac. *loc. citat. punct.* 4. *numer.* 2. La Croix *loc. citat. nu.* 457. cum Navarr. & Soto ibi citatis, & alii, Excipe tamen niſi nollet ludere cum tali perſona, ex quo nimis rixoſa, fraudulenta, aut ſe ipſo in ludo peritiore, aut in tali ludo non eſſet ipſe expertus, aut nollet ludere in tali loco, vel tempore, utpote Deo, aut Sanctis ſpecialiter dicato, uti ſunt loca Sacra, Tempora Feſtiva, & hujuſmodi.

109 Qui vovit non bibere vinum ad evitandam ebrietatem, non tenetur abſtinere a Cereviſia, aut aliis potibus inebriantibus. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 11. *numer.* 44. La Croix *loc. cit. num.* 460. teſtans de communi contra paucos (c). Et ratio eſt, quia licet in tali caſu inveniatur finis, ob quem vovit, nempe ut evitet ebrietatem, tamen res proprie non comprehenditur ſub materia promiſſa, cum vere, & proprie cereviſia, & alia hujuſmodi non ſint vinum. Unde in re odioſa non debet fieri extenſio ad illa, *argument. cap. Odia* 15. *de Regul. Juris in* 6. Tum quia vota in dubio interpretanda ſunt in favorem voventis, & in mitiorem partem, per Jur. adduct. *ſupra n.* 102.

110 Qui vovit non bibere vinum ſolum, ut evitet ebrietatem, non peccat ſaltem graviter, ſi parum bibat; Immo graviter non peccat, etiamſi multum bibat, ſi certus ſit hic, & nunc non adeſſe ebrietatis periculum. La Croix *loc. citat. numer.* 403. & alii paſſim. Et ratio eſt, quia finis voti, ut ſupponitur, fuit ſolum ad evitandam ebrietatem: ergo quoties vovens certus eſt non adeſſe in tali potu periculum ebrietatis, non violat ſaltem in gravi ſuum votum.

111 Qui vovit non bibere per integrum menſem, tenetur toto menſe ſe abſtinere a vino; Unde peccat toties, quoties vinum bibit, cum tale votum ſit negativum obligans ad inſtar præcepti negativi ſemper & pro ſemper. *Communis*.

112 Qui vovit nunquam bibere vinum, poteſt in Miſſa ſumere utramque ablutionem. Azorius *lib.* 11. *cap.* 20. Paſqualig. *in Praxi jejun. deciſ.* 235. Gobat *in Quinario, tract.* 5. *cap.* 4. *numer.* 10. La Croix *loc. citat. num.* 451. & alii paſſim. Immo ſi ſit Laicus poteſt ſumere vini ablutionem poſt Communionem, maxime ſi abhorreat ab ablutione aquæ. Et ratio eſt, quia talis interpretatur intentio voventis, cum dictæ ablutiones non veniant nomine potus vini, quem vovens cenſetur ſibi velle per ſuum votum interdicere. Sic citati Doctores.

113 Alia ad rem. Vide verb. *Conjuges a num.* 3. verb. *Debitum conjugale a num.* 56. verb. *Impedimenta Matrimonii art.* 1. *a n.* 23.

114 Ad complementum additur, quod B.V.M. non obſtante voto Caſtitatis prius emiſſo, valide, & licite verum Matrimonium contraxit cum S. Joſeph. Sic S. Auguſtinus, S. Bonaventura, Scotus, & alii communiter. Et quod validum, & verum Matrimonium contractum fuerit inter B. V. Mariam, & S. Joſeph habetur expreſſe ex Sacra Scriptura, quæ ſexies, nempe *Matthæi Cap.* 1. *num.* 16. *num.* 18. *num.* 19. *numer.* 20. *n.* 24. *& Luc. Cap.* 1. *n.* 27. vocat Mariam conjugem, & Joſeph virum ejus: Hinc S. Auguſtinus *lib.* 23. *contra Fauſtum cap.* 8. dicit fuiſſe inter ipſos verum conjugium *non concubitu, ſed affectu, non commixtione corporum, ſed Copulatione (quod charius eſt) animorum*. S. Thomas *p.* 3. *q.* 29. *art.* 2. expreſſe ait, *omnino verum fuiſſe Matrimonium Virginis Matris Dei, & Joſeph*. Scotus *in* 4. *diſt.* 30. *q.* 2. id fuſe probat, ac quomodo fieri potuit cum voto virginitatis, tribus claris demonſtrat exemplis, uti & faciunt S. Bonaventura, aliique Sancti Patres, et Doctores paſſim, ac noviſſime Card. Proſper de Lambertinis, deinde Benedictus XIV. fel. record. in ſuo admirabili, ſemperque commendabili Opere *de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione libr.* 3. *Cap.* 24. *num.* 57.

115 Et quod, non obſtante voto caſtitatis, etiam licite contraxerit Matrimonium, retento adhuc in ſe propoſito caſtitatis ſervandæ, oſtenditur ex divina revelatione ei facta, quod Joſeph nunquam ab ea eſſet conjugale debitum petiturus; San-



---

(a) Nota. Hanc propoſitionem ita P. Daniel Concina perſtringit *tom.* 3. *primæ edit. pag.* 171. *Falſum eſt inſuper, quod inquit La Croix, voventem non ludere, dum per alium ludit. Quia qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur. Nec minus falſum eſt quod poſtea ſubdunt, nempe dum voviſti non ludere, ne tempus teras, te poſſe per alium ludere, licet aſpiciendo tempus teras. Audiſtin'? Licet tempus perdas ludendo aliena manu, votum non fregiſti; ſi autem propria manu ludis, votum fregiſti. Perac ita, & mirifica Theologia manifeſtam Laxitatem non valet longius improbare*. Ita Concina; nec a vero alienam doctrinam tradit, ut conſideranti facile patebit.

(a) Nota. Atque hinc vide, num conſiſtere poſſint, quæ numeris 105. & 106. exponuntur; Nam ſi per ſeipſum ludere cenſetur, qui per alium ludit, ergo qui voverit non ludere, ſive ob evitandas rixas, & blaſphemias, ſive ne pecuniæ jacturam patiatur, ſive ob alium finem, a ludo abſtinere debebit etiam aliena manu faciendo. Verbo dicam: Si generatim homo voverit ſe non amplius luſurum, vi voti ob omni ſive moderato, ſive immoderato ludo abſtinere debebit, & nec per ſe, nec per alium ludere licite poterit, niſi emittendo votum ſecum ipſe declaraverit, vovere tantum voluiſſe, abſtinere a ludo immoderato, vel a ludo per ſeipſum faciendo. Nam ſi vovendo nil ipſe diſtinxit, ſed generatim promiſit, nec diſquirere nos debemus; ſed integram in ipſo a ludo abſtinentiam agnoſcere, & profiteri tenebimur.

(b) Nonne locum hic habet illud: Qui per alium facit per ſe facere videtur?

(c) Nota. Non eſt negandum, finem voti ſub votum non cadere, ut univerſim Theologi tradunt. Ergo vi voti de abſtinendo a vino ob ebrietatem, non tenetur homo abſtinere a cereviſia, aliiſque inebriantibus liquoribus, qui non ſint ex uvis expreſſi, ſed a vino aduſto, ſeu a ſpiritu vini abſtinere debebit, cum hoc vinum revera ſit, imo vegetior ac potior pars vini; Neque enim deſinit eſſe vinum, quia fortius, & aduſtum. Et ſi dubitandi ratio eſſet, interpretatio non in favorem libertatis, ſed in favorem voti facienda foret; cum in dubiis pars tutior ſit eligenda. Si voti finis ſub votum non cadit; ergo vovens non bibere vinum ebrietatis cauſa tenetur omnino abſtinere a vino, etiamſi prudenter ebrietatis periculum non metuat: Nam abſtinentiam a vino Deo vovit, etſi voventis finis declinatio fuerit ebrietatis. Vinum ergo bibens votum infringit. Dum vero, is qui voveat ſe non amplius biturum vinum, ſecum ipſe conſtituat, polliceri tantum abſtinentiam ab immoderato uſu vini, vel a bibendo vino in iis tantum circumſtantiis, in quibus antea inebriatus fuerit, tunc abſtinentia ex ipſa voventis voluntate limitanda erit.

Sanctus enim Thomas *in 4. diſt.30. q.2. art. 1. quæſtiun.2. ad 2.* expreſſe dicit : ,, Beata Virgo, antequam contraheret cum ,, S. Joſeph, fuit certificata Divinitus, quod Joſeph in ſimi- ,, li propoſito erat ſervandæ Virginitatis, et ideo non ſe com- ,, miſit periculo nubens. *S. Auguſtinus* lib. de Sancta Virgini- ,, tate cap.4. *ſic habet:* Sed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc ,, recuſabant, deſponſata eſt viro juſto non violenter ablatu- ,, ro, ſed potius contra violentos cuſtodituro quod illa jam ,, voverat. *Scotus* in 4. diſt.30. qu. 2. Litt. B. *ſic concludit:* ,, Ergo ubi eſt certitudo ſimpliciter, quod nunquam ponetur ,, in effectu (*petitio ſcilicet debiti conjugalis*) ibi in nullo præ- ,, judicat voto caſtitatis contractus Matrimonii, ſed hic fuit ,, talis certificatio; ex quo enim habemus Matth. 1. quod An- ,, gelus inſtruxit Joſeph; Noli temere accipere Mariam con- ,, jugem tuam; multo magis, immo indubitanter concludi- ,, tur quod ipſa per Angelum, vel immediate a Deo ante- ,, quam deſponſaretur Joſeph, fuit certitudinaliter edocta: ,, Noli timere accipere Joſeph virum juſtum in conjugem; ,, ecce enim Spiritus Sanctus dabit eum tibi cuſtodem, & te- ,, ſtem virginitatis, qui tecum pari voto contineat, & in ,, multis tibi ad virginitatis cuſtodiam congruentibus obſe- ,, quatur.

116 Nec valet objicere Canon. *Voventibus* 2. *cauſ.*17. *q.*1. ubi ſic expreſſe habetur: *Voventibus virginitatem, non ſolum nubere, ſed etiam velle, damnabile eſt.* Non valet, inquam quia ut recte explicat meus Subtiliſſimus Doctor *l. c. in reſponſ. ad.*1. dictus Canon intelligi debet de volentibus nubere ſecundum communem Legem, non autem de illis quibus conſtat certitudinaliter, quod nunquam uſus ſequens talem actum petetur, uti ex præallatis Sanctis Patribus, & aliis erat divinitus certiorata B.V. Maria, quod ſine complexu viri, & integre ſervato ſuæ virginitatis voto, Spiritu Sancto occultiſſime, ac caſtiſſime erat fæcundanda, & ingravidanda, juxta illud *Luc. cap.*1. *num.* 35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Quod, & jam præfiguratum fuerat apud Ezechielem *cap.* 44. *nu.*2. ibi: *Porta hæc clauſa erit, vir non tranſibit per eam quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam.*

117 Hic ad rem afferre lubet celebrem cauſam multis jam ab annis in Sacror. Rit. Congregatione pendentem noſtri V. Fratris Sebaſtiani ab Apparitio, vulgo nuncupati *Pyrauſtæ*. Hic velut alter Job, vir erat eximiæ virtutis, ſimplex, rectus, ac timens Deum, & recedens a malo, *Job. cap.*1. *numer.*1. Concepti propoſiti ſervandæ virginitatis adeo ſollicitus, ut jam tertio per mulieres ſibi a Diabolo paratas, vehementiſſimas inſidias, in ipſo juventutis flore eluſerit, ac inſuper de ipſomet Dæmone in feminea ſpecie ſibi apparente, gratia Dei viriliter triumphaverit, & oblatas ſibi conſpicuas nuptias modeſte, ac caſte rejecerit. Factus poſtmodum pene ſexagenarius, prudenter illud *Genes. cap.*2. *n.*18. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*, mente revolvens, ſociam ſibi quærere cogitavit, talem quidem, uti dictitabat, cum qua vivere liceret in caſto, & virginali connubio adinſtar S. Patriarchæ Joſeph cum caſtiſſima, & undequaque Sanctiſſima ſua ſponſa V. M.

118 *Ejus piis votis* Deo annuente, caſtiſſimam filiam, qualem ipſe cupiebat, dote pauperem, ſed caſtimonia, aliiſque virtutibus divitem, ſibi ab ipſius honeſto patre in conjugem oblatam, unice tantum ut ei in ſpiritualibus, ac temporalibus indigentiis præſidio adeſſet, eamque a mundi periculis, atque virginitatis jactura ob pauperiem eriperet. Divinam hanc fore voluntatem firme credens, atque id ſingulare pietatis, ac caritatis opus eſſe advertens, puellam in ſponſam accepit; qua intra annum deceſſa, aliam non inferioris caſtimoniæ & virtutis tenellam puellam ob ſimiles caritativos fines ſibi deſpondit, quæ intra octo menſes & ipſa deceſſit ſua cum ipſis ſemper pro voto inviolata caſtitate ſervata. Poſtmodum ſecretiori Dei conſilio adhuc ad perfectiorem ſtatum vocatus ad Habitum, & Profeſſionem meæ Seraphicæ Religionis jam ſeptuagenarius fuit admiſſus die Sancto Antonio de Padua ſacra, ac ex Obedientia in Conventu Angelorum, quaſi alter Angelus præ ſua Angelica innocentia, & caſtitate locatus, juxta illud *Matth. cap.*22. *num.*30. *Erunt ſicut Angeli Dei*; Et illud *Marci* 12. *num.*25. *Sunt ſicut Angeli in Cœlis*, in eo, ac aliis ſpatio 26. annorum ſanctiſſime vixit, atque tandem in Domino obdormivit eximiis virtutibus, & inſignibus miraculis in vita, & in morte, ac poſt mortem adhuc in dies clariſſimus, ut ex ejus Legenda ad diem 25. Februarii, & Proceſſibus pro ſua Beatificatione confectis.

Introducta de more in Sacr. Rit. Congr. ejus cauſa, exquiſitoque Promotoris Fidei voto ſuper debito conjugali, neutri ex iis ab ipſo reddito, proſper Bottinius Archiepiſcopus Myrenſis; & Proſper de Lambertinis in dicto munere ejus ſucceſſor, poſtea Summus Pontifex Benedictus XIV. illum peccaſſe dixerunt; Non quia laudabilia quodammodo, & heroica dici non debeant Matrimonia, in quibus mutuo accedente conjugum conſenſu, nulla fit ejus conſummatio; ſed quia de conſenſu tam primæ, quam ſecundæ uxoris non conſtabat; & querimoniæ non defuerunt conſanguineorum prædictarum feminarum, quod eis debitum non redderetur, ex quibus inferebatur prædicti conſenſus defectus; Multa fuerunt a doctiſſimis Poſtulatoribus allata, ut difficultati ſatisfieret: Suffragia quoque Academiarum, ſeu Univerſitatum Theologicarum, Pariſienſis, Salmanticenſis, & Patavinæ requiſita, & Romæ edita *anno* 1722. fuerunt omnino concordia in aſſerendo Matrimonia non modo valida fuiſſe, ſed commendatione digna; nec præmiſſum ſervandæ virginitatis propoſitum ſubſtantiæ Matrimonii obfuiſſe, cum ex Sanctorum Patrum, Sacrorumque Canonum Doctrina pro certo habeatur ſimplex ſervandæ virginitatis propoſitum dictæ Matrimonii ſubſtantiæ nihil officere; S. Auguſtinus *lib.*1. *de nuptiis, & concupiſcentia cap.*11. S. Thom. *in* 4. *diſt.* 30. *q.*2. *art.*1. Scotus *in* 4. *diſt.*30. *q.*2. Alexander III. *in c. Commiſſum* 16. *de Sponsal. & Matrim.* Mulierum quoque conſenſum implicitum, aut explicitum non defuiſſe, & querimonias a conſanguineis excitatas fuiſſe, non quia dictæ uxores unquam de redditione debiti cogitaverint, ſed quia ipſi pinguem ſervi Dei hæreditatem ad filios ex ſuis conſanguineis naſcituros deferri ardenter exoptabant, ut ex Scripturis Poſtulatorum, & Theologorum ſuffragiis clare habetur, & refert ſuo more eruditiſſime d. Card. de Lambertinis dein Summus Pontifex Benedictus XIV. *l.c. n.*57. ubi rectiſſime concludit, quod in hac cauſa judicium Sacræ Congregationis ſit expectandum, ex particularibus facti circumſtantiis potiſſimum deſumendum. 119

Quod Deo favente, ipſoque Venerabili ejus ſervo, tot novis ſemper in dies coruſcante prodigiis, intercedente, favorabile tandem ſperatur, ac in claris ponetur heroica ipſius virtus, ob quam tales puellas, de quarum caſtimonia, & continentia per multa dubitare non poterat, ſibi caſte deſponderat; Non deficientibus etiam aliorum exemplis, qui non abſimili ſervandæ virginitatis propoſito obſtricti, ob juſtos fines Matrimonium contraxerunt, & caſtitatem illibatam in conjugio coluerunt, ut de S. Pulcheria Imperatrice cum Marciano ob id ad Imperium evecto, de S. Cæcilia cum Valeriano, de Diva noſtra Delphina cum S. noſtro Elzeario Ariani Comite, de Sanctis Juliano, & Baſiliſſa, aliiſque pluribus, qui virginea connubia contraxerunt, atque caſtiſſime ſervaverunt, de quibus apud Scacchum *de notis, & ſignis Sanctitatis ſect.*6. *pag.*476. *& ſeqq.*, Card. de Lambertinis *l.c. n.*57. Card. Baron. *in Annalibus ad annum* 450. Nicephorum *lib.*4. *hiſtor. cap.*5?. paſſim; Sicque animadverſiones ratione Officii a Fidei Promotoribus, & aliis adverſus Heroicitatem virtutis noſtri Venerabilis ſervi Dei propoſitæ, in ejus laudem, & commendationem convertentur, & Beatorum, ac Sanctorum Faſtis (& oh faxit Deus quod quantocitius) rite, & Canonice finaliter adſcribatur. 120

## ARTICULUS II.

### Quoad ea, quæ concernunt vota ſubſtantialia Religionum Regularium.

AD eſſentiam cujuslibet Regularis Religionis requiruntur tria ſubſtantialia vota, nempe Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis, adeo ut ſine illis Religio aliqua proprie dicta nullatenus conſiſtere poſſit; S. Thomas 2.2. *q.*188. *art.*1. *& Communis, ac certa aliorum; arg. cap. Cum ad Monaſterium* 6. *de ſtatu Monach. & Extrav. Joann. XII. incip. Quorumdam* 1. *de verb. ſignif.* §. *penult. circa finem.* 1

Dicta tria vota ſunt de eſſentia Religionis ex Jure Divino, adeo ut nec Papa poſſit diſpenſare in ſenſu compoſito, quod aliquis ſit, & maneat proprie Religioſus, et tamen non ſit adſtrictus tribus allegatis votis, quamvis ex aliqua gravi cauſa bonum communem concernente poſſit diſpenſando ex Religioſo facere non Religioſum, et ei concedere facultatem ad ſeculum redeundi, et nubendi; Vide verb. *Religiones Regulares num.*8. 2

3 Et ratio eſt, quia ſtatus Religioſus ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſeu eſſentiam, non ab aliquo puro homine, ſed immediate a Chriſto Domino fuit inſtitutus: Chriſtus enim ipſe homines ad tria illa conſilia Evangelica eſt cohortatus, & ad vota perpetua de illis facienda, ut colligitur de Obedientia, quæ fit per abnegationem ſui, & ſuæ propriæ voluntatis ex *Matth.*16. ibi: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum &c.* De Paupertate *ex Matth.*19. ibi: *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum Cœlorum*, adeoque dici debet, eſſe de Jure Divino, non præcipiente, ſed conſulente, ut docent communiter Doctores.

4 Status Religioſus a Chriſto Domino ſic inſtitutus, eo invitante, & hortante ſtatim ab initio Eccleſiæ fuit ſuſceptus ab ipſis Apoſtolis, ac aliis Chriſti diſcipulis; Vide d. verb. *Religiones Regulares num.* 10.

5 *Dicta tria vota potius quam alia fuerunt* conſtituta pro eſſentia ſtatus Religioſi, quia per ea homo perfectius ſe conſecrat, & unit Deo; Vide dict. verb. *Religiones Regulares num.* 11.

6 Verus, & perfectus ſtatus Religioſus ſecundum eſſentiam cum tribus dictis votis fuit primo, & immediate inſtitutus a Chriſto Domino; Vide *ib. n.* 14.

7 Quamvis dicta tria vota pro eſſentia ſtatus Religioſi fuerint a Chriſto Domino inſtituta, tamen eorum ſolemnitas a ſola Conſtitutione Eccleſiæ fuit inventa; Vide *ib. n.*16.

8 Unde Eccleſia, ſeu Sedes Apoſtolica poteſt admittere, & approbare, ut veram Religionem, etiam ſine votis ſolemnibus, & cum ſolis votis ſimplicibus, ut expreſſe declaravit Gregorius XIII. Conſt. incip. *Aſcendente Domino*, ſtatuendo, quod Religioſi præclariſſimæ Societatis Jeſu, qui peracto Novitiatu primam Profeſſionem emittunt, pro veris habeantur Religioſis, non obſtante quod non niſi ſimplicia tunc edant vota, & non ſolemnia emittant, ibi: ,, Nos conſiderantes, voti ſolemnitatem ſola Conſtitutione Eccleſiæ ,, inventam eſſe, triaque hujuſmodi Societatis vota, tametſi ,, ſimplicia, ut ſubſtantialia Religionis vota ab hac Sede ,, fuiſſe admiſſa, illaque emittentes in ſtatu Religionis vere ,, conſtituti; *Vide* ibid. n. 16.

9 Inter dicta tria ſubſtantialia Religionum Regularium vota, Obedientia primatum tenet; Nam ſi Paupertas offert Deo divitias, & Caſtitas corpus, offert Obedientia ipſammet voluntatem; eo autem nobilius eſt votum, quo plus Deo offertur; Unde Joan. XXII. in Extravagant. incip. *Quorumdam* 1. *de verb. ſignif.* §. *penult. circa finem*, ſic habet: *Magna quidem Paupertas, ſed major Integritas, horum eſt Obedientia maximum, ſi cuſtodiatur illeſa; nam prima rebus, ſecunda carni, tertiam vero menti dominatur, & animo.* Vide *ib. num.*11.

10 Obedientia Religioſa eſt votum, quo ſe Religioſus obligat in aliqua Religione a Sancta Sede approbata ad obediendum Prælato competenti in omnibus, quæ cadere poſſunt
11 ſub virtute Obedientiæ; *Eſt in re Communis.* Obedientia enim dicitur quaſi ab Audientia, ſive ab audiendo præceptum Superioris, ut recte notat Donatus *Prax. Rerum Regul. t.*4. *tract.*17. *q.*2. *n.*1. & alii.

12 Ut Obedientia ſit perfecta, Deo grata, & meritoria, requiruntur ſequentes Conditiones. Prima, ut ſit prompta, & ſine mora, juxta illud *Pſal.*118. ibi: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Unde S. Bernardus *Serm. de virtute obedien. circa medium*, ſic habet: *Fidelis obediens moras neſcit, fugit craſtinum, ignorat tarditatem.* Secunda, ut ſit cæca, ita ut non examinentur rationes, motiva aut intentio Superioris præcipientis, & cur potius ſibi quam alteri præcipiatur: Unde S. Bernardus, vel potius Guillelmus Abbas *Epiſt. ad FF. de Monte Dei cap.*5. *novæ edit. perfecta Obedientia eſt . . . non diſcernere quid, vel quare præcipiatur, ſed ad hoc tantum niti, ut fideliter, & humiliter fiat, quod a majore præcipitur*, & S. Gregorius *in primo Reg. lib.*2. *cap.*4. *Vera Obedientia nec Præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit, quia omne vitæ ſuæ judicium majori ſubdidit: Neſcit enim judicare quiſquis perfecte didicerit obedire.* Tertia, ut ſit hilaris ſine querela, & murmuratione, juxta illud *Eccleſiaſtici* 35. ibi: *In omni dato hilarem fac vultum tuum, & 2. ad Corinth.*9. ibi: *Hilarem enim datorem diligit Deus*, & ad *Philippenſes* 2. ibi: *Omnia autem facit ſine murmurationibus.* Quarta, ut ſit humilis, ſeu cum humilitate fiat, juxta illud *Lucæ* 17. ibi: *Cum hæc omnia feceritis, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus, quod facere debuimus, fecimus.* Quinta, ut ſit fortis, ſeu generoſa ad ſuperandam omnem difficultatem, juxta illud *Pſalm.* 30. ibi: *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, & 1. ad Corint.* 16. ibi: *Viriliter agite, & confortamini.* Unde S. Baſilius *in ſua Regula cap.*5. ſic habet: *Obedientia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus, ſi quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide, ſed viriliter, & ſtrenue fiat.*

Religioſus, ex vi voti Obedientiæ, tenetur Superiori obedire quoad omnia, quæ præcipit ſecundum Regulam, & Conſtitutiones ſui Ordinis, ſive directe, & explicite, ſive indirecte, & implicite; *Communis.* Et ratio eſt, quia Religioſus ad hæc omnia ſe obligavit eo ipſo, quo Profeſſionem emiſit ſecundum Regulam, & ad obediendum ſe voto obſtrinxit, cum profitendo Regulam implicite etiam ſe obligarit ad ea omnia, ſine quibus Regula commode obſervari non poteſt. 13

Illa autem dicuntur directe, & explicite contineri in Regula, quæ clare, & expreſſe in Regula ipſa habentur: & illa dicuntur in ea contineri indirecte, & implicite, quæ ad Regulæ obſervantiam ſunt neceſſaria, & ſine quibus Regula proprii Ordinis in ſuo vigore conſervari non poteſt; Layman *lib.*4. *tract.*5. *c.*9. *n.*11. Leſſius *l.*2. *Cap.*41. *dub.*9. Buſemb. *lib.*4. *Cap.*1. *dub.*4. Vaſquez *t.*2. *diſp.*154. *Cap.*4. Lezana *Summ. q. Regul. tom.*1. *Cap.*4. *n.*10. & alii paſſim. 14

Religioſus tenetur obedire ſuo Superiori non ſolum in rebus, quas certo cognoſcit eſſe ſecundum Regulam, & Conſtitutiones ſui Ordinis; ſed etiam quando dubitat, an res, quæ illi præcipitur, ſit vere ſecundum dictam Regulam, & Conſtitutiones ſui Ordinis, et an ſit licita nec ne? Dummodo non cognoſcat evidenter eſſe malam, et illicitam. *Sic fere Communis Doctorum*, per text. *in Cap. Quod culpatur* 4. *cauſ.*23. *q.*1. ubi ex verbis S. Auguſtini ſic præciſe habetur: ,, Non enim eſt poteſtas, niſi a Deo ſive jubente, ſive ſinente ,, te ergo vir juſtus, ſi forte ſub Rege homine etiam ſacrile- ,, go militet, poteſt recte illo jubente bellare, ſi vice pacis ,, ordinem ſervans quod ſibi jubetur, vel non eſſe contra Dei ,, præceptum certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt, ,, ita ut fortaſſe reum faciat Regem iniquitas imperandi, in- ,, nocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi; et c. Ad ,, Aures 5. de temporibus ordin. ,, ubi generaliter definitur, quod ſubditi in omnibus etiam in his tenentur Superioribus obedire; Dummodo tamen non præcipiant, quod manifeſte malum ſit, ad quod Gloſſa *ibidem verb. Obedientiam* Jura allegat. Et ratio eſt, quia Superior eſt in poſſeſſione præcipiendi, et in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, *Cap. Ad aures* 6. *de præſcriptionibus*, *Cap. In pari* 65. *de Regul. Jur. in* 6. *l. Nemo* 126. *& l. in pari cauſa* 128. *ff. de Regul. Jur.* cum ſimilibus. Tum quia Superior habet Jus certum præcipiendi, quo non eſt ſpoliandus per ſuperveniens dubium ſui ſubditi; Unde S. Bernardus *lib. de diſpenſat. & præcepto Cap.* 9. ait: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecus omnino accipiendum eſt, quam ſi præcipiat Deus.* 15

Unde Religioſus non tenetur obedire Superiori in iis, quæ clare ſunt contra ſuam Regulam, et Conſtitutiones ſui Ordinis; Niſi Superior ſit talis, qui poſſit in ipſis diſpenſare, et cauſa legitima adſit. *Communis.* 16

Neque communiter loquendo in iis, quæ ſunt ſupra Regulam, ut ſi Superior præcipiat nimiam macerationem corporis, extraordinarias mortificationes, et auſteritates, et hujuſmodi opera ſupererogatoria; Item nec in iis, quæ ſunt præter Regulam, ut ſi Superior præcipiat opera, quæ ex objecto, & circumſtantiis ſunt omnino indifferentia, & inutilia, & quæ ad Inſtitutum nihil conferunt. S. Thomas 2.2. *quæſt.*186. *art.*9. *& q.*10. *art.*10. S. Bernardus *de præcepto, & diſpenſ. cap.*5. alias *cap.*8. ubi ſic expreſſe habet: *Prælati juſſio, vel prohibitio non prætereat terminos Profeſſionis, nec ultra extendi poteſt, nec contrahi citra. Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promiſi, nec plus exigat, quam promiſi.* Lezana *l.c. n.*4. *&* 13. Sporer *tract.*1. *proemial. cap.*1. *ſect.*6. *numer.*38. teſtans de communi. 17

Poteſt tamen Superior Regularis præcipere alicui ſubdito ambulationem, honeſtam recreationem, & hujuſmodi, ſi hoc judicet expediens, ut talis Subditus vegetior reſurgat ad Regularem obſervantiam. Item poteſt Superior alicui ſubdito præcipere omiſſionem alicujus præcepti Regulæ, ut jejunii, recitationem Divini Officii &c. ſi id cognoſcat expedire pro aliqua differentia temporis ad ejus ſalutem corpora- 18

lem, ut ſi dolore capitis vehementer angatur, ſi debilitate Stomachi prematur, & hujuſmodi, & tunc tenetur ſubditus obedire, ut notant communiter Doctores.

19 Item poteſt Superior aliquam auſteritatem, & mortificationem extraordinariam præcipere ſubdito tum ad puniendum crimen commiſſum, tum ad recidivam præcavendam, & tunc tenetur ſubditus obedire, quia hoc expedit ad Regulæ obſervantiam, *Communis*.

20 Regulares utriuſque ſexus Profeſſi in Religione relaxata tenentur obedire Superioribus illam reformantibus in votis eſſentialibus, & in iis, quæ ad primævam Regulæ obſervantiam conducunt. Vide verb. *Regulares art. 2. a numer.* 73. *ad* 84.

21 Hinc Capitula Generalia, aut Provincialia, ſicuti & Prælati, quibus incumbit pro toto Ordine, vel Provincia Conſtitutiones, & ſtatuta condere, poſſunt certas abſtinentias, aut auſteritates imponere, quamvis in Regula nec explicite, nec implicite contineantur, ſi id expedire videatur pro majori Regulæ, ac Conſtitutionum Ordinis obſervantia; & tunc tenentur ſubditi in ſupradictis obedire, cum votum obedientiæ obliget ad ea, quæ ad Regulam, vel ad Regularem Obſervantiam pertinent, ut docent communiter Doctores cum S. Thoma 2. 2. *q.* 104. *art.* 5.

22 Religioſi tenentur obedire Prælatis jubentibus, ut eant ad commorandum in aliquibus Monaſteriis aeris intemperie laborantibus. Id enim eſt *Regulæ conforme*, & neceſſarium pro conſervatione Conventuum, ſeu locorum Regularium; Dummodo tamen Superiores in his non ducantur aliqua paſſione, aut mala voluntate, quia ſi *ſubditus aliquis* certo ſciret Superiorem hoc illi præcipere ſolum ex odio, & mala voluntate erga ipſum, poſſet non obedire, quia Superior tunc abuteretur ſua poteſtate, & conſequenter peccaret; in peccatis autem ſubditi non tenentur obedire. Laurentius de Peyrinis *tom.* 1. *qu.* 1. *de Obedientia Cap.* 11. Henno *tom.* 2. *tract.* 3. *de Religioſo diſp. unica q.* 9. *concl.* 2. *reſol. ult.* Lezana *l. c. n.* 16. Donatus *prax. rer. Regul. tom.* 4. *tract.* 17. *q.* 23. *num.* 5. & alii. Dicitur tamen notanter, *Si ſubditus aliquis certo ſciret*, quia ſi ſolum de hoc dubitaret, tenetur obedire per dicta, & Jura adducta *ſupra num.* 15.

23 Item tenentur ſubditi Religioſi tempore peſtis, aut alterius mali contagioſi obedire Prælatis, præcipientibus ſibi, ut miniſtrent in ſpiritualibus, & temporalibus ſuis Religioſis tali morbo, ſeu malo contagioſo infectis. Lezana *l. c. n.* 19. cum aliis ibi allegatis, Henno *l. c. reſol.* 10. & alii communiter cum Maſtrio *Theol. moral. diſp.* 14. *q.* 1. *art.* 3. *n.* 27. Et ratio eſt, quia id ſpectat ad bonum commune Religionis, quam profeſſi ſunt. Notant tamen recte Doctores debere tunc Superiores eligere ad id Religioſos robuſtiores, ac minus utiles, & quidem pro miniſteriis corporalibus primario Laicos, cum id, ut de ſe patet, exigat bonum commune Religionis.

24 Non tenentur tamen Religioſi regulariter, & per ſe obedire Prælatis præcipientibus, ut miniſtrent ſimilibus infirmis extraneis cum periculo Vitæ, ſicuti cum tali periculo tenentur obedire & ſervire ſuis Religioſis ſic infirmis. Præceptum enim, ut ſubditi Religioſi ſerviant extraneis peſte infectis cum periculo propriæ vitæ, non eſt ſecundum Regulam, ſed ſu-
25 pra illam. Dicitur autem notanter *Regulariter & per ſe*, quia per accidens, & in caſu, quo deeſſent Parochi, qui illis Sacramenta miniſtrarent, vel qui ob moltitudinem infirmorum non ſufficerent ad id præſtandum, tunc tenerentur Religioſi obedire, & Sacramenta miniſtrare etiam ipſis extraneis. Et ratio eſt, quia id non eſt ſupra Regulam, ſed potius illam concernit, cum Religioſi, præſertim Mendicantes & alii, quorum Inſtitutum eſt ſaluti proximorum incumbere, ſint Coadjutores Epiſcoporum, & Parochorum in ſalute proximorum procuranda, & ob id Fidelium eleemoſynis ſuſtententur. Rodriquez *tom.* 3. *q.* 31. *art.* 3. *&* 4. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 54. Lezana *l. c. n.* 19. Maſtrius *l. citat.* cum pluribus aliis ibi allegatis; & alii paſſim. Qui omnes una cum S. Thoma *opuſc.* 18. *cap.* 12. ob eaſdem rationes idem concludunt de tempore hæreſis, quæ eſt pernicioſiſſima peſtis ſpiritualis animæ, nempe teneri Religioſos obedire Prælatis ſuis præcipientibus, ut aſſiſtant aliquibus locis ad prædicandam, & contra Hæreticos defendendam Fidem Catholicam etiam cum periculo propriæ vitæ.

27 Quamvis Religioſus non teneatur obedire Superiori præcipienti actus mere internos, & nullam habentes connexionem cum actibus externis, ut ſunt actus Fidei, Spei, Caritatis, & hujuſmodi, cum actus interni per ſe, & directe non ſubjiciantur Legi humanæ, ſed ſoli Deo ſecundum illud Apoſtoli 1. *ad Corinth.* 4. ibi: *Nolite ante tempus judicare, donec Dominus manifeſtet conſilia cordium*, et ſolus Deus ſit ſecretorum cognitor, & Judex; *Pſalm.* 7. ibi: *Scrutans corda, & renes Deus, &* 1. *Reg.* 16. ibi: *Homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor.* Unde recte dicitur, quod Eccleſia non judicat de internis, & occultis; *cap. Tua* 32. *de Simonia, cap. Erubeſcant* 11. *diſt.* 32. & S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 104. *art.* 5. *in corpore* expreſſe dicit: *Et ideo in iis, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis homo non tenetur homini obedire; ſed ſolum Deo:* Tenetur tamen Religioſus obedire Superiori præcipienti actus internos, prout connexionem habent cum actibus externis, cum ſic per accidens, & indirecte ſubſint Judicio humano, & poſſint præcipi, ut patet *ex Clement. Ne in agro* 1. §. *Quia vero, de ſtatu Monach.* ubi excommunicantur Monachi ad Curias Principum accedentes animo offendendi ſuos Prælatos, ubi ut vides, non prohibetur animus offendendi, ut eſt actus interior ſimpliciter, ſed prohibetur animus offendendi, ut eſt conjunctus cum tali acceſſu, ita quod prohibetur talis acceſſus, non cujuslibet, ſed habentis talem animum offendendi, & nocendi. Sic *in cap. Commiſſa* 25. *de elect. in* 6. conſtituitur, ut qui Parochialem Eccleſiam obtinuerit ſine voluntate aſcendendi ad Presbyteratus Ordinem, Beneficium ipſo Jure amittat, & fructus non faciat ſuos: ubi non condemnatur defectus voluntatis aſcendendi ad Presbyteratum, ut eſt actus interior ſimpliciter, ſed ut eſt conjunctus cum aſſecutione Parochialis Eccleſiæ Eadem ratione Prælati Regulares poſſunt Subditis per Obedientiam præcipere, ut quas celebrant Miſſas, pro ſua intentione offerant, nam in tali præcepto, & ſimilibus non præcipitur applicatio Miſsæ, ut eſt ſimpliciter animi motus interior, ſed præcipitur idem interior animi motus, ut conjunctus cum actu exteriori celebrationis Miſſæ. S. Thomas 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. Angelus *in Summa verb. Obedientia n.* 1. Tabiena *eod. ver. Obedientia n.* 4. Silveſter *eod. verb. q.* 1. Reiffenſt. *Theol. mor. tract.* 2. *diſt.* 1. *a n.* 46. *ad* 50. Sporer *tom.* 1. *tract.* 1. *proœmial. cap.* 3. *a n.* 39. *ad* 44. et alii paſſim.

Religioſi ex vi voti Obedientiæ tenentur obedire in his, 28
quæ concernunt Regulam, non ſolum Prælatis Religionis, ſed etiam ſpecialiter Summo Pontifici, non ſolum quatenus eſt Caput Eccleſiæ, quo titulo omnes etiam Sæculares ei obedire tenentur, ſed ſpecialiter etiam ratione Voti Obedientiæ emiſſi in Regulari Profeſſione; *S. Thomas* 2. 2. *q.* 186. *art.* 5. *ad* 3. & alii communiter. Et ratio eſt, quia Votum Obedientiæ per ſe primo, & principaliter fit Romano Pontifici tamquam Generaliſſimo omnium Religionum, cum omnis poteſtas Juriſdictionis Generalium, aliorumque Prælatorum Religionum ab illo dependeat, & eam Prælatis Regularibus in approbatione Religionum cenſeatur concedere, dependenter tamen ſemper ab ipſo.

Item ex vi voti Obedientiæ tenentur Religioſi obedire 29
Sacræ Congregationi ſuper Regulares, quia dicta Congregatio fuit inſtituta a Sixto V. in ſupremum, ac ſummum Tribunal omnium Regularium pro bono regimine, & felici gubernio eorumdem, ut patet ex ejus Conſtitut. incip. *Æterni Dei*. Unde dictum Tribunal cenſetur eſſe intra Ordinem, ac ſtante dicta Conſtitutione poteſt Regularibus omnibus præcipere auctoritate ordinaria dependenter tamen a Papa; Sic Donatus *tom.* 4. *Prax rerum Regular. tract.* 17. *q.* 27. Thomas a Jeſu *tra.* 3. *de Viſitat. Regular. cap.* 17. *num.* 7. Lezana *loc. cit. c* 4.
*num.* 31. & alii. Idem etiam propter eandem rationem di- 30
cendum venit de Sacra Congregatione ſuper Diſciplina Regulari erecta ab Innocent. XII. Conſtitut. incip. *Debitum Paſtoralis Officii*.

Item ex vi voti Obedientiæ tenentur Religioſi obedire Sa- 31
cro Collegio Cardinalium tempore Sedis vacantis. Dictum enim Sacrum Collegium eo tempore ſuccedit in locum Papæ adeoque tenentur Religioſi ei obedire eodem modo, & eadem obligatione, ſicuti & Papæ; Donatus *loc. cit. q.* 29. Peyrin. *tom.* 1. *Privileg. in privileg.* 2. *Sixti IV. num.* 11. & alii.

Item ex vi voti Obedientiæ tenentur obedire Epiſcopo 32
Religioſi illorum Conventuum, qui Epiſcopi Juriſdictioni ſubjacent, ut declaravit *Sacra Congregatio ſuper ſtatu Regularium die* 27. *Julii* 1655. quæ ad 4. dubium ex citatis ſuper ſubjectione nonnullorum Conventuum correctioni, viſitationi, & omnimodæ Juriſdictioni Ordinarii tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, quod erat, ut ſequitur: *Quarto, an Epiſcopus in iiſdem Conventibus ſe ingerere poſſit in his, quæ Regularem diſciplinam concernunt?* Sacra Congregat. ad quartum reſpondit *Poſſe*. Quam reſponſionem, ac declarationem una cum aliis ad ſe relatis Alexander VII. approbavit, & ab omnibus, ad quos pertinet, obſervari præcipit, contrariis quibuſcumque non obſtantibus.



33 Si in aliquo Conventu Epiſcopo ſubjecto contraria præcipiant Superior, & Epiſcopus, Subditus in illis, quæ ſpectant ad Regulam, & Conſtitutiones Ordinis, ordinarie loquendo tenetur obedire Superiori, quia in hujus manibus vo-
34 vit Obedientiam ſecundum Regulam. In aliis autem, quæ ſpectant ad diſciplinam Eccleſiaſticam, tenetur obedire Epiſcopo, quia quo ad illa Superior ipſe eſt Epiſcopo ſubjectus. Si tamen Epiſcopus cum cauſa rationabili diſpenſet circa Statuta, & Conſtitutiones dicti Conventus, & tunc præcipiat, debebit ſubditus obedire Epiſcopo; La Croix *lib.* 4. *n.* 160. citans S. Thomam, S. Auguſtin. alioſque cum Silvio *part.* 1. *verb. Abbas caſu* 3. & colligitur ex reſponſione dictæ Sacræ Cong. *ad* 12. *&* 13. *dubium*. Vide verb. *Conventus artic.* 2. ubi afferuntur dicta dubia cum ſuis reſponſionibus.

35 Duobus Prælatis diverſa præcipientibus ſi ipſi ſint diverſæ Auctoritatis, debet ſubditus obedire majori, relicto minori, ſi minor a majori dependet, nempe Summo Pontifici, & dictæ Sacræ Cong. & Collegio Cardinalium Sede vacante, omiſſis omnibus Superioribus Ordinis, Patri Generali, omiſſo Provinciali: & huic, omiſſo Superiore locali, & ſic de aliis. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Quæ contra* 2. *diſt.* 8. ibi: *Major poteſtas ad obediendum præponitur, & cap. Qui reſiſtit* 97. *cauſ.* 11. *q.* 3. ibi: „ Ipſos humanarum rerum „ gradus advertite, ſi aliquid juſſerit Curator, non ne faciendum eſt? Tamen, ſi contra Proconſul jubeat non utique „ contemnis poteſtatem, ſed eligis majori ſervire. Rurſus „ ſi aliquid ipſe Proconſul jubeat, & aliud Imperator, num„ quid dubitatur, illo contempto illi eſſe ſerviendum?

36 Regulares ex vi voti Obedientiæ tenentur adimplere præcepta a Prælato impoſita, etiam exiſtentibus illis extra Provinciam, ſeu Monaſteria illius; Sic Donatus *tom.* 2. *Prax. rer. Regular. tract.* 10. *de poteſtate Prælator. q.* 5. *& tom.* 4. *tract.* 17. *de voto Obedientiæ q.* 34. cum pluribus ibi allegatis, Silveſter verb. *Excommunicatio* 2. *num.* 15. *dub.* 4. Lezana *loc. cit. num.* 37. Pellizar *part.* 1. *Manual. tract.* 4. *ſect.* 4. *numer.* 121. *q.* 13. Cornexo *tom.* 2. *in tertiam part. S. Thomæ tract.* 5. *de Cenſur. diſp.* 6. *dub.* 2. & alii. Et ratio eſt, quia Prælati Religioſorum non habent territoria diviſa, ſicut Epiſcopi, ſed eorum Juriſdictio eſt in ordine ad perſonas ſubditas ſecundum ſe, & ubicumque ſint, ita ut poſſint ſuos ſubditos ubique gentium exiſtentes citare, incarcerare, & excommunicare, nullo habito reſpectu ad proprium territorium, & ſubditi teneantur obedire, cum votum Obedientiæ inhæreat oſſibus Religioſorum, illorumque perſonas ſequatur ut lepra leproſum, ut recte cum aliis advertit Donatus *loc. cit.*

37 Non tenentur tamen Regulares obedire ſuo Superiori excommunicato, quia hoc eſſet cognoſcere in illo poteſtatem Juriſdictionis, quam non habet, & communicare cum illo, quod non licet; *cap. Nuper* 29. *cap. Si aliquando* 41. *de ſent. excomm.* cum ſimilibus Donat. *cit. tom.* 4. *tract.* 17. *q.* 35. Lezana *loc. cit. num.* 38. Cornejo *tom.* 2. *in tertiam part. diſput.* 10. *de excomm.* §. 5. *dub.* 1. & alii paſſim.

38 Papa poteſt eximere quemcumque Religioſum ab Obedientia inferiorum Prælatorum, & ibi reſervare: Hoc enim ei competit Jure Supremi Prælati Religionum, quod ipſe habet; *Communiſſima*.

39 Item P. Generalis, vel Provincialis poteſt ex juſta cauſa eximere ſubditum ab Obedientia ſui immediati Superioris, & ſibi reſervare: Habent enim ipſi in inferiores Superiores abſolutam Juriſdictionem; *Communis*, cum Donat. *tract. variar. reſolut. q.* 8.

40 Regulares nequeunt licite acceptare Epiſcopatum, vel aliam Dignitatem extra Ordinem ſine licentia Superioris; per text. *in cap. Cum ſit neceſſarium* 5. *cauſ.* 18. *q.* 2. *& cap. Si Religioſus* 27. *de election. in* 6. cum ſimilibus. Religioſi enim non habent velle, nec nolle; *cit. cap. Si Religioſus* 27. *de election. in* 6. *cap. Religioſus* 2. *de teſtam. in* 6. *cap. Religioſi* 5. *de Sepultur. in* 6.

41 Moniales ex voto Obedientiæ tenentur obedire Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ Monaſterii; Abbatiſſa enim poteſt percipere Monialibus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & præcepta formalia, ac ſpiritualia imponere, quæ in Conſcientia obligent, quia licet utpote fœmina ſit incapax Juriſdictionis, & poteſtatis ſpiritualis ſpectantis ad Claves, & dependentis ab Ordine, ut eſt poteſtas Cenſuras ferendi, abſolvendi, & hujuſmodi, eſt tamen capax Juriſdictionis; & poteſtatis præceptivæ, dominativæ, & correctivæ ſpectantis ad Superioritatem, ipſique annexæ, quam ei ex vi voti in Profeſſione emiſſi tradunt Moniales, quæ ideo tenentur eidem obedire. Unde talis Juriſdictio, ac poteſtas poteſt competere etiam Laicis, ſeu Converſis in iis Religionibus, in quibus poſſunt eſſe Superiores, ut in Religione Sancti Joannis Dei, & in ordine Fratrum Minorum: Tum quia Officium Abbatiſſatus, ſicuti in dictis Religionibus Officium Superioratus, eſt Officium Eccleſiaſticum, ob quod ſi pretium interveniat, erit Simonia, qualis non eſſet, ſi nulla poteſtas ſpiritualis ei eſſe annexa; Donat. *cit. tom.* 4. *tract.* 17. *q.* 3. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 22. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 9. *lib.* 1. *c.* 12. *num.* 9. Tambur. *de Jur. Abbatiſ. diſput.* 12. *q.* 5. *num.* 3. Melphi *in Commentar. cap.* 11. *ſtatut.* 7. *aſſert.* 11. Caſtropal. *tom.* 3. *art.* 16. *diſput.* 4. *p.* 2. *num.* 3. Felix Poteſt. *t.* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *q.* 5. *a num.* 207. Rodriq. Lezana, & alii plurimi.

Superior, ſeu Superioriſſa præcipere poteſt rem gravem 42
ſub culpa gravi, & levem ſub culpa levi, & quamvis poſſit quandoque præcipere rem gravem ſub culpa levi, nunquam tamen rem levem ſub culpa gravi, cum non poſſit Legislator materiæ capacitatem excedere, & materia levis ſit incapax obligationis gravis; Vide *art. antecedent. a n.* 39. *ad* 43. Cæterum Superior, ſeu Superioriſſa non cenſetur velle obligare ſubditos, vel ſubditas ſub gravi, niſi in præcipiendo utatur verbis: *In virtute Sanctæ Obedientiæ, in virtute Spiritus Sancti. In nomine Jeſu Chriſti, Sub præcepto formali*, & hujuſmodi; Si autem alia forma utatur, cenſetur velle obligare ſolum ſub culpa veniali, & interdum etiam nulla, quod colligi poteſt ex modo præcipiendi, & ex quantitate, & qualitate rei præceptæ, ut advertunt Doctores communiter.

Paupertas Religioſa eſt Votum, quo Religioſus in aliqua 43
Religione a S. Sede approbata voluntarie abdicat a ſe Dominium, & proprietatem omnium rerum temporalium, & omne jus civile ad illas; *Eſt in re communis*.

Hæc enim Paupertas, utpote voluntaria, differt a Pauper- 44
tate coacta, & neceſſaria, qua plures inviti temporalibus bonis carent, & alieno ſuſtentari coguntur; Et ut Profeſſa propter amorem Dei in Religione a S. Sede approbata differt a paupertate philoſophica, & morali, quæ ex motivo pure humano contemnit temporalia, ut, teſte S. Hieronymo *lib.* 3. *in Matth. cap.* 16. fecit Crates Philoſophus, & multi alii, qui divitias contempſerunt.

Regulares utriuſque ſexus nequeunt habere aliquid pro- 45
prium in particulari: *Communis*, per expreſſos textus *in cap. Non dicatis* 11. *cauſ.* 12. *q.* 1. *cap. Monachi* 2. *cap. Super quodam* 4. *cap. Cum ad Monaſterium* 6. *de ſtatu Monachor.* ibi: *Prohibemus quoque diſtricte in virtute Obedientiæ ſub obteſtatione Divini Judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat, ſed ſi quis aliquid habeat propriis, totum in continenti reſignet*; Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 25. *de Regularibus capit.* 2. ibi: *Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere, vel tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.* Et decret. Clementis VIII. pro reformatione Regularium incip. *Nullus omnino*, ubi §. 3. ſic expreſſe præcipitur: *Quo Tridentini Concilii Decreta de Paupertatis Voto cuſtodiendo fidelius obſerventur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamſi Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas, ſive ex concionibus, ſive ex lectionibus, aut pro Miſſis, tam in propria Eccleſia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipſorum juſto labore, & cauſa, & quocumque nomine acquiſita etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitione legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere poſſit, ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur atque cum cæteris illius bonis, redditus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit.* Quæ decreta iterum approbata, & innovata ſunt a Sacra Congreg. Concil. juſſu Urbani VIII. *in Decreto de Apoſtatis, & Ejectis* §. 1. Vide verb. *Ejecti num.* 2. ubi referuntur dicta Decreta, verb. *Regulares n.* 85. ubi

ubi referuntur dicta Decreta Generalia Clementis VIII. pro reformatione Regularium.

46 Regulares utriuſque ſexus nequeunt in particulari habere, & retinere aliquid proprium, neque de licentia ac diſpenſatione cujuſcumque Superioris, vel Superiorìſſæ; Vide verb. *Moniales art. 2. n.64.* & verb. *Legatum n.91.*

47 Adducuntur ad id variæ reſolutiones Sacræ Cong. Conc. Vide dict. verb. *Moniales a n. 65. ad 67.*

48 Imo talis licentia, etiamſi eſſet obtenta ab eorum Generalibus, qui dicerent eam poſſe concedere, non excuſaret Regulares utriuſque ſexus a culpa, & pœna a Trident. Concilio impoſita, textu expreſſo *in cit. Decret. Clement. VIII.* §.7. ibi: *Nulla quorumcumque Superiorum Diſpenſatio, nulla licentia quantum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excuſare poſſit, quominus culpæ, & pœnæ ab eiſdem Concilii Decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ, obnoxii ſint, etiamſi Superiores aſſeverent, hujuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus;* & ſic ſæpe ſæpius reſpondit Sacra Cong. Conc. & ſignanter apud Quarant. ver. *Caſus reſervati par.156.* Bartholomæum a S. Fauſto *in Speculo Regular. lib.1. de Voto Paupertatis qu.* 198. & Lezanam *tom.1. Summ. cap.6. n.14.* ubi referuntur præciſæ reſponſiones dictæ Sacræ Congr. Concil. datæ ad dubia ſequentia:

49 I. An ex diſpenſatione inferiorum a Summo Pontifice liceat Regularibus poſſidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliaque bona, immobilia videlicet, & mobilia ſuperflua, non obſtante Decreto Concilii ſeſſ. 25. de Regularibus cap.2?

II. An propter talem diſpenſationem, ſeu ſcientiam Superiorum poſſidentes, vel tenentes immobilia vel mobilia ſuperflua a culpa, vel pœna excuſentur?

III. An Superioribus aſſeverantibus hujuſmodi ſe licentias poſſe concedere, fides adhibenda ſit?

IV. An Superiorum arbitrio, & præfinitioni ſtare debeant Regulares quoad mobilium ſuperfluitatem, & convenientiam?

V. An Superiore quantumvis requiſito neceſſaria ſuis Regularibus negante, vel ſubtrahente, liceat ipſis clam, vel invito eo, illa ſibi comparare, ſeu retinere?

VI. Et quatenus non liceat; An itidem liceat, cum neceſſaria ideo negantur, vel ſubtrahuntur, quia & Monaſterii facultates non ſuppetunt?

VII. An dicti Superiores Regulares dictum cap. 2. declarare, & interpetrari poſſint?

Ad I. Sacra Congregatio Concilii reſpondit, non licere.

Ad II. Non excuſari neque a culpa, neque a pœna ipſo facto incurrenda.

Ad III. Minime adhibendam.

Ad IV. Niſi de exceſſu arbitrii conſtiterit, utique ſtare debere, habita videlicet ratione Perſonæ, Officii, & Regulæ, ſtatuſque Paupertatis, qua profeſſi ſunt, & cæterarum itidem qualitatum.

Ad V. Non licere.

Ad VI. Licere, ſi præciſa neceſſitas ſit ad individui ſuſtentationem; cæterum communem penuriam ab omnibus percipiendam, eiſque adeo, ut ſi quid privatim alicui delatum, vel ab ipſo partum fuerit, id omne ad Superiorem recta deferri oporteat, qui ex eo primum ſuccurrat ejus neceſſitati, cujus intuitu illud obvenerit, peculiari aliqua neceſſitate ultra communem prematur, reliquum Conventui incorporetur, & in communem cedat utilitatem.

Ad VII. Non poſſe.

50 In Conventibus, & Monaſteriis, in quibus, vel ob carentiam reddituum, vel ob incuriam, & negligentiam Superiorum vita communis non ſervatur, nec poteſt introduci, & Conventus, ſeu Monaſterium indigentiis Religioſarum non ſupplet, nec ob ejus paupertatem ſupplere poteſt, quid agendum, & quomodo procedendum? Vide verb. *Moniales art. 2. num. 68.*

51 Quomodo partitæ Capſæ communis, ſeu Depoſiti debeant inſcribi? Vide *ibid. n. 69.*

52 Ut Regulares utriuſque ſexus in Conventibus, & Monaſteriis, ubi non adeſt vita communis, poſſint licite exigere retinere, & expendere Livella, debent concurrere quinque conditiones, quæ aſſignantur. Vide *ibidem n.70.*

53 Livella non poſſunt a Regularibus utriuſque ſexus cedi eorum conſanguineis ſine licentia Sacræ Congreg. Vide *ibid. num.71.*

54 Poſſe autem Regulares utriuſque ſexus remittere ſuis conſanguineis, vel aliis donare fructus ſui Livelli cum ſola licentia Superioris tenent paſſim Doctores. Vide *ibid numer.72.*

55 Immo plures tenent poſſe Regulares utriuſque ſexus ſimiles ceſſiones, remiſſiones, ſeu donationes fructuum ſui Livelli facere abſque licentia ad id ſpeciali Superioris, ſed cum ſola licentia generali inſumendi tales fructus in ſuas indigentias, & Religioſos uſua. Vide *ibid. n.73.* (a).

56 Intellige tamen de ceſſione, ſeu donatione fructuum Livelli non aſcendentium ad magnam Summam. Vide *ibid. n.74.*

57 Regulares utriuſque ſexus ex pecunia ſui Livelli, ſeu aliunde quæſita, & ſibi libere a ſuis Superioribus conceſſo fundare cenſum, ut ex fructibus poſt ejus mortem celebrentur Miſſæ pro ejus anima. Vide *ibid. n.76.*

59 Neque

(a) Nota. Quæ Religioſo profeſſo conceduntur, ſive ratione *livelli*, ſive alia de cauſa, aut incorporari Conventui debent, aut ita adminiſtrari, ut veluti Conventui incorporata adminiſtrentur. Id enim conſtat cum ex ipſo voto paupertatis, quo quiſque particularis adſtringitur ad nil proprii habendum, ſed ad omnia ſubjicienda Conventui, ejuſque Superiori, qui bonorum Conventus adminiſtraror eſt; tum ex ipſo Concilio Tridentino, quod ſolemni decreto ſancivit incorporandum Conventui eſſe, quiquid particularis quiſque Religioſus quacumque de cauſa habeat, & acquirat. Atque hinc fit, ut bona, quorum uſus particularibus religioſis indulgetur, ſive ex *livello* ſint, ſive aliunde proveniant, conſiderari ſemper debeant incorporata Conventui, & illius nomine adminiſtrata, qui delectu ſit Superior, & adminiſtrator bonorum Communitatis; hoc enim ſecluſo, nec bona incorporata Conventui; dici poſſent, nec religioſus particularis proprietatem illam excluderet, quæ ſtare cum voto paupertatis non poteſt. Quæ cum ita ſe habeant, facile eſt intelligere, Monachum, ſive privatum Religioſum, nonniſi indulgente Adminiſtratore bonorum, quæ ad Conventum ſpectant, licite poſſe, aut *livelli* fructus, aut fructus privati laboris, ad aliquem uſum applicare: Nam deficiente hac indulgentia, ſive licentia, proprietarius eſſet, & contra legem Concilii Tridentini ageret. Ergo neceſſaria eſt licentia Superioris, ut privatus religioſus inſumere in ſuas indigentias, & uſus poſſit hujuſmodi fructus: Et hoc in caſu exiſtimari poſſet, bona incorporata Conventui, ex voluntate Superioris, applicari ad uſum privati Religioſi, cujus indigentiis de bonis ipſius Conventus ſubveniendum eſſet. Dici autem non poteſt, privatum religioſum, cui permiſſum a Superiore ſit in proprios uſus impendere *Livelli* fructus, licite poſſe eos cedere, remittere, vel donare conſanguineis. Nam bona Conventus donare privatus religioſus non poteſt Conſanguineis, imo neque Superior; bona vero hujuſmodi veluti incorporata Conventui haberi debent; ergo non ſolum ſubditos, ſed nec Superior ipſe poteſt hanc ceſſionem, & donationem facere, ſed neceſſaria eſt Sac. Congreg. licentia, ut optime dicitur numero 53. Ego vero in hujuſmodi caſibus ita ſubditum, ac Superiorem ſe gerere poſſe opinor: Si Conventus ita bonis ditatus ſit, ut eleemoſynam elargiri indigentibus poſſit, & debeat, dum Conſanguinei Monialis, Religioſi, in paupertatem venerint & veram indigentiam, poterit Superior indulgere, ut iis eleemoſynæ loco hujuſmodi fructus remittantur, vel donentur: Si vero iis non egeant, nec ſubditus, qui voto paupertatis adſtrictus donare nequit, nec Superior, qui non Dominus, ſed merus adminiſtrator eſt bonorum Conventus, poterit hujuſmodi remiſſionem, ceſſionem, aut donationem facere.



59 Neque poſſunt Regulares utriuſque ſexus tradere amico certam ſummam pecuniæ ex ſuo Livello, ſeu aliunde quæſitæ cum pacto, quod poſt ejus mortem faciat celebrari tot Miſſas, Vide *ibid. n. 77.*

60 An poſſint Regulares utriuſque ſexus dictam pecuniam ex ſuo livello, ſeu aliunde quæſitam proprio uſui conceſſam donare alteri cum onere, ut ſtatim celebrentur ſingulis annis aliquæ Miſſæ in perpetuum. Vide *ibid. n.78.*

61 Sub quibus conditionibus ſoleat Sacra Cong. concedere Regularibus utriuſque ſexus facultatem habendi Livella, ſeu Vitalitia; Vide *ibid. n.79.*

62 Addacuntur ad id variæ ſpecificæ Reſolutiones Sacræ Congr. Vide *ibid. n.* 80. 81.

63 Regulares utriuſque ſexus adminiſtrare non poſſunt ſua Livella a ſe ipſis. Vide *ibidem n.* 88.

64 Legatum relictum alicui Regulari utriuſque ſexus ſub conditione, quod quandiu vivit, pertineant irrevocabiliter ad eum, vel eam independenter a licentia Superioriſſæ, non debetur ipſi, ſed Monaſterio, & talis conditio habetur pro non adjecta. Vide verb. *Legatum n.88.*

65 Immo legatum relictum Regulari in particulari nec momento temporis poteſt eſſe apud ipſum, ſed illico acquiritur Monaſterio. Vide d. verb. *Legatum n. 89. 90.*

66 Nec Regulares utiruſque ſexus poſſunt in particulari habere, ſeu de ſe retinere Legata, præſertim ſi ſint in bonis ſtabilibus, neque de licentia quorumcumque ſuorum Superiorum etiam Generalium, quamvis aſſererent poſſe eam concedere. Vide *ſupra n. 46. ad 49.* & d. *verb. Legatum n. 91. & 92.*

67 Adducitur advertentia diligenter habenda. Vide d. verb. *Legatum n. 93.*

6 Inſuper adducitur concluſio doctiſſimi Fagnani ſemper attendenda, & præ oculis habenda. Vide dict. verb. *Legatum num. 94.*

69 Regulares utriuſque ſexus an, & quomodo pecuniam ex ſuo Livello, & aliunde quæſitam poſſint ludo exponere? Vide verb. *Ludus a n. 9. ad* 16.

70 Regulares utriuſque ſexus non poſſunt uti Livellis, niſi ſervata forma Conſtitutionis Clementis VIII. de largitione munerum. *Sacra Congregat. Epiſcop. in Florentina* 21. *Julii* 1690. *ad relationem claræ memor. Cardin. Petrucci*, apud Monacell. *tom.1. in Appendic. Adnotat. ad Conſtitut. Clementis VIII. de Largitione mun. num.* 7.

71 Legatum relictum Monaſterio, ſeu Conventui bonorum incapaci pro Sacriſtia, Valetudinario, vel Eccleſiæ pro Cera, & Oleo, non dicitur irritum, ſed debet per Syndicum inveſtiri pro adimplenda Teſtatoris voluntate. Vide verb. *Legatum n. 95.*

72 Unde Legatum relictum Minoribus de Obſervantia Reformatis, & Capuccinis pro Anniverſariis, Oleo, Lampadibus, Paramentis, Hoſtiis, Sacriſtia, Eccleſia, Fabrica Luminaribus, Sindonibus, Linteis, Tunicis, Bibliotheca, Impreſſione Librorum, & Pane, Vino, Pitantia, ſeu Victu, & Veſtitus, & aliis neceſſariis eſt ipſis tradendum, & ſolvendum ab Heredibus. Vide *ibidem n. 96.*

73 Adducitur ad id Decretum Sacræ Congr. Rev. Fabricæ, & juxta illius diſpoſitionem ponitur in claris ſupradictos Minores Mendicantes S. P. Franciſci eſſe capaces Legatorum juxta modum in eodem Decreto præſcriptum, Vide *ibid. num. 97.*

74 Adducitur Decretum Congregationis particulari ab Urbano VIII. deputatæ. Vide *ibid. n. 98.*

75 Adducitur Decretum Sacræ Congr. Fabricæ S. Petri de Urbe. Vide *ibid. n.99.*

79 Adducitur aliud Decretum ejuſdem Sacræ Congr. Fabricæ S. Petri. Vide *ibid. n.* 200.

77 Et capacitatem Fratrum Minorum obtinendi, & retinendi annua, & perpetua Legata per modum ſimplicis eleemoſynæ expreſſe comprobatur Brevi Urbani VIII. incip. *Exponi Nobis*. Vide *ibid. num.* 101.

78 Tale Breve ad omnium commodum ad litteram datur. Vide *ibid. n.* 102.

79 Et ulterius d. Fratrum Minorum capacitatem oſtendunt varia decreta, quæ afferuntur, Vide *ibid. n.* 103. *ad* 109.

80 Inſuper d. Fratrum Minorum capacitatem expreſſe demonſtrant variæ Reſolutiones Sacræ Congreg. Fabricæ. Vide *ibid. a n.* 110. *ad* 113.

81 Et indiſtincte pro Legatis pro Victu, & Viſtitu ſemper reſolvit Sacra Congreg. Boni Regiminis. Vide *ibid. a n.* 114. *ad* 116.

82 Item hanc Minorum capacitatem pluries comprobavit Sacra Congr. Epiſc. & Regul. Vide *ibid. n.* 117.

83 Item eamdem capacitatem pluries approbavit Sacr. Congreg. Conc. Vide *ibid. n.* 118.

84 Ex ſupra recenſitis ſtat clarum, quod Legata relicta Fratribus Minoribus per modum puræ, & ſimplicis eleemoſynæ ſuſtinentur, & eorum Syndicus Apoſtolicus tamquam unus de populo poteſt comparare, & implorare Officium Ordinarii, ut demandet Executionem Teſtamenti, & adimpleatur ab Heredibus, ſeu Executoribus mens Teſtatoris. Vide *ibid. numer.* 129.

85 Immo cum Heres teneatur in conſcientia adimplere onera, & ipſas diſpoſitiones Teſtatoris, poteſt etiam cogi per Syndicum Apoſtolicum, non tamquam unum de populo, ſed nomine Eccleſiæ Romanæ. Vide *ibidem num.* 120.

86 Plurima alia de capacitate Fratrum Minorum recipiendi, & retinendi perpetua annua Legata per modum puræ, & ſimplicis eleemoſynæ videnda relinquuntur apud Pittonium *part. 1. diſceptationum Eccleſiaſtic. diſcept. 2. per tot.* & apud Petrum Marcellinum de Luccia *in ſua diſſert. unic. de Legatis pro Victu Religioſis Mendicantibus relicto, per tot.* ubi ultra adductas plurimæ aliæ afferuntur Apoſtolicæ Sanctiones, & Sacrar. Congregat. reſponſiones, & declarationes. Unde non amplius attendendi ſunt Doctores in contrarium ſcribentes.

87 Quamvis Fratres Minores de Corpore Obſervantiæ, & Capuccini, dum de novo in locis recipiunt Conventus, nequeant per modum contractus, & tamquam de Jure exigere ab Univerſitatibus, & Communitatibus, vel ab aliis particularibus Benefactoribus, ut annuatim ſibi ſolvatur certa pecuniæ ſumma, vel quid aliud fixum pro eorum Victu & Veſtitu, cum id ſit expreſſe contra ſuam Regulam, & Pontificias ac Regulares ſuas Conſtitutiones, ut plene adnotavit Rota *in Turritana Legatorum ſub diebus* 10. *Januarii* 1695. *& 6. Aprilis* 1696. *coram Emerix*, cujus votum exquiſierat, & exequi poſtea mandavit *Sacra Cong. Epiſcop. & Regul. ſub die* 24. *Maii* 1697. apud Monacell. *part. 1. tit.6. formul. 19. numer.* 27. & tradit Matthæuc. *Official. Curiæ cap.* 17. *n.* 47.

88 Poſſunt tamen præmiſſa debita proteſtatione dictam certam pecuniæ ſummam, ſeu quid fixum per modum puræ, & ſimplicis eleemoſynæ annuatim recipere per Syndicum Apoſtolicum ad ſubveniendum ſuis veris neceſſitatibus, præſertim in iis locis, ubi Victus, & Veſtitus mendicatione niſi valde incommode acquiri ſufficienter poſſit, ut patet ex pluribus reſolutionibus Sacr. Congreg. Boni Regiminis relatis ſub verb. *Legatum n.* 114. 115. *&* 116. Et ſic ſepæ ſæpius, non ſolum ipſa Sacra Cong. Regiminis, ſed etiam Sacr. Congr. Epiſc. & Regular. Concilii, & Rev. Fabricæ declararunt, ut patet ex earum Decretis abunde relatis *ſub d. verb. Legatum a n.95. ad* 121. Immo Diſcalceati in Hiſpania Paupertatis Seraphicæ rigidiſſimi obſervatores fundationes Conventuum non accipiunt abſque determinata eleemoſyna olei, piſcium, lignorum, & ſimilium, ut refert Pittonius *part. 1. diſcept. 2. n.* 83. concludens id licite fieri poſſe.

89 Et hæc procedunt etiamſi aſſignatio bonorum fieret in contractu inter vivos, uti habemus caſum deciſum per *Sacram Cong. Fabricæ in Imolen. Legati ſeu donationis ſub die* 16. *Martii* 1707. Vide d. verb. *Legatum n.* 109.

90 Formula autem proteſtationis præmittendæ a Fratribus Minoribus ante acceptationem Legatorum traditur in ſequentibus Decretis editis a Sacra particulari Congregatione ab Urbano VIII. ſpecialiter deputata Conſultationibus Familiæ Ciſmontanæ Fratrum Minorum S. P. N. Franciſci *die* 14. *Junii* 1628. & die ſequenti publicata in Congregatione Generali Fratrum Minorum de Obſervantia in præſentia D. Cardinalis Gypſii, quorum tenor talis eſt, videlicet.

Sacra Congregatio a S. D. N. Fratrum Minorum de Obſervantia S. Franciſci Ciſmontanæ Familiæ conſultationibus præpoſita volens, quantum poteſt in Domino, ipſorum poſtulato ſatisfacere circa Novitios ad Habitum, & Profeſſionem admittendos; Sanctitate ſua approbante, cenſuit tunc demum eſſe illis permittendum, ut Novitios, ut ſupra, recipiant, cum conſtiterit ex ipſorum Conventibus eos ſuſtuliſſe abuſus omnes, qui Regulæ S. Franciſci obſervantiæ adverſantur. Quod ubi præſtiterint, deſignanda erunt loca pro iiſdem Novitiis recipiendis, & præſcribendus recipiendorum numerus; & qualitas, & alia ad eorum inſtitutionem pertinentia, & prout unaquæque Provincia id exequetur, eidem receptionem hujuſmodi fore permittendam.

91 Abu-

Abuſus vero quibus eos propterea mederi opportebit ſunt potiſſimum infraſcripti .

Ac primum abdicent a ſe , & eorum Conventibus non ſolum priſtina , ac bona omnia immobilia, quæ alicubi contra Regulæ puritatem , & Declarationes fel. rec. Nicolai III. & Clem. V. extra , vel intra ſepta Monaſteriorum detinent ſed etiam cenſus perpetuos , & Legata annua , ſuper quibus Sacra Congregatio præcipit obſervari Decretum Congregationis Generalis Romæ habitæ die 17. Maii 1603. Cujus tenor talis eſt .

91 *Cum annuos redditus* ſicut cetera bona immobilia nobis habere non liceat , ideo renovantes alia generalia ſtatuta decernimus , quod Frater non inducat perſonam aliquam ad eleemoſynam perpetuam Ordini noſtro exhibendam, nec exhibitam a quopiam vivente ſuſcipiat; & ſi aliqua talis nobis fuerit relicta , nullo modo in judicio exigatur ; declarantes , quod ad perpetua Legata petenda non poſſunt Fratres recurrere , niſi humiliter , & per modum eleemoſynæ abſque allegatione alicujus Decreti . Decernitur præterea , ac præcipitur per S. Obedientiam , quod quoties relinqui contingat aliqua legata perpetua aliquibus perſonis , & Hoſpitalibus , vel alicui Reipublicæ, & aliis Domibus ea lege, quod teneatur Fratribus præſtare ſingulis annis certam eleemoſynam , ſive omnino gratis , ſive ut ipſi Fratres dicant certa Officia , & Miſſas , quod Guardianus faciat proteſtationem ei, qui Teſtatoris voluntatem adimplere tenetur , quod cum ad illas eleemoſynas nullum jus habeant ex vi legati , non poſſint obligari ad illa Officia , & Miſſas . Si tamen facta illa proteſtatione , hæres ex ſua libera voluntate voluerit dare eleemoſynas illas, & committere Fratribus dicta Officia , & Miſſa , tunc Fratres tuta conſcientia poſſunt eleemoſynas hujuſmodi recipere . Quod totum, & multo fortius in relictis legatis ſingularibus Fratribus ſimili modo faciendum eſſe decernimus . Inhibemus autem , ne Sindicus in ſua perſonas hujuſmodi annuos redditus recipiat diſtribuendos ipſis Fratribus.

92 Proteſtatio autem ſic fiat ſub ſigillo Conventus,videlicet : Nos Fratres N. Guardianus , & Fratres Diſcreti hujus Conventus N. dicimus ad noſtram notitiam perveniſſe quondam N. certam eleemoſynæ quantitatem conventui huic diſtribuendam perpetuo gratis, vel forſan pro aliquibus Officiis , aut Miſſis dicendis legaſſe . Cumque legata hujuſmodi , niſi per viam ſimplicis eleemoſynæ acceptare ex Inſtituto ſancto noſtro , & Jure nobis non liceat : Ideo per præſentes libere proteſtamur in Domino , quod Legatum prædictum tanquam illius incapaces ex vi legati recipere nolumus , nec intendimus . Si tamen Heres commiſſarius aut legatarius ipſius Teſtatoris dict. quantitatem per viam ſimplicis eleemoſynæ omni obligatione , dominio , & proprietate penitus ceſſantibus, nobis libere conferre voluerit, illam ſimpliciter accepimus, & piæ Teſtatoris voluntati , quantum in nobis fuerit , plene, ac fideliter ſatisfaciemus. Hæc autem proteſtatio ſubſcripta per Guardianum, & Diſcretos Conventus dabitur illi, qui tenetur Teſtatoris voluntatem impedire,& eadem proteſtatio ſcribetur in libro Conventus, ut conſtare poſſint ſuccedentibus Guardianis hanc Conſtitutionem fuiſſe ad plenum adimpletam .

93 Eſt autem hæc proteſtatio neceſſaria , ut optime decernit D. Bonaventura hanc diſputans quæſtionem, & ex Apoſtolicis declarationibus Regulæ noſtræ colligitur. Et ut omnibus ſit compertum id , quod tantopere eſt nobis neceſſarium , ipſam D. Bonaventuræ quæſtiunculam ex ſuo Apologetico deſumptam hic apponere de induſtria non gravabimur , quæ talis eſt , ut ſequitur ,

„ *Cum aſſeratis* vos ſecundum Regulam, & Profeſſionem veſtram nullos debere recipere proventus redituum , ſeu poſſeſſiones , exceptis Domibus , in quibus habitatis , videmini tranſgreſſores Regulæ veſtræ in eo , quod recipitis Domos , vel areas non contiguas veſtris areis , in quibus habitatis ; eodem enim modo ſi hoc licet, poteritis etiam vineas recipere , & agros , & manſos, & ſimilia quæque recipere, immo grancias , & villas , & caſtra , & terras, & Oppida , & quæcumque fuerint vobis data , & ſic priſtina paupertas , & mendicitas , quam profeſſi eſtis , paulatim evaneſceret , & non eritis diſcipuli S. Franciſci cum non ſequamini veſtigia ejus , nec ejus Regulam teneatis : De domibus enim vobis contiguis poteſt eſſe excuſabile , quod pro dilatanda area veſtra illas quandoque recipiatis , ſed de aliis non, in quibus homines alios pro cenſu locatis, quem Procurator veſter loco veſtri exigit , & in uſus veſtros convertit de voluntate veſtra . Si qui in talibus incaute agunt , dolemus , & contradicimus, & prohibemus. Qualiter autem in hoc licite agere poſſimus , adverte , & *tunc non judicabis nos* , ſi ſane intelligis, tranſgreſſores. Proteſtamur nos ſecundum Regulam noſtram nil debere , ſeu velle poſſeſſionis , vel certorum reddituum recipere, vel habere ; *quia vero mendici ſumus* , & pauperes , ea, quibus pro præſente neceſſitate indigemus, ideo recipimus , prout licet , ſive pro ſolvendis debitis, vel aliis neceſſariis procurandiis. Cum ergo *aliquis ex devotione* vult nobis legare Domum ſuam , vel aream non contiguam noſtræ manſioni , non recipimus eam per nos , nec per interpoſitam perſonam ut noſtram , *ſed ſi ille eam diſponit* per alium quemcunque , ut ea vendita de pretio ejus provideatur nobis ex parte ſua in his , quibus tunc indigemus procurandis , vel ſolvendis debitis , acceptamus . *Si autem ille* timens ne forte ejus talis diſpoſitio per heredes ſuos , vel alios in poſterum impediatur, & propter hoc præoccupat approbare illam ſigillo alicujus Judicis , *vel Civium* , vel alterius &c. & ſic committit eam alicui amico ſuo, vel Fratrum, qui conſervat , quod ipſe diſponit de Domo tali , vel area, nil ad nos, cum de rebus ſuis poſſit ordinare, quod vult, nec locum talem , vel Domum dicimus eſſe noſtram , cum nihil juris nos in ea proteſtemur habere . Similiter ſi aliquis diſponeret per amicum, vel alium , quod de pretio , vel proventibus illis , vel illis darentur Fratribus tot panes quotidie vel tantum eleemoſynæ ſingulis ſeptimanis, aut annis , non eſſemus propter hoc prædii, vel reddituum poſſeſſores : nam ſi me petente eleemoſynam aliquis Dives promittat , quod ſingulis annis velit dare Fratribus duas tunicas , vel tantum unam , vel ſingulis hebdomadis tot panes , & hoc committat Officialibus ſuis , ut vice ſui iſta dent etiam eo abſente , & hoc pro Fratribus recipiam, vel etiamſi illi negligant dare, admonendo exigam, numquid propterea certos redditus habere dicendi ſumus , cum non ex jure , ſed ex gratia ſolum talem eleemoſynam recipiamus , vel exigamus ?

„ Et ſi poſt obitum illius uxor ejus , vel alii amici pro anima illius adhuc velint aliquo tempore talem nobis eleemoſynam per ſe , vel ex diſpoſitione illius largiri poſſumus ſimiliter accipere ex tali gratia, ita quod quandocunque nollent amplius iſta dare, nihil peteremus ab eis quaſi ex debito ſed more mendicorum recurremus ad Domum clementis Domini pro quotidiana eleemoſyna quandiu illi placeret , ſed quando plus nollet, diſcedamus ut cui gratias agentes de dato, & non murmurantes de negato . Hæc eſt vera , & pura vita Mendicorum , quod datur , ex gratia recipere , non ex jure . De cenſibus vero Domorum Fratribus legatarum nihil quærimus, ſicut nec de aliis reditibus . Si autem , antequam vendantur, aliquem inde cenſum dare volunt hi , in quorum tunc poteſtate ſunt illæ Domus , nihil juris habere in eo proteſtamur, ſed eleemoſynam nobis ſponte oblatam ſimpliciter recipiemus, ſicut aliunde donatam . Quia vero Dominus docet nos cavere ab hominibus *Matth.*10. & Apoſtolus ab omni ſpecie mala abſtinere 1. *Theſſal.* 5. ne putemur ab ignorantibus tranſgreſſores Regulæ noſtræ, debemus aperte proteſtari, nihil nobis juris in talibus donationibus velle habere, ſicut tenetur ſuſpectus de fornicatione omnia illa cavere, ex quibus poſſet iſta ſuſpicio probabilis judicari . Hæc omnia D. Bonaventura „ .

94 Sed quia in his caſibus ſolet aliquando evenire , quod annuus reditus ob temporis antiquitatem non comperiatur habere aliquem patronum , cui fieri debeat talis , ut ſupra , proteſtatio ; decernimus quod in tali caſu ſervetur ſtatutum Ordinis Minorum ſub Paulo II. contentum in Conſtitutionibus ſuper *c. 6. Reg. &* §. *Inhibemus* . Quod nimirum hujuſmodi reditus aſſignentur Rectoribus ſpiritualibus , aut temporalibus Collegiorum , aut Communitatum , Terrarum , aut Civitatum , qui tales eleemoſynas , ſive fructus , vel reditus annuos nomine Eccleſiæ Romanæ , vel donantium ſine Fratribus exigant , & recipiant, & Fratribus ſive aliis Sacerdotibus, quando Fratres noluerint tales Miſſas, vel Suffragia juxta piam intentionem Benefactorum in toto , vel in parte ſecundum quantitatem talium obventionum interdicere faciant .

95 Item ſtatuitur , ut deinceps nulla inſtrumenta publica fiant a Fratribus capitulariter congregatis , nec quocumque alio modo ſe habentibus , in quibus transferatur dominium , & proprietas alicujus Capellæ ſive Sepulturæ , cum hoc omnino ſit contra Regulam , & noſtro repugnet Inſtituto : nam quomodo aliquis dat, quod non habet? Si tamen occaſio ſe obtulerit, *in qua oporteat ſatisfacere devotæ fidelium voluntati*, id fiat per modos noſtræ Regulæ, & Inſtituto congruentes . Eſt autem proteſtatio prædicta neceſſaria , ne, ut ait D. Bonaventura , *ab ignorantibus noſtrum Inſtitutum* , Regulæ noſtræ tranſgreſſores judicemur . Cujus Seraphici Doctoris ſententiam hic inferendam judicavimus , quatenus e medio *tollatur abuſus ignorantiſſimorum aliquorum*, qui exiſtimantes Charibdim fugere in Scillam inciderunt in favorem Ordinariorum , vel alicujus tertii , vel hæreditatis renunciantes prædicta legata, quaſi non eſſet opus Proprietatis, & Dominii donare , ſicuti accipere, & ſumma dementia alienum *renunciare* .

96 De hujuſmodi autem bonis, ſeu illorum pretio Generalis, vel Commiſſarius Generalis una cum conſilio Guardiani, & Diſcretorum Conventus in uſum Sacriſtiæ, Fabricæ Eccleſiæ & Conventuum provideat , prout illorum neceſſitate perſpecta ſalubriter in Domino expedire arbitrabitur. Et de hac proviſione quamprimum Sacram hanc Congregationem fideliter certiorem faciant. Hanc vero bonorum abdicationem, & Legatorum renunciationem fuiſſe executioni demandatam conſtare debebit huic Sacræ Congreg. ex Generalis , vel Commiſſ. Generalis , & Ordinariorum atteſtationibus gratis, & abſque ullo Fratrum diſpendio concedendis .

97 Deinde a fratribus particularibus auferatur cujuſcumque rei proprietas , ſi quæ ſit , & omnia in communi redigantur ad regul. Sac. Canc. Apoſt. Conſtit. & S. Concilii Trid. diſpoſitionem. Potiſſimum vero tollantur Pecuniæ, & quam primum inſumantur in veras , & communes ipſorum Conventuum neceſſitates, idque fiat a Syndicis Apoſtolicis tantum , ita ut nihil pecuniæ mediate , vel immediate ſuperſit in manibus , vel poteſtate Fratrum etiam Superiorum .

98 Ad hæc tollatur abuſus Aromatariarum, itaut de cetero illæ non retineantur , niſi ad uſum Monaſteriorum dumtaxat , nec liceat res illarum cuiquam vendere .

99 Præterea nullo modo habeant in eorum Eccleſiis, vel Sacriſtiis, aut alibi cippos , & truncos ordinatos ad offerentium , ſeu donantium pecunias , nec Capſulas pro eleemoſynis Miſſarum .

100 Ac demum Superiores Regulares invigilent , ut Fratres communi menſa utantur , Divina Officia temporibus debitis recitent, vacent Orationi mentali , & Divinum Cultum diligenter exerceant , & cetera impleant , ad quæ pro Regulæ obſervatione tenentur .

101 Hæc autem ſuperius expreſſa fuiſſe ad effectum perducta conſtare debebit eidem Sacræ Congregationi , et atteſtationibus medio Juramento Generalis , aut Commiſſarii Generalis , aut Viſitatorum , prævia diligenti informatione capta in Viſitatione ſingulorum Conventuum cujuſque Provinciæ . Romæ 14. *Junii* 1626.

102 Hic juvat afferre declarationes editas a dicta Sac. Congreg. ſpecialiter ad id deputata ab Urbano VIII. & relatas a Fagnano ejuſdem Congregationis Secretario *lib.*5. *Decretal. in c. Nimis pravò* 17. *de Exceſſibus Prelator. a num.*47. *ad* 54. ibi .

## DISTINCTIO I.

*De Legatis bonorum mobilium.*

103 Articulus I. An Fratres Minores tam de Familia , quam Reformati ſint capaces Legatorum bonorum mobilium , quæ unica ſolutione , ſeu præſtatione adimplentur , tam in pecunia numerata , quam in aliis ſpeciebus ?

Articulus II. An poſſint eadem Legata in Judicio , aut extra exigere per ſeipſos, vel Syndicum Apoſtolicum ?

Articulus III. An Fabricæ S. Petri liceat in hujuſmodi Legatis ſe ingerere infra annum , ex quo dies legati ceſſit ?

Articulus IV. Et quid elapſo anno?

## DISTINCTIO II.

*De Legatis factis Fabricæ .*

104 Articulus I. An valeat Legatum annui reditus factum Fabricæ , Sacriſtiæ , vel Eccleſiæ Fratrum Minorum , tam de Familia , quam ex Reformatione ?

Articulus II. An liceat Fratribus hujuſmodi Legata in judicio exigere per eorum Procuratores , vel Syndicos Apoſtolicos ?

Articulus III. An liceat eiſdem erogare prædicta legata in uſus Fratrum ? An vero illa omnino converti debeant in uſus a Teſtatoribus præſcriptos ?

Articulus IV. An Fabricæ S. Petri liceat infra annum ſe ingerere in proprietate horum Legatorum pro fabrica, vel Sacriſtia tranſigendo cum heredibus , aut alias de eadem proprietate diſponendo ?

Articulus V. Et quid tranſacto anno ?

Articulus VI. An liceat eidem Fabricæ S. Petri , ſe immiſcere præſtationibus , ſeu fructibus eorumdem legatorum ab anno decurſis , & non ſolutis ?

Articulus VII. Et quid infra annum , ex quo ceſſit dies præſtationis ?

## DISTINCTIO III.

*De Legatis annuis cum onere .*

105 Articulus I. An Fratres Minores tam de Familia , quam Reformati ſint capaces Legatorum annuorum, quæ fiunt adjecto onere celebrationis Miſſarum ?

Articulus II. An iidem poſſint pro his Legatis in judicio experiri agendo, aut Judicis officium implorando ?

Articulus III. An poſſint Fratres illa accipere a ſponte offerentibus celebrando Miſſas ad rationem rei acceptæ ?

Articulus IV. An poſſint illa ſponte oblata accipere per ſe ipſos, an vero per Syndicum Apoſtolicum .

Articulus V. An Fratres poſſint hujuſmodi legata extinguere, aut illorum proprietatem vendere , & pretium erogare in uſum fabricæ , vel Sacriſtiæ .

Articulus VI. An liceat Fabricæ S. Petri proprietatem, eorumdem Legatorum cum onere Miſſarum ſibi vindicare , tam elapſo anno , quam antea ?

Articulus VII. An eidem Fabricæ liceat ſibi vindicare annuas præſtationes decurſas, & non ſolutas tam ante annum quam poſt ?

## DISTINCTIO IV.

*De Legatis annuis ſine onere .*

106 Articulus I. An Fratres Minores tam Obſervantes, quam Reformati ſint capaces Legatorum annuorum ſine aliquo onere, aut modo adjecto ſaltem ad effectum illa extinguendi , & pretium erogandi in uſus fabricæ, vel Sacriſtiæ ?

Articulus II. An ad hunc effectum poſſint eamdem proprietatem in judicio petere per Syndicum Apoſtolicum ?

Articulus III. An poſſint illam convertere in uſu Fratrum ?

Articulus IV. Et quid ſi cæperint illorum annuas præſtationes accipere ;

Articulus V. An poſſint Fratres exigere judicialiter annuas præſtationes eorumdem Legatorum in vim Martinianæ ?

Articulus VI. Et quid poſt ultimum Decretum Sacræ Congr. hac de re editum ?

Articulus VII. An Fratres teneantur proteſtari ſe eſſe incapaces eorumdem Legatorum ?

Articulus VIII. An poſſint illa a ſponte dantibus accipere per ſe ipſos , vel per Syndicos Apoſtolicos ?

Articulus IX. An heredes teneantur illorum preſtationes Fratribus ſolvere in foro conſcientiæ ?

Articulus X. An Fabrica S. Petri jus habeat ſibi vindicandi horum Legatorum proprietatem tam elapſo anno , quam antea ?

Articulus XI. Et quid de annuis præſtationibus decurſis, & non ſolutis ?

Articulus Ultim. An hæc omnia procedant etiam in Legatis annuis ad modicum tempus ?

Die 9. Septembris 1628. Sacra Congregatio negotiis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia a S. D. N. præfecta ad ſingulos Articulos ſuperius propoſitos ad hunc modum reſpondit , videlicet ,

## DISTINCTIONE I.

107 Ad I. *Articulum*: Fratres Minores tam de Familia * quam Reformatos eſſe capaces Legatorum bonorum mobilium, quæ unica ſolutione, ſeu præſtatione adimplentur, tam in pecunia numerata, quam in aliis ſpeciebus, Dummodo tamen hujuſmodi Legata ſint in quantitate moderata, & non in fraudem Paupertatis.

Ad II. Fratres quidem nec per ſe ipſos, nec per interpoſitam perſonam poſſe eadem legata in judicio exigere, ſed Syndicum Sedis Apoſtolicæ tantum Judicis officium implorare, dummodo ſimiliter illa in moderata ſint quantitate, & ſine ulla fraude paupertatis, & re ipſa erogentur in Fratrum neceſſitates. Extra judicium vero ita demum legata hujuſmodi accipi poſſe a Fratribus per ſe ipſos, ſi in aliis ſpeciebus conſiſtant, & accipiantur in ea tantum quantitate, quam vera, & imminens eorum neceſſitas poſtulet, ſed ſuperfluam aut pecunias a Syndico tantum poſſe accipi, dum tamen id omne in Fratrum neceſſitates convertatur.

Ad III. Non licere Fabricæ S. Petri in hujuſmodi Legatis bonorum mobilium ſe ingerere infra annum, ex quo dies Legati ceſſit.

Ad IV. Elapſo anno libere ad præſcriptum ſuarum facultatum.

## DISTINCTIONE II.

108 Ad I. Articulum; Valere Legatum annui reditus factum Sacriſtiæ, vel Fabricæ Eccleſiæ, vel Conventus Fratrum Minorum tam de Familia, quam de Reformatione, niſi adſit exceſſus in quantitate.

Ad II. Nec per ſuos, nec per alios licere Fratribus in judicio exigere hujuſmodi Legata, ſed Syndico Apoſtolico dumtaxat.

Ad III. Non licere eadem annui reditus Legata erogare in uſus Fratrum, ſed illa omnino converti debere in uſus a Teſtatoribus præſcriptos.

Ad IV. Fabricæ S. Petri non licere infra annum ſe ingerere in proprietate horum Legatorum, cum heredibus tranſigendo, aut alias diſponendo de eadem proprietate.

Ad V. Itidem non licere.

Ad VI. & VII. Poſſe Fabricam S. Petri ſe immiſcere in præſtationibus, ſeu fructibus eorumdem Legatorum ab anno decurſis, & non ſolutis, non autem infra annum, ex quo dies præſtationis ceſſit.

## DISTINCTIONE III.

109 Ad I. Articulum: Fratres Minores, tam de Familia, quam ex Reformatione nullatenus eſſe capaces legatorum annuorum, quæ fiunt adjuncto onere celebrationis Miſſarum.

Ad II. Non poſſe pro his Legatis in judicio experiri; aut Judicis officium implorare.

Ad III. Poſſe Fratres illa accipere per modum eleemoſynæ a ſponte offerentibus celebrando Miſſas ad rationem rei acceptæ, citra tamen ullam obligationem ad onus perpetuum, & dummodo prius proteſtentur ſe illorum capaces non eſſe.

Ad IV. Syndicum Apoſtolicum, & pro Fratrum neceſſitatibus, non autem Fratres ipſos etiam per alios poſſe hujuſmodi Legata utcumque ſponte oblata accipere, ſi in pecunia conſiſtant.

Ad V. Non poſſe Fratres hujuſmodi Legata extinguere, aut illorum proprietatem vendere, & pretium erogare in uſus Fabricæ, vel Sacriſtiæ.

Ad IV. Licere Fabricæ S. Petri ad ſuarum facultatum præſcriptum ſibi vindicare eorumdem Legatorum proprietatem cum onere Miſſarum celebrandarum, tam elapſo anno, quam antea.

## DISTINCTIONE IV.

100 Ad I. Articulum; Fratres Minores, tam Obſervantes, quam Reformatos non eſſe capaces Legatorum annuorum, quæ fiunt ſine aliquo onere, aut modo adjecto, niſi ad effectum illa extinguendi, ſeu illorum proprietatem, & pretium convertendi in uſus fabricæ, vel Sacriſtiæ.

Ad II. Non Fratres ipſos, ſed Syndicum Apoſtolicum tantum poſſe eamdem proprietatem in judicio petere.

Ad III. Poſſe convertere.

Ad IV. Si Fratres cœperint illorum annuas præſtationes accipere, ne hinc fiat fraus Paupertati, expedire, ut de cetero decernatur, eo caſu non licere amplius Fratribus eamdem proprietatem vendere, & pretium in uſum fabricæ, vel Sacriſtiæ erogare. Ideoque agendum cum S. D. N.

Ad V. & VI. Fratres nullo modo poſſe in judicio exigere annuas eorumdem Legatorum præſtationes.

Ad VII. Teneri.

Ad VIII. Poſſe illa per modum eleemoſynæ, & a ſponte dantibus accipere etiam per ſeipſos, ſi in aliis ſpeciebus conſiſtant; quod ſi in pecunia non niſi per Syndicum Apoſtolicum.

Ad IX. Non teneri.

Ad X. Fabricam S. Petri nullum jus habere vindicandi horum Legatorum proprietatem, niſi elapſo anno juxta ſuas facultates.

Ad XI. Similiter non habere jus vindicandi hujuſmodi annuas præſtationes, niſi ab anno decurſas.

Ad XII. Hæc omnia locum non habere in legatis infra decennium, ſed in his tantum, quæ fiunt ad decem annos & ultra.

Adducitur ad rem Conſtitutio Clementis X. confirmantis 111
Decretum Sacr. Congregat. in cauſa Turritana Legatorum.

„ Clemens Papa X. ad futuram &c. Nuper pro parte dilecti Filii Syndici Apoſtolici Conventus Sancti Petri de Syrchis in Sardinia Ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia &c. Congregationi Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis &c. Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ expoſito, quod quondam Petrus Mores de Molinos in ſuo ultimo Teſtamento, quod anno 1645. condiderat, diverſa annua Legata pro Miſſis per Fratres dicti Ordinis celebrandis, fecerat modo ſequenti.

*Primo mando, quod meus hæres teneatur expendere pro confectione tumuli, & exquiarum quolibet anno lib. 25. pro una Miſſa cantata, & aliis ſexdecim Miſſis pro Animabus meorum parentum celebran. a Fratribus Franciſcanis Sancti Petri de Syrchis, & pro legato volo, quod ſint perpetuo obligata bona mea.*

*Item volo, quod dictus meus hæres ſolvat ex dictis bonis meis quolibet anno lib. 40. quæ inſerviant pro oleo lampadis meæ Capellæ majoris in dicta Eccleſia S. Petri.*

*Item relinquo in perpetuum Miſſas ſeptem qualibet hebdomada pro Animabus Purgatorii &c. & eleemoſyna ſit ſeptem ſolidorum pro qualibet Miſſa &c. & proprietas illarum eſt* 1400. *lib. quæ ſit ſuper domo mea, in qua habito.*

*Item relinquo pro eleemoſyna dicto Conventui Sancti Petri de Syrchis lib. 300. ut illæ applicari debeant per meos Curatores in loco ſecuro ad rationem lib. 24. annuarum: & inſerviant pro emendis linteaminibus pro pauperibus Fratribus infirmis.*

*Item quia D. Mater mea reliquit, ut dicantur duæ Miſſæ perpetuæ pro qualibet hebdomada a dictis fratribus, quod ſuper bonis meis ſolvantur quolibet anno lib. 28.*

*Item quia D. Pater meus reliquit unam Miſſam perpetuam in hebdomada celebrandam a dictis Fratribus, & reliquit pro eleemoſyna Cenſum lib. 150. debitum a Gavino Paduano &c. quatenus perdiderint ſupradictum, mando, ut meus hæres ſolvat lib. 11. annuas &c. Et factis aliis pluribus legatis profanis &c. inſtituit ſibi hæredem Deum, & animam ſuam, mandans ſuis Executoribus, ut adimpletis, & ſatisfactis legatis inſtituerent unam tertiam Dignitatem Archidiaconalem in Cathedrali Turritana cum annuo redditu lib. 1000. & de reſiduo unum, vel plures Canonicatus ſecundum capacitatem bonorum ſuorum*, & alias, prout in dicto Teſtamento dicitur uberius contineri.

„ Et ſubinde in executionem dicti Teſtamenti unus Canonicatus, & unus Archidiaconatus in Eccleſia Turritana erecti fuerant, dictuſque Archidiaconatus ex diſpoſitione ejuſdem Petri Teſtatoris collatus fuerat cuidam Didaco Mores ejus Fratri germano executori Teſtamentario, qui bona fide, dum in vivis erat, eadem legata pia adimpleri curaverat; verum poſt ejus obitum, de eodem Archidiaconatu proviſus fuerat dilectus Carolus de Capudoro, ad cujus favorem dilectus filius Pro-Vicarius Generalis Turritanus neſciebatur, quo jure, declaraverat Fratres Minores prædictos Legatorum capaces tantum factorum pro oleo, lampadis, & linteaminibus infirmorum, & incapaces pro reliquis, quæ Archidiacono prædicto adjudicaverat, prout in ejus ſententia dicitur contineri. Unde dictus Syndicus tanquam unus de Populo pro ſuffragiis Animarum, pro quibus inſtituta fuerunt dicta legata pia, & pro ſua pietate erga dictos Fratres de Obſervantia, qui in magna neceſſitate propter eleemoſynarum deficientiam in prædicta Inſula Sardiniæ reperiebantur, prout ex atteſtatione juratorum, & Officialis Civitatis Turritanæ conſtare dicebatur, Nobis humiliter ſupplicaverat, ut omnimodum adimplementum legatorum prædictorum Ven. Fratri Archiepiſcopo Turritano, non obſtante prædicta Pro-Vicarii Generalis ſententia, committere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

„ Inſtantia vero hujuſmodi ad prædictam Cardinalium Congregat. a nobis remiſſa, & de mandato ipſius Congregat. citato dilecto etiam Filio Alexandro Bulla ſupradicti Caroli de Capudoro Archidiaconi Procuratore, Syndicus prædictus plurimum cupiebat declarari, prædictos Fratres Minores de Obſervantia poſſe recipere præinſerta annua Legata Miſſarum per modum puræ & ſimplicis eleemoſynæ, juxta Doctrinam Sancti Bonaventuræ in quadam Conſtitutione fel. rec. Urbani Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, cujus initium: *Sacroſanctum Apoſtolatus Miniſterium*, proinde debere dictum Archiepiſcopum Turritanum tanquam Executorem ultimarum voluntatum, & præcipue piarum curare omnimodum adimplementum eorum Legatorum, & voluntatis dicti Petri Teſtatoris compellendo heredes, & detentores bonorum ad ſatisfactionem, ne Anima ejus defraudata remaneret. Emanavit ab eadem Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui ſequitur.

*Sacra Congregat. E. E. S. R. E. Cardinal. negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, Procuratorem Archidiaconi Turritani ſæpius citato, referente Eminentiſſimo D. Cardinali Portocarrero, decrevit eſſe dandas declarationes ſæpe alias factas: Videlicet, Fratres Minores de Obſervantia non poſſe poſſidere Cenſus, & bona ſtabilia; poſſe tamen recipere per viam eleemoſynæ quidquid eis traditur ab Executoribus ultimarum voluntatum pro celebratione Miſſarum, & Anniverſariorum, & propterea cenſuit committendum, prout præſentis Decreti tenore committit Archiepiſcopo Turritano, ut ad limites prædictæ declarationis in cauſa, de qua ſupra agitur, procedat, & ad illius obſervantiam quantum opus fuerit, juris remediis & in ſubſidium etiam Cenſuris Eccleſiaſticis compellat. Romæ 3. Auguſti 1674.*

„ *Cum autem ſicut dictus Syndicus Nobis ſubinde exponi fecit, ut Decretum hujusmodi firmius ſubſiſtat, & obſervetur exactius, Apoſtolicæ noſtræ Confirmationis patrocinio communiri ſummopere deſiderat. Nos ipſum Syndicum &c. abſolventes &c. ſupplicationibus ejus inclinati &c. Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus &c. ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices &c. irritum &c. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 22. Auguſti 1674. Pontificatus Noſtri anno quarto.*

112 Item affertur ad rem Decretum *Sacr. Congregat. Epiſcop. & Regular. in Lucana 26. Martii* 1677. pro Minoribus de Obſervantia editum.

*Sacra Congregat. EE. & Reverendiſſ. S. R. E. Cardinal. negotiis, & conſultationibus Epiſcop. & Regular. praepoſita, ſaepius declaravit, Fratres Minor. de Obſerv. Sancti Franciſci, quamvis attenta diſpoſitione*: Exivi de Paradiſo, Clemen. V. & Conſtitut. Nicolai III. Exiit, *ſint incapaces obtinendi Cenſus perpetuos, & bona ſtabilia, poſſe tamen per viam purae, & ſimplicis eleemoſynae recipere quidquid ab Executoribus ultimarum voluntatum eis traditur pro celebratione Miſſarum, pro ornamento Eccleſiae, aliiſque neceſſariis procurandis juxta Doctrinam D. Bonaventurae relatam* in Conſtitut. ſan. mem. Urbani VIII. incipient. Sacroſanctum Apoſtolatus Miniſterium

„ Atque in præfatis caſibus dictos Executores ultimarum voluntatum curare debere, ut hujuſmodi piæ diſpoſitiones adimpleantur, ne Teſtatorum Animæ debitis ſuffragiis defraudatæ remaneant; quam quidem declarationem illiuſque tenorem in caſu, de quo agitur eadem Sacra Congregatio ſervari præcipit, committendo Ordinario Lucenſi pro tempore exiſtenti, ut quatenus alius Executor non exiſtat, prænarratam pii Teſtatoris diſpoſitionem executioni demandet &c.

113 Item datur ad rem Mandatum D. Auditoris Cameræ Apoſtolicæ, ut ſequitur. Potentiſſimo, & Catholico Principi D. D. Carolo ab Auſtria &c. felicis proſperitatis augmentum &c. ejuſdem Regnorum & Provinciarum &c. Officialibus &c. ad quos præſentes noſtræ pervenerint, ſeu quomodolibet præſentabuntur: Franciſcus Columna in utraque Signatura SS. D. N. Papæ Referendarius, cauſæque, & cauſarum hujuſmodi &c. ſalutem &c. Noveritis quod introducta alias in partibus coram Vicar. General. Catacen. lite, & cauſa inter Syndicum R. R. P. P. Sancti Franciſci Minor. Obſerv. Civitatis Tabernarum Catacen. ex una, & R. R. D. D. Theodorum, & Dominicum de Carcia ex adverſo principales Partibus ex altera de, & ſuper ſolutione eleemoſynæ debitæ pro Miſſis, pro quibus agitur, rebuſque aliis &c. Dictus D. Vicarius Catacen. in cauſa hujuſmodi procedendo ſuam protulit ſententiam, ſive Decretum tenoris ſequentis; videlicet:

„ Per Curiam Epiſcopalem Catacen. viſa particula ultimi Teſtamenti quondam Felicinæ Riva Civitatis Tabernarum conditi ſub die 20. Maii 1634. &c. ac inſuper inſpecto tenore Bullæ S. D. N. felic. Record. Clementis Papæ X. ſub datum Romæ die 31. Auguſti 1674. pro confirmatione Decreti Sacræ Congregat. negotiis Epiſcoporum, & Regularium propoſitæ lati ſub die 3. Auguſti 1674 declarantis: Fratres Minores de Obſervantia poſſe recipere Legata annua Miſſarum per modum puræ, & ſimplicis eleemoſynæ, etiam pro executione ultimarum voluntatum Teſtatorum, viſis actibus omnibus &c. ac partibus pluries auditis, fuit proviſum & decretum, ſuſpenſiones duarum Miſſarum in hebdomada per eamdem Curiam latam omnino tollendam eſſe ac proinde P. P. Minores de Obſervantia Conventus ſupradictæ Civitatis Tabernarum reintegrentur ad Legatum celebrandi eaſdem duas Miſſas in hebdomada, & ab hodie in antea R. R. D. D. Theodorus, & Clericus Dominicus Carcias correſpondeant eiſdem Fratribus ſcutos decem ſingulis annis pro celebratione prædicta &c. & ita &c. datum &c. die 24. Januarii 1691. Antonius Pavoni Vicarius Generalis &c. A qua inſerta ſententia ſive decreto &c. appellantibus dict. D. D. Theodoro, & Dominico de Carcia fuit hæc cauſa ad Curiam devoluta, *& coram Illuſtriſſimo & Reverendiſſ. D. Thomato in utraque Signatura Referendario &c. Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. A. C. Locumtenente introducta, qui ſer. ſer. procedendo, ſua definitiva ſententia, præinſertam ſententiam ſeu Decretum D. Vicarii Generalis Catacen. confirmavit, & approbavit*, ad effectum tamen exequendi ſuper bonis per D. Victoriam Rivam donantem &c. A qua ſententia Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Thomati iterum appellantibus D. D. Theodoro, & Dominico de Carcia, *fuit cauſa hujuſmodi Nobis commiſſa vigore ſpecialis commiſſionis ejuſdem Sanctiſſimi*, de qua in dictis actis &c. *Nos in cauſa, & in cauſis præd. ſtis rite, & recte, & legitime procedentes &c.* Tandem D. Hieronymo Leto ex adverſo Procuratore dict. D. D. Theodori, & Dominici Carcia ex adverſo principalium &c. per unum ex ejuſdem Sanctiſſimi Curſoribus more ſolito citato, *noſtram protulimus & promulgavimus definitivam ſententiam præinſerti Decreti, ſeu ſententiæ D. Vicarii General. Catacen. & aliam Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Thomati confirmatoriam; prout in dictis Actis infraſcripti Archivii Romanæ Curiæ Scriptoris. Sed quia a tribus ſententiis conformibus non licet amplius appellare, ideo ex parte ejuſdem Sanctiſſimi, & ad inſtantiam dicti D. Syndici dicti Venerandi Conventus R. R. P. P. Minorum de Obſervantia fuit Nobis directa & præſentata commiſſio exequutorialis tenoris ſequentis. Sequitur tenor commiſſionis. Nos denique &c. Dicto Dom. Hieronymo Leto ex adverſo Procuratore dict. Theodori, & Dominici Carcia ex adverſo principalium, iterum ut ſupra citato. Præinſertam ſententiam, ſive Decretum Vicar. Generalis Catacen. aliamque dicti Reverendiſſimi Thomati, & dictam noſtram reſpective definitivam ſententiam exequi mandavimus, ut in illarum executionem, & re judicata præſens mandatum exequutivum ad favorem dicti Syndici R. R. P. P. Sancti Franciſci Minor. Obſervant. Civit. Tabernarum Diœceſis Catacen. contra & adverſus dicta bona per dictam Victoriam donata dictis D. D. de Carcia pro Ducatis vigintiquinque monetæ Regni debitis pro ſupradicta eleemoſyna Miſſarum ab anno 1691. per totum menſem Junii proxime præteriti ad rationem Ducatorum decem pro quolibet anno, ſine præjudicio aliorum per annua decurſorum decrevimus, & relaxavimus, exequi volumus, & mandavimus per præſentes. Quocirca Vos Potentiſſimum Regem, veſtroſque Regios Miniſtros ſtudioſe requirimus, & perbenigne in Domino hortamur attenteque rogamus, Vobis vero, aliis omnibus, & ſingulis ſupradictis &c. tenore præſentium committimus, & in virtute S. Obedientiæ, ac ſub excommunicationis &c. pœna &c. mandamus,*

*damus, quatenus ſtatim viſis præſentibus, & quoties præſentium vigore fueritis, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus &c. ex parte noſtra, ſeu verius Apoſtolica Auctoritate cogatis, & compellatis, cogique, & compelli faciatis &c. dictos Theodorum, & Dominicum Garciam ad dandum, ſolvendum, tradendum &c. & effectualiter exburſandum dicto Rever. Syndico dictorum P. P. Sancti Franciſci Minor. Obſervant. etc. ſcuta viginti quinque monetae Regni, ut praefertur, debita, una cum aliis ſcutis quatuor, et Julios ſeptem monetae Romanae pro expenſis praeſentis Mandati. Datum Romae anno 1693. Indictione prima, die vero 7. menſis Auguſti Pontificatus Sanctiſſimi D. N. Innocentii Divina Providentia Papae XII. anno ejus tertio.*

114 Syndici Apoſtolici nequeunt dominium, vel uſum poſſeſſionum in ſe recipere, ut redditus annuos Fratribus tribuant. Sic expreſſe dicta Sacra Congregat. allegat. *ſupra numer. 91. in fine*, ibi: *Inhibemus autem, ne Syndicus in ſua perſona hujuſmodi annuos redditus recipiat diſtribuendos ipſis Fratribus*. Et *Sacr. Congregat. R. Fabricæ in Æſina Legati 26. Novembr. 1692.* quæ, teſte Eminentiſſimo Cardinal. Petra *tom. 2. Commentar. ad Conſtitut. 5. Honorii III. num. 29.* cenſuit *Franciſcanos Obſervantes, qui prætendebant retinere ſtabilia nomine Syndici eſſe incapaces ad ita retinendum*.

115 Neque dicti Syndici Apoſtolici poſſunt ſine Beneplacito Apoſtolico alienare mobilia pretioſa Eccleſiæ incorporata, ut ſunt Lampades, Candelabra, Paramenta, Picturæ, & hujuſmodi, prout expreſſe de mandato Urbani VIII. 1. *Septembris* 1624. decrevit *Sacr. Congregat. Concil.* prohibens alienationes dictorum fieri ſine expreſſa Sacræ Congregat. licentia, adjectis pœnis ipſo facto incurrendis a contrafacientibus, nulliſque alienationibus declaratis, & noviſſime *eadem Sacr. Congregat. in Papienſi die 18. Martii 1719.* quæ reſpondit: „ Quo ad „ mobilia pretioſa Eccleſiæ incorporata eſſe neceſſarium Be„ neplacitum Apoſtolicum; quo vero ad omnes alias res in „ futurum non poſſe Syndicos procedere ad venditionem, ni„ ſi prævia affixione Edictorum, & venditio fiat majori Ob„ latori. Vide verb. *Syndicus n. 19.*

116 Fratres Minores habent ſolum ſimplicem uſum Facti abſque ullo dominio, & uſu Juris circa res illas, quibus uti poſſunt; *Communis*. Uſus *Juris* eſt ipſum Jus, ſive legitima facultas utendi aliqua re, adeoque uſum Juris habere dicitur omnis, qui & utitur, & poteſt ad libitum licite uti aliqua re. Uſus autem ſimplex *Facti* eſt ipſe actualis uſus rei factus cum omnimoda dependentia a libera voluntate Domini proprietarii: ſicque uſum ſimplicem Facti habere dicitur ille, cui conceditur facultas utendi re etiam uſu conſumptibili, ſed omnino dependenter a libera concedentis voluntate, ita ut pro ejus libito revocari poſſit.

117 Et hic uſus ſimplex *Facti* & omnino dependens a libera voluntate Domini proprietarii concedentis poteſt ſeparari, & de facto ſeparatur a dominio rei etiam unico uſu conſumptibilis. Vide verb. *Dominium art. 1. a n. 18. ad 20.*

118 Domus Profeſſæ Societatis Jeſu, licet ſint vere Mendicantes, ſunt tamen capaces Legatorum etiam bonorum ſtabilium, ita tamen ut ſi talia bona non ſint neceſſaria, nec opportuna uſui Domorum Profeſſarum, ea vendi debeant, & ex eorum pretio propriis neceſſitatibus provideri. Vide verb. *Legatum n. 122.*

119 Scholaſtici, & Coadjutores temporales, qui in dicta præclariſſima Societate Jeſu poſt biennium probationis ſimplicia vota ediderunt, poſſunt, non obſtante voto Paupertatis, retinere, & acquirere dominium radicale bonorum temporalium tam mobilium, quam immobilium antea habitorum, vel poſtea per hereditatem, donationem, vel alio modo obtentorum, quamvis per dictum ſimplex votum paupertatis privati ſint actuali Jure de iis diſponendi arbitrio ſuo ſine Superioris licentia. Sanchez *lib. 7. moral. cap. 18. n. 23. & 28.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 7. num. 3.* Buſemb. *lib. 4. cap. 1. de ſtatu Religioſo dub. 4.* La Croix *ibid. num. 96.* Sporer *tom. 2. tract. 6. cap. 1. num. 58.* & alii. Et ratio eſt, quia illud votum ſimplex non privat, ſed ſtat cum dominio radicali, & in actu primo bonorum antea habitorum, & poſtea acquiſitorum, ſeu acquirendorum, & ſolum privat dominio, ac Jure actuali utendi, vel diſponendi de iis arbitrio ſuo ſine licentia Superiorum juxta Conſtitutionem Gregorii XIII. incipient. *Aſcendente Domino*. Talis enim Religioſa Paupertas non conſiſtit in eo, quod reddat Religioſum incapacem dominii radicalis, & velut in actu primo, qualem etiam habet infans ſub Tutore conſtitutus; ſed quod privet ipſum Religioſum Jure retinendi bona temporalia, & de iis diſponendi arbitrio ſuo ſine facultate, & conſenſu Superiorum ſaltem licite.

120 Unde tales Scholaſtici, & Coadjutores temporales, quamvis mortaliter peccarent contra paupertatis votum, ſi de dictis bonis antea habitis, vel poſtea acquiſitis diſponerent arbitrio ſuo ſine conſenſu Superiorum, tamen talis diſpoſitio eſſet valida. Sanchez *loco citat.* Layman *loco citat.* Sporer *loco citat.* Lugo *in reſponſ. moral. lib. 4. dub. 6.* La Croix *lib. 4. num. 103.* cum Caſtropal. Pellizar. & aliis ibi citatis contra Molinam, & Leſſium. Et ratio eſt, quia licet peccarent mortaliter contra votum paupertatis, ex quo per talia ſimplex votum paupertatis ſibi interdixerint jus diſponendi ſine facultate Superiorum, tamen eorum diſpoſitio eſſet valida, quia adhuc retinent dominium ſuorum bonorum, donec eis ſe abdicent per ſolemne paupertatis votum, cum eis non ſe abdicent per d. votum ſimplex paupertatis.

121 Eſt enim magna differentia inter votum Solemne paupertatis (cui, ut recte notat Layman *loc. citat. num. 3. verſ. ceterum*, æquiparari in hoc decet votum paupertatis Coadjutorum Formatorum dict. Societatis Jeſu) & inter ſimplex paupertatis votum ab ipſis Scholaſticis, & Coadjutoribus temporalibus emiſſum, quia tale ſimplex votum paupertatis privat Religioſum ſolum dominio, ac Jure actuali utendi, & diſponendi de bonis temporalibus arbitrio ſuo abſque facultate Superiorum, & non dominio radicali, & in actu primo. Votum autem ſolemne paupertatis emiſſum in Profeſſione ſolemni Religionis privat ſic profeſſum, non ſolum dominio, ac Jure actuali, ſed etiam Dominio radicali, & in actu primo, ideſt omni Jure, ac facultate, tam valide, quam licite diſponendi de bonis temporalibus antea habitis, ac alia poſtea acquirendi, & alienandi, ut clare habetur *ex cap. Unic. de voto in 6.* & de Coadjutoribus formatis in dict. Societate Jeſu eſt ſtatutum a Gregor. XIII. in dict. Conſt. *Aſcendente Domino*. Layman *l. c. verſ. Ceterum*, Sporer *l. citat. n. 59.* & alii.

122 Ut Regulares poſſint uti rebus aliquibus licite intra terminos Religioſæ paupertatis requiruntur quatuor conditiones. Prima namque eſt, ut utantur iis rebus tamquam non ſuis. Secunda, ut iis utantur cum vera, & rationabili Superioris licentia. Tertia, ut iis utantur juxta modos in qualibet Religione expreſſos. Quarta, ut iis utantur ſervata honeſtate, & modeſtia. Marchantius *in Tribunali tom. 3. par. 2. tract. 2. tit. 1. quæſt. 4.* Henno *tom. 2. tract. 3. diſput. unic. de ſtatu Religioſo quæſt. 9. art. 3. §. 2.* Sporer *tom. 2. tract. 9. cap. 1. n. 61.* & alii in re communiter.

123 Regulares igitur utriuſque ſexus debent uti rebus tamquam non ſuis, ut habetur clare *Actor. 4. nu. 32.*, ibi: *Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia*; & concordat *cap. Dilectiſſimis 2.*, *& cap. Scimus 9. cap. Non dicatis 11. cauſ. 2. q. 1. cap. Monachi 2. Cap. Super quodam 4. cap. Cum ad Monaſterium 6. de ſtatu Monachor.* cum ſimilibus, Concil. Trid. ſeſs. 25. *de Regularibus cap. 2.* ubi expreſſe prohibet Regulares *quovis modo ab eis acquiſita tamquam propria, aut etiam nomine conventus poſſidere, vel tenere*. Et Decret. Clem. VIII. *pro reform. Regularium* incip. *Nullus omnino*, §. 3. ubi confirmantur, & innovantur Decreta Concilii Trid. de ſic paupertatis voto cuſtodiendo.

124 Unde peccant contra paupertatem Regulares utriuſque ſexus, qui mobilia, vel immobilia tamquam ſua retinent, & adminiſtrant; iiſque deſpotice ſuo arbitrio utuntur, ac de iis pro libitu diſponunt. Item qui pro peculio ſeu Livello ſibi conceſſo dant quietantias ſine Superioris conſenſu, volunt ſolutionem in ſuis propriis, & non Superioris manibus fieri, cogunt ad id debitores tamquam abſoluti Domini & hujuſmodi: Regulares enim utriuſque ſexus nequeunt Livellis uti poſſunt, niſi ſervata forma Conſtitutionis Clementis VIII. *de Largitione munerum*. Vide *ſupra n. 70.*

125 Regulares utriuſque ſexus debent uti rebus cum vera, & rationabili Superioris licentia. Unde ſi metu, fraude, dolo, minis, vexationibus, moleſtiis, allegatione falſi, ſeu reticentia veri obtineatur, perinde eſt, ac ſi non fuiſſet talis licentia obtenta, quia ſic, vel eſt violentia; vel ſi ſit licentia, eſt ſubreptitia, vel obreptitia. Idem dicendum eſt, ſi talis licentia abſque rationabili cauſa concedatur, quia tunc nec inferior, nec Superior eſt tutus in conſcientia, cum tales conceſſiones corrumpant mores Religioſorum, ac nimis in dies relaxent Religiones. Tum quia Superiores ſunt diſpenſatores, & non diſſipatores Bonorum Conventuum, ac Monaſteriorum.



126 Licentia non requiritur ſemper expreſſa, ſed ſufficit aliquando etiam tacita, & rationabiliter præſumpta. Taciti enim, & expreſſi eadem eſt virtus, & idem judicium, *Cap. Ex part. 2. de Reſcriptis, leg. Cum quid 3. ff. de rebus creditis, leg. Cornelius 69. ff. de heredib. inſtituend. l. Hæc verba 3. ff. de Legatis 1. l. Fideicommiſſa 11. §. Si filio, ff. de Legatis III.* cum ſimilibus.

127 Unde in illis Religionibus, & Monaſteriis, ubi viget legitima conſuetudo aliqua recipiendi, retinendi, expendendi, donandi, & hujuſmodi ſine expreſſa Superioris licentia, excuſantur Religioſi, ac Religioſæ a peccato proprietatis ratione licentiæ tacitæ, *arg. c. Cum olim 6. cap. Cum Dilectus 8. cap. Cum tanto 9. de conſuetud.* Maſtrius *Theol. moral. diſp. 14. quæſt. 1. num. 44.* Pellizar. *de Monialibus c. 4. numer. 71.* Felix Poteſt. *tom. 1. part. 2. num. 1046.* teſtans de communi.

128 Licentia non eſt neceſſe, quod detur toties, quoties caſus occurrerit, ſed ſufficit abſoluta ſine limitatione conceſſa ſaltem pro tempore ejuſdem Superioris concedentis, niſi aliter conſtet de ejus voluntate. Cum enim talis licentia ſit ſemper revocabilis, ſalvatur ſemper (a), quod Religioſus diſponat de rebus ſibi conceſſis cum facultate, & conſenſu Superioris. Immo licentia ab uno Superiore conceſſa durat etiam ſub alio, niſi ab ipſo Succeſſore expreſſe, vel tacite fuerit revocata, quia gratia non expirat, mortuo, vel amoto ab Officio Concedente; *Cap. Si ſuper gratia 9. de Officio delegat. in 6. cap. Si cui 36. de Præbend. in 6.* Donatus *Prax. rer. Regul. tom. 3. tract. 15. quæſt. 18.* Lezana ab ipſo ibi citatus, Felix Poteſt. *l. c. n. 1038.*, & alii. Vide notata ſupra ad *num. 55.*

129 Regulares utriuſque ſexus tenentur uti rebus ſibi conceſſis juxta modos in ſua Regula, & ſuis Conſtitutionibus expreſſos. Quilibet enim tenetur ſervare paupertatem eo modo, quo illam Deo promiſit; ſicque cum Religioſi voveant ordinarie illam ſervare juxta modos in ſua Regula expreſſos, & in ſua Religione licite ſervari ſolitos, tenentur uti rebus ſibi conceſſis juxta dictos modos.

130 Hinc Fratres Minores de corpore Obſervantiæ, & Capuccini tenentur præ ceteris Regularibus ad uſus arctos, & pauperes in ſua Regula contentos ut declararunt pro Minoribus Nicolaus III. *in cap. Exiit qui ſeminat 3. de verbor. ſignificat. in 6.* Clemens V. *in Clementina Exivi 1. de verbor. ſignific.*, & Innocentius XI. Conſtit. incip. *Sollicitudo Paſtoralis Officii*.

131 Supradicti enim Fratres Minores, quamvis circa res ſibi neceſſarias poſſint habere ſimplicem uſum Facti, non poſſunt tamen habere uſum Juris, & tanto minus dominium. Et circa denarios, vel pecuniam, nec dominium, nec ullum politicum uſum habere poſſunt, ut expreſſe præfati Summi Pontifices, & ſignanter Innocentius XI. in d. Conſtit. incip. *Sollicitudo Paſtoralis Officii*, §. 4., ibi: *Aliarum enim rerum neceſſariarum Fratres Minores de corpore Obſervantiæ hujuſmodi habere uſum licet, non dominium; Denariorum autem nec dominium, nec uſum, & proinde quævis contrectatio pecuniæ, ſeu denariorum, quæ non ſit pure naturalis, ſeu quæ ſit quovis modo politica, cujuſcumque Domini ſint denarii, ſeu pecunia, Fratribus Minoribus Obſervantibus, ſeu de Obſervantia eſt omnino prohibita*.

132 Et inſuper, ut omnis occaſio tranſgrediendi præceptum de non contrectandis denariis, ſeu pecuniis auferatur, prohibet expreſſe idem Pontifex Innocentius XI. in d. Conſtitutione incip. *Sollicitudo*, §. 10. ne Fratres Minores poſſint eſſe adminiſtratores ullorum temporalium bonorum, ſive immobilium cujuſcunque Domini illa ſint, & neque Monaſteriorum ſibi ſubjectorum, ibi: Demum ut omnis occaſio „ tranſgrediendi præceptum de non contrectandis denariis, „ ſeu pecuniis auferatur, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis „ Prælatis ſive Superioribus in virtute S. Obedientiæ, ac ſub „ pœna privationis ſuorum Officiorum injungimus, ut nul„ li Religioſo ejuſdem Ordinis permittant adminiſtrationem „ fundorum, reddituum, ac quarumcumque aliarum rerum, „ & bonorum mobilium, vel immobilium, cujuſcumque „ Domini illa ſint, & ſignanter ut nulli Religioſorum Or„ dini hujuſmodi permittatur adminiſtratio bonorum tempo„ ralium alterius Monaſterii Monialium ſub quovis præ„ textu, aut nomine nempe Adminiſtratoris, Syndici, „ Factoris, Coloni, Superintendentis, Villici, aut alio „ quovis imaginabili.

133 Dictis Fratribus Minoribus, quamvis ſit omnino prohibita receptio, & contrectatio politica, & civilis denariorum, ſeu pecuniæ, nempe receptio, & contrectatio denariorum ad eos pro uſibus expendendos, & permutandos: Non eſt tamen eis prohibita denariorum receptio, & contrectatio pure naturalis, & materialis abſque omni dominio, & uſu, Unde non eſt eis prohibitum denarios e terra levare, eos ad diſcernendam qualitatem Metalli pertractare, curioſitatis gratia tangere, & hujuſmodi. Item non eſt eis prohibitum denarios alicujus parentis, amici, mercatoris, Benefactoris pro cuſtodia ratione alicujus periculi retinere, aut ſecum in itinere ad evitanda latronum pericula ducere, ſeu ad preces alicujus Debitoris eos alio transferre pro conſignandis ejus Creditoribus, vel pro reſtitutione ab aliquo Pœnitente debita facienda, & hujuſmodi; Dummodo ſemper hæc fiant abſque ullo uſu, aut affectu, vel ſcandalo puſillorum.

134 Prædicti Fratres Minores, nedum non poſſunt habere aliquid proprii in perticulari, ſed neque in communi, ad differentiam aliorum *Regularium utriuſque ſexus*, qui licet nequeant habere aliquid proprii in particulari, poſſunt tamen habere dominium bonorum temporalium in communi. Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de Regularibus, cap. 3.*, ibi: „ Concedit Sancta Synodus omnibus Monaſteriis, & Domi„ bus, tam virorum, quam Mulierum, & Mendicantium, „ exceptis Domibus Fratrum S. Franciſci Capuccinorum, & „ eorum, qui Minorum de Obſervantia vocantur, etiam „ quibus, aut ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut „ ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, aut dein„ ceps bona immobilia eis poſſidere liceat.

135 Inſuper Religioſi aliarum Religionum poſſunt etiam in particulari de licentia Superiorum habere uſum pecuniæ, dummodo moderatus ſit, & ad fines honeſtos, & cuilibet Religioſo decentes, & fiat juxta tradita ſub *verb. Moniales art. 2. num. 68. 69. 70., & 79.*, & juxta Conſtitut. Clem. VIII. de largitione munerum, & ejuſdem Decreta pro reformatione Regularium.

136 Dicti autem Fratres Minores neque de licentia ſuorum Superiorum poſſunt in particulari habere uſum pecuniæ: Eſt enim ipſis rigoroſiſſime interdicta receptio, & contrectatio pecuniæ, ut patet ex fundamentali, & præcipuo ſuæ Regulæ præcepto *cap. 4.* his verbis: *Præcipio firmiter Fratribus univerſis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per interpoſitam perſonam*. Cum tanta ſit eorum paupertas (quam eorum S. Pater, & Fundator, ac Summi Pontifices vocant Altiſſimum) ut licet Seraphicus Patriarca permittat, quod „ pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Fratribus inducen„ dis per amicos ſpirituales Miniſtri tantum, & Cuſtodes ſo„ licitam curam gerant ſecundum loca, & tempora, & fri„ gidas regiones; ſicut neceſſitati viderint expedire, excipit „ tamen ſemper, & ſalvat, quod nullo modo denarios, vel „ pecuniam recipiant, cit. cap. 4. Regulæ, ibi: Eo ſemper „ ſalvo, ut, ſicut dictum eſt, denarios, vel pecuniam non „ recipiant. Unde cum neque ipſimet Superiores uſum pecuniæ habere poſſint, tanto minus ipſum pecuniæ uſum poterunt ſubditis concedere, ac permittere, *arg. capul. Nemo 79. de Regul. juris in 6.*, ibi: Nemo poteſt plus „ juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſca„ tur, l. Nemo 54. ff. de Regul. juris, ibi: Nemo plus ju„ ris ad alium transferre poteſt, quam ipſe haberet, cum „ ſimilibus.

137 Immo eſt eis tam rigoroſe interdictus pecuniæ uſus, ut neque in eorum Eccleſiis, ſeu alibi permittatur pecuniarum quæſtus in eorum commodum, ac utilitatem textu ex„ preſſo „ in Clementina Exivi 1. de verbor. ſignificat. §. „ Quo circa, ibi: Quo circa quæſtus omnis pecuniæ, ac „ oblationum pecuniarum receptio in Eccleſia, vel alibi cip„ pi, ſeu tronci ordinati ad offerentium, vel donantium „ pecunias reponendas, necnon quicunque recurſus alius ad „ pecunias, ſeu habentes ipſas, qui per declarationem „ præ-

(a) Nota. Vide quæ adnotata ſunt *num.* 55.

,, prædictam (*hoc eſt Nicolai III.* in cap. Exiit qui ſeminat ,, 3. de verbor. ſignific. in 6.) non conceditur: Hæc, in- ,, quam, omnia ſunt eis ſimpliciter interdicta.

138 ,, Quinimmo neque poſſunt dicti Fratres Minores capſulas retinere in Sacriſtia, aut alibi ad Miſſarum eleemoſynas recipiendas, etiamſi clavem retineret Syndicus Apoſtolicus, ut expreſſe fuit prohibitum per noſtras Conſtitutiones Generales de anno 1628. juſſu Urbani VIII. Conſtit. incip. *Injuncti nobis*, & a *Sac. Congregation. Conc. die 7. Julii* 1708. prout habetur in Chronologia noſtri Seraphici Ordinis Patris Julii de Venetiis ad ſeptuageſimum octavum Generale Capitulum circa finem, ut ſequitur.

Decretum Sacræ Congregation. Concilii Trid. modificativum Bullæ Innoc. Papæ XII. de celebrationem Miſſarum.

*De capſulis.*

Quemadmodum probos decet Religioſos cupientes hujus Ordinis Patres non minus eorum Regulæ puritatem cuſtodire præcipue circa Paupertatis Votum, tantopere a Sancto Fundatore injunctum, quam Apoſtolicis juſſis obtemperare, humillime expetierunt hujus S. C. oraculum ſuper declaratione emergentis caſus, qui eſt ejuſmodi. Urget ex una parte noviſſima Conſtitutio ſan. memor. Innocentii XII. ſuper celebratione Miſſarum, quæ incipit *Nuper*, cum Decreto irritanti, & clauſula *ſublata*, nec non cum derogatione expreſſa omnium Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Statutorum Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, atque conſuetudinum immemorabilium, quæ inter alia provida Decreta demandat retentionem capſularum pro Miſſis celebrandis per verba: Debeant ulterius Regula- ,, res prædicti omnes, & quaſcunque eleemoſynas, tum ,, manualium, tum perpetuarum, & temporalium Miſſarum ,, reponere in capſa particulari ſub duabus clavibus, quarum ,, una penes Superiorem Localem, altera vero penes alium ,, a Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de iiſ- ,, dem eleemoſynis, & celebratione Miſſarum coram Patri- ,, bus Diſcretis, ſeu Conſiliariis, vel alio ſimili modo nun- ,, cupatis ſingulis Menſibus diſtrictam rationem exigere, & ,, reſpective reddere.

Obſtare ex alia parte videntur hujuſmodi capſæ retentioni bina Decreta, alterum editum in Generali Congregatione Ciſmontanæ Familiæ habita in Conventu Aracœli anno 1615. relatum *in tom. 3. Orb. Seraph. pag.* 613. alterum vero per eadem verba conceptum itidem in Generali Congregatione in eodem Conventu celebrata anno 1628. coram clar. memor. Cardinal Gypſio a ſan. memor. Urbano VIII. ſpecialiter delegato, recenſitum quoque *in tom. 4. ejuſdem Orb. Seraph. pag.* 11. quod, & pariter eorumdem verborum textura relatum reperitur poſt Conſtitutionem. *Injuncti Nobis, prælaudati Pontificis 49. in ordine Bull. tom. 4. ſub dat. 4. Junii 1628., & publicatum die 15. ejuſdem menſis, & Anni*, ibi: *Capſæ, vel trunci ad recipiendas eleemoſynas pecuniarias etiam pro Miſſis oblatis, non ſolum ab Eccleſia, ſed etiam a Sacriſtia, & a quacumque parte, quæ ſit intra Clauſuram Conventus omnino prohibentur ſub pœna inobedientiæ, & excommunicationis majoris; oblatæ autem eleemoſynæ pro Miſſis nullo modo intra Clauſuram Conventus, aut intra Eccleſiam, vel Sacriſtiam ab aliquo recipi permittantur, ſed ad Syndicum Apoſtolicum offerens remittatur. Quod ſi id grave illi fuerit, & voluerit* Tertiario, *vel Servitori Conventus tamquam Syndici ſubſtituto illam tradere, ut ad Syndicum ipſum ejus nomine deferatur, id fieri poterit, ea tamen lege, ut intra Clauſuram Conventus, aut Eccleſiæ, nec Tertiarius, nec ſervus illam recipiat, &* Guardianus, *qui contrarium permiſerit, privetur officio*. Et ibidem infra: *Præterea nullo modo habeant in eorum Eccleſiis, vel Sacriſtiis, aut alibi cippos, aut truncos ad offerentium, ſeu donantium pecunias, nec capſulas pro eleemoſynis Miſſarum.*

Inſuper obſtare videntur typis traditæ Conſtitutiones editæ in Capitulo Generali celebrato in eodem Conventu Aracœlitano die 29. Maii 1700. *Pro Ciſmontana Familia*, §. *Ad propoſitionem num.* 1. pag. 40. ubi hæc habentur: *Ad propoſitionem factam in diſcretorio Obſervantium: an ſupplicari deberet SS. uti diſpenſare dignetur cum Obſervantibus in præcepto de retinendo capſulas in Sacriſtia pro recipiendis eleemoſynis pro ut inſinuari videtur in Decretis de celebratione Miſſarum. Definitorium Generale attenta diſpoſitione Regulæ noſtræ cap. 4. ac Apoſtolicarum declarationum illius, aliorumque Pontificum Conſtitutionum, præſertim Nicolai III. Exiit, Clem. V. Exivi, Pauli III. Exponi Nobis die 30. Maii 1539. Innocentii XI. Sollicitudo Paſtoralis, Innoc. XII. Alias a felicis, nec non Decreti Sacræ Congregat. Conſultationibus hujus noſtræ Familiæ præpoſitæ approbante Sanctiſſimo ſub dat. die 4. Junii 1628. declarat ejuſmodi capſulas ſtatui, ac Profeſſioni Fratrum Minorum de Obſervantia eſſe repugnantes, & proinde Fratres noſtros non comprehendi ſub præcepto hujuſmodi de retinendis prædictis capſulis in Sacriſtiis, vel ſuis Conventibus; & ſi opus fuerit, ſupplicetur SS. pro confirmatione hujus declarationis per Officiales Familiæ.*

Harum autem Conſtitutionum legalitatem impugnat Modernus Vice-Commiſſarius Generalis Familiæ Ciſmontanæ autumans eas fuiſſe efformatas proprio marte mox defuncti P. Generalis Ordinis citra conſenſum Generalis Capituli, ſed earum loco hoc aliud exhibuit documentum. In Regeſto Curiæ Aracœlitanæ facto ab anno 1700. uſque ad annum 1704. *fol. 22. num.* 7. inter alia ſic legitur: *Circa Capſulam pro conſervatione eleemoſynarum pro Miſſis celebrandis recipiendarum in Sacriſtiis omnium Regularium etiam Mendicantium cum ampliſſimis derogatoriis omnium in contrarium quomodolibet diſponentium a Sac. Congregat. Conc. noviſſimis Decretis de celebratione Miſſarum obſervari mandatum cum circumſtantiis in ea materia diſpoſitis, Diſcretorium Generale optat, ut ſupplicetur Sanctiſſimo pro diſpenſatione Obſervantium ab obligatione eas capſulas retinendi: At Definitorium Generale rogat Reverendiſs. P. Generalem ut perpenſis perpendendis, mandet id fieri, & reſpective ſupplicari, quod ſibi melius in Domino, ac Ordini utilius videbitur expedire.*

Ancipites valde ſunt Religioſi præfati Ordinis utrum in partem ſe teneant ſuper hujuſmodi capſularum retentione; exindeque in varias abierunt interpretationes cum præjudiciali deformitate Regularis Inſtituti, utpote qui Innocentianam Conſtitutionem ſervandam contendunt, capſulas ad uſum revocarunt; ceteri vero, qui ſupra relatis Ordinis ſtatutis conituntur, eaſdem abjecerant. Propterea prænominatus Vice-Commiſſarius Generalis ad reſtituendam in hac parte debitam Regulæ uniformitatem reverenter expetit E.E.V.V. declarationem, an ſui Religioſi Obſervantes Regulæ D. Franciſci comprehendantur ſub prima dicta Conſtitutione Innocentiana de capſulis retinendis pro Miſſis celebrandis?

Eminentiſſimus Ordinis Protector informare deſuper requiſitus præallegatas diſpoſitiones librando non dubitat, hoſce Fratres Minores Obſervantes comprehendi ſub d. Conſtitutione Innocentiana, eo quod illa ſpecifice de Regularibus Mendicantibus loquatur, atque prememorata Religionis Statuta ex adverſo recenſita non obſtare, ſubdit, attenta ſpeciali eorumdem derogatione in eadem Innocentiana contenta; quin & ulterius Eminent. Relator allegando Indultum ſan. mem. Gregorii XIII. permittentis uſum hujuſmodi Capſularum in Sacriſtia dictorum Fratrum pro aſſervandis eleemoſynis in dies oblatis, quod refertur ab Auctore Orb. Seraph. *tom. 2. pag.* 382. *col. 2. pag. 446. col.* 1. cenſet, nullum ſe ſe deprehendere inconveniens in earum uſu, quoties tamen retineantur cum cautela in locis non publicis, ne in apparentia offendatur Paupertas, ſed aſſerventur claves apud Syndicum Apoſtolicum, & Superiorem Localem reſpective ad formam Conſtitutionis Innocentianæ uti latius in ejuſdem relatione per manus circumferenda. His itaque expenſis emergit dubium ſapientiſſime ab E.E. V.V. reſolvendum.

An, & quomodo Minores Obſervantes valeant retinere Capſulas pro Miſſis celebrandis in caſu &c.

*Die 7. Julii 1708. Sacra Congregation. Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum reſpondit, negative.*

B. Card. Panciaticus Præf.

V. Petra Secret.

Unde prædicti Fratres Minores mortaliter peccant, quo- 139
ties pecunias petunt, ac recipiunt ſive per interpoſitam Perſonam; A pecuniis enim debent dicti Fratres ita eſſe alieni, ut nec ipſis liceat eorum uſus, & contrectatio, ut ultra textum Regulæ *cap.* 4. declararunt expreſſe Nicolaus III. *in c. Exiit, qui ſemin. 3. ad majorem, de verbo r. ſignific. in 6.* Clem. V. *in Clementina Exivi de Paradiſo* 1. *verſ. Verum etiam, de verb. ſignificat.* Innocent. XI. Conſtit. incip. *Sollicitudo Paſtoralis* §. 4.

140 Caſus autem, pro quibus ad amicos ſpirituales eis licet pro eleemoſynis pecuniariis recurrere, & per quos, & quomodo ſint expendendæ, enunciantur *in d. cap. Exiit* §. *Ceterum cum in eadem, & d. Clementina Exivi* §. *Porro verſ. Cum etiam*; & late traduntur per omnes Regulæ Expoſitores, ad quas brevitatis gratia Lectorem remitto.

141 Regulares omnes utriuſque ſexus tenentur uti rebus, ſervata honeſtate, & modeſtia juxta dicta *ſupra num.* 122. ideſt tenentur etiam in rebus ſibi ad uſum conceſſis vitare ſuperfluitatem, curioſitatem, & pretioſitatem, ita ut ſi in illis notabiliter, & graviter excedant, etiam graviter peccent, ut tradunt communiter Doctores. Et ratio eſt, quia Regulares non tenentur ſolum ad præciſam Paupertatis eſſentiam, quæ conſiſtit in abdicatione omnis Dominii, proprietatis, & juris politici in res, & uſu rerum, ſed etiam ad illius acceſſoria, veluti proprietates, ideſt ad *Temperantiam* ſeu *ſufficientiam*, quæ tollit, & damnat exceſſum, & ſuperfluitatem in victu, veſtitu, ſupellectili, ædificiis, & hujuſmodi, juxta illud Apoſt. 1. *ad Timot. cap.* 6., ibi: *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*, & Concil. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 2. de Regularibus*, ibi: *Mobilium uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſuppelex ſtatui Paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat, & nihil ſuperflui in ea ſit.* Item *ad Humilitatem, & Modeſtiam*, quæ excludit pretioſitatem, curioſitatem, faſtum, ſuperbiam, & hujuſmodi. Item *ad Fidelitatem* in adminiſtratione, & uſu Bonorum Monaſterii Deo conſecratorum, ſeu oblatorum pro neceſſaria, & competenti duntaxat ſuſtentatione Religioſorum ad majorem Divini cultus promotionem. Item denique ad *Exemplaritatem*, qua Regulares ſe abſtineant ab omnibus, quæ ſcandalum generare poſſent, uti ſunt voluptuoſi ſumptus, nimiæ profuſiones, & exceſſivæ pompæ, quæ Magnatum ſæculi faſtum potius quam pauperum Clauſtralium Religioſorum humilitatem præſeferunt.

142 An Regulares, qui ſine licentia Superioris diſponunt de ſuis Manuſcriptis, videlicet de ſuis concionibus, lectionibus, compoſitionibus, & hujuſmodi in vita, vel in morte, intra, vel extra Religionem, ſint proprietarii, & peccent contra votum paupertatis? Variant Doctores. Non eſſe tales Regulares proprietarios, nec peccare contra votum Paupertatis tenent Diana *part. 1. tr. 6. de paupertate reſol.* 25., & alii apud ipſum, Homobonus *in Examen. Eccleſ. part. 1. tract. 7. cap. 32. qu.* 100. Valer. *in ſuis differ. verb. Munera numer.* 106. Kilianus Kazenberger *ſupplement. Theol. moral. Patris Sporer cap. 2. ſect. 3. de ſtatu Religioſo numer.* 149. cum aliis ibi citatis, Felix Poteſt. *tom. 1. cap. 2. num.* 1114., & ſic declaraſſe Clementem VIII. pro Minoribus, quod poſſint nempe alienare ſua Manuſcripta diſponendo, ſecum ferendo, donando ſine Superioris licentia, non obſtante ſua Bulla de Largitione munerum, refert Coriolanus Capuccinus *part. 2. de caſibus reſervatis caſ. 8. ſub num. 19. verſ. Hoc autem*, & alii, quibus favent etiam Bordonus *de Profeſſ. cap. 5. quæſt.* 44. Paſſerin. *tom. quæſt.* 189. *art.* 8. *numer.* 184. Pellizar. *tom. 1. Manual. tract. 4. cap. 2. quæſt. 34. num.* 318. Et ratio eſt, quia talia Manuſcripta, utpote partus intellectus ſunt quaſi pars ſcientiæ, & Doctrinæ acquiſitæ, adeoque ſicuti Religioſi ſecum deferre, aut aliis communicare poſſunt ſuam ſcientiam, & doctrinam, ita & propria ſua ſcripta donare. Unde Diana *loc. cit.* cum aliis ibi allegatis reſolvit poſſe Religioſos inter ſe donare ſuas Conciones, Lectiones, & alia manuſcripta, vel poſſe ſecum deferre quocunque vadant, etiamſi ſe transferant in aliam Religionem, idque nulla petita licentia, & nullis relictis copiis. Ex quo juxta Franciſcum a S. Clara apud noſtrum P. Gaudentium Kerchove *in ſtatuta noſtra Generalia cap. 3.* §. 5. *num.* 11. probabile etiam videtur, dicit P. Kazenberger *cit.* nos Fratres Minores poſſe legare noſtra propria manuſcripta.

143 Oppoſitum tamen ſuſtinent Amenus *tract. de Incorrigibilium expulſione part. 3. quæſt. 29. numer.* 193. Donatus *Prax. rerum Regul. tom. 4. de voto Paupertatis tract.* 15. *quæſt.* 46. teſtans ſic tenere etiam omnes illos eruditiſſimos Doctores, quos ipſemet refert *tom. 1. part. 2. tract. 5. quæſt.* 57. cum quibus concurrit Navarrus *lib. 3. quæſt. 14. num.* 10. ubi exinde deducit tranſeuntem ex una in aliam Religionem non poſſe ſecum ferre ſua ſcripta ſine licentia Capituli primi Monaſterii, quia non eſt Dominus illorum, ſed Monaſterium, & ſic tenent plures aliis dicentes, quod hæc ſit vera ſententia firmiter deciſa *in cap. Non dicatis 11. quæſt. 12. numer.* 1., ibi: *Certum eſt eos nihil habere, poſſidere, dare, nec accipere debere ſine Superioris licentia, cap. Statutum 1. cauſ. 18. pag.* 1., ibi: *Sed quidquid acquiſierat, vel habere viſus fuerat, Monaſterio relinquat, cap.* Quia *ingredientibus 7. cauſ. 19. quæſt. 3.*, ibi: *Sed res eorum ejuſdem Monaſterii juris fiant, aperta* Legis *definitione decretum eſt*, & Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 2.*, ibi: *Nemini Regularium liceat bona immobilia, vel mobilia cujuſcunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere, vel tenere.* Et concordant Decreta Generalia Clementis VIII. pro reformatione Regular. incip. *Nullus omnino* §. 3. Unde attente notanda ſunt verba illa Trid. *cit. Cap. Statutum*: *Quidquid acquiſierat*, nam qui totum dicit, nihil excludit; *cap. Solitæ 6.* §. *Nobis, de majorit. & obedient.* cum ſimilibus.

Et ratio eſt, quia quidquid acquirit Monachus, acquirit 144
Monaſterio etiam ex propria induſtria, et arte, *Cap. Statutum 1. cauſ. 18. q. 1. Cap. Abbates 16. cauſ. 18. q. 2. Cap. Quia ingredientibus 7. cauſ. 19. q. 3. cap. In præſentia 8. de probationibus, Cap. Monachi 2. Cap. Super quodam 4. & cap. Cum ad Monaſterium 6. de ſtatu Monach. Authent. Ingreſſi, Cod. de Sacroſanct. Eccleſiis*, cum ſimilibus, adeoque nullatenus de hujuſmodi acquiſitis diſponere poteſt, et ſi in Religione ex commoditate, et aliis, quæ ſibi dedit Religio, aliquos libros conſcripſit vel compoſuit, totum hoc debet cedere in beneficium Religionis.

Tum quia hoc eſſet quodammodo Teſtamentum condere, 145
maxime ſi Regulares in morte de ſuis manuſcriptis diſponerent; Regulares autem tam Superiores, quam ſubditi nequeunt ullimode teſtamentum condere, ut patet ex dictis, & Juribus allegatis ſub verb. *Regulares a n. 62. ad 56.* & ſub verb. *Teſtamentum art. 4.* vide *ibi*; Ipſi enim Regulares ob votum Obedientiæ, & Paupertatis omni libertate, & proprietate ſe privant, ita ut nec velle, nec nolle, nec quidquam proprium, de quo diſponere poſſint, amplius habeant, *cap. Si Religioſus 27. de Elect. in 6. Cap. Religioſus 2. de teſtamentis in 6. Cap. Religioſi 5. de ſepult. in 6.* cum ſimilibus. Si ergo non habent Regulares nec velle, nec nolle, quomodo poſſunt pro ſua voluntate ſine licentia Superiorum de Manuſcriptis diſponere? Hinc S. Albertus Magnus præclariſſimi Prædicatorum Ordinis maximum in omni genere virtutum decus, & ornamentum, partus, ſive tractatus ſui feliciſſimi ingenii jam completos in uno Monaſterio in aliud non deferebat, cum cognoſceret Dominium illorum non habere, ſed ſpectare ad Monaſterium, in quo completi fuerant, ut ex Chronicis Ordinis teſtatur Donatus *cit. q. 46. n.* 4.

Et revera Regulares facti Epiſcopi non ſolum alia bona, 146
ſed etiam libros, quos ſibi pararunt in Religione debent ante conſecrationem omnimode reſignare in manibus Superiorum Religionis, ut expreſſe pro Minoribus ſtatuit Alexander IV. Conſt. incip. *Ex parte veſtra*: & pro Prædicatoribus Clemens IV. Conſt. incip. *Providentia*, & alii pro aliis per text. *in cap. Statutum 1. cauſ. 18. q.* 1. Nec dicendum eſt, dictas Conſtitutiones loqui de libris aliorum Auctorum impreſſis, vel manuſcriptis, non vero de propriis a ſe compoſitis; quia dictæ Conſtitutiones talem diſtrinctionem non faciunt de libris impreſſis, & manuſcriptis, nec de compoſitis a ſe, vel ab alio; & ubi Lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, *cap. Quia circa 22. de Privil. & l. De pretio 8. ff. de Publiciana in rem actione*. Tum quia plus æſtimatur originale manuſcriptum, cujus nullum extat vulgatum exemplar, maxime ſi ſit compoſitum a Viro excellentis, & eximiæ doctrinæ, quam quivis alius liber impreſſus. Unde magis læditur Religio ab ipſius oblatione, adeoque ſi per dictas Conſtitutiones cavetur indemnitati Religionis in minori damno, a fortiori idem erit in majori; argumento a Minori ad Majus deſumpto conformiter *Authent. Multo magis, Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Hinc niſi conſtet authentice de dicta declaratione Clementis VIII. allegata pro prima opinione, vel de alia diſpoſitione Sedis Apoſtolicæ, non eſt recedendum ab hac ſecunda opinione, utpote potiori ratione, & multipliciore jure ſuffulta.

Regulares, qui ex alterius Cella accipiunt Manuſcripta 147
Concionum, aut Manuſcripta alterius generis ad ſibi tranſcribendum, peccant contra votum Paupertatis, et tenentur ad

ad reſtitutionem: Hujuſmodi enim manuſcripta ſunt magno pretio æſtimabilia, ut experientia docet, cum non deſint, qui ob illorum ſimplicem uſum ſolverent centum ſcuta, & ultra propter eorum ſingularitatem. Quo fit, ut ultra peccatum mortale, teneantur reſtituere, quia res tanti valet, quanti æſtimatur ab eo, qui rem habet, *l. Unica Cod. de Sententiis*. Sic Donatus *Prax. rer. Regul. tom.4. tract.15. q.45.* Bartholomæus a S.Fauſto *in Theſaur. Rel. lib.8. de Paupert. q.103. in novis*; Pellizar. *tom.1. Manual. tract.4. cap.2. q. 32. n.316.* cum aliis ibi allegatis.

148 Contra Votum Paupertatis peccant, qui ab aliis data, vel donata recipiunt, & retinent, conſumunt, permutant, alteri donant, vel accommodant, contra, vel citra ullum, ne præſumptum quidem conſenſum, & licentiam Superioris. Item qui pecuniam, vel aliam quamcunque rem ſibi ad unum conceſſam v.g. pro victu, veſtitu, theſibus imprimendis, libris emendis, & hujuſmodi in alios uſus expendunt, ſeu ludendo, potando &c. conſumunt, et prodigunt. Item qui res habitas abſcondunt, vel occultant ne Superior ſciat, vel auferat, nolentes permittere ejus liberæ diſpoſitioni. Item qui res ſibi ad uſum conceſsas culpa, ſeu negligentia lata, quæ dolo æquiparatur, amittunt, vel deſtruunt, aut corrumpunt. Item Syndici, Procuratores, Œconomi, Adminiſtratores, & Prælati inferiores, res & pecunias Monaſterii expendentes, aut elargientes aliter quam Regula Ordinis, voluntas Superiorum, aut conſuetudo poſtulat. Item ipſimet Superiores majores, ſi res, aut pecunias Monaſteriorum aliter expendant, aut elargiantur, quam Ordinis Regula, Lex Pontificia, aut Conciliaris, vel conſuetudo permittat, cum Prælati non ſint bonorum Monaſterii abſoluti Domini, ſed ſoli Adminiſtratores: *Cap. Fraternitatem 2. de donationibus*. Item Superiores permittentes ſubditis, ut pecuniam etiam propria induſtria, & arte acquiſitam, ſeu ſibi donatam, aut legatam, ſeu quovis modo ſibi provenientem expendant in uſus ſuperfluos, vanos, illicitos, aut turpes, ſeu permittentes, ut bona, ſeu mobilia ſuperflua pretioſa, & ſtatum ſuum dedecentia penes ſe habeant, & retineant; tunc enim tam ipſi Prælati, quam ſubditi graviter peccant contra votum paupertatis; Cum nec Superiores poſſint tales licentias concedere, nec ſubditi ipſis uti, ut patet tum ex Concilio Trid. *ſeſſ.25. de Regularibus c.2.* tum ex Decretis Clementis VIII. pro reformatione Regularium incip. *Nullus omnino §.3.* tum ex Decretis Sacræ Congregationis Concilii adductis *ſupr. num. 49.*

149 Regulares utriuſque ſexus ſurripientes de bonis Monaſterii quantitatem notabilem, duplex peccatum mortale incurrunt, unum furti contra juſtitiam, & aliud proprietatis contra votum Paupertatis Vide verb. *Furtum n.70.*

150 Eadem quantitas requiritur, & ſufficit in Religioſo ad furtum mortale, & mortalem tranſgreſſionem voti Paupertatis, quæ ſufficit ad furtum mortale Sæcularium, exceptis eſculentis, & poculentis. Vide *ib. n.71.*

151 Regulares utriuſque ſexus deprehenſi in morte habere aliquam proprietatem, debent cum ipſa ſubterrari extra Monaſterium in ſterquilinio in ſignum ſuæ damnationis æternæ. Vide verb. *Regulares n.16.*

152 Affertur caſus de Monacho mortuo proprietario, & ſepulto cum ſua Pecunia in ſterquilinio cum his verbis: *Pecunia tua ſit tecum in perditione*. Vide *ib. n.17.*

153 Pro Regulari mortuo proprietario non ſunt offerenda Sacrificia, nec fieri debent orationes, nec ei danda eſt ſepultura cum aliis Fratribus in Eccleſia, ſeu Cœmeterio. Vide *ibid. num.18.*

154 Quinimo Regularis Canonicus, & quilibet alius mortuus proprietarius, non ſolum in Cœmeterio ſepeliri non debet, ſed ſi ibi ſepultus fuerit, debet inde exhumari, ſi ſine ſcandalo id fieri poſſit. Vide *ib. n.19.*

155 Advertendum tamen eſt, quod ſi quis Regularis ſubitanea morte, vel aliter defunctus reperiatur cum crumena pecuniæ, non eſt ſtatim ſepultura Eccleſiaſtica privandus, & in ſterquilinio tumulandus, niſi certo conſtet certitudine morali, quod interrogatus a Superiore, an haberet aliquod peculium, reſponderit non habere, dicta enim pœna tumulationis in ſterquilinio non eſt danda indifferenter omnibus Regularibus cum pecunia decedentibus, ſed ſolum illis, qui admonitione præmiſſa deprehenſi; & in morte inventi fuerint cum peculio, quo noluerunt ſe expropriare, ut expreſſe habetur *in cap. Super quodam 4. de ſtatu Monacdorum*. ibi: *Super quodam Canonico Regulari, qui in articulo mortis agens, licet a Priore ſuo commonitus, proprium, quod contra Regulam latenter habuerat, noluit reſignare* &c. quod item ſupponitur *in Cap. Monachi 2. eod. tit. & in Cap. Cum ad Monaſterium 6. eod*, ibi: *Regulari monitione præmiſſa* &c. Et ratio eſt, quia licet repertus fuerit cum tali denariorum marſupio Monaſterii Superiori ignoto, judicari poteſt, quod tale peculium non fuerit ipſius Monachi, ſed alicujus ſui amici, vel conſanguinei, vel quod fuerit ſibi depoſitum, ut alii deferret loco eleemoſynæ, vel reſtitutionis: Immo etiamſi perciperetur fuiſſe ſuum, ſuſpicari poteſt, quod ob aliquem honeſtum finem fuerit ad tempus ei a Superiore majore permiſſum, ſeu eum voluiſſe ſuum peculium Superioribus revelare, et ſolum ob ſubitaneam mortem id feciſſe. Barboſa *de Offic. & poteſt. Parochi Cap.26. num.47.* Emmanuel Rodriquez *t.3. q. 1. art.1. verſ. Decimotertio, & in Compend. reſolut.* 128. *num.20.* Portell. *in dub. Regul. verb. Sepultura n.11.* Peyrin. *tom.1. de ſubdit. q.2. Cap.2. §.9. q.3. verſ. Secundum*, Diana *p.4. Miſcell. reſol.23.* Donat. *l.c. q.53.* et alii paſſim.

156 Admonitio pro Regularibus proprietariis, et præſertim pro Superioribus, qui proprietatem Monachorum decedentium ſibi appropriant tamquam ſpolia. Vide d. verb. *Regulares num. 0.*

157 Caſtitas Religioſa eſt votum, quo Religioſus in aliqua Religione a Sancta Sede approbata ſibi interdicit omnem delectationem voluntariam veneream tam internam; quam externam. *Eſt in re Communis.*

158 Unde per votum Caſtitatis obligantur Regulares ſe abſtinere ab omni actu venereo tam interno, quam externo, qualiſcumque ille ſit, ut a turpibus cogitationibus, delectationibus moroſis, conſenſu, ac etiam ab actibus externis, ut ab aſpectu locutione, tactu, et ſimilibus cum feminis. *Communis*. Et ratio eſt, quia votum Caſtitatis eſt nova obligatio, quam ſibi Regulares imponunt ſupra obligationem Juris naturalis, et Divini: Jus autem naturale, et Divinum prohibet ſupradicta omnia extra conjugium, adeoque etc.

159 Hinc Caſtitas, quæ ante votum ad ſolam virtutem Temperantiæ pertinebat, poſt votum emiſſum, pertinet etiam ad virtutem Religionis, et ſic violatio Caſtitatis in Regularibus duplicem habet malitiam ſpecificam in Confeſſione neceſſario explicandam, nempe malitiam Luxuriæ contra Caſtitatem, et Sacrilegii contra Religionem. *Communis.*

160 Regulares non ſolum violant votum Caſtitatis per ſupradictos actus verſantes circa impudicitiam propriam, ſed etiam per actus verſantes circa impudicitiam alienam. Sicque Regulares, qui etiam ſine propria delectatione concurrunt proxime, & immediate v. g. per tactum ad pollutionem hominis ſæcularis, violant ſuum votum Caſtitatis. Sic Cardenas apud La Croix *lib.4. n.155.* dicens ſententiam oppoſitam eſſe damnatam a S.Fidei Tribunali, & ita tenent Sanchez *de Matrim. lib.9. diſp.23. n.6.* La Croix *l.c. nu.155.* Felix Poteſt. *tom.1. p.2. n.1855.* & alii. Et ratio eſt, quia qui utitur membris ſuis ad impudicitiam mortalem etiam ſine delectatione propria, peccat mortaliter contra propriam Caſtitatem, ut patet in eo, qui abſque delectatione propria dormientem tactu provocat ad pollutionem, vel fatuos conjungit ad copulam, ipſe enim non peccat contra Caſtitatem alienam, quia dormientes, & fatui non peccant, adeoque peccat contra Caſtitatem propriam; Sicque Regulares violant ſuum votum Caſtitatis etiam per actus verſantes circa impudicitiam alienam.

161 Votum Caſtitatis in Profeſſione Religioſa emiſſum irritat Sponſalia V. verb. *Sponſalia n.85.*

162 Item ſponſalia irritantur per Votum Caſtitatis emiſſum in ſuſceptione Sacrorum Ordinum. Vide *ib. n.88.*

163 Per Votum ſimplex perpetuæ Caſtitatis non diſſolvuntur Sponſalia ex parte voventis, bene vero ex parte alterius. Vide *ib. n.94.*

164 Per Votum ingrediendæ Religionis probabilius non diſſolvuntur illico ſponſalia, ſed ſolum ſuſpenduntur ex parte ipſius voventis. Vide *ib. n.90.*

165 Per tale Votum non diſſolvuntur illico ex parte non voventis. Vide *ib. n.91.*

166 Per Votum recipiendi Sacros Ordines probabilius non diſſolvuntur ſponſalia ex parte ſponſi voventis. Vide *ibid. num. 92.*

167 Solvuntur tamen per tale Votum ex parte Sponſæ. Vide *ibid. num. 93.*

168 Votum Caſtitatis emiſſum in Profeſſione Religioſa dirimit Matrimonium contrahendum. Vide verb. *Impedimenta Matrimonii art.1. num.24.*





169 Votum Caſtitatis emiſſum in ſuſceptione Sacrorum Ordinum eſt ſolum impedimentum dirimens reſpectu Matrimonii contrahendi, attamen non dirimit jam contractum, quamvis nondum conſummatum. Vide *ib. n.25.*

170 Votum autem emiſſum in Profeſſione Religioſa, non ſolum eſt impedimentum dirimens reſpectu Matrimonii poſtea contrahendi, ſed etiam dirimit jam contractum nondum conſummatum. Vide *ib. num.26.*

171 Epiſcopi Regulares non abſolvuntur a votis eſſentialibus, ſed ſolum eximuntur quo ad aliquos effectus Paupertatis, & Obedientiæ juxta decentiam ſtatus. Vide verb. *Epiſcopus art. 7. n.2.*

172 Epiſcopi Regulares illarum Religionum, quæ ultra tria vota eſſentialia omnibus communia, emittunt aliud quartum votum eſſentiale, ut eſt votum vitæ Quadrageſimalis apud Minimos, tenentur etiam ad illud, niſi ſpecialiter a Sede Apoſtolica diſpenſentur. Vide *ibid. n.3.*

173 Regulares a religione ejecti, & in ſæculo remanentes tenentur ad vota eſſentialia religionis. Vide verb. *Ejicere, Ejecti num.49.*

174 Advertendum tamen eſt, quod licet in Ejectis perſeveret plena obligatio Caſtitatis, obligatio tamen Paupertatis, & Obedientiæ ſuſpenditur quo ad executionem, & obſervantiam multorum juxta capacitatem ſui ſtatus. Vide *ibidem num. 50.*

175 Similiter obligatio aliorum votorum ſupra tria eſſentialia, in aliquibus Religionibus emitti ſolitorum, aliarumque regularium obſervantiarum proprii Inſtituti, etiam ſub mortali præceptarum ſuſpenditur quo ad illa, quæ pugnat cum ſtatu, in quo reperiuntur, & perſeverat, quoad illa, quæ compatiuntur cum eorum ſtatu. Vide *ib. n.51.*

176 Etiam contraria opinio quoad hæc eſt probabilis. Vide *ib. num.52.* (a).

177 Alia ad rem. Vide verb. *Legatum* verb. *Moniales, art.2.* verb. *Profeſſio Regularis*, verb. *Regulares*.

## ARTICULUS III.

### Quo ad ea, quæ concernunt votorum obligationis ceſſationem.

1 VOtorum obligatio ceſsat, ſeu tollitur generatim loquendo quatuor præcipue modis. Videlicet per Extinctionem, per Irritationem, per Diſpenſationem, & per Commutationem. *Sic in re Communis Doctorum*. Votorum obliga-
2 tio ceſſat, & expirat, ſeu tollitur *per Extinctionem*; Primo quando ceſſat cauſa finalis, & principalis Voti, ceſſante enim ſine principali Voti, ceſſat ipſius Voti obligatio. *Com. cap. Cum ceſſante 60. de appellat.* Unde ſi quis v.g. voveat dare quotidie Franciſco pauperi obolum pro ſublevanda ejus inopia, & Franciſcus interim evadat dives, aut non amplius egeat tali obolo, ceſſat, ſeu expirat dictum Votum, cum eſſet finis totalis dicti voti. Item ſi quis voveat Lauretanam peregrinationem ad obtinendam valetudinem ſui Filii, & interim Filius moriatur, extinguitur penitus ejus Votum, & ſic de ſimilibus.

3 Secundo ceſſat, & extinguitur totaliter obligatio voti, quando non impletur conditio appoſita. *Communis*. Unde qui vovit v. g. jejunium, eleemoſynam, & hujuſmodi, ſi talem Dignitatem, ſi tale Beneficium obtinuerit, hoc non obtento, ad Votum non tenetur; Actus enim ſub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum; *arg. § Sub conditione 4. Inſtit. de verbor. oblig. & l. Unica §. Sin autem, Cod. de caducitat. tollend.* Suſpenditur enim ejus valor uſque ad eventum conditionis, *l. Is cui, ff. de action. & obligat. l. Legata ſub conditione, ff. de condiction. & demonſtrat.* & ratio eſt quia actus agentium non operantur ultra intentionem, & voluntatem eorum, *l. Omnis 19. ff. de rebus creditis, Si certum petatur, & de condictione*.

4 Tertio ceſsat, & extinguitur obligatio voti quando materia ex poſſibili fit impoſſibilis, ex licita illicita, ex bona indifferens, aut majoris boni impeditiva. *Communis*, per text. *in l. Pluribus 140. §.2. ff. de verb. obligation.* ibi: *Et ſi placeat extingui obligationem, ſi in eum caſum inciderit, a quo incipere non poteſt, & l. Impoſſibilium 185. ff. de Regul. Jur.* ibi: *Impoſſibilium nulla eſt obligatio, & cap. Nemo poteſt 6. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Nemo poteſt ad impoſſibilia obligari*. De Jure enim illud tantum poſſibile, & fieri poſse cenſetur, quod licite fieri poteſt, *Cap. Fraternitatis 15. cauſ.22. q.2.* juncta Gloſsa *ib. verb. Quod poteſt.* Immo votum con- 5
ceptum de re impoſſibili, aut illicita non obligat, etiamſi poſtea fiat poſſibilis, aut licita, textu expreſso *in l. Quod initio 29. de Regul. juris, cap. Non firmatur 18. de Regul. juris in 6.* ibi: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit*.

6 Quarto ceſsat, & extinguitur obligatio quando poſtea tam notabilis rerum mutatio accidit, vel ſpecialis, vel inopinatus caſus occurrit, ut rationabiliter præſumi poſſit voventis intentionem, ad ejuſmodi eventum, ſive caſum ſpecialem non ſe extendiſse, ſed excepturum fuiſse, ſi in mentem veniſset, ut de eo interrogatus fuiſset. Actus enim agentium non operantur ultra intentionem & voluntatem eorum; *l. Non omnis 19. ff. de rebus creditis, Si certum petatur, & de condictione. Sic Communis Doctorum, arg. Cap. In generali conceſſione 71. de Regul. juris in 6. l. Alumnos 1. C. Quæ res pignori obligari poſſint*, cum ſimilibus. Unde qui vovit certa jejunia &c ſuperveniente poſtea gravi, & incurabili infirmitate, ſenectute, &c. non obligatur ad impletionem voti, quia ſicuti gravis, & incurabilis infirmitas, & ſenectus excuſat ab obligatione præcepti Eccleſiaſtici de jejunio, ita etiam excuſat ab obſervatione jejunii promiſſi. Item qui vovit magnam eleemoſinam, Eccleſiam, ſeu Altare ædificare, ſuperveniente poſtea inopinata gravi depauperatione, non obligatur ad votum durante tali paupertate, cum adimpletio voti pro tunc fit moraliter impoſſibilis; Obligaretur autem ad dictum votum, ſi poſtea ad meliorem fortunam rediret, *Cap. Quod ſuper 8. §. Unde credimus diſtinguendum, de Voto*. Et id etiam in civilibus debitis obſervandum eſse expreſse ſtatuitur *in §. ultimo Inſtit. de actionibus, l. Is qui 4. & l. Qui bonis ſuis 6. ff. de ceſſione bonorum*, cum ſimilibus.

7 Quinto ceſſat, & extinguitur obligatio voti, quando eſt jam elapſum tempus, quod Vovens determinavit ob ſpecialem devotionem, ſeu circumſtantiam talis temporis, & ſic illud determinavit cauſa obligationis reſtringendæ, & finiendæ. Vide *ſupra art. 1. num.57.* Secus autem quando determinavit tempus, non intuitu ad ipſum tempus, nec ob ſpecialem devotionem, ſeu circumſtantiam talis temporis, ſed ſolum ratione ipſius voti adimplendi. Vide *ib. n.38.*

8 Sexto ceſſat, & extinguitur ipſo jure omne Votum ſive reale, ſive perſonale, ſive in ſæculo, ſive in Novitiatu emiſſum etiam reſervatum Summo Pontifici, eo ipſo quod quis in Religione approbata ſolemnem Profeſſionem emittit, quamvis Voveris nullam habeat tunc intentionem illud commutandi, & de hoc nihil penitus cogitet. Habetur clare *ex cap. Sriptura 4. de voto*, & ſic tenent Sanchez *lib.5. moral. cap.5. n.38. & ſeq.* Felix Poteſt. *tom.1. p.2. n.1920. & ſeq.* Pirhing *l.3. Decret. tit.34. n.27. & ſeq.* & ipſo teſte alii communiter.

9 Non extinguuntur tamen per Profeſſionem Religioſam Vota realia a tertio acceptata, quia acceptatio facit ea tranſire in contractum, per quem jus parti acquiritur. Unde non eſt Deo gratum obſequium, ſi quid ei promittitur cum præjudicio juris alterius, ſeu injuria erga alium ob quam cauſam talia Vota neque per commutationem, vel diſpenſationem ordinarie relaxari poſſunt. *Communis*.

10 Irritatio Voti (quæ eſt ſecundus modus, per quem tollitur obligatio votorum) eſt ablatio obligationis ejuſdem facta per Perſonam facultatem dominativam in Voventem, vel in materiam Voti habentem. *Eſt in re Communis*.

11 Irritatio differt a diſpenſatione, quia Irritatio eſt ablatio obligationis Voti facta nomine proprio per poteſtatem dominativam; Diſpenſatio vero eſt ablatio obligationis voti facta nomine alieno per poteſtatem juriſdictionis, in quantum ſcilicet nomine Dei, qui poteſtatem juriſdictionis dat quibuſdam Perſonis Eccleſiaſticis ad tollendam cum juſta cauſa Voti obligationem, ea juriſdictione tales Perſonæ ad id utuntur.



(a) Nota. Nil probabilitatis in hac opinione apparet, cum prior opinio omnino vera videatur.

Item quia Irritatio fieri poteſt etiam a Perſona Laicali, Diſpenſatio vero ſolum a Perſona Eccleſiaſtica. Item quia Irritatio ſine juſta cauſa eſt quidem illicita, ſed tamen valida, cum fiat ratione Dominii, & nomine proprio; Vota enim emittuntur cum tacita conditione conſenſus Perſonæ habentis in Voventem, aut in rem votam dominium; Diſpenſatio autem ſine juſta cauſa, nedum eſt illicita, ſed etiam invalida, cum fiat ſolum ratione juriſdictionis, & nomine Dei, qui non approbat ſolutionem Voti ſine juſta cauſa factam. Vid. *infra n.59.*

12 Irritatio, et Diſpenſatio differunt a Commutatione, quia Irritatio, & Diſpenſatio pura, & propria tollunt penitus omnem obligationem directe, vel indirecte profectam ex Voto; Commutatio vero non tollit omnem obligationem, ſed relinquit obligationem faciendi aliquid loco illius, quod remiſſum fuit, ut patet ex infra dicendis de commutatione. Dicitur autem notanter Diſpenſatio *pura & propria* ad diſtinctionem Diſpenſationum Matrimonialium, aliarumque ſimilium, quæ vel a Dataria, aut a Pœnitentiaria Romana ſolent expediri, quia iſtæ non ſunt puræ diſpenſationes, ſed mixtæ cum Commutatione, & ſæpe valde operoſa, ut eas legenti patet.

13 Irritatio eſt duplex, directa, & indirecta. Irritatio *directa* eſt illa, quæ fit per Perſonam habentem poteſtatem dominativam in voluntatem Voventis; Irritatio vero *indirecta* eſt illa, quæ fit per Perſonam habentem poteſtatem, ſeu juriſdictionem non in voluntatem Voventis, ſed ſolum in materiam Voti. Sic *in re Communis Doctorum*.

14 Unde Vota directe irritare, eſt, Perſonam habentem Poteſtatem Dominativam in voluntatem Voventis velle, & pronunciare, ut illius Vota nulla taliter ſint, ut nullo unquam caſu eorum obligatio poſtea reviviſcat. Vota enim directe irritata nunquam reviviſcunt, quia ſunt extincta in radice. Irritare autem Vota indirecte nihil aliud eſt, quam Perſonam habentem poteſtatem in materia voti, ejus obligationem ſuſpendere (in quantum ſuo juri præjudicatur (donec deſinat ipſi præjudicium afferre. Nemo enim poteſt aliter promittere aliquid in præjudicium tertii. Unde vota indirecte tantum irritata reviviſcunt, quando deſinunt præjudicium afferre: Sicque eorum obligatio non eſt in perpetuum ablata, ſed ſolum ad tempus ſuſpenſa. vide *infra numer. 56.*

15 Vota directe irritare poſſunt omnes, & ſoli illi, qui habent poteſtatem Dominativam in voluntatem Voventium. *Communis, argument. cap. Puella 2. cauſ. 20. quæſt. 2. cap. Mulier* 14. *cauſ. 32. quæſt. 2. cap. Manifeſtum eſt* 11. *cauſ.* 33. *qu. 5. cap. Si quis 2. de Regularibus cum ſimilibus.*

16 Hinc Pater poteſt irritare directe omnia Vota etiam Caſtitatis, & Religionis a Filiis impuberibus emiſſa. *Communis*, per text. *in cap.* 30. *Numeri, capit. Puella 2. cauſ.* 10. *qu. 2.* ibi: *Puella ſi ante 12. annos ætatis ſponte ſua ſacrum ſibi velamen aſſumpſerit, poſſunt ſtatim Parentes ejus, vel tutores id factum irritum facere, ſi voluerint. At ſi annum & diem diſſimulando conſenſerint, ulterius nec ipſi nec ipſa mutare hoc poterunt, cap. Mulier* 14. *cauſ.* 32. *quæſt. 2. cap. Manifeſtum eſt* 11. *cauſ.* 33. *quæſt. 5. cap. Si quis 2. de Regularibus*, cum ſimilibus. (a) Et ratio eſt, quia Filii impuberes in illa tenera ætate ob rationis, judicii, & diſcretionis imbecillitatem Patris voluntate, & auctoritate de ipſo jure naturæ regendi ſunt, adeoque in omnibus eorum Votis, juramentis, pactis, ac promiſſionibus quibuſcumque ſemper intelligenda eſt tacita hæc conditio; *Si pater conſentiat, aut non contradicat.*

17 Pater poteſt irritare directe quodcunque Votum Filii impuberis in ipſa impubertate editum, non ſolum durante impubertate, ſed etiam poſtea quocunque tempore pubertatis, Dummodo Filius factus pubes illud votum non confirmaverit, aut ratificaverit. Reiffenſtuel *lib. 3. Decret. tit. 34. numer.* 13. Felix Poteſtas *tom. 1. part. 2. numer.* 2980. Sporer *tom. 1. tractat. 3. in 2. præcept. Decalog. cap. 2. numer.* 21. teſtans de communi cum Navarr. Leſſio, Suarez, Sanchez, Gobat, & aliis contra Sotum, & paucos alios. Et ratio eſt, quia poteſtas irritativa fundatur in imperfectione ætatis, ac judicii; ſub qua fuit Votum ab initio emiſſum, adeoque cum dictum votum ab initio fuerit infirmum, & irritabile, manet tale donec novam aliam firmitatem per confirmationem, ſeu ratificationem tempore pubertatis acquirat, *argument. cap. Non firmatur 18. de Regulis juris in 6.* ibi: *Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non ſubſiſtit.*

18 Ut autem confirmatio, ſeu ratificatio voti in pubertate facta novam, & veram obligationem inducat, ita ut a Patre amplius irritari non poſſit, tria requiruntur. Primum, ut pubes ratificans, ſeu confirmans votum vere ſciat votum prius a ſe in impubertate editum, infirmum fuiſſe, debile, ac irritabile. Secundum, ut pubes velit de novo ſe obligare firmiter perinde, ac ſi nunquam ſe obligaſſet. Tertium, ut pubes ita diſpoſitus voce, vel ſaltem mente votum infirmum, ac debile repetat, aut certe approbet: alioquin niſi hæc tria concurrant, manebit præteritum ejus votum prorſus eo modo, quo antea erat, & ipſa confirmatio, ſeu ratificatio dicetur ſola ejuſdem præteriti voti renovatio, ſeu repetitio, quæ novam obligationem non inducit, ſed votum, uti erat prius, relinquit, cum ſimilis renovatio, ſeu repetitio nihil aliud ſit, quam prius vinculum, uti erat, approbare, & non de novo inducere, & ſuſcipere. Reiffenſtuel *loc. citat. numer.* 14. & 15. Sporer *loc. citat. numer.* 22. Tambur. *lib. 3. cap. 18. numer. 35. de obligatione Voti*, Felix Poteſtas *loc. citat. num.* 1984. teſtans de communi, Gobat *de Votis cap. 6. num.* 176. ubi affert ad id ſingularem caſum merito ibi legendum.

19 Si quis vero immemor ſui voti infirmi, debilis, & irritabilis verb. grat. Caſtitatis perpetuæ in impubertate editi, votum Caſtitatis perpetuæ poſt pubertatem emittat, tunc tale votum erit omnino firmum, & reſervatum, nec a Patre irritari poterit, quia eſt Votum omnino a priori diſtinctum, & independens ab illo, cum pro tempore, quo vovens emittit, poſterius, nullimode recordetur prioris. *Communis.*

20 In defectu Patris Vota Filii impuberis, ſeu Pupilli poteſt directe irritare Tutor, quia Tutor reſpectu Pupilli loco Patris ſuccedit. *Communis.*
21 Et in defectu Patris, & Tutoris vota Filii impuberis poteſt directe irritare Mater, etiamſi Tutrix non ſit, quia in defectu Patris, Tutoris, ac Aſcendentium ad Matrem ipſo jure naturæ hæc cura ſpectat, ut Filium loco Patris gubernet, eique loco Tutoris ſit, quando alius non eſt, qui imbecillitati impuberis conſulat. Suarez *de Voto lib. 6. cap. 6. num.* 22. Henno *tom. 1. tract. in Decalog. diſput. 2. quæſt. 4. concluſ. 2. reſolut.* 8. Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 7. num.* 10. Sanchez *lib. 5. moral. cap. 35. num.* 81. Buſemb. *lib. 3. part. 1. cap. 3. dub. 6. art. 1. num.* 1. Sporer *l. citat. num.* 24. & alii. Quamvis tamen plures alii non improbabiliter velint non poſſe Matrem directe irritare vota Filii impuberis, niſi ſit Tutrix; Unde recte ait Henno *loc. citat.* quod Mater tutius ageret, ſi tunc poſtularet a Judice deſignari Filiorum Tutrix.

22 Vota Religioſorum Profeſſorum directe irritare poſſunt præter Papam Superiores, Generales, Provinciales, & Locales. *Communis* per text. *in cap. Puella 2. cauſ. 20. quæſt. 2. cap. Monacho 2. ead. cauſ. 2. quæſt. 4. cap. Mulier 14. cauſ. 32. quæſt. 2. cap. Manifeſtum eſt 11. cauſ. 33. quæſt. 5. cap. Si quis 2. de Regularib.* cum ſimilibus. Et ratio eſt, quia cum Religioſi non habeant, nec velle, nec nolle, & omnino dependeant a voluntate ſuorum Superiorum, ut expreſſe habetur *in cap. Si Religioſus 27. de Election. in 6. cap. Religioſus 2. de Teſtamentis in 6. cap. Religioſi 5. de ſepulturis in 6.* in omnibus eorum Votis, ac promiſſionibus quibuſcumque ex communi ſenſu, & uſu Eccleſiæ, ac interpretatione juris intelligitur ſemper tacita conditio: *Niſi Superior contradixerit.* Unde *in citat. cap. Monacho 2. cauſ. 20. quæſt. 4.* expreſſe dicitur: *Monacho non licet Votum vovere ſine conſenſu Abbatis ſui; ſi autem voverit, frangendum erit.*

23 Id etiam extenditur probabiliter ad Abbatiſſas, Prioriſſas, ſeu Superioriſſas Monialium, nam his etiam ſubditæ vovent Obedientiam. Reiffenſtuel *loc. citat. num.* 9. Sporer *loc. cit. num.* 16. Suarez *lib. 6. de voto cap. 7. num.* 19. Buſembaum *loc. cit. n.* 2. Felix Poteſtas *tom. 1. part. 1. numer.* 1969. & alii plures.

Non

(a) Nota; En verba, quæ habentur *cauſ. 20. quaeſt. 2. can. Puella: Puella ſi ante 12. annos aetatis ſponte ſua ſacrum ſibi velamen aſſumpſerit, poſſunt ſtatim Parentes ejus vel Tutores id factum irritum facere, ſi voluerint. At ſi annum, & diem diſſimulando conſenſerint, ulterius nec ipſi, nec ipſa mutare hoc oterunt.*



24 Non poſſunt tamen Superiores Regulares irritare vota ſubditorum tranſeundi ad Religionem ſtrictiorem, quia quo ad hunc tranſitum Religioſi ſunt ſubditi tantum Summo Pontifici, cum talis tranſitus ſit eis etiam invitis ſuis Superioribus de jure conceſſus, textu expreſſo *in cap. Licet 18. de Regularibus. Sic Communis Doctorum.*

25 Nec Prælatus inferior poteſt directe irritare Votum ſubditi a Prælato majore ratificatum. *Communis, argument. cap. Inferior 4. diſt. 21. cap. Cum inferior 16. de majorit. & obedient. Clementin. Ne Romani, de election.* Bene tamen e contra votum ex licentia Superioris ſubordinati emiſſum directe irritari poteſt a Superiore majore, cum ſubditus, & Superior ſubordinatus teneatur ſe ſemper conformare voluntati Superioris majoris.

26 Nec poſſunt Superiores Regulares directe irritare vota Novitiorum tam perſonalia, quam realia, ſive in ipſo Novitiatu, ſive antea emiſſa. *Communis.* Et ratio eſt, quia Novitii nondum per votum Obedientiæ ſunt ſubjecti poteſtati dominativæ Superiorum quo ad voluntatem, & actiones ſuas, ſed abſolute ſunt juris. Unde Superiores poſſunt ſolum dictorum Novitiorum vota irritare indirecte, vel potius ſuſpendere, quatenus eorum gubernationi, et exercitiis probationis, pro quibus ſe dictis Superioribus ſponte ſubjiciunt, impedi-
27 mento, & præjudicio ſunt. Hinc ſi Novitii a Religione egrediantur, reviviſcit obligatio dictorum ſuorum Votorum cum per dictam irritationem indirectam non fuerint extincta, ſed ſolum pro interim ſuſpenſa; Si vero profeſſionem ſolemnem emittant, omnia eorum Vota perſonalia, ſive in ſæculo ſive in Novitiatu emiſſa penitus extinguuntur, juxta dicta *ſupra num.* 8. & realia, ſicut alia debita ad heredes tranſeunt, præſertim ſi fuerint a tertio jam acceptata, cum acceptatio faciat ea tranſire in contractum, per quem jus parti acquiritur. Unde ipſa Vota realia a tertio acceptata non extinguuntur per Profeſſionem Religionis, juxta dicta *ſupra numer. 6.* & tenent Pirhing. *lib. 4. Decretal. tit. 34. n.* 28. Sporer *l. c. n.* 28. & alii paſſim.

28 Qui habet facultatem irritandi Vota directe per poteſtatem dominativam in ipſam Perſonam, vel voluntatem Voventis, ut Superior reſpectu Religioſi, Pater reſpectu Filii, Tutor reſpectu Pupilli, poteſt valide irritare dicta vota, quamvis de ejus licentia, & approbatione fuerint emiſſa. *Communis.* Et ratio eſt, quia dando licentiam præſenti conſenſu non cenſetur ſe privaſſe jure ſuo & poteſtate plene dominativa in ipſam Perſonam, vel voluntatem Voventis, cujus Vota ſemper habent annexam conditionem: *Si Superior non contradixerit.*

29 Immo qui habet facultatem irritandi Vota directe per dictam poteſtatem dominativam in Perſonam, vel voluntatem voventis, poteſt adhuc valide irritare ejus Vota, quamvis licentiam vovendi conceſſerit cum expreſſa promiſſione non revocandi, neque irritandi dicta Vota permiſſa, vel quomodolibet approbata, teſte Sporer *loc. citat. numer.* 30. Et ratio eſt, quia, ut dicit ipſe Sporer, Superior, vel Pater, aut Tutor etiam per illam promiſſionem non ſe abdicavit, immo non potuit ſe abdicare ſua poteſtate, quam a natura, vel jure communi habet in Religioſum; vel Filium, aut Pupillum, adeoque non obſtante etiam illa promiſſione, adhuc valide irritare poterit: Secus autem eſt dicendum ut infra patebit, de ijs, qui indirecte tantum, ac ratione materiæ poſſunt irritare Vota aliorum.

30 Vota emiſſa de licentia anteceſſoris Superioris, Tutoris &c. poſſunt directe irritari a Succeſſore habente æqualem poteſtatem, quamvis licentia ab anteceſſore conceſſa fuerit cum promiſſione non revocandi. *Communis.* Et ratio eſt, quia anteceſſor non potuit ſui æqualis Succeſſoris juri præjudicare, cum par in parem non habeat imperium; *cap. Innotuit 20. de election. §. Quamvis, cap. Exiit 3. de verbor. ſignificat. in 6. §. Ceterum ſanctæ memoriæ.*

31 Vota Uxoris poſſe directe irritari a Marito, ſicuti directe irritari poſſunt Vota Religioſorum a ſuis Superioribus, Vota Filiorum impuberum a ſuis Patribus, & Vota Pupillorum a ſuis Tutoribus vere probabiliter defendunt Sotus, Roſella, Angles, Aragonius, aliiſque citatis Sanchez *lib. 4. moral. cap. 34. num.* 3. Et id probabile etiam cenſent Bonacin. Leſſius, Tambur. & alii. Et ratio eſt, quia voluntas Uxoris videtur eſſe plene ſubjecta dominio Mariti ſecundum Apoſtolum ad Epheſios *cap. 5. num.* 22. ibi: *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino, quia vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ*; & ad rem favet Lex illa *Numer. cap.* 30. ibi: *Uxor in Domo Viri ſui cum ſe Voto obſtrinxerit, vel juramento, ſi audierit Vir ejus, & tacuerit, nec contradixerit ſponſioni, reddet quodcunque promiſerat; ſin autem exemplo contradixerit, non tenebitur promiſſionis rea, quia Maritus contradixit.*

32 At vero communior & probabilior eſt ſententia contraria, quam defendunt Innocentius *in cap. Scripturæ, de Voto*, Suarez *lib. 6. de Voto, cap. 4.* Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 7. numer.* 12. Reiffenſtuel *lib. 2. Decretal. tit. 34. numer.* 17. La Croix *lib. 3. part. 1. numer.* 493. cum Sact. Antonin. Navarr. Azorio, Valent. Leſſio, Bonacin. Caſtropal. Illſung. & aliis ibi citatis, Sporer *loc. citat. numer.* 27. vocans hanc communem. Et ratio eſt quia nullo jure probari poteſt quod Uxores ſimpliciter, & abſolute in omnibus ſubjectæ ſint maritis, uti ſubditi Religioſi ſuis Superioribus, & Filii impuberes Parentibus, ac Pupilli Tutoribus, ſed ſolum in his, quæ concernunt, & tangunt uſum Matrimonii, educationem prolis, & adminiſtrationem familiæ, uti recte obſervant Doctores citati in hoc ſenſu intelligentes allatos Scripturæ textus pro alia ſententia. Nec enim dicendum eſt, Uxores ſubjici Maritis Jure naturali, aut gentium, quaſi voluntas Filiorum impuberum ſubjecta eſt eorum Patribus, & voluntas Pupillorum ſuis Tutoribus, quia Uxores longe majorem rationis diſcretionem obtinent, quam impuberes; alioquin ſi ipſæ non eſſent uxoratæ, ſemper Tutoribus eſſent ſubjiciendæ quaſi perpetuo impuberes, quod non eſt dicendum. Nec dicendum eſt ipſas ſic ſubjici ſuis Maritis Jure poſitivo, cum nullum tale Jus reperiatur; Unde Mariti non poſſunt irritare Vota Uxorum directe, ſed ſolummodo indirecte ut infra dicetur.

33 Domini nequeunt Vota ſervorum irritare per ſe directe, ſed ſolum indirecte, & per accidens, quatenus obligationi ſervitutis, & famulatus, ac Juri quod in ſervis habent ipſi Domini, officiunt & præjudicant, uti infra patebit. *Sic in re communis Doctorum.*

34 Papa nequit directe irritare Vota Chriſtianorum. Sanchez *lib. 4. moral. cap. 24. numer.* 17. Caſtropal. *d. 2. part. 2. numer.* 2. Leander *de Voto tract. 1. diſput. 16. §. 2. quæſt.* 8. Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 7. numer.* 8. cum aliis ibi citatis, La Croix *lib. 3. part. 1. numer.* 484. & ipſo teſte alii communiter. Et ratio eſt, quia Papa non habet poteſtatem Dominativam in omnes Chriſtianos, cum hæc non ſit ei neceſſaria ad Eccleſiæ Catholicæ gubernationem, ſed ei ſufficit poteſtas ſuprema Juriſdictionis, media qua pro exigentia Eccleſiæ regiminis poteſt vota fidelium diſpenſare, vel commutare, ſeu eorum executionem impedire per poteſtatem præceptivam, aut ſaltem valorem votorum impedire antequam fiant, alioquin nullus homo poſſet ſe obligare alteri homini, niſi ſub conditione: *Si Papa conſenſerit*, quod non eſt dicendum; Unde Papa poteſt ſolum ipſa vota Chriſtianorum irritare indirecte ratione materiæ, ut infra dicetur.

35 Neque Papa poteſt directe irritare vota Clericorum Sæcularium, quia neque in illis habet poteſtatem dominativam, ſed ſolum indirecte, quatenus Eccleſiæ bono, cujus ille ſupremam Juriſdictionem habet ac curam gerit, præjudicium adferre poſſunt, uti infra patebit. *Communis.*

36 Poteſt tamen Papa directe irritare vota Religioſorum, & Monialium. *Communis.* Et ratio eſt, quia Papa eſt omnium caput, & Regularium omnium etiam Prælatorum Generalis, ac Supremus Prælatus, & Superior, cui principaliter Religioſæ Obedientiæ Profeſſio concipitur, & nomine, ac conceſſione illius a Superioribus Regularibus acceptatur, adeoque cum ſic poteſtatem dominativam habeat in omnes Religioſos, poterit directe eorum vota irritare.

37 Vota indirecte irritare poſſunt omnes, qui ipſa poſſunt irritare directe. *Communis*; Cui enim licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus, textu expreſſo *in cap. Cui licet 53. de Regul. Jur. in 6.* & plus ſemper in ſe continet quod eſt minus, *cap. Plus 35. de Regul. Juris in 6. leg. In eo quod plus* 110. *ff. de Regul. Juris.* Et ubi majus conceditur, minus conceſſum eſſe videtur, textu expreſſo *in cap. Ex parte 27. de decimis.*

38 Unde Papa poteſt irritare indirecte, nedum Vota Religioſorum, & Monialium, & Clericorum Sæcularium circa res Eccleſiaſticas, & circa concernentia ad illas, ſed etiam vota aliorum omnium Chriſtifidelium ratione materiæ, quatenus poteſt per poteſtatem præceptivam votorum executionem impedire in quantum Eccleſiæ bono, cujus ille ſupremam habet Juriſdictionem, & curam gerit, præjudicium adferre poſſunt. *Communis.*

39 Epiſcopi, aliique Eccleſiaſtici Prælati poſſunt indirecte irrita-



 rita-

ritare Vota ſuorum ſubditorum, quando materia illis præjudicat in eorum Regimine, gubernatione, & adminiſtratione. *Communis*.

40 Superiores, & Superioriſſæ Regulares poſſunt indirecte irritare Vota ſimplicia Religioſarum præjudicantia ſuæ Juriſdictioni, Regimini, ac diſciplinæ Regulari. *Communis*.

41 Immo nedum Religioſorum Profeſſorum, ſed etiam Novitiorum Vota indirecte irritare poſſunt in iis, quæ eorum gubernationi, & exercitiis probationis, ſeu Novitiatus adverſantur. *Communis*.

42 Pater indirecte irritare poteſt Vota Filiorum puberum etiam poſt pubertatem emiſſa, quatenus præjudicant liberæ Patris poteſtati in libera, & expedita familiæ rerumque ſuarum adminiſtratione. Non ſic autem Vota Filiorum puberum, quæ poteſtati, & gubernationi paternæ non præjudicant ullo modo, quamvis dicti Filii puberes ſint adhuc ſub patria poteſtate. Unde licet Pater poſſit irritare Vota Filiorum de longis peregrinationibus, de multis jejuniis, de dando eleemoſynam ex bonis paternis &c. ex quibus oriri poteſt præjudicium paternæ poteſtati in familiæ regimine, & rerum ſuarum adminiſtratione; Non tamen irritare poteſt Filiorum puberum vota Religionis, Caſtitatis, Sacrorum Ordinum, Confeſſionis, & Communionis menſtruæ, nec vota de dando eleemoſynam de ſuis bonis caſtrenſibus, ac quaſi caſtrenſibus, ſi quæ habeant. *Communis*.

43 In defectu Patris poteſt vota Filiorum puberum indirecte irritare Curator: Curator enim loco Patris ſuccedit; Unde poteſt vota Minorennum concernentia bona temporalia, vel præjudicantia adminiſtrationi ſuæ irritare. *Communis*.

44 In defectu Patris, vel Curatoris poteſt vota Filorum puberum indirecte irritare Mater, quamvis ipſa non inſtitueretur Curatrix, quia in defectu Patris, Curatoris, ac Aſcendentium, ad Matrem ipſo Jure naturæ hæc cura ſpectat, ut Filios loco Patris, ac Curatoris gubernet, adeoque ipſa ſicuti Curator indirecte irritare poterit vota realia Filiorum puberum ſuæ gubernationi præjudicantia. Tambur. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 3. *numer.* 23. Henno *tom.* 1. *diſput.* 2. *in Decalog. q.* 3. *art.* 4. *concl.* 2. *reſolut.* 8. Sporer *loco citat. numer.* 24. Buſemb. *loc. citat. art.* 2. *numer.* 1. & alii contra alios volentes non improbabiliter non poſſe Matrem indirecte irritare vota Filiorum puberum, niſi inſtituta ſit eorum Curatrix; Unde recte ait Henno *loc. citat.* quod Mater tutius ageret, ſi tunc poſtularet a Judice deſignari Filiorum puberum Curatrix.

45 Maritus poteſt indirecte irritare Uxoris Vota, quæ ratione materiæ præjudicant familiæ, proli, debito conjugali, aut rei domeſticæ. *Communis ac certa*, *argument. cap. Si dicat* 1. *cap. Mulier* 3. *cap. Quod Deo* 4. *cauſ.* 33. *quæſt.* 5. cum ſimilibus. Et ratio eſt, quia mulier ſubjecta eſt poteſtati Mariti in debito conjugali, ſicuti etiam in iis, quæ rectam familiæ gubernationem, & rei domeſticæ adminiſtrationem concernunt, juxta illud ad *Epheſios* 5. ibi: *Mulieres viris ſuis ſubjectæ ſint ſicut Domino*, & concordat *cap. Mulierum* 17. *&*
46 *cap. Adam* 18. *cauſ.* 33. *quæſt.* 5. cum ſimilibus. Dummodo tamen talia Vota fuerint ab Uxore tempore Matrimonii emiſſa, quia Vota ante illud edita poteſt quidem Maritus ſuſpendere, ſi rectæ familiæ gubernationi, ac rei domeſticæ adminiſtrationi præjudicent, non tamen penitus irritare. *Communis*.
47 Item nec poteſt Maritus irritare Vota illa ab Uxore etiam tempore Matrimonii edita, quæ ſupradictis nullum præjudicium adferunt, ut ſunt Vota non ludendi, Sacramenta frequentandi, moderate jejunandi, eleemoſynas de bonis Paraphernalibus faciendi &c. *Communis*. Vide verb. *Maritus n.* 3. 4. *&* 5.

48 Uxor poteſt indirecte irritare Vota ſui Mariti Juri Matrimoniali, & mutuę cohabitationi præjudicialia, verb. grat. abſtinentiam immoderatam, preces continuas, longam peregrinationem; Niſi tamen eſſet peregrinatio Hieroſolymitana in ſubſidium Terræ Sanctæ, quæ expreſſe excipitur *in cap. Ex multa* 9. *de Voto*. Item Uxor poteſt irritare Votum Mariti de ſuſcipiendo Habitu Eremitæ, ſeu Tertii Ordinis alicujus Religionis, & hujuſmodi, quia illa, & ſimilia impediunt, vel retrahunt Uxorem a debiti petitione. *Communis*. Et ratio eſt, quia Uxor in his poteſtatem habet in Maritum, juxta illud Apoſt. 1. *ad Corinth. cap.* 7. ibi: *Vir poteſtatem ſui corporis non habet: ſed Uxor*.

49 Si Maritus, & Uxor ex mutuo conſenſu emittant Votum continentiæ, non poteſt amplius nec mutua, nec alterius conjugis contradictione irritari. *Communis*, per clarum textum *in cap. Quod Deo* 4. *cauſ.* 33. *q.* 5. ubi ex verbis S. Auguſtini ſic expreſſe habetur *Quod Deo pari conſenſu voveratis, perſeveranter uſque in ſinem reddere debuiſti, a quo propoſito, ſi ille lapſus eſt, tu ſaltem inſtantiſſime perſevera*. Et ratio eſt, quia ſic uterque in ordine ad debiti petitionem, aut redditionem Juri ſuo ceſſit, cui Juri uterque potuit libere cedere, cum liberum ſit unicuique Juri ſuo renunciare, textu expreſſo *in cap. Si de terra* 6. *de privileg. &* l. *Si quis in conſcribendo* 29. *Cod. de pactis*. Unde in tali caſu ſolum per legitimam Superioris diſpenſationem ad debiti petitionem & redditionem reſtitui poſſunt in caſu urgentis neceſſitatis.

50 Domini irritare poſſunt indirecte ſolum illa ſervorum Vota, quæ præjudicant obligationi ſervitutis & famulatus, ac Juri, quod in ipſos ſervos Domini habent; non autem illa, quæ nullatenus eorum obſequio, famulatui, aut Juri officiunt, uti ſunt Vota ſervandi Caſtitatem, frequentandi Sacramenta, eleemoſynas de proprio peculio faciendi, & hujuſmodi. *Communis*. Et ratio eſt, quia præcise in rebus ſervitium ac obſequium concernentibus Domini & Dominæ dominantur ſervis, & ancillis.
51 Vota ſervorum edita ante ſervitutem, ſeu durante ſervitute, implenda tamen ſeu implebilia poſt ſervitutem, ſuſpenduntur quidem durante ſervitute, & finita ſervitute, ſine dubio convaleſcunt, & ſervata ſunt; Unde a Dominis irritari non poſſunt. *Communis*.

52 Ad Voti irritationem validam nulla requiritur cauſa, ad licitam autem aliqua juſta cauſa requiritur cauſa, ad licitam autem aliqua juſta cauſa requiritur. *Communis*. Et ratio primæ partis eſt, quia in Voto inferioris intelligitur ſemper tacita conditio, *ſi Superior conſenſerit*; unde ubi ille diſſentit, Votum evaneſcit. Ratio vero ſecundæ partis concluſionis eſt quia unuſquiſque tenetur uti poteſtate ſibi conceſſa ad Dei gloriam; Dei autem gloria poſtulat, ut votum non irritetur ſine juſta aliqua cauſa; cum Deus ſit per Votum illud colendus, adeoque &c.
53 Unde ſi ſine ulla penitus cauſa (quæ etiamſi levis (a) poſſet ſufficere) irritatur Votum, tam Superior irritans quam inferior irritationem exigens peccant ad minus venialiter, quia auferunt Deo cultum per illud Votum ipſi exhibendum.
54 Si autem Superior Votum cum ſua licentia aut approbatione ab inferiore emiſſum ſine ulla juſta cauſa irritet, tam ipſe, quam inferior talem irritationem poſtulans peccat graviter & maxime ſi preceſſerit promiſſio non revocandi. Colligitur clare ex *Num.* 30. ubi de Viro, qui taciturnitate ſua Voto Uxoris conſenſum dat, & poſtea contradicit, ſeu illud irritat, expreſſe dicitur, quod *portabit ipſe iniquitatem ejus*, ideſt, ut explicant Lyranus, Abulenſis, Oleaſter, & alii, *pœnam iniquitatis*, per quam intelligitur peccatum grave, cum venialæ non ſoleat venire nomine iniquitatis.

55 Vota per ſe directe irritata per poteſtatem videlicet dominativam in ipſam voluntatem Voventis, ut Vota Religioſi irritata a Prælato, Voto Filii impuberis irritata a Patre, Vota Pupilli irritata a Tutore non reviviſcunt, poſtquam Vovens a poteſtate Irritantis liberatus eſt; Sunt enim talia Vota extincta in radice, ut dictum eſt *ſupra n.* 14. Sic *Communis Doctorum*. Vota autem irritata ſolum indirecte ratione materiæ, uti ſunt Vota Novitii, Filii impuberis, Minorennis, Uxoris, Servi irritata Prælato, Patre, Curatore, Marito, Domino &c. manente re integra, omnino reviviſcunt, Poſtquam Vovens a poteſtate irritantis liberatus eſt. Sic Innocentius *in Capit. Scripturæ, de Voto*, Suarez *lib.* 6. *de Voto cap.* 1. *num.* 4. *& cap.* 4. *num.* 17. Roſella verb. *Votum* 2. *num.* 13. Valentia *t.* 3. *diſp.* 6. *q.* 6. *p.* 6 *difficul.* 4 Leſſius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 10. *num.* 82. Layman *loc. cit. cap.* 7. *n.* 19. Buſemb. *loc. cit. art.* 2. *num.* 8. Felix Poteſt. *loc. cit. num.* 1973. Sporer *loc. cit. num.* 35. & alii plures contra Panormitan. Cajetan. Aragon. Silveſtrum, Navarrum, & alios.
56 Et ratio noſtræ concluſionis eſt, quia Vota indirecte irritare, ut dictum eſt *ſupra n.* 14. nihil aliud eſt, quam Perſonam habentem poteſtatem in materiam Voti, ejus obligationem ſuſpendere (in quantum ſuo Juri præjudicatur) donec deſinat ipſi præjudicium afferre; ergo poſtquam Vovens a poteſtate talis Perſonæ irritantis liberatus eſt, ejus vota indirecte ſolum irritata quo ad obligationem reviviſcunt, cum eorum obligatio non ſit in perpetuum ablata, ſed ſolum ad tempus ſuſpenſa, durante nimirum ſubjectione, & obligatione Voventis ad certa obſequia præſtanda dictæ Perſonæ irritanti, adeoque ceſſante hac obligatione, Vota ejus antea impedita, ſeu ſuſpenſa, omnino reviviſcunt, cum ceſſante ratione, & cauſa Legis, vel obligationis, ceſſet Lex, ſeu obligatio ipſa, *leg. Adigere* 6. §. 1. *ff. de Jurepatron.* & ceſſante cauſa ceſſet effectus; *cap. Cum ceſſante* 60. *de Appellat.*

(a) Nota. S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. inquit: *Omnis diſpenſatio petita a Prælato, debet fieri in honorem Chriſti, in cujus perſona diſpenſat, & ad utilitatem Eccleſiæ, quæ eſt ejus Corpus*. Atque hinc vide, num levis cauſa ſufficiat ad irritanda vota. Cæderet ne id in honorem Chriſti, & in ædificationem Eccleſiæ?



57 Tum quia noſtra concluſio deducitur clare ex *cap. Quidam* 3. *de converſione conjugator* ubi habetur, Maritum, qui invita Uxore Religionem profeſſus, & ab ea revocatus fuerat, poſtea Uxore mortua ad Religionem quidem compellendum non eſſe, quia Profeſſio irrita fuit repugnante Uxore, nihilominus a debito petendo, & ſecundis nuptiis arcendum eſſe; quia nimirum in Profeſſione Religionis, etſi alias defectu conſenſus Uxoris irrita, Votum continentiæ virtualiter ſeorſim obligans manebat, ibi: *Ulterius vero non poterit Uxorem accipere, promiſit enim ſe non exigere debitum, quod in ejus poteſtate erat, & immo quoad Votum* (ſcilicet continentiæ) *tenuit*. Unde Gloſſa *ib. verb. Non exigere* ſic expreſſe habet: *Quia quantum ad continentiam ſervandam ſatis ſolemnizavit ipſum Votum per ſuam Profeſſionem*, idipſum habetur *in cap. Placet* 12. *eod.* Uxore, quæ ignorante Marito ab ipſa credito mortuo Religionem profeſſa, & ab ea revocata fuit a Marito, poſtea domum reverſo, & a Summo Pontifice declarata fuit obligata ad Votum continentiæ poſt obitum Mariti, ibi: *Quantum ad ipſam tenuit Votum, quod poſt Viri obitum tenere non deſiit. cum ad eum caſum, a quo poterat efficax habere principium pervenisse noſcatur*. Unde ſi dicendum eſt de ſimilibus, ut ſi v. gr. Novitius voveat omni tempore vitæ ſuæ quotidie inviſere Sacellum B. Mariæ Virginis erectum in Cathedrali, Filius pubes, ac Minorennis quotidie reficere quinque pauperes, Uxor jejunare ter in qualibet hebdomada, ſervus vel Ancilla abſtinere ab operibus ſervilibus die Sancti ſui nominis, poſtquam dicti Voventes a poteſtate Irritantis liberati fuerint, redibit obligatio ſui reſpectivi Voti *Cum ad eum caſum, a quo poterat efficax habere principium, perveniſſe noſcatur*, ut expreſſe dicitur *in cit. cap. Placet* 12. *de Voto, & voti redemptione*.

58 Diſpenſatio Voti (quæ eſt tertius modus, per quem tollitur obligatio Votorum) eſt ablatio, ſeu remiſſio talis obligationis ejuſdem ob juſtam, & rationabilem cauſam facta ab habente ſpiritualem Juriſdictionem in Voventem. *Eſt in re Communis*.

59 Ex qua definitione, ut vides, clare patet, quod ad Diſpenſationem neceſſario requiritur aliqua juſta, & rationabilis cauſa; alias Diſpenſatio ſine juſta, & rationabili cauſa a quocunque Superiore facta, eſſet potius diſſipatio, quam Diſpenſatio; & ſic non ſolum erit illicita, ſed etiam invalida, ut teſtibus Sporer *loc. cit. ſect.* 3. *n.* 38. & Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 20. tenent omnes Doctores. Et ratio eſt, quia ubi non adeſt juſta, & rationabilis cauſa Diſpenſationis, deeſt Poteſtas & Juriſdictio diſpenſandi; Poteſtas autem, & Juriſdictio diſpenſandi in Votis conceſſa a Deo Eccleſiæ, ſeu Prælatis Eccleſiaſticis eſt ſolum cum juſta, & rationabili cauſa, cum data ſit *in ædificationem, & non in deſtructionem*, ut dicit Apoſtolus 2. *ad Corinth. capit.* 10. *numer.* 8. *& capit.* 13. *n.* 10. ubi vero deeſt conditio, ſub qua datur diſpenſandi poteſtas, deficit ipſa poteſtas conſequenter & ipſa diſpenſatio; *arg. l. Si quis ſub conditione* 8. *ff. Si quis omiſſa cauſa*. Unde hæc ſpecialis inter alias intercedit differentia inter Diſpenſationem, & Irritationem, quod irritatio, cum nomine, & auctoritate propria fiat, eſt valida, quamvis nulla rationabilis & juſta cauſa Votum irritandi adſit; diſpenſatio autem ſine rationabili & juſta cauſa eſt invalida, quia fit nomine alterius, & quidem Superioris poteſtatem ſine juſta ac rationabili cauſa diſpenſandi nunquam concedentis, adeoque diſpenſatio ſine juſta, & rationabili cauſa a quocumque Superiore facta, non ſolum eſt illicita, ſed etiam invalida, quippe excedens poteſtatem homini collatam a Deo. Vide *ſupra n.* 11.

60 Præcipuæ, juſtæ, & rationabiles cauſæ diſpenſandi in Votis ſunt quatuor ſequentes, ad quas ceteræ aliæ commode reduci poſſunt. Prima ſcilicet eſt imperfecta deliberatio, ſeu imperfectio actus vovendi, ob quam diſpenſari poteſt in Votis illorum, qui ea emittunt adhuc in tenera ætate, præſertim ante pubertatem, *cap. Venientes* 2. *de Voto*, ibi: *Nos autem ipſum a Voto, quod in ætate tenera facilitate potius quam ex arbitrio diſcretionis promiſit, abſolvimus*. Item ob eamdem cauſam diſpenſari poteſt in Votis illorum, qui in ira, triſtitia, mœrore, metu, aut alia mentis perturbatione oppreſſi imprudenter Vota emiſerunt, quo etiam ſpectat facilitas, ſeu levitas vovendi præſertim in feminis.

61 Secunda juſta, & rationabilis cauſa diſpenſandi eſt damnum ſpirituale, vel temporale occaſione Voti proveniens, ut ſic Votum ſpectatata qualitate Perſonæ, ac naturæ fragilitate periculum majoris ruinę adferret Voventi, & e contra diſpenſatio ad ſpiritualem profectum magis ceſſura videatur: Si juſte ac rationabiliter diſpenſatur Votum continentiæ, ſeu non petendi debitum in Perſona conjugata, Votum Caſtitatis in Perſona ad carnis lapſum valde proclivi, ac fragili, & hujuſmodi, cum ab ipſis prudenter timeatur Votum ſæpiſſime eſſe violandum. Item rationabiliter diſpenſatur cum eo, qui ratione Voti multis ſcrupulis, & anxietatibus cruciatur, & divexatur. Item juſte diſpenſatur cum illo, qui ex obſervatione Voti notabile damnum patitur in ſanitate corporis. Item legitime diſpenſatur in illis Votis, quorum executio adfert Voventi, vel ſuis grave aliquod damnum in bonis temporalibus, v. gr. ſi quis non valde dives voverit copioſas eleemoſynas, longas peregrinationes aliaque ſimilia notabiliter gravantia, & lædentia ſe, vel ſuam familiam, *arg. cap. De peregrinationis Votis* 1. *& cap. Magnæ* 7. *de Voto & Voti*

62 Tertia juſta, & rationabilis cauſa diſpenſandi eſt notabilis, & valde magna difficultas exequendi Votum, præſertim ſuperveniens, vel ante non prævisa, ut concedunt, omnes. Immo non ſolum ea, quæ prius incognita ſupervenit, ſed etiam ea, quæ prius jam fuit prævisa, ſemper enim multo difficilior apparet res, dum illius inſtat executio, quam dum remote, & a longe prævidetur. Unde recte ad propoſitum exclamat Tamburinus *lib.* 3. *in Decalog. capit.* 16. §. 3. *numer.* 28. *O quoties dum mente, & cogitatione tantum prælíamur, in quæque magna aſſurgimus, in quæcumque pericula ruimus, ad quorum tamen primum occurſum trepidamus, & terga etiam volentes vertimus.* Sic tamen Abbas *in cap. Non eſt* 5. *n.* 6. *de Voto*, Sporer, *loc. cit. n.* 40. Reiffenſtuel. *loc. cit. n.* 23. Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 45. *numer.* 41. & alii.

63 Quarta juſta, & rationabilis cauſa diſpenſandi eſt bonum commune, præſertim Eccleſiæ, vel Reipublicæ. Sic cum unico Herede alicujus Regni, vel Ducatus juſte, & rationabiliter diſpenſatur in Voto Caſtitatis, & Religionis, ut inde nubere poſſit, ſi prævideatur ita proficuum eſſe Reipublicæ, quæ alias ob ſucceſſionem in Regnum, vel Ducatum plurimis ſubjaceret incommodis, concuteretur bellis, vexaretur perturbationibus, depauperaretur prædationibus, & hujuſmodi. Item juſte, ac rationabiliter diſpenſetur in Voto illius, qui longam vovit peregrinationem, quem tamen multum expedit Reipublicæ, aut Familiæ præſto eſſe. *Communis*, *arg. cap. De peregrinationis Votis* 1. *cap. Magnæ* 7. *& cap. Ex multa* 9. *de Voto*, *& Voti redemptione*.

64 Ad diſpenſandum in Votis tria præcipue attendenda ſunt, ut monet Innocentius III. *In cap. Magnæ* 7. *de Voto*, *& Voti redemptione*, nempe: *Quid liceat ſecundum æquitatem, quid deceat ſecundum honeſtatem, & quid expediat ſecundum utilitatem*. Hinc quo majus & excellentius Votum eſt, ut caſtitatis perpetuæ, Religionis, Peregrinationis ad loca ſancta, & hujuſmodi, eo major cauſa requiritur ad diſpenſationem; & ubi cauſa non appareat ita ſufficiens ad omnino diſpenſandum, admiſcenda eſt aliqua commutatio, ſubrogando nempe aliquod pium opus; quo Voti gravitas prudenter diſpenſantis judicio compenſetur. Immo quamvis appareat cauſa ſufficiens ad diſpenſationem, conſultum eſt, ſemper aliquam commutationem admiſcere exemplo Summorum Pontificum, ut patet *in cap. Venientes* 2. *cap. Magnæ* 7. *cap. Quod ſuper* 8. *& cap. Ex multa* 9. *de Voto*, *& Voti redemptione*.

65 Si Diſpenſatio data ſit cum bona fide, & poſtea inveniatur data ſine ſufficienti cauſa; aut ſi data cum dubia, & deinde inveniatur data ſine cauſa, ſatis probabile eſt, quod maneat valida. Sic cum aliis Leſſius *part.* 2. *de Inſtit. cap.* 4. *dubit.* 17. Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 44. *n.* 10. Sporer *loc. c. n.* 45. Azorius, Tamb. aliique cum Illſung. apud La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 541. quamvis ipſe dicat, quod alii cum Caſtrop. probabilius teneant non valere. Et ratio probabilis noſtræ ſententiæ eſt, quia ſpectat ad Dei benignitatem approbare, & ratum habere quod bona fide conceſſum, & acceptatum fuit, quamvis revera nulliter tunc egerit diſpenſans. Hoc enim eſt privilegium bonæ fidei, *arg. leg. Barbarius* 3. *ff. de*

*ff. de Offic. Prætor.* & ſuavitati regiminis Eccleſiæ conformius, & humanius. *Hoc enim humanius eſt*, ut de ſimili dicitur *in cit. l. Barbarius*.

66 Diſpenſans ſcienter ſine juſta cauſa, ſicuti & ſcienter petens, ac acceptans hujuſmodi diſpenſationem, peccat mortaliter pro ratione materiæ. *Communis*. Utraque enim ſibi arrogat in re gravi Jus, quod non habet; & ipſa eſſet potius diſſipatio, quam diſpenſatio, cum poteſtas diſpenſandi data ſit in *ædificationem*, & non in *deſtructionem*, ut dicit Apoſtol. 2. *ad Corinth. cap.* 10. *num.* 8. *& cap.* 13. *num* 10.

67 Interveniente juſta, ac rationabili diſpenſandi cauſa, Superior, vel quivis diſpenſandi facultate præditus, ſi rogetur, tenetur ſub gravi in Votis diſpenſare. *Communis*. Et ratio eſt, quia poteſtas diſpenſandi eſt ipſis conceſſa ad bonum ſubditorum, & Reipublicæ; Unde eam ſine cauſa denegantes ſubditis, & Reipublicæ gravem injuriam inferunt, & fiunt cauſa culpabilis damnorum, vel peccatorum ex negata debita diſpenſatione ſecutorum. Diſpenſationem enim eſſe debitam, quando eſt neceſſaria ad commune bonum, vel evitandum publicum ſcandalum, & ad reparandum grave damnum ſpirituale, vel corporale Voventis ad procurandum majus bonum ex diſpenſatione proventurum, & hujuſmodi, ſatis colligiatur *ex cap. Ponderet* 14. *cap. Et purgabit* 15. *cap. Quia ſanctitas.* 16. *cap. Quid eſt* 17. *cap. Cum exaudiero* 19. *cap. Contumaces* 21. *cap. Si quis Presbyter* 12. *cap. Bene valet* 23. *cap. Sacerdos quidem* 24. *& cap. Ut conſtitueretur* 25. *diſt.* 50. *cap. Expoſuiſti* 23. *de Præbend.* cum ſimilibus.

68 Papa ex juſta, & rationabili cauſa diſpenſare poteſt in quolibet Voto, tam ſimplici quam ſolemni, non ſolum edito in ſuſceptione Sacri Ordinis, ſed etiam in Profeſſione Religioſa. *Communis*, per verba Chriſti *Matth. cap.* 16. *num.* 19. *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis*. Et de facto Alexander III. diſpenſavit cum Nicolao Juſtiniano Monacho ad nubendum, & Celeſtinus III. diſpenſavit cum Conſtantia Moniali Profeſſa Filia Rogerii Siciliæ Regis, ut nuberet Henrico VI. et Gregorius XIII. diſpenſavit cum fratre Cardinalis Jojoſæ Gallo Sacerdote profeſſo & Provinciali Ordinis Cappuccinorum, ut ex aliis refert Fagnanus *lib.* 3. *Decretal. in cap. Cum ad Monaſterium* 6. *de ſtatu Monachor. n.* 66. teſtans etiam cum Ramiro Rege Aragonum diſpenſatum fuiſſe, ut relicta Religione, & Epiſcopatu, acciperet uxorem, & Regnum; & alii plures ſimiliter diſpenſarunt cum aliis pluribus. Unde Juſtus Redn. *tom.* 12. *Operis Canonico-Politici* refert, quod Juditta fuit Monialis Ratisbonenſis, & dein trium Regum conjux, ſcilicet Bretislai Boemiæ, Meſicani Poloniæ, & Petri Hungariæ. Vide verb. *Impedimenta Matrimonii art.* 3. *n.* 3. *&* 4.

69 Epiſcopi diſpenſare poſſunt poteſtate ordinaria in cunctis Votis ſuorum ſubditorum Diœceſanorum exceptis ſpecialiter reſervatis Summo Pontifici. *Communis*: Epiſcopi enim ſuccedunt Apoſtolis, quibus dictum eſt a Chriſto *Matth. cap.* 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælis*.

70 Item in dictis Votis poteſt Sede vacante diſpenſare Capitulum, ſeu Vicarius Capitularis, cum Sede Vacante ſuccedat in Juriſdictione ordinaria Epiſcopi, *cap. His quæ* 11. *cap. cum olim* 14. *de Majoritat.*, *& obedient. cap. Si Epiſcopus* 3. *& c. Eccleſiæ Cathedrali* 4. *de ſupplend. neglig. Prælator. in* 6. *cap. Cum nullus* 3. *de temporibus Ordinat. in* 6. *cap. Epiſcopali Sede unic. de majoritat. & obedient. in* 6. *cap. Si Capitulum* 1. *de Inſtitutionibus in* 6. *Clementin. Multorum querela* 1. *de Hæreticis*, cum ſimilibus, & ſic tenet *Communis Doctorum*.

71 Legati, ſeu Nuncii Apoſtolici diſpenſare poſſunt in dictis Votis cum ſubditis Provinciæ ſibi commiſſæ; *Communis*; Habent enim in ipſis Eccleſiaſticam juriſdictionem, a qua promanat talis facultas ſic diſpenſandi.

72 Item in dictis Votis diſpenſare poſſunt cum ſuis ſubditis omnes Prælati, qui habent juriſdictionem in Foro externo, vel Privilegium; *Communis*.

73 Archiepiſcopi, ſeu Metropolitani poſſunt quidem diſpenſare in Votis ſuorum ſuffraganeorum, ſed non cum ſubditis eorumdem ſuffraganeorum, niſi per appellationem ad ipſos fuerit habitus recurſus in caſu, quo Epiſcopi talem diſpenſationem injuſte denegarent; *Communis Doctorum*, quorum aliqui, ut Avila *par.* 7. *de Cenſuris diſp.* 10. *dub.* 6. *concluſ.* 1. *notand.* 2. Henriquez *lib.* 4. *de Irregular. cap.* 18. *num.* 3., & alii non improbabiliter id extendunt ad tempus, quo illorum Diœceſeos viſitant; *argum. cap. ultim. de Cenſibus in* 6. & Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *de reform.* quamvis alii, teſte Layman *loc. cit. cap.* 8. *num.* 7. rectius id negent, cum in *dict. cap. ultim. de Cenſibus* ſtatuatur ſolum, quod Archiepiſcopus, dum viſitat, poſſit eorum Confeſſiones audire, & abſolvere, & nihil diſponat de diſpoſitione in eorum Votis.

74 Prælati Regulares Religionum exemptarum diſpenſare poſſunt in omnibus dictis Votis cum ſuis ſubditis, & cum Novitiis circa Vota, quæ in ſæculo, vel Novitiatu emiſerunt; *Communis*. Habent enim in ipſis plenam Eccleſiaſticam Juriſdictionem; Et hoc Salmanticenſes, & plures alii intelligunt etiam de Superioribus Localibus, cum reſpectu ſuorum ſubditorum habeant Juriſdictionem ordinariam in foro interno, & externo.

75 Non ſic autem Prælati Religionum non exemptarum, niſi id eis, vel ex conſuetudine, vel Epiſcopi licentia, ſeu commiſſione conceſſum ſit. *Communis*, teſte Soprer *l. cit. n.* 52.

76 Nec etiam in ipſis Votis diſpenſare poſſunt Abbatiſſæ, vel Superioriſſæ Monialium, quæ licet poſſint ſuarum ſubditarum Vota irritare, eo quod in illas habeant poteſtatem Dominativam vi Voti Obedientiæ, ex dictis *ſupra num.* 23. non poſſunt tamen in earum Votis diſpenſare, cum facultas ſic diſpenſandi promanent ex juriſdictione ſpirituali, qua de facto carent Abbatiſſæ, ſeu Superioriſſæ Monialium. *Sporer loc. cit. n.* 52. Felix Poteſt *tom.* 1. *part.* 2. *n.* 1696. Buſemb *loco cit. dub.* 8. *reſponſ.* 2. cum Suarez, & Leſſio ibi citatis, & alii paſſim.

77 Confeſſarii Regulares approbati Ordinum Mendicantium ac in eorum Privilegiis communicantium poſſunt diſpenſare in omnibus Votis, in quibus Jure ordinario poſſunt diſpenſare Epiſcopi. Unde Confeſſarii Regulares dipenſare poſſunt in omnibus Votis, exceptis quinque mox adducendis Papæ reſervatis. *Communis*, & expreſſe habetur ex pluribus Privilegiis Summorum Pontificum ut Innocentii VIII. Eugenii IV. Martini V. Pauli III. Gregorii XIII. S. Pii V. ac aliorum, ut videre eſt in Compendiis Privilegiorum Dominicanorum, Minorum, Auguſtinianorom, Carmelitarum Societatis Jeſu, ac aliorum Regularium.

78 Vota reſervata Summo Pontifici ſunt quinque ſequentia, nempe Votum Religionis ab Eccleſia approbatæ; Votum Caſtitatis integræ, & perpetuæ Votum peregrinationis Hieroſolymitanæ ad Sanctum Sepulcrum, Votum peregrinationis Romanæ ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli, & Votum peregrinationis Compoſtellanæ ad Sanctum Jacobum devotionis cauſa. *Communis*, *argr. Extravagant. Etſi Dominici* 5. *de pœnitentiis & remiſſionibus*, ubi ſub pœna Excommunicationis prohibetur, ne quis ſine ſpeciali licentia Papæ, in aliquo dictorum quinque Votorum diſpenſet.

79 Reſervatio dictorum quinque Votorum, cum ſit odioſa, utpote ordinariam poteſtatem reſtringens, eſt omnino ſtricte interpretanda, *arg. cap. Odia* 15. *de Regul. juris in* 6. ibi: *Odia reſtringi, favores convenit ampliari*. Unde talis reſervatio eſt intelligenda ſolum de Votis proprie dictis perfectis, determinatis, abſolutis, & quidem præciſe quo ad ſubſtantiam, non autem qualitates, & circumſtantias, eorum. Et ſi in aliquo deficiant, licite ſint valida, non ſunt tamen reſervata. *Sic Doctores communiter*.

80 Hinc non ſunt reſervata dicto quinque Vota, ſed diſpenſabilia ab Epiſcopo, vel Confeſſariis Regularibus, ſi non ſint Vota proprie dicta, ideſt promiſſiones veræ factæ Deo; ſic non ſunt reſervata Vota, quæ ſæpe ſæpius emittuntur a puellis, & aliis promittentibus non Deo, ſed Beatæ Virgini Mariæ, vel aliquibus Sanctis ſervare in ſuum honorem perpetuam caſtitatem, aſſumere peregrinationem Romanam, Compoſtellanam, & hujuſmodi ſine intentione, & reflexione obligandi ſe Deo. Tales enim promiſſiones non ſunt Vota proprie dicta, cum Vota proprie dicta ſint ſolum promiſſiones factæ Deo. Secus autem eſſet dicendum, ſi id ſpecialiter in honorem B. Mariæ Virginis, vel alicujus Sancti voverent Deo; Unde caute in his procedere debent Confeſſarii, & diligenter ſic voventes interrogare de vera ſua intentione, & reflexione in actu ſimilium promiſſionum. Et ſi aſſerant, nihil tunc cogitaſſe de Deo, vel cogitaſſe quidem tunc etiam de Deo, ſed non cogitaſſe de promiſſione facienda ipſi, ſed ſoli ejus Matri, aut tali Sancto, tunc cenſendi ſunt ſic Voventes non feciſſe Votum proprie dictum, & conſequenter nec reſervatum. Gobat *tom.* 3. *cauſ. X. n.* 327. Sporer *loco cit. n.* 58. & alii. Si autem dubium ſit, an tales intenderint tunc ſe obligaſſe ipſi Deo, an ſolum B. Mariæ Virgini, aut

tali



tali Sancto, tunc cenſendi ſunt feciſſe verum Votum ipſi Deo, adeoque reſervatum: In dubio enim præſumendum eſt pro actus perfectione potius, quam pro defectu; & in ſimilibus ſolet adeſſe intentio ſaltem implicita ſe obligandi Deo in honorem B. Mariæ Virginis, vel talis Sancti Gobat *tom.* 3. *cauſ.* 1. *n.* 21. Sporer *loc. cit. n.* 58. & alii.

81 Item non ſunt reſervata dicta Vota Summo Pontifici, ſed diſpenſabilia ab Epiſcopo, vel Confeſſariis Regularibus, ſi non ſint omnino perfecta, uti eſt Votum Caſtitatis imperfectum, nempe Caſtitatis ſolum temporalis, ut ad decem annos, Votum caſtitatis conjugalis, Non nubendi, Non petendi Debitum, Non fornicandi, & hujuſmodi, quia per Votum caſtitatis reſervatum intelligitur ſola caſtitas perfecta, & perpetua; ut tenent Doctores communiter, *arg. capit. Odia* 15. *de Regul. juris in* 6. Item reſervata non ſunt Vota caſtitatis, & Religionis ex metu etiam levi incuſſo emiſſa; ex gravi enim metu emiſſa non indigent diſpenſatione, ſed per ſe irrita ſunt. *Sic Communis Doctorum*, *argum. cap. Veniens* 5. *Qui Clerici, vel voventes*, & ratio eſt quia talia Vota non ſunt omnino perfecta, cum voventes principaliter ea non emiſerint amore virtutis, nec principali intentione obſequium præſtandi Deo, ſed evitandi, & declinandi id, quod timuerunt ab injuſte extorquentibus dicta Vota. Tum quia non eſt præſumendum, voluiſſe Pontificem ſibi reſervare Vota, quæ alias debent eſſe facilis diſpenſationis tum ob imperfectionem conſenſus voventium, tum in odium injuſte illa extorquentium, ne videatur velle fovere iniquitatem, & injuriam illorum, uti eſſet, Vota ex metu injuſte incuſſo emiſſa reſervaret.

82 Item non ſunt reſervata dicta Vota, ſed diſpenſabilia, ut ſupra, ſi non ſint omnino certa. Unde quotieſcumque adeſt dubium de eorum valore, ſive dubium ſit *Juris*, ut ſi dubium ſit, an ſint vere Vota, an vere reſervata? ſive dubium ſit *Facti*, ut ſi dubium ſit, an adfuerint in ipſis vera promiſſio, plena deliberatio, ſufficiens intentio, & alia ad Voti, & reſervationis rationem neceſſario requiſita, tunc dicta Vota, ſive ſint caſtitatis perpetuæ, ſive Religionis approbatæ, ſive trium præfatarum Peregrinationum, non ſunt Papæ reſervata, ſed ab Epiſcopo, vel Confeſſariis Regularibus diſpenſabilia, *Communis*, *arg. cap. Odia* 15. *de Regul. Juris*. Et ratio eſt, quia reſervatio, cum ſit odioſa, & gravis, reſtringenda eſt ad caſus omnino certos, plene voluntarios, & graviores: Tum quia ſemper in dubiis benigniora præferenda ſunt; *leg. Semper* 56. *de Regul. Juris*. Et in re dubia benigniorem interpretationem ſequi, non minus juſtius, quam tutius; *l. Ea quæ* 192. *ff. eod.* Et in ambiguis rebus humaniorum ſententiam ſequi oportet, *l. Si fuerit* 10. *ff. de rebus dubiis*.

83 Item reſervata non ſunt dicta Tota, ſed ut ſupra diſpenſabilia, ſi non ſint omnino determinata; Unde reſervatum non eſt votum alternatium, ſeu disjunctivum, cujus altera pars reſervata non eſt, ut ſi quis voveat, vel caſtitatem perpetuam, vel perpetuum jejunium, Peregrinationem Romanam, vel eleemoſynam centum Florenorum. *Communis*, *arg. cap. In alternativis* 70. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri, & l. In eo quod plus* 110. *ff. de Regul. Juris* §. 3. ibi: *Ubi verba conjuncta non ſunt, ſufficit alterum eſſe factum*. Et id verum eſt etiamſi progreſſu temporis altera pars non reſervata impoſſibilis fiat, & ſic vovens determinate obligetur ad partem reſervatam, quia id non provenit ex intentione voventis, ſed eventu per accidens, adeoque adhuc manet ut ſupra diſpenſabile. Si autem utraque pars eſſet reſervata, ut ſi quis voveat perpetuam caſtitatem vel Peregrinationem Hieroſolymitanam tunc votum eſſet reſervatum, ut tenet Communis Doctorum teſte La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 548. Vide verb. *Jubilæum art.* 2. *num.* 42. *&* 43.

84 Item reſervata non ſunt dicta vota, ſed ut ſupra diſpenſabilia, ſi non ſint omnino abſoluta; Unde reſervata non ſunt vota conditionata pœnalia, ut ſi quis voveat caſtitatem perpetuam, Religionem approbatam &c. ſi ſe inebriaverit, vitioſe luſerit, ſi furatus fuerit, & hujuſmodi: Tunc enim non ſolum ante, ſed etiam poſt admiſſam culpam ſunt ut ſupra diſpenſabilia dicta vota; Sic Doctores communiter contra paucos, teſte La Croix *loc. cit. num.* 546. Sporer *loc. cit. numer.* 63. Et ratio eſt, quia talia vota valde deficiunt a natura perfecti voti: Nam ſic voventes proprie non eligunt caſtitatem perpetuam, Religionem approbatam, & hujuſmodi ſed potius metu obligationis ſervandi caſtitatem perpetuam ingrediendi Religionem, volunt ſe peterre ab inebriatione, a vitioſo ludo, a furto &c. adeoque directe potius vovent ſe non inebriare, vitioſe non ludere, non furari, & caſtitatem, ac Religionem velut pœnam refugiunt; Talia enim vota pœnalia non tendunt in rem promiſſam directa voluntate primario, & per ſe ex affectu, & amore honeſtatis illius, ſed ſolum tendunt in ipſam tamquam ſibi pœnoſam, & afflictivam cum aliqua averſione animi, ut ſic timore incurrendi obligationem, præſtandi rem promiſſam, ideſt ſervandi caſtitatem perpetuam, ingrediendi Religionem &c. retrahantur voventes ab inebriatione, vitioſo ludo, furto, & ſimilibus.

85 Sic etiam reſervata non ſunt dicta vota, ſed ut ſupra diſpenſabilia, ſi ſint proprie conditionata ſub conditione de futuro accidentaria, non a natura; vel jure ipſis vtis annexa Ut ſi quis voveat Religionem, perpetuam caſtitatem &c. ſi convaluerit, ſi a naufragio evaſerit, ſi talem intentum Beneficium, vel Officium obtinuerit, & hujuſmodi; Tunc enim ante dicta vota tenent Doctores communiter, quia non ſunt vota ſimpliciter, nec de facto obligantia, ſed ſub conditione pendente in futurum: Conditionale enim nihil ponit in eſſe, niſi purificata conditione, & actus ſub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum, *arg.* §. *ſub conditine* 4. *Inſtitut. de verb. obligation & leg. unica* §. *Sin autem Cod. de caducitat. tollend.* Suſpenditur enim ejus valor uſque ad eventum conditionis; *leg. I. cui ff. de Actionibus, & obligationibus*, *leg. Legata ſub conditione ff. de conditione & demonſtrat.*

86 An autem poſt impletam conditionem dicta vota evadant reſervata, nec ſint amplius ut ſupra diſpenſabilia; valde controvertunt Doctores: Layman enim *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 10. Herincx *diſp.* 4. *de Voto quæſt.* 6. *num.* 62. Reiffenſt. *Theol. moral. tract.* 5. *diſt.* 3. *num.* 36. cum pluribus aliis tenent, poſt impletam conditionem dicta vota eſſe reſervata, nec amplius eſſe ab Epiſcopo, & Confeſſariis Regularibus diſpenſabilia, quia Vota conditionata, ſicuti quicumque alii contractus, ad promiſſiones factæ ſub conditione, ipſa conditione eveniente ſeu adimpleta, tranſeunt in abſoluta, ac omnino perficiuntur ac ſi ſine conditione facta fuiſſent, *leg. Potior* 11. *ff. Qui potiores in pignore*.

87 E contra tamen Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 40. *numer.* 91. cum Sayro, Ledeſma, Suarez, & aliis coſtanter propugnat dicta Vota, nec etiam poſt adimpletam conditionem eſſe reſervata, ſed adhuc ſicuti prius eſſe diſpenſabilia ab Epiſcopo, & Confeſſariis Regularibus. Sic tenent etiam Antonius Gomez *in Bulla Cruciatæ clauſula* 10. *num.* 99. Toled *lib.* 4. *Summæ cap.* 18. *num.* 11. Reiſſenſtuel *lib.* 3. *Decret. tit.* 34. *numer.* 33. *& ſeq.* recedens a priori ſententia, *quam in ſua Theolog. moral. loc. cit.* reputaverat ptobabiliorem; & hanc valde probabilem, & in praxi tutam cenſet Sporer *loc. citat. num.* 66. & eſſe frequentiſſima praxi Virorum ſapientiſſimorum receptam teſtatur Gomez *l. cit.* & Reiſſenſtuel *cit. t.* 34. *n.* 33. Immo ſic tenere alios communiter cum Franc. Bellagambe *de Jubilæo part.* 3. *ſect.* 23. *qu.* 2. teſtatur la Croix *lib.* 3. *p.* 1. *n.* 545. Et ratio vere efficax eſt quia hujuſmodi vota conditionata oriuntur ab imperfecto conſenſu, utpote dependente a futuro eventu conditionis. Adventus autem conditionis non facit, quin revera conſenſus fuerit imperfectus, nec ejus naturam mutare poteſt, cum nulla nova voluntas accedat; adeoque cum retineant ſemper primævam imperfectionem, etiam adimpleta conditione tamquam Vota imperfecta voluntariæ, erunt utpote non reſervata, cum reſervatio tamquam odioſa ſit reſtringenda ad ſola Vota perfecte & plene voluntaria; *argum. cap. Odia* 16. *de Regul. Juris in* 6. (a).

88 Tum quia vota pœnalia etiam poſt impletam conditionem non ſunt reſervata cum non ſint perfecta, ex quo non fiant amore virtutis, ſeu materiæ promiſſæ, nec amore obſequium præſtandi Deo, ſed magis cum animi averſione, aut timore

---

(a) Nota. Auctor Summæ Alexandrinæ, aliique viri docti confidenter pronunciant: *Si conditio impleta ſit, ad Romanum Pontificem confugiendum eſſe, in quinque votis, ut impeteretur diſpenſatio*; nam illi abſolute vovere illa conditione, eaque poſita, Deo per hujuſmodi votum ſunt revera obligati; neque dici jure poſſunt imperfecte voluntaria hujuſmodi vota, quæ paſſim majori animi fervore, ac maturiori cum deliberatione fiunt.

obli

obligationis contrahendæ mens retrahatur ab illo vitio, verb. g. ſe inebriandi, vitioſe ludendi, jurandi, & hujuſmodi, juxta dicta *ſupra n.84.* quod concedunt etiam ipſimet Adverſarii: ergo ob eamdem rationem, nec vota conditionata ſub conditione de futuro accidentali erunt reſervata, cum ubi eadem eſt ratio, eadem ſit juris diſpoſitio; *leg. Ideo 27. ff. de Legibus*, *l. Illud 32. ff. Ad Legem Aquiliam*, *& cap. Inter corporalia, de tranſlation. Epiſcop.* Tum etiam quia vota pœnalia ſunt magis perfecta, quam vota ſub alia conditione v. gr. recuperandæ ſanitatis, evadendi naufragium, obtinendi illud Officium, & hujuſmodi, adeoque ſi vota pœnalia etiam poſt impletam conditionem ſunt diſpenſabilia ab Epiſcopo & Confeſſariis Regularibus, a fortiori poſt impletam conditionem erunt ut ſupra diſpenſabilia alia vota conditionalia, quia cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus, textu expreſſo *in cap. Cui licet. 55. de Regul. Juris in 6.* & *Ubi majus conceditur, minus conceſſum eſſe videtur*, textu expreſſo *in cap. Ex parte 27. de Decimis*. Quod autem vota pœnalia ſint magis perfecta, quam alia dicta vota conditionalia, clare patet, quia ordinarie fiunt principaliter amore alicujus certæ virtutis, & odio alicujus certi vitii, ſicque jam principaliter intentione placendi Deo, ac ipſum non offendendi, ut patet in eo, qui vovet perpetuam Caſtitatem, Religionem approbatam &c. ſi ſe inebriaverit, ſi vitioſe luſerit, ſi furatus fuerit, & hujuſmodi, juxta dicta *ſupra n.84.* E contra autem dicta alia vota conditionata ordinarie non fiunt principaliter, nec amore alicujus certæ virtutis, nec odio alicujus certi vitii, ſicque nec principaliter intentione placendi Deo, ac ipſum non offendendi, ſed amore conſequendi, aliquod bonum temporale, verb. grat. ſanitatem, Officium aliquod, vel Beneficium &c. vel evadendi aliquod temporale malum, ut naufragium, tempeſtatem hoc, vel illud periculum, ſicque valde imperfecte, & conſequenter vota pœnalia ſunt magis perfecta quam dicta alia vota conditionalia, adeoque &c. Vide dict. verb. *Jubilæum art. 2. num. 41.*

89 Quinimo addit cum aliis Diana *part. 6. tract. 8. reſolut. 3.* apud La Croix *loc. cit. num. 545.* etiamſi aliquod tale votum conditionatum poſt impletam conditionem fuiſſet confirmatum, non ideo fore reſervatum, quia confirmatio ſemper cadit ſuper idem votum a principio conditionale, niſi nunc eſſet emiſſum independenter a primo voto. Vide dicta *ſupra numer. 17. & 18.* & dict. verb. *Jubilæum art. 2. n. 41.*

90 Notanter autem *ſupra num. 86.* fuit concluſum, quod dicta vota non ſunt reſervata, *ſi ſint proprie conditionata ſub conditione de futuro accidentaria, non a natura vel Jure ipſis votis annexa*, quia ſola illa vota conditionata non ſunt reſervata, quæ facta ſunt ſub conditione mere voluntarie adjecta; mereque de futuro accidentaria, ut ſunt vota *ſupra d. n.85.* aſſignata. Vota autem conditionata conditione generatim, naturaliterve, aut ex diſpoſitione juris ipſis votis annexa, non obſtante tali conditione, adhuc remanent reſervata, nec poſſunt a Confeſſariis privilegiatis diſpenſari. Sic votum Caſtitatis perpetuæ ab impubere editum, quamvis ſit editum cum hac tacita, & naturaliter annexa conditione: *Si Pater conſenſerit*, non poteſt a Confeſſariis privilegiatis diſpenſari, nec commutari, quamvis poſſit illud irritare ſuus Pater, & in ejus defectu ipſius Tutor, juxta dicta *ſupra a num. 16.* Item Vota ſolemnia, & ſubſtantialia Religionis ſunt reſervata, nec poſſunt a Superioribus, & Confeſſariis privilegiatis diſpenſari, quamvis habeant a jure annexam tacitam conditionem, qua Papa poſſit illa diſſolvere. Sic recte Gobat *tom. 2. de Voto num. 225. & 226.*

91 Non ſunt reſervata dicta quinque Vota quoad circumſtantias, vel qualitates aliquas accidentales a Vovente voto reſervato adjectas; Unde ſi quis voverit pedeſter peregrinari Compoſtellam, mendicando peregrinari Romam, ſeu voverit ſtrictiorem Religionem, poteſt Epiſcopus, & Confeſſarius Regularis ex juxta cauſa diſpenſare, ut equeſter, vel non mendicando, peregrinetur, & ut aliam Religionem etiam laxiorem ingrediatur. Herincx *diſp. 4. de Voto quæſt. 5* La Croix *lib. 3. part. 1. num. 550.* cum Azorio, Sanchez, Caſtropal. Leſſio, Illſung. Bellegamb. & aliis ibi citatis, Sporer *loc. cit. num. 67.* Reiffenſtuel *lib. 3. Decretal. tit. 34. num. 36.* & ipſo teſte alii communiter. Et ratio eſt, quia ſola ſubſtantia Voti cenſetur reſervata, *arg. cit. cap. Odia 15. de Regul. Juris in 6.*

92 Circa Votum Caſtitatis eſt ſpecialiter advertendum, quod Votum abſolutum omnimodæ Caſtitatis emiſſum, ab uno conjuge poſt conſummatum Matrimonium abſque alterius licentia non eſt reſervatum, quia non eſt perfectæ, & omnimodæ Caſtitatis, cum adhuc teneatur reddere debitum. *Communis*.

93 Si autem ſit dictum Votum emiſſum ab uno Conjuge cum conſenſu approbativo alterius Conjugis renunciantis Juri ſuo, aut ab utroque Conjuge mutuo conſenſu per modum contractus, & conventionis irrevocabilis, eſt reſervatum Summo Pontifici, cum ſit Votum continentiæ perpetuæ, ac integræ, & omnimodæ; Unde non poteſt ab Epiſcopo diſpenſari, niſi in aliquo caſu gravis, & urgentis neceſſitatis. *Communis*.

94 Votum ſervandi perpetuam virginitatem non eſt reſervatum, ſi Vovens cognovit differentiam inter Virginitatem, & Caſtitatem, & ſolum dixit: *Voveo virginitatem perpetuam*. Tunc enim eſt tantum Votum Caſtitatis partiale, quia cenſetur voviſſe tantum ſe abſtinere a primo actu, quo perditur virginitas, & non ab omni actu, quo violari poteſt Caſtitas: Caſtitas enim violari poteſt tactibus, & oſculis impudicis, ac omni moroſa complacentia abſque eo quod violetur virginalis, ac corporalis integritas. Si autem Vovens non cognovit dictam differentiam, uti communiter non agnoſcunt juvenes, & puellæ, & dixit abſolute: *Voveo virginitatem perpetuam*, eſt reſervatum. Tunc enim eſt Votum Caſtitatis totale: cum pro eadem re in tali caſu ſumatur Virginitas, & Caſtitas. Moya *tom. 2. diſtinct. 1. qu. 2. n. 7.* La Croix *loc. cit. num. 561.* & in hoc ſenſu alii paſſim recte conſulentes in ſimilibus caſibus eſſe diligenter explorandam intentionem, & cognitionem Voventium.

95 Si vero dubitet Vovens, an emiſerit Votum partiale, aut totale Caſtitatis, tunc non erit Votum reſervatum, per dicta *ſupra num. 82.* de Voto dubio quoad ejus valorem, & *num. 83.* de Voto alternativo, cum in tali caſu ſit tantum certitudo pro Voto partiali, aut totali: ſicque tale Votum disjunctivum relinquat Voventi libertatem eligendi quod volet, per *Regulam 70. de Regul. Juris in 6.* ibi adductam.

96 Cum quis, vel quæ voto continentiæ jam emiſſo nulla obtenta diſpenſatione, culpabiliter contrahit Matrimonium, tale Votum eſt diſpenſabile per Epiſcopum, ac Confeſſarios Regulares ſolum quo ad petendum debitum, ac remanet firmum quo ad alia, ſicque talis Vovens tenetur adhuc ad non ſe polluendum, non fornicandum, & ad ſervandam Caſtitatem, altero conjuge mortuo. *Communis*.

97 Cum quis, vel quæ ante contractum Matrimonium perpetuam Caſtitatem, vel Religionem perfecte vovit, tale votum eſt reſervatum Jure ordinario Summo Pontifici. *Communis*.

98 Epiſcopus autem poteſt in ſimili voto diſpenſare ratione gravis, & urgentis neceſſitatis, & impoſſibilis recurſus ad Papam, & cum periculum eſt in mora. Sanchez *libr. 8. moral. d. 10. n. 22.* Navarr. *in Manual. c. 12. n. 76.* Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 8. n. 16.* Sporer *l. c. n. 74.* Reiffenſtuel *l. c. num. 37.* teſtans de communiſſima aliorum, *arg. cap. Quoniam 13. cauſ. 1. q. 7. diſt. 1. capit. Omnes 1. de Feriis, cap. Conſuliſti 3. de celebr. Miſſar. c. Conſilium 2. de obſerv. jejunior.* ubi expreſſe dicitur: *Cum non ſubjaceat Legi neceſſitas*, *cap. Sicut 15. de conſecr. diſt. 1.* ibi: *Neceſſitas non habet Legem*, *cap. quod non eſt 3. de Regul. Jur.* ibi: *Quod non eſt licitum in Lege, neceſſitas facit licitum*. Et ratio eſt, quia non eſt præſumendum, nec ullo modo credendum, quod Papa in tali caſu neceſſitatis velit privative quoad Ordinarios ſibi reſervare cum diſpendio boni communis animarum poteſtatem a Chriſto Domino in bonum commune ipſarum animarum conceſſam: Hoc enim non eſſet conſonum fini ejuſdem reſervationis, qui eſt ad evitanda ſcandala, pericula, & peccata, non autem ut eiſdem irretiantur, & eſſe contra ſuavem, & providam gubernationem Eccleſiæ, quæ poteſtatem ſuam gerere debet non in deſtructionem, ſed in ædificationem animarum, juxta illud Apoſt. *ad Corinth. 2. c. 10. nu. 8. & cap. 13. num. 10.*

99 Gravis autem, & urgens, ac ſufficiens neceſſitas ſic diſpenſandi in Voto Caſtitatis eſt, ſi ex dilatione Matrimonii uſque ad reſponſum Pontificis ex parte Voventis, ſeu inter contracturos urgeat periculum incontinentiæ, ſcandali, vel alterius gravis mali. Si Matrimonium differri nequeant ſine gravi ſponſi, vel Sponſæ, aut eorum familiæ dedecore, ſi puella deflorata, proleſque naſcenda infamanda ſit, præſertim ſi deflorator ſit morti jam proximus, & niſi puellam defloratam, ac gravidam ducat, naſcenda ſit proles illegitima, & orituræ timeantur graves diſcordiæ inter cognatos, & his ſimilia, de quibus late Doctores, & præcipue Sanch. *lib. 2. de Matrimonio diſp. 40.*

Poſſe

100 Poſſe in ſimili gravi, & urgenti neceſſitate ſic diſpenſare etiam Confeſſarios Regulares, tenent Henricx *d. 4. de Voto q. 6. n. 69.* cum Baſſæo, & aliis ibi citatis, Crouſers *in cap. 7. Regul. S. Franciſci Lect. 29.* Alvitet *de privil. Regul. ſect. 3. cap. 5. §. 3.* Chaſſaing *de Privil. Regul. tract. 1. cap. 5. propoſit. 2.* cum Caſarubio, Leſſio, Corduba, & aliis ibi citatis, Leander, et alii apud Moyam *tom. 2. d. 1. q. 1. a n. 17.* Reiffenſtuel *lib. 3. decret. tit. 34. num. 40. & ſeq.* ubi id probat hoc ſequenti non ſpernendo fundamento. Juxta communem etiam Adverſariorum poſſunt Confeſſarii Mendicantes diſpenſare in omnibus Votis in quibus Jure ordinario diſpenſare poteſt Epiſcopus; Atqui hic poteſt Jure ordinario urgente neceſſitate diſpenſare in Votis alias reſervatis ergo &c. Majorem concedunt Adverſarii, patetque clare ex Privilegiis: Minor probatur, quia Epiſcopus urgente neceſſitate, vel diſpenſat ratione Officii, vel ideo quod in tali caſu non cenſeatur reſervatum, vel vi univerſalis conſuetudinis, per quam conſtat Epiſcopus urgente neceſſitate poſſe diſpenſare: Quocumque tandem modo diſpenſet, Jure ordinario diſpenſat, & quidem ſi primo, & ſecundo modo, non eſt dubium; ſi tertio modo, vi conſuetudinis nempe, inde patet, quia conſuetudo dat Juriſdictionem ordinariam, prout pluribus demonſtrat Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 1.* & diximus *in lib. 1. Decr. tit. 29. de Offic. & poteſt. Judicis Delegati num. 11. argum. l. More majorum & l. Et quia, ff. de Juriſd. omnium*. Confirmatur: Juriſdictio, & Poteſtas, qua Epiſcopi urgente neceſſitate in Votis diſpenſant, non eſt delegata, ergo ordinaria. Probatur antecedens: Juriſdictio delegata eſt, quæ nec ex Lege, nec ratione Officii, nec ex conſuetudine, ſed ex ſpeciali commiſſione alterius competit, uti cum communi dictum eſt *cit. l. 1. Decr. tit. 26. de Offic. & poteſt. Judic. Delegat. num. 12.* Atqui nullibi in toto Jure hæc ſpecialis commiſſio Epiſcopis tamquam delegatis facta oſtendi poteſt, ergo cum nihilominus diſpenſent, Juriſdictione, ſeu Jure ordinario diſpenſare cenſendi ſunt. Hactenus ille, & quidem vere probabiliter.

101 At vero contrarium docet teſte La Croix *lib. 3. par. 1. numer. 563.* communiſſima cum Suarez, Sanch., Barboſa, Henriq., Laym. Rodriquez, Fagundez, Miranda, Lezana, Caſtrop. Tamburin. *lib. 3. cap. 16. §. 4. n. 49.* Burgaber *centur. 3. caſ. 32.* Moya *l. c. n. 22.* Sporer *l. c. num. 55. & 74.* Henno *t. 1. tract. 4. in decalog. diſp. 1. q. 3. de Voto art. 3. Petes 4.* quia omnes Doctores antiqui concedentes Epiſcopis ex præſumpta licentia Papæ hanc poteſtatem extraordinariam, negant reliquis Confeſſariis, & Mendicantibus pro tempore Jubilæi. Hinc in Bullis Jubilæi, et Privilegiis Mendicantium expreſſe ſolent excipi Vota illa: Privilegia enim Regularium Mendicantium, quod poſſint diſpenſare in votis, in quibus poſſunt Epiſcopi, intelligi debent de iis ſolis votis, in quibus diſpenſare poſſunt Epiſcopi Jure ordinario, ideoque proprie Epiſcopales ſunt; non autem de iis, qui per ſe Papales ſunt, et tantum per accidens ratione urgentis neceſſitatis, et moralis impotentię adeundi Pontificem, ac Epiſcopum tamquam ordinarium poſt Pontificem Paſtorem devolvuntur. Sicque talis Poteſtas diſpenſandi fundatur in Juriſdictione Ordinaria, quam habent Epiſcopi, et non Mendicantes.

102 Epiſcopus in ſimili neceſſitatis caſu diſpenſare poteſt, quamvis Legatus Pontificius in Provincia ſit. Suarez *lib. 6. capitulo 26. numer. 10.* Sanchez *libr. 8. de Matrimon. diſput. 9. num. 25.* et *lib. 4. moral. cap. 40. numer. 38.* Layman *lib. 4. tract. 4. Cap. 8. num. 17.* Sporer *l. c. num. 72.* et alii contra Aragonium, Rodriquez, et alios. Et ratio eſt, quia Legatus Papæ, quamvis a Latere ſit, ordinario Jure non habet majorem diſpenſandi poteſtatem, quam Epiſcopus; adeoque poteſt Vovens in tali neceſſitatis caſu pro obtinenda diſpenſatione in Voto reſervato adire libere quem maluerit, Epiſcopum nempe, vel Legatum Apoſtolicum.

103 Si autem Legatus Apoſtolicus ſpecialem commiſſionem, et facultatem habeat diſpenſandi in Votis reſervatis, vel Lege Pontificia, aut abſolvendi a Cenſuris Papæ reſervatis, tunc diſpenſare in ipſis non poteſt Epiſcopus. Et ratio eſt; quia Epiſcopus in dictis caſibus diſpenſare, aut abſolvere poteſt ſolum ratione urgentis neceſſitatis, quæ ratio ceſſat, ſi adiri poſſit aliquis ſpeciali præditus ad id facultate, cum ceſſante cauſa ceſſet effectus, *cap. Cum ceſſante 60. de appellat.* et ceſſante ratione, et cauſa Legis ceſſet ipſa Lex, *l. Adigere 6. §. 2. ff. de Jurepatron.* Ratio enim Legis eſt anima Legis: *l. Cum ratio 7. ff. de bonis damnat.* Sic tenent Navarr. *in Manual. cap. 27. n. 90.* Sanchez *cit. diſp. 9. num. 45. & cit. cap. 40. num. 38.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. dubit. 13. n. 106.* Suarez *citat. Cap. 26. num. 15.* Layman. *l. c. n. 17. verſ. Poſterior vero*, Sporer *l. c. n. 72.* et alii contra Henriquez, Avilam, et alios.



104 Votum Sacros Ordines ſuſcipiendi non eſt reſervatum, quia eſt tantum Votum vovendi Caſtitatem, et necdum Caſtitatis, adeoque diſpenſari poteſt ab Epiſcopo, et Confeſſariis Regularibus. Henriquez, Sa, Azor. Suarez, Leſs. Sanchez, Caſtrop. Diana, Illſung. Bellegamb. citati, et ſecuti La Croix *l. c. n. 552.* et alii paſſim.

105 Circa Votum Religionis eſt ſpecialiter advertendum, quod ut ſit reſervatum, debet eſſe abſolutum, et perfectum Religionis a Sede Apoſtolica approbatæ, adeoque Votum Religionis ab Eccleſia non approbatæ non eſt reſervatum. *Communis*.

106 Votum ingrediendi Religionem S. Joannis Hieroſolymitani eſt vere reſervatum, quia ipſa eſt vera Religio, in qua emittuntur tria Vota ſolemnia Paupertatis, Caſtitatis perfectæ; et Obedientiæ. *Communis*.

107 Votum autem ingrediendi alias Religiones Militares, ut Equitum S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, et hujuſmodi, non eſt reſervatum, ſed poteſt diſpenſari, & commutari: Et ratio eſt, quia de illis eſt dubium an ſint veræ Religiones, & dd. Equites emittunt Votum Caſtitatis imperfectæ, videlicet ſolum Conjugalis. *Communis*.

108 Votum ingrediendi Religionem ſtrictiorem non eſt reſervatum quo ad circumſtantiam *ſtrictioris*. Unde poteſt cum juſta cauſa diſpenſari ab Epiſcopo, vel Confeſſariis Regularibus, ut in aliam etiam laxiorem ingrediatur. *Communis*, per dicta *ſupra num. 91.*

109 Tale autem Votum nequit poſtea irritari a Superiore Regulari, quia Religioſus quo ad hoc ſubjacet ſoli Summo Pontifici, textu expreſſo *in cap. Licet 18. de Regularibus*. Vide *ſupra n. 23.*

110 Votum perſeverandi in Religione probabiliter non eſt reſervatum, quia non eſt religionis in ſe, ſed circumſtantiæ, quæ non reſervatur. Unde ſi qui ſic vovit, experiatur in Novitiatu illum ſtatum non ſibi convenire, poterit ejus Votum diſpenſari, vel commutari. Sic la Croix *l. c. n. 569.* cum Sanchez, Fagundez, Mald. Diana, Trullench. Bellegamb. & Leſſio ibi citatis, & alii plures.

111 Qui vovit ingredi religionem, ſi nequeat continentiam ſervare, nec detur recurſus ad Papam, vel Delegatum, & adſit periculum in mora, poteſt ratione hujus gravis, & urgentis cauſæ diſpenſari ab Epiſcopo in voto ingrediendi religionem; Sic expreſſe La Croix *l. c. n. 567.* ſe referens *ad numer. 563.* ubi teſtatur ſic tenere Sanchez, Leſſium, Garciam, Ledeſm. Dianam, Paſqualig. Silveſter. Navarr. Henriq. Valer. Sa, Suarez, Laym. Caſtrop. alioſque cum Cardena *in 1. Criſi d. 79. n. 17.* Vid. *ſupra n. 98. & 99.*

112 Circa Votum trium Peregrinationum, nempe Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ, eſt ſpecialiter advertendum, quod non ſunt reſervata, niſi emiſſa ſint devotionis cauſa. Unde ſi edita ſint ob alium finem v. gr. ad impetrandam abſolutionem ab aliquo peccato, ad oſculandos pedes Pontificis, & hujuſmodi, diſpenſari poſſunt ab Epiſcopo, & a Confeſſariis regularibus. Si vero quando quis aliquam ex dictis Peregrinationibus vovit, alium finem expreſſe non cogitavit, præſumendum eſt voviſſe devotionis cauſa, adeoque eſſe reſervatum, Felix Poteſtas *tom. 1. p. 2. num. 2007.* La Croix *l. c. n. 570.* cum Tamburin. & Illſung. ibi allegatis.

113 Materia ſubrogata pro Voto reſervato poteſt ex juſta, & rationabili cauſa diſpenſari, vel commutari ab Epiſcopo, & Confeſſariis regularibus. Unde ſi Papa commutaverit v. gr. Votum perpetuæ Continentiæ in perpetuum jejunium, tunc perpetuum jejunium poteſt diſpenſari, vel commutari, cum reſervatio prioris Voti, utpote odioſa, non debeat extendi ad materiam ſubrogatam. Nec obſtat, quod ſubrogatum ſapiat naturam ejus, cujus loco ſubrogatur, *cap. Eccleſia 3. Ut lite pendente*, cum ſimilibus, quia hoc valet ſolum in favorabilibus, & non in odioſis, ut in hoc caſu *argum. c. Odia 15. de Regul. Juris in 6.* Sic Communis Theologorum recte tamen monentium, quod petens Diſpenſationem, vel Commutationem materiæ ſubrogatæ Voto reſervato debeat explicare ipſum Votum, ut Diſpenſans, vel Commutans gravitatem vinculi cognoſcat, ne plus æque temere de tali materia remittat.

114 Quo ad Diſpenſationes Votorum Epiſcopi, & Confeſſarii regulares in quibuſdam conveniunt, & in quibuſdam differunt: Conveniunt in hoc, quod utrique poſſunt Vota diſ-



pen-

penſare, vel commutare etiam extra Sacramentum Confeſſionis, immo etiam cum abſentibus; Nullo enim Jure horum facultas reperitur reſtricta ad ſolum Forum Sacramentale, ut recte notant Sanchez *lib.4. moral. cap.* 43. Sporer *l. c. num.79.* La Croix *lib.3. p.2. num.* 507. cum Tamburin. & Bellegamb. ibi citatis, & alii. Vid. verb. *Jubilæum art. 2. a num.64. ad 67.* Differunt autem in hoc, quod Epiſcopi poſſunt ſuam poteſtatem diſpensandi, vel commutandi Vota aliis delegare, quia in ipſis hæc poteſtas eſt ordinaria; Confeſſarii Regulares vero id non poſſunt, quia ſunt Delegati ex privilegio, & Delegatus non poteſt ſubdelegare, niſi in delegatione exprimatur, *cap.Quoniam* 43. §.*Ceterum, de Officio Delegati*. Item differunt in hoc, quod Epiſcopi diſpenſare poſſunt in quinque Votis, cum urget neceſſitas, ac magna cauſa, & impoſſibilis eſt recurſus ad Papam, & periculum eſt in mora. Confeſſarii regulares autem id non poſſunt juxta communiorem ſententiam traditam *ſupra n.*101. Econtra tamen Confeſſarii regulares ſuam diſpenſandi in Votis facultatem exercere poſſunt circa omnes Fideles ad ipſos undecunque venientes, quia ipſi agunt nomine Summi Pontificis totum Orbem pro ſua Diœceſi habentis. Epiſcopi autem non poſſunt ſe extendere extra ſuos Diœceſanos, quia agunt per ſuam Juriſdictionem in ſola ſua Diœceſi reſtrictam.

115 Commutatio Voti (quæ eſt quartus modus, per quem tollitur obligatio Votorum) eſt tranſlatio obligationis a materia Voti prius facti in aliam materiam priori ſubrogandam. *Eſt in re Communis, argum. Cap. De peregrinationis Votis* 1. *cap.Scripturæ* 4. *cap.Magnæ* 7. *cap.Quod ſuper* 8. *cap.Ex multa* 9. *de Voto, & Voti redemptione*.

116 Talis Voti commutatio fieri poteſt, vel in opus melius, vel minus bonum. *Communis ac certa*, & clare patet ex infra dicendis.

117 Commutatio Voti in opus manifeſte, & evidenter melius poteſt fieri etiam ab ipſo vovente proprio arbitrio, & auctoritate abſque ulla cauſa. Sic jam Communis, & hodie receptiſſima Doctorum, teſtibus Reiffenſt. *cit. libr.3. Decret. tit.34. num.*44. Sporer *l.c. n.*81. Sanchez *lib.4. moral. cap.49. num.*4. Suarez *lib.9. de Voto cap.*18. Leſſ. *lib.3. cap.* 40. *numer.*101. contra varios graves antiquos Doctores volentes ad id requiri Superioris auctoritatem. Et noſtra concluſio deſumitur clare ex *cap.Pervenit 3. de Jurejurando*, ubi expreſſe ſic habetur: *Non enim propoſitum, aut promiſſum infringit qui in melius illud commutat* & *ex cap. Scripturæ 4. de Voto, & Voti redemptione*, ibi: *Reus fracti Voti aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium in perpetuum noſcitur Religionis obſervantiam commutare*, ubi ut clare patet, nulla requiritur auctoritas Superioris, nec ulla juſta cauſa, unde ſufficit propria Voventis auctoritas, ac arbitrium. Excipiuntur autem quinque ſupradicta Vota Papæ reſervata, quæ ſine auctoritate Pontificis etiam in melius commutari non poſſunt in Religioſam Profeſſionem, *arg. cit. Cap. Scripturæ 4. de Voto, & Voti redemptione*. Item excipiuntur Vota in favorem tertii emiſſa & jam acceptata, ut infra patebit.

118 Commutatio Voti in opus æquale, ſeu æqualiter bonum non poteſt fieri propria Voventis auctoritate, & arbitrio, ſed debet fieri auctoritatæ Papæ, Epiſcopi, vel alterius Juriſdictionem habentis. Sic communior, & ſine dubio probabilior Doctorum ſententia cum Sanchez *l.c. n.*12. Sporer *l. c. num.*82. Reiffenſt. *l.c. n.*45. & alii paſſim, *arg. cap.De peregrinationis Votis 1. de Voto, & Voti redemptione*. Eo enim ipſo, quod hæc materia ſit Voto promiſſa, habet honeſtatem objectivam Virtutis Religionis, jamque cenſetur melior, quam altera libera ſecundum ſe tantum æqualis, adeoque nequit commutari in opus æquale, niſi ab habente Juriſdictionem, cum hic non adſit ratio interpretationis Divinæ Voluntatis, quod velit illud bonum æquale acceptare, ſicuti adeſt in commutatione Voti in melius. Unde ſi occurrat cauſa ita commutandi unum Votum in aliud, eam cognoſcere ſpectat ad Superiorem. Contraria tamen opinio defenditur tanquam vere probabilis a Diana *p.3. tract.*11. *reſol.*48. cum pluribus ibi citatis a Tamburin. *lib. 4. decalog. cap.* 17. §.5. *num.*14. Sporer *l.c. n.*83. & a multis aliis apud Caſtrop. *d.2. p.*15. *num.*4.

119 Commutatio voti in opus minus bonum nullimode poteſt fieri propria voventis auctoritate & arbitrio, ſed neceſſario fieri debet per habentem Juriſdictionem Eccleſiaſticam ordinariam, vel Delegatam. *Communis*. Et ratio eſt clara, Commutatio voti in opus notabiliter minus bonum non poteſt fieri, niſi per habentem poteſtatem etiam diſpenſandi, quia tunc remittitur partialis obligatio voti, quæ utique eſt partialis diſpenſatio, adeoque &c.

120 Quicunque poſſunt Jure ordinario, vel Delegato in votis diſpenſare, poſſunt etiam illa commutare; At non e contra; Sic jam fere Communis: & recepta ſententia Doctorum cum Suarez *lib.7. de Voto cap.*12. *n.*16. Layman *l.c. num.*20. Sporer *l.c. n.*85. Henno *l.c. q.*3. §.4. *concl.*2. Reiffenſtuel *l.c. num.*46. & aliis modernis paſſim contra Navarr., Silveſter Azorium, Sanchez, & alios negantes poſſe commutare vota eos, qui in illis poſſunt diſpenſare ſolo Jure Delegato, uti ſunt Confeſſarii approbati Ordinum Mendicantium, & in eorum Privilegiis communicantium. Et ratio noſtræ concluſionis, quod nempe etiam dicti Confeſſarii regulares poſſint illa vota commutare, clara eſt, quia, ut expreſſe habetur *in cap. Ex parte 27. de Decimis: Ubi majus conceditur, minus conceſſum eſſe videtur*, & ut etiam expreſſe habetur *in cap.Cui licet 53. de Regul. Juris in 6. Cui licet, quod eſt plus, licet utique quod eſt minus*; Atqui potens diſpenſare, poteſt totam Voti obligationem tollere, quod eſt plus, & majus, ergo a fortiori poterit illam voti obligationem in aliam commutare re, quod eſt minus; qui enim poteſt remittere totum, poteſt & partem, adeoque Confeſſarii regulares poſſunt commutare proportionaliter illa Vota, in quibus poſſunt diſpenſare.

121 Secunda autem pars concluſionis, nempe quod nequeant e contra in votis diſpenſare quicunque illa poſſunt commutare, de ſe patet, & admittitur communiter, quia cui conceditur minus, non conceditur majus, ut a ſenſu contrario colligitur ex juribus adductis, Minus autem eſt votum commutare, quam in voto diſpenſare, ut expreſſe dicit S.Thomas 2.2. *q.*88. *art.*10. & liquet ex dictis. Unde in Bulla Cruciatæ datur facultas Vota commutandi, ut notant Bullæ expoſitores, non tamen diſpenſandi.

122 Habentes facultatem commutandi vota poſſunt illa commutare, etiamſi eſſent jurata. Vide verb. *Jubilæum art.*2. *num.* 35.

123 Item commutare poſſunt etiam vota in favorem tertii facta & nondum acceptata. Vide *ibid. n.*37.

124 Non poſſunt tamen commutare vota in favorem tertii facta, & jam acceptata. Vide *ib. n.*37. & verb. *Juramentum art.3. n.*33.

125 Dantur autem aliqui caſus, in quibus poſſunt commutari, immo & relaxari a Papa, & interdum ab Epiſcopis, aliiſque Prælatis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus Vota in favorem tertii facta & jam acceptata, & ſignanter cum bonum commune id exigit, quia bonum commune prævalet bono particulari, ſeu privato per vulgaria juris *in cap. Bonæ memoriæ 3. de poſtulatione Prælat. cap. Scias cauſ.* 7. *q.*1. *l. Actione* 65. §.5. *ff. Pro ſocio Novella* 39. *cap.* 1. *verſ. Ea enim*, cum ſimilibus. Vide verb. *Juramentum artic.* 3. *num.* 4.

126 Confeſſarii privilegiati, & Regulares poſſunt commutare votum de non petenda commutatione, aut diſpenſatione Votorum. Vide dict. verb. *Jubilæum art.2. n.*39.

127 Item commutare poſſunt etiam vota Caſtitatis, religionis, ac trium Peregrinationum, Hieroſolymitanæ ſcilicet, Romanæ, ac Compoſtellanæ, quando non ſunt vota proprie dicta, omnino perfecta, omnino certa, omnino determinata, omnino abſoluta, & quando ſunt conditionata, & pœnalia. Vide *ſupra n.*80. *ad* 91. dicta de votorum diſpenſatione, & diſcurre proportionaliter de eorum commutatione, & vide etiam verb. *Jubilæum art.2. a n.40. ad 49.* & diſcurre hic pariformiter.

128 Votorum commutatio fieri poteſt etiam extra Confeſſionem; Immo etiam cum abſentibus. Vide *ſupra num.*114. & dict. verb. *Jubilæum art.2. n.64. & 65.*

129 An autem commutatio Votorum fieri poſſit etiam a Confeſſario, qui non audit Confeſſionem Pœnitentis, & cui Pœnitens nullatenus vult confiteri? Vide d. verb. *Jubilæum ar.2. num.*56. & 57.

130 Ad commutationem voti in aliud opus manifeſte melius nulla requiritur cauſa, ſed ſufficit ſola voluntas Voventis; Unde commutare votum in manifeſte melius validum, licitum, & meritorium eſt. *Communis*.

131 Ad commutationem voti in aliud opus non melius ſed ſolum æquale, vel quaſi æquale, requiritur aliqua cauſa; ſed ſufficit modica; Unde commutare votum in aliud opus æquale, vel quaſi æquale, & non notabiliter minus abſque omni cauſa eſt quidem validum, ſed venialiter illicitum, quia eſt abuſus poteſtatis, quamvis in re levi. *Communis*. (a)

132 Ad commutationem voti in aliud opus notabiliter minus requiritur neceſſario cauſa gravis, ut eſt imperfecta deliberatio voventis; Difficultas exequendi; Damnum ſpirituale, vel corporale; majus bonum ſperatum, & hujusmodi; Unde commutare votum in aliud opus notabiliter minus abſque juſta gravi cauſa, nedum eſt graviter, ſeu moraliter illicitum, cum ſit abuſus poteſtatis in re gravi, ut concedunt omnes, ſed probabilius eſt etiam invalidum, quia taliter commutans excedit ſuam poteſtatem, cum illam non habeat, niſi ut commutet in æquale. vel ſi in minus, ratione poteſtatis diſpenſandi, non niſi ex juſta gravi cauſa juxta dicta de diſpenſatione *ſupra n.*59. Sic communior, & probabilior Doctorum ſententia cum Suarez, Navarr., & Azor. Caſtrop. Illsung. La Croix *l.c. n.*526. & ipſo teſte multi alii, Henno *l.c.* aliique plures; quamvis non deſint graves Doctores, uti Sanchez, Diana, Tambur. Bellegamb. Sporer *l.c. n.*120. & alii vere probabiliter defendentes, quod talis commutatio in notabiliter minus ſit quidem graviter illicita, ſed tamen adhuc valida, & ſit ſolum obligatio ſupplendi id, quod deeſt ad æqualitatem materiæ ſubrogatæ ad materiam Voti, uti ſit in contractibus permutationis, aut venditionis, qui non annullantur ex inæqualitate rei vel prætii, ſed remanet ſolum onus ſupplendi id, quod ad æqualitatem deeſt. At quamvis ſit vere probabilis hæc ſententia propter hanc paritatem, negatur tamen omnimoda paritas, quia commutatio inæqualis in dictis contractibus validatur a jure ad vitandas lites; Non ſic autem commutatio notabiliter inæqualis in Votis validatur a Deo, cum ipſe non det facultatem Miniſtro excedenti notabiliter ſuam poteſtatem, quæ data eſt *in ædificationem, & non in deſtructionem*, ut expreſſe dicit Apoſtolus 2. *ad Corinth. cap.16. num.*8. & *cap.13. num.* 10. Ubi autem deeſt conditio, ſub qua datur commutandi poteſtas, deficit ipſa poteſtas, conſequenter & ipſa commutatio, *arg. leg. Si quis ſub conditione* 8. *ff. Si quis omiſſa cauſa*. Vide *ſupra num.* 59.

133 Pro praxi obſervanda in facienda commutatione Votorum non poteſt tradi una, & certa regula pro omnibus. Unde commutans debet prudenter tria præcipue attendere, juxta id, quod ſtatuit Innocentius III. *in cap.Magnæ devotionis 7. de voto §.Et quidem*, ibi: *Et quidem tria præcipue duximus in hoc negotio attendenda. Quid liceat ſecundum æquitatem, quid deceat ſecundum honeſtatem, & quid expediat ſecundum utilitatem*.

134 Generaliter loquendo niſi circumſtantiæ, & cauſæ aliud exigant, commutari debet votum reale in reale, perſonale in perſonale mixtum in mixtum, perpetuum in perpetuum, temporale in temporale, ut ſic, quantum fieri poteſt, magis ſervetur æqualitas, & proportio, ut communiter tradunt Doctores.

135 Item generaliter loquendo in commutatione voti non eſt attendenda ſola materia promiſſa, ſed etiam finis promiſſionis, nec ſola excellentia virtutis in materia ſubroganda, ſed attendendi debet id, quod magis ad Dei honorem, & cultum, ac ad voventis ſalutem conducit, diligenter conſideratis omnibus circumſtantiis perſonarum, locorum, & temporum. Unde ſi quis verbi gratia voverit flagellationem, ſeu diſciplinam ad edomandam carnem Spiritui rebellantem, melius commutabitur tale Votum in jejunium, quam in Orationem, cum magis conducat ad finem intentum edomandæ carnis rebellis jejunium, quam Oratio. Licet enim Oratio ſit excellentioris virtutis in ſe, non tamen in tali caſu cum reſpectu ad finem, & ſalutem voventis, cum jejunium reſpectu ipſius ſit aptius ad edomandam rebellem ejus carnem, & ſic ad retrahendum ipſum a Dei offenſa. Et ſic de ſimilibus, ut notant communiter Doctores recte addentes, quod conſultius ſit Vota perſonalia commutare in Sacramentorum frequentiam, cum Sacramenta efficacius, & facilius conducant ad ſalutem voventis, quam cetera opera.

136 Specialiter, ac particulariter loquendo votum ſimplex, & abſolutum, ac perfectum Caſtitatis perpetuæ, vel Religionis ingrediendæ ad effectum Matrimonii contrahendi ſolet a Pontifice, aut ejus Delegato commutari in perpetuum jejunium certi diei, v.g. Feriæ ſextæ, & vigiliæ S. Fundatoris illius Religionis cum competenti aliqua eleemoſyna, ac alio bono opere ſingulis annis, aut in Confeſſionem & Communionem bis in menſe, ſed ſine dubio cum admixta diſpenſatione, cum Votum abſolutum Religionis, & Caſtitatis perpetuæ nunquam poſſit proprie commutari, ex quo aliud omne opus ſubrogandum minus ſit, adeoque ſemper eſt admiſcenda Diſpenſatio, ut recte notant Sanchez *lib.4. moral. cap.56. n.*41. Sporer *l.c. n.*127. Felix Poteſt. *tom.* 1. *part.*2. *n.*1939. Gobat *tom.2. tract.3. cap.41. n.*319. & alii paſſim docentes poſſe in ſimilia commutari a Confeſſariis privilegiatis, quando votum non eſt perfectum, & abſolutum.

137 Votum Religionis ingrediendæ, ſi non petatur commutatio ad effectum Matrimonii contrahendi, ſolet commutari in ſtatum Sacerdotalem, & jejunia illius Religionis, ac aliquas eleemoſynas ſingulis annis in honorem Sancti Fundatoris illius Religionis.

138 Non poteſt tamen quis tale votum commutare ſimpliciter in ſuſceptionem Epiſcopatus, quia licet ſtatus Epiſcopalis ſecundum ſe ſit perfectior, non efficit tamen hominem perfectiorem, quam Religio, licet perfectiorem eſſe ſupponat. Unde *in c.Per tuas* 10. *de Voto*, qui vovit Religionem ingredi & voto non adimpleto ſuſceperat Epiſcopatum, cogitur Epiſcopatum reſignare, & Religionem ingredi, ibi: *Conſulimus, ut ſi tuam ſanare deſideras conſcientiam, regimen reſignes Eccleſiæ memoratæ, ac reddas Altiſſimo Vota tua*.

139 Votum autem ingrediendi Religionem ſtrictiorem poteſt juſta de cauſa commutar a Confeſſariis privilegiatis, & Regularibus in laxiorem, ſervata debita æqualitate, & proportione. Sic Viva *de Jubilæo q.*12. *n.*11. cum Leſſio, Bonac. & Sanchez ibi citatis, Leander *de Voto tract.1. diſp.*18. *num.*50. Gobat *tom.2. tract.3. cap.* 41. *numer.*319. & alii. Vide *ſupra n.91. &* 108.

140 Votum ſuſcipiendi Sacerdotium commutari poteſt in quotidianam recitationem Officii B. M. V. vel ſeptem Pſalmorum Pœnitentialium cum Litaniis Sanctorum, & in procuranda celebratione Sacri ſemel in quolibet menſe, & in Confeſſionem, ac Communionem bis ſingulis menſibus, & in votum Caſtitatis in ſtatu Laicali, & ſi nolit Caſtitatem ſervare, in perpetuum jejunium ſingulis ſextis Feriis, vel Sabbatis.

141 Votum non contrahendi Matrimonium poteſt commutari in Confeſſionem, & Communionem ſemel ſingulis menſibus, in perpetuum jejunium unius diei ſingulorum menſium, in quotidianam recitationem Litaniarum B. Mariæ Virginis, vel in procuranda quotannis celebratione octo, vel decem Miſſarum, quamvis Sanchez *l.c. n.*43. Gobat *l.c. cap.*42. *n.* 325. & quidam alii dicant poſſe commutari in Confeſſionem ſingulis menſibus biennio, aut triennio faciendam. Itemque in novem Sacra extra ordinem facienda.

142 Votum Peregrinationis pedeſtris ita commutari poteſt, ut labor itineris compenſetur totidem dierum jejunio. Peregrinationis vero equeſtris quatuor dierum iter compenſetur unius diei jejunio una cum erogatione in pauperes omnium illarum expenſarum, quas Vovens juxta ſui ſtatus conditionem eundo, commorando, & redeundo eſſet facturus. *Sic Communis* quoad expenſas, quas eſſet Vovens facturus eundo, & commorando, & communior, ac verior Doctorum ſententia quoad expenſas, quas eſſet facturus redeundo. Gobat *tom.* 2. *tract.3. cap.39. num.*30. Sanchez *de Voto cap.* 56. *num.* 11. cum multis ibi citatis, Leander *de voto diſp.* 18. *quæſt.* 47. Bardus, & alii ibi allegati; Suarez *lib. 6. cap.* 19. *num.*10., & alii plures per expreſſum textum *in cap. Magnæ devotionis 7. de Voto, & Voti redemptione*, ubi in ſimili Voti commutatione Summus Pontifex vult habendam eſſe rationem laboris, & expenſarum, non ſolum pro acceſſu, & mora, ſed etiam pro regreſſu, ibi: *Tibi pro te, & famulis tuis licentiam concedimus Votum Peregrinationis taliter commutare, ut expenſas, quas fueras in eundo, morando, & redeundo facturus*



(a) Nota. Facultas diſpenſandi, & commutandi vota in ædificationem, non in deſtructionem Prælatis Eccleſiæ conceſſa eſt. Atqui ſine ulla cauſa, vel ex levi non *modica*, vota commutet, vel diſſolvat, ac poteſtate in ædificationem non utitur. Rurſus: ubi cauſa nulla eſt, dubitari jure meritoque poteſt, num adſit in Prælato diſpenſandi, & commutandi poteſtas; agitur enim de facta Deo promiſſione, quæ acceptata præſumitur, cujus obligationis ſolutio, non aliud videtur, quam declaratio, quod in data circumſtantia ceſſet obligatio, aut ſeſe homo obligare non voluerit.

*ſturus, alicui Religioſo committas in neceſſarios uſus terræ il-*
*lius* ( nempe Sanctæ, ad quem Trecenſis Epiſcopus, de quo
ibi eſt ſermo, Peregrinationem voverat ) *ſine diminutione*
*qualibet transfeaendas.... laborem etiam laboribus recompen-*
*ſes ſolicitius inſtando vigiliis, devotius vacans Orationibus,*
*& in jejuniis fortius te exercens*.
143 Henriquez autem *lib.7. cap.3.* Rodriquez *tom.2. cap.100.*
Graffius *lib.2. c.30. n.9.* Felix Poteſt, *t.1. p.2. a n.1950.* & alii
negant in tali commutatione computandas eſſe expenſas, quas
Vovens eſſet facturus in regreſſu, & dicunt non obſtare alla-
tum Textum, quia ideo in illo caſu voluit Pontifex ha-
bendam eſſe rationem etiam expenſarum regreſſus, quia tunc
agebatur de ſumma indigentia eleemoſynarum pro liberatio-
ne Terræ Sanctæ ab Infidelium manibus, ita ut ad talem fi-
nem etiam Cruciatam indixerit; Unde ſicuti caſus, & cir-
cumſtantiæ illius Textus non habent locum in aliis caſibus
Peregrinationis, ita non faciunt, ut eadem diſpoſitio parti-
cularis extendatur ad alios caſus generaliter: A diverſis enim
non fit illatio, nec in ipſis eſt facienda extenſio de caſu in
caſum, *leg. Sed ſi ante 17. ff. de except. l. Papinianus 24. ff.*
*de Minoribus*, *leg. Si Maritus* 10, *in fine*, *Cod. de donat. inter*
*virum, & uxorem*, *Cap. Ad audientiam* 12, *de Decimis*, cum
ſimilibus. Quæ opinio eſt probabilis, & tuta, uti etiam tu-
tam vocat Gobat *loc. cit.* quamvis non eſſe tutam contendat
Suarez *cit, lib.9. cap.19. n.10.*
144 In ſimili autem commutatione ſunt ſemper deducendæ ex-
penſæ, quas tunc Vovens erat domi facturus, cum illæ nul-
limode includantur in Voto. *Sic Doctores Communiter*.
145 Si voto Peregrinationis v. g. ad Sacram Lauretanam Ec-
cleſiam unitum ſit etiam Votum de elargiendo dicta Eccleſiæ
Lampadem centum aureorum, & illa Lampas fuerit jam a
Rectore ſeu Procuratore nomine dictæ Lauretanæ Eccleſiæ
acceptata, dictum Votum de elargienda tali Lampade nequit
commutari per dicta *ſuper num.* 124. & ſub verb. *Jubilæum*
*art.2. num.37.*, & ſub verb. *Juramentum artic.3. numer.33.*
Unde dicta Lampas debet ad præfatam Lauretanam Eccleſiam
tranſmitti, ſed expenſis commutationis dictæ Peregrinatio-
nis, ut ſcilicet ab expenſis, quas eſſet Vovens in ipſa pere-
grinatione facturus, & ratione commutationis in pauperes
erogandis tantum detrahat, quantum ſufficit pro tranſmiſſio-
ne lampadis; Si autem Votum de elargienda dicta Lampade
nondum fuerit acceptatum, tunc poſſet commutari, & Lam-
pas alteri Eccleſiæ elargiri, ſeu in alia opera pia, aliqua
rationabili cauſa exiſtente, converti, per dicta *ſupra n.123.*
& ſub verb. *Jubilæum art.2. n.36.*
146 Expenſæ, quas Vovens erat in Peregrinatione facturus,
poſſunt commutari in totidem eleemoſynas elargiendas Ec-
cleſiis, pauperibus, aut in alia pia opera applicandis: Non
enim neceſſe eſt, quo erat peregrinaturus, quamvis hoc eſ-
ſet conſultius, ſi commode fieri poſſet. *Communis*.
147 Labores, incommoda, & pericula peregrinationis com-
mutari debent in opera pia, puta in jejunia, Orationes, ac
vigilias, juxta text. *in cap. Magnæ devotionis 7. de Voto* al-
lat. *ſupra num.* 142.
148 In commutatione Voti peregrinationis ſemper addi debent
Confeſſiones, & Communiones, & Viſitationes Eccleſiarum,
ſeu Altarium illorum Sanctorum, ad quos erat peregrinatio
ex Voto directa, ut monent *Doctores Communiter*.
149 Votum jejunandi in perpetuum omnibus Sabbatis commu-
tari poteſt in recitationem Roſarii cum moderata eleemoſyna
facienda dictis omnibus Sabbatis, vel in Confeſſionem, &
Communionem bis in ſingulis menſibus.
150 Votum jejunandi ſemel in pane, & aqua commutari poteſt
in unam Confeſſionem, & Communionem, aut in recitatio-
nem Roſarii cum verberatione corporis, ſeu aliqua eleemo-
ſyna competente ſtatui, & conditioni Voventis.
151 Votum elargiendi talem eleemoſynam pauperibus commu
tari poteſt in ſervitium Hoſpitalis tot diebus ſufficientibus ju-
dicio prudentis Confeſſarii ad compenſandam eleemoſynam.
Sic e converſo Votum ſerviendi Hoſpitali tot diebus commu-
tari poteſt in correſpondentes eleemoſynas ipſi Hoſpitali elar-
giendas. Et hæc pro exemplari ſufficiant. Poterit enim pru-
152 dens Confeſſarius ex iſtis colligere alias ſimiles commutatio-
nes faciendas: dummodo ſemper attendat ad Perſonarum
conditionem, ſexum, diſpoſitionem, & hujuſmodi, ratio-
ne quorum pro eodem Voto minor ſubroganda eſt peregrina-
tio, v. g. debili, ac ſeni, quam viro robuſto, ac juveni;
minor eleemoſyna pauperi, quam diviti; pauciora jejunia
debili, ac laboranti, quam otioſo, ac benevalenti, & ſic
de ſimilibus.
Quæcumque autem Vota, exceptis realibus a tertio ac- 153
ceptatis, commutari poſſunt in Profeſſionem Religioſam;
immo per ipſam penitus extinguuntur. Vide *ſupra num.* 8.
*&* 9.
Facta commutatione Voti liberum forte eſt Voventi, aut 154
prius votum exequi, aut opus, in quod prius votum com-
mutatum eſt; Immo etiam ejuſdem operis novam commuta-
tionem ob rationabilem cauſam petere, & obtinere poterit.
Et ſi pluries commutatio facta ſit, poterit quodlibet opus ſub-
ſtitutum eligere, vel ad votum redire. *Communis*. Et ratio
eſt, quia commutatio facta eſt in favorem voventis; quiſquis
autem favori, ac Juri ſuo renunciare poteſt; *cap. Si de ter-*
*ra 6. de privileg.*, *& l. Si quis in conſcribendo* 29. *Cod. de pa-*
*ctis*. Et quilibet renunciare poteſt ei, quod pro ſe noſcitur
introductum, textu expreſſo *in cap. Ad Apoſtolicam 16. de*
*Regularibus: Et quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt*
*in ejus diſpendium retorquendum*, ut expreſſe habetur *in cap.*
*Quod ob gratiam 61. de Regul. Juris in 6.*
Facta Commutatione voti, ſi opus ſubrogatum fiat poſtea 155
impoſſibile, vel inutile, etſi per culpam voventis, vovens
omnino liberatur, neque tenetur redire, & exequi prius
votum ſuum; Quippe quod per legitimam commutationem
jam extinctum eſt: obligatio enim ſemel extincta non revivi-
ſcit; *leg. Qui res 98. §. ff. de ſolutionibus*. Peccavit tamen
vovens, ſi ejus culpa opus ſubrogatum factum ſit impoſſibi-
le; Unde ſi votum ver. gr. dando certam eleemoſynam com-
mutatum ſit in aliquod certum jejunium, & tale jejunium,
ſive ob juſtam cauſam excuſantem, ſive ex cauſa culpabi-
liter contracta nequeat a Vovente adimpleri; Immo etiam
culpabiliter jejunare negligat, atque peccet, non tenetur re-
dire, & exequi votam eleemoſynam. *Communis*.
Qui commutare poteſt votum, poteſt, & pœnam ratione 156
voti tranſgreſſi debitam commutare. Unde ſi quis verb. gr.
voverit ſe non luſurum, aut ſe non inebriaturum, vel in
pœam jejunaturum, & interea ſæpius tranſgrediendo pœnæ
obligationem ex voto incurrerit, nec perſolverit, Confeſ-
ſarius privilegiatus poterit ob juſtam cauſam, non ſolum com-
mutare votum quoad Obligationem facti, & pœnæ in futu-
rum, ſed etiam poterit commutare obligationem pœnarum
pro præteritis tranſgreſſionibus incurſarum. Sic Sanchez *lib.*
*4. moral. cap.52. num.10.*, *& cap.56. num.33.* Layman *lib.*
*4. tract.4. cap.8. num.20.* Suarez *lib.6. de Voto cap. 20. num.*
*18.* Sporer *loc. cit. num.134.* Henno *tom.1. tractat. in Deca-*
*log. diſp.2. quæſt.3. §.5. verſ. Petes ſexto*; & alii plures con-
tra Navarr., & alios. Et ratio eſt, quia Votum magis obli-
gat ad materiam directe promiſſam, quam ad pœnam, adeo-
que Confeſſarius potens commutare votum quoad materiam
directe promiſſam, poterit, & commuture quoad pœnam:
*Cui enim licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus*, textu
expreſſo *in Cap. Cui licet 13. de Regul. Juris in 6.*, *& ubi ma-*
*jus conceditur, minus conceſſum eſſe videatur, ut expreſſe ha-*
*betur in c. Ex part.27. de Decimis*.
Habens poteſtatem ordinariam, vel delegatam ad vota 157
commutanda, tenetur ipſa commutare, cum ob rationabilem
cauſam ad id requiritur. *Communis*. Et ratio eſt, quia niſi
juſtam cauſam habeat talem commutationem denegandi,
cenſetur infidelis Miniſter, cum recipiendo dictam faculta-
tem ſe implicite obligaverit ad ejus uſum, ubi requireretur,
& juſta adeſſet cauſa. Vide *ſupra n.67.*
Hactenus dicta de Votis currunt ſalva proportione etiam 158
de Juramentis. Vide verb. *Juramentum art.3. per tot.*
Alia ad rem; Vide verb. *Jubilæum art. 2.*, & verb. *Im-* 159
*pedimenta Matrimonii art.3.* verb. *Votum*, *Notas Rom. Th.*
*ad art.3. n.159.* (a)

*Additio ex Auctore.*

Votorum commutatio ( Religionis & Caſtitatis exceptis ) 160
in alia pia, & ſalutaria opera facienda a Confeſſariis conce-
ditur in Jubilæo univerſali; Bened. XIV. tom. 1. Conſtitut.
incip. *Lætiora Apoſtolicæ ſervitutis* §.4., & Conſtitut. 110.
incip. *In ſuprema* §.4. Vota ſimplicia, exceptis Religionis,
161 Caſtitatis, ac Ultramarino, & Viſitationis Liminum Apo-
ſtolorum, in alia pia opera rite commutari poſſunt per Con-
feſſarium electum ex approbatis ab Ordinario loci in vim
Bullæ Cruciatæ. Idem Conſt. 86. incip. *Quoniam* §.8.
162 * Vota tamen ſimplicia etiam Caſtitatis, & Religionis,
ac Sacrarum Peregrinationum diſpenſando commutare poteſt
Major Pœnitentiarius Romanus. Idem Conſtit. 95. tom.1.
Bull. incip. *Paſtor bonus* §.29.
163 Vota ſimplicia in Congregatione Miſſionis emiſſa a nemi-
ne quacumque cauſa, & occaſione diſſolvi poſſunt,
præterquam a Romano Pontifice, aut a Superiore Generali
Congregationis in actu dimiſſionis tantum; Idem Conſtit.
164 69. incip. *Quo magis*. Vota ſimplicia quæ in Societate Jeſu
poſt biennium probationis emittuntur, Beneficiorum vaca-
tionem non inducunt; Quamvis in Congregatione quinta
Generali ipſius Societatis *Canone* 19. ſtatutum fuerit, ut qui
165 Societati nomen dederit, expleto biennio, antequam Vota
ſimplicia emittat, Eccleſiaſtica Beneficia dimittere debeat:
166 Quo caſu hujuſmodi Beneficia, ſi minus propter renuncia-
tionem vacare intelliguntur; Idem Conſtit. 25. incip. *Ex quo*
*§. denique*, ex Suarez, Pellizario, Riganti, Pitonio, &
aliis.
167 Ad complementum, juvat hic adjicere decretum Summi
Pontificis Benedicti XIV. prævio conſilio particularis Con-
gregationis ab ipſo deputatæ Cardinalium de Gentilibus,
Cavalchini, Tamburini, & Beſotii, nec non Archiepi-
ſcopi Damaſceni, Congregationis Epiſcoporum, & Regu-
larium, atque ejuſdem Congregationis particularis Secretarii,
ſuper dubio, an vota, quæ a Converſis Ciſtercienſibus emit-
tuntur, ſimplicia ſint, vel ſolemnia?
Delata ad Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Signaturam contro-
verſia de votis, quæ in Profeſſione a Converſis Ciſtercien-
ſibus emittuntur, an ſimplicia ſint, vel ſolemnia, eadem
a dubii definitione ſe abſtinuit, eo potiſſimum ſub obtentu,
quod de ea agendum eſſet in Congregatione Epiſcoporum,
& Regularium, cui jam exhibita fuerant ſuffragia Patrum
Generalis, & Procuratoris Generalis Ordinis Ciſtercienſis.
Sed, cum nec ab hac ullum uſque adhuc judicium prodiiſſet,
opportunum, & congruum fore reputantes, ſi rem totam
ad Nos avocaremus, in Congregatione particulari coram no-
bis habenda diſcutiendum; ſupradictorum Cardinalium, &
Secretarii Congregationem deputavimus: quæ habita coram
Nobis die 16. currentis menſis Martii, unanimi cenſuit ſuffra-
gio, vota a Converſis Ciſtercienſibus in Profeſſione emiſſa,
non eſſe ſimplicia, ſed ſolemnia.
Et ſane, ſi in ipſo Familiæ Ciſtercienſis exordio, quod
ſæculo undecimo contigit, Monachis Converſi adjuncti fue-
runt, ut Monachi in Clauſtro ſolitudini, & contemplationi
vacarent, & converſi domos illas regerent, in quibus utilia
hominum neceſſitati parabantur, & ſic de converſis ſtatu-
tutum eſt: Tuncque definierunt, ſe converſos laicos barba-
tos licentia Epiſcopi ſui ſuſcepturos, eoſque in vita ſua,
& in morte, excepto Monachatu, ut ſemetipſos: uti legi-
tur in exordio Ciſtercienſi Cœnobii Tom.1. Bibliothecæ Pa-
trum Ciſtercienſium Tiſſies, autumantis, citatum Opuſcu-
lum eſſe S. Stephani Abbatis Ciſtercienſis.
Si, coacto ſecundo Lateranenſi Concilio anno 1139. ſub
Pontifice Innocentio II. ſtatutum eſt, nulla futura Matrimo-
nia, quæ poſt Profeſſionem fierent a Converſis, ſi hoc ip-
ſum confirmatum fuit in Concilio Rhemenſi, habito ſub
Eugenio Papa III., qui in minoribus fuerat Abbas Sancto-
rum Vincentii, & Anaſtaſii Romæ ad Aquas Salvias, San-
ctique Bernardi diſcipulus; ſi Pontifex Alexander hujus no-
minis III. in ſua Decretali, quæ incipit: *Non eſt Vobis*, ſub
tit. de Regularibus æquali ergat Abbatem obedientiæ jugo
reſpondit eſſe ſubjectos tum Monachos, tum converſos Or-
dinis Ciſtercienſis, ſuadent hæc omnia, quod vota a Con-
verſis Ciſtercienſibus in profeſſione emiſſa non ſimplicia ſunt,
ſed ſolemnia: quod etiam fuit animadverſum a Mabillonio,
Monachorum Inſtitutorum peritiſſimo, in ſua præfatione in
part. 2. ſæculi ſexti Ordinis Sancti Benedicti §.IX.
Nec, ut ab hoc ſenſu quis recederet, quidquam prodeſſe
potuerunt verba, quæ a Converſis Ciſtercienſibus in Profeſ-
ſione emittuntur: Pater, promitto tibi obedientiam de bo-
no uſque ad mortem: Præterquam quod enim compertum
eſt, quinque prioribus Eccleſiæ ſæculis nullam in emittenda
Profeſſione verborum formam fuiſſe præſcriptam, & quod
nec etiam juxta præſentem diſciplinam unius Inſtituti Regula-
ris Profeſſio concordat in verbis cum Profeſſione alterius In-
ſtituti; cum alumni Sancti Benedicti committant ſtabilitatem
loci, converſionem morum, atque obedientiam ſecundum
Regulam Sancti Benedicti; alumni Sancti Dominici voveant
obedientiam ſecundum regulam Sancti Auguſtini; alumni
Sancti Brunonis ſuorum morum converſionem promittant;
quæ promiſſio æquipollere videtur promiſſioni converſorum
Ciſtercienſium, obedientiæ de bono uſque ad mortem.
Vis in eo conſiſtere viſa eſt, quod ad effectum, de quo
agitur, nedum verborum, ſed cæterorum quoque extrinſe-
carum circumſtantiarum ratio habenda eſt. Cumque in Libro
antiquarum definitionum Ordinis Ciſtercienſis diſt. 24. c. 1.
tit. de Receptione, & Profeſſione converſorum, legatur,
quod poſt expletum Novitiatus annum, Converſus, ad Ca-
pitulum Monachorum accedens, proſtratus primo veniam
petit. & deinde ſurgens ad imperium Abbatis, & interro-
gatus, ſpondeat ſtabilitatem ſuam, poſt quæ Abbas dicat.
Det tibi Deus perſeverantiam: omneſque reſpondeant:
amen: quodque omni proprietate relicta, ſuorumque bono-
rum facta, prout libuerit, & maxime favore pauperum,
diſtributione, flexis genibus jungat manus, eaſque ponat in-
ter manus Abbatis, eique promittat obedientiam de bono
uſque ad mortem, Abbaſque reſpondeat: Det tibi Deus
vitam æternam: reſpondentibus omnibus, tamen, quæ om-
nia quoque leguntur in Rituali Ciſtercienſium lib.6. de Ritu
ſuſcipiendi Fratres cap.6. ſub titulo de Receptione, & Pro-
feſſione Converſorum.
Acceſſus ad Capitulum, non tempore Novitiatus, ſed
poſt Novitiatum expletum per integrum annum, promiſſio
ſtabilitatis poſt interrogationem de ea factam, & ejuſdem
acceptatio facta ab Abbate, cujus eſt Profeſſionem admitte-
re, ſolemnis proprietatis abdicatio, genuflectio ante Abba-
tem, & cætera ſolemnia, quæ comitantur profeſſionem
obedientiæ de bono uſque ad mortem, æternæ vitæ preca-
tio, memoratæ obedientiæ correſpondens, ſatis innuunt, Pro-
feſſionem eſſe ſolemnem, in eaque impliciter, & virtualitet
contineri vota Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ quæ
utpote juncta Profeſſioni Regulari, non ſimplicia ſunt, ſed
ſolemnia, juxta reſponſum Bonifacii VIII. in cap. unic. de
voto, & voti redemptione, in ſexto.
Unanime intereſſentium Congregationi ſuffragium pro ſo-
lemnitate votorum, quæ a Converſis Ciſtercienſibus in Pro-
feſſione emittuntur, fuit a nobis in ipſa Congregatione ore-
tenus approbatum. Hoc ipſum a nobis præſenti noſtro De-
creto confirmatur, quod noſtro ſigillo munitum Archiepi-
ſcopo Damaſceno Congregationis Epiſcoporum, & Regu-
larium, & particularis Congregationis Secretario, manibus
noſtris conſignamus, demandantes, ut illud referat inter
Acta Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, & De-
creti exemplar ad Pœnitentiariam Apoſtolicam, & Congre-
gationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, inter
ſua Acta approbandum, tranſmittat: ut unanimis in poſte-
rum ſit ſententia de ſolemnitate votorum, quæ a converſis
Ciſtercienſibus emittuntur.

Datum ex Palatio Apoſtolico Quirinali hac die 21.
Martii 1747.

## VOTUM PRO ELECTIONE.

Vide verb. *Electio art.3.*, *& 4. fere per tot.*

## VOTUM PROUT EST IMPEDIMENTUM MATRIMONIUM.

Vide verb. *Impedimenta Matrimonii art.1. a num.23.*
*ad 26.*

## USUCAPIO.

Vide verb. *Præſcriptio*.

USU.

(a) Nota. Circa Votorum irritationem, diſpenſationem, & commutationem vide quæ de privilegiis Regularium alibi adnotata ſunt.

## U S U R A.

1 Uſura dicitur *ab uſu*, ſicuti cultura dicitur *a cultu*; unde in hoc ſenſu Cicero in Verrem dixit; *Cur Piratis lucis uſuram tam diuturnam dediſti*. Sicque Uſura in genere ſignificat uſum alicujus rei. Item uſura ſæpe accipitur pro incremento, ſeu lucro, & commodo, ſeu tractu ex rei uſu proveniente, teſte eodem Cicerone, qui *l. de ſenectute* ſic expreſſe dicit; *Terra nunquam ſine fructu reddit quod accipit*, ubi fructus ſupra ſemen, ſeu incrementum, & lucrum, quod ex ſemine ſibi mandato reddit, uſuram appellat. Ad noſtrum autem propoſitum uſura ſumitur vel pro conventione, ſeu contractu uſurario, vel pro lucro, quod ex contractu acquiritur, quod etiam foenus appellatur a *Fœtu*, quaſi ſit foetus, ſeu partus, aut genitura pecuniæ, vel alterius rei pretio æſtimabilis mutuo datæ.

2 Uſura capta pro conventione, ſeu contractu uſurario definitur, quod ſit mutuatio cum pacto expreſſo, vel tacito accipiendi lucrum aliquod temporale ultra ſortem ratione mutui. Uſura autem capta pro lucro, quod ex contractu uſurario acquiritur, definitur, quod ſit lucrum immediate ex mutuo proveniens tamquam debitum, ideſt incrementum, quod vi mutui intenditur, & accipitur tamquam debitum ſupra id, quod mutuo datum eſt. Sic in re Doctores communiter, *arg. c. Si fœneraveris* 1. *cap. Putant* 2. *c. Plerique* 3. *& c. Uſura* 4. *cauſ.* 14. *q.* 3.

3 Uſura dividitur primo in mentalem, & realem. Uſura mentalis eſt, qua lucrum ex mutuo intenditur tamquam debitum, licet de eo nullum interveniat pactum, *arg. c. Conſuluit* 10. *de Uſuris*. Vide *infra num.* 86. Uſura realis eſt, cum quis mutuat cum pacto expreſſo, vel tacito accipiendi ultra ſortem lucrum ex mutuo. *Si in re Communis Doctorum*.

4 Secundo dividitur uſura in expreſſam, ſeu manifeſtam, & tacitam, ſeu palliatam. Uſura expreſſa, ſeu manifeſta, & formaliter exigitur pretium pro mutuo, & cum quis mutuat centum eo expreſſo pacto, ut ſibi reddantur centum, & quinque, & hujuſmodi. Uſura tacita, ſeu palliata, & virtualis eſt, quæ non committitur vi contractus mutui formalis, & expreſſi, ſed alterius contractus nomine, ac ſpecie veluti pallio contecti, & occultati, ut dum præciſe ob anticipatam, aut dilatam ſolutionem aliquid de juſto pretio detrahitur, aut ſupra juſtum pretium exigitur, *arg. c. In Civitate tua* 6. *de uſuris*.

5 Tertio dividitur uſura in lucratoriam, compenſatoriam, & punitoriam. Uſura lucratoria (de qua tamquam propria uſura ex profeſſo agunt Theologi, & erit hic ſermo) eſt quæ continet aliquod lucrum temporale, cauſa, & nomine ſolius mutui principaliter exactum. Uſura compenſatoria, ſeu reſtauratoria eſt, qua ex pacto exigitur aliquid ſupra ſortem ratione juſti intereſſe, ſeu damni emergentis, vel lucri ceſſantis, quod patitur mutuans, aut ratione periculi, & incommodi, quod probabiliter paſſurus eſt in mutuo recuperando. Et hæc uſura, ut infra videbitur, eſt licita. Uſura punitoria, ſeu moratoria eſt, qua ex pacto imponitur v. gr. pecuniaria ultra ſortem præſtanda, ſi mutuarius in reddendo mutuum tempore convento fuerit culpabiliter moroſus; & hæc etiam, ut infra videbitur, eſt licita.

6 Uſura proprie dicta, ſeu lucratoria eſt prohibita, non ſolum jure poſitivo, Divino, & Eccleſiaſtico, ſed etiam jure naturali. *Eſt Communis inter Catholicos*. Et quidem de jure Divino conſtat ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, & ſignanter ex *Levit.* 23., ibi: *Non accipies a Fratre tuo Uſuras, nec amplius, quam dediſti. . . . pecuniam tuam non dabis ei ad Uſuram, & frugum ſuperabundantiam non exigens*. *Deuteron.* 23., ibi: *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam*. *Pſalm.* 14. ubi introducendus in Tabernaculum Domini dicitur, *qui pecuniam ſuam non dedit ad Uſuram*, ſicque e contrario excludendus qui dederit ad uſuram. *Pſam.* 54. ubi inter iniquitates, quæ enumerantur, dicitur, *Et non defecit de plateis ejus uſura, & dolus*. *Ezechiel.* 18. ubi vita æterna præmiandus dicitur qui *ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit*, & e contra dicitur eſſe morte æterna puniendum *ad Uſuram dantem, & amplius accipientem*. *Et Lucæ* 6. ipſemet Chriſtus Dominus ait: *Mutuum date nihil inde ſperantes*, ſcilicet ultra ſortem, quæ verba Papa Urbanus III. *in capit. Conſuluit* 10. *de uſuris* affert ad probandum, uſuram jure Divino eſſe prohibitam. Unde *in cap. Super eo* 4. *de uſuris* expreſſe dicitur, quod *Uſurarum crimen utriuſque Teſtamenti pagina deteſtetur*, & concordat *cap. Quia in omnibus* 3. *eodem*, ibi: *Et qualiter utriuſque teſtamenti pagina condemnentur, nequaquam attendunt*.

7 Et quod Uſura prohibita ſit etiam jure Canonico, habetur expreſſe *ex cap. Quoniam* 2. *diſtinct.* 47. *cap. Si fœneraveris* 1. *cap. Putant* 2. *cap. Plerique* 3., *& cap. uſura* 4. *cauſ.* 44. *qu.* 3. *cap. Miniſtri* 2. *cap Si quis* 4. *cap. Nullus* 6., *cap. De hoc* 7., *& cap. Si quis uſuram* 10. *cauſ.* 14. *quæſt.* 4., *& ex toto titulo de uſuris, tam quinti, quam ſexti Decretalium, & ex Clementin. unic. de uſuris*, §. *Sane*, ibi: *Sane ſi quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat exercere uſuras non eſſe peccatum, decernimus eum velut* Hæreticum *puniendum*.

8 Quod autem uſura prohibita ſit etiam Jure naturali oſtenditur ratione. Contra Legem naturalem, ſeu Jus naturæ, eſt fructus percipere ex re non ſua, ſed aliena, cum fructus rei ex natura ſua pertineant ad Dominum ejuſdem rei: Atqui ſi ex mutuo uſura perciperetur, perciperentur fructus ex re aliena, ergo uſura eſt contra Jus naturale, ſeu de Jure naturali prohibita. Major eſt nota ipſo naturæ lumine. Minor probatur, per mutuum dominium rei mutuatæ transfe tur in mutuatarium: Mutuum enim ideo appellatur, quia de meo fit tuum, textu expreſſo *in l. Mutuum* 2. §. 2. *ff. de rebus creditis, ſi certum petatur*, ibi: *Appellata eſt autem mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit*. *Et Inſtitut. quibus modis recontrahatur obligatio in princip.*, ibi: *Inde etiam dictum eſt mutuum, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat*, ergo ſi percipiatur fructus ſeu lucrum a Mutuante ex re mutuata, percipiuntur ex re aliena, adeoque &c.

9 Nec contra id, quod hactenus dictum eſt, uſuram ſcilicet eſſe illicitam, & prohibitam Jure Divino, ac naturali objici valet illud *Deuteronomii capit.* 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram &c. ſed alieno*. Nec illud *Lucæ cap.* 19. *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, ut ergo veniens cum uſuris, utique exegiſſem illam?* Non valet, inquam, ad illud Deuteronomii reſpondetur cum variis Sacris Patribus, & Doctoribus, ibi ſolum permiſſas fuiſſe, ideſt non ſpecialiter punitas fuiſſe uſuras erga alienos tamquam malum ad majus malum vitandum, ne ſcilicet Judæi a ſe invicem uſuras acciperent propter avaritiam, cui nimis dediti erant. Sic inter alios reſpondet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 87. *artic.* 1. *ad* 2., ibi: *Quod autem ab extraneis uſuram acciperent, non fuit eis conceſſum quaſi licitum, ſed permiſſum ad majus malum vitandum, ne ſcilicet a Judæis Deum colentibus uſuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant, ut habetur Iſaiæ* 56. Et idem etiam habetur 2. 2. *quæſt.* 105. *artic.* 3. *ad* 3., ibi: *Accipere Uſuras ab alienis non erat ſecundum intentionem Legis, ſed ex quadam permiſſione propter pronitatem Judæorum ad avaritiam, & ut magis pacifice ſe haberent ad extraneos, a quibus lucrabantur*. Et idem jam ſcripſerat meus Alexander Alenſis *part.* 3. *quæſt.* 86. *membr.* 4. *art.* 2., ibi: *Nunquam fuit Judæis licitum fœnerare alieno, ſed permiſſum fuit illis, ſicut dare libellum repudii propter duritiam cordis ſui. Peccabant tamen mortaliter fœnerando alieno, ſed permittebatur eis duplici de cauſa, ſcilicet, ne facerent pejus, ideſt ne fœnerarentur fratribus, & quia duri erant, & paulatim trahendi ad perfectionem*. Et ſic varii alii dicentes, id permiſſum fuiſſe, ſeu toleratum fuiſſe, ſicuti apud Chriſtianos in quibuſdam locis permittuntur meretrices, quia non puniuntur qui cum eis ſcortantur, & ſicuti *in eodem cap.* 23. *Deuteronomii* dicitur: *Non erit Meretrix de filiabus Iſrael*, non quod meretrices alienigenæ approbentur, ſed quod non puniantur Lege iſta, ſicuti Meretrices Iſraelitæ.

10 Aut cum variis aliis reſpondetur id, Deum tunc permiſiſſe Judæis, non vi mutui, ſed vi donationis, transferendo ſcilicet tamquam ſupremus omnium Dominus rerum dominium ab extraneis in Judæos, ſicut *Exodi* 12. donavit ipſis Ægyptiorum ſpolia, quæ commodato acceperant. Sicuti enim poteſt Princeps temporalis in pœnam delictorum alicujus per Juſtitiam vindicativam ipſum bonis ſuis, vel in toto, vel in parte privare, eorumque Jus, & dominium in alium benemerentem conferre, ita Deus tamquam ſupremus Dominus univerſorum poterit a fortiori hoc præſtare adverſus ſui nominis hoſtes, juſque illud, & dominium ſuis fidelibus ſectatoribus in præmium, & retributionem conferre. Et quod de facto tunc Deus id fecerit, colligitur clare ex *Deuteron.* 28. ubi Moyſes contra populum Iſrael non ſervantem Legem ait: *Advena fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei*, quod intelligendum eſt in pœnam non ſervatæ Legis. Sicque cum *in dicto cap.* 23. *Deuteronomii* dixit. *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram &c. ſed alieno* debet pari ratione intelligi in pœnam ejuſdem alieni, eo quod legem non ſervaret, adeoque illud lucrum non approbavit Deus, ut fœnus eſt, ſed induxit, ut pœnam delicti, cum non approbaverit cum fratribus legem ſervantibus ſed ſolum cum exteris legem tranſgredientibus. Sic S. Ambroſius *lib. de Tobia c.* 15. *n.* 5. relatus *in cap. Ab illo* 12. *cauſ.* 14. *q.* 4. Pirhing *loc. cit. n.* 9. Sporer *loc. cit. n.* 111. Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 24. Pontas *tom.* 3. *verb. Uſura cauſ.* 7. Tririnus *Commentar. in d. cap.* 23. *Deuteronomii verſ.* 19. Molina *tom.* 2. *diſp.* 304. *numer.* 18. plures alios afferens pro utraque reſpenſione.

11 Ad illud autem *Lucæ* 19. reſpondetur, quod ibi per uſuram intelligitur lucrum licitum ex negotiatione: Dare enim ad menſam, non eſt dare mutuum, ex quo ſolo vetita uſura oritur; ſed eſt dare mercatoribus ad negotiandum, utpote ad contractum ſocietatis *a banco*, in quo dominium pecuniæ manet penes ſic negotiantem, & tam lucrum ex ea perceptum, quam penes ſic negotiantem, & tam lucrum ex ea perceptum, quam periculum ad eumdem ſpectat, quod non currit in mutuo. Unde ibi uſura accipitur metaphorice, ut nempe bonis a Deo acceptis augeamus, & multiplicemus merita, & bona ſpiritualia ad noſtram æternam utilitatem; voluit enim ibi Chriſtus ſuis fidelibus ſectatoribus oſtendere, quod ſicut homines terreſtres cum tanta ſollicitudine utuntur bonis temporalibus ad lucrum tranſitorium, ita & illi cum majori ſollicitudine debeant uti temporalibus ad lucrum æternum. Sic S. Thomas *loc. cit. art.* 1. Pirhing. *loc. cit.* Molina *loc. cit.* & alii paſſim.

12 Uſura uſurarum lucratoria eſt prohibita etiam de Jure Civili. *Communis* per clariſſimos textus *in l. Placuit* 29. *ff. de uſuris*, *l. Improbum fœnus* 20. *Cod. Ex quibus cauſis infamia irrogatur*, ibi: *Improbum fœnus exercentibus, & uſuras uſurarum illicite exigentibus infamiæ macula irroganda eſt*, *leg. Nullo modo* 28. *Cod. de Uſuris*, ibi: *Ut nullo modo uſuræ uſurarum a debitoribus exigantur, & veteribus quidem* Legibus *conſtitutum fuerat, ſed non perfectiſſime cautum. Si enim uſuras in ſortem redigere fuerat conceſſum, & totius Summæ uſuras ſtipulare, quæ differentia erat debitoribus, a quibus revera uſurarum uſuræ exigebantur? Hoc certe erat non rebus, ſed verbis tantummodo Legem ponere. Quapropter hac apertiſſima* Lege *definimus nullo modo licere cuiquam uſuras præteriti temporis, vel futuri in ſortem redigere, & earum uſuras ſtipulari, ſed etſi hoc fuerit ſubſecutum, uſuras quidem ſemper uſuras manere, & nullum uſurarum aliarum incrementum ſentire. Sorti autem antiquæ tantummodo incrementum uſurarum accedere*, *l. Sancimus* 3. *Cod. de Uſuris rei judicatæ*, ibi: *Cum enim jam conſtituimus uſurarum uſuras penitus eſſe delendas, nullum caſum relinquimus, eſſe delendas, nullum caſum relinquimus, ex quo hujuſmodi machinatio poſſit induci*.

13 Uſura autem uſurarum eſt, quæ ex uſura, ſeu lucro uſurario non ſoluto, ſe nova ſorte exigitur, ut dum quia v. g. mille ſcuta pro quinquaginta annuatim ſolvendis in mutuum dat, & de illis quinquaginta ſcutis debito tempore non ſolutis, ſeu Summa Capitali præter priorem novas uſuras v. g. duo ſcuta cum cum dimidio annuatim exigit.

14 Uſura vero ſecundum ſe non eſt Jure Cæſareo, ſeu Civili communi prohibita, niſi ſit in maxima quantitate, ut habetur clare in *l. Placuit* 29., *& l. Quod in ſtipulatione* 31. *ff. de Uſuris l. Lecta* 40. *ff. de rebus creditis*, ubi non ſolum permittuntur ut minora mala, ſed approbantur uſuræ ut licitæ, *l. Si interrogatione* 1. *Cod. de uſuris*, ubi ſic expreſſe habetur. *Si interrogatione præcedente promiſſio uſurarum recte facta probetur, licet inſtrumento conſcripta non ſit, tamen optimo Jure debentur*, *l. Quamvis* 8. *Cod. eod.* ubi denegatur actio ad repetitionem uſurarum jam ſolutarum, *l. Eos qui* 26. *Cod. eodem* ubi excepta præſcriptione triginta, vel quadraginta annorum conceditur actio ad exigendas uſuras promiſſas.

15 Dictum fuit tamen notanter. *Niſi ſit in maxima quantitate*, quia in hac quantitate uſura eſt prohibita etiam Jure Civili Communi per *cit. l. Eos qui* 26. *Cod. de uſuris*, *& l. Placuit* 29. *ff. eodem* Quænam autem ſit determinata quantitas, quæ a Jure Civili approbetur, quæve reprobetur, declaratur in eadem *l. Eos qui* 26. §. *Super uſurarum*, *Cod. de uſuris*, diverſimode juxta diverſitatem perſonarum abrogata veteri & graviſſima diſpoſitione. Conceditur igitur illuſtribus perſonis poſſe in contractu mutui ſtipulari ad *Trientem*, ideſt ad tertiam partem Centeſimæ uſurarum. Nomine autem tertiæ partis *Centeſimæ* uſurarum venit lucrum ut quatuor pro centenario ſingulis annis; Pro cujus rei notitia eſt advertendum, quod in Jure illa dicitur *Centeſima*, eo quia ſingulo menſe perſolvenda erat pars correſpondens *Centeſimæ* parti ſortis; Hinc tertia pars *Centeſimæ* uſurarum erat numerus ut quatuor, cum hic numerus ſit tertia pars numeri duodecimi; In trajectitiis contractibus, ſcilicet pro re ſeu pecunia trajectitia, quæ mutuo datur mercatoribus trajectitia ſeu acturis trans mare cum periculo creditorum, ſeu mutuantium, ſi naves pereant, conceditur *Centeſima* uſurarum Mercatoribus, ſive negotiatoribus conceditur poſſe recipere lucrum ex mutuo uſque ad Beſſem *Centeſimæ* uſurarum, ideſt ad duas partes *Centeſimæ*, nempe octo. Ceteris autem omnibus conceditur poſſe in contractu mutui ſtipulari ad *Semiſſem*, ideſt ad dimidium *Centeſimæ*, quod eſt ſex pro quolibet Centenario ſingulis annis. Sic habetur ex *cit. l. Eos qui* 26. *Cod. de uſuris*, ubi vetatur extenſio ad ulteriorem quantitatem.

16 Supradicta autem omnia ad faciliorem memoriæ retentionem quatuor ſequentibus carminibus traduntur a Gloſſa *in cit. l. Eos qui* 26. *Cod. De Uſuris*, ibi:

*Diſcant illuſtres ſtipulari poſſe Trientes.*
*Et Mercatores ſibi poſſint quærere Beſſes.*
*Quærere ſemiſſes poſſint communiter omnes.*
*In trajectitiis vires centeſima ſumit.*

17 At vero omnes ſupra *num.* 14. allegatæ Leges Civiles permittentes, & approbantes uſuras contra jus Divinum, & naturale, correctæ, & abrogatæ ſunt per Jus Canonicum, ut clare patet ex toto Titulo de uſuris, tam quinti, quam ſexti Decretalium, & expreſſe, ac ſpecialiter ex *Clementin. Unic. de uſuris*, ubi ſub pœna Excommunicationis reprobantur quæcunque ſtatuta *in offenſam Dei, & proximi, & contra Jura Divina pariter, & humana Uſurarum approbantia quodammodo pravitatem*. Quinimo ſubditur *ibidem* §. *Sane*, quod pertinaciter aſſerens exercere uſuras non eſſe peccatum ſit puniendus ut Hæreticus, ibi: *Sane ſi quis in illum errorem inciderit, & pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras non eſſe peccatum, decernimus eum velut Hæreticum puniendum*.

18 Hinc nullus Princeps, quamvis ſupremus, ſive ſæcularis, ſive Eccleſiaſticus, & neque Papa condere poteſt Legem qua uſuræ reddantur licitæ. *Communis ac certa*. Et ratio eſt clara, quia uſuræ ſunt a Jure Divino, ac naturali prohibitæ, ut probatum eſt *ſupra num.* 6. *&* 8. adeoque non poſſunt ulla Lege humana, neque Pontificia permitti, ut licitæ; Cum inferior poſſit diſpenſare in Lege Superioris, *argument. capit. Inferior* 4. *diſtinct.* 21. *capit. Cum inferior* 16. *de Majorit. & Obedient. Clementin. Ne Romani* 2. *de elect.* unde ipſemet Pontifex *cap. Super eo* 4. *de uſuris* expreſſe dicit, ſuper uſuris nullam poſſe dari diſpenſationem, ibi: *Cum uſurarum Crimen utriuſque Teſtamenti pagina deteſtetur, ſuper hoc diſpenſationem aliquam poſſe fieri non videmus*. Et quod id nequeant Principes ſæculares, quamvis Supremi, ſtat manifeſtum, quia ipſi ultraquam quod nequeant quidquam ſtatuere contra Legem Divinam, etiam Legi Pontificiæ nihil contrarium concedere valent, ſed eidem neceſſario obedire tenentur in his, quæ continent peccatum; *cap. Lege Imperator* 1. 2. *cap. Certum eſt* 3. *cap. Conſtitutiones* 4. *cap. Suſcipitis* 6. *diſt.* 10. *cap. Si quis* 2. *cap. Solitæ* 6. *de majorit.*, *& obedient.* cum ſimilibus, adeoque &c.

19 Immo nedum non poſſunt Principes, ſive ſæculares, ſive Eccleſiaſtici permittere tamquam licitas uſuras, ſed tenentur eas prohibere etiam Judæis in ſuis Ditionibus degentibus, & contravenientes punire. *Communis* per text. *in cap. Poſt miſerabilem* 12., *& cap. Quanto amplius* 18. *de Uſuris*. Et ratio eſt, quia uſuræ, ut *ſupra num.* 6., *&* 8. oſtenſum eſt, ſunt contra jus naturale, & Divinum; Principes autem ſive ſæculares, ſive Eccleſiaſtici debent omnibus degentibus in ſuis Ditionibus prohibere id, quod eſt contra Jus naturale, & Divinum; adeoque &c. 20 Tum quia poſt Legem Evangelicam non poſſunt Judæi fœnerare cum alienigenis modo, quo ipſis permittebatur in Lege veteri, quia talis conceſſio, ut *ſupra num.* 10. dictum eſt, erat pro illo tempore in pœnam alienigenarum non ambulantium in Lege Domini, & in retributionem populi in Lege Domini, & in retributionem populi ſui

li ſui ſequentis veſtigia ejus: Ratio autem talis conceſſionis poſt Legem Evangelicam ceſſat, cum populus hebræus a Deo prius dilectus, factus fuerit ei inimicus, & alienigenæ gentes factæ ipſi familiares, & ſuus dilectus populus. Tum etiam quia Principes tam Sæculares, quam Eccleſiaſtici poſſunt, & debent punire, & de facto juſte puniunt Judæos in ſuis Ditionibus homicidia, furta, aliaque ſimilia crimina perniciosa Reipublicæ perpetrantes, adeoque etiam punire poſſunt, & debent, eoſdem dictas Uſuras contra Jus naturale, & Divinum, & eidem Reipublicæ noxias committentes, cum eiſdem Juribus, & ex eiſdem motivis prohibeantur uſuræ, ac enumerata delicta.

21 Uſura compenſatoria, ſeu reſtauratoria, (de qua *ſupra num.5.*) eſt licita ex triplici præcipue titulo, ſcilicet titulo damni emergentis, titulo lucri ceſſantis, & titulo periculi perdendæ ſortis. Vide verb. *Mutuum a n.33. ad 37.*

22 Uſura punitoria, ſeu moratoria (de qua *ſupra n.5.*) eſt licita. Vide dict. *Mutuum n.38.*

23 Mutuans accepto pignore a Mutuatario, cum pacto, ut interim fructus pignoris lucretur, niſi adſit alius juſtus titulus, committit uſuram, & tenetur tales fructus perceptos ex pignore computare in ſortem. Vide dict. verb. *Mutuum numer. 44.*

24 Dantur tamen aliqui juſti tituli percipiendi fructus ex pignore ſine diminutione ſortis. Vide dict. verb. *Mutuum a n.45. ad 48.*

25 Pactum Antichriſeos quid ſit, & an ſit illicitum, & uſurarium? Vide verb. *Hypotheca a n.32. ad 33.*

26 Pactum Legis Commiſſoriæ quid ſit, & an illicitum, & uſurarium? Vide *ibid. num.34. & 35.*

27 Uſuræ neque poſſunt exigi, & accipi ob favorem cauſæ piæ, vel ob aliud opus bonum, neque ad id dari poteſt aliqua Diſpenſatio. *Communis*, textu expreſſo *in c. Super eo 4. de uſuris*. Cum enim ibi Archiepiſcopus Panormitanus quæſiviſſet a Papa Alex. III. An poſſit per Diſpenſationem pecunia recipi ad uſuram, ut per illam pauperes, qui in Saracenorum captivitate detinentur, poſſint liberari, ſic reſpondictus Summus Pontifex: *Reſpondemus, quod cum uſurarum crimen utriuſque Teſtamenti pagina deteſtetur, ſuper hoc diſpenſationem aliquam poſſe fieri non videmus, quia cum Scriptura Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus eſt quis, ne etiam pro redimenda vita captivi uſurarum crimine involvatur.*

28 Unde ne quidem, ut redimantur captivi, ut alantur pauperes, aut ut ædificentur, & reſtaurentur Eccleſiæ permitti poteſt facultas dandi pecunias ad uſuras, nempe ut illa pecunia uſuraria a fœnerante talia, vel ſimilia opera pia peragantur, ut clare habetur *ex cit. cap. Super eo 4. de Uſuris*. Et ratio eſt, quia nulla Diſpenſatio fieri poteſt in eo, quod utroque teſtamento eſt prohibitum, uti ſunt vere prohibitæ uſuræ, per expreſſum textum *in cap. Quia in omnibus 3. & citat. cap. Super eo 4. de uſuris*. Tum quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, *Epiſt. ad Romanos cap.3.* Gloſſa *in cap. Super eo verb. Diſpenſationem*, cum pluribus Juribus ibi adductis. Nec ſunt faciendæ eleemoſynæ de foenore, & uſuris, *cap. Non putanda 27. cauſ.1. quæſt.1. cap. Nolite 1. cauſ.14. qu.5.* Nec auferendum eſt aliquid Divitibus, ut detur pauperibus, *cap. Forte 3. eadem cauſ. 4., & quæſt. 5.* Tum etiam quia non licet pro vita alterins ſervanda mentiri, *cap. Ne quis 14. cap. Si quis 17. cauſ.2. qu.2.* adeoque multo minus licet uſuras exercere ob utilitatem proximi, quia hoc multo gravius eſt peccatum, quam mendacium, *cit. c. Super eo 4. de uſuris*.

29 Sunt tamen liciti, nec ſunt uſurarii Montes Pietatis. Vide verb. *Montes pietatis per tot.*

30 Mutuare cum pacto conferendi aliquid ſupra ſortem, non tamquam debitum juſtitiæ, ſed tantum amicitiæ, & gratitudinis, eſt uſura. Vide verb. *Mutuum n. 24.* ubi datur ad hoc propoſitio damnata ab Innoc. XI.

31 Mutuans non poteſt licite aliquid ſupra ſortem exigere, ex quo ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus. Vide d. verb. *Mutuum n.25.* ubi ad id affertur propoſitio damnata ab Alexandro VII.

32 Mutuans non poteſt licite aliquid ſupra ſortem exigere a Mutuatario pro ſola carentia pecuniæ quam ei actualiter numeratam mutuavit. Vide d. verb. *Mutuum n. 26.* ubi adducitur ad id alia propoſitio damnata ab Innocentio XI.

33 Mutuare intentione, ut acquiratur aliquid ex mutuo tamquam debitum ex juſtitia, & ſi id minus principaliter intendatur, eſt uſura mentalis. Vide dict. verb. *Mutuum numer. 23.*

34 Non eſt tamen uſura, cum quis dat mutuum, & ſine ulla pactione, ſecundario tantum inde aliquid intendit, & ſperat, item daturus mutuum, quamvis ſciret ſe id, quod ſperat, non obtenturum. Gloſſa *in cap. Conſuluit 10. verb. Sperantes, de uſurir*; Barboſa *in cit. c. Conſuluit numer. 6.* Navarr. *in Manual. cap.17. num.209.*, & alii paſſim, *arg. c. Si Officia 2. diſt. 59., & c. Quid proderit 7. diſt. 61.* Et ratio eſt, quia cum Mutuatarius aliquid poſſit dare, immo ex *Antidorali* obligatione Mutuatori obligatus ſit, utique poterit hic aliquid etiam ſaltem ſecundario ſperare, & intendere; Licite enim poteſt ſperari, quod licite poteſt acceptari.

35 Nec valet objicere illud Chriſti Domini *Lucæ 6. Mutuum date, nihil inde ſperantes.* Nec illud Canonis *Conſuluit* 10. *de uſuris*, ubi Pontifex reſpondit illum qui mutuat, alias non mutuaturus eo propoſito, ut licet omni conventione ceſſante, plus tamen ſorte recipiat pro ejuſmodi lucri intentione, judicandum eſſe male agere, & efficaciter ad reſtitutionem inducendum. Non valet, inquam, quia illud *Lucæ 6.* intelligi debet uti conſilium, quatenus excludit ſpem beneficii ex gratitudine a mutuario accipiendi, præceptum autem eſt, quatenus excludit ſpem lucri accipiendi, & præſtandi tamquam ex debito, cum ſic ſit vera uſura mentalis. Et illud dicti Canonis *Conſuluit* intelligi debet de eo, qui mutuum dat cum intentione lucri, ſeu pretii recipiendi ex mutuo, tamquam ex debito Juſtitiæ, qui utique cenſeri debet verus uſurarius mentalis. Non autem de eo, qui mutuum dat cum intentione recipiendi aliquam compenſationem ex ſola, & libera gratitudine. Unde notant communiter Doctores, quod non ſit uſura, ſi quis mutuum det Principi, vel Epiſcopo ea intentione, & ſpe ut ab eo Officium, vel Beneficium ſibi, vel ſuis ex libera gratitudine obtineat, cum nullum pactum, nec tacitum, nec expreſſum intercedat, ſed mera ſpes voluntariæ, & liberæ gratitudinis.

36 An autem ſit uſura, ſi mutuans excitet, & moneat, ſeu roget Mutuatarium, ut intuitu mutui illi præſtet aliquam gratuitam remunerationem, ſeu aliquid præter ſortem ex gratitudine liberaliter, & voluntarie ei præſtet? Variant Doctores. Negant enim Molina, Bonacina, Salonius, & alii cum Diana *part.1. tract.8. de contractibus reſolut. 62.* Lugo *diſ. 25. de Juſtit. ſect.4. numer.30.* Reiffenſtuel *loc. cit. numer. 96.* Sporer *loc. cit. num.33.* teſtans de communi aliorum quia dicunt ejuſmodi gratitudinem intendens, & petens, rem licitam, & honeſtam intendit, & petit, cum reipſa non intercedat verum pactum, nec coactio, ſed tantum petatur compenſatio Antidoralis, ad quam quivis beneficium aliquod accipiens ex jure naturæ tenetur. At vero licet prædicta opinio ſit probabilis, probabilior tamen eſt ſententia Scoti *in 4. diſt.15. quæſt. 2. §. De ſecundo articulo*, Richardi, Cajetani, Joannis Medinæ, & Angeles apud Lugo *loc. c.* affirmantium, & docentium eſſe Uſuram; *argum. cap. Sicut 4. cauſ.1. q.2.* ubi ex verbis Sancti Gregorii dicitur: *Oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione proceſſit*; ergo a contrario ſenſu ſi petitur, non excluditur omnis culpa. Et ſic etiam Viva *in propoſition. 42. ex damnatis ab Innocentio XI. num. 12.* & alii plures. Et ratio eſt, quia illa excitatio, monitio, ſeu rogatio videtur eſſe quoddam pactum implicitum, ſi antecedat mutuum; & ſi ſubſequatur mutuum, Mutuatarius non videtur ſponte dare, ſed rubore, vel neceſſitate compulſus, cum metu injuſto induci ſoleat ad remunerandum timens, ne ſibi injuſta nota ingratitudinis inuratur.

37 Si Mutuatarius mere gratis, & liberaliter det aliquid ultra ſortem, Mutuator autem mala fide accipiat tamquam debitum ratione mutui, eſt quidem uſura mentalis inchoata, ſed non perfecta, nec reſtitutioni obnoxia. Sic Scotus *in 4. diſt. 15. quæſt.2. art.2.* Leſſius *lib.2. cap. 20. dub. 6.* Molina *loc. cit. diſp.306.* Amicus *diſ.20. ſect.5.* Sporer *loc. cit. num. 79.* Viva *loc. cit. ſub num.10.* Lugo *loc. cit. numer. 33.* appellans hanc communem, & veram ſententiam. Et ratio eſt, quia ex parte Mutuatarii donantis fuit voluntas libera, & ſufficiens ad transferendum dominium accedente acceptatione quamvis peccaminoſa ex parte Mutuatoris accipientis; Hæc autem acceptatio, & poteſt poni formalis, quando cognoſcitur talis animus Mutuatarii non retractatus, ita ut tunc dominium transferatur, & poſita fuit virtualis, quando Mutuator accepit auctarium, quia licet putaverit illud non dari gratis, voluit tamen ſibi accipere omni meliori modo, quo poterat. Nec obſtat *cit. cap. Conſuluit 10. de uſuris*, ubi Pontifex dicit, uſurarium mentalem cogendum eſſe ad reſtitutionem. Nam ibi ſolum eſt ſermo de caſu, quo Mutuatarius non dederit auctarium gratis, & mere liberaliter, & quandiu de hac voluntate dantis non conſtat.

38 E contra ſi Mutuatarius det aliquid ultra ſortem tamquam ex debito ratione mutui, & Mutuator accipiat bona fide, tamquam ſibi gratis, & mere liberaliter donatum, eſt quidem uſura materialis, cum datio utpote involuntaria abſque animo donandi non fuerit ſufficiens ad transferendum dominium, at non eſt uſura formalis completa, nec obnoxia reſtitutioni, ſi lucrum ſic bona fide acceptum ſit etiam bona fide conſumptum, nec inde Mutuator factus ſit ditior: Si autem ceſſet bona fides Mutuatoris, ex quo expoſt cognoſcat Mutuatarium, non gratis, & liberaliter, ſed tamquam ex debito ratione mutui dediſſe illud auctarium, tunc evadit uſura formalis reſtitutioni obnoxia, quia ceſſante bona fide, & tali veritate comperta, jam deeſt Mutuatori juſtus titulus retinendi illud auctarium, adeoque illud reſtituere debet, & ſi bona fide conſumpſit, reſtituere tenetur id, in quo inde factus eſt ditior; & ſi in nullo ſit inde factus ditior, rurſus nihil reſtituere tenebitur, juxta dicta de reſtitutione facienda a poſſeſſore bonæ fidei ſub verb. *Poſſeſſor bonæ, & malæ fidei*. Sic Doctores ſupracitati, & alii paſſim.

39 Si dubium ſit, an Mutuatarius dederit illud auctarium gratis, & mere liberaliter, vel an tamquam ex debito ratione mutui? debet fieri ſufficiens inquiſitio de intentione dantis, & ſi percipiatur dediſſe gratis, & mere liberaliter, poteſt retineri illud auctarium; & e contra reſtitui debet, ſi percipiatur illud dediſſe tamquam ex debito ratione mutui. Si autem Mutuatario jam mortuo, ſeu alias ejus intentio interpellari non poſſit, reſolvendum eſt ex circumſtantiis, nempe quod dederit gratis, & mere liberaliter, ſi mutuatarius erat dives, liberalis, magnificus, & beneficus, ſi dederit hilariter, & hujuſmodi; & aliunde Mutuator nec explicite, nec implicite aliquid petierit; & tunc ipſe Mutuator non tenebitur ad reſtitutionem. Et e contra, quod dederit tamquam ex debito ratione Mutui, ſi Mutuatarius erat inops, parcus, avarus, ſi meſte, & moleſte dederit, & hujuſmodi, & tunc Mutuator tenebitur ad reſtitutionem. Et tandem ſi omnibus attentis, adhuc reſtet dubium mere negativum, tenebitur Mutuator ad reſtitutionem; & ſi dubium fuerit poſitivum ob rationes utrinque probabiles, ac conjecturas, & circumſtantias utrinque rationabiles, ac veroſimiles, non tenebitur probabiliter Mutuator ad reſtituendum illud auctarium ſic acceptum. Sic Sporer *loc. cit. num.80.* Lugo *loc. cit. numer.32.* Viva *loc. cit. ſub nu.10. verſ. ad primus*; La Croix *lib.3. part.2. num.922.*, & alii contra alios. Et ratio a pari eſt de eo, qui cœpit poſſidere rem aliquam bona fide, & deinde ſuperveniens dubium, an ea res ſit aliena, ſuperare non poteſt; In tali enim dubio melior eſt conditio poſſidentis, per claros textus *in l. Nemo 126. §.2. ff. de Regul. Juris, l. In pari cauſa 128. ff. eodem Quod autem 5. de jurepatronat. c. in pari 65. de Regulis Juris in 6.*

40 Si Mutuatarius det aliquid ultra ſortem, eo quia timet ſe alia vice, cum indigebit, non acceptum mutuum, vel ne videatur, aut vocetur ingratus, tunc mutuans probabilius tenetur ad reſtitutionem. Sic Cajetanus, Molina, Navarra, Navarrus, S. Antonius, Angles, Diana, & plures alii, quos affert Salas *dub.6. num.1.* Lugo *loc. citat. numer.34.* pro hac ſententia, quamvis teneant ſententiam contrariam. Sic etiam Viva *loc. cit. num.10. in fine*, dicens contrariam ſententiam ſolum ſpeculative eſſe probabilem, non tamen practice, & ſic alii plures. Et ratio eſt, quia cum Mutuatarius ſolvit auctarium ob dictum metum fere ſemper putat injuſtum metum gravem ſibi incuti, & idcirco non gratis, & mere liberaliter, ſed coacte ductus tali injuſto metu; & adeoque cum talis datio fuerit ſecundum quid involuntaria abſque animo donandi, & inſufficiens ad transferendum dominium, tenebitur mutuans ad reſtitutionem; Non ſic autem ſi metus fuiſſet levis, nec cauſam dediſſet tali dationi, quia tunc tale auctarium cenſetur gratis, & mere liberaliter datum, ſicque retineri poſſet a Mutuatore.

41 Contraria autem ſententia eſt vere probabilis, eamque defendunt Sporer *loc. cit. num. 81.* Salas *loc. citat. numer. 3.* Lugo *loc. cit. num.35.* cum multis aliis ibi citatis dicentibus, non committi uſuram, niſi detur, vel accipiatur ut pretium mutui, vel tamquam debitum ex juſtitia, quibus favet etiam La Croix *loc. cit. num.923.* Et ratio eſt, quia Mutuatarius dando ex tali timore, non dedit ut pretium mutui, ſed ut motivum habendi benevolentiam mutuantis, cum quilibet ex gratitudine donans inducatur ad donandum metu, ne notam ſubeat ingrati, & tamen liberaliter donat, quamvis donatio non ſit ita ſpontanea ac ſi ex affectu benevolentiæ procederet. Tum quia ſicuti non eſt ſimonia, quando nullo prævio pacto confertur Beneficium famulo ab Epiſcopo timente, ne alioquin famulus tædio affectus ab ejus obſequio diſcedat, nec famulus, licet hoc ſciat, ſimoniace accipit Beneficium, quia revera nullum ibi intervenit pretium, ſed ſolum conciliatio novæ benevolentiæ, ita nec intervenit uſura in hoc caſu.





42 Uſura eſt, ſi Mutuans det mutuum Mutuatario cum pacto, ut ei remittat obligationem reſtituendi, non ſolum bona fortunæ, ſed etiam famam, quam antea injuſte læſerat. Leſſius *lib.2. c.20. dub.7.* Lugo *loc. cit. num.37.* Sporer *loc. cit. n.85.* Laym *lib.3. tract.4. cap.86. num.2.*, & alii paſſim. Et ratio eſt clara, quia talis obligatio eſt Mutuatario oneroſa, & moleſta; ſicque ejus condonatio eſt pretio æſtimabilis, adeoque &c.

43 Item uſura eſt, ſi mutuet cum pacto, ut Mutuatarius abſtineat ab actione injuriarum, quam contra ipſum juſte intentare poſſet: Ceſſio enim talis Juris intentandi actionem injuriarum, & exigendi ſatisfactionem a Judice eſt vere pretio æſtimabilis, adeoque &c. Sic quamvis poſſit mutuans mutuare ſuo inimico, a quo timet vindictam cum pacto; ut deſiſtat a vindicta injuſta, vel injuſto modo intentata, verbi gratia propria auctoritate, ſeu ut deſiſtat ab odio, ab inimicitia, & hujuſmodi, cum ſic petat, quod inimicus ei antea debet, ſive ex Caritate, ſive ex juſtitia, & ſic non imponat ei novam obligationem, novumque gravamen non poteſt ſic mutuare pacto, ut deſiſtat a vindicta, ſeu ſatisfactione juſta, quam poteſt exigere ab Auctoritate publica, ſeu Judice, cum ſic imponat illi novum gravamen vere pretio æſtimabile. Sic ſupracitati Doctores, & alii fere communiter.

44 Uſura vero eſt quidquid pretio æſtimabile pacto expreſſo, vel tacito exigitur, & recipitur vi mutui per ſe tamquam debitum ex juſtitia, ſeu tamquam pretium mutui. Unde mutuans cum pacto, ut mutuatarius ei vendat res ſuas etiam juſto pretio, vel ut emat res ab ipſo, vel ut utatur ejus Molendino, ſeu frequentet ejus Officinam, vel ut patrocinetur ſuæ cauſæ, vel ut conducat ejus prædium, vel ut reſtituat in alio loco, vel ut reſtituat partem in pecunia partem in mercibus; vel ut eum eximat a gabellis, vectigalibus, ſeu tributis, vel ut ei præſtet munus a lingua, a manu, ab obſequio, & his ſimilia, committit uſuram, quia obligatio Civilis quoad omnia adimplenda eſt pretio æſtimabilis, cum ſic imponatur mutuatario onus aliunde indebitum, & privetur ſua libertate. *Communis*.

45 Item uſura eſt mutare cum pacto, ut Mutuatarius teneatur fidejubere pro Mutuante, vel ſuis. Vide verb. *Mutuum num. 28.*

46 Mutuare frumentum, vel Vinum de præſenti, quo minus valet cum pacto, ut reſtituatur in eadem quantitate pro tempore, quo prævidetur certo, vel quaſi certo plurius valiturum, eſt uſura. Vide d. verb. *Mutuum n.29.*

47 Non eſt tamen uſura, ſi ſit æquale dubium, an pro tempore reſtitutionis ſit valiturum pluris, vel minoris? Vide *ibid. n.30.*

48 Sic pariformiter eſt dicendum de pecunia mutuata cum pacto, ut reſtituatur in eadem omnino ſpecie, & numero pro tali certo tempore. Vide *ib. n.31.*

49 Excipe tamen, niſi ipſe Mutuator talem pecuniam; tale vinum, tale frumentum &c. ſervaturus eſſet uſque ad illud tempus, quo pluris diſtrahere potuiſſet. Vide *ib. n.32.*

50 Contractus ille, qui vulgo dicitur *a godere*, quo ſcilicet aliquis dat ſufficientem pecuniam alteri, ut ipſe quandiu utitur dicta pecunia, cedat illi domum, vel alteram fructiferam rem interim fruendam, quomodo poſſit ab uſura excuſari? Vide *ib. n.59.*

51 Qui recuſat mutuare pecuniam, ſed ipſam tradit indigenti dicendo, quod emit ab ipſo ſuas vaccas, & eaſdem ei locat pro penſione annua ei ſolvenda, excuſatur communiter ab uſura, ſi ille alter de facto habeat dictas vaccas utiles, & ſerventur conditiones requiſitæ ad contractum juſtæ locationis; Secus vero non. Vide *ib. n.50.*

52 Ab uſura excuſatur, qui a ſe mutuum petenti tradit pecuniam dicendo, quod tali pecunia conducit ſuas operas ad futuram Meſſem, ſeu Vindemiam. Vide *ib. n.51.*

53 Ementes res minori pretio, quam valeant, quando excuſentur ab uſura, & reſtitutione, vel non? Vide verb. *Emptio art.2. per tot.*

54 Ementes Chirographa, & aliena credita minori pretio, quam valeant, quando excuſentur ab uſura, & reſtitutione, vel non? Vide *ib. a n.19. ad* 28.

55 Emere rem ſine juſto titulo infra pretium infimum ob ſolam anticipatam ſolutionem eſt uſura. Vide *ib. n.*28.

56 Item uſura eſt rem plus juſto pretio, ideſt ſupra pretium ſummum vendere ſine juſto titulo ob ſolam dilatam ſolutionem. Vide verb. *Emptio art.3. a n.1.*

57 Venditores quando excuſentur ab uſura, & reſtitutione, vel non? Vide *ib. per tot.*

58 Contractus *Mohatra* eſt uſurarius. Vide *ib. n.*56.

59 An Mutuans poſſit ex contractu uſurario celebrato percipere, & retinere lucrum, quod ex alio juſto contractu (quem celebraſſet, ſi ſciviſſet) recipere, & retinere potuiſſet? Variant Doctores. Aliqui enim putant poſſe illum tale lucrum percipere, & retinere, etiamſi mala fide dictum contractum uſurarium celebraverit. Sic Verricelli apud La Croix *lib.3. p.2. num.*924. quod tamen ipſo teſte merito negant Tambur. *lib.8. tract.3. c.8. §.3. n.23.* & Sporer *l.c. n.*106. Alii generaliter tenent poſſe ſic Mutuantem tale lucrum percipere, & retinere, ſi bona fide dictum contractum uſurarium celebravit. Sic Sa verb. *Uſura n.*8. expreſſe dicens: *Qui facit contractum uſurarium bona fide credens juſtum, poteſt tantum lucri retinere, quantum acquiſiviſſet alioquin per contractum licitum.* Et ſequuntur Tannerus 2.2. *diſp.4. q.7. n.99.* Diana *p.1. tract.8. reſol.*47. Alii defendunt poſſe dictum ſic bona fide Mutantem retinere tale lucrum, ſi mutuando intenderit, & expreſſerit ſe velle contrahere omni meliori modo. Ita cum aliis Leſſius *lib.2. cap.20. dub.12.* Sporer *l.c. n.*106. dicens id probabiliſſime eſſe licitum. Alii docent tale lucrum poſſe recipi, & retineri ſaltem ſi mutuans ſciverit illum alium modum juſte contrahendi, & Mutuatarius etiam cenſeatur conſenſiſſe; Secus autem non. Ita Lugo *diſp.25. ſect.9. numer.*182. & *ſeq.* Sporer *l. c. n.*106. dicens, quod ſic optime ſentiat Lugo, quibus duabus ultimis ſententiis favet La Croix *cit. lib.3. p.2. n.*144. & 924. cum aliis allegatis. Et ratio inter alias iſtorum eſt, quia ſic Mutuans, ac contrahens bona fide, intendens interim, & exprimens ſe velle celebrare contractum omni meliori modo, habet veram voluntatem celebrandi contractum, qui licite fieri poſſit; ergo tunc virtualiter illum celebrat, maxime, ſi tunc ſciat illum modum juſte contrahendi, & Mutuatarius etiam cenſeatur conſentire uti rationabiliter conſentire cenſendus eſt, cum rationabiliter debeat potius conſentire in contractum juſtum, & juſto titulo celebratum, quam in contractum injuſtum, & celebratum titulo injuſto; adeoque cum adſit ſufficiens utriuſque voluntas cum titulo juſto implicite ſaltem contento, jam adeſt totum id, quod neceſſarium eſt ad jure contrahendum, & lucrandum, adeoque &c.

60 Alii tandem ſuſtinent, quod regulariter loquendo non poſſit ſic Mutuans in reſolutione contractus uſurarii quamvis bona fide initi tantum retinere, quantum in alio contractu juſto v.g. Emptionis, Cenſus, Societatis, & hujuſmodi acquiſiviſſet. Sic expreſſe Sapientiſſimus Roſignolus *tract. de Contractibus contr. 3. de Mutuo, & Uſuris disquiſit.6. §.6. n. 2. & ſeq.* & alii. Et ratio inter alias eſt, quia Contractus ſecundum ſe uſurarius eſt ipſo jure nullus ex dictis *ſupra a numer.6.* ergo nullum poteſt parere intereſſe; Contractus enim nullus perinde eſt ac ſi non eſſet contractus, cum paria ſint non eſſe, & nullum eſſe, *arg. l. Duo ſunt Titii, ff. de Teſtamentaria tutela*, & idem ſit aliquid non eſſe factum, & nulliter factum, *l. Si ſe non obtulit* 4. *§.6. ff. de re judicata.* Quod autem nullum eſt, nullum producit effectum, *c. Illud* 8. *de jurepatron.* Et non entis nulli poſſunt eſſe fructus, nullæque qualitates, *arg. l. Ejus qui in Provincia, ff. de rebus creditis, ſi certum petatur, libr.1. & 2. de uſufructu*, adeoque &c.

61 Nec valet dicere, quod quamvis non ſubſiſtat dictus contractus uſurarius in ratione contractus talis, ſub qua expreſſe fuit celebratus, ſubſiſtat tamen in ratione alterius contractus liciti implicite voliti ab ipſo contrahente, quandoquidem ſi ſciviſſet contractum juxta talem modum non eſſe validum, alio modo valido contraxiſſet. Non valet, inquam, quia hoc modo aperiretur via infinitis uſuris, panderetur enim aditus cuicunque uſurarie, & invalide contrahenti aliquid ex Contractu uſurario, & invalido, ac infructifero lucrandi, cum ſemper poſſet dicere, ſi ſciviſſem, alio modo licito contraxiſſem.

Hinc quamvis non ſit improbabilis ſententia Leſſii, Lugonis, & Sporer *ſub n.*59. adducta, in praxi tamen non eſt facile concedenda, ut dicit ipſemet Sporer *l.c. n.*105. ſic expreſſe habens: *Id in praxi non facile concedendum approbant omnes etiam citandi, & ſimpliciter non licere ſupponere videntur Doctores communiter.* Tum quia, ut teſtatur dictus Pater Roſignolus *cit. §.6. in fine*, ita pluries fuit judicatum in Excellentiſſimis Mediolani, & Taurini Senatibus in contractibus cenſualibus, aliiſque invalidis, vel ex defectu ſolemnitatis requiſitæ, vel ex quolibet alio capite, qui Senatus coegerunt vel fructus ex talibus contractibus invalidis perceptos reſtituere, vel computare in ſortem. Hæc ille. 62

Contractus vulgo dictus trium Contractuum an ſit uſurarius, vel non? Vide verb. *Societas, ſeu Societatis contractus a n.3. ad* 11. 63

Notarii, ſeu Tabelliones conficientes inſtrumenta uſuraria per modum contractus liciti ſuppreſſa uſura; Itemque Teſtes ſubſcribentes peccant mortaliter contra Juſtitiam, & ad reſtitutionem obligantur ſaltem ſecundo loco, ſi uſurarius non poſſit, aut non velit; Sic etiam conſulentes, & perſuadentes ad uſuras exigendas: Item ſcienter dantes pecuniam uſurario ad exigendas uſuras. Item Judices, & Domini compellentes ad ſolvendas uſuras, vel impedientes quo minus ſolutæ uſuræ repetantur, vel reſtituantur, in quos eſt excommunicatio latæ ſententiæ *in Clementin. Ex gravi unic. de uſuris.* Item omnes Miniſtri principales uſurarii ad uſuras concurrentes, ut negotiorum geſtores, proxenetæ, factores, correſpondetes, & hujuſmodi. Item denique omnes efficaciter cooperantes ad uſuras exigendas, & ſolvendas peccant mortaliter contra Juſtitiam, & ad reſtitutionem obligantur, etiam quiſque in ſolidum in defectu aliorum. *Sic Doctores communiter.* Et colligitur ex *cit. Clement. Ex gravi unic. de uſuris*, Concil. Mediolanenſ. 1. *Tit. de Uſuris*, ibi: *Tabelliones, qui inſtrumenta confecerint, proxenetæ, uſurarum, aut libri participes, Miniſtreque omnes horum ſcelerum, & pœnis a Jure ſtatutis, & Eccleſiaſticis Cenſuris puniantur.* Item ex Concilio Rhemenſi habito anno 1583. a Ludovico Cardinali Guiſio, & a Papa Gregorio XIII. approbato *Tit. de Fænore* §. ibi: *Actuarii, ſeu Notarii uſurarum, proxenetæ, omneſque qui contractibus uſurariis aliquam operam, vel conſenſum præbent, ejuſdem criminis cenſeantur eſſe participes.* Immo de Notariis, ſeu Tabellioniqus inſuper rigidiſſima pœna habetur in Jure ſtatuta, *l. Jubemus* 13. *§.3. C. de Sacroſanctis Eccleſiis*, ibi: „His „Tabellionibus, qui hujuſmodi contractuum vetitorum „auſi fuerint inſtrumenta conſcribere, irrevocabilis exilii „animadverſione plectendis. 64

Mutuatarius, qui abſque juſta cauſa ab uſurario etiam parato petit mutuum ſub uſuris, peccat mortaliter peccato Scandali. *Communis.* Præbere enim ſine juſta cauſa alteri occaſionem peccati mortalis, ſeu ruinæ ſpiritualis eſt peccatum mortale ſcandali. 65

Non peccat autem Mutuatarius, ſi ab uſurario petat mutuum ob aliquam juſtam cauſam non ſolum neceſſitatis, ſed etiam veræ, & evidentis utilitatis. *Communis.* Et ratio eſt, quia Mutuatarius poteſt uti Jure ſuo petendo id, quo indiget, & quod alter ſine peccato facere poteſt. Quod autem alter non ſit facturus ſine peccato, non ſequitur ex petitione Mutuatarii, ſed ex ſpontanea malitia Mutuatoris. 66

Mutuatarius non peccat poſt acceptum jam mutuum ſub uſuris uſuram ſolvendo, ſi non poſſit ſine gravi incommodo ſolutionem denegare. *Communis.* 67

Non tenetur tamen Mutuatarius ſolvere veras uſuras lucratorias, etiamſi eas ſolvere promiſerit, niſi ſub juramento ad eas ſolvendas ſe obligaverit. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Debitores 6. de Jurejurando*, ibi: „Debitores ad „ſolvendas uſuras, in quibus ſe obligaverant, cogi non de„bent. Si vero de ipſarum ſolutione juraverint, cogendi „ſunt domino reddere juramentum. 68

Mutuator autem cogi poteſt, ut dictum juramentum, & per conſequens etiam uſurarum ſolutionem remittat. *Communis*, textu expreſſo *in cap.1. de jurejurando*, ibi: „Man„damus quatenus Cretitores ad juramenta ſuper uſuris ſibi „præſtita relaxanda Eccleſiaſtica diſtrictione cogatis. 69

Et in caſu, quo Mutuatarius vi juramenti dictas lucratorias uſuras jam ſolverit, poteſt illas in judicio petere, debetque Mutuator ad eas Mutuatario denuo reſtituendas compelli. *Communis*, textu expreſſo *in cit. c. Debitores 6. de Jurejurando*, 70



„*rando*, ibi: „Et cum uſuræ ſolutæ fuerint, Creditores „ad res reſtituendas ſunt Eccleſiaſtica ſeveritate (ſi neceſ„ſe fuerit) compellendi.

71 Et dato, quod mutuatarius etiam juraſſet ſe non repetiturum uſuras ſolutas, nihilominus Mutuator compelli poteſt, ut vel juramentum remittat, vel ab uſurarum exactione deſiſtat, vel poterit, non obſtante hujuſmodi Juramento, per Judicem ex Officio compelli ad reſtituendas uſuras jam ſolutas. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Tua dudum* 13. *de uſu„ris*, ibi: „Nos igitur reſpondemus, ut uſurarios ipſos mo„do prædicto per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione „remota, compellas ante usurarum ſolutionem ab earum „exactione deſiſtere, vel reſtituere ipſas, poſtquam fuerint „perſolutæ, ne de dolo, & fraude contingat eos commo„dum reportare„ juncto ejus Summario ſic dicente: „Non „obſtante Juramento de non repetendis uſuris per Debito„rem præſtito, poteſt Judex ex Officio ſuo uſurarium ad re„ſtituendas usuras compellere.

72 Fuit *ſupra n.*68. notanter dictum non teneri Mutuatarium ſolvere *veras uſura lucratorias*, quia ad ſolvendas uſuras compenſatorias, ſeu reſtauratorias, & usuras punitorias, ſeu moratorias tenetur in utroque Foro, cum ex dictis *ſupra n.*21. & 22. illæ ſint omnino licitæ & conſequenter debitæ.

73 Uſurarius non acquirit dominium usurarum, ſeu rerum per usuram acceptarum, niſi res uſu conſumptibiles, ſeu functionem recipientes, ut pecunia, frumentum, vinum, & hujuſmodi ita commixtæ ſint cum rebus ipſius propriis, ut nullo modo diſcerni poſſint. Ita S. Thomas 2.2. *q.78. art.3. ad* 3. Covarruv. *lib.3. variar. reſol. c.6. n.3.* Layman *lib.3. tr. 4. cap.16. n.7.* Silveſter *verb. uſura q.1.* Sporer *l.c. n.*17. teſtans de communiori, & ſibi vera omnino ſententia DD. plurimorum, quos congerunt, & ſequuntur Molina, Leſſius, & Tambur. *ibi* citati; Reiffenſtuel *l. c. n.* 167. teſtans de communi aliorum contra Gloſſam *in cap. Si quis Uſuram* 14. *q.4.* & quoſdam alios. Et ratio eſt, quia ad acquirendum rerum dominium requiritur aliquis juſtus, & ſufficiens titulus, ut concedunt omnes etiam adverſarii, ſed hic nullus adeſt juſtus titulus. ergo &c. Probatur Minor: talis juſtus, & ſufficiens titulus transferendi dominium in uſurarium Mutuatorem non poſſet eſſe niſi ipſa datio, ſeu ſolutio Mutuatarii ſimpliciter voluntaria, etſi cum admixto involuntario ſecundum quid, prout aſſignant ipſi adverſarii, atqui ipſa datio non eſt ſufficiens ad transferendum dominium, quia licet illa ſolutio eſſet voluntaria ſimpliciter, & ſolum mixte involuntaria, ſeu ſecundum quid, ut dicunt adverſarii, eſſet tamen ſolum voluntaria quo ad traditionem, non vero quo ad translationem dominii; nam Mutuatarius uſuras tradens non præſumitur velle conferre majus Jus Mutuanti, quam debeat, & ipſi de Jure competat, ſed ipſas ei intendit tradere eo modo, quo ipſi debentur: cum ergo ei nullo juſto titulo ad validam Dominii translationem requiſito debeantur, ſe potius ipſas nullatenus exigere poſſit, & ſi jam ſic receperit, ſeu exegerit, reſtituere teneatur, per textus expreſſos *in cap. Cum tu 5. cap. Tua 9. cap. Conſuluit 10. cap. Quam pernicioſum 11. cap. Poſt miſerabilem 12. cap. Tua dum 13. & cap. Quia fuſtra 14. de Uſuris, cap.1. & 6. de Jurejurando*, cum ſimilibus, ſequitur manifeſte, quod in ordine ad talem ttanslationem Dominii illa ſolutio, ſeu traditio Mutuatarii ſit inſufficiens. per text. in *l. Numquam 31. ff. de adquirendo rerum dominio*, ibi: „Nun„quam nuda traditio transfert dominium, ſed ita ſi vendi„tio, aut aliqua juſta cauſa præceſſerit, propter quam tra„ditio ſequeretur.

74 Si tamen ſupradictæ res per uſuram acceptæ ita commixtæ ſint cum rebus propriis, ut nullo modo diſcerni poſſint, tunc uſurarius acquirit quidem earum dominium ratione commixtionis, ſeu confuſionis, vel ſpecificationis, ſed ita debile, & infirmum, ut teneatur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem in æquivalenti ratione injuſtæ acceptionis. Sic Sporer *l.c. n.*115. Lugo *diſp.25. ſeſſ.11. n.* 206. cum S. Thoma, & pluribus aliis ibi citatis, Reiffenſtuel *l. c. nu.*166. teſtans hanc eſſe communem, & certam per text. *in §. Si duorum* 27. & *§. Quod ſi frumentum* 28. *Inſtit. de rerum diviſione: et adquirendo ipsarum dominio: l. Si alicui 78. ff. de ſolutionibus* ibi: „Si alieni nummi inſcio, vel invito Domino ſoluti ſunt, ma„nent ejus, cujus fuerunt; ſi mixti eſſent, ita ut diſcerni „non poſſent, ejus fieri, qui accepit, in libris Gaii ſcriptum „eſt„. Et ratio eſt, quia dicta admixtio, ſeu confuſio per citata Jura, ſicut & ſpecificatio per text. *in §.25. inſtit. de rerum diviſ.* eſt juſtus titulus acquirendi rerum dominium, nec vitiatur per aliquem ſpecialem modum, quo acquiratur res, quæ per d. admixtionem, ſeu confuſionem, vel ſpecificationem acquiritur; ſemper enim ſupponitur res eſſe aliena quæ confunditur, ſeu commiſcetur, ſive ergo illa res ſit per actionem furtivam, ſive per uſurariam acquiſita, dum ita commiſcetur, ſeu confunditur cum propriis, ut diſcerni, ſeu ſeparari ab ipſis nullo modo poſſit, non eſt eadem res in individuo reſtituenda, cum ſic tranſierit in dominium commiſcentis, ſeu ſpecificantis; ſed bene in æquivalenti, ratione injuſtæ acceptionis, ſicuti quando res alterius jam eſt conſumpta.

Hinc Uſurarius tenetur reſtituere omnia acquiſita per uſuras uſque ad æqualitatem damni illati. Nempe primo ipſaſmet res in individuo, vel in ſe adhuc diſcernibiliter exiſtentes, vel in æquivalenti, ſi commixtæ cum ſuis indiſcernibiliter exiſtant, cum per injuſtitiam eas acceperit. Secundo ſi res per uſuram accepta erat ſecundum ſe fructifera, tenetur reſtituere una cum illa etiam omnes fructus ex ipſa perceptos, detractis expenſis, & æſtimatione laboris, ac induſtriæ, cum tales fructus ad Mutuatarium tamquam Dominum rei pertineant; §. *Si quis a non Domino 35. Inſtitut. de rerum diviſione.* Immo uſurarius tenetur reſtituere ipſos fructus ex re uſurarie acquiſita perceptos, quamvis Dominus, ſeu Mutuatarius per negligentiam ſuam illos fructus non percepiſſet, ſi rem ſuam habuiſſet, detractis tamen ut ſupra expenſis, & æſtimatione laboris, ac induſtriæ. Et ratio eſt, quia omnis res de ſe fructifera ſuo Domino fructificat, *cit. §. Si quis a non Domino 35. Inſtitut. de rerum diviſione.* Inſuper tenetur uſurarius reſtituere etiam fructus, quos ipſe per incuriam non percepit, attamen percepiſſet Mutuatarius, ſi rem ſuam de ſe fructiferam habuiſſet. Et ratio eſt, quia ipſe uſurarius per injuſtam acceptionem & detentionem fuit iniqua cauſa amiſſionis fructuum, quos percepiſſet Mutuatarius, ſi ille rem uſurariam non detinuiſſet; Nullos tamen fructus reſtituere tenetur uſurarius, ſi ex re uſurarie accepta nec ipſe fructus aliquos percepit, nec Mutuatarius propter ſimilem negligentiam fuiſſet percepturus. Et ratio eſt, quia nec ipſe uſurarius in data hypotheſi e fructibus rei uſurariæ factus eſt ditior. cum nullos ex ipſa perceperit; nec quo ad ipſas damnum aliquod intulit Mutuatario, cum, ut ſupponitur, nullos fructus fuiſſet ex ipſa percepturus. 75

Si autem res per Uſuram accepta non erat ſecundum ſe fructifera, & ex detentione ipſius nullum emergat damnum, vel lucrum ceſſet Mutuatario; fructus ex illa percepti ſiunt, quoad dominium, ejuſdem Uſurarii, nec reſtituendi ſunt Mutuatario. *Communis*, per clarum textum *in leg. Qui aliena 8. Cod. Si quis alteri, vel ſibi*, ibi: *Qui aliena pecunia comparat, non ei, cujus nummi fuerunt, ſed ſibi tam actionem empti, quam dominium, ſi ei fuerit tradita poſſeſſio, quærit.* Et ratio eſt, quia quando res non eſt ſecundum ſe fructifera, fructus, qui ex ipſa percipiuntur, non ſunt fructus rei, ſed ſolius induſtriæ, & Perſonæ, adeoque non Domino rei, ſed Perſonæ applicanti induſtriam cedere debent. 76

Hinc res ipſæ, quas Uſurarius ſibi emit; verb. grat. pecunia uſuraria, quamvis non permixtæ, nec confuſæ cum rebus propriis ipſius Uſurarii, tranſeunt in dominium Uſurarii, ut concedunt communiter Doctores, etiam illi, qui negant dominium Uſurarum acquiri ab Uſurario. Et ratio eſt, quia res per pecuniam uſurariam emptæ non ſunt fructus pecuniæ, utpote ex ſe ſterilis, ſed ſunt fructus induſtriæ, ſeu voluntariæ emptionis, & negotiationis ſuſceptæ; quæ emptio ſeu negotiatio, cum ſit tota ipſius uſurarii, ideo ipſæ res emptæ in ipſius Uſurarii dominium tranſeunt, ut clare habetur ex citat. *leg. Qui aliena 8. Cod. Si quis alteri, vel ſibi.* Quare etiam fur, id quod ex re furtiva negotiando acquirit, ſibi, non Domino acquirit, *leg. Qui vas 48. §. 7. ff. de furtis.* Item Depoſitarius id quod ex re depoſita negotiando acquirit, ſibi, non deponenti, acquirit, *leg. Si ex pecunia 6. Cod. de rei vendicatione.* Item Uxor id, quod ex re Mariti defuncti ad Filium pertinente negotiando acquirit, ſibi, non Filio acquirit, *leg. Si pecunia 1. Cod. Si quis alteri, vel ſibi.* 77

Item ſi uſurarius res per uſuram acquiſitas vendat, pretium illarum quo ad dominium ſibi acquirit, & non Mutuatario, ſicuti fur vendens res furtivas, earum pretium quo ad dominium ſibi, & non Domino acquirit. Remanente ſemper tamen obligatione reſtituendi pro re uſuraria, vel furtiva in æquivalenti, & damna inde ſecuta Mutuatario, vel Domino compenſandi. *Communis*, per clarum textum *in leg. Qui vas argenteum 48. ff. de Furtis, §. 7.* ibi: *Cum fur rem* 78

*furtivam vendidiſſet, eique nummos pretii Dominus rei per vim extorſit, furtum eum nummorum feciſſe recte reſponſum eſt. Idem etiam vi bonorum raptorum actione tenebitur: Quod enim ex re furtiva redigitur, furtivum non eſſe nemini dubium eſt; nummus ergo hic, qui redactus eſt ex pretio rei furtivæ, non eſt furtivus.*

79 Etiam Judæi tenentur reſtituere uſuras extortas a Chriſtianis, & ad id compellendi ſunt per ſubtractionem communionis Chriſtianorum, vel alias per Principes, & Poteſtates ſæculares. *Communis*, per textus expreſſos *in cap. Poſt miſerabilem* 12. *& cap.* Quanto *amplius* 18. *de uſuris*. Vide *ſupra num.* 9. 10. 11. 19. *&* 20.

80 Obligatio reſtituendi uſuras tranſit ad heredes uſurariorum, non tantum ſuos, ſed etiam extraneos. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Tua nos 9. de uſuris*, ibi: *Reſpondemus, quod Filii ad reſtituendas uſuras ea ſunt diſtrictione cogendi, quam parentes ſui, ſi viverent, cogerentur. Idipſum etiam contra heredes extraneos credimus exercendum.*

81 Non tenentur tamen heredes reſtituere ultra vires hereditatis, *Communis*, *argument. cap. In litteris 5. de Raptoribus*, ibi: *Heredes ejus moneas, & compellas, ut his, quibus ille per incendium, vel alio modo damna contra Juſtitiam irrogaverat, juxta facultates ſuas* (ideſt defuncti, ut ibidem recte advertit Gloſſa verb. *Facultas*) *condigne ſatisfaciant*, & concordat *l. Ex qua* 149. ff. *de Regul. Juris*, ibi: *Ex qua Perſona qui lucrum capit, ejus factum præſtare debet.*

82 Tenentur vero heredes uſurarii reſtituere, quamvis res uſuraria ad eos in natura non devenerit, nec per illam hereditas illorum fuerit aucta. Sic Engel *lib. 5. Decret. tit.* 19. *de uſuris* §. 3. *numer.* 3. Reiffenſtuel *ibidem numer.* 175. Caniſius *ibidem cap. 7. numer.* 4. & alii. Et ratio eſt, quia heredes ad exonerationem conſcientiæ tenentur pro viribus hereditatis ſatisfacere omnibus illis, quibus per defunctum aliquod damnum illatum eſt, etiamſi ex tali damno hereditas aucta non ſit, *argument. cap. Parochiano tuo* 14. *de ſepulturis*, juncta Gloſſa *ibidem verb. Sed ejus heres*, *& cap. In litteris 5. de Raptoribus* cum Gloſſa *ib. verb. Heredes*.

83 Reſtitutio ab uſurario, ſeu ejus heredibus facienda eſt illis, a quibus uſuræ extortę fuerunt, vel eorum heredibus, ſi extent, vel ſi non extent, ſeu non ſint ſuperſtites, pauperibus, *Communis*, textu expreſſo *in cap. Cum tu 5. de uſuris*, ibi: „ Cogendi ſunt per pœnam, quam ſtatuimus in „ concilio, eas his, a quibus extorſerunt, vel eorum he„ redibus reſtituere, vel (his non ſuperſtitibus) pauperibus „ erogare.

84 Paupertas uſurarium, & heredes illius excuſat a reſtitutione, donec ad pinguiorem fortunam pervenerint. *Communis*, per text. *in leg. Nam is 6. ff. de dolo malo*, ibi; „ Nam „ is nullam videtur actionem habere, cui propter inopiam „ adverſarii inanis actio eſt, & citat. cap. Cum tu 5. de uſu„ ris, ibi: „ Dummodo in facultatibus habeant, unde ipſi „ poſſint eas reſtituere. „ . Illi autem, qui non habent in fa„ cultatibus, unde uſuras valeant reſtituere, non debent ulla „ pœna mulctari, cum eos nota paupertas evidenter ex„ cuſet.

85 Ad reſtitutionem obligat, nedum uſura realis, ſed etiam mentalis, ſi aliquod intentum lucrum ratione mutui ſit ſubſecutum. Unde Mutuator, qui intendens lucrum recipere vi mutui, licet ſine pacto externo, contrahit uſuram mentalem, ſi inde aliquid accipiat ultra ſortem, quod Mutuatarius non gratis, nec ex mera liberalitate, ſed tamquam debitum ratione mutui dedit, tenetur etiam in Foro conſcientiæ ad ejus reſtitutionem. *Communis*, textu expreſſo *in cap. Conſuluit* 10. *de uſuris*, ibi: „ Hujuſmodi homines pro in„ tentione lucri, quam habent (cum omnis uſura, & ſupe„ rabundantia prohibeatur in Lege) judicandi ſunt male „ agere, & ad ea, quæ taliter ſunt accepta, reſtituenda, in „ animarum judicio efficaciter inducendi.

86 Si autem Mutuatarius omnino gratis, & ex mera gratitudine, ac liberalitate aliquid dederit ultra ſortem, nulla eſt obligatio id reſtituendi, quamvis Mutuator mente intenderit tale lucrum primario, & principaliter, ita ut non fuiſſet mutuaturus, niſi ob perfectam Mutuatarii gratitudinem, ac liberalitatem tale lucrum ſperaſſet. Licet enim non velle mutuum dare niſi iis, quos ſperatur fore gratos, poſſit ſpectare ad avaritiam, non tamen ſpectat ad uſuram, cum ſic nihil intendatur, neque recipiatur ratione mutui, ſed omnino gratis, & ex mera gratitudine, ac liberalitate, ſeu benevolentia Mutuatarii, adeoque non interveniat vera, & propria uſura mentalis. Sic Pirhing *lib. 5. Decretal. tit. 19. num.* 133. cum Navarro, Molina, Azorio, Leſſio, Card. de Lugo ibi citatis, & alii communiter, Reiffenſtuel *ibid. n.* 178. teſtans & ipſe de communi aliorum. Sporer *loc. citat. n.* 177. & alii paſſim.

Advertendum eſt hic ad uberiorem uſuræ mentalis intelli- 87
gentiam, quod pro uſura mentali non intelligitur nudum propoſitum, ſeu ſola voluntas uſuras accipiendi, vel exigendi, prout præſcindit ab omni actu externo, (tale enim propoſitum potius eſt, & dicitur uſura interna, quam uſura mentalis) ſed intelligitur, & accipitur pro actu externo quo mutuum datur cum ſpe, & intentione accipiendi lucrum ex mutuo, quamvis ſine ullo pacto externo, *argum. cap. Conſuluit 10. de uſuris*.

Uſurarii ultra ſupra recenſitam obligationem reſtitutionis 88
ſubjacent etiam variis pœnis contra ipſos, tum in Jure Civili, tum in Jure Canonico ſtatutis. Prima igitur eorum pœna eſt, quod uſurarii manifeſti, ſeu notorii ſunt ipſo jure infames, *cap. Infames 2. §. Porro in fine cauſ. 3. q. 7. cap. Dilectus 13. de exceſſib. Prælator cap. Improbum* 20. *Cod. Ex quibus cauſis infamia irrogatur*.

Secunda pœna eſt, quod uſurarii notorii, ſeu manifeſti, ſi 89
Clerici ſint, & moniti non deſiſtant, ob Officio, & Beneficio ſint ſuſpendendi, ac deponendi, *cap. Epiſcopus 1. cap. Quoniam 2. & cap. Si quis 5. diſt. 47. cap. Si quis 4. & cap.* Quoniam 8. *cauſ. 14. quæſt. 4. cap. Præterea 7. de uſuris, cap. Inter dilectos 11. de exceſſibus Prælator.* Et a fortiori Clerici uſurarii manifeſti repellendi ſunt a Sacris Ordinibus ſuſcipiendis, & ab Officiis, & Beneficiis obtinendis, *cap. De Petro 4. diſt.* 47. & omnibus citatis juribus, quibus ſtatuitur tales Clericos privandos eſſe Officiis, & Beneficiis obtentis, adeoque multo magis repellendos ab obtinendis. Tum quia tales manifeſti uſurarii ſunt infames per Jura citata *ſupra numer.* 87. Infamibus autem Portæ Dignitatum patere non debent, textu expreſſo *in c. Infamibus 87. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Infamibus portæ non pateant Dignitatum.*

Tertia pœna eſt, quod uſurarii notorii, ſeu manifeſti, ſi 90
Laici ſint, excommunicari debent uſquedum debite ſatisfecerint, *cap. Præterea 7. de uſuris*, & ipſo facto irregulares exiſtunt, *cap. Maritum 2. diſt. 33. cap. Seditionarios 8. diſt.* 46.

Quarta pœna eſt, quod uſurarii notorii, ſeu manifeſti non 91
admittantur ad communionem Altaris, ideſt ad perceptionem Sacramenti Euchariſtiæ, textu expreſſo *in cap. Quia in omnibus 3. de uſuris*, ibi: *Conſtituimus, quod uſurarii manifeſti nec ad Communionem admittantur Altaris.*

Quinta pœna eſt, quod manifeſtorum uſurariorum oblatio- 92
nes non poſſint recipi, textu expreſſo *in citat. cap. Quia in omnibus 3. de uſuris*, ibi: *Sed nec oblationes eorum quiſquam accipiat.* Uſurarii enim æquiparantur Raptoribus, *cap. Si quis 10. cauſ. 14. quæſt.* 4. & oblationes raptorum non ſunt recipiendæ ab Eccleſia, *cap. Minor 8. cauſ. 17. quæſt. 4. cap. De viro 17. cauſ. 12. quæſt.* 2. cum Deus *ſit odio habens rapinam in holocauſto*, ut expreſſe habetur *Iſaiae cap. 61. numer.* 8.

Sexta pœna eſt, quod Teſtamentis manifeſtorum uſurario- 93
rum nullus poſſit intereſſe, & quod ipſorum Teſtamenta ſint ipſo Jure irrita, niſi ante mortem reſtituerint, quæ per uſuras acquiſita ſunt, vel de eorum reſtitutione idoneam cautionem (per pignora videlicet, ut Fidejuſſores) dederint, textu expreſſo *in c. Quamquam 2. de uſuris in 6.*

Septima pœna eſt, ut nullus uſurarios manifeſtos, ſeu no- 94
torios ad Confeſſionem admittat, aut illos abſolvat (etiam ab aliis peccatis) antequam vel reſtituant uſuras, vel de ſatisfaciendo pro viribus ſuarum facultatum prædicto modo cautionem præſtent, *cit. cap. Quamquam 2. de uſuris in 6.* 95

Octava pœna eſt, quod ſi uſurarii manifeſti, ſeu notorii in eo peccato deceſſerint, Chriſtiana, & Eccleſiaſtica careant ſepultura, *cap. Quia in omnibus 3. de uſuris, & citat. cap. Quamquam 2. de uſuris in 6.* ubi etiam additur, quod omnes Religioſi, & alii, qui manifeſtos uſurarios ad Eccleſiaſticam ſepulturam admittere auſi fuerint, pœnam in Decreto Lateranenſis Concilii contra uſurarios edito promulgatam incurrant, nempe pœnam Suſpenſionis ſtatutam *in cap. Quia in omnibus 3, de uſuris*. Et poſtea in Concilio Lugdunen. relato *in Clementina 1. de ſepulturis* ſtatutum fuit; ut qui uſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumunt, ipſo facto ſint excommunicati, nec abſolvantur niſi prius ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi competenter ſatisfactionem exhibuerint.

96 Inſuper præcipitur omnibus Dominis Locorum, & univerſitatibus, ne permittant alienigenas in Terris ſuis conducere Domos ad exercendas uſuras, vel conductas habere, & ne quis eis ad hoc Domos locet. Qui contrafecerint, ſi ſint Eccleſiaſtici Majores, ut Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Suſpenſionis; Si vero ſint Minores Perſonæ ſingulares, Excommunicationis; Si Collegium, vel Univerſitas, Interdicti ſententiam ipſo facto incurrant. Et ſi per menſem in ea præſtiterint, ipſorum Terræ ſunt interdictæ, dum ibi dicti uſurarii habitant; Si vero ſint Laici, debent ab Ordinario per Cenſuram Eccleſiaſticam compelli ad ceſſandum ab hujuſmodi exceſſu, textu expreſſo *in c. uſurarum voraginem 1. de uſuris in 6.*

97 Præterea Officiales Communitatum facientes, aut dictantes, vel ſcribentes ſtatuta ſuper uſuris ſolvendis non repetendis, vel non reſtituendis, vel judicantes ſecundum illa, vel non delentes illa ſi poſſunt intra tres menſes de libris Communitatum, vel illa ſervantes, ſunt excommunicati, textu expreſſo *in Clementina; Ex gravi unic. de uſuris*.

98 Uſurarii præter ſupradictas pœnas a Jure ſtatutas, etiam aliis pœnis arbitrariis, & extraordinariis puniri poſſunt a Judice tam Eccleſiaſtico, quam Sæculari, præſertim vero pecuniaria, ut in eo, in quo peccarunt, mulctentur. Teoloſan. *lib. 3. de uſura cap. ultim. numer.* 4. *&* 7. Pirhing *loco citat. numer.* 172. Reiffenſtuel *loco citat. numer.* 188. notantes, quod juxta Conſtitutiones Imperii mulctantur uſurarii amiſſione quartæ partis de ſorte principali. Sic etiam Gail. *lib. 2. obſervan. 4. numer.* 1. Vel etiam publicatione bonorum, ut notant Tholoſan. *loco cit. num.* 8. Pirhing *loco cit. numer.* 172. & alii.

99 Ut uſurarii incurrant ſupradictas pœnas, debent eſſe manifeſti, ſeu notorii Jure, vel Facto. Illi autem ſunt uſurarii manifeſti, & notorii Jure, ſeu notorietate Juris, qui in Judicio hoc crimen confeſſi ſunt, aut de illo fuerunt convicti, & condemnati, *argument. cap. Quaeſitum eſt* 10. *de cohabitat. Clericor. & mulierum*, ibi: *Notorium per ſententiam, ſeu per Confeſſionem factam in Jure.* Illi vero ſunt uſurarii manifeſti, & notorii Facto, ſeu notorietate Facti, qui ita palam, & evidenter exercent uſuras, ut nulla tergiverſatione id negare, & celare valeant, *argument. citat. cap. Quaeſitum eſt*, ibi: *Aut per evidentiam rei, quae tergiverſatione aliqua celari non poſſit, & capit. Olim 24. de verbor. ſignificat.* ibi; *Aut evidentia rei, quae nulla poſſit tergiverſatione celari.*

100 Judex criminum uſurariorum quoad Cenſuras, & privationes Eccleſiaſticorum Beneficiorum eſt ſolus Eccleſiaſticus. *Communis*, *argument. cap. Decernimus 2. cap. Qualiter, & quando 17. de Judiciis, cap. Nullus Judicum 2. de Foro competenti, cap.* Lator 5. *& capit. Cauſam quae inter 7. Qui Filii ſint legitimi*, cum ſimilibus. Et ratio eſt, quia ille eſt Judex quo ad Cenſuras, & privationes Eccleſiaſticorum Beneficiorum, ad quem ſpectat imponere dictas pœnas; ſed id ſpectat ad ſolum Judicem Eccleſiaſticum, cum poteſtas ferendi Cenſuras ſit ſolummodo Eccleſiaſtica, & reſidens ſolummodo penes Eccleſiam, juxta illud *Matth. 26. Quaecunque alligaveritis ſuper terram &c. & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus*, hoc eſt a Fidelium communione ſegregatus, ut explicant omnes, uti etiam ad ſolum Judicem Eccleſiaſticum ſpectat imponere privationem Eccleſiaſticorum Beneficiorum, *argument. citat. Juribus*; ergo &c.

101 Judex autem criminum uſurariorum quoad alias pœnas poteſt eſſe tam Laicus, quam Eccleſiaſticus, & datur locus præventioni, non ſolum quando eſt quæſtio *Facti*, ſeu quando crimen liquido uſurarium eſt, ſed etiam quando eſt quæſtio *Juris*, ſeu quando diſceptatur, an hic, vel ille contractus uſuriarius ſit, nec ne? *Eſt Communis*, quo ad primam partem, nempe quo ad caſum. in quo eſt ſola quæſtio *Facti*, cum ſic omnes concedant eſſe crimen mixti Fori, ideſt tam Sæcularis, quam Eccleſiaſtici; & patet clare *ex cap. Poſt miſerabilem 12. de uſuris*. Quo ad ſecundam vero partem, nempe quando eſt quæſtio *Juris*, defenditur a Farinacio *Prax. Crimin. quaeſt. 8. numer. 140. concl.* 4. a Menochio *de Arbitrar. Judic. caſu 398. numer.* 4. Molina *tractat. 2. diſput. 333. in princip.* Covarr. *lib. 3. variar. reſolut. cap. 3. numer.* 1. Silveſtro verb. *uſura 9. in princip.* Caniſio *tractat. de uſuris cap. 9. numer.* 4. Roſignol. *contract. 3. de Mutuo, & uſuris praenot. 16. numer.* 2. Pirhing *lib. 5. Decretal. titul. 19. numer.* 142. Reiffenſtuel *ibidem numer. 193. & ſequent.* & aliis pluribus contra Gloſſam *in cap. Cum ſit 4. verb. Malefactores, de Foro compctent.* Clarum verb. *uſura numer.* 8. & nonnullos alios volentes cognitionem quæſtionis *Juris* de hoc crimine ſoli Judici Eccleſiaſtico competere. Et ratio noſtræ concluſionis eſt, quia crimen uſuræ, non ſolum eſt prohibitum Jure Eccleſiaſtico, ſeu Canonico, ſed jure Divino, & naturali, ut patet ex dictis *ſupra a numer.* 6. Nec plus ſpiritualitatis in ſe habet, quam homicidium, furtum, adulterium, & ſimilia delicta, quæ ſunt contra Juſtitiam, & prohibita Lege Divina, & naturali; Atqui de his criminibus poteſt cognoſcere, & de facto teſte experientia quotidiana cognoſcit Judex Sæcularis inter Laicos, ergo etiam de crimine uſuræ. Tum quia, ut fuit dictum *ſupra numer.* 15. uſura ſi ſit in maxima quantitate eſt prohibita etiam Jure Civili, ut patet *ex leg. Eos Qui 26. Cod. de uſuris, & leg. Placuit 29. ff. eodem* adeoque &c. Tum etiam quia in Jure Canonico nullibi invenitur interdicta Judici Laico cognitio uſuræ in caſu quæſtionis *Juris*, ſed poſitive conceſſa *in cap. Poſt miſerabilem 12. de uſuris*, ubi ſine diſtinctione inter quæſtionem *Juris*, & *Facti* conceditur Poteſtati ſæculari facultas cognoſcendi, & judicandi uſuras; Ubi autem Lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus; *cap. Quia circa 22. de Privileg. leg. De pretio 8. ff. de Publiciana in rem actione, leg. Non diſtinguemus 32. ff. de reception. arbitr. leg. Praeſes 3. ff. de Offic. Praeſidis*; adeoque &c.

Ad exterminandas uſuras plura declaravit Benedictus 102
XIV. tom. 1. Conſtitut. 143. incipient. *Vix pervenit*. Et 103
primo, omne lucrum ex mutuo ratione mutui, uſurarium,
& illicitum eſſe. Secundo, ad uſuræ labem purgandam nul- 104
lum accerſiri poſſe ſubſidium, vel ex eo quod id lucrum non
exceſſivum & nimium, ſed moderatum, non magnum, ſed
exiguum ſit; Vel ex eo quod is, a quo id lucrum ſolius cau-
ſa mutui deponitur, non pauper, ſed dives exiſtat, nec datam
ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas ſuas
amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis
agitandis neceſſariis utiliſſime ſit impenſurus. Tertio quam- 105
quam una cum mutui contractu poſſint quandoque alii tituli
ut ajunt, forte concurrere ipſi mutuo extrinſeci, e quibus
juſta oriatur cauſa aliquid ultra ſortem ex mutuo debitam exi-
gendi; attamen falſo, & temere affirmari dicit ejuſmodi titu-
los ſemper reperiri, ac ubique præſto eſſe, ita ut illorum ra-
tione, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id ge-
neris alteri cuicumque creditur, toties ſemper liceat aucta- 106
rium moderatum, ultra ſortem integram, ſalvamque reci-
pere; Alia præterea edixit, atque in contractibus ſervanda
enixe commendavit, uti patet in ipſa Conſtitutione mox hic 107
afferenda, ubi *a numer. 9. ad* 12. inſuper refelluntur Judæi
ſibi dictitantes licitum eſſe, uſuras a Chriſtianis inter quos 108
degunt exigere, *Et ibidem numer.* 19. ubi quod Principes
tenentur uſuras prohibere etiam Judæis in ſuis Ditionibus de-
gentibus & contravenientes puniri, ut qui ad legis Divinæ,
& naturalis obſervantiam nequeunt reduci virtutis amore, ab
ejus tranſgreſſione abſterreantur ſaltim formidine pœnæ, uti 109
ad id teneri Principes Chriſtianos ſuis Edictis, & Epiſcopos
ſuis Conſtitutionibus, quibus ſevere prohibeantur Judæi
Chriſtianorum loca incolentes, ne ratione mutui quidquam
a Chriſtianis extorqueant, & certa ſimul præſcribatur quan-
titas lucri, ultra quam nihil impune exigere poſſint ex aliis
contractibus cum Chriſtianis initis recte, & erudite ſuo mo- 110
re pluribus adductis docet. Item Benedictus *de Synodo Diœ-
ceſana lib. 7. cap. 47. numer. 12. & 13.* concludens ita nu-
perrime ſtatuiſſe Epiſcopum Piſaurienſem *in ſua Diœceſana
Synodo habita* 1742. *tit. 4. numer.* 17. cujus exemplum po-
terunt alii Epiſcopi imitari. 111

Sed operæ pretium eſt integram afferre ipſam Conſtitutionem, quam in forma Encyclicæ ad omnes Ordinarios Italiæ direxit Pontifex, ut ſequitur.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

VIx pervenit ad aures noſtras, ob novam controverſiam (nempe an quidam contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam diſſeminari ſententias, quæ ſanæ doctrinæ haud conſentaneæ viderentur, cum ſtatim noſtri Apoſtolici muneris partem eſſe duximus, opportunum afferre remedium, ne malum ejuſmodi temporis diuturnitate, ac ſilentio, vires magis acquireret, aditumque ipſi intercludere, ne latius ſerperet, & incolumes adhuc Italiæ Civitates labefactaret.

Qua-

Quapropter eam rationem conſiliumque ſuſcepimus, quo Sedes Apoſtolica ſemper uti conſuevit: Quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Noſtris S.R. E. Cardinalibus, qui Sacræ Theologiæ ſcientia, & Canonicæ Diſciplinæ ſtudio ac peritia plurimum commendantur: Accivimus etiam plures Regulares in utraque facultate præſtantes, quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis Regularibus ſelegimus. Præſulem quoque juris utriuſque laurea præditum, & in Foro diu verſatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Julii, qui nuper præteriit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus, quod illis antea cognitum perſpectumque deprehendimus.

Poſt hæc præcepimus, ut omni partium ſtudio, omnique cupiditate ſoluti, rem totam accurate perpenderent; ſuaſque opiniones ſcripto exararent, non tamen expetivimus ab ipſis, ut judicium ferrent de contractu, qui controverſiæ cauſam initio præbuerat, cum plura documenta non ſuppeterent, quæ neceſſario ad id requirebantur; Sed ut certam de uſuris doctrinam conſtituerent, qui non mediocre detrimentum inferre videbantur quæ nuper in vulgus ſpargi cæperunt. Juſſa fecerunt univerſi; nam ſuas ſententias palam declararunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habita eſt die 18. Julii, altera vero die prima Auguſti, qui menſes nuper elapſi ſunt; ac demum eaſdem ſententias Congregationis Secretario ſcriptas tradiderunt.

Porro hæc unanimi conſenſu probaverunt.

I. Peccati genus illud, quod uſura vocatur, quodque in contractu mutui propriam ſuam ſedem & locum habet, in eo eſt repoſitum, quod quis ex ipſomet mutuo, quod ſuapte natura tantumdem duntaxat reddi poſtulat, quantum receptum eſt, plus ſibi reddi velit, quam eſt receptum; ideoque ultra ſortem, lucrum aliquod ipſius ratione mutui, ſibi deberi contendat. Omne propterea hujuſmodi lucrum, quod ſortem ſuperet, illicitum, & uſurarium eſt.

II. Neque vero ad iſtam labem purgandam, ullum arceſſiri ſubſidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens & nimium, ſed moderatum; non magnum, ſed exiguum ſit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum ſolius cauſa mutui depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat, nec datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas ſuas amplificandas, vel novis cœmendis prædiis, vel quæſtuoſis agitandis negotiis, utiliſſime ſit impenſurus. Contra mutui ſiquidem legem, quæ neceſſario in dati atque redditi æqualitate verſatur, agere ille convincitur quiſquis eadem æqualitate ſemel poſita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipſius, cui per æquale jam ſatis eſt factum, exigere adhuc non veretur; proindeque ſi acceperit, reſtituendo erit obnoxius ex ejus obligatione Juſtitiæ, quam commutativam appellant, & cujus eſt in humanis contractibus æqualitatem cujuſque propriam & ſancte ſervare, & non ſervatam exacte reparare.

III. Per hæc autem nequaquam negatur, poſſe quandoque una cum mutui contractu quoſdam alios, ut ajunt, titulos, eoſdemque ipſimet univerſim naturæ mutui minime innatos, & intrinſecos, forte concurrere, ex quibus juſta omnino legitimaque cauſa conſurgat quiddam amplius ſupra ſortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur poſſe multoties pecuniam ab unoquoque ſuam, per alios diverſæ prorſus naturæ a mutui natura contractus, recte collocari & impendi, ſive ad proventus ſibi annuos conquirendos, ſive etiam ad licitam mercaturam, & negotiationem exercendam, honeſtaque indidem lucra percipienda.

IV. Quemadmodum vero in tot ejuſmodi diverſis contractuum generibus, ſi ſuis cujuſque non ſervatur æqualitas, quidquid plus juſto recipitur, ſi minus ad uſuram (eo quod omne mutuum tam apertum quam palliatum abſit) at certe ad aliam veram injuſtitiam, reſtituendi onus pariter afferentem, ſpectare compertum eſt. Ita ſi rite omnia peragantur, & ad Juſtitiæ libram exigantur, dubitandum non eſt, quin multiplex in iiſdem contractibus licitus modus & ratio ſuppetat humana commercia & fructuoſam ipſam negotiationem ad publicum commodum conſervandi ac frequentandi. Abſit enim a Chriſtianorum animis, ut per uſuras, aut ſimiles alienas injurias florere poſſe lucroſa commercia exiſtiment, cum contra ex ipſo Oraculo Divino diſcamus, quod *Juſtitia elevat gentem, miſeros autem facit populos peccatum*. (Prov. 14. 34.)

V. Sed illud diligenter animadvertendum, eſt, falſo ſibi quemquam, & nonniſi temere perſuaſurum, reperiri ſemper, ac præſto ubique eſſe, vel una cum mutuo titulos legitimos, vel ſecluſo etiam mutuo, contractus alios juſtos, quorum vel titulorum, vel contractuum præſidio, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum, ultra ſortem integram ſalvamque, recipere. Ita ſi quis ſenſerit, non modo divinis Documentis, & Catholicæ Eccleſiæ de uſura judicio, ſed ipſi etiam humano communi ſenſui ac naturali rationi procul dubio adverſabitur. Neminem enim id ſaltem latere poteſt, quod multis in caſibus tenetur homo, ſimplici ac nudo mutuo alteri ſuccurrere, ipſo præſertim Chriſto Domino edocente: *Volenti mutuari a te ne avertaris* (Matth. 5. 42.); & quod ſimiliter multis in circumſtantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, juſtoque contractui locus eſſe poſſit. Quiſquis igitur ſuæ conſcientiæ conſultum velit, inquirat prius diligenter oportet, verene mutuo juſtus alius titulus, verene juſtus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis labris expers & immune reddatur.

His verbis complectuntur, & explicant ſententias ſuas Cardinales, ac Theologi, & Viri Canonum peritiſſimi, quorum conſilium in hoc graviſſimo negotio poſtulavimus; Nos quoque privatum ſtudium noſtrum conferre in eandem cauſam non prætermiſimus, antequam Congregationes haberentur, & quo tempore habebantur, & ipſis etiam peractis; Nam præſtantium Virorum ſuffragia, quæ modo commemoravimus, deligentiſſime percurrimus. Cum hæc ita ſint, adprobamus, & confirmamus quæcumque in ſententiis ſuperius expoſitis continentur, cum Scriptores plane omnes, Theologiæ, & Canonum Profeſſores, plura Sacrarum Litterarum teſtimonia, Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Decreta, Conciliorum, & Patrum auctoritas, ad eaſdem ſententias comprobandas pene conſpirare videantur. Inſuper apertiſſime cognovimus Auctores, quibus contrariæ Sententiæ referri debent, & eos pariter qui illas fovent, ac tuentur, aut illis anſam, ſeu occaſionem præbere videntur: Neque ignoramus quanta ſapientia, & gravitate defenſionem veritatis ſuſceperint Theologi finitimi illis Regionibus, ubi controverſiæ ejuſmodi principium habuerunt. Quare has litteras Encyclicas dedimus univerſis Italiæ Epiſcopis, & Ordinariis, ut hæc Tibi, Venerabilis Frater, & cæteris omnibus innoteſcerent; ut quoties Synodos celebrare, ad Populum verba facere, eumque Sacris doctrinis inſtruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis ſententiis, quas ſuperius recenſuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem ſollicitudinem impendere, ne quis in veſtris Dioceſibus audeat Litteris, aut Sermonibus contrarium docere: Si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium, & ſubjectum declaramus poenis per Sacros Canones in eos propoſitis, qui mandata Apoſtolica contempſerint, ac violaverint.

De contractu autem, qui novas has controverſias excitavit, nihil in præſentia ſtatuimus; Nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum Interpretes in diverſas abeunt Sententias; Attamen Pietatis veſtræ Studium ac Religionem inflammandam exiſtimamus, ut hæc, quæ ſubjicimus, executioni demandetis.

Primum graviſſimis verbis Populis veſtris oſtendite, uſuræ labem ac vitium a Divinis Litteris vehementer improbari; Illud quidem varias formas atque ſpecies induere, ut Fideles Chriſti Sanguine reſtitutos in libertatem, & gratiam, rurſus in extremam ruinam præcipites impellat; Quocirca ſi pecuniam ſuam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, ſed potius ab illis, qui doctrinæ ac virtutis gloria ſupra ceteros efferuntur, conſilium expoſcant.

Secundo loco, qui viribus ſuis ac ſapientia ita confidunt, ut reſponſum ferre de iis quæſtionibus non dubitent (quæ tamen haud exiguam Sacræ Theologiæ, & Canonum ſcientiam requirunt) ab extremis, quæ ſemper vitioſa ſunt, longe ſe abſtineant: Etenim aliqui tanta ſeveritate de iis rebus judicant ut quamlibet utilitatem ex pecunia deſumptam accuſent tamquam illicitam, & cum uſura conjunctam: Contra vero nonnulli indulgentes adeo, remiſſique ſunt, ut quodcumque emolumentum ab uſuræ turpitudine liberum exiſtiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant, ſed priuſquam reſponſum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter ceteros prædicantur; Deinde eas partes ſuſcipiant, quas cum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent.



Quod ſi diſputatio inſurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos confingantur qui contrariam ſententiam ſequuntur, neque illam gravibus cenſuris notandam aſſerant, ſi præſertim ratione, & præſtantium Virorum teſtimoniis minime careat; Siquidem convicia, atque injuriæ vinculum Chriſtianæ caritatis infringunt, & graviſſimam Populo offenſionem, & ſcandalum præfeferunt.

Tertio loco, qui ab omni uſuræ labe ſe immunes, & integros præſtare volunt, ſuamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum ſolummodo percipiant, admonendi ſunt, ut contractum inſtituendum antea declarent, & conditiones inferendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia poſtulent: Hæc magnopere conferunt non modo ad animi ſolicitudinem, & ſcrupulos evitandos, ſed ad ipſum contractum in Foro externo comprobandum: Hæc etiam aditum intercludunt diſputationibus, quæ non ſemel concitandæ ſunt ut clare pateat, utrum pecunia, quæ rite data alteri eſſe videtur, revera tamen palliatam uſuram contineat.

Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum ſermonibus, qui dictitant, de uſuris hoc tempore quæſtionem inſtitui, quæ ſolo nomine contineatur, cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falſum id ſit, & a veritate alienum, plane deprehendimus, ſi perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorſus diverſam & ſejunctam eſſe! Et ea pariter diſcrepare magnopere inter ſe, quæ a diverſis inter ſe contractibus conſequuntur. Revera diſcrimen apertiſſimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia deſumitur, ideoque poteſt in utroque Foro retineri, ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur; ideoque Fori utriuſque judicio reſtituendus decernitur. Conſtat igitur haud inanem de uſuris quæſtionem hoc tempore proponi ob eam cauſam, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

Hæc potiſſimum vobis indicanda cenſuimus ſperantes fore, ut mandetis executioni quæcumque per has Litteras a Nobis præſcribuntur: Opportunis quoque remediis conſuletis, uti confidimus, ſi forte ob hanc novam de uſuris controverſiam in Dioeceſi veſtra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefactandum ſanæ doctrinæ candorem, & puritatem inducantur. Poſtremo vobis, & Gregi curæ veſtræ concredito, Apoſtolicam Benedictionem impartimur.

*Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die prima Novembris* 1745. *Pontificatus Noſtri anno Sexto.*

113 Alia ad rem, vide verb. *Commodatum*, verb. *Contractus*, verb. *Depoſitum*, verb. *Emptio*, *Venditio*, verb. *Hebræus*, verb. Hypotheca, verb. *Mutuum*.

*Novæ additiones ex aliena manu.*

1 PRohibitio uſurarum an ſit juris divini, an humani tantum, & an ſit juris divini naturalis, an juris divini revelati tantum, expendere non eſt hujus loci.

2 Illud hic haud eſt prætereundum, quod non ſolum ex mutuo, ſed & ex quocumque alio credito mere pecuniario, regulariter vetitum eſt, quidquam ultra ſortem accipere, non concurrentibus notiſſimis requiſitis *Caſtrenſis in L.3. ff. de eo, quod certo loco*.

3 Quod vero attinet ad primum requiſitum repoſitum in interpellatione debitoris, ſupplere ipſum ſolet conventio intereſſe ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis, ut reſpondit *Rota in Romana Pecuniaria* 20. *Martii* 1747. §.4., & in confirmatoria 9. *Februarii* 1748. §. 12. *coram Eminentiſſ. Buſſio*.

4 Quod concernit alterum requiſitum conſtitutum in ſolito negotiandi, ipſum probatione non indiget, ubi agitur de Mercatoribus, Argentariis &c. ut reſpondit idem Tribunal Rotæ *in dict. Romana Pecuniaria* 20. *Martii* 1747. §.4., & in confirmatoria 9. *Decembris* 1748. §.12. *coram Eminentiſſimo Buſſio*. Confer etiam idem Sacrum Tribunal *in Mediolanen., ſeu Lauden. Pecuniaria* 25. *Aprilis* 1749. §.11. *cor. Illuſtriſs. Caprar. Alm. Urb. Gubernatore*.

5 Quoad tertium demum requiſitum promptæ occaſionis, opinio Rotæ eſt, quod ad ipſum probandum non ſufficiat affluentia negotiorum, quæ in magnis Civitatibus eſſe ſolet,
ſed probanda eſt individua occaſio, eaque in actu proximo,
quæ ob non exactum creditum ad exitum perduci nequivit,
exindeque Creditori vel certum damnum emerſerit, vel certum
lucrum ceſſaverit; Vide deciſiones *in Melevitana Pecuniaria*
11. *Februarii* 1718. §. *Quandoquidem*, *& ſequent.*, &
in confirmatoria *coram Lancett. deciſ.* 1181. *num.* 11. ubi tan-
quam vaga, & generalis rejecta fuit occaſio inveſtiendi pe- 6
cunias ſuper quadam maſſa frumentaria erecta in Inſula Me-
litæ; & *in Romana Pecuniar.* 10. *Martii* 1747. §. 5., *&*
*plurib. ſequent.*, & in confirmatoria 11. *Februarii* 1748. §. 13.
*& ſequent. coram Eminentiſſimo Buſſio*, ubi probatum non
fuit dijudicatum tertium hoc requiſitum ex hoc requiſitum 7
ex hoc, quod Creditor eſſet Argentarius, æs alienum inte-
rim contraxiſſet, & literas cambii trahere inſuper potuiſ-
ſet.
In allegata vero ſupra *Mediolanen. ſeu Lauden. Pecunia-* 8
*ria* conſtare ex eo exiſtimatum fuit de hoc tertio requiſito,
quod de præciſo tempore contractus in Civitate Mediolani
duæ publicæ Ædes præmiſſis publicis edictis pecunias ſub ti-
tulo, & contractu ſubventionis recipiebant ab omnibus de-
ferentibus cum intereſſe liberarum quatuor in ſingula centum
ut *ex* §.14. *ejuſdem*.

## U S U S F R U C T U S, U S U S.

USusfructus eſt jus alienis rebus utendi, fruendi, ſalva re- 1
rum ſubſtantia; *Communis*, textu expreſſo *in l. Uſuſ-*
*fructus* 1. *ff. de uſufructu, & Inſtit. eod. tit.* Uſus autem eſt
Jus utendi tantum rebus alienis, ſalva earum ſubſtantia; *Com-* 2
*munis*, per text. *in l. Cui uſus* 2. *ff. de Uſu, & habitatione, &*
*Inſtit. eod. tit.* §.1. *& ſeq.*
Unde minus Juris eſt in Uſu, quam in Uſufructu: Cui 3
enim Uſus alicujus rei legatus eſt, uti quidem poteſt, frui vero eadem non poteſt, textu expreſſo *in cit. l. Cui Uſus* 2. *ff. de uſu, & habitatione*, ibi: *Cui Uſus relictus eſt, uti poteſt, frui non poteſt*, & *Inſtit. eod. tit.* §.1. ibi: *Minus autem Juris eſt in uſu, quam in Uſufructu, nam is, qui fundi nudum habet Uſum nihil ulterius habere intelligitur, quam oleribus, pomis, floribus, fœno, ſtramentis, & lignis ad uſum quotidianum utatur. In eoque fundo hactenus ei morari licet, ut neque Domino fundi moleſtus ſit, neque iis, per quos opera ruſtica fiunt, impedimento, nec ulli alii Jus, quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere poteſt; cum is, qui Uſumfructum habet, poſſit hæc omnia facere.*
Ubi, ut vides, in hoc potiſſimum differt Uſuarius ab Uſu- 4
fructuario, quod Uſuarius habet tantum jus utendi re aliena, & percipiendi ſolos fructus neceſſarios ad ſuum, ſuæque familiæ, & hoſpitum victum, ſeu Uſum quotidianum, non tamen poteſt omnes fructus percipere, eoſque ſuo arbitratu vendere, ſeu alienare: Uſufructuarius autem habet jus utendi re aliena, & percipiendi omnes ejus fructus, eoſque ſuo pleno arbitrio vendere, donare, & quocumque modo alienare. Hinc ille, cui uſus dumtaxat horti relictus eſt, poteſt quidem in ipſo deambulare, poma, olera, & alia, quæ ibi naſcuntur ad ſuum, ſuæque familiæ, & hoſpitem victum, ſeu uſum quotidianum accipere; non tamen poteſt omnes fructus percipere, & eos pro ſuo arbitrio vendere, donare, ſeu alienare, ſicuti poteſt is, cui uſusfructus horti relictus eſt. Similiter ille, cui relictus eſt ſolus uſus Vaccarum, & ovium, poteſt quidem illis uti ad arandum, ſtercorandum, & hujuſmodi; non tamen poteſt percipere illarum fœtus, vel lanam, neque lac, niſi in modica quantitate, & quatenus ad victum quotidianum indiget, nec ullimode poteſt alienare, uti totaliter poteſt ille, cui relictus eſt uſusfructus, ut clare patet ex *adductis Juribus, & tot. tit. ffff. & Inſtitut. de Uſu, & habitatione*, ubi varia alia exempla ad id afferuntur, & concordat *tot. tit. ffff. & Inſtitut. de Uſufructu*. Vide verb. *Dominium art.* 1. *num.* 12.
Uſusfructus proprie nequit conſtitui in rebus unico uſu con- 5
ſumptibilibus; Vide dict. verb. *Dominium art.* 1. *num.* 13.
Quaſi uſusfructus tamen etiam in his conſtitui poteſt: Vid. 6
*ibid. num.* 14. & hic *infra num.* 56.
Uſus generatim loquendo eſt duplex, ſcilicet uſus *Facti*, &
uſus *Juris*; Vide *ibid. num.* 15. *&* 16. ubi oſtenditur quid ſit 7
uterque.
Datur alius quoque uſus quaſi Juris permiſſivi, vel potius 8
uſus Facti ſimplex ac licitus omnino dependens a voluntate
Domini Proprietarii; Vide *ibid. num.* 17.
Hic uſus ſimplex Facti poteſt ſeparari, & de facto ſepa- 9
ratur a dominio rei etiam unico uſu conſumptibilis; Vid. *ib.*
*num.* 18.

Affer-

10 Affertur, & ſolvitur notabilis inſtantia; Vide *ibid. numer.* 19. *&* 20.

11 Uſuſfructus bonorum adventitiorum Filii pertinet ad Patrem; *l. Res quæ* 1. *Cod. de bonis maternis, l. Cum oportet* 6, *& leg. Cum non ſolum* 8. *Cod. de bonis, quæ liberis*, *&* §.1. *Inſtit. Per quas perſonas*.

12 Vivente tamen Avo paterno bona adventitia Nepotum quoad Uſumfructum non pertinent ad Patrem, ſed ad ipſum Avum paternum, ut clare evincitur ex *citat. l. Cum oportet in princip. Cod. de bonis, quæ liberis.* Et ratio eſt, quia fundamentum, & radix acquiſitionis talis Uſusfructus eſt patria poteſtas: In hoc autem caſu patria poteſtas ſaltem in actu non reſidet apud Patrem, cum & ipſe ſit ſub poteſtate Patris ſui, qui eſt Avus reſpectu Nepotum ex Filio, adeoque Uſuſfructus bonorum adventitiorum Nepotum pertinet ad ipſum Avum, non ad Patrem.

13 Uſuſfructus hæreditatis relictæ Filio, ſive a Matre, ſive ab alio ſub hac Lege, ut in ea nihil Juris acquirat Pater, non ſpectat ad ipſum Patrem, ſed pleno Jure ad Filium, ſic expreſſe evincitur ex *Authent. Excipitur Cod. de bonis, quæ liberis*. Et ratio eſt, quia unuſquiſque poteſt rebus ſuis imponere quamlibet Legem ſibi beneviſam, dummodo Juribus non obſiſtat. Talis autem hic impoſita Lex non obſiſtit Juribus concedentibus Patri uſumfructum in bonis adventitiis Filiorum, quia talia Jura non ſunt prohibitiva, adeo ut excludant pacta, & Leges, quæ a voluntate Teſtatorum apponi poſſunt, ſed eſt ſolum diſpoſitiva, ut uſuſfructus, quando aliquid a Teſtatore non fuit appoſitum, acquiratur Patri.

14 Pater non acquirit uſumfructum in hæreditate adita a Filio contra voluntatem ipſius Patris; ſic clare habetur ex *l. cum non ſolum* 8. *in princip.* §.1. *verſ. Sive e contrario ff. de bonis, quæ liberis*. Et ratio eſt, quia omnium diſſonum rationi videtur, quod Pater commodum, & uſumfructum earum rerum acquirat, quarum acquiſitioni ipſe reſtitit, *arg. cap. Ex eo* 38. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare l. Papinianus* 8. §.14. *ff. de inofficioſo Teſtam.* cum ſimilibus.

15 Uſuſfructus in bonis adventitiis Filii per Profeſſionem Patris tranſit in Monaſterium (ſi ſit capax ſucceſſionis) quouſque Pater vixerit; Sic communius Doctores tum Juriſtæ, tum Theologi, per textem *in Authentica Ingreſſi Cod. De ſacroſanct. Eccleſiis*, ubi habetur, quod ingrediens, & profitens Religionem ſe, ſuaque Jura, & bona dedicat Deo; Cum ergo Pater quod vixerit, habeat Jus ad uſumfructum in bonis adventitiis Filii, ex allatis Juribus *ſupra n.* 11. ſi ipſum ante Profeſſionem non renunciaverit, transfert ſecum ad Religionem, ſeu Monaſterium, ſi ſit capax ſucceſſionis. Si autem Religio, ſeu Monaſterium ſit incapax ſucceſſionis, tunc uſuſfructus extinguitur, & eum proprietate Filii, ſeu Domini conſolidatur; Vide *infra num.* 63. *&* 64.

16 Per Profeſſionem Filii in Religione Pater non amitti uſumfructum in bonis adventitiis ejuſdem Filii, ſed eum retinet, quouſque ipſe Pater vixerit; Sic Doctores fere communiter contra paucos. Et ratio eſt, quia per mortem naturalem Filii, cujus erant bona adventitia, non extinguitur in Patre Jus uſuſfructus, per text. *in l, Si Patri tuo* 3. *Cod. de uſufructu* §.1. ibi: *Uſufructuario autem ſuperſtite, licet Dominus proprietatis rebus humanis eximatur, jus utendi, fruendi non tollitur*, adeoque neque dictum Jus uſuſfructus in Patre extinguitur per mortem civilem Filii Religionem profitentis.

17 Ob delictum enorme filii, per quod ſolvitur patria poteſtas, Pater non amittit Uſumfructum in bonis adventitiis ejuſdem; Sic Molina *tom.* 1. *de Juſtitia tract.* 2. *diſp.* 9. *verſ. Ab hac Regula, & diſp.* 229. *verſ. Tertius modus*, Caſtrop. *p.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 5. *punct.* 10. *num.* 18. Sanchez *in Summa lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 29. & alii plures. Et ratio eſt, quia in confiſcatione bonorum adventitiorum Filii non venit Uſuſfructus jam ante perfecte acquiſitus a Patre, cum ob iniquitatem Filii non debeat Pater Jure ſuo, quod perfecte quæſivit, privari. Peccata enim ſuos debent tenere Auctores; *leg. Sancimus* 22. *Cod. de poenis, cap. Quæſivit* 2. *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli*. Nec debet aliquis alterius odio prægravari; *cap. Non debet* 22. *de Regul. Juris in* 6. *leg. Non debet* 74. *ff. de Regul. Juris*. Et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit; *cap. Cognoſcentes* 2. *de Conſtitutionibus*.

18 Pater ob tranſitum ad ſecundas nuptias de Jure communi non privatur Uſuſfructu bonorum adventitiorum filiorum prioris Matrimonii; Vide verb. *Pater num.* 6. *&* 7.

19 Pater poteſt uſumfructum bonorum adventitiorum Filii eidem remittere; *Communis*, per text. *in leg. Cum oportet* 6 §.2. *verſ. Sin autem res Cod. de bonis, quæ liberis*. Et talis remiſſio nequit revocari, nec in vita nec in morte remittentis, *arg. cit. leg. Cum oportet*: 20 Sic Doctores magis communiter contra aliquos volentes, talem remiſſionem poſſe revocari vivente Patre donante, ſeu remittente, & ſolum confirmari morte ipſius Patris donantis, ſeu remittentis, per text. *in leg. Donationes* 25. *Cod. de donationibus inter virum, & uxorem*. Et ratio noſtræ concluſionis eſt, quia illa remiſſio non eſt vere, & proprie donatio, cum non ſit de re, quæ ſit ſub plena poteſtate, & dominio ejuſdem Patris, *citata* autem *lex Donationes* procedit ſolum de veris, & propriis donationibus inter Patrem, & filium, inter Maritum, & uxorem, quæ ſpeciali Jure interdicuntur ob rationes ibi allatas, qualis, ut diximus, non eſt illa remiſſio uſuſfructus, cum ipſa proprie dicenda ſit conſolidatio ejuſdem cum proprietate competente ipſi filio.

21 Uſuſfructus bonorum dotalium pertinet totaliter ad Maritum, quamdiu Matrimonium conſiſtit, textu expreſſo *in leg. Dotis fructum* 7. *ff. de Jure Dotium*, ibi: *Dotis fructum ad Maritum pertinere debere æquitas ſuggerit: eum enim ipſe onera Matrimonii ſubeat, æquum eſt etiam fructus percipere*.

22 Ad quem autem ſpectet, & tranſeat uſus fructus dotis, cum ſolvitur, vel ſeparatur Matrimonium; Vide verb. *Dos art.* 1. *& art.* 3. & diſcurre pariformiter, ſicut ibi.

23 Uſuſfructus rei poteſt eſſe materia Dotis, ſeu tradi in dotem; Sic expreſſe habetur *ex leg. Dotis fructum* 7. §. 2. *leg. Si Uſusfructus* 66. *ff. de Jure dotium*; *leg. Uſufructu* 57. *ff. Soluto Matrimonio*, *leg. Si Socrus* 18. *& leg. Pro oneribus* 20. *Cod. de Jure dotium.* Et ratio clara eſt, quia Uſuſfructus ipſe potiſſimum poteſt deſervire ad ſuſtinenda onera Matrimonii.

24 Si Uxor fuerit proprietaria, & dederit in dotem ſolum Uſumfructum, retenta ſibi proprietate, ſoluto Matrimonio, ille Uſuſfructus immediate, & ipſo Jure redit ad Uxorem tamquam Dominam proprietatis; Colligitur clare *ex citat. leg. Si Uſusfructus* 66. *ff. de Jure dotium*, ubi dicitur: quod uſuſfructus conceſſus in dotem ab alio Domino proprietatis, poſt divortium non revertatur ad uxorem, utpote non Dominam proprietatis, ſed ad ipſum Dominum Proprietatis: ergo cum in noſtro caſu ipſa uxor fuerit Domina proprietatis, uſuſfructus, diſſoluto Matrimonio, illi eo revertitur ad ipſam; & conſolidatur cum proprietate.

25 Si vero illum uſumfructum conceſſerit in dotem aliquis extraneus, ſibi retenta proprietate, non redit ipſe, ſoluto Matrimonio, ad uxorem, ſed ad dictum Proprietarium, textu expreſſo *in cit. leg. Si Uſusfructus* 66. *ff. de Jure dotium*. ibi: *Quoniam diximus, Uſumfructum a Fructuario cedi non poſſe, niſi Domino proprietatis, & ſi extraneo cedatur, ideſt ei, qui proprietatem non habeat, nihil ad eum tranſire, ſed Dominum proprietatis reverſurum Uſumfructum*. Quomodo, 26 autem in tali hypotheſi ſit conſulendum eidem uxori, ne, poſt ſolutum Matrimonium indotata remaneat? habetur *in cit. leg. Uſusfructus* 66. *ff. de Jure dotium, & in leg. Uſufructu* 57. *ff. Soluto Matrimonio*; Vide *ibi*.

27 Uſuſfructuarius fructus omnes ex re fructifera percipere poteſt, etiam penſiones, ac redditus ex ædificiis, ex areis, & hujuſmodi, textu expreſſo *in leg. Uſufructu lagato* 7. *ff. de uſufructu*, ibi: *Uſufructu legato omnis fructus rei ad Fructuarium pertinet, & ibidem* §. 1. ſubjungitur: *Quicumque redditus eſt, ad uſufructuarium pertinet, quæcumque obventiones ſunt ex ædificiis, ex areis, & ceteris, quæcumque ædium ſunt*, & concordat *leg. Item* 9. *ff. eod.* ibi: *Item ſi fundi uſusfructus ſit legatus, quidquid in fundo naſcitur, quidquid inde percipi poteſt, ipſius fructus eſt*. Et idem habetur *in leg. Arbores* 59. §.1. *ff. eodem*.

28 Item ſi apes in eo fundo ſint, ad uſufructuarium pertinent earum fructus, textu expreſſo *in cit. leg. Item* §.1. ibi: *Et ſi apes in eo fundo ſint, earum quoque uſusfructus ad eum pertinet*.

29 Item ſi in eo fundo ſint lapidicinæ, cretifodinæ, arenifodinæ, & hujuſmodi, poteſt uſufructuarius eruere lapides, areneas, metalla &c. ita tamen ut agriculturæ nil obſit, textu expreſſo *in cit. leg. Item* §. 2. ibi: *Sed & ſi lapidicinas habeat, & lapidem cædere velit, vel cretifodinas habeat, vel areneas omnibus his uſurum Sabinus ait quaſi bonum Patremfamilias; Quam ſententiam puto veram*; Et *ibidem* §.3. ſubditur: *Sed ſi hæc metalla poſt uſumfructum legatum ſint inventa, cum totius agri relinquatur Uſusfructus, non partium contineantur Legato*. Et idem expreſſius habetur *in leg. Si cujus rei* 13. §. 5. *ff. eod.* ibi: *Inde quæſitum eſt, an lapidicinas, vel cretifodinas, vel arenifodinas ipſe inſtituere poſſit. Et ergo puto etiam ipſum inſtituere poſſe, ſi non agri partem neceſſariam huic rei occupaturus eſt. Proinde venas quoque lapidicinarum & hujuſmodi metallorum inquirere poterit .... & ceterorum fodinas, vel quas Paterfamilias inſtituit, exercere poterit, vel ipſe inſtituere, ſi nihil agriculturæ nocebit*.

30 Item ad uſufructuarium ſpectat quoad uſumfructum incrementum alluvionis, ſi ſit latens; Si vero ſit patens, ad Dominum Proprietarium, textu expreſſo *in cit. leg. Item* §. 4. ibi: *Huic vicinus tractatus eſt, qui ſolet in eo quod acceſſit, tractari, & placuit alluvionis quoque Uſumfructum ad Fructuarium pertinere; Sed ſi Inſula juxta fundum in flumine nata ſit, ejus Uſumfructum ad Fructuarium non pertinere Pagaſius ſcribit, licet proprietati accedat; eſſe enim veluti proprium fundum, cujus uſusfructus ad te non pertineat. Quæ ſententia non eſt ſine ratione, nam ubi latitat incrementum, & uſus fructus augetur; ubi autem apparet ſeparatum, Fructuario non accedit*; Vide verb. *Dominium art.* 3. *a n.* 46. *ad* 50.

31 Item ad uſufructuarium ſpectant venationes, & piſcationes, textu expreſſo *in cit. leg. Item* §. 5. ibi: *Aucupionum quoque, & venationum redditum Caſſius ait leg.* 8. *Juris Civilis ad Fructuarium pertinere: ergo & piſcationum*.

32 Uſufructuarius poteſt fructus, vel utilitates rei fructiferæ alteri donare, locare, vendere, concedere, etiam invito Domino, ſeu Proprietario rei; Dummodo tamen uſuſfructus, ſeu ipſum Jus percipiendi fructus ſemper maneat penes ipſum uſumfructuarium, cujus nomine alter fructus percipere poteſt; Sic habetur ex *leg. Arboribus* 12. §. 2. *ff. de Uſufructus*, & de Communi teſtatur Sporer *tom.* 2. *tract.* 6. *in complement. VII. Præcept. Decolog. cap.* 1. *ſect.* 1. *num.* 22. Layman *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 4. & alii.

33 Notanter autem dicitur: *Dummodo tamen Uſusfructus, ſeu Jus percipiendi fructus ſemper maneat penes ipſum uſufructuarium* &c. quia non poteſt ipſum uſumfructum formalem transferre in alium extraneum a Proprietario, ita ut ipſe extraneus ſit formaliter proprio nomine uſufructuarius, per textum *in* §. *Finitur autem* 3. *Inſtitut. de uſufructu*, ibi: *Nam cedendo extraneo nihil agitur*, & *in leg. Si Uſusfructus* 66. *de Jure dotium*, ibi: *Quoniam diximus, Uſumfructum a Fructuario cedi non poſſe, niſi Domino Proprietario, & ſi extraneo cedatur, ideſt ei, qui Proprietatem non habeat, nihil ad eum tranſire, ſed ad Dominum proprietatis reverſurum Uſumfructum*.

34 Uſufructuarius tenetur rem proprietatis diligenter conſervare, & ea tantum ratione uti, qua bonus, ac diligens aliquis Paterfamilias propriis ſuis domeſticis rebus uteretur; *leg. Sed cum Fructuarius* 65. *ff. de Uſufructu* ibi: *Debet enim omne, quod diligens Paterfamilias in domo ſua facit, & ipſe facere*. Nullimode enim poteſt ipſam rem proprietatis deteriorare, textu expreſſo *in leg. Si cujus rei* 13. §. 4. *ff. de uſufructu*, ibi: *Fructuarius cauſam proprietatis deteriorem facere non debet, meliorem facere poteſt*; & patet ex ipſamet definitione uſuſfructus tradita *ſupra num.* 1. per præcisa hæc verba: *uſusfructus eſt Jus alienis rebus utendi, fruendi, ſalva rerum ſubſtantia*, *leg. uſufructus* 1. *ff. de uſufructu*; *& Inſtitut. eod. tit.*

35 Unde non licet uſufructuario arbores frugiferas ſuccidere, neque Villam in fundo diruere, nec quicquam facere in perniciem propietatis, textu expreſſo *in leg. Si cujus rei* 13. §.4 *ff. De Uſufructus*, ibi: *Non debet neque arbores frugiferas excidere, neque Villam diruere, nec quicquam facere in perniciem proprietatis*.

36 Item non licet immutare id, quod alicujus prædii decorandi cauſa, vel meræ voluptatis gratia poſitum eſt, ſicque nequit cujuſdam aditus arbores ſuccidere ſub prætextu pinguioris redditus promovendi, ibidem ſementem frumenti faciendo, vel vineam inſtituendo, textu expreſſo *in cit. leg. Si cujus rei* §. 4. ibi: *Et ſi forte voluptuarium fuit prædium, viridaria, vel geſtationes, vel deambulationes arboribus infructuoſis opacas, atque amænas habens, non debebit dejicere, ut forte hortos olitorios faciat, vel aliud quid, quod ad redditum ſpectat*.

37 Poteſt tamen uſufructuarius immutare alicujus fundi qualitatem, ſi ipſa decorandi prædii, vel voluptatis gratia non fuerit poſita, & ex tali immutatione, v. g. de ſylva in vineam, in agrum, in pratum, & hujuſmodi melioretur evidenter proprietas, textu expreſſo *ibi*: *in cit. leg. Si cujus rei* §. 5. ibi: *Et ſi forte in hoc, quod inſtituit, plus redditus ſit, quam in vineis, vel arbuſtis, vel olivetis, quæ fuerunt, forſitam hæc dejicere poterit, ſiquidem ei permittitur meliorare proprietatem*.

38 Quamvis uſufructuarius non poſſit arbores fructiferas ſuccidere, poteſt tamen eas, ac alias mortuas ſibi applicare, Dummodo totidem alias in earum locum ſubſtituat, textu expreſſo *in leg. Agri* 18. *ff. de Uſufructu*, ibi: *Agri fructu legato, in locum demortuarum arborum, aliæ ſubſtituendæ ſunt & priores ad Fructuarium pertinent*.

39 Si autem magna quantitas arborum ex Sylva vi ventorum ſeu violento tempeſtatis impetu dejiciatur, tunc ipſæ arbores ut pote notabiliter partem fundi efficientes, debentur Proprietario ſuis ſumptibus exportandæ ſine ullo incommodo uſufructuarii; Colligitur *ex leg. Proculus* 19. §.1. *ff. de Uſufructu*, ibi: *Si arbores vento dejectas Dominus non tollat, per quod incommodior (is) ſit Uſusfructus vel iter, ſuis actionibus Uſufructuario cum eo experiendum*, & concordat etiam *leg. Arboribus evulſis* 12. *ff. eod.* ubi uſufructuario conceditur ſolum facultas adhibendi ex dictis evulſis arboribus quot ad refectionem ædificii uſuſfructui obnoxii, & merum ſuum uſum (ſi non habet unde utatur ligno) ſunt neceſſariæ, ibi: *Arboribus evulſis, vel vi ventorum dejectis uſque ad Uſum ſuum & Villæ poſſe Uſufructuarium ferre, Labeo ait; Nec materia eum pro ligno uſurum, ſe habeat, unde utatur ligno. Quam ſententiam puto veram, alioquin, & ſi totus ager ſit hunc caſum paſſus, omnes arbores auferret Fructuarius; Materiam tamen ipſam ſuccidere, quantum ad Villæ refectionem putat poſſe. Quemadmodum calcem, inquit, coquere, vel arenam fodere aliudve quid ædificio neceſſarium ſumere*.

40 Uſufructuarius ædium, quamvis poſſit feneſtras ad lumen neceſſarias aperire, colores, & picturas, & marmora immittere, & quidquid ad Domus ornatum conducit, facere, non tamen poteſt dictas transformare, vel conjungere, aut ſeparare, nec aditus, porticuſve vertere, vel refugia aperire, vel atrium mutare, vel viridaria ad alium modum convertere; excolere enim, quod invenit, poteſt, qualitate ædium non immutata. Item nequit ædificium altius tollere, nec Domum per cœnacula, & diverſoria dividere, &c. textu expreſſo *in cit. l. Si cujus rei* 13. §. 7. *&* 8. *ff. de uſufructu*.

41 Uſufructuarius, cui legatus eſt uſuſfructus ſpecialiter alicujus domus, ſi ipſa incendio caſuali, vel alias conſumpta fuerit, nequit ſibi vindicare ligna, & cœmenta, quæ de eadem derelicta ſunt, nec diſponere poteſt de ipſo ſolo, in quo Domus erat conſtructa, textu expreſſo *in leg. Quotiens* 34. §.2. *ff. de Uſufructu*, ibi: *Si ædes incenſæ fuerint, uſusfructus ſpecialiter ædium legatus peti non poteſt*; & concordat §. *Finitur autem* 3. *inſtit. de uſufructu*; ibi: *Eo amplius conſtat, ſi ædes incendio conſumptæ fuerint, vel etiam terræmotu, vel vitio ſuo corruerint, extingui uſumfructum, & ne areæ quidem uſumfructum deberi, & leg. Repeti poteſt* 5. §. 2. *ff. Quibus modis uſusfructus amittitur*, ibi: *Certiſſimum eſt, exuſtis ædibus nec cæmentorum uſumfructum deberi*. Et ratio clara eſt, quia cum talis uſuſfructus ſit ſpecialiter conſtitutus in dicta Domo, eo ipſo quod Domus perit, ipſe prorſus diſſolvitur, neque ullum effectum conſequitur, nec quantum ad ligna, ac cæmenta, nec quantum ad ipſum ſolum Domus. *Eſt enim*, ut expreſſe habetur *in leg. Eſt enim* 2. *ff. de uſufructu*, ibi: *Eſt enim uſusfructus Jus in corpore, quo ſublato & ipſum tolli neceſſe eſt*.

42 Si autem ei legatus eſſet uſuſfructui univerſitatis bonorum tunc uſufructuarius poſſet Jus ſuum vindicare tum in ipſo ſolo, in quo conſtructa erat Domus conſumpta, tum etiam in ipſis lignis, ac cœmentis ſuperſtitibus tamquam in rebus, quæ venirent in partem prædictæ univerſitatis bonorum, textu expreſſo *in cit. leg. Quotiens* 34. §. 2. *ff. de uſufructu*, ibi: *Si univerſorum bonorum, ac ſingularium rerum uſusfructus legetur, hactenus intereſſe puto, quod ſi ædes incenſæ fuerint, uſusfructus ſpecialiter ædium legatus peti non poteſt; bonorum autem uſufructu legato, areæ uſusfructus peti poterit; quoniam qui bonorum ſuorum uſumfructum legat, non ſolum eorum, quæ in ſpecie ſunt, ſed & ſubſtantiæ omnis uſumfructum legare videtur, in ſubſtantia autem bonorum etiam area eſt*.

43 Idem quoque dicendum eſt de uſufructuario, cui legatus eſt uſuſfructus fundi ruralis, in quo conſtructa ſit Villa, ſeu Domus, & ex aliquo caſu deſtruatur; Tunc enim uſufructuarius Jus ſuum conſervabit in ipſa area, quæ relinquetur, cum

cum ſit quædam quaſi acceſſio, atque in partem veniat univerſi prædicti boni, textu expreſſo *in leg. Fundi* 8. *ff. Quibus modis uſusfructus ammittitur*, ibi: *Fundi uſufructu legato, ſi Villa diruta ſit, uſufructus non extinguetur (quia Villa fundi acceſſio eſt) non magis quam ſi arbores deciderint*. Et concordat *leg. Sed & eo* 9. *ff. eod.* ibi: *Sed eo quoque ſolo, in quo fuit Villa, uti frui potero*.

44 Uſufructuarius tenetur ſuis ſumptibus ædificia reficere quo ad uſque ſarta tecta habeat: At vero ſi qua vetuſtate corruerent, non teneretur ille ſuis impenſis reficere. Imo ſi quid ultra quam impendi debeat, impenderit, poterit illud juridice a Proprietario repetere; *l. uſufructu* 7. §. 2. *ff. de uſufructu*, ibi: *Quoniam igitur omnis fructus rei ad eum pertinet, reficere quoque eum ædes per Arbitrum cogi Celſus ſcribit lib.* 18. *Digeſtorum. Hactenus tamen ut ſarta tecta habeat. Si qua tamen vetuſtate corruiſſent, neutrum cogi reficere*. *Et leg. Eum ad quem* 7 *Cod. de uſusfructu & habitatione*, ibi: *Eum, ad quem uſusfructus pertinet, ſarta tecta ſuis ſumptibus præſtare debere explorati juris eſt. Proinde ſi quid ultra quam impendi debet erogatum potes docere, ſolemniter repoſces*.

45 Uſufructuarius, cui legatus eſt uſusfructus Gregis, v. gr. mille vervecum ad certum tempus, tenetur dicto tempore elapſo eumdem Vervecum numerum Proprietario conſignare, & in locum capitum defunctorum totidem alia capita ſupplere, taxtu expreſſo *in leg. Vetus fuit* 68. *ff. de uſufructu*, ibi; *Plane ſi Gregis, vel Armenti ſit uſus fructus legatus, debebit ex adgnatis Gregem ſupplere, ideſt in locum capitum defunctorum*. Et concordat *leg. Quid ergo* 7. §. 2. *ff. eod.* ibi: *Si deceſſerit foetus, periculum erit Fructuarii, non Proprietarii, & neceſſe habebit alios foetus ſubmittere. Unde Gajus Caſſius liber.* 8. *ſcribit, carnem foetus demortui ad Fructuarium pertinere*.

46 Si vere uſusfructus totus eſſet conſtitutus in quibuſdam ſolis ſingularibus animalibus, quæ non poſſent alia producere, ut muli, ſeu in uno duntaxat equo, tunc uſufructuarius teneretur ſolum ad reddendum, quod elapſo tali tempore ſuperſtes adeſſet, nec obligaretur ad id, quod citra illius culpam interiiſſet, ſupplendum, *cit. l. quid ergo* §. 3. ibi; *Sed quod dicitur debere eum ſubmittere toties verum eſt, quoties Gregis, vel Armentis, vel Equitis, ideſt univerſitatis uſusfructus legatus eſt; Ceterum ſingulorum Capitum nihil ſupplebit*.

47 Uſufructuarius incipit uſum capere a momento, quo teſtator mortuus eſt; Unde ſi Teſtator reliquerit pendentes fructus jam maturos, eos percipit uſufructuarius, textu expreſſo *in l. Si pendentes* 27. *ff. de uſufructu*, ibi: *Si pendentes fructus jam maturos reliquiſſet Teſtator, Fructuarius eos feret, ſi die legati cedente adhuc pendentes deprehendiſſet, nam & ſtantes fructus ad Fructuarium pertinent*.

48 Ad uſufructuarii heredes ſpectant ligna reperta jam ſucciſa in Sylva cædua, ſicuti & frumenta jam demeſſa ac alia hujuſmodi jam ſucciſa, & adhuc in fundo uſusfructus exiſtentia. Ad Proprietarium autem ſpectant ſolum ea, quæ adhuc remanent ſuccidenda, vel demetienda die deceſſus ipſius uſufructuarii, textu expreſſo *in l. Si Fructuarius* 13. *ff. Quibus modis fructus amittitur*, ibi: *Si fructuarius meſſem fecit, & deceſſit, ſtipulam, quæ in meſſe jacet, heredis ejus eſſe, Labeo ait, ſpicam, quæ terra teneatur Domini fundi eſſe, fructumque percipi, ſpica, aut foeno cæſo, aut uva adempta, aut excuſſa olea quamvis nondum tritum frumentum, aut oleum, factum, vel vindemia coacta ſit. Sed ut verum eſt, quod de olea, excuſſa ſcripſit, ita aliter obſervandum de ea olea, quæ per ſe deciderit, Julianus ait. Fructuarii fructus tunc fieri, cum eos perceperit bonæ fidei autem poſſeſſoris mox quam a ſolo ſeparati ſint*. Et concordat *l. In ſingulos* 8. *de annuis legatis*, ibi: *Cum fructuarius etiamſi maturis fructibus, nondum tamen perceptis, deceſſerit, heredi ſuo eos fructus non relinquet*.

49 Si uſusfructus ſit relictus pluribus uſufructuariis conjunctim uno eorum decedente, ejus portio accreſcit aliis, & non revertitur ad Proprietarium, textu expreſſo *in l. Quoties* 1. *ff. de Uſufructu adcreſcendo*, ibi; *Quoties Uſusfructus legatus eſt, ita inter Fructuarios eſt jus adcreſcendi, ſi conjunctim ſit uſusfructus relictus*. Et concordat *l. Si mulieri* 8. *ff. eod.* ibi; *Si mulieri cum liberis ſuis uſusfructus legetur, amiſſis liberis, ea uſumfructum habet, ſed & matre mortua liberi ejus nihilominus habent Jura adcreſcendi*. E contra autem ſi uſusfructus ſit relictus pluribus non conjunctim, ſed ſeparatim aſſignata cuique ſua diſtincta portione, textu expreſſo *in citat. leg. Quoties*, ibi: *Ceterum ſi ſeparatim unicuique partis rei uſusfructus ſit relictus, ſive dubio jus adcreſcendi ceſſat*.

50 Uſufructuarii hæres non tenetur reſtituere Proprietario fructus, quos defunctus collegerat, antequam eſſent maturi, textu expreſſo *in l. Si abſente* 48. §. 1. *ff. de uſufructu*, ibi; *Silvam cæduam etiamſi intempeſtive cæſa, ſit, in fructu eſſe conſtat, ſicut olea immatura lectas Item foenum immaturam cæſum in fructu eſt*; Et concordat *l. in fructu* 43. *ff. de uſu, & uſufructu*, ibi: *In fructu id eſſe intelligitur, quod ad uſum hominis inductum eſt; neque enim maturitas naturalis hic ſpectanda eſt, ſed id tempus, quod magis Colono, Dominove eum fructum tollere expedit*.

51 Uſufructuarius poteſt interrumpere locationem factam a Proprietario, textu expreſſo *in l. Arbores* 59. §. 1. *ff. de uſufructu*, ibi: *Quidquid in fundo naſcitur, quidquid inde percipitur, ad Fructuarium pertinet, penſiones quoque jam antea locatorum agrorum, ſi ipſæ quoque ſpecialiter comprehenſæ ſint, ſed & ad exemplum venditionis, niſi fuerint ſpecialiter exceptæ, poteſt uſufructuarius conductorem expellere*.

52 Heres, ſeu Legatarius Teſtatoris tenetur præſtare uſufructuario viam, & tranſitum neceſſarium ad utendum ſuo uſufructu, textu expreſſo *in l. In fundo* 1. §. 1. *ff. Si uſusfructus petatur*, ibi; *uſusfructus legatus adminiculis eget, ſine quibus uti frui quis non poteſt, & ideo ſi uſusfructus legetur, neceſſe eſt tamen, ut ſequatur eum aditus*. Et *ibidem* §. 2. ſubjungitur: *Sed ſi uſusfructus ſit legatus ad quem aditus non eſt per hereditarium fundum, ex Teſtamento utique agendo Fructuarius conſequetur, ut cum aditu ſibi præſtetur uſusfructus*. Et *ibidem* §. 2. additur. *Utrum autem aditus tantum & iter, an vero & via debeatur Fructuario legato ei uſufructu, Pomponius l.* 5. *dubitat, & recte putat, prout Uſusfructus perceptio deſiderat hoc ei præſtandum*. Et concordat *l. Damna* 15. §. 1. *ff. de uſu, & uſufructu*, ibi: *Si Fructuarius ad fundum aliunde viam non habeat, quam per illum fundum, qui legatus eſt, an Fructuario ſervitus debeatur? Reſpondit: Quemadmodum ſi in hereditate eſſet fundus, per quem Fructuario poteſt præſtari via, ſecundum voluntatem defuncti videtur id exigere ab herede. Ita & in hac ſpecie non aliter concedendum eſſe Legatario fundum vindicare niſi prius Jus tranſeundi uſufructuario præſtet*.

53 Uſufructuarius tenetur ad ſuſtinenda, & ſolvenda omnia onera rerum, quarum uſufructu gaudet, uti ſunt tributa publica, vectigalia, cenſus, penſiones, omneſque aliæ obligationes, etiamſi prædicta omnia poſt inſtitutum uſumfructum ſuperveniſſent. *Communis*. per textum expreſſum *in leg. Si pendentes* 27. §. 3. & 4. *ff. de uſufructu*, & *leg. Quæro* 28. *ff. de uſu, & uſufructu*. Et ratio clara eſt, quia ſecundum naturam eſt, quod quid ſentit commodum, ſentiat & onus, per text. *in leg. Secundum naturam* 10. *ff. de Regul. Jur.* & *cap. Qui ſentit* 55. *de Regulis Juris in* 6.

54 Dominus, ſeu proprietarius nihil poteſt nec addere, nec mutare, aut mutare in locis, aut in rebus obnoxiis uſuifructui, ideſt neque inutile aliquod ædificium demoliri, aut altius tollere, aut Sylvam quamdam excidere, niſi de conſenſu expreſſo uſufructuarii, etiamſi per id fundus uſusfructus redderetur evidenter melior. *Communis*, per textus expreſſos in variis Legibus, & ſignanter *in leg. Uſufructu, legato* 7. §. 1. *de uſufructu*, *l. Sed ſi is* §. 7. *ff. eod. leg. Si ab hærede* 2. *ff. Si uſusfructus petatur*.

55 Dominus ſeu Proprietarius, aut quiſquis alius, ad quem ſpectat fundus uſusfructus, de Jure poteſt exigere ab Uſufructuario qualcumque cautiones neceſſarias ad conſervationem prædicti fundi, & integram reſtitutionem finito tempore uſusfructus, & Uſufructuarius tenetur dictas cautiones ei præſtare, niſi vi tituli ſui ab hoc onere eximatur. *Communis*, per claros textus *in l. cujus rei* 14. *ff. de Uſufructu*, *l. Si cujus* 1. *ff. Uſufructuarius quemadmodum caveat*, *l. De die* 8. §. 4. *ff. Qui ſatis dare coguntur*, *l. Si Uſusfructus* 1. & *l. Uſufructu* 4. *Cod. de uſufructu*, cum ſimilibus.

56 Et a fortiori idonea cautio exigi poteſt, & præſtari debet in quaſi uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur, ut expreſſe habetur *in l. Sed de pecunia* 2. *l. Ergo cautio* 4. *l. Hoc Senatusconſultum* 5. *l. Si vini, olei* 7. *l. Tribus* 8. *ff. de uſufructu earum rerum quæ uſu conſumuntur*, & *in cap. Cum conſtat* 8. *de pignoribus*. Quamvis enim in rebus uſu conſumptibilibus (uti ſunt vinum, frumentum, oleum, veſtimenta, quibus proxima eſt pecunia numerata, namque ipſo uſu aſſidua permutatione quodammodo extinguitur, ut expreſſe habetur *in* §. *Conſtituitur* 2. *Inſtit. de uſufructu*, & conſumitur ſi non in ſua entitate, ſaltem in dominio) non poſſit proprie conſtitui uſufructus, cum ſit impoſſibilis earum uſus, ſalva manente rei ſubſtantia, ex quo talis uſus in conſumptione conſiſtat.



Quaſi Uſumfructum tamen etiam in his conſtitui poſſe utilitatis gratia ſtatutum eſt *in l. Senatus cenſuit* 1. & *l. Sed de pecunia* 2. *cum aliis tot. ff. De uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur*, & *cit.* §. *Conſtituitur* 2. *Inſtitut. de uſufructu*. Ea tamen conditione, ut ſi legetur alicui Uſusfructus omnium bonorum, aut quorumdam, quæ uſu conſumuntur, bona uſu conſumptibilia tradantur æſtimata, & acquiratur ab Uſufructuario eorum dominium cum obligatione reddendi æſtimationem, tranſacto tempore Uſusfructus, præſtita ad id idonea cautione, ut patet in ſupra citatis Juribus. Vide verb. *Dominum art.* 1. *num.* 13. & 14.

57 Uſusfructus finitur variis modis. Primo ceſſione mutua, utpote ſi aut uſufructuarius cedat uſumfructum Proprietario, aut Proprietarius proprietatem rei transfert in uſufructuarium textu expreſſo *in* §. *Finitur* 2. *Inſtit. de uſufructu*, ibi; *Item finitur uſusfructus ſi Domino Proprietatis ab uſufructuatio cedatur, vel ex contrario ſi uſufructuarius Proprietatem rei adquiſierit, quæ res conſolidatio appellatur*.

58 Secundo finitur uſusfructus ſi res uſufructui obnoxia tota pareat, v. gr. tota Domus ſit caſuali incendio combuſta, & hujuſmodi; tunc enim non remanet uſusfructus, nec quantum ad locum, in quo ipſa domus conſtructa erat, nec quantum ad ligna, & cæmenta, aliaſque res, ex quibus erat compoſita; *l. Quantias* 34. §. 2. *ff. de Quibus modis uſusfructus amittitur*, & §. *Finitur autem* 3. *Inſtit. de uſufructu*, cum ſimilibus. Vide *ſupra numer.* 41. 42. & 43. & obſerva ut ibi.

59 Tertio finitur uſusfructus conditionis eventu, quando Jus Uſufructu fruendi intra limites illius conditionis totum continetur, textu expreſſo *in l. Si ſub conditione* 10. *ff. Quibus modis uſusfructus, vel uſus amittitur*, ibi: *Si ſub conditione mihi legatus ſit uſus, medioque tempore ſit penes heredem, poteſt heres uſumfructum alii legare. Quæ res facit, ut conditio extiterit mei legati, uſusfructus ab herede relictus finiatur*.

60 Quarto finitur, cum finitum eſt tempus, ad quod Uſusfructus alteri legatur, ſeu conceſſus eſt, *l. Ambiguitatem* 12. *Cod. de uſufructu*, *leg. Sicut in annos* 3. *ff. Quibus modis uſufructuarius, vel uſus amittitur*, cum ſimilibus.

61 Quinto finitur, cum Teſtator rem uſufructui obnoxiam in Teſtamento relictam ante mortem nichil quidquam mutato ſuo Teſtamento immutat, ut ſi alicui reliquerit uſumfructum certi agri, & poſtea ipſum agrum in ædificium immutet, ſeu in eo ædificium conſtruat, & hujuſmodi: Tunc enim talis immutatio aperte deſignat ipſius voluntatis immutationem, & legatum proinde penitus extinguit, cum legatum illud totum pertineret ad agrum, qui non amplius extat. Sic expreſſe habetur *in l. Repeti* 5. §. 3. *ff. Quibus modis uſus fructus, vel uſus ammittitur*, ibi: *Si areæ ſit uſusfructus legatus, & in ea ædificium ſit poſitum, rem mutari, & uſumfructum extingui conſtat*. Et concordat *l. Quid tamen* 10. §. *ff. eod.* ibi: *Certæ Silvæ uſufructu legato, ſi Silva cæſa illic ſationes fuerint factæ ſine dubio uſusfructus extinguitur*.

62 Sexto finitur morte, tum naturali, tum civili Uſufructuarii. *Communis*. per text. *in* §. *Finitur autem* 3. *Inſtit. de uſufructu, leg. Sicut* 3. §. *ff. Quibus modis uſusfructus, vel uſus amittitur*, *l. Si Patri* 2. & *l. Corruptionem uſusfructus* 16. §. 1. & 2. *Cod. de uſufructu & habitatione*, cum ſimilibus.

63 Si uſufructuarius fiat Religioſus, & Profeſſionem emittat in Religione incapaci bonorum ſtabilium in communi, tunc uſusfructus extinguitur, & conſolidatur cum proerietate Domini. Sic communis DD. ſententia cum Layman *l.* 3. *tract.* 1. *cap.* 6. *n.* 6. *verſ. Dico ſecundo*, Sporer *loc. cit. n.* 24. Sanchez *lib.* 7. *moral. c.* 13. *n.* 53. Azor. *tom.* 2. *lib.* 2. *c.* 22. *q.* 4. Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 9. & aliis. Et ratio eſt, quia uſufructus eſt Jus perſonale, quod una cum perſona extinguitur, ſive per mortem naturalem, ſive per mortem Civilem, qua Perſona fiat omnino incapax uſufructu, *arg.* §. *Finitur* 3. *Inſtit. de uſufructu*. Atqui per Profeſſionem in Religione incapaci bonorum ſtabilium in communi Perſona Profeſſa fit omnino incapax uſusfructus tam in propria Perſona, quam in communi, ut de ſe patet; ergo &c.

64 Si autem uſufructuarius fiat Religioſus; & Profeſſionem emittat in Monaſterio capaci bonorum ſtabilium in communi, tunc uſusfructus devolvitur ad Monaſterium, quo contemplatione Monachi frui poterit, quandiu is vivit, Sic tenent Sanchez *loc. c. n.* 47. Sporer *loc. cit. n.* 24. Layman *loc. cit. verſ. Sed de aliis*, Molina *loc. cit. diſp.* 9. & alii paſſim, *arg.* *Authent. Ingreſſi, Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis*. E ratio eſt, quia per Profeſſionem in Monaſterio capaci bonorum ſtabilium Perſona retinet adhuc capacitatem uſusfructus pro Monaſterio, cum *in cit. Authent. Ingreſſi*, & *Authent. de Monachis*, §. *Illud quoque* expreſſe dicatur, quod bona una cum Perſona, ſeu tamquam acceſſoria Perſonæ tradi debeant Monaſterio.

65 Alia ad rem; Vide Verb. *Bona*, *Dominum*, *Maritus*, *Melioramenta*, *Pater*, *Uxor*,

### *Novæ Additiones ex aliena manu.*

POſſe Patri in bonis adventitiis Filii prohiberi uſumfru- 1
ctum, res eſt incontroverſa. An autem ſufficiat tacita
prohibitio, & ex quibus colligi queat? Vide ſi ſubet *An-* 2
*dreol. controverſ.* 224. *n.* 3. *Cardinal. de Luc. Poteſt. part.* 1.
*cap.* 3. *num.* 38. *Caſtil. de Uſufruct. cap.* 3. *n.* 56. & *ſeq.*
Hic vero expendendum eſt, an prohibito uſufructu Patri,
nihilominus competat ei adminiſtratio horum bonorum, ſi 3
Filius ætatis defectu laboret? A Juſtiniano in *Novell.* 117.
*cap.* 1. §. 1. conſtitutum eſt, quod Teſtatori, vel Donatori 4
liceat deſtinare Adminiſtratorem, & hac deſtinatione non facta
Judici deferatur poteſtas Adminiſtratorem deſtinandi.
Sed in controverſia remanet, an non huic Curatori Judiciali
præferendus ſit Pater?
Nihil ſane deo eo diſpoſuit Juſtinianus, qui fortaſſis præ- 6
vidit, Patrem adempto ſibi uſufructu onus Adminiſtrationis
ſponte declinaturum. Interim ſi Pater velit adminiſtrare, hunc 7
admittendum eſſe reor, cum ſatis ſit quod remotus a lege
haud ſit, nec privatio uſusfructus privationem contineat ad- 8
miniſtrationis, *ad Text. in l. fin. in princip. Cod. de Curator.
Furioſ.* & *in leg. fin.* §. 1. *Cod. de bon. quæ liberis*.
Aliud vero erit, ſi Teſtator Patri adminiſtrationem quo- 9
que ademiſſet, ut firmant *Hartman. Piſtor. lib.* 4. *quæſt.* 11
*num.* 13. *Carpzov. Juriſprud. Forenſ. part.* 2. *Conſtitut.* 10. *defin.* 11. Adde *Caſtil. de Uſufructu cap.* 3. *n.* 59. & *ſequent.*

## UTENSILIA.

UTenſilia Sacra pro Miſſa quotidiana taxata fuerunt a 1
Sac. Congreg. Conc. ad rationem Scutorum quatuor pro quolibet anno; Sic teſtatur Monacell. *tom.* 4. *ſupplement. ad* 3. *tom. n.* 181. ubi ſic præciſe habet: Quo ad contributionem pro Utenſilibus Sacriſtiæ Sacra Congr. Concil. in una Romana Legati Miſſarum pro Archiconfraternitate S. Mariæ de Planctu ſub die 26. Martii 1679. ita reſcripſit: *Taxandam eſſe eleemoſynam ad rationem eleemoſynæ manualis in urbe currentis, detractis tamen ex iiſdem introitibus hereditariis ſcutis quatuor pro ſingula Miſſa ratione Sac. Supellectilium pro hujus Miſſæ celebratione*. Legatum autem conceptum erat his verbis; *Di far celebrare tante Meſſe l' anno, quante ne comporteranno li frutti della ſua Eredita*, *Lib.* 39 *Decretum fol.* 109.

Parochi non tenentur ſubminiſtrare Capellanis, ſeu Pres-
byteris in ſuis Eccleſiis Parochialibus celebrare volentibus 2
paramenta, & alia neceſſaria. Nec ad id poſſunt per Epiſcopos cogi, ſed tantum hortari; *Sacra Congreg. Epiſcop. & Regul. in Montiſati* 15. *Maji* 1699. non obſtante ſolito, *Sacra Congr. Rit. in Egitanien.* 10. *Junii* 1602. confirmata *in Suanen.* 31. *Maji* 1698. apud Monacell. *tom.* 1. *titul.* 10. *formul.* 18. *num.* 6.

Utenſilia Sacra non tenetur Rector Eccleſiæ ſubminiſtrare
illis Sacerdotibus, qui in eadem celebrant ex obligatione 3
Beneficii, ſeu Capellaniæ: Quatenus vero permittat, ſeu recipiat Miſſas adventitias in ſua Eccleſia celebrari, tenetur dictam ſubminiſtrationem; Non poteſt demum cogi ad admittendas Miſſas adventitias, niſi ſolutis Sacris Utenſilibus, *Sacra Congreg. Concil. in Derthonen.* 7. *Julii* 1726. *ad* 11. *dub.* apud Urſayam *in* 2. *Miſcellan. Sacro, & profano lit. V. numer* 67. Vide ipſum etiam *t.* 7. *p.* 1. *diſcept.* 14. *per tot.*

Ad dubium, an permittendum ſit Adminiſtratoribus Ec- 4
cleſiarum, ut retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, Inſervientium, paramentorum, luminum, vini, Hoſtiæ & ſimilium; habetur reſponſio Sacræ Congregationis C. in ejuſdem Declarationibus confirmatis ab Innocentio XI. Conſtitut. incip. *Nuper a Congregatione*: ubi ad ſeptimum expreſſe reſpondit;

dit: *Permittendum non eſſe, ut Eccleſiæ, & loca pia, ſeu illorum Adminiſtratores ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & loca pia alios non habent reditus, quos in uſum earumdem expenſarum erogare licite poſſint; & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Miſſæ Sacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ, & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis ut ſupra deductis, abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab Offerentibus eleemoſynas.*

5 Unde portio illa neceſſaria pro expenſis manutentionis ut ſupra nullo modo eſt detrahenda ex Maſſa Communi eleemoſynarum manualium Miſſarum celebrandarum, ſed ex eleemoſyna cujuſlibet Sacerdotis celebrantis, ut patet ex ſequenti declaratione Clementis XI. qui quamvis de anno 1721. noluerit concedere, ut ex numero Miſſarum relictarum Altari privilegiato Archiconfraternitatis SS. Sacramenti, & quinque Plagarum in Eccleſia S. Laurentii in Damaſo, & ad faciendam rem gratam dictæ Archiconfraternitati applicare fecerit Miſſas 40. pro illis, quæ a Sacriſtia ejuſdem Archiconfraternitatis celebratæ non fuerant ex titulo dictæ detractionis: tamen ad repetitas preces eidem Summo Pontifici porrectas idem hanc gratiam conceſſit d. Archiconfraternitati, ut poſſet pro retinere obolum unum ex eleemoſyna Sacerdotis pro dictis expenſis Sacriſtiæ, & Sacrorum Utenſilium, ut refertur in Viſitatione ſacra *die* 1. *Septembris* 1721. a Cardinal. Zondadario §. 6. ibi: ,, Quo ad Miſſas adventitias ſatis pro- ,, viſum ex vivæ vocis Oraculo S. M. Clementis XI. habito ,, a R. P. D. Secretario hujus Sacræ Congreg. mediante ,, facultate conceſſa Confratribus retinendi pro Utenſilibus ,, obolum unum pro qualibet Miſſa manuali, quod in poſte- ,, rum ſervari mandavit.

6 Cumque aliud eſſet ortum dubium circa intelligentiam dictorum verborum, illud penitus ſublatum fuit mediante declaratione R. P. D. Pallavicini digniſſimi Secretarii Sacræ Congregat. Viſitationis Apoſtolicæ ſequentis tenoris. ,, Il ,, Bajocco ſi deve detrarre dall' eleemoſina del Sacerdote ,, e non dalla Maſſa comune dell' elemoſine, come mala- ,, mente facevano prima, e gli fu proibito, e con l' Auto- ,, rità del Papa ſi applicorno altrettante Meſſe di una Religio- ,, ne agli oblighi, che erano rimaſti non ſoddisfatti. ,, Sic refert ad litteram D. Urſaya *tom.* 5. *part.* 2. *diſceptat.* 16. *a n.* 17. *ad* 21. ubi dicit ita conſtare ex *Bilieto* ejuſdem ſibi uti Priori d. Archiconfraternitatis exhibito, quod a ſe in ejus Archivo relictum fuit.

7 Poſſe Epiſcopos adſtringere Capellanos, & Beneficiatos (non Cenſuris) ad providendum de proprio paramenta, reſpondit *Sacra Congreg. Epiſcop. in Surrentina* 11. *Aprilis* 1589. apud Monacell. *part.* 2. *tit. p.* 13. *formul.* 2. *n.* 56. *in fine* Vide Urſayam tom. 7. part. 1. diſcept. 14. per tot. ubi multa habet ad rem.

8 An autem manutentio Altarium, quæ ſunt de Jurepatronatus, ac ornamentorum neceſſariorum pro eiſdem Altaribus ſpectat ad ipſos Patronos, aut ad Eccleſiam, in qua dicta Altaria ſunt erecta, ſtante conſuetudine, quod Patroni nunquam fuerint coacti ad dictam manutentionem, ſed eamdem impenſam præſtiterit dicta Eccleſia, prout hodie ſupplet impenſas mapparum, & omnium paramentorum Sacerdotalium: Nec Beneficiati, qui habent Capellanias erectas in dictis Altaribus, poſſunt eidem manutentioni concurrere, ſtante reditus tenuitate vix excedentis onera Miſſarum, quæ dictis Capellanis annexa ſunt? Reſpondit *Sacra Congreg. Concil. in Urbinatenſi ſub die* 10. *Martii* 1633. *ad cap.* 7. *ſeſſ.* 21. *& capit.* 9. *ſeſſ.* 22. *teneri Eccleſiam ad limites conſuetudinis legitimæ, in reliquis prout de Jure.* Sic apud Pignatell. *t.* 6. *conſult.* 15. *num.* 1.

9 In caſu igitur, quo per tempus legitime præſcriptum conſueverit Eccleſia ſubminiſtrare manutentionem talium Altarium, & providere de Sacris Utenſilibus, tenetur id perſeveranter adhuc præſtare, *arg. Cum tanto* 11. *de conſuetudine.* Tunc enim cenſetur Eccleſiam fuiſſe a Fundatoribus, ſeu Benefactoribus ſufficienter ad id dotatam, & Dos Eccleſiæ cenſetur etiam Dos Altarium.

10 Si tamen Eccleſia non ſic conſuevit dictam manutentionem, & proviſionem de Sacris Utenſilibus præſtare, tunc cum non cenſeatur fuiſſe ipſam ad id ſufficienter dotatam, poteſt fieri præceptum patronis Beneficiorum, ut intra competentem terminum provideant Altaria de omnibus neceſſariis, vel ut dotem præſtent, ſeu augeant ſub pœna privationis eorum Juris, quæ competente termino elapſo, & non parito, ad privationem procedi poteſt. Hinc Altaria inornata, & indotata poſſe ab Epiſcopis, & Regularibus concedi aliis Patronis, qui eis provideant, ſi proprii Patroni poſt tertiam monitionem cum aliquo intervallo, vel termino non adeo coarctato ab Ordinario faciendam id præſtare negligant, vel recuſent, poſſeque in tali caſu a Regularibus, & aliis Superioribus Eccleſiarum de iis ad libitum diſponi, ſcilicet dirui, vel aliis concedi, ſæpius in facti contigentia reſpondit *Sacra Congreg. Epiſcop.* & ſignanter *in Mutinenſi* 2. *Maii* 1601. & 2. *Januarii, &* 3. *Julii* 1602. & 16. *Februarii* 1603. & 9. *Januarii* 1604. & 9. *Octobris* 1618. apud Pignatell. *tom.* 9. *conſultat.* 82. *n.* 145.

11 Et præceptum de dote augenda, ſeu de novo tradenda fieri quoque poteſt, etiamſi in fundatione fuerit ſufficienter a Patrono aſſignata, & deinde tractu temporis fuerit diminuta, ſeu penitus conſumpta; Et in tali caſu, ſi antiquus Patronus nolit ipſam dotem augere, ſeu de novo ſſignare, poſt trinam ut ſupra ei factam monitionem amittit Juſpatronatus; Fagnan. in *cap. Quoniam* 3. *de Jurepatronatus num.* 59. Reiffenſtuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 38. *num.* 4. Pirhing. *ibidem numer.* 9. Pignatel. *tom.* 6. *concluſ.* 15. *numer.* 4. & alii paſſim.

12 Et ratio clara eſt, quia Patronus tenetur ad omnia onera Altaris, ſeu Capellæ, aut Eccleſiæ, ut tradunt communiter Doctores, cum juſtum ſit, ut qui ſentit commodum Juris honorifici, ſentiat etiam incommodum talium onerum, per text. *in leg. Secundum naturam eſt* 10. *ff. de Regul. Juris*, & *c. Qui ſentit* 55. *de Regul. Juris in* 6. Inter ipſa autem onera venit obligatio Capellam, ſeu Eccleſiam reſtaurandi, ac etiam a fundamentis reædificandi, ſi aut collapſa fuerit, aut reſpective ruinam minetur & ipſam ſufficienter dotandi, ſeu de omnibus neceſſariis providendi, *arg. Novella* 66. *cap.* 2. *cap. Placuit* 1. *cauſ.* 1. *q.* 2. *cap. Piæ mentis* 26. *cauſ.* 16. *q.* 7. *cap. Nemo* 9. *diſt.* 1. *de conſecr. c. Cum ſicut* 8. *de conſ. Eccl. c. Quoniam* 3. & *cap. Nobis* 25. *de Jurepatr.* cum ſimilibus, juncto Concilio Trid. *ſeſſ.* 14 *de reform. cap.* 12. & *ſeſſ.* 21. *cap.* 7. Et ſic tenent Lambertin. *de Jurepatr. lib.* 1. *part.* 1. *quæſt.* 11. *art.* 7. *num.* 3. 5. & 7. & *lib.* 3. *quæſt.* 7. *art.* 5. *n.* 1. Barboſ. *ad Concil. ſeſſ.* 21. *cap.* 7. *n.* 8. & *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 64. *num.* 16. & *alleg.* 102. *n.* 10. Antonell. *de regimin. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 33. Sperell. *deciſ.* 60. *num.* 11. & *ſeq.* Pitonius *de Controverſis Patron. tom.* 1. *alleg.* 12. *a n.* 4. *ad* 8. Card. de Luca *de Jurepatronat. diſc.* 52. *n.* 12. Ventriglia *in Praxi part.* 2. *annot.* 18. *n.* 2. & *annot.* 19. *num.* 33. & alii paſſim expreſſe dicentes, teneri Patronum & reparare, ſeu reſtaurare, ac etiam, cum opus fuerit, a fundamentis reædificare Capellam, ſeu Eccleſiam, & ipſam providere de utenſilibus, Paramentis, calicibus, & omnibus aliis neceſſariis ad Divinum cultum, & ad Divina celebranda, cum ſit onus de Jure infixum oſſibus Patroni, ſicuti eſt onus Patrisfamilias providere Filiam de ſibi neceſſariis.

13 Si vero Patronus ab initio aſſignavit dotem ita abundantem, ut ſufficiat, & pro ſuſtentatione Capellani, & pro reparatione, ac manutentione Capellæ, tunc niſi adſit contraria conſuetudo, aut certa diſtincta portio reddituum aſſignata pro tali manutentione, & neceſſariorum proviſione, tenebitur Capellanus, ſeu Beneficiatus ad ipſam manutenendam, & providendam de omnibus neceſſariis; Genuenſ. *in praxi cap.* 109. *num.* 13. Pignatel. *tom* 6. *conſult.* 15. *num.* 5. Sperell. *deciſ.* 68. *num.* 11. Ventriglia *cit. annotat.* 18. *num.* 10. & *annot.* 19. *n.* 33. & alii paſſim per text. *in c. Si Monachus* 22. *cauſ.* 16. *q.* 1. *c. Quicunque* 1. & *c. De his* 3. *de Eccleſiis ædificandis*, cum ſimilibus, juncto Concilio Trident. *ſeſſ.* 11. *cap.* 7. *de reform.* Et ratio eſt, quia Beneficiatus æquiparatur in vita uſufructuario *cap. Præſenti* 9. *de Officio Ordinarii in* 6. *cap. Requiſiſti* 15. *de Teſtamentis*, *cap. Si quis* 5. *de peculio Clericorum*. Uſufructuarius autem tenetur ex fructibus res conſervare in bono ſtatu, & ad ſartatecta; *leg. Uſufructu legato* 7. §. 2. *ff. De uſufructu, leg. Eum, ad quem* 7. *Cod. eod.* adeoque &c. Tum quia Beneficiarius ſub peccato mortali redditus Beneficii ſuæ honeſtæ ſuſtentationi ſuperfluos tenetur erogare in cauſas pias, ex abunde probatis ſub verb. *Beneficiatus a n.* 35. Inter autem cauſas pias reſpectu Beneficiati potiſſima eſt reparatio, ſeu reſtauratio ſuæ Capellæ, ac proviſio de utenſilibus, aliiſque neceſſariis pro ipſa, adeoque &c.

14 Et dato, quod nec Patronus, nec Rector Beneficii, aut Eccleſiæ poſſint neceſſaria miniſtrare, & aliter neceſſitati provideri nequeat, tunc non poteſt converti in talem neceſſitatem pecunia, ſeu eleemoſyna deſtinata pro celebrandis Miſſis, ut voluerunt Riccius *deciſ.* 123. *part.* 2. Genuenſis *in Praxi cap.* 54. *n.* 5. & alii; ſed omnino celebrandæ adhuc ſunt tot Miſſæ quot præſcriptæ fuerint a Fundatoribus ſeu Offerentibus eleemoſynas, vel adeunda eſt Sedes Apoſtolica pro proviſione, juxta Decreta Sacræ Cong. Conc. *de celebratione Miſſarum in reſponſione ad primum, & ſeptimum* confirmata ab Innocentio XII. Conſtitut. incip. *Nuper*, ut recte obſervavit Epiſcopus Lycienſis *in ſua Synodo Diocœſana* §. 2. *in annotat.* & Pignatell. *tom.* 6. *conſultat.* 15 *num.* 5.

15 Si autem agatur de Beneficiato, Eccleſia Parochiali, & nec Parochus, nec Patronus poſſint Eccleſiam reparare, ac de utenſilibus, & aliis neceſſariis ipſam providere, tunc compelli ad id poſſunt Parochiani: Sic expreſſe ſtatuit Conc. Trid. *ſeſſ.* 21. *de reform. cap.* 7. ibi: *Parochiani omnibus remediis opportunis ad prædicta cogantur.* Et ratio hujus obligationis eſt clara, quia Parochiani percipiunt a prædicta Eccleſia Sacramenta, & Divina, & hoc eſt opus publicum, & commune, ac concernens omnium utilitatem, & neceſſitatem. Et ſic tenent Doctores communiter; Vide verb. *Eccleſia art.* 3. *a n.* 63. *ad* 73. ubi abunde aſſignatur, ad quo ſpectet obligatio reparandi, & providendi de neceſſariis Eccleſias tum Cathedrales, tum Parochiales, tum non Parochiales, ac ſimplices.

## U X O R.

1 Uxor per ſe loquendo tenetur potius cohabitare Viro, quam hic illi; ideſt Viri, non autem Uxoris eſt eligere domicilium, ſeu locum, ubi habitent, ac ſimul vivant. *Communis*, quia ut ſcribit Apoſtolus *ad Epheſios cap.* 5. *n.* 22.

2 *Vir caput eſt mulieris*. Unde ordinarie Uxor tenetur ſequi Maritum juſta de cauſa mutantem domicilium; Dummodo illa mutatio non accidat Uxori graviter incommoda, vel non ſit aliter conventum in pactis dotalibus, ſeu contractu ante nuptias. *Communis*, per text. *in cap. Unaquæque* 3. *cauſ.* 13. *q.* 2. ubi: *Unaquæque mulier ſequatur virum ſuum, ſive in vita, ſive in morte*, & *cap. Provenit* 1. *de conjugio leproſorum* per verba adducenda *infra n.* 6. *Sic noviſſime decrevit Sacra Congreg. Concil. in Firmana* 22. *Novembris* 1727. & 17. *Aprilis* 1728. *apud Theſaurus Reſolutionum Sacræ Congregationis Concil. tom.* 4.

3 Dicitur autem notanter, quod *Uxor teneatur ſequi Maritum juſta de cauſa mutantem domicilium*, v. gr. cum talis mutatio domicilii eſt neceſſaria ad Gubernationem Familiæ, vel ad conſervandas res familiares, ad effugiendam hoſtilem inſectationem, ſeu cum ad id cogitur ob morbum, inculpabile exilium, & hujuſmodi, vel cum a Principe mittitur ad Gubernationem quadriennem, decennem &c. alicujus Provinciæ, aut Civitatis, & hujuſmodi, quia revera in dictis caſibus tenetur Uxor ordinarie ſequi Virum, ut docent Doctores communiter, *argum. Si quis neceſſitate inevitabili* 4. *cauſ.* 34. *q.* 2. Secus autem ſi vir efficeretur vagabundus, & ante contractum Matrimonialem non fuiſſet talis, quia tunc uxor non teneretur illum ſequi hinc inde vagantem, ut fatentur omnes, recte tamen addentes, quod ſi Vir more hiſtrionum jam ante contractum Matrimonialem vagari conſueviſſet, tunc teneretur eum ſequi, quia cenſeretur approbaſſe conſuetudinem, & practicos mores talis Viri.

4 Dicitur etiam notanter: *Dummodo illa mutatio non accidat uxori graviter incommoda*, quia uxor non cenſetur ſe obligaſſe ad ſequendum cum tanto ſuo incommodo, vel periculo v. g. ſalutis, vitæ, pudicitiæ, & hujuſmodi, *arg. cap. Si quis neceſſitate inevitabili* 4. *cauſ.* 3. *q.* 2.

5 Item dicitur notanter: *Vel non ſit aliter conventum in pactis dotalibus, ſeu contractu ante nuptias*, quia ſi ſic fuerit certus locus habitationi conſtitutus, non poteſt deinde Maritus diſcedere, niſi gravis cauſa de novo ſuperveniens, & ante non præviſa id neceſſario exigat. Et ratio eſt, quia *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur*, textu expreſſo *in cap. Contractus* 85. *de Regul. Juris in* 6. & pacta ſunt omnimode ſervanda, *cap. Antigonus* 1. & *cap. Qualiter* 3. *de pactis*; cum ſimilibus.

6 Item etiamſi uxor ex cauſa neceſſaria cogatur mutare domicilium, tenetur Maritus eam ſequi. Sic colligitur ex *cap. Pervenit* 1. *de conjugio leproſorum*, ibi: ,, Quoniam igitur ,, cum vir, & uxor una caro ſint, non debet alter ſine al- ,, tero eſſe diutius, mandamus quatenus ut uxores viros, & ,, viri uxores, qui lepræ morbum incurrunt, ſequantur, ,, & eis conjugali affectione miniſtrent, ſolicitis exhortatio- ,, nibus inducere non poſtponas ,, : & tenet Gloſſa ibid. verb. *Sequantur*, & *Communis Doctorum*, teſte Gobat *tom.* 1. *tractat.* 10. *caſu* 22. *n.* 756. Et ratio eſt, quia quo ad mutua obſequia conjugalia Maritus, & uxor pares ſunt, nec ad imparia judicantur, textu expreſſo *in cap. Si quis uxorem* 4. *cauſ.* 32 *quæſt.* 1.

7 Conjuges enim æqua obligatione tenentur omni Jure ſimul cohabitare in eadem Domo, menſa, & lecto, ut tenent communiter Doctores, recte advertentes, quod obligatio talis conjugalis cohabitationis complectitur tria officia, ſcilicet habitandi in eamdem domo, accumbendi eidem menſæ, & cubandi in eodem lecto, ut optime unus pro omnibus ſcribit Caſtropal. *de ſponſalibus diſp.* 3. *punct.* 5. §. 1. ibi: ,, Certum eſt Conjuges obligatos eſſe Jure naturali, & ,, Divino ſimul habitare in eadem Domo, ad eamdem ,, menſam accumbere, & in eodem lecto jacere; Quod ſi ,, quis Conjugum nolit hæc tria præſtare, poteſt a Judice ,, Eccleſiaſtico compelli Cenſuris, & invocato auxilio bra- ,, chii Sæcularis, *per text.* in cap. Litteras 13. de reſtitutio- ,, ne ſpoliatorum. *Unde* Geneſ. 2. num. 24. *dicitur*: Quam- ,, obrem relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem, & ad- ,, hærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. *Et* in cit. ,, cap. Pervenit 1. de conjugio leproſorum; Cum vir, & ,, uxor una caro ſint, non debet alter ſine altero diutius ,, eſſe.

8 Poteſt tamen inter conjuges divortium licite fieri quoad torum, & cohabitationem, juſta aliqua interveniente cauſa. Vide verb. *Divortium num.* 18.

9 Cauſæ juſtæ faciendi tale Divortium ſeptem generatim aſſignantur. Vide *ibid. a num.* 19. *ad* 52. ubi omnes adducuntur, & abunde diſcutiuntur.

10 Afferuntur plures caſus, in quibus propter adulterium nequit fieri tale divortium. Vide *ibid. a num.* 54. *ad* 59, & verb. *Adulterium art.* 3. *per tot.*

11 Propter Adulterium ſpirituale, ſeu lapſum in Hæreſim, ſeu Gentiliſmum alterius conjugum poteſt conjux innocens etiam propria auctoritate licite facere Divortium quoad torum, & cohabitationem. Vide *ibid. num.* 21.

12 Cum hac tamen advertentia, quod ſi conjux innocens propria auctoritate, & ſine judicio Eccleſiæ tale Divortium fecit a Conjuge in hæreſim lapſo, & ipſe reus hæreſis ſeſe ab errore revocaverit, tunc tenetur eum iterum recipere, ſeu ad eum iterum redire. Vide *ibid. num.* 22.

13 Si vero Conjux innocens Judicio Eccleſiæ tale divortium fecit, non compellitur conjugem converſum recipere, ſeu ad eum redire, ſed poteſt Religionem intrare, Vide *ibid. numer.* 23.

14 Si autem Religionem ingredi noluerit etiam hic redire compellitur. Vide *ibid. num.* 24.

15 Uxor adultera poſt pœnitentiam a Marito recipienda eſt. Vide verb. *Adulterium art.* 4. *num.* 10.

16 Uxor adultera ſeparata, ſi impudice vivit eſt punienda poena mortis.

17 Uxor adultera occidens foetum animatum, ſeu natum infantem excommunicatur, & punitur ut homicida. Vide *ibid. num.* 13.

18 Uxor Adultera, ſicuti Uxor ſterilis, quæ artificioſe ſibi ſuppoſuit partum alienum, non tenetur cum periculo vitæ, & magnæ infamiæ manifeſtare prolem ſpuriam, ſeu dictum partum alienum ad reparanda damna legitimorum, ſeu aliorum, quibus Mariti hereditas debebatur. Vide verb. *Adulterium art.* 5. *a n.* 9. *ad* 13.

19 Tenetur tamen dicta Uxor adultera quantum in ſe eſt procurare omni meliori modo, ut illatum damnum legitimis compenſetur. Vide *ibid. num.* 12.

20 Et ſi nullo alio modo tale damnum compenſare poſſit, tenetur proli ſpuriæ perſuadere, ſi aliunde idonea ſit, ut ſtatum Eccleſiaſticum, vel Religioſum amplectatur, vel vitam coelibem ducat. Vide *ibid. num.* 13.

21 Uxor in adulterio deprehenſa nequit a Marito ob id occidi. Vide verb. *Adulterium art.* 2. *a num.* 10. *ad* 14. & alia ad rem vid. verb. *Maritus num.* 11. 12 & 13.

22 Uxor propter adulterium amittit Dotem, & ejus proprietas tran-

tranſit ad Maritum. Vide *ibid. num.9.* & *verb. Dos art. 1. numer.17. & art.3. num.13.*

23 Et tunc ſi Uxor propter adulterium ſit rejecta a Marito per divortium, & bona aliunde non habeat ad ſui ſuſtentationem, pertinebit ad judicem a Marito neceſſaria obtinere, ſi dotem uxoris in delicti poenam lucrari velit. Layman *lib.5. tract.10. part.3. cap. 2. num.2. verſ. Adde ſecundo*, Molina *tract.3. diſp.90. num.7.* & alii paſſim.

24 Si uxor ſine neceſſaria cauſa recedat, & divertat a Marito, Maritus non tenetur ei alimenta præſtare, quamvis dotem ab ea acceperit, Layman *loc. cit. num.2. verſ. Præterea*, Sanchez *lib.9. diſp.4. num.20.* & alii paſſim. Et ratio eſt, quia qui non facit quod debet, non recipit quod oportet, *arg. Si ea conditione 3. Cod. de conditionibus inſertis*: Uxoris autem Officium eſt, ut maneat in Viri conſortio, & obſequio: *cap. Hæc imago 12. cauſ.33. quæſt.5. & cit. Jurib. ſupra num 1. & 2.* Unde ſi id præſtare nolit, merito ei alimenta denegantur; Secus vero ſi ob juſtam cauſam recederet, ſeu diverteret a Marito ut fatentur omnes.

25 An, & quando Dos quo ad proprietatem, & Uſumfructum ſpectet ad Uxorem, eamque ipſa repetere poſſit; vel non? Vide verb. *Bona art. 4. a num.2. ad 7.* & verb. *Dos per tot.* & ſignanter *art. 1. & 3.* & verb. *Uſusfructus a numer.21. ad 26.*

26 Quando Uxor poſſit petere, & teneatur reddere Debitum Conjugale, vel non? Vide verb. *Debitum Conjugale per totum*.

27 Uxor, ſicut & Maritus exercens opus conjugii ob ſolam voluptatem non vacat culpa veniali. Vide verb. *Conjuges num.77.*

28 Uxor in actu conjugali cum ſuo Marito ſe moroſe delectans in alio velut præſente, peccat mortaliter, & addit ſpeciem adulterii in Confeſſione explicandam. Vide *ibid. num. 78.* & verb. *Adulterium art. 1. num. 7.* & verb. *Delectatio moroſa n.26.*

29 Delectatio moroſa de actu Conjugii inter Conjuges præſentes, dummodo abſit periculum pollutionis, non eſt peccatum mortale (a). Vide d. verb. *Conjuges n. 79.* & verb. *Delectatio moroſa n. 24.*

30 Immo conjux neque mortaliter peccat, ſi de maritali copula; altero conjuge abſente cogitans, in re cogitata moroſe delectetur (a); Vide d. verb. *Delectatio moroſa num.25.* & dict. verb. *Conjuges n. 80.*

31 Omnes tactus, oſcula, amplexus, turpiloquia, aſpectus laſcivi, & hujuſmodi, quæ fiunt inter conjuges ſine ordine ad copulam, ſi fiant cum periculo pollutionis in uno vel altero vel pertineant ad Sodomiam quandam inchoatam, ſunt, peccata mortalia, alias non ſunt niſi venialia. Vide verb. *Conjuges n.81.* verb. *Luxuria n.89.* verb. *Tactus n. 12. 13. & 14.*

32 Conjuges an, & quando poſſint, vel non Religionem ingredi? Vide d. verb. *Conjuges a n.3. ad 34.*

33 Maritus an, & quando poſſit cum, vel ſine licentia Uxoris ad Sacros Ordines promoveri; Vide d. verb. *Conjuges a n.57. ad 72.*

34 Quid de Conjugibus Infidelibus, quando unus convertitur, & alter non, ſeu quando ambo convertuntur, & quid de eorum Matrimonio, & prole? Vide d. verb. *Conjuges a n.35. & 45.* verb. *Hæreticus a n.20. ad 26.* & verb. *Impedimenta Matrimonii art.1. n.95. & ſeq.*

35 Plures uxores ſimul habere eſt prohibitum jure Divino Vide verb. *Polygamia n.7.*

36 Uxor an, & quas donationes poſſit facere Marito, & Maritus Uxori? Vide verb. *Donatio artic. 2. a num. 13. ad 20.*

37 Uxor de quibus bonis habeat dominium, vel Uſumfructum, & de quibus & quando poſſit diſponere, & facere Donationes & eleemoſynas, ſuccurere ſuis parentibus, filiis, fratribus ac ſororibus. Vide verb. *Bona art. 4. a n.2. ad 37.* & verb. *Eleemoſyna n.54.*

38

39 Uxor quando poſſit, vel non, irritare Vota Mariti, & Maritus Vota Uxoris. Vide verb. *Votum art. 4. numer. 45. ad 49.*

40 Uxor tranſiens ad ſecundas nuptias privatur Tutela Filiorum prioris Matrimonii, textu expreſſo *in l. Matres 2. Cod. Quando mulier tutelæ officio fungi poteſt*, ibi: *Nam ſi malunt alia optare Matrimonia, tutelam adminiſtrare non debent*; & concordat *Authent. Sacramentum, & leg. Si Pater 3. Codic eodem*.

41 Item perdit etiam curatelam eorum; *leg. Quod ſi nolit 31. §. 14. ff. de Ædilitio Edicto*. Vide verb. *Nuptiæ n. 18. & 19.*

42 Immo Uxor tranſiens ad ſecundas nuptias amittit quidquid a priore Marito prædefuncto donatione, teſtamento, aut quomodocunque acquiſivit, & transfert quoad proprietatem ad Filios prioris Matrimonii, retento ſibi ſolo uſufructu, textu expreſſo *in l. Feminæ 3. C. de ſecundis nuptiis*, ibi: „ Feminæ, quæ ſuſceptis ex priore Matrimonio Filiis ad ſecun-
„ das poſt tempus luctui ſtatutum tranſierint nuptias, quid-
„ quid ex facultatibus priorum Maritorum ſponſalium jure,
„ quidquid etiam nuptiarum ſolemnitate perceperint, aut
„ quidquid mortis cauſa donationibus factis, aut teſtamento
„ jure directo, fideicommiſſo, vel legati titulo, vel cujus-
„ libet munificæ liberalitatis præmio ex bonis, ut dictum
„ eſt, priorum Maritorum fuerint adſecutæ, id totum itaut
„ perceperint, integrum ad Filios, quos ex præcedente
„ conjuge habuerint tranſmittant .... Atque habeant po-
„ teſtatem poſſidendi tantum, atque fruendi in diem vitæ,
„ non etiam alienandi facultate conceſſa „. Et concordant *leg. Hac edictali 6. §. 1. Cod. eod. de indicta viduitate, & Authent. De nuptiis, §. Si vero expectes, collat.3.* & tenent Sanchez *de Matrimon. lib. 7. diſput. 88. n.2.* Joannes Angelus Boſſius *de matrimon. contract. cap.11. n.275.* Roſignolus *in alias de matrimonio controverſias contract. 15. de Matrimon. IV. prænot. 5. n.13. & ſeq.* Buſemb. & La Croix *lib. 3. part. 2. n.1163.* & alii paſſim.

43 Et ſi talis Uxor tranſeat ad ſecundas nuptias non elapſo anno luctus, amittit inſuper etiam Uſumfructum. Sic Baldus *leg.1. n. 6. Cod. de ſecundis nuptiis*, Surdus *de alimentis titul. 7. q.23. n.14.* Sanchez *de Matrimon. lib.7. diſputat. 87. n.10.* Joannes Angelus Boſſius *loc. cit. n.266.* Roſignol. *loc. citat. prænotat. 3. n.25.* & alii. Et ratio eſt, quia major eſt culpa tranſitus ad ſecundas nuptias durante anno luctus, quam ipſo jam elapſo, ut clare patet ex *lib. 1. Cod. de ſecundis nuptiis, & Authent. de ſecundis nuptiis, §. Prima ſi quidem collat. 4.* ubi Uxor tranſiens ad ſecundas nuptias durante anno luctus incurrit infamiam juris, quam non incurrit Uxor tranſiens ad ſecundas nuptias anno luctus jam elapſo: ergo ſi Uxor cum tranſit ad ſecundas nuptias jam elapſo anno luctus, ubi eſt minor culpa, privatur ſola proprietate, retento uſufructu, cum tranſit ad ſecundas nuptias durante anno luctus, ubi eſt major culpa, privanda eſt non ſolum proprietate, ſed etiam uſufructu.

44 Cum pro dote Uxoris nondum ſoluta a Socero accipit Maritus in pignus fundum fructiferum, cujus annui fructus ſuperexcedunt intereſſe, quod juſte exigere potuiſſet dictus Maritus ratione dotis, tunc ille exceſſus fructuum ſuper intereſſe dotis eſt reſtituendus Socero, ſeu ejus Heredibus, vel computandus eſt in ſortem. Sic Baldus *in l. Cum quidam 31. §.2. Cod. de jure dotium*, Alexander *in leg. In inſulam 42. §. 2. ff. Soluto Matrimonio*, Lupus *de Uſuris in l. Curabit 5. Cod. de actionibus empti*; Roſignolus *de Contract. Contr. 3. de Mutuo diſquiſit. 5. n.2. & 3.* Et ratio eſt, quia fructus pignoris reſpectu Mariti pignoratitii eſt ad ſupplendum defectum fructuum, quos perciperet a Dote, ſi ipſam habuiſſet, ut de ſe patet: ergo non debet extendi ultra valorem fructuum a dote percipiendorum. Ceſſante enim fine ratione, & cauſa conceſſionis, ceſſare debet & ipſa conceſſio, *cap. Cum ceſſante 60. de appellat. l. Adigere. 6. §.2. ff. de jurepatronat.* & reſtricta cauſa reſtringi debet & effectus, quem reſpicit eadem cauſa; *l. In agris 16. ff. De adquirendo rerum dominio*, cum ratio conceſſionis, & Legis ſit anima ipſius conceſſionis, & Legis, *l. Cum ratio 7. ff. de bonis damnat.* adeoque &c.

45 Uxor an poſſit ſibi eligere ſepulturam, & ſi non elegerit, ubi ſit ſepelienda? Vide verb. *Sepultura a. n. 73. ad 80.*

46 Uxoris ſoror improprie dicitur cognata, ſicuti etiam Uxoris frater improprie dicitur cognatus, textu expreſſo *in capit.*

Quod

(a) Nota. Quæ numeris 29. & 30. dicuntur, plena periculi ſunt. Nam quis peccandi periculum excludat in conjugato, dum moroſe delectetur cogitando actum conjugii, ſive copulam? Venerea enim ſenſitiva delectatio nihil aliud eſt, niſi interna pollutionis inchoatio, quæ aliunde oriri non poteſt, quam ex ſeminis commotione, & fluxu. Id vero mortiferum eſt etiam in conjugibus, dum ad copulam non ordinetur.



*Quod autem 5. cauſ. 35. quæſt. 5.* ibi: *Quod autem frater, ſororve uxoris tuæ cognati tui dicuntur, æquivocationis jure fit, & neceſſitate vulgaris appellationis potius, quam ulla cauſa cognationis.* Et concordat *cap. Primo gradu 6. eadem cauſ. & quæſt.* ubi aſſignantur nomina graduum ſuperiorum, ſive inferiorum, ſive ex latere venientium. Vide *ibi*, ubi fuſe de omnibus.

47 Uxor ſicut & Maritus, ſi in extrema neceſſitate baptizaret proprium Filium, non impediretur debitum petere, textu expreſſo *in c. Ad limina 7. cauſ.30. q.1.*

48 Nec Uxor, & Maritus peccant, ſi ſimul ſuſcipiant, vel teneant alienum puerum in Baptiſmo, nec prohibentur ſibi debitum reddere: Solo enim jure antiquo hoc erat eis vetitum propter cognationem ſpiritualem, quam tunc contrahebant; quæ cum modo ſublata ſit a Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de reformat. Matrimonii*, non videtur quo jure prohibeantur tenere. Navarr. *in Manual. capit. 22. n.36.* Sanchez *lib.7. diſp. 57. n.5.* Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. part. 2. allegat. 30. n.57.* & alii paſſim. Sanctus enim Pius V. Conſt. incip. *Cum illius vicem*, declaravit Patrinum, & Matrinam non contrahere inter ſe cognationem, nec impediri inter ſe conjungi.

49 Uxor prægnans crebras, & numeroſas choreas ducens cum agitatione, ob periculum, in quod injicit ſeipſam, & fœtum, regulariter non eximitur a peccato gravi. Vide verb. *Mater n. 12.*

50 Uxor notorie adultera cum ſolo conſenſu Viri non poteſt Religionem ingredi. *Sac. Congr. Epiſcop. & Reg. in Romana, ſeu Florentina Profeſſionum 16. Febr. 1704. Ponente Card. S. Clementis* apud Urſayam *in t.2. par.5. diſcept. 24.*

51 Uxor inſcio, & invito Marito regulariter loquendo non poteſt exponere ludo bona ejuſdem Mariti, nec bona dotalia, & communia; & amittat, ſunt a Victore reſtituenda. Vide verb. *Ludus n.32.*

52 Et ſi exponendo ludo talia bona, quæ ignorante colluſore alienare non poteſt, notabilem ſummam lucretur, tenetur eam reſtituere. Secus autem, ſi colluſor fuerit conſcius. Vide *ibid. n.33.*

53 Uxor poteſt ſimilia bona moderate ludo exponere inconſulto, & etiam irrationabiliter invito Marito in pluribus caſibus, qui aſſignantur. Vide *ibid. num.34.*

54 Uxor poteſt de Jure communi ludo exponere inconſulto, & invito Marito bona ſua patrimonialia non data in dotem, & bona paraphernalia. Vide *ibid. num.35.*

55 Super extractione Clerici conjugati facta ad formam Bullæ cauſa uxoricidii cum propinatione veneni, & prætenſa ſa qualitate proditionis, injungitur Epiſcopo, ut proficiat proceſſum, ſum, & tranſmittat, & interim caute cuſtodiat; *Sacra Congreg. Immunit. in Oſtunen. 23. Februarii 1695. lib.1. Decret. Vall. pag.172.*

56 Uxores Clericorum Conjugatorum gaudent privilegio Fori, & aliis exemptionibus ſuis Maritis durante illorum vita. *S. C. Immun. in Meliten. 20. Novemb. 1640. lib. 3. Decretal. Paul. pag. 134. in Oppiden. 18. Julii 1662. lib. Decret. Rocci pag. 415. In Biſignanen. 18. Novemb. 1653. lib.5. Decretal. Paul. pag.24.*

57 Uxores Clericorum Conjugatorum gaudent privilegio Fori, tam in Civilibus, quam in Criminalibus, itaut nequeant carcerari, nec perſonaliter adſtringi a Judice laico; non autem gaudent exemptione a gabellis, niſi adſit conſuetudo, durante tamen vita Clericorum, & cohabitatione cum ipſis. *Sacr Congreg. Immun. in Neritonen. 17. Januar. 1628. lib.1. Decret. Paul. pag.80. in Meliten. 11. Januar. 1633. lib. 2. Decret. Paul. pag.147.*

58 Uxores Clericorum Conjugatorum, & oblatorum habentium qualitates requiſitas gaudent privilegiis, quibus gaudent earum Mariti, vita iſtorum durante. *Sac. Cong. Immun. in Baren. 22. Septembris 1648. lib. 4. Decret. Paul. pag.59.*

59 Uxores Clericorum Græcorum gaudent Immunitatibus, exemptionibus, & privilegiis, quibus gaudent ipſi Clerici durante vita ipſorum Clericorum. *Sacra Congr. Immun. in una Regni Neapolitani 18. Februarii 1631. lib. 2. Decretal. Paul. pag.96.*

60 Uxores, & Filii Clericorum Albanenſium viventibus Patribus gaudent privilegio Fori, & exemptionum ipſis Patribus competentium, mortuo vero Patre gaudent, ſi concurrat conſuetudo. *Sac. Cong. Immun. in Roſſanen. 27. Maji 1654. lib.5. Decretal. Paul. pag. 42., & 4. Septembr. 1654. lib. Decr. Rocci p.32.*

61 Uxores Diaconorum Salvaticorum gaudent privilegio, & exemptionibus competentibus ſuis Maritis durante eorum vita. *Sac. congr. Immun. in Meliten. 20. Novembr. 1640. lib.3. Decret. Paul. pag.154.* ſeu pro tempore, quo eorum Mariti ſunt Diaconi Salvatici. *In Hyeracen 4. Julii 1645. ibid. pag. 254.*

62 Uxor Curſoris Nunciaturæ non gaudet privilegio Fori. *Sac. Cong. Immun. in Florentina 15. Decem. 1676. lib. 1. Decret. Altoviti pag.1136.*

63 Cauſam Uxoris Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis cognoſcat Epiſcopus. *Sac. Cong. Immun. in Fanen. 22. Junii 1655. lib.5. Decret. Paul. pag.67.*

64 Contra Uxorem, quæ blande extrahens Maritum e loco Immuni Birruariis ab ipſa vocatis tradiderat, Epiſcopus procedat ſua auctoritate ordinaria. *Sacra Cong. Immun. in Camerinen. 13. Maii 1698. lib.2. Decret. Vall. pag.153.*

65 Uxorem, quæ occidit proprium Maritum dormientem, & poſtea confugit ad Eccleſiam, Epiſcopus tradat Curiæ ſæculari. *Sacr. Cong. Immun. in Cremonen. 29. Decembr. 1625. lib. Scripturarum veterum pag.77.*

66 Hic juvat ad eruditionem adducere quæ de Uxore, muliere, ſeu femina habet D. Urſaya *in Miſcellaneo ſacro, & profano 1. & 2. litt. F. M. & V. ac in Inſtitut. Criminal.*

„ Peſſima res Uxor, poterit tamen utilis eſſe, 67
„ Si breviter moriens dat tibi quidquid habet.
„ Ducere ſi quam vis, teneat P. quinque puella, 68
„ Sit Pia, ſit Prudens, Pulchra, Pudica, Potens.
„ Ureris? uxorem ducas, non expedit uri; 69
„ Conjugis in gremio mortificanda caro eſt.
„ Uxores ego tres vario ſub tempore nactus; 70
„ Cum juvenis cum vir, factus exinde ſenex.
„ Propter opus prima ex validis mihi juncta ſub annis,
„ Altera propter opes, tertia propter opem.

71 Uxoris turpitudinis Patronus ille eſt, qui celat crimen uxoris. Sanctus Hieronymus *in Matth. cap.7.* relatus *in Canon. Sicut Crudelis 32. q.1.*

72 Uxorem qui pauper accipit, ter fit miſer.

73 Cum Uxore bini ſunt jucundiſſimi dies, alter quo ducitur; alter vero quo mortua effertur *Philippid.*

„ Uxor amice tibi ſemper mala, cum male tractas 74
„ Fit pejor; ſed fit peſſima quando bene.
„ Sed bona, ſi moriatur, erit, melior tamen id te
„ Si facit vivo, ac optime ſi propere.
„ Imperet ipſa nihil, quidvis tamen impetret uxor. 75
„ Utere nec ſerva conjuge, nec Domina.
P. Caſalich. *nell'utile col dolce decad.4. arg.3.*

76 Uxoris bonæ partes his verbis deſcribuntur *in Tob. 10. 13. Honorare ſoceros, diligere Maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere.*

77 Uxoris qualitates explicantur a Demoſthene his verbis relatis a P. Caſalich. *nell'utile col dolce decad. 13. argut. 7.* Interrogatus Demoſthenes qualem uxorem ducere oporteret, reſpondit: *Divitem, ut te ſuſtentet, Nobilem ut ornet, juvenem ut ſerviat, Formoſam ut placeat, & Pudicam ne te fallat.*

78 Uxorem pecunioſam ſi quis pauper duxit, non Uxorem, ſed Dominam habet, cujus eſt famulus, & ſervus. Strobulus apud P. Caſalich. *loc. cit. decad. 15. argut.7.*

„ Uxorem quare locupletem ducere nolim 79
„ Quæritis? Uxori nubere nolo meæ.
„ Inferior Matrona ſuo, ſit, priſce Marito
„ Non aliter fuerit femina virque pares.
P. Caſalich. *loc. cit. decad. 3. argut. 7.*

80 Alia ad rem vide verb. *Alimenta*; Verb. *Adulterium*; Verb. *Bona*; Verb. *Conjuges*; Verb. *Debitum conjugale*; Verb. *Divortium*; Verb. *Femina*; Verb. *Dos*; Verb. *Dominium* Verb. *Hæreticus*; Verb. *Impedimenta Matrimonii*; verb. *Maritus*; Verb. *Mater*; verb. *Matrimonium*; verb. *Neceſſitas*; verb. *Pater*; verb. *Polygamia*.

„ Adam, Sampſonem, Petrum, Davidem, Salomonem 81
„ Decepit mulier, quis modo tutus erit?

Mu.

82 Mulier ſtuppa eſt, & homo titio ; accedit Diabolus , &
uterque comburitur .
83 Femina velut gutta nigra, corrumpit albam maſculorum. *S.
Rota in Imolen. Fideicommiſſi* 21. *Martii* 1729. *§. Denique,
coram Ratto* .
84 „ Sola viro mulier ſpoliis exultat adeptis,
„ Sola locat corpus, ſola locanda venit .

85 Abſque femina ſi mundus ſtare poſſet, noſtra converſatio
non eſſet ſine Diis . Cicero ſequutus a Capon. *controverſ.*58.
*in princip.*
86 Ad dignoſcendum viros a mulieribus larvatis , optimum
adducit modum ex Salomone Korman. *de Virg. jur. cap.*139.
faciendi ſcilicet abluere faciem ab utriſque ; feminæ ſiquidem
molliter , ac delicate vultus ſuos fricant , ſecus autem
maſculi .
87 Uxorem ducens dicitur navigare; *c. Nos novimus* 2. *cauſ.*
17. *quæſt.*2. ubi Gloſſa verb. *Navigaſti* ait ; *Sicut navigans
ſubjicit ſe variis periculis, nec proprio motu regitur , ſed ven-
tis ; ſic ducens uxorem.*
88 Uxor minori miſeria deformis habetur , quam formoſa ſer-
vetur. S.Hieronymus relatus, & ſequutus a Nevizan. *in Syl-
va nuptiar. lib.*2. *n.*94. Unde Poeta .

„ Ægre formoſam poteris ſervare puellam:
„ Nunc prece, nunc auro forma petita ruit.
89 „ Femina molle genus , turpes proclivis ad actus .
„ Ni vir ſit cuſtos, ni pudor, atque metus .

90 Femina ſuum retinet morem , ſemper hominem expellit
e Paradiſo. Card. Bona *in Manuduct. ad Cælum cap.* 5. §. 3.
*in fine* .
91 Feminas videre malum eſt , alloqui pejus, tangere peſſi-
mum. S. Auguſtinus apud Urſayam *loc. cit. num.*128.
92 Feminæ vox in hominibus ſolet eſſe mali hominis indicium
ex animadverſis per Farinac. *quæſt.*116. *num.*170. ubi monet
cavendum eſſe ab ipſis, quia ipſe non ſemel , ſed pluries ab
hujus qualitatis hominibus fuit proditus . Ego tamen cum
Rayman. *tom.*1. *c.*2. §.5. *in fine* crederem id non eſſe gene-
raliter verum, ſed neque etiam generaliter falſum .
93 Uxor , quando eſt pulchra , aufert nomen Domus Marito ,
quia dicitur, eamus ad domum Dominæ Tenerinæ , non
autem ad domum Domini Bonhomi ejus mariti ; ut obſervat
Nevizan. *in Sylva nupt. lib.*2. *verb. Diviti non eſt nubendum
num.*86. & Urſaya *Inſtit. Crimin. lib.*4. *tit.*1. *num.*85.
94 Uxor eximens Maritum de manu Curiæ, & Maritus uxo-
rem, non dicitur committere crimen læſæ Majeſtatis ; unde
debet puniri ſola pœna extraordinaria . Concil. *Allegat. fo-
renſ.*87. *per tot.* Guazzin. *ad defenſ. Reorum defenſ.* 5. Urſaya
*loc. cit. lib.*2. *tit.*1. *num.*136. *& ſeq.*
95 Privilegia mulierum inhoneſtarum referuntur ab Urſaya
*loc. cit. lib.*2. *tit.*7. *num.*18. Ravn. *tom.*3. *cap.* 20. §. 1. *nu-
mer.*21. *& ſeq.* & Secretaria Apollinis *fol.*456. ac ſi eiſdem
ab eodem Apolline conceſſa eſſent, cum ſequentibus verbis:
„ Abbiamo determinato di concedervi alcuni privilegi , i
„ quali agevolando le voſtre fatiche, potranno rendere men
„ fallaci le voſtre arti , e ſono queſti di poter rubare ſenza
„ obligo di reſtituzione ; di fingere ; diſſimulare ; di non dir
„ mai la verità ; di godere ſenza amare ; di piangere quan-
„ do volete ; di traſformarvi quando vi pare ; di chiedere
„ ſenza diſcrezione ; di togliere ſenza pietà ; di celare l'o-
„ dio ſotto le luſinghe ; di ſtrapazzare li voſtri Amanti ; e
„ finalmente di vendicarvi inſenſibilmente dell' ingiurie ,
„ che vi fanno , facendoli reſtar pelati nella teſta , e nella
„ borſa nel termine di quaranta giorni .
96 De quibus præſertim verificatur celebre Alphabetum San-
cti Antonini *in* 3. *part. tit.*1. *cap.* 24. ideſt Avidum animal.
Beſtiale baratrum . Concupiſcentia carnis . Damnoſum
duellum . Æſtuans æſtus . Falſa fides. Garularum guttur .
Herinnis harmata . Invidioſus ignis . Kalumniarum Kaos .
Lepida lues . Monſtruoſum mendacium . Naufragii nutrix .
Opifex odii . Prima peccatrix . Quietis quaſſatio . Ruina
Regnorum . Silva ſuperbiæ . Truculenta tyrannis . Vanitas
vanitatum . Xantia Xerſis . Ydolorum imago . Zelus zelo-
typus .
97 Multæ tamen ſunt honeſtarum mulierum prærogativæ ,
quamvis enim , ut habetur in adnotatione *ad deciſ.*431. *num.*
43. , *& ſeq. Rotæ recent. part.* 4. *tom.*2. & apud Urſayam
*Inſtitut. crimin. lib.* 4. *tit.*1. *a num.*20. Judocus Damboud, *in
tract. comm. lit. M. verſ. Mulier Philoſopha* teſtetur ſe ad
hoc ut aliquid diceret in honorem feminarum , revolviſſe
omnes Juris Civilis Textus , ad effectum reperiendi , ſi in
eis fieret mentio de aliqua muliere bona , & incidiſſe in Tex-
tu incipiente *Mulier bona* 72. *ff. de jure dot.* quem diligenter
inſpiciendo , reperiſſe , verbum *bona* non eſſe caſus nomina-
tivi , ſed accuſativi , dicendo : *mulier bona ſua omnia in do-
tem dedit* ; & ſic in toto corpore Juris Civilis mulierem
bonam invenire non valuiſſe ; Inveniſſet tamen , & quidem
copioſe in Sacra Scriptura , & in Jure Canonico , ſi ulterius
quæſiviſſet, ut videre eſt *in Eccleſiaſtic. cap.*26. *num.* 1. 3. 18.
*&* 21. *& cap.*36. *num.*26. & apud D. Paulum 1. *ad Corinth.
cap.*7. *num.*14. & *in Canon. Quod autem* 1. *cauſ.* 28. *qu.*1. &
alibi . Unde merito advertit Nevizan. *in Sylva nupt. lib.* 4.
*ſub num.* 95. mulieres multas habere prærogativas , quæ co-
pioſius ſcriptæ reperirentur , ſi ipſæ ſcriberent , ut faciunt
viri , ad quem effectum applicari poteſt lepidum dictum il-
lius Philoſophi , qui teſte de Rub. *in addit. ad deciſ.*431. *nu-
mer.*54. *part.*4. *to.*2. *Rotæ recent.* obſervando in magna tabu-
la depictos multos leones , ab hominibus dilaceratos , pro-
rupit in hæc verba ; *Oh ſi leones pingere ſcirent* ! De quibus
ſelectiſſimis, & laude digniſſimis mulieribus late agit Zaul.
*tom.*1. *rub.*16. *num.*50. *& ſeq.* & latius Petrus le Moyne *In
lib. cui titulus: La Galleria delle Donne forti, Mutinæ impreſſo,
anno* 1701. *in tract.* & prius per Actorem Gallice typis dato.
Vide etiam Chriſtophorum Bronzini *in tract. della dignità ,
e nobiltà delle Donne anno* 1624. impreſſo Florentiæ , ubi ſuis
pro eximiis excellentiis , ac prærogativis merito uſque
ad Sydera extolluntur .
Uxorem ducendi curioſus, & ſcandaloſus modus in Regno 98
Congi indicatur, & refertur a Patre Joanne Franciſco Roma-
no Capuccino *in libro* , cui titulus : *Breve relazione del ſucceſſo
della Miſſione nel Regno del Congo*, impreſſo anno 1648. in Ty-
pographia Sacræ Congregationis de Propaganda Fide *cap.*9.
*di alcune uſanze molto dannevoli , che ritengono li naturali di
Congo fol. mihi* 77. ſequentibus verbis . „ Una di dette ma-
„ le uſanze, che ſono in quei popoli, è, che quando ſi vo-
„ gliono accaſare, pigliano le Mogli a prova. Va un Giovine,
„ dimanda la Figlia al Padre , ed alla Madre con preteſto di
„ volerla pigliare per Moglie, e dargli la Dote che li convie -
„ ne, eſſendochè tra eſſi è queſto coſtume, che il marito dà
„ la Dote alla Moglie, e non il Padre, e la Madre; eſſi gliela
„ conſegnano molto di buona voglia, ed il Giovine la con-
„ duce a Caſa ſua, e dopo averla tenuta due, o tre anni , ſe
„ gli piace , e ſi confà col ſuo umore , ſi accaſa con eſſa ;
„ quandochenò , la rimanda a Caſa di ſuo Padre; e la me-
„ deſima libertà ha la Donna con quello , che la piglia ,
„ che ſe non li guſta d'accaſarſi con eſſo lui, ſe ne può ritor-
„ nare a ſuo piacere alla Caſa paterna. Queſta uſanza si per-
„ niciosa è difficiliſſima da levarſi, perchè dicono eſſi: Ho
„ Io da obbligarmi a ſtare tutto il tempo della vita mia con
„ Donna, che non conoſca qual ſia, e di che condizione?
„ E' vero, che mi poſſo informare, e da parenti, e da altre
„ perſone, che conoſcono la Giovine, ma eſſi mi poſſono in-
„ gannare , dicendomi una coſa per un'altra, a fine, che la
„ prenda per Moglie ; e per tanto ſenza tal eſperienza piut-
„ toſto non voglio accaſarmi , che ponermi a riſchio di ave-
„ re un continuo inferno in mia vita . Da queſta uſanza sì
„ pernicioſa ne ſiegue, che la Giovine in tal modo ripudia-
„ ta, ordinariamente non trova più chi la voglia prender per
„ Moglie , e li Figli nati da eſſa vanno come baſtardi diſperſi
„ quà , e là ſenza veruna educazione . Di più ne ſiegue ,
„ che ſtanno gli anni, e anni in ſtato di concubinato, poichè
„ il Marito dovendo dare la Dote alla Moglie , non ſi può
„ indurre a queſto paſſo , ma va ſemper procraſtinando di an-
„ no in anno , ed a perſeverare in quel cattivo ſtato talvolta
„ 25. e 30. anni . Hæc ille, ut refert Urſaya *Inſtit. Crim.
lib.* 4. *tit.*4. *n.*173.
Uxor in poteſtate Mariti eſt juxta Legem Moyſi. Benedict. 99
XIV. tom.2. Conſtitut.2. *tit.*28. incip. *Poſtremo Menſe* §.59.
o Ideo Maritus a Judaiſmo ad Eccleſiæ Fidem converſus, eam 100
ad Baptiſmum offerre poteſt . Idem *ibid.* Vide tom.3. *verb.
Hæbreus* ubi multa ad rem, & verb. *Greci* .

*Novæ additiones ex aliena manu* .

VIde Animadverſiones Verb. Fœmina Cæterum quæ 1
Auctor a *num.*66. *ad* 98. adducit , inſulſa , ridicula ,
& Religioſo Viro prorſus ſunt indigna .

XENIA



# X

# X E N I A.

1 XEnia illa , ſeu dona , aut munera dari ſolita per Cardi-
nales abſentes noviter promotos Cubiculariis participan-
tibus , ſeu Cameræ Pontificis , ſi contingat obitus Papæ, qui
illos creavit , antequam ſequuta ſit conſignatio Birreti , mu-
nerumque receptio, dividenda ſunt inter Cubicularios utriuſ-
que Pontificis , nempe illius , qui illos Cardinales creavit ,
& ſucceſſoris . Si vero conſignatio Birreti , & munerum re-
ceptio ſequuntur vivente Pontifice illo , qui dictos Cardina-
les creavit , tum integraliter ſpectant ad Cubicularios Pon-
tificis præmortui ; Sic D. Urſaya *Inſtit. Crimin. lib.* 2. *tit.* 2.
*num.* 57. teſtans ita conciliari Doctores , qui videntur in hoc
inter ſe contrarii , adducitque pro ſe Pittonium *tom.* 2. *di-
ſcept.*51. *per tot.* & Emin. Card. Petram *tom.*4. *Comment. ad
Conſtit.*1. *Eugenii IV. num.*23. Vide ipſos *loc. cit.* ubi referunt
ad rem varios caſus .
2 Xenia, & dona excæcant oculos Judicum. *Eccleſiaſtic.* 20.
*num.* 31.
3 Unde Judex tenetur abſtinere a receptione munerum, tum
Jure Divino , tum Jure humano . Vide verb. *Judex num.* 33.
*&* 34.
4 Judex contra ſupradictas prohibitiones accipiens notabi-
lia munera peccat graviter , & tenetur ad reſtitutionem
Vide *ib. num.* 35.
5 An talis reſtitutio ſit pro Foro conſcientiæ facienda ante
ſententiam condemnatoriam , vel declaratoriam delicti ?
Vide *ib. num.* 36.
6 Quantum ad hoc pro certo tenendum eſt , quod ea , quæ
ad redimendam vexationem , aut Sententiam injuſtam , aut
aliter involuntarie data ſunt , debent a Judice reſtitui ante
omnem ſententiam . Vide *ib. num.* 37.
7 Judices videntur a Jure reddi inhabiles ad acquirendum
munerum receptorum dominium . Vide *ib. n.* 38.
8 Nec ex conſuetudine poſſunt Judices illa acquirere , & re-
tinere . Vide *ib. num.* 39.
9 Ubi vero Jura non reddunt Judices inhabiles ad acquiren-
dum tale dominium, ſtante conſuetudine legitime præſcripta,
ſciente Superiore , & non contradicente, poſſunt Judices Sæ-
culares ſponte oblata recipere . Vide *ib. num.*40.
10 Poteſt tamen Judex recipere a partibus ſponte oblata le-
viora munuſcula , pro quibus non eſt periculum , quod per-
vertatur , ſeu corrumpatur ipſius Judicium . Vide *ibid.
num.* 41.
11 Judex Eccleſiaſticus , ſive Ordinarius , ſive Delegatus ni-
hil recipere poteſt ſportularum nomine . Vide *ib. num.*42.
12 Judex Laicus Delegatus poteſt exigere ſportularum nomi-
ne etiam quotam pecuniæ . Vid. *ib. num.* 43.
13 Judex autem Laicus Ordinarius nequit aliquid recipere
Sportularum nomine . Vid. *ib. num.* 44.
14 Si Judex , ſive Ordinarius , ſive delegatus, ſive Eccleſia-
ſticus, ſive Sæcularis non habeat ſibi aſſignatum ſtipendium,
nec congruam ſuſtentationem , poterit pro Judiciis ſibi com-
miſſis exigere Sportulas , ſive honoraria . Vid. *ib. num.*45.
Et Sportularum nomine quid intelligatur ? Vid. *ib. num.*46.
15 Ubi extat conſuetudo , poſſunt Judices accipere Saccha-
rum, Ceram , Coccholatam &c. in diebus Natalitiis , vel
alio anni tempore , quæ conſuetudo viget in Urbe Romæ ,
ut eſt omnibus notorium , teſte D. Urſaya *Inſtitut. Crimin.
lib.*2. *tit.* 2. *num.* 51. *& ſeq.*, ubi ſubjungit, quod licet omnia
iſta munera , ſive eſculenta , & poculenta , ſive Saccharum ,
Cera &c. accipi poſſint a Judicibus , ut expreſſe habetur in
Conſtit. Innocent. XII. incip. *Sacerdotalem , & Regiam* §.
*Porro* , ibi : *Porro Xenia ſolita eſculenta , & poculenta , quæ
Judicibus , Miniſtris, & Officialibus Romanæ Curiæ exiberi con-
ſueverunt , minime probibita fuiſſe, nec probiberi decernimus* :
Magis iidem Judices æſtimantur , ſi illa non accipiant , quia
litigantes , qui dant eis unam Gallinam , illam dant cum in-
tentione , ut habeant ab eis Bovem , quodque Ruſtici dice-
re ſolent , quod munus intrat per portam Judicis , & Diabo-
lus per feneſtram . Sic cum pluribus aliis ibi allegatis expreſ-
ſe D. Urſaya *loc. cit.*
Auditores Rotæ accipientes aliquod munus a Notariis ra- 16
tione Officii incurrunt Excommunicationem , & tenentur ad
reſtitutionem in duplo erogandam pauperibus . Vide verb.
*Auditores num.* 62.
Immo Auditores Rotæ nihil recipere poſſunt , neque per 17
ſe , neque per alium a litigantibus . Vide *ib. num.*63.
Solent tamen ab iſtis recipi munera quædam ſolita pro Fe- 18
ſtis Natalitiis , & Kalendis Auguſti . Quæ munuſcula ſolent
etiam mitti Advocatis, & Procuratoribus per litigantes, quæ-
que uti conſueta debent bonificari Agenti cauſarum . Vide.
*ib. num.* 64.
Epiſcopus non poteſt recipere munera occaſione rece- 19
ptionis Habitus , ſeu emiſſionis Profeſſionis Monialium . Vi-
de verb. *Epiſcopus art.*6. *num.* 107.
Epiſcopus , & quilibet alius Superior Ordinarios in his 20
tranſgreſſor tenetur ad reſtitutionem , & ſi munus excedat
Summam decem Ducatorum , nequit abſolvi neque a Sum-
mo Pœnitentiario , niſi facta prius reſtitutione . Vide *ib. nu-
mer.* 108. Immo Pignatell. *tom.*9. *conſult.*144. ex variis De-
cretis Sac. Cong. Epiſc. vult, quod Epiſcopus non debeat, nec
poſſit recipere dona , ſeu munera a ſuo Clero , & ipſum
ſequitur Urſaya *loc cit. num.* 46. Vide ipſos .
Quo ad ea , quæ poſſunt, & debent neceſſario obſervare 21
Regulares circa largitiones munerum . Vide verb. *Regulares
art.*1. *num.* 67. ubi ad id afferuntur Conſtitutiones Clemen-
tis VIII. & Urbani pariter VIII.
Recipientes munera a Regularibus contra præſcriptum di- 22
ctarum Conſtitutionum quicumque ſint ſive Regulares, ſive
Sæculares , in neutro Foro abſolvi poſſunt ante factam reſti-
tutionem . Vide *ib. num.*68.
Et ſi munus excedat Summam decem Scutorum , neque 23
poſſunt abſolvi a Summo Pœnitentiario . Vid. *ib. num.*69.
Quoad Perſonas quæ donare poſſunt , vel non ? & in qua 24
quantitate ; Vide verb. *Donatio art.*2. *per tot.*
Munera non ſunt recipienda , neque omnia , neque quo- 25
vis tempore , neque ab omnibus , textu expreſſo *in l. Solent*
6. §. 3. *ff. de Officio Proconſulis.*
Munera accipere a nemine inhumanum eſt , paſſim viliſ- 26
ſimum , & omnia avariſſimum , textu expreſſo *in cit. l. So-
lent* 6. §.3. ibi : *Nam valde inhumanum eſt a nemine accipere,
ſed paſſim viliſſimum eſt , & omnia avariſſimum* .
In muneribus dandis , & accipiendis attendi debent qua- 27
tuor iſta aſſignata a Gloſſa *in cap. Etſi quæſtiones* 18. *verb.
Muneribus , de Simonia* , duobus ſequentibus verſiculis , ibi :
*Muneribus , dandis attendas quatuor iſta .
Qui dans, quisque petens, quæ res, quæ cauſa petendi.
Munera crede mihi placat homineſque , Deoſque :* 28
*Placatur donis Juppiter ipſe datis* .
Ovid. apud Urſayam *Miſcel.* 1. *Sacr. & prof . lit. M. nu-
mer* 360.
Alia ad rem ; Vid. verb. *Donatio*, verb. *Judex* , verb. *Mo-* 29
*niales* , verb. *Regulares*, verb. *Votum* .
Victoriam , & honorem acquirit , qui dat munera : ani- 30
mam autem aufert accipientium. *Proverb.* 22. 9.
In quorum manibus iniquitates ſunt , dextera eorum re- 31
pleta eſt muneribus . *Pſalm.* 25. 10.


Zeloty-

# Z

## Z E L O T Y P I A.

1 ZElotypia eſt dolor, ſeu ægritudo animi ex eo proveniens, quod alter potiatur eo, quod quis concupiſcit, vel potitur. Urſaya *Inſtitut. Crimin. lib. 3. tit. 3. num.* 54. Seu eſt ægritudo animi ex eo proveniens, quod quis timet ne alteri adſit, quod cum nemine velit habere commune. Chryſippus ſequutus a Cyriac. *Controv.* 172. *num.* 77. Urſaya *Miſcellan.* 2. *Sacro & profan. lit. Z. numer* 2.

2 Mulieres facile Zelotypiæ morbo laborare ſolent, & referuntur aliqua exempla ab Urſaya *Inſtit. Crimin. lib.* 2. *tit.* 5. *n.* 104. *& lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 46. Vide *ibi.*

3 Maritus uxorem non bene converſantem Zelotypiæ cauſa Domi ut in carcere retinere poteſt; *cap. Placuit* 10. *cauſ.* 33. *q.* 2. Guazzin. *ad defenſ. Reor. defenſ.* 5. *cap.* 7. *num.* 5. *&* 12. ubi de Viro uxorem ob Zelotypiam in vinculis detinente; Urſaya *loc. cit. lib.* 4. *tit.* 3. *num.* 23.

4 Zelotypia magnum eſt copulæ argumentum; Scalon. *de teſtament. lib.* 3. *cap. ult. ſect.* 2. *num.* 30. ubi refert, & ſequitur vulgatum illud: *Res eſt ſolliciti plena timoris amor.* Urſaya *tom.* 7. *part.* 2. *diſceptat.* 22. *num.* 38. Panimol. *de diſ.* 93. *annot.* 1. *num.* 16. Rota *in Senogallien. Legatorum* 13. *Junii* 1697. *verb. ſed etiam, coram Molin.*

5 Ex Zelotypia alterius amoris ortum habere ſolent amatoria ſortilegia. Vener. *in examin. Epiſc. lib.* 6. *cap.* 34. *n.* 10. *& ſeq.* Urſaya *Inſtit. Crimin. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 53. cum aliis ibi allegatis.

## ZINGARI, ZINGARÆ.

1 ZIngari, vel Zingaræ, qui vel quæ ſe jactant divinare bonam, vel malam fortunam, & in dies ab Idiotis præſertim, & plebeis paſſim de ſua ſorte conſuluntur, ſi admiſceant res ſacras, & aſſertive pronuncient cordium ſecreta, ſortilegium committunt, & poſſunt ab Inquiſitoribus puniri. Villadiego *in Politic. Cap.* 5. §. 20. *num.* 30. Diana *to.* 5. *tract.* 10. *de S. Offic. reſolut.* 112. *per tot.* Nicol. *in Floſcul. verb. Inquiſit. n.* 1. Raynal. *t.* 1. *ad cap. Supplet.* 5. *n.* 496. Pignatell.
2 *t.* 8. *conſul.* 64. *n.* 45. & alii paſſim. Secus autem, ſi non admiſceant res ſacras, nec aſſertive pronuncient Cordium ſecreta, Bordon. *in Manual. S. Offic. ſect.* 34. *n.* 63. Urſaya *Inſtitut. Criminal. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 44. 45. *&* 46. & alii. Et ratio eſt, quia eorum prædictiones, & divinationes fere ab omnibus ordinarie cum riſu accipiuntur, nec eis præſtatur aliqua firma fides, quod obſervat pariter Carena *de Inquiſit. part.* 2. *tit.* 12. *n.* 164. & alii paſſim, notantes quod nemo eſt tam ſimplex, ut firmam fidem præſtet Ægyptianis, vulgo dictis Zingaris.

3 Tam Zingari, vel Zingaræ, ut ſupra divinantes, & prædicentes, quam omnes alii ipſos, vel ipſas conſulentes peccant mortaliter, ſi fiat cum firma fide, vel ſcandalo; Si vero fiat propter ſolam curioſitatem, vel animo ridendi, ut communiter fieri ſolet, peccant tantum venialiter. Filliuc. *tract.* 24. *num.* 135. Lupus *pag.* 323. *difficult.* 2. Buſembaum *Medull. lib.* 3. *tract.* 1. *dub.* 2. *num.* 10. Sanchez, & alii paſſim.

4 Zingari ſunt teſtes idonei ad probandum ſtatum liberum aliorum Zingarorum, Matrimonium contrahere volentium. *Sac. Cong. Conc. in Fundana Viſitationis Sacror. Liminum* 19 *Decemb.* 1682. *lib.* 16. *Viſitat. Sacror. Limin. fol.* 96. apud Urſayam *in Miſcellaneo* 1. *litt. Z. n.* 2.

5 Emens rem a Zingaris tenetur illam abſque reſtitutione pretii vero Domino reſtituere. Urſaya *Inſtit. Criminal. lib.* 2. *tit.* 8. *n.* 53. Bertazol. *Conſil. Crimin.* 43. Pignatell. *tom.* 8. *conſult.* 64. *num.* 41. & alii. Et ratio eſt, quia emptio, vel eſt facta ſcienter, & eſt nulla, *l. Si in emptione* 34. §. 3. *ff. de contrahenda emption.* Vel ignoranter, & non transfertur rei emptæ dominium in emptorem, *l. Rem alienam* 28. *ff. cod.* ubi Gloſſa, & Doctores paſſim; Quinimmo ex tali emptione nec oritur uſucapiendi conditio, §. *Furtivæ* 2. *Inſtitut.*
6 *de uſucationib.* Viget enim contra Zingaros furti præſumptio, cum ipſi, ut eorum filii facilius furentur, doceant illos, permiſſum eſſe ab eorum lege quolibet die certam ſummam furari, quod ſcivit in examine ab uno ex eiſdem proceſſato de furto Coſp. *nel Giudic. Crimin. part.* 3. *cap.* 46. *n.* 10. teſte Urſaya *Inſtit. Crimin. lib.* 3. *tit.* 3. *n.* 48. citans Cruſium *de judic. Delictor. part.* 2. *cap.* 22. *n.* 36. & Raynald. *tom.* 3. *c.* 26. §. 15. Unde ipſi etiam pro minimis furtis, puta gallinarum,
7 puniri debent. De Angel. *de delict. part.* 1. *cap.* 6. *n.* 13. Urſaya *loc. cit. lib.* 2. *tit.* 8. *num.* 13. Raynald. *loc. cit. numer.* 3. & alii.

8 Zingari præſumuntur mali homines; Florell. *in vot. edit. in Peruſina falſæ monetæ* 24. *Novembr.* 1711. §. *In oppoſitum*, Urſaya *loc. c. n.* 53. Rainaldus *loc. c. n.* 2. ubi cum aliis aſſerit ipſos ſemper male agere in locis, ubi ſunt, & ex raptu, latrociniis, proditionibus, deceptionibus turpem quæ-
9 ſtum facere. His enim de cauſis legimus juſſos eſſe a Germania diſcedere provido Edicto Caroli V. Imperatoris anno 1549. veluti exploratores, & proditores Chriſtianorum regnorum miſſos a Turcis; ut refert Petr. Gregor *Syntagm. Jur. lib.* 34. *c.* 16. *in fin.* A Regno quoque Neapolitano, ubi ſine licentia morabantur, ac furtis, & latrociniis cuncta compleverant, pragmaticis ſanctionibus juſſi ſunt diſcedere 16. Octobr. 1568. 14. Septembr. 1596. & 12. April. 1485. ut refert Pignatell. *loc. cit. n.* 44. Et hic etiam bannitos eſſe a toto ſtatu Eccleſiaſtico, Bononienſi, & Neapolitano tradit
10 Raynald. *loc. cit.* Ubi *num.* 4. refert ab aliquibus vocari deſcendentes, ac poſteros Caini, vagos & extorres propter
11 illius peccatum; Et ab aliis dici errones, eo quia majores ſui Deiparam Mariam, cum ex Judæa propter Herodis perſecutionem in Ægyptum fugeret, hoſpitio excipere re-
12 cuſarunt; Quæ tamen falſa eſſe oſtendit. Quamvis *ibid. n.* 6. aſſereat, quod in Turcia hujus gentis mulieribus licitum eſt ex privilegio publice impune ſe proſtituere.

FINIS TOMI SEPTIMI.